8
9 L
19

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

47.6.92.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

MVNIESSA
DE
INCARNATIONE,
ET
EVCHARISTIÆ.

Digitized by Google

P. P.

THOMÆ MARINESIA

LACONENSIS

E SOCIETATE IESV,

IN LARACONIÆ PROVINCIA

COLLEGII PARACONENSIS PRIMARII THEOLOGI

Moral. Sacrædin. Regii Professoris nunc Studiorii Præfecti, ac Examinatoris

Theologi Quadragesimalis : Examinatoris

Synodalis, &c.

DISPUTATIONES SCHOLASTICÆ,

DE MYSTERIIS

INCARNATIONIS, ET EVCHARISTIÆ.

Profluentes e Conferentiis Oratoriis per Triennium habitis Paracone pro Sabbatina

celebratæ Conventui Apellis Sacris Fieri Iodoc. Alphabetum.

ANNO 1689.

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

D.D.CAROLO DE ARAGON,

GVRREA, ALAGON, ET BORGIA,

DVCI DE VILLAHERMOSA, COMITI DE LVNA, SASTAGO, Ficallo,& Morata: Marchioni de Aguilar,& de Calanda: Baroni de Torrellas, & de Arenòs,&c. Regiâ Cubiculo,& à Conſilio Statùs: Aurei Velleris Equiti, Commendatario maiori Alcannicienſi Ordinis Calatravæ: Proregi, & Capitaneo Generali Principatùs,& Comitatuum Cathaloniæ: ibique Regij Exercitùs Polemarcho,&c.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

ARGVTE quidem ingeniorum Apex, Magdalenam intuitus ad pedes Domini inter epulas irruentem: *Irruens*, inquit, *quaſi importuna convivio; opportuna beneficio.*

Importunus & ipſe fortè audiam, dum ad Te, Caſtrenſes inter accenſi Martis curas pro indole tua quaſi convivantem, non gladium, non clipeum, non bellica tormenta, ſed Librum defero, paciferæ potius Minervæ, quam cataphractæ Palladi ſacrum. Sed certè opportunus beneficio Magnitudinis tuæ, quam nullæ ſollicitudines præpedire unquam poterunt, quominus ſperem pro ea, qua mecum uteris humanitate, nihil meum ineptum videri poſſe Excellentiæ tuæ, cui mecum omnia mea devinctiſſima ſunt. Memini, ſpicula quandoque germinaſſe in Lilia, & ſuper æreas Pugilum galeas erumpere ſolitos, aut floridos, aut verſicolore venuſtate pennatos apices ad decorem: *Auguſt. l. 50. Hom. Hom. 23.*

Mauortia ſigna rubeſcunt
Floribus, & ſubitis animantur frondibus haſtæ. *Claud. de Nupt. Honor.*

Quaſi Mars ipſe miteſcat aliquando, & victricibus lauris imbelles oleas attexere glorietur. Vt minus abſonet, ſi inter Martialium munerum obſequia, quæ congratulationis ergo Triumphatori de omnibus optimè merito deferuntur, compareat ad fores Tentorij tui Liber hic meus, quãdo aliud meum habeo nihil, quod ad tuæ gloriæ tholos appendam: *quod autem habeo, hoc tibi do.* *Act. 3.*

Poſt Gubernationem Belgij numeris omnibus abſolutam, ſuſcepiſti Prorex pari plauſu, nec impari auſpicio Provinciam Gotholaunicam, planè difficilem, ingruente ſcilicet à Gallis finitimis bello, ſtatim ab adventu tuo nobis à pacis otio nondum ſat paratis, indicto: quaſi Mars Martem, quocum confligeret, expectaſſet. Sed vix eam aggreſſus, egreſſus in Caſtra, Hoſtem, qui per agrum Ampuritanum debachari cœperat in fines ſuos effugaſti. Expugnationi poſtmodum Camredonenſi te accinxiſti: & poſt arduos itinerum anfractus præter multorum ſpem fœliciter ſuperatos, eumdem Equitatu, & Peditatu fortiter inſtructum, auxilio, ſi poſſet, Arci de Te timenti adfuturum, ſtrenuè ex acie, nec ſine cæde coegiſti

Digitized by Google

gisti in abrupta montium, unde posset oculatus testis invictum Legionum tuarum robur demirari, & mala videre Gentis suæ, donec incredibili constantiâ arduæ expugnationi insistens, interignes undique explosis impavidus, cum ingenti Hispani Nominis gloria, deditionem Aricis nuper à Gallis occupatæ, unâque obsistentis Exercitûs præcipitem fugam adeptus es; ut Belgicis tuis ad Montes Hannoniæ, & ad Tractum Senesfianum triumphis, Gotholaunicus hic præsens accederet, spemque nobis faceret, si placet Superis, futurorum.

Hæc, atque id genus plura, Heros inclite, cum de Te fama plenis buccinis eloquatur, non est cur alia congeram ad nauseam usque à Proavis, & Atavis longiùs repetenda, quæ Tuorum potius, quàm Tua forent, & fortunæ potius vertenda, quàm laudi, si non imitatione superasses, sicque tua glorioſiùs effeciſſes. Ea ut uno dicam verbo, nobilitaris Aragoniæ sanguine Regio, ad Te per Ribagorzanos Dynastas derivato: cui parem contulit splendorem digniſſima Coniux, Excellentiſſima Domina mea D. Maria Henrriquez de Guzman, ex Albanis Comitibus Hispaniæ Magnatibus clariſſimum Genus, exilla Henrriquiorum stirpe, cuius, ut verbo dicam altero, vulgatum est illud, quòd Reges dedit, accepitque pietatis, modestiæ, religionis, & omnigenæ virtutis amore, ac laude Tibi consimilis, ut fas sit dicere, Neutri facile fore, consortem dignum inveniri, si Alter defuisset.

Cùm autem, Magnas excellentiſſime, verèque animorum Magnes, quasi hæreditario veræ Nobilitatis iure, religioſorum Principum sit, Religionem pro viribus fovere, præcipua Religionis Catholicæ Capita his meis Theologicis Disputationibus de Mysterijs Incarnationis, & Euchariſtiæ quo potui studio discussa, Tibi præcipuæ Nobilitatis Principi, inter strepitus etiam bellicos æqui, bonique observantiſſimo, consecrare opportunum fuit; insuper, & mihi perquecessarium, cui nimirum aliò confugere patrocinij causâ multa prohibent, quæ cunctis notiſſima sunt. Secundiſſimo læti syderis omine secundus hic Theologicæ meæ elucubrationis Liber ibit in Orbem, dũ sub Tui Nominis umbra tutam videbit lucem: hocque servitutis meæ pensum inter præclara recentis victoriæ trophæa haud temerè Tibi sacrum, triumphare à Te discet, & è sublimi tutelæ tuæ fastigio sospes descendere in Scholaſticũ pulverem, mihi, meque doctioribus sine tanto Vindice metuendum. Tuam demùm Excellentiam Deus ter Op. Max. quàm diutiſſimè servet incolumem publico Hispaniæ bono, ac decori. Sic post manûs osculum voveo, & assiduis precibus à Superis obtinere satago. Barcinone 29. Augusti 1689.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

EXCELLENTIÆ TUÆ
Obsequentiſſimus in Christo Servus

Thomas Munieſſa Societatis IESV.

Digitized by Google

EGO Didacus Ximenez Royo Societatis IESV, in Provincia Aragoniæ Provincialis, poteſtate ad id mihi factâ à R. Adm. P. N. Thyrſo Gonzalez, eiuſdem Societatis Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut Liber de *Incarnatione, & Euchariſtia*, à P. Thoma Munieſſa, Theologiæ Primario Profeſſore in Collegio noſtræ Societatis Barcinonenſi compoſitus, & gravium, doctorumque Virorum eiuſdem Societatis judicio approbatus, typis mandetur. In cuius rei fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus. Barcinone 31. Maij 1688.

Didacus Ximenez Royo.

APPROBATIO, ET IVDICIVM R. P. GVALDERici Rio Societ. IESV, in Barcinonenſi Collegio Primarij Theologia Profeſſoris, Sancti Officij Qualificatoris, &c.

EX commiſſione Perilluſtris D.D. Hieronymi Cortada, pro Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo D.D. Fr. Benedicto Ignatio de Salazar, digniſſimo Epiſcopo Barcinonenſi, Vicario Generali, & Oficiali ad me deferuntur, non ſine fortunato fœlicitatis meæ omine, Diſputationes de Incarnatione Dominicâ, & mirabili Euchariſtiæ Sacramento, ſub uno, eodemque volumine comprehenſæ, & quidem aptiſſimè; cum juxta Chriſoſtomum, non aliud Euchariſtia ſit quàm Incarnationis extenſio; imò & quaſi repetitio, aut replicatio: totũ enim Myſterium, quod antea ſub carnis velamine occultabatur, novo occultatur Speciẽũ ſacrarum arcano Myſterio, unum idemque quo ad ſubſtantiam, penes ſola accidentia diverſum. *Novum fecit* illud *Dominus ſuper terram, cùm Verbum caro factum eſt*: memoravit novitatem Author idẽ, cum in iſto *memoriam fecit ſuorum mirabilium*, timentibus ſe in eſcat tribuens ſemetipſum incarnatum. Adeo cohærent in Opere ad me delato omnia, ne aliquis audeat pro more cavillari ſuper argumento utriuſque Myſterij in unum collecto volumen. Nec mirum, cùm video, Authorem Operis eum eſſe, quem novi optimè ſollicitum in omnibus vel apicibus ſuorum laborum, quibus nunquam lima pareit, etiam in minutiſſimis. Is eſt R. P. Thomas Munieſſa Soc. JESŨ, in hoc Collegio Barcinonenſi Primarius Theologia Anteceſſor, olim Rector ejuſdẽ Collegij, Fidei Qualificator, & Synodali Examinator pro eâdem Barcinonenſi Diœceſi. Monui jam alibi, viſam mihi fuiſſe ſupervacaneam, ne aliter diam, commiſſionem, & maximè ad finem cenſuræ, & approbationis; quamvis opportunã ſanè, & fauſtam mihi judicaverim ex fine doctrinæ mihi oblatæ, & nunquam non ſollicito animo cõquiſiæ à me in Libris, & Tractatibus tanti Magiſtri. Supervacaneam dixi cõmiſſionem ad ſcopum examinis cenſorij; approbatio quippe Operis eſt per ſe ipſam Operis exhibitio per Authorem adeo conſummatũ, & per omnia probatiſſimũ. Ejus nimirum probata ſunt per omnes omnia, ſive ad Conciones per plures Quadrageſimas ab ipſo habi-

habitas ubique cum plausu, admiratione, & profectu Auditorum; sive ad Panegiricas Orationes in præcipuis magnarum Festivitatum, & singularium argumentorum occasionibus confectas, annuente concursu Nobili, & Litterato; sive ad arduas variarum rerum consultationes, quasi ex Oraculo prodeuntes; sive ad Scholasticos per tot annos sudores ab alijs cũ fructu maximo collectos; & ab omnibus (nisi aliquem tetigerit siniſter aliquis, & præventus conceptus) laudatos pariter, & exosculatos, te convertas. Quis ergo tã probati Viri opera probanda suscipiet? Quis cordatus non existimabit otiosum, tempus terere in probando, examinando Opere Viri inter Oratores glorioſi, inter Magistros Eximij, inter Consultores egregij, inter Scriptores denique utriusque Paginæ præclari. Parco itaque examini, censuræ parco: lectioni tamen Operis non peperci, sed ambobus osculatus labris Paginas iterum iterumque versavi oculis; totoque animi discendi cupidiam plexu in sortem duxi commissionem, gratesque habui pro illà Benefactori petillustri. Siquidèm in gratitudinis tesseram non negabo, plures me habuisse Magistros, & quidem litteratissimos, & dignissimos; sed à quibus tantum didicerim non habui præter eum, à quo etiã nunc doctrinam haurio, & cui Discipulum vltro me trado. Accederitque alius ad hæc gratitudinis titulus; isque plane est, & fuit semper (non absque rubore, & confusione id addo) quòd nemini eos honores, pro meâ tenuitate, & quasi doctrinæ penuriâ debuerim unquam, quos tanto Magistro: nec causam assequor tanti decoris, nisi ea sit quòd si aliquid in me est (quod video, quàm sit exiguum) hoc totum illius est, ad cujus doctrinæ ubera educatus, & natus: ejusdem etiam observatis studijs in Magisterio non demereri curæ mihi semper fuit; necnon apud alios consultus dicturus, maturitatem illius expertus pro regula mihi ante oculos habui, & quidem bono proventu. Ex quo, ut meo fungar munere, dicã multa, quæ observavi in hoc perfectissimo Opere; unum, quod non reperi. Observavi ingenium in inveniendis pluribus, & solidis doctrinis pro extricandis Difficultatibus & quidem arduis, utriusque Mysterij: observavi delectum Opinionum, quas promovet, & quasi facit suas, vel novis fulcris, & momentis, vel claritate summà in nucleo eruendo, vel novo aditu pro solvendis contrarijs rationibus, vel explicatione accommodà terminorum, ne abusus illorum siniſtré conceptorũ, siniſtras vel in Theologiã, vel in Philosophiã absurditates introducat. Observavi ingenuitatem calami adeo docti in laudandis cogitationibus etiam Discipulorum, non dedignatus laudem tribuere etiam Impugnatoribus, ubi laudem pondus rationis, & argumenti non demeretur. Observavi Apis sollicitudinem in colligendis hinc inde floribus doctrinæ variæ, quibus Opus undique totum redolet suavissimè. Observavi efficaciam, dum arguit, soliditatem, dum probat, dexteritatem, dũ solvit; subtilitatem, dum insequitur sibi contrarios. Observavi latinitatem clarissimam, & latinissimam claritatem in stylo, nec tumenti, qui offendit, & obscurat; nec barbaro, qui displicet, & avertere à lectione facit oculos litteratorum. Observavi tandẽ omnia rectè composita, digesta uberrimè, condita sapienter; utpote omnia cum sale discretissimo scripta judicij. Unum non observavi, nimirum quòd contradicat Fidei veritatibus, aut bonis Moribus: totum orthodoxum; totum sanum moribus mihi visum; dignumque Opus, quod sub prælo sudet, quod ante sub lima diu sudavit, ut adeo elaboratum prodire posset. Sic censeo: in Collegio Bethlehemitico Soc. JESU die 17. Maij 1688.

Gualdericus Rio.

1. Junij 1688. Imprimatur.
Monserrat Cancellarius.

3. Junij 1688. Imprimatur.
Cortada, & Codina. V. G. & Offi.

PRO RATIONE SCRIPTIONIS.

DE ea nihil est quod addam ad Præfationem primi Tomi. Quem integrum sibi coemere minoris nullo cuique stabit, quum staret mihi solum recudere, & nitum agere.

CONS-

Digitized by Google

CONSPECTUS OPERIS
DE
INCARNATIONE.

DISPUTATIO I.
De Substantia Incarnationis. Pag. 2.

Sect. 1. Defenditur Incarnationis Fides à Scholasticis impugnationibus. Pag. 2.
2. Impugnationibus alijs occurritur. 4.
3. Defenditur eadem veritas ab alia impugnatione: ubi de convenientia, & decentia Incarnationis. 6.
4. An Unio hypostatica sit modus superadditus à Verbo, & humanitate distinctus. 8.
5. An Unio hypostatica sit realiter ipsa productio humanitatis Christi. 12.
6. Alia fundamenta Patris Bernal: & nostra conclusio ex adverso pro communi sententia. 14.
7. An Unio hypostatica ad Verbum sit realiter in Christo unio ipsa humana corporis, & animæ inter se. 17.
8. Secundum nostrum fundamentum: nè in Christo, sicut in hominibus puris, unio humana sit Personalitas seu subsistentia creata. 19.
9. Reliqua nostra fundamenta. 23.
10. Obiectionū expeditâ solutione idemtitas unionis humanæ Christi cum Hypostaticâ constabilitur. 25.
11. Principalior obiectio ex destructione unionis moriente Christo. 28.
12. An Unio hypostatica sit intrinseca, substantialis, essentialis, spiritualis, simplex, & incorruptibilis. 30.
13. An Unio hypostatica sit modus exiguæ an eximiæ perfectionis. 32.
14. An, & quatenus Unio hypostatica sit maxima unionum. 35.
15. Quid de maioritate in ratione doni, gratiæ, & beneficij excellentissimi? 37.
16. An, & quomodo Unio hypostatica sit supernaturalis. Ubi de eius cognoscibilitate: & de notitia Incarnationis. 40.
17. Argumenta pro evidenti notitiâ naturali incarnationis: eorumque solutiones. 42.

DISPUTATIO II.
De Terminis Incarnationis. 47.

Sect. 1. De termino totali, qui est Christus, unus in Personâ; non sic in Naturâ. 47.
2. De termino assumente, quod est Verbum, qua ratione Unionem hypostaticam terminet. 51.
3. Gravis obiectio. Ubi an, & quomodo cum hoc stet, quòd Natura Divina nō mediatè, sed immediatè terminet unionem hypostaticam. 53.
4. Vera dificultatis solutio, & resolutio: cum explicatione solidâ nostræ sententiæ. 157.
5. De Termino assumpto, qui est Humanitas: quatenus unita fuerit Verbo assumente Naturam, & non subsistentiam; humanitatem, & non hominem. 59.
6. Duplex difficultas emergens circa violentiam Humanitatis assumptæ, & suplementum propriæ Personalitatis inassumptæ. 63.
7. Usus communicationis Idiomatum inter Terminos Incarnationis sub concretis *Deus*, & *Homo*. 67.
8. Quid tandem de ista propositione: *Christus, ut homo, est Persona.* 72.

DISPUTATIO III.
De terminis Incarnationis de possibili. 76.

Sect. 1. An potuerit à Deo assumi humanitas retinens propriam subsistentiam

Digitized by Google

seu personalitatem. 76.
2. An natura Angelica? 78.
3. An natura non rationalis? 80.
4. An naturæ partiales seorsim? An etiã Accidentia. 82.
5. De Termino potente assumere: & primò: an Naturã divina præcisim à Personalitatibus. 83.
6. An tres Personæ divinæ assumere possint unam humanitatem; an triplicem una & quid inde? 85.
7. An assumere hypostaticè naturam alienam ita sit solius Suppositi divini, ut nulli creato valeat convenire. 88.

DISPUTATIO IV.
De Causis physicis Incarnationis. 90.

Sect. 1. An Verbum influxu effectivo physico sibi speciali, & non communi alijs divinis Personis fuerit causa efficiens Incarnationis. 90.
2. An Humanitas Christi fuerit causa physicè efficiens Incarnationis. 91.
3. An Beatissima Virgo fuerit causa efficiens Incarnationis, physicè influens in vnionem Hypostaticam. 92.
4. Alia de Causis, & causalitatibus physicis Incarnationis: & in quo stet Maternitas Virginis 95.
5. De dispositionibus physicis supernaturalibus Incarnationis: an præcesserint in humanitate ad unionem Hypostaticam. 96.

DISPUTATIO V.
De Causa meritoria Incarnationis. 98.

Sect. 1. Notitiæ perutiles de Merito, præsertim Solutorio: & expositio præsertium difficultatum. 98.
2. An Christus ipse, aut eius Humanitas mereri potuerit Incarnationis substantiam per opera antecedentia Unionem. 101.
3. An potuerit per opera subsequentia Unionem. 104.
4. Non potuit in genere Meriti Remunerabilis. 106.
5. Potuit genere Meriti Solutorij. 110.
6. Aliæ obiectiones graves. 113.
7. An de facto meruerit Christus Incarnationis suæ substantiam? An circũstantias? 116.
8. An, & quomodo antiquiores Patres meruerint Incarnationis substantiam, aut circumstantias. 120.
9. De Circumstãtia Maternitatis: an, & quomodo eã meruerit, aut mereri potuerit Beatissima Virgo. 123.
10. Ingens difficultas contra supradicta: & multiplex hinc inde responsio frustra conquisita. 126.
11. Generalior impugnatio præcedentium: & plana, plenaque solutio difficultatis beneficio, ac expensis Meriti Solutorij, seu compensativi. 128.

DISPUTATIO VI.
De Causa finali, seu de Motivo, & Decreto Incarnationis. 133.

Sect. 1. An Deus decreverit Incarnationem suam ex motivo Redemptionis nostræ, taliter, ut homine non peccãte, Deus non incarnaretur. 133.
2. Objectiones. 136.
3. An primum Dei decretum fuerit de Christo, & reliqua omnia propter ipsum. 138.
4. An prædictum primum Dei decretum de Christo fuerit de Christo ut Redemptore ex motivo Redemptionis efficaciter intentæ non præsuppositã permissione, & absolutã prævisione peccati. 142.
5. Objectiones. 145.
6. Aliæ objectiones graves Et lux ad loquutiones difficiles Augustinianas. 150.
7. An decretum de toto negotio Incarnationis, & Redemptionis fuerit unicum, simplex, & indivisibile etiam virtualiter. 154.
8. Objectiones. 156.
9. Ulterior objectio singularis. 159.
10. Quomodo se habeat ad Motivum, & ad Decretum Incarnationis Redemptio à peccato Originali, & à singulis actualibus. 164.

11. Ob-

11. Objectiones. 166.
12. Quàm ſtet expedita iuxta ſuperiores doctrinas Chriſtiparæ Virginis Immunitas à debito Originalis ex merito Redemptoris. 169.
13. Ratio gravis dubitandi : & poſt alias derelictas, noſtra ſolutio. 171.

DISPUTATIO VII.
De neceſſitate Incarnationis. 175.

Sect. 1. An Deus fuerit abſolutè neceſſitatus moraliter ad Incarnationẽ. 175.
2. Triplex noſtra concluſio. 178.
3. Objectiones contra ſecundam noſtrã concluſionem. 179.
4. Objectiones contra tertiam concluſionem. 183.
5. An, & quomodo neceſſitatus fuerit Deus ad Incarnationem ex aliquibus ſuppoſitionibus. 184.

DISPUTATIO VIII.
De neceſſitate Incarnationis ad Satisfactionem pro peccato. 186.
Sect. 1. Notationes, controverſia, & ſententia. 186.
2. An ad ſatisfactionem congruam pro mortali fuerit neceſſaria ſimpliciter Incarnatio, & inſufficiens pura creatura. 187.
3. An ad ſatisfactionem condignam pro mortali per hominem neceſſaria fuerit Incarnatio, & inſufficiẽs pura creatura. 189.
4. Variæ Variorum Rationes. 191.
5. Rationes Cardinalis de Lugo, & Patris Martinez de Ripalda. 193.
6. Ratio celebris ex infinitudine malitiæ peccati, ſeu offenſæ divinæ. 194.
7. Aliæ ſuaſiones infinitudinis divinæ offenſæ, præſertim à forma offenſæ conſtitutivà, diſſuadentur. 197.
8. Suaſio poſtrema infinitudinis offenſæ ab effectibus, preſertim æternæ pœnę, diluitur. 200.
9. Ratio incõpenſabilitatis offenſæ divinæ ex eius infinitate petita, ut minimé vera multipliciter impetitur, & poſitivè impugnatur. 204.
10. Vera ratio, cur ad condignè ſatisfaciẽdum pro peccato ſit inſufficiens pura creatura, & neceſſaria Incarnatio iuxta mentem Patris Suarez. 209.
11. Quid de ſatisfactione condigna pro peccato veniali? Quid pro peccato purè Phyloſophico? 213.
12. Obiectiones contra præcipuam noſtram concluſionem ſtatutam ſect. 3. de inſufficientia puræ creaturæ, & neceſſitate Incarnationis ad ſatisfactionem condignam. 216.
13. Ultima obiectio. Ubi an pura creatura ſancta poſſet condignè mereri gratiam iuſtificantem homini peccatori. 218.

D E

PERFECTIONIBUS CHRISTI.

DISPUTATIO IX.
De Filiatione, & Predeſtinatione Chriſti. 222.
Sect. 1. FIdes Catholica de Filiatione Chriſti : contra varios Hæreticorum errores. 222.
2. An, & quâ ratione, Chriſtus, ut homo ſeu in quantum homo, ſit Filius naturalis Dei. 224.
3. Secunda noſtra concluſio: & reſponſio ad rationem dubitandi. 227.
4. An Chriſtus, ut homo, ſit Filius Adoptivus Dei. 230.
5. Obiectiones Durandi, & Scotiſtarum. 233.
6. An, & quomodo Chriſtus, aut Chriſtus ut homo, ſit, verèque dicatur Prędeſtinatus. 235.

DISPUTATIO X.
De Servitute Chriſti. 239.
Sect. 1. An, & quatenùs Chriſtus ſit verè, & proprie Servus Dei. 239.
2. Obiectiones contra propriam Chriſti

Digitized by Google

ut hominis, servitutem. 242.
3. Obiectiones ex Sanctis Patribus. 244.
4. Obiectio potissima, & ardua ab authoritate Concilij Francofurtensis, & Adriani Papæ. 247.
5. Solida responsio pro Christi Domini propria servitutis. 251.
6. An, & quatenus præsens loquendi modus tribuere possit Christo servitutem. 256.

DISPUTATIO. XI.

De Minorate, & Subjectione Christi. 257.

Sect. 1. Qua ratione Christus sit, & dicatur Minor Patre, vocetque Patrem se Maiorem. 257.
2. Quâ proprietate, & veritate dicatur Christus subiectus Patri, subditusque Matri. 258.
3. Qua ratione fuerit Christus subiectus ad leges, & præcepta. 260.
4. An saltem aliqua stricté præceperit de facto Deus Christo sibi subiecto; præsertim Mortem. 263.
5. Sententia media de stricto præcepto moriendi non obligante in conscientia discutitur, & reijcitur. 266.
6. Vera sententia de stricto præcepto moriendi obligante in conscientia, imposito Christo à Patre, Scripturis, Patribus, & rationibus comprobatur. 270.
7. An lege naturali charitatis proximi, independenter à speciali præcepto divino, teneretur Christus subire mortem pro hominibus. 274.

DISPUTATIO. XII.

De Sacerdocio, Mediatione, & Regno Christi. 276.

Sect. 1. Qua ratione conveniat Christo esse Sacerdotem: & quodnam ipsius Sacrificium? 276.
2. Qua ratione sit Christus verè Mediator. 278.
3. Quo iure, & modo fuerit Rex, præsertim Judæorum. 280.
4. An, & quo iure Christus fuerit Rex universæ terræ. 282.
5. An, & quomodo habuerit Christus, ut homo, ius, & dominium suitatis in res omnes creatas. 284.

DISPUTATIO. XIII.

De Scientia Christi. 286.

Sect. 1: An Anima Christi denominetur intelligens ab intellectione increatâ Verbi. 286.
2. An, & quando data fuerit Animæ Christi Scientia Beatifica creata. 289.
3. Quàm stricté debita fuerit Animæ Christi Visio beatifica creata in suppositione Unionis Hipostaticæ. 290.
4. Obiectionum solutione inseparabilitas Unionis hypostatica à Visione Beatificâ firmatur. 292.
5. Quid videat in Verbo Anima Christi per visionem beatam: & an ea visio fuerit infinitè intensa, & summa inter possibiles. 295.
6. Argumenta contra primam nostram conclusionem de cognitione omnium futurorum. 296.
7. Argumenta contra secundam conclusionem de cognitione omnium possibilium. 299.
8. An præter Scientiam Beatam dandâ sit in Christo alia Scientia creata per se infusa habitualis, & actualis. Quando? Qualis, & Quomodo? 303.
9. An præter per se infusam habuerit scientiam per se adquiribilem, per accidens infusam? Qualem? & Quando? 304.
10. An habuerit insuper Scientiam experimentalem Ubinan didicerit ab hominibus, vel Angelis. 307.
11. Procul abinguntur ex dictis à sapientissimâ Christi Anima Ignorantia, Error, Opinio, & Fides. 308.

DISPUTATIO. XIV.

De Sanctitate, Gratia, & Virtutibus Christi. 311.

Sect. 1. An sanctitas increata Verbi sanctificet formaliter humanitatem Christi? 311.
2. An perfectio substantialis Unionis Hypostaticæ per se formaliter sanctificet humanitatem Christi? 314.
3. An quando, & quibea infusa fuerit Chri-

Digitized by Google

Christo Gratia habitualis accidentalis. 115.
4. Quo sensu dicatur Christus in Scripturis: Plenus gratiâ. 317.
5. Quænam prædictarum sanctitatum sit in Christo Gratia Capitis. 318.
6. Qua perfectione fuerint in Humanitate Christi Gratiæ gratis datæ: præsertim Virtus patrandi miracula. 319.
7. An, & quomodo Dona Spiritûs Sancti: ubi specialiter de Dono Timoris. 321.
8. An, & quomodo fuerint in Christo Virtutes Theologicæ comitâtes Gratiam habitualem. 323.
9. Quid tandem de Virtutibus Moralibus, sivè per se, sivè per accidens infusis; præsertim de habitu Virtutis Pœnitentiæ. 225.

DIPUT. XV.
De Impeccabilitate Christi. 329.

Sect. 1. Quid de Fide circa Christi Voluntates, impeccantiam, & impeccabilitatem. 329.
2. An, & quâ ratione sit Christus omninò impeccabilis in consortio Unionis Hypostaticæ. 331.
3. An Christus sit impeccabilis, peccato etiam, quo dissolveretur unio ad Verbum. 334.
4. An saltem imperfectionem moralem suæ humanitatis posset admittere Christus in consortio unionis. 337.
5. Quid de habitibus vitiosis? De fomite peccati? Et de tentationibus. 339.

DISPUT. XVI.
De Libertate Christi. 342.
Sect. 1. Proponitur difficultas ardua circa Christi libertatem ex eius impeccabilitate, & præcepto Patris de morte. 342.
2. Solutio Thomistarum. 343.
3. Solutio Patris Suarez. 345.
4. Solutio præstantissimi Theologi Recentioris Romani. 347.
5. Nostrum judicium circa præcedentem doctrinam. 349.
6. Solutio Patris Vasquez. 352.
7. Aliæ aliorum Solutiones. 354.
8. Solutio celebris Cardinalis de Lugo, & aliorum ex facultate petendi, & obtinêdi dispensationẽ præcepti. 356.
9. Resolutio nostra circa propositas Solutiones. 360.

DISPUT. XVVII.
De Merito, & Satisfactione Christi. 361.

Sect. 1. Quodnam fuerit in Christo principium, *Quod* proximum Meriti, & Satisfactionis. 361.
2. An actiones humanæ Christi sint Meriti, & valoris meritorij simpliciter infiniti. 362.
3. Unde, & quommodo actus Christi Theandrici sumant valorem meritorium, & satisfactorium simpliciter infinitum. 366.
4. An merita Christi sint condigna omni præmio. Vbi de eorum æqualitate. 370.
5. Quid sibi, quid nobis, quid alijs, quando, & per quos actus meruerit Christus de facto in actu secundo. 373.
6. An Christi satisfactio pro hominum offensis fuerit condigna, & quo pacto. 376.
7. An Christi satisfactio fuerit vera hominum Redemptio: & in quo reipsa constiterit. 378.
8 An satisfactio Christi fuerit de rigore justitiæ? 380.
9. Ex qua virtute fuerit exhibita à Christo, & acceptata à Deo satisfactio Christi; Vbi remissivé de obligatione justitiæ à Deo exinde contracta. 383.

DISPVT. XVIII.
De Oratione Christi. 385.

Sect. 1. An Christus satisfecerit, & meruerit per actus etiam Orationis? Vbi: an oret etiamnùm in Cœlis. 385.
2. An Christus oraverit pro gratijs, & donis antecedenter tempore collatis. 387
3. An omnis Christi Oratio, & Voluntas fuerit adimpleta. 390.

nis:

Digitized by Google

MYNIERSA

DE

INCARNATIONE

ET

EVCHARISTIA

Digitized by Google

R. P.
THOMÆ MVNIESSA
ALACONENSIS
E SOCIETATE IESV,
IN ARAGONIÆ PROVINCIA

COLLEGII BARCINONENSIS PRIMARII THEOLOGIÆ
Professoris: dein Rectoris, & nunc Studiorũ Præfecti: Sanctæ Inquisitionis
Hispanæ Qualificatoris : Examinatoris
Synodalis, &c.

DISPVTATIONES SCHOLASTICÆ,

DE MYSTERIIS

INCARNATIONIS, ET EVCHARISTIÆ.

Prostat in limine Conspectus Operis, in tres Tractatus annuos pro Scholis dilucidè, ac concinnè digesti: & finem facit Index Alphabeticus.



ANNO 1689.



BARCINONE:

Ex Typogr. IOSEPHI LLOPIS, in vico Sancti Dominici.

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

D.D.CAROLO DE ARAGON,

GVRREA, ALAGON, ET BORGIA,

DVCI DE VILLAHERMOSA, COMITI DE LVNA, SASTAGO, Ficallo,& Morata: Marchioni de Aguilar,& de Calanda: Baroni de Torrellas, & de Arenòs,&c. Regiâ Cubiculò,& à Consilio Statùs: Aurei Velleris Equiti, Commendatario maiori Alcannicienſi Ordinis Calatravæ: Proregi, & Capitaneo Generali Principatùs,& Comitatuum Cathaloniæ: ibique Regij Exercitùs Polemarcho,&c.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

ARGVTE quidem ingeniorum Apex, Magdalenam intuitus ad pedes Domini inter epulas irruentem: *Irruens*, inquit, *quaſi importuna convivio; opportuna beneficio.*

Importunus & ipſe fortè audiam, dum ad Te, Caſtrenſes inter accenſi Martis curas pro indole tua quaſi convivantem, non gladium, non clipeum, non bellica tormenta, ſed Librum defero, paciferæ potius Minervæ, quam cataphractæ Palladi ſacrum. Sed certè opportunus beneficio Magnitudinis tuæ, quam nullæ ſollicitudines præpedire unquam poterunt, quominus ſpetem pro ea, qua mecum uteris humanitate, nihil meum ineptum videri poſſe Excellentiæ tuæ, cui mecum omnia mea devinctiſſima ſunt. Memini, ſpicula quandoque germinaſſe in Lilia, & ſuper æreas Pugilum galeas erumpere ſolitos, aut floridos, aut verſicolore venuſtate pennatos apices ad decorem:

Auguſt. l. 50. Hom. 23.

Mauortia ſigna rubeſcunt
Floribus, & ſubitis animantur frondibus haſtæ.

Claud. de Nupt. Honor.

Quaſi Mars ipſe miteſcat aliquando, & victricibus lauris imbelles oleas attexere glorietur. Vt minus abſonet, ſi inter Martialium munerum obſequia, quæ congratulationis ergo Triumphatori de omnibus optimè merito deferuntur, compareat ad fores Tentorij tui Liber hic meus, quãdo aliud meum habeo nihil, quod ad tuæ gloriæ tholos appendam: *quod autem habeo, hoc tibi do.* *Act. 3.*

Poſt Gubernationem Belgij numeris omnibus abſolutam, ſuſcepiſti Prorex pari plauſu, nec impari auſpicio Provinciam Gotholaunicam, planè difficilem, ingruente ſcilicet à Gallis finitimis bello, ſtatim ab adventu tuo nobis à pacis otio nondum ſat paratis, indicto: quaſi Mars Martem, quocum confligeret, expectaſſet. Sed vix eam aggreſſus, egreſſus in Caſtra, Hoſtem, qui per agrum Ampuritanum debachari cœperat in fines ſuos effugaſti. Expugnationi poſtmodum Camredonenſi te accinxiſti: & poſt arduos itinerum anfractus præter multorum ſpem fœliciter ſuperatos, eumdem Equitatu, & Peditatu fortiter inſtructum, auxilio, ſi poſſet, Arci de Te timenti adfuturum, ſtrenuè ex acie, nec ſine cæde coegiſti

gisti in abrupta montium, unde posset oculatus testis invictum Legionum tuarum robur demirari, & mala videre Gentis suæ, donec incredibili constantiâ arduæ expugnationi insistens, inter ignes undique explosos impavidus, cum ingenti Hispani Nominis gloria, deditionem Arcis nuper à Gallis occupatæ, quâque obsistentis Exercitûs præcipitem fugam adeptus es; ut Belgicis tuis ad Montes Hannoniæ, & ad Tractum Sengffianum triumphis, Gotholaunicus hic præsens accederet, spemque nobis faceret, si placet Superis, futurorum.

Hæc, atque id genus plura, Heros inclite, cum de Te fama plenis buccinis eloquatur, non est cur alia congeram ad nauseam usque à Proavis, & Atavis longiùs repetenda, quæ Tuorum potius, quàm Tua forent, & fortunæ potius vertenda, quàm laudi, si non imitatione superasses, sicque tua glorioſiùs effecisses. Ea ut uno dicam verbo, nobilitaris Aragoniæ sanguine Regio, ad Te per Ribagorzanos Dynastas derivato: cui parem contulit splendorem dignissima Conjux, Excellentissima Domina mea D. Maria Henrriquez de Guzman, ex Albanis Comitibus Hispaniæ Magnatibus clarissimum Genus, ex illa Henrriquiorum stirpe, cuius, ut verbo dicam altero, vulgatum est illud, quòd Reges dedit, accepitque pietatis, modestiæ, religionis, & omnigenæ virtutis amore, ac laude Tibi consimilis, ut fas sit dicere, Neutri facile fore, consortem dignum inveniri, si Alter defuisset.

Cùm autem, Magnas excellentissime, verèque animorum Magnes, quasi hæreditario veræ Nobilitatis iure, religiosorum Principum sit, Religionem pro viribus fovere, præcipua Religionis Catholicæ Capita his meis Theologicis Disputationibus de Mysterijs Incarnationis, & Eucharistiæ quo potui studio discussa, Tibi præcipuæ Nobilitatis Principi, inter strepitus etiam bellicos æqui, bonique observantissimo, consecrare opportunum fuit; insuper, & mihi perneccessarium, cui nimirum aliò confugere patrocinij causâ multa prohibent, quæ cunctis notissima sunt. Secundissimo læti syderis omine secundus hic Theologicæ meæ elucubrationis Liber ibit in Orbem, dũ sub Tui Nominis umbra tutam videbit lucem: hocque servitutis meæ pensum inter præclara recentis victoriæ trophæa haud temerè Tibi sacrum, triumphare à Te discet, & è sublimi tutelæ tuæ fastigio sospes descendere in Scholasticũ pulverem, mihi, meque doctioribus sine tanto Vindice metuendum. Tuam demùm Excellentiam Deus ter Op. Max. quàm diutissimè servet incolumem publico Hispaniæ bono, ac decori. Sic post manûs osculum voveo, & assiduis precibus à Superis obtinere satago. Barcinone 29. Augusti 1689.

EXCELLENTISSIME DOMINE.

EXCELLENTIÆ TUÆ
Obsequentissimus in Christo Servus

Thomas Munieſſa Societatis IESV.

Digitized by Google

EGO Didacus Ximenez Royo Societatis IESV, in Provincia Aragoniæ Provincialis, poteſtate ad id mihi facta à R. Adm. P. N. Thyrſo Gonzalez, eiuſdem Societatis Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut Liber de *Incarnatione, & Euchariſtia*, à P. Thoma Munieſſa, Theologiæ Primario Profeſſore in Collegio noſtræ Societatis Barcinonenſi compoſitus, & gravium, doctorumque Virorum eiuſdem Societatis judicio approbatus, typis mandetur. In cuius rei fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus. Barcinone 31. Maij 1688.

Didacus Ximenez Royo.

APPROBATIO, ET IVDICIVM R. P. GVALDERICI Rio Societ. IESV, in Barcinonenſi Collegio Primarij Theologia Profeſſoris, Sancti Officij Qualificatoris, &c.

EX commiſſione Perilluſtris D.D. Hieronymi Cortada, pro Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo D.D. Fr. Benedicto Ignatio de Salazar, digniſſimo Epiſcopo Barcinonenſi, Vicario Generali, & Oficiali ad me deferuntur, non ſine fortunato fœlicitatis meæ omine, Diſputationes de Incarnatione Dominicâ, & mirabili Euchariſtiæ Sacramento, ſub uno, eodemque volumine comprehenſæ, & quidem aptiſſimè; cum juxta Chriſoſtomum, non aliud Euchariſtia ſit quàm Incarnationis extenſio; imò & quaſi repetitio, aut replicatio: totũ enim Myſterium, quod antea ſub carnis velamine occultabatur, novo occultatur Specierũ ſacrarum arcano Myſterio, unum idemque quo ad ſubſtantiam, pendes ſola accidentia diverſum. *Novum fecit* illud *Dominus ſuper terram, cùm Verbum caro factum eſt*: memoravit novitatem Author idẽ, cum in iſto *memoriam fecit ſuorum mirabilium*, timentibus ſe in eſcat tribuens ſemetipſum incarnatum. Adeo cohærent in Opere ad me delato omnia, ne aliquis audeat pro more cavillari ſuper argumento utriuſque Myſterij in unum collecto volumen. Nec mirum, cùm video, Authorem Operis eum eſſe, quem novi optimè ſollicitum in omnibus vel ſapicibus ſuorum laborum, quibus nunquam lima pareit, etiam in minutiſſimis. Is eſt R. P. Thomas Munieſſa Soc. JESŨ, in hoc Collegio Barcinonenſi Primarius Theologiæ Anteceſſor, olim Rector ejuſdẽ Collegij, Fidei Qualificator, & Synodali Examinator pro eâdem Barcinonenſi Diœceſi. Monui jam alibi, viſam mihi fuiſſe ſupervacaneam, ne aliter diam, commiſſionem, & maximè ad finem cenſuræ, & approbationis; quamvis opportunã ſanè, & fauſtam mihi judicaverim ex fine doctrinæ mihi oblatæ, & nunquam non ſollicito animo cõquiſiæ à me in Libris, & Tractatibus tanti Magiſtri. Supervacaneam dixi cõmiſſionem ad ſcopum examinis cenſorij; approbatio quippe Operis eſt per ſe ipſam Operis exhibitio per Authorem adeo conſummatũ, & per omnia probatiſſimũ. Ejus nimirum probata ſunt per omnes omnia, ſive ad Conciones per plures Quadrageſſimas ab ipſo habi-

habitas ubique cum plausu, admiratione, & profectu Auditorum; sive ad Panegiricas Orationes in præcipuis magnarum Festivitatum, & singularium argumentorum occasionibus confectas, annuente concursu Nobili, & Litterato; sive ad arduas variarum rerum consultationes, quasi ex Oraculo prodeuntes; sive ad Scholasticos per tot annos sudores ab alijs cum fructu maximo collectos; & ab omnibus (nisi aliquem tetigerit siniſter aliquis, & præventus conceptus) laudatos pariter, & exosculatos, te convertas. Quis ergo tam probati Viri opera probanda suscipiet? Quis cordatus non existimabit otiosum, tempus terere in probando, examinando Opere Viri inter Oratores glorioſi, inter Magistros Eximij, inter Consultores egregij, inter Scriptores denique utriusque Paginæ præclari. Parco itaque examini, censuræ parco; lectioni tamen Operis non peperci, sed ambobus osculatus labris Paginas iterum iterumque versavi oculis; totoque animi discendi cupidiam plexu in sortem duxi commissionem, gratesque habui pro illâ Benefactori perillustri. Siquidem in gratitudinis tesseram non negabo, plures me habuisse Magistros, & quidem litteratissimos, & dignissimos; sed à quibus tantum didicerim non habui præter eum, à quo etiam nunc doctrinam haurio, & cui Discipulum vltro me trado. Accediteque alius ad hæc gratitudinis titulus; isque plane est, & fuit semper (non absque rubore, & confusione id addo) quòd nemini eos honores, pro meâ tenuitate, & quasi doctrinæ penuriâ debuerim unquam, quos tanto Magistro: nec cautam assequor tanti decoris, nisi ea sit quòd si aliquid in me est (quod video, quàm sit exiguum) hoc totum illius est, ad cujus doctrinæ ubera educatus, & maturus ejusdem etiam observatis studijs in Magisterio non demereri curæ mihi semper fuit; necnon apud alios consultus dicturus, maturitatem illius expertus pro regula mihi ante oculos habui, & quidem bono proventu. Ex quo, ut meo fungar munere, dicam multa, quæ observavi in hoc perfectissimo Opere; unum, quod non reperi. Observavi ingenium in inveniendis pluribus, & solidis doctrinis pro extricandis Difficultatibus & quidem arduis, utriusque Mysterij: observavi delectum Opinionum, quas promovet, & quasi facit suas, vel novis fulcris, & momentis, vel claritate summâ in nucleo eruendo, vel novo aditu pro solvendis contrarijs rationibus, vel explicatione accommodâ terminorum, ne abusus illorum siniſtrè conceptorum, siniſtras vel in Theologiâ, vel in Philosophiâ absurditates introducat. Observavi integritatem calami adeo docti in laudandis cogitationibus etiam Discipulorum, non dedignatus laudem tribuere etiam Impugnatoribus, ubi laudem ponderationis, & argumenti non demeretur. Observavi Apis sollicitudinem in colligendis hinc indè floribus doctrinæ variæ, quibus Opus undique totum redolet suavissimè. Observavi efficaciam, dum arguit, soliditatem, dum probat, dexteritatem, dum solvit, subtilitatem, dum insequitur sibi contrarios. Observavi latinitatem clarissimam, & latinissimam claritatem in stylo, nec tumenti, qui offendit, & obscurat; nec barbaro, qui displicet, & avertere à lectione facit oculos litteratorum. Observavi tandem omnia rectè composita, digesta uberrimè, condita sapienter; utpote omnia cum sale discretissimo scripta judicij. Unum non observavi, nimirum quòd contradicat Fidei veritatibus, aut bonis Moribus: totum orthodoxum; totum sanum moribus mihi visum; dignumque Opus, quod sub prælo sudet, quod ante sub lima diu sudavit, ut adeo elaboratum prodire posset. Sic censeo: in Collegio Bethlehemitico Soc. JESU die 17. Maij 1688.

Gualdericus Rio.

1. Junij 1688. Imprimatur,
Monserrat Cancellarius.

3. Junij 1688. Imprimatur.
Cortada, & Codina. V. G. & Offi.

PRO RATIONE SCRIPTIONIS.

DE ea nihil est quod addam ad Præfationem primi Tomi. Quem integrum sibi coemere minoris nullo cuique stabit, quàm stare mihi solium recudere, & alium agere.

CONS-

CONSPECTUS OPERIS DE INCARNATIONE.

DISPUTATIO I.

De Substantia Incarnationis. Pag. 2.

Sect. 1. Defenditur Incarnationis Fides à Scholasticis impugnationibus. Pag. 3.

2. Impugnationibus alijs occurritur. 4.

3. Defenditur eadem veritas ab alia impugnatione: ubi de conveniētia, & decentia Incarnationis. 6.

4. An Unio hypostatica sit modus superadditus à Verbo, & humanitate distinctus. 8.

5. An Unio hypostatica sit realiter ipsa productio humanitatis Christi 12.

6. Alia fundamenta Patris Bernal: & nostra conclusio ex adverso pro communi sententia. 14.

7. An Unio hypostatica ad Verbum sit realiter in Christo unio ipsa humana corporis, & animę inter se. 17.

8. Secundum nostrum fundamentum: nè in Christo, sicut in hominibus puris, unio humana sit Personalitas seu subsistentia creata. 19.

9. Reliqua nostra fundamenta. 23.

10. Obiectionū expeditā solutione idemtitas unionis humanæ Christi cum Hypostaticā constabilitur. 25.

11. Principalior obiectio ex destructione unionis moriente Christo. 28.

12. An Unio hypostatica sit intrinseca, substantialis, essentialis, spiritualis, simplex, & incorruptibilis. 30.

13. An Unio hypostatica sit modus exiguæ an eximiæ perfectionis. 32.

14. An, & quatenus Unio hypostatica sit maxima unionum. 35.

15. Quid de maioritate in ratione doni, gratiæ, & beneficij excellētissimi 37.

16. An, & quomodo Unio hypostatica sit supernaturalis. Ubi de eius cognoscibilitate: & de notitia Incarnationis. 40.

17. Argumenta pro evidenti notitiā naturali incarnationis: eorumque solutiones. 42.

DISPUTATIO II.

De Terminis Incarnationis. 47.

Sect. 1. De termino totali, qui est Christus, unus in Personā, nōn sic in Naturā. 47.

2. De termino assumente, quod est Verbum, qua ratione Unionem hypostaticam terminet. 51.

3. Gravis obiectio. Ubi an, & quomodo cum hoc stet, quòd Natura Divina nō mediatè, sed immediatè terminet unionem hypostaticam. 53.

4. Vera dificultatis solutio, & resolutio: cum explicatione solidā ndstræ sententiæ. 57.

5. De Termino assumpto, qui est Humanitas: quatenūs unita fuerit Verbo assumente Naturam, & non subsistentiam; humanitatem, & non hominem. 59.

6. Duplex difficultas emergens circa violentiam Humanitatis assumptæ, & suplementum propriæ Personalitatis inassumptæ. 63.

7. Usus communicationis Idiomatum inter Terminos Incarnationis sub concretis, *Deus*, & *Homo*. 67.

8. Quid tandem de ista propositione: *Christus, ut homo, est Persona.* 72.

DISPUTATIO III.

De terminis Incarnationis de possibili. 76.

Sect. 1. An potuerit à Deo assumi humanitas retinens propriam subsistentiam

seu personalitatem. 76.
2. An natura Angelica? 78.
3. An natura non rationalis? 80.
4. An naturæ partiales seorsim? An etiã Accidentia. 82.
5. De Termino potente assumere: & primò: an Naturã divina præcissim à Personalitatibus. 83.
6. An tres Personæ divinæ assumere possint unam humanitatem; an triplicem una & quid inde? 85.
7. An assumere hypostaticè naturam alienam ita sit solius Suppositi divini, ut nulli creato valeat convenire. 88.

DISPUTATIO IV.

De Causis physicis Incarnationis. 90.

Sect. 1. An Verbum influxu effectivo physico sibi speciali, & non communi aliis divinis Personis fuerit causa efficiens Incarnationis. 90.
2. An Humanitas Christi fuerit causa physicè efficiens Incarnationis. 91.
3. An Beatissima Virgo fuerit causa efficiens Incarnationis, physicè influens in vnionem Hypostaticam. 92.
4. Alia de Causis, & causalitatibus physicis Incarnationis: & in quo stet Maternitas Virginis 95.
5. De dispositionibus physicis supernaturalibus Incarnationis: an præcesserint in humanitate ad unionem Hypostaticam. 96.

DISPUTATIO V.

De Causa meritoria Incarnationis. 98.

Sect. 1. Notitiæ perutiles de Merito, præsertim Solutorio: & expositio præsertium difficultatum. 98.
2. An Christus ipse, aut eius Humanitas mereri potuerit Incarnationis substantiam per opera antecedentia Unionem. 101.
3. An potuerit per opera subsequentia Unionem. 104.
4. Non potuit in genere Meriti Remunerabilis. 106.
5. Potuit genere Meriti Solutorij. 110.
6. Aliæ obiectiones graves. 113.
7. An de facto meruerit Christus Incarnationis suæ substantiam? An circũstantias? 116.
8. An, & quomodo antiquiores Patres meruerint Incarnationis substantiam, aut circumstantias. 120.
9. De Circumstãtia Maternitatis: an, & quomodo eã meruerit, aut mereri potuerit Beatissima Virgo. 123.
10. Ingens difficultas contra supradicta: & multiplex hinc inde responsio sustra conquisita. 126.
11. Generalior impugnatio præcedentium: & plana, plenaque solutio difficultaris beneficio, ac expensis Meriti Solutorij, seu compensativi. 128.

DISPUTATIO VI.

De Causa finali, seu de Motivo, & Decreto Incarnationis. 133.

Sect. 1. An Deus decreverit Incarnationem suam ex motivo Redemptionis nostræ, taliter, ut homine non peccãte, Deus non incarnaretur. 133.
2. Objectiones. 136.
3. An primum Dei decretum fuerit de Christo, & reliqua omnia propter ipsum. 138.
4. An prædictum primum Dei decretum de Christo fuerit de Christo ut Redemptore ex motivo Redemptionis efficaciter Intentæ non præsuppositâ permissione, & absolutâ prævisione peccati. 142.
5. Objectiones. 145.
6. Aliæ objectiones graves. Et lux ad loquutiones difficiles Augustinianas. 150.
7. An decretum de toto negotio Incarnationis, & Redemptionis fuerit unicum, simplex, & indivisibile etiam virtualiter. 154.
8. Objectiones. 156.
9. Ulterior objectio singularis. 159.
10. Quomodo se habeat ad Motivum, & ad Decretum Incarnationis Redemptio à peccato Originali, & à singulis actualibus. 164.

Digitized by Google

11. Objectiones. 166.
12. Quàm ſtet expedita iuxta ſuperiores doctrinas Chriſtiparæ Virginis Immunitas à debito Originalis ex merito Redemptoris. 169.
13. Ratio gravis dubitandi: & poſt alias derelictas, noſtra ſolutio. 171.

DISPUTATIO VII.
De neceſſitate Incarnationis. 175.

Sect. 1. An Deus fuerit abſolutè neceſſitatus moraliter ad Incarnationē. 175.
2. Triplex noſtra concluſio. 178.
3. Objectiones contra ſecundam noſtrā concluſionem. 179.
4. Objectiones contra tertiam concluſionem. 183.
5. An, & quomodo neceſſitatus fuerit Deus ad Incarnationem ex aliquibus ſuppoſitionibus. 184.

DISPUTATIO VIII.
De neceſſitate Incarnationis ad Satisfactionem pro peccato. 186.
Sect. 1. Notationes, controverſia, & ſententia. 186.
2. An ad ſatisfactionem congruam pro mortali fuerit neceſſaria ſimpliciter Incarnatio, & inſufficiens pura creatura. 187.
3. An ad ſatisfactionem condignam pro mortali per hominem neceſſaria fuerit Incarnatio, & inſufficiēs pura creatura. 189.
4. Variæ Variorum Rationes. 191.
5. Rationes Cardinalis de Lugo, & Patris Martinez de Ripalda. 193.
6. Ratio celebris ex infinitudine malitiæ peccati, ſeu offenſæ divinæ. 194.
7. Aliæ ſuaſiones infinitudinis divinæ offenſæ, præſertim à forma offenſæ conſtitutivà, diſſuadentur. 197.
8. Suaſſio poſtrema infinitudinis offenſæ ab effectibus, preſertim æternæ pœnę, diluitur. 200.
9. Ratio incōpenſabilitatis offenſæ divinæ ex eius infinitate petita, ut minimé vera multipliciter impetitur, & poſitivè impugnatur. 204.
10. Vera ratio, cur ad condignè ſatisfaciēdum pro peccato ſit inſufficiens pura creatura, & neceſſaria Incarnatio iuxta mentem Patris Suarez. 209.
11. Quid de ſatisfactione condigna pro peccato veniali? Quid pro peccato purè Phyloſophico? 213.
12. Obiectiones contra præcipuam noſtram concluſionem ſtatutam ſect. 3. de inſufficientia puræ creaturæ, & neceſſitate Incarnationis ad ſatisfactionem condignam. 216.
13. Ultima obiectio. Ubi an pura creatura ſancta poſſet condignè mereri gratiam iuſtificantem homini peccatori. 218.

D E

PERFECTIONIBUS CHRISTI.

DISPUTATIO IX.
De Filiatione, & Predeſtinatione Chriſti. 222.
Sect. 1. FIdes Catholica de Filiatione Chriſti: contra varios Hæreticorum errores. 222.
2. An, & quâ ratione, Chriſtus, ut homo ſeu in quantum homo, ſit Filius naturalis Dei. 224.
3. Secunda noſtra concluſio: & reſponſio ad rationem dubitandi. 227.
4. An Chriſtus, ut homo, ſit Filius Adoptivus Dei. 230.
5. Obiectiones Durandi, & Scotiſtarum. 233.
6. An, & quomodo Chriſtus, aut Chriſtus, ut homo, ſit, verèque dicatur Predeſtinatus. 235.

DISPUTATIO X.
De Seruitute Chriſti. 239.
Sect. 1. An, & quatenùs Chriſtus ſit verè, & proprie Servus Dei. 239.
2. Obiectiones contra propriam Chriſti

Digitized by Google

ut hominis, servitutem. 242.
3. Obiectiones ex Sanctis Patribus. 244.
4. Obiectio potissima, & ardua ab authoritate Concilij Francofurtensis, & Adriani Papæ. 247.
5. Solida responsio pro Christi Domini propria servitutis. 251.
6. An, & quatenus præsens loquendi modus tribuere possit Christo servitutem. 256.

DISPUTATIO. XI.

De Minorate, & Subjectione Christi. 257.

Sect 1. Qua ratione Christus sit, & dicatur Minor Patre, vocetque Patrem se Maiorem. 257.
2. Quà proprietate, & veritate dicatur Christus subiectus Patri, subditusque Matri. 258.
3. Qua ratione fuerit Christus subiectus ad leges, & præcepta. 260.
4. An saltem aliqua stricté præceperit de facto Deus Christo sibi subiecto; præsertim Mortem. 263.
5. Sententia media de stricto præcepto moriendi non obligante in conscientia discutitur, & reijcitur. 266.
6. Vera sententia de stricto præcepto moriendi obligante in conscientia, imposito Christo à Patre, Scripturis, Patribus, & rationibus comprobatur. 270.
7. An lege naturali charitatis proximi, independenter à speciali præcepto divino, teneretur Christus subire mortem pro hominibus. 274.

DISPUTATIO. XII.

De Sacerdocio, Mediatione, & Regno Christi. 276.

Sect. 1. Qua ratione conveniat Christo esse Sacerdotem: & quodnam ipsius Sacrificium? 276.
2. Qua ratione sit Christus verè Mediator. 278.
3. Quo iure, & modo fuerit Rex, præsertim Judæorum. 280.
4. An, & quo iure Christus fuerit Rex universæ terræ. 282.
5. An, & quomodo habuerit Christus, ut homo, ius, & dominum suitatis in res omnes creatas. 284.

DISPUTATIO. XIII.

De Scientia Christi. 286.

Sect. 1. An Anima Christi denominetur intelligens ab intellectione increatà Verbi. 286.
2. An, & quando data fuerit Animæ Christi Scientia Beatifica creata. 289.
3. Quàm stricté debita fuerit Animæ Christi Visio beatifica creata in suppositione Unionis Hipostaticæ. 290.
4. Obiectionum solutione inseparabilitas Unionis hypostatica à Visione Beatificâ firmatur. 292.
5. Quid videat in Verbo Anima Christi per visionem beatam: & an ea visio fuerit infinité intensa, & summa inter possibiles. 295.
6. Argumenta contra primam nostram conclusionem de cognitione omnium futurorum. 296.
7. Argumenta contra secundam conclusionem de cognitione omnium possibilium. 299.
8. An præter Scientiam Beatam dandâ sit in Christo alia Scientia creata per se infusa habitualis, & actualis. Quando? Qualis, & Quomodo? 303.
9. An præter per se infusam habuerit scientiam per se adquiribilem, per accidens infusam? Qualem? & Quando? 304.
10. An habuerit insuper Scientiam experimentalem Ubinan didicerit ab hominibus, vel Angelis. 307.
11. Procul abinguntur ex dictis à sapientissimâ Christi Anima Ignorantia, Error, Opinio, & Fides. 308.

DISPUTATIO. XIV.

De Sanctitate, Gratia, & Virtutibus Christi. 311.

Sect. 1. An sanctitas increata Verbi sanctificet formaliter humanitatem Christi? 311.
2. An perfectio substantialis Unionis Hypostaticæ per se formaliter sanctificet humanitatem Christi? 314.
3. An quando, & quanta infusa fuerit Chri-

Digitized by Google

Christo Gratia habitualis accidentalis. 115.
4. Quo sensu dicatur Christus in Scripturis: Plenus gratiâ. 317.
5. Quænam prædictarum sanctitatum sit in Christo Gratia Capitis. 318.
6. Qua perfectione fuerint in Humanitate Christi Gratiæ gratis datæ: præsertim Virtus patrandi miracula. 319.
7. An, & quomodo Dona Spiritûs Sancti: ubi specialiter de Dono Timoris. 321.
8. An, & quomodo fuerint in Christo Virtutes Thæologicæ comitâtes Gratiam habitualem. 323.
9. Quid tandem de Virtutibus Moralibus, sivè per se, sivè per accidens infusis; præsertim de habitu Virtutis Pœnitentiæ. 225.

DIPUT. XV.
De Impeccabilitate Christi. 329.

Sect. 1. Quid de Fide circa Christi Voluntates, impeccantiam, & impeccabilitatem. 329.
2. An, & quâ ratione sit Christus omninò impeccabilis in consortio Unionis Hypostaticæ. 331.
3. An Christus sit impeccabilis, peccato etiam, quo dissolveretur unio ad Verbum. 334.
4. An saltem imperfectionem moralem suæ humanitatis posset admittere Christus in consortio unionis. 337.
5. Quid de habitibus vitiosis? De fomite peccati? Et de tentationibus. 339.

DISPUT. XVI.
De Libertate Christi. 342.
Sect. 1. Proponitur difficultas ardua circa Christi libertatem ex eius impeccabilitate, & præcepto Patris de morte. 342.
2. Solutio Thomistarum. 343.
3. Solutio Patris Suarez. 345.
4. Solutio præstantissimi Theologi Recentioris Romani. 347.
5. Nostrum judicium circa præcedentem doctrinam. 349.
6. Solutio Patris Vasquez. 352.
7. Aliæ aliorum Solutiones. 354.
8. Solutio celebris Cardinalis de Lugo, & aliorum ex facultate petendi, & obtinẽdi dispensationẽ præcepti. 356.
9. Resolutio nostra circa propositas Solutiones. 360.

DISPUT. XVVII.
De Merito, & Satisfactione Christi. 361.

Sect. 1. Quodnam fuerit in Christo principium, *Quod* proximum Meriti, & Satisfactionis. 361.
2. An actiones humanæ Christi sint Meriti, & valoris meritorij simpliciter infiniti. 362.
3. Unde, & quommodo actus Christi Theandrici sumant valorem meritorium, & satisfactorium simpliciter infinitum. 366.
4. An merita Christi sint condigna omni præmio. Vbi de eorum æqualitate. 370.
5. Quid sibi, quid nobis, quid alijs quando, & per quos actus meruerit Christus de facto in actu secundo. 373.
6. An Christi satisfactio pro hominum offensis fuerit condigna, & quo pacto. 376.
7. An Christi satisfactio fuerit vera hominum Redemptio: & in quo reipsa constiterit. 378.
8 An satisfactio Christi fuerit de rigore justitiæ? 380.
9. Ex qua virtute fuerit exhibita à Christo, & acceptata à Deo satisfactio Christi: Vbi remissivé de obligatione justitiæ à Deo exinde contracta. 383.

DISPVT. XVIII.
De Oratione Christi. 385.

Sect. 1. An Christus satisfecerit, & meruerit per actus etiam Orationis? Vbi: an oret etiamnùm in Cœlis. 385.
2. An Christus oraverit pro gratijs, & donis antecedenter tempore collatis. 387
3. An omnis Christi Oratio, & Voluntas fuerit adimpleta. 390.

nis:

Digitized by Google

DISPVT. XIX.
De Adoratione Christi. 393.

Sect.1. Ethymon, & Essentia Adorationis: & an necessariò requirat actum externum. 393.
2. Solemnis divisio Adorationis religiosæ in Duliam, Hiperduliam, & Latriam. 395.
3. Celebris subdivisio Adorationis in Absolutam, & Respectivam. 396.
4. An, & quo genere adorationis coli possint, & debeant Christus, & eius Humanitas unitim sumpta. 400.
5. Resolutio difficultatis, & responsio ad rationes oppositas. 402.
6. Quatenus Christus, eiusve Humanitas adorare potuerit. 405.
7. Quonam cultu adorari debeat, ac possit humanitas Christi præcisim etiam, aut seorsim ab excellentia Divini Verbi. 407.
8. Quo cultu sit adorabilis Beatissima Virgo dignissima Mater Christi. 409.
9. An, & quo cultu, & per quem habitum virtutis, adorandi sint alij Sancti. 411.
10. De Adoratione Crucis Christi, & Sanctarum Imaginum. 413.
11. Quo animo tirè adorari possint, ac debeant Crux & Imagines sacræ. 415
12. Quid tandem de Adoratione Sacrarum Reliquiarum Christi, & Sanctorum? 418.

D E

SACRAMEN. EUCHARISTIÆ.

DISPUTATIO XX. ET I.
De Existentia, Fide, Institutione, & Necessitate Sacramenti Eucharistiæ. 422.

Sect.1. STatuitur Eucharistiæ existentia, & quomodo inter Fidei Articulos habeatur. 422.
2. In quibus Symboli Apostolici Verbis contineatur specialis articulus Fidei Eucharisticæ. 424.
3. Quo anno, mense, & die instituerit Cristus Eucharistiam. 425.
4. Infra quam Cœnæ Domini actionem instituta fuerit Eucharistia: præsertim, an post Benedictionem Panis? 427.
5. An, & quomodo Eucharistiæ Sacramentum sit necessarium ad salutem necessitate Præcepti, & Medij in re, vel in voto. 430.
6. Obiectiones. 433.

DISPUTATIO XXI. ET II.
De Essentia, & Vnitate Sacramenti Eucharistiæ. 436.

Sect. 1. An species Sacramentales, & Christus, eorunque unio sint de essentia Eucharistiæ: & an æque in recto. 436.
2. An, & quomodo Verba Consecrationis sint pars essentialis constitutiva Sacramenti Eucharistiæ. 439.
3. An actio consecrativa sit de constitutivo, & de essentia Sacramẽti Eucharistiæ? An similiter Sumptio? 443.
4. Colligitur ex dictis, & exponitur vera, & essentialis definitio Sacramenti Eucharistiæ. 445.
5. Colligitur etiam ex dictis modus, quo Eucharistia est unum aut multiplex Sacramentum. 447.

DISPUTATIO. XXII. ET III.
De Materia remota Sacramenti Eucharistiæ. 450.

Sect.1. An, & quis Panis sit materia remota Euchristiæ quoad Corpus. 450.
2. An panis triticeus ad Eucharistiam debeat esse azymus: an fermentatus. 452.
3. Qualiter panis triticeus azymus ad Eucharistiam debeat esse confectus, & impermixtus. 453.
4. Quale vinum sit apta materia Eucha-

ril-

nisiæ quo ad Sanguinem. 454.
5. An, & quatenus necessaria sit ad Eucharistiã aqua mixta vino consecrando. 455.
6. An aqua mixta vino consecrando convertatur physicé immediatè in Sanguinem Christi. 453.
7. Alia proponuntur, & diluuntur sententiæ negantis argumenta. 461.
8. Pro sententia affirmante immediatam aquæ facti Calicis conversionem in sanguinem Christi 466.
9. Aliæ probationes sententiæ affirmantis. 470.
10. Conclusio. 473.
11. Dubium incidens de aqua mixtâ vino facti Calicis inter proferendum verba consecrationis. 473.
12. Quid de aquâ forte mixta sacro Calici post absolutam consecrationem? 475.
13. An materia consecrabilis habeat terminos magnitudinis, & parvitatis 477.
14. An materia Corporis sit consecrabilis sine materia Sanguinis validè? An etiam licitè? 479.
15. An posit in eo saltem Papa dispensare. 481.

DISPUT. XXIII. ET IV.

De Forma Verborum Consecrationis Eucharistiæ. 484.

Sect. 1. Quæ verba sint Formæ Consecrationis Corporis. 484.
2. Quæ verba sint forma consecrationis Calicis. 486.
3. Obiectionum facili solutione nostra sententia illustratur, & communitur. 489.
4. Tertia quædam sententia media, ingeniosè, sed inutiliter excogitata. 493.
5. Triplex casus incidens. 497.
6. An forma consecrationis proferatur recitativè; an assertivè. Ubi an vox *Enim*, sit causalis; an asseverativa. 498.
7. Quomodo verborum veritas salvetur, & se habeat ad effectum consecrationis. 501.
8. Quam verborum variationem, transmutationem, & interruptionem patiantur verba formæ consecrationis. 504.

DISPUT. XXIIII. ET V.

De significatione, & vi Verborum Eucharistiæ. 507.

Sect. 1. Declaratur obiter significatio verborum extraessentialium consecrationis. 507.
2. Quid significetur in forma Consecrationis per pronomina demonstrativa, *Hic* & *Hoc*. 508.
3. Quam materiæ consecrandæ præsentiam significent Pronomina demonstrativa, *Hoc*, & *Hic*. 510.
4. Quam etiam determinationem? 512.
5. Quid significet vox, *Corpus*, in Verbis consecrationis Panis. 512.
6. Tertia sententia communis. 516.
7. Quarta sententia principalis. 519.
8. Vera sententia & plana, plenaque expeditio difficultatis per formam specialem substantialem Corporeitatis. 522.
9. Obiectiunculæ 525.
10. Quid significet vox, *Sanguis*, in Verbis consecrationis Calicis. 528.
11. Deciditur ex præcedentibus doctrinis, quid ponatur Christi in Eucharistia ex Vi Verborum; quid per Concomitantiam, ad mentem Concilij Tridentini. 530
12. An Personalitas Verbi sit sub speciebus Eucharisticis ex vi Verborum. 532.
13. Inquiritur ratio supradictæ Concomitantiæ. 535.

DISPUT. XXV. ET VI.

De Præsentia Christi in Eucharistia. 538.

Sect. 1. Insurgunt Hæretici contra realem Christi præsentiam in Eucharistia. 538.
2. Derelictis prædictis responsionibus, respondetur aliter ad argumenta Sectariorum ex meliori Philosophia. 540.
3. Obiectiones adversùs doctrinam responsionis nostræ. 542.
4. An Christus Eucharisticè præsens, sit in loco: an habeat figuram, & organizationem. 545.
5. Quid sit præsentia Sacramentalis Christi: & an sit entitativè supernaturalis. 546.
6. Unde colligatur eiusmodi præsentia? An pugnet cum alia Sacramentali? Et quomodo pendeat à circumscriptiva? 548.
7. An, & quomodo totus Christus sit præsens sub quacumque specierum parte, vel puncto. 550.
8. An, & quatenùs Christus, ut in Eucharistia præsens, cognosci valeat ab intellectu creato. 551.
9. An, & quatenus Christus in Eucharistia præsens videri possit oculis corporeis. 554.
10. Doctrina incidens circa apparitiones miraculosas Christi in Eucharistia. 557.
11. Quid, & quomodo possit Christus in Eucharistia præsens agere & pati. 557.

DISPUT. XXVI. ET VII.

De Conversione, seu Transubstantiatione Eucharistica. 560.

Sect. 1. Statuitur veritas Catholica de Transubstantiatione Eucharistica. 560.
2. Quomodo ex Verbis consecrationis colligatur desitio substantiæ panis, ac proinde Conversio. 562.
3. Qualis desitio substantiæ panis inferatur in Eucharistia ex conceptu veræ conversionis. 565.
4. An ex conceptu conversionis requiratur talis positio Christi in Eucharistia, quæ sit substantialis eius productio. 568.
5. Quomodo substantia panis, & substantia Corporis Christi servent oppositionem mutuam sub tertio communi requisitam ad rationem conversionis. 572.
6. An dicta Corporis Christi productio sit creatio? an destructio panis annihilatio? 574.
7. Quomodo nomen conversionis Eucharisticæ importet desitionem, & productionem: & an significet physicam mutationem. 576.
8. Observantur aliquæ loquutiones circa terminos Conversionis Eucharisticæ. 577.

DIS-

R. P.
THOMÆ MUNIESSA
SOCIETATIS JESU,
DISPVTATIONES SCHOLASTICÆ
DE INCARNATIONE
DIVINI VERBI, ET PERFECTIONIBVS
Christi Domini.

PRÆLOQVIVM.

1 VNIO Hypostatica, *quâ Verbum caro factum est*, assumptâ videlicet humanitate Christi Domini ad Hypostasin, seu Personam Divini Verbi; appellatur græcè, *Enantropisis*, id est, *Inhumanatio*; communiùs verò apud Latinos, *Incarnatio*. Non quia solam carnem, & non etiam animam, totamque humanitatem uniat Verbo; sed quia sæpè, *caro*, pro totâ naturâ humanâ supponit per synechdochen, ut Genes. 6. *omnis caro corruperat viam suam*: Isai. 49. *sciet omnis caro, quia ego Dominus*: & Luc. 3. *videbit omnis caro salutare Dei*. Actio quoque productiva dictæ Vnionis appellari solet Incarnatio. Claritatis gratiâ, ubi expedierit, vocabimus Vnionem hypostaticam, Incarnationem formalem; actionem verò ipsius productivam, Incarnationem effectivam, utpotè effectionem Incarnationis formalis. Agunt de hoc Incarnationis Mysterio altissimo, & abstrusissimo, Magister, eiusque Commentatores *lib. 3. sent. à dist. 1.* S. Tho. eiusque Interpretes 3. *p. à quæst* 1. atque ibi copiosè, & eximiè Doctor Eximius, Magnusque Vasquez. Dogmata huc pertinentia illustrat luculenter eruditus Pater Dionisius Petavius per duo iusta volumina, insumens librum primum in recensendis variorum hæreticorum erroribus, & deinceps eos refellens impensissimè per libros quindecim.

Ioan. 1.
Genes. 6.
Isai. 49.
Luc. 3.
Magist.
S. Thom.
Suarez.
Vasquez.
Petavius.

DISPUTATIO I.

DE SVBSTANTIA INCARNATIONIS.

2 PERSONAM Divini Verbi uniri Naturæ humanæ de facto in Christo Domino, vocamus Incarnationis Substantiam: à quâ Unione, quæ tanti Mysterij physica constitutio est, incipimus disputare, ut inde ad ipsum Christum, ex prædictis extremis humanæ naturæ, & Personalitatis divinæ media Unione constitutum, dein ad ipsius opera, & perfectiones Tractatio hæc nostra, ipso utinam Christo Jesv auspice, pertingat. Proderit fortassis hic stylus, à communi aliquantùm diversus, ad claritatem, & brevitatem, quibus tot inter graves, & implexas difficultates studiosiùs consulere, operæpretium mihi visum est.

SECTIO I.

Defenditur Incarnationis Fides à Scholasticis impugnationibus.

3 HUius Mysterij existentiam, & Messiæ, divini Hominum Reparatoris Jesu-Christi Domini nostri adventum, uti fundamentum Religionis Christianæ, probant luculenter Expositores sacri contra Judæos ex Testamento veteri; contra Gentiles etiam ex Novo per signa credibilitatis. Pro Scholasticis videri possunt P. Suarez *tom. 1. disp. 1. & 2.* & P. Coninc *disp. 1. dub. 4.* Pro alijs Dionisius Petavius *lib. 16.* Nos, ut ad alia, quæ magis sunt Scholastici pulveris accingamur; eam existentiam supponimus ex Fide, qua credimus, quòd *Verbum caro factum est*: & quòd Filius Dei unigenitus *homo factus est propter nostrã salutem*. Non quidem *homo factus conversivè*, ait erravit Apollinaris, quasi Verbum conversum fuerit in carnem, seu in hominem, sicut aqua ibi desinens conversivè facta fuit vinum in Cana Galilææ; sed *homo factus constitutivè*; ita ut ex Verbo, & Humanitate constituatur Christus, Homo-Deus, retinens impermixtim duas Naturas in una Personâ contra Hæreses Euthychis, & Nestorij: quorum ille unicam in Christo Naturam, sicut & Personam; iste verò duas Personas, sicut & Naturas admittebat. Simili phrasi in sensu constitutivo dicitur homo, *factus in animam viventem*, per infusionem formæ Genes. 2. & intellectus per advenientem cognitionem factus, seu constitutus cognoscens.

Suar. Coninc. Petav. Ioan. 1. Symb. Gen. 2.

4 Impeti solet Incarnationis veritas ab impossibili: ex quo eius etiam à fortiori existentia funditùs everteretur. Et primò quidem: quia Verbum, & Humanitas sunt extrema infinitè distantia: ergo omninò improportionatâ, ut possint intrinsecè uniri. Negatur consequētia: nam proportio unibilitatis non pensatur penes distantiam maiorem, vel minorem entitativam extremorum: minùs enim distant entitativè inter se duæ animæ rationales, quàm anima, & corpus: & tamen unibiliter magis proportionantur anima, & corpus, quàm duæ animæ inter se. Ad eum etiam modum, quo, licèt entitativè magis distent Angelus, & Deus, quàm Lapis, & Angelus; intelligibiliter tamen proportionantur Angelus, & Deus mutuo se intelligentes; non verò sic Lapis, & Angelus: quia nempè proportio mutuæ intelligibilitatis aliunde petenda est, quàm à maiori distantiâ entitativâ. Sic ergo aliunde quoque petenda est proportio unibilitatis: scilicet á naturâ ipsâ extremorum, ex se, aut ordinatâ, aut aptâ ad certam communicationem intrinsecam perfectionum alterutrius in alterum.

5 Impetitur secundò. In eiusmodi constituto ex Verbo, & humanitate, cùm non integraliter, sed essentialiter Christum constituant, Verbum esset forma physica humanitatis habentis se instar materiæ: sed implicat Verbum completissimum, nec exigens, nec indigens componere, esse formam physicam: hæc enim dicit incompletionem, & exigentiam ad componendum: ergo implicat, Verbum sic intrinsecè humanitati uniri. Sequela maioris probatur multipliciter. Primò: quia Verbum perficeret humanitatem: ergo esset eius forma, eamque physicé informaret. Secundò: quia quamvis Verbum non inhæreret humanitati, illam tamen physicè mutaret, sicut anima rationalis non inhærens, materiam: ergo esset forma physica in illo motu, cuius subiectum esset humanitas. Tertiò: quia Verbum physicé compleret humanitatem: ergo ut forma.

Quar-

Quartò: quia constitutum ex Verbo, & humanitate sic unitis esset compositum physicum: sed hoc dicit causam materialem, & formalem physicam: ergo cùm humanitas, quæ perficitur, deberet esse causa materialis, Verbum illam perficiens esset forma, & causa formalis. Quintò: quia unio illa Hypostatica esset educta, utpote essentialiter inhærens humanitati, tamquam subiecto: ergo humanitas esset causa materialis: ergo correlativa ad formalem: sed hæc ibi non esset nisi Verbum: unio enim non est causa, sed causalitas: ergo Verbum esset causa formalis, & forma physica: quod implicat.

6 Respondetur, negando sequelam maioris, eb rationem datam in minori. Ad primam probationem, concesso antecedente, negatur consequentia: nam ad perficiendum sufficit purus terminus intrinsecé communicatus subiecto suæ unionis, elevans præsertim per ipsam suum perfectibile ad altiorem statum: ad rationem autem formæ requiritur ulteriùs incompletio, & ordo ad totum cuius sit pars, ac proinde ipso inferior, cùm totum debeat esse maius, & nobilius parte. Ad secundam, conceditur antecedens, quamvis non cum omnimodâ paritate ad animam, quæ quidem veré forma est: & negatur consequentia: nam ad eiusmodi immutationem humanitatis sufficit, humanitatem intrinsecé perfici à Verbo, ut à puro termino intrinseco per unionem humanitati formaliter inhærentem. Ad tertiam, concesso etiam antecedente, negatur consequentia: quia, ut Verbum compleat humanitatem, non opus est, ipsum esse incompletum; sed quod humanitas esset incompleta; si verò compleret, ut forma, ipsum esset incompletum, & imperfectum.

7 Ad quartam, distingo antecedens: est compositum physicum ex partibus humanitatis, concedo: ex humanitate, & Verbo, nego antecedens in rigore sermonis: nam, *compositum physicum*, sonat, ex subiecto, & forma physicis. Si mitiùs id accipiatur præcisé pro constituto ex extremis, non moraliter tantum affectivé; sed physicé, & intrinsecè unitis; concedam, sic ex humanitate, & Verbo fieri compositum, seu constitutum physicum; at non est de ratione compositi physici, sic largè sumpti, quòd unum extremum se habeat, ut forma physica alterius, ut patet in composito integrali continui: sicque negabo consequentiam.

8 Ad quintam, concesso antecedente cum duplici consequentia, nego minorem: nam causa formalis correlata ad causam materialem ibi repertam, non est Verbum, sed unio inhærens humanitati, ut forma modalis suo subiecto essentiali, & intrinsecé terminata ad Verbum. Quòd autem unio illa sic causalitas formalis non tollit quo minùs sit etiam forma: omnes enim modi id habent, utpote formæ per se essentialiter affixæ suis subiectis. Formæ, inquam, non qualis sumitur pro partiali natura compositi physici, quæ est actus entitativus compositi substantialis, & principium operationum; sed largiùs pro quolibet actu, sivé accidentali, sivé substantiali incompleto perfectivo sui subiecti physici: quæ ratio formæ, seu causæ, simulque causalitatis formalis, sufficit ut correlaté ad ipsam eius subiectum dicatur causa materialis. Ex his negatur ultima consequentia.

9 Impetitur tertiò difficiliùs. Immutabilitati Dei, *apud quem*, ex Canonicâ Iacobi 1. *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, repugnat physica mutatio intrinseca: sed Deus intrinsecé, & physicé mutaretur, si intrinsecé, & physicé uniretur hypostaticè humanitati per Incarnationem: ergo implicat, sic uniri, & incarnari. Probatur minor: mutari intrinsecè est aliter se habere: sed Deus aliter intrinsecè se haberet: siquidè de novo esset intrinsecé, & physicè unitus humanitati, cui antea non esset unitus: ergo intrinsecé, & physicé mutaretur. *Iacob. 1.*

10 Confirmatur. Motus ex Philosopho, est *Actus entis in potentia, prout in potentia: Actus*, id est actuatio, sive expletio: *entis in potentia*: id est, rei potentis, seu capacis sic actuari: *prout in potentia*: id est præexistentis in potentia absque tali actu, seu actuatione. Atqui unio hypostatica esset actus, sive actuatio physica Verbi, potentis, seu capacis sic uniri & præexistentis absq; tali actuatione, sive unione: ergo talis actus, sive actuatio unionis physicæ esset veré motus, & mutatio physica Verbi: quod proinde per ipsam physicé intrinsecè mutaretur. *Hanc esse potissimam difficultatem huius Mysterij, quæ vix potest humano ingenio satis explicari, quamvis possint argumenta utcumque dissolvi*, scribit Suarez *disp.* 8. *sec.* 3. Varias responsiones vide apud Aldrete *per totam disp.* 31. *Arist.* *Suar.* *Aldret.*

11 Respondetur, negando minorem. Ad probationem respondet Antonius Perez *disp.* 2 *de Incarn. c.* 3. negando maiorem de mutatione propriè, & strictè dictâ. Ad hanc enim, ait, non satis est alietas termini intrinsecè advenientis successivè de novo; sed requiritur alietas rei motæ, seu mutatæ per amissionem alicuius intrinseci ipsius: quæ alietas non contingit in Verbo per unionem: nam Verbum, adveniente unione, nihil sui intrinsecum amittit, nec amittere potest, ne modum quidem suæ durationis, quæ semper est tota simul, quâvis facta successione in quocumque termino creato, ut ex P. Suarez animadverti *disp.* 12. *de Attrib. num.* 79. quod in nulla re creata sic evenit, quando mutatur: nam *Perez.* *Disp 12. de Attrib sect. 6.*

nam ad quamcumque ſucceſsionem amittit ſaltem modum intrinſecum ſuæ durationis, ſuccedente alio. Quam cogitationem adſtruit ex Auguſtino 5. de Trin. dicente : *quod mutatus non ſervat ipſum eſſe, & quod mutari poteſt,* *Auguſt.* *etiamſi non mutetur, poteſt quod fuerat non eſſe.* Nec eſt neceſsé nec magni Auguſtini legem limitare ad mutationem dumtaxat converſivam: nam Auguſtinus univerſaliter loquitur de mutatione: nec concluderet intentum ſuum amovendi à Deo omnes mutationis, ſeu mutabilitatis imperfectiones, ſi de omni propriâ, & obiectâ mutatione non loqueretur. Et ratio eſt, addit Perez num. 37. quia mutari rem intrinſecé, eſt aliter ſe habere intrinſece, quam antea ſe habebat intrinſecè: hoc eſt, quòd poſtea ſe habeat intrinſecè aliquo modo, quo antea non ſe habebat, & quod antea ſe habuerit intrinſecé aliquo modo, quo poſtea non ſe habet. Cùm autem hoc poſterius non contingat in Verbo per unionem; hinc eſt, quòd non ſe habet aliter, ac antea, alietate ſufficiente ad propriam & ſtrictam mutationē, niſi ab Auguſtini doctrinâ diſcedatur. At, quid ſi Verbum unitum priùs uni humanitati, deſinente hac priori unione, ſuccederet mox alia ad aliam humanitatem: tunc enim iam amitteret unū modū eſſendi intrinſecum, & ſuccederet alius? An forte tunc propterea mutaretur? Aut, cùm hoc poſsibile ſit, an forte propterea erit mutabile?

Martin. 12 Ex hac reſpōſione ſumi poteſt bona ratio, cur Verbū, nec dici poſsit intrinſecé *innovari* per Incarnationem; quam loquutionem non recuſat Martinon *diſp. 1. de Incarn. ſec. 4.* recuſant tamen, & merito, Illuſtriſsimus Godoy, & Reverendiſsimus Lumbier *diſp. 1. num.* *Godoy.* *Lumb.* 18. nam innovari in rigore ſermonis dicit commutare aliquid vetus pro novo, deponendo ſcilicet vetus, & adquirendo novum: quòd non contingit intrinſece in verbo, nihil ſui intrinſecum deponente, ut de novo uniretur. Oppones illud Eccleſiæ, canentis in Feſto Circumciſionis: *Hodie innovantur naturæ*: quod de Naturis divinâ, & humanâ intelligendum videtur in Incarnatione. Reſpondetur enim, id cani de omnibus naturis creatis, quibus conveniens fuit Incarnatio: quatenus per eam innovantur, honorantur, & in melius reſtaurantur; non verò de Natura Divina, de qua ibidem: *id quod fuit permanſit, & quod non erat aſſumpſit.* Quòd ſi de Natura etiam divina id intelligere velis, ut ſonare videtur; id cape pro innovatione minùs propriè dictâ, de quacumque alietate ſe intrinſecè habendi.

13 Aliter reſpondeo viâ communiori, & expeditiori ad probationem illius minoris, diſtinguendo maiorem numeri 9. mutari intrinſecè eſt aliter intrinſecè ſe habere alietate melioritionis, vel deterioritionis, ratione intrinſeci ſupervenientis, vel deficientis, concedo; citra melioritionem, & deterioritionem, nego maiorem: & diſtinguo minorem: Deus de novo unitus, aliter, & meliùs, aut deteriùs ſe haberet intrinſecè, nego: æque benè perfectus, & ſummè bonus per ſe ipſum, ac ante unionem, concedo minorem: & nego conſequentiam. Nititur veritas huius reſponſionis dictis SS. Patrum apud eundem Perez num 30. exigentium ad mutationem, quòd res aliter ſe habeat per melioritionem, aut depravationem; quorum neutrū contingit Deo per unionem: quâ nimirum nec perficitur, nec deterioratur, nec euehitur, nec deprimitur phyſicè, & intrinſecè ad conſtituendum aliquid meliùs, aut perfectius ſolo Verbo, aut quo ſolus Deus perfectior ſit: ut ſuppono *ex diſp. 3. de Attrib. ſec. 11.*

De Attrib. diſp. 3. Tellez.

14 Ad confirmationem, admitto communem illam definitionem motùs phyſici, benè explicatam, ut eſt apud Tellez *diſp. 30. Phyſ. ſect. 1.* ſic nempé, ut motus ſit *actus*: id eſt *perfectio*, ſeu acceſſus, & veluti greſſus ad perfectionem, ad quam mobile eſt *in potentia*: potens ſcilicet, non ſolum ut illa perfectio ſibi adveniat; ſed etiam, ut per illam perficiatur, utpote non ex ſe plenè, & ſummé perfectum: unde omne mobile eſt perfectibile per aliud à ſe diſtinctum; & proinde ſupponitur ex ſe imperfectum, aut non plené perfectum: quam perfectibilitatem, & imperfectionem, ſeu defectum, & vacuitatem plenæ perfectionis indicat definitio motûs per illa verba: *entis in potentia*, & clariùs per reduplicationem illam, *prout in potentia*, indicantem, ens quod phyſicè movetur, utpote imperfectum, carere actuatione illâ, qua poſtea perficitur, ut ex Cardinal. de Lugo notat Mag. Lumbier *diſp 1. num.* 12. Sic ergo explicatâ, & conceſsâ maiori, diſtingo minorem: unio hypoſtatica eſſet actus Verbi, potentis per illam perfici, nego: non potentis per illam, aut aliundé perfici, cùm ſit ex ſe plené, ac ſummè perfectum, concedo minorem, & nego conſequentiam.

Lug. Lumb.

SECTIO II.

Impugnationibus aliis occurritur.

15 IMpetitur quartó, urgendo contra noſtras reſponſiones. Perficeretur Deus per eiuſmodi unionem, ac proinde melioraretur: ergo ruit doctrina noſtræ reſponſionis. Antecedens probatur: quia unio hypoſtatica eſt perfectio, & ſe ſe Verbo intrinſecé communicat, intimè, & phyſicè illi affixa: ergo per illam Deus perficeretur: nam perfici rem, nihil aliud vide-

videtur esse, quàm suscipere perfectionem intrinsecè communicatam. Sic perficitur paries albedine, corpus per animam, & humanitas per ipsam hypostaticam unionem intimè, & physicè sibi affixam.

Gonet. 16 Nec vim hanc fugit Gonetus, impugnandus sec.3. dicens cum Thomistis, unionem hypostaticam non esse quid superadditum extremis. Etenim undecumque ea communicatio intrinseca proveniat, sive mediâ, sive non mediâ unione superadditâ; humanitas, quæ quidem aliqua etiam est perfectio, communicatur, & affigitur intrinsecè Verbo, constituens cum ipso unum per se, ita ut Verbum, sive mediâ, sive nõ mediâ unione hypostaticâ, humanitatẽ perficiat: ergo inde non potest peti ratio cur Verbum ab ipsâ non perficiatur. Nec ijdem Thomistæ, negantes etiam in compositis purè creatis modum unionis superadditum, negant propterea, nec dubitant, quód perfectio unita, & communicata alteri, quocum constituit unũ per se, perficiat illud. Nihil ergo iuvat ad solutionem præsentis difficultatis indistinctio unionis ab extremis intrinsecè unitis.

Bonesp. 17 Respondent aliqui, quibus adhærere videtur Bonalpei *disp.1.n* 38. Deum non perfici per unionem, quia unio nõ inhæret Deo. Contra. Primò, quia apud multos, nec inhæret humanitati, cùm sit substantia, ideóque ens non in alio, quod apud ipsos est, non esse in subiecto inhæsionis. Secundò: quia apud omnes, Verbum intrinsecè unitum humanitati illam perficit & tamen non illi inhæret. Tertiò: quia modus creationis perficit terminum suum, & anima rationalis materiam suam, quin inhæreant. Quinimó, & quamvis anima uniretur corpori per unionem non eductam, sed creatam, quod ipse impossibile reputo; non perinde desineret perfici corpus per animam, & unionem, in eo casu non inhærentes. Levis igitur est ratio ex defectu inhæsionis petita, quominus Verbum ab unione perficeretur.

18 Respondent alij, Deum per unionem non perfici, quia non ordinatur ad illam, quâ scilicet nec completur, nec indiget. Cæterùm, nec humanitas indiget unione hypostaticâ, nec intellectus noster indiget visione beatâ, nec illas exigunt: & tamen per illas perficiuntur. Si dixeris, humanitatem, ut sit unum cum Verbo; & intellectum, ut sit beatus, illis indigere; sic etiam Verbum, ut constituat unum cum humanitate, indiget unione. Præterea: Verbũ, quamvis nec indigeat unione, nec ordinetur ad unionem, unitur physicè per unionem: ergo, eo etiam non obstante, perficitur per unionem. Unio namque intrinsecè, & formaliter est perfectio, sicut est unio, & penes se totam adæquatè realiter. & physicè, applicatur, & affigitur intrinsecè Verbo: cur ergo Verbum non perficit, sicut & unit?

19 Dicesti quia Verbum non est subiectum unionis, sed purus terminus. Cæterum, quamvis hoc verum sit, rem non satis explicat. Nam explicatio puri termini intrinseci physici non alia est, nisi quod intrinsecè uniatur citra perfectionem, & imperfectionem, ut ex Philosophia suppono ob difficultates alioquin inextricandas, quæ videri possunt apud Arriagan. *disp.* 4. *Phys. sec.*4. & Ovied *contr* 4 *pun.*2. Simul ergo danda hîc est ratio, cur Verbum non perficiatur, sitque purè terminus: ne viciosè hinc inde circumeundo, res maneat inexplicata. *Arriag. Ovied.*

20 Respondendum ergo solidiùs est, Deum esse purum terminum intrinsecum, & non perfici per unionem: quia non melioratur per unionem: non autem melioratur, quia nec ipse fit melior, quam erat antea, summè bonus, summéque perfectus; nec per unionem constituit aliquid ipso solo melius, aut perfectius. Nec enim extensivè admittendum est, Christum esse quid perfectius solo Verbo, aut aggregatum ex Deo, & omnibus creaturis, solo Deo, ut contra Durandum tenui cum reliquis Theologis *d.sp* 3. *de Attrib sec.*11. cùm Deus se solo summè perfectus sit, & supereminentissimè cõtineat omnes perfectiones creatas. *De Attrib. disp.*8.

21 Hinc in forma ad argumentum numeri 15. negatur antecedens. Ad probationem, distingo antecedens: unio hypostatica est perfectio in se, & humanitatis, quacum constituit aliquid humanitate melius, concedo: est perfectio Dei, nego: neque enim Deum meliorat, nec cum Verbo constituit quidquam Deo melius. Nego deinde quód rem perfici nihil sit aliud, quàm suscipere perfectionem sibi intrinsecè communicatam: requiritur enim præterea, quòd à tali perfectione melioretur, aut cum illa constituat aliquid re ipsâ meliús: quod non evenit in Deo, quantumvis intrinsecè uniatur; ideóque nec unione, nec humanitate perficitur; benè verò humanitas unione, & Verbo, quibus eximiè melioratur, & evehitur, constituens cum illis aliquid se infinitè melius, nempè Christum: itemque corpus perficitur per unionem ad animam, quacum constituit hominem se meliorem: & paries albedine, qua depulcratur, & cum qua constituit aliquid se solo melius.

22 Duo possent objici contra responsionem. Primum: quód essentia Dei perficitur per Attributa, & Absoluta Dei perficiuntur Relativis, & é contra, ut admissimus *disp.* 3. *de Attribut. num.*61. & tamen sese mutuò supereminentissimè continent, ut ibidem diximus sec.3. nec una alteri quomodocumque accedens constituit aliquid singulis seorsim perfectius, aut melius: siquidem singulæ sunt æque perfectæ, ac totus Deus, ut ibidem adstruximus *Disp.3. de Attrib. sec.6.*

mus sec.8. ergo, quòd Verbum supereminentissimè continet perfectiones unionis, & humanitatis; & quòd non constituat cum illis aliquid se solo melius,& perfectius, nequit esse nobis sufficiens ratio, quominus per unionem perficiatur. Secundum; quòd lumen gloriæ,& intellectus creatus perficiuntur visione beatâ, quam tamen eminenter præcontinent, cùm sint causa, & virtus proportionata visionis: ergo & Verbum perficeretur perfectione unionis formaliter ad ipsum accedente, quamvis illam supereminenter præcontinest. Confirmatur: non obstante hac præcontinentia eminentiali, per modum illum intrinsecum, qui est unio, denominatur Verbum de novo intrinsecè unitum: cur ergo per illum eumdem modum, qui est etiam perfectio, non denominabitur de novo intrinsecè perfectum? Certè enim modus iste physicus intrinsecè de novo affixus Verbo,& unio,est & perfectio est,& secundum se totum Verbo affigitur.

23 Respondetur ad primum, veras esse doctrinas antecedentis, sic intellectas pro modo loquendi, ut perfectiones illæ divinæ se se mutuò perficiant, non quasi per accessum realem perfecti, seu perfectionis ad imperfectum; sed per identitatem realem saltem in tertio summè perfecti cum summo perfecto, seu perfectionis simpliciter infinitæ cum perfectione simpliciter infinitâ. Nego autem consequentiam. Et ratio est clara: quia in ijs, quæ se se perficiunt per identitatem,qua gaudent etiam prout ratione, aut virtualiter inter se distincta; si una perfectio sola esset, aut sine alia esset, chymera esset: ideóque, nec æquè, nec ullo modo perfecta esset, si sola sine alia esset: virtualiter autem distingui ab alia, non est esse solam sine alia, quâcum realiter identificatur: sicut nec distingui realiter animam à gratia est esse sine gratia,quâcum unitur. Unde est,quòd, quamvis singulæ perfectiones divinæ sint æquè perfectæ, ac totus Deus, nequit dici, quòd una sola, aut sine alia, est æquè perfecta: quia cum nulla sit sola, nec possit esse sine alia, si sola, & sine alia esset, non perfectio, sed chymera esset. At in rebus, quæ perficiuntur per unionem realiter distinctorum, res illa, quæ potens esse sine alia,& essens sine alia,esset æquè perfecta, ac cum alia, & sola æquè perfecta, ac constitutum ex utrâque; eo ipso non perficitur per aliam: quia sine alia,nec chymera esset,nec minùs perfecta esset, quàm cũ alia,nec quâ constitutum ex utraque. Sic autem habet se Deus per unionem in Christo: quippé nec chymera esset, si solus sine unione, & humanitate esset; nec quidquam constituit cum humanitate se solo perfectius, cùm se solo summè perfectus sit: ideoque à se solo perfectus,& perfectibilis, inde repugnans ab alio perfici, unde repugnat in ipsis terminis esse quidquam perfectius summè perfecto.

24 Ad secundum, concesso antecedente, negatur consequentia: nam intellectus, & lumen, utpotè causæ creatæ, limitatæ, & imperfectionibus plenæ,non nisi modo valdè imperfecto continent eminenter visionem; at Verbum, utpotè Deus infinitè, ac summè perfectus,continet supereminentissimè,& summè perfectè omnes creatas perfectiones. Et ex hac supereminentissimâ, summèque perfecta continentia, quâ videlicet repugnat aliquid perfectius, est, quòd Verbum à nulla perfectione creatâ possit perfici; non verò ex qualibet utcumque continentiâ eminentiali,quâ dari possit aliquid perfectius.

25 Ad confirmationem, concesso antecedente, dico ad consequentiam, á modo illo intrinseco, qui simul unio,& perfectio est, denominari Verbum unitum,& non denominari perfectum: quia Verbum est capax illius denominationis,& non istius: est capax denominationis uniti,quia nullum est in Verbo prædicatum repugnans huic denominationi: non est capax denominationis de novo perfecti, quia hæc denominatio repugnat prædicato summè perfecti, qualis est Deus. Idem autem est in Philosophia, & Theologia, eamdem formam, intrinsecè subjecto communicatam, tribuere subjecto unam denominationem,& non aliam ratione incapacitatis subjecti. Sic ipsa hypostatica unio, quæ est perfectio, unio, & inhæsio; denominat humanitatem unitam, & perfectam,& non inhærentem: Gratia habitualis denon inat Christum Sanctum, & non filium adoptivum: & sic de multis alijs.

SECTIO III.

Defenditur eadem veritas ab alia impugnatione: ubi de convenientia, & decentia Incarnationis.

26 IMpetitur quintò. Sequeretur saltem, Verbum reddi imperfectum per unionem incarnativam: quod non minùs implicat,quàm per illam perfici. Probatur autem sequela. Primò: quia unio est quid creatum immixtum multis imperfectionibus; limitationis, dependentiæ, inceptionis, &c. ergo redderet imperfectum Verbum,cui cum istis suis imperfectionibus intrinsecè affigeretur. Secundò: quia mortalitas, & passibilitas sunt imperfectiones, quibus unitus Deus diceretur factus homo,passibilis,& mortalis: quinimò,& Deus ipse esset mortalis, passibilis, mortuus,& sepultus: ergo redderetur imperfectus. Tertiò: quia Verbum unitum humanitati, moveretur localiter,motis humanitate,& unione illi intrinsecè af-

affixis: hoc autem est imperfectio, utpote derogans essentialissimæ immensitati Dei, cui, cum ubique sit, repugnat moveri de loco in locum. Quarto: quia infinitè plus distant Deus, & Homo, quam homo, & canis: atqui vel repugnat, vel saltem imperfectio, & indecentia esset hominis, hominem fieri canem: ergo multò magis, Deum fieri hominem. Quintò: quia humanitas sic Verbo unita, spoliata personalitate propriâ sibi conveniente, esset perpetuò violenta: habere autem humanitatem sibi unitam perpetuò, violentam, nec humanitati convenit, nec Deum decet: ergo nec convenit, nec decet Incarnatio: sed imperfectio Dei esset facere, quod nec convenit, nec decet: ergo & incarnari.

27 Huc reducuntur rationes dubitandi de convenientia, & decentia Mysterij Incarnationis: de quo S. Thom. art. 1. ait: *Non fuit conveniens carni humanæ secundum conditionem suæ naturæ, quia hoc erat supra dignitatem; conveniens tamen fuit Deo secundum infinitam excellentiam bonitatis eius.* Ubi indicavit S. Doctor doctrinam, quam, ut oportuniùs, & plenius fiat postea satis difficultatibus propositis, declaro nunc ex communi Theologorum intelligentia per conclusiones sequentes. S. Thom

28 Prima conclusio. Incarnatio fuit Deo conveniens convenientiâ connaturalitatis, & decentiæ. Explico & ptobo. Convenientia connaturalitatis est, quòd Deo id conveniat, quamvis non ex indigentia, vel exigentia suæ naturæ; non tamen supra vires, aut contra exigentiam suæ naturæ. At incarnari, quamvis Deo non fuerit, ex indigentia, vel exigentia; non tamen fuit, aut supra Dei vires, cum sit omnipotentissimus, & supernaturalissimus; aut contra eius exigentiam: cum nulla sit in Deo perfectio exigens Verbum non Incarnari? Est igitur convenientiam connaturalitatis.

29 Convenientia decentiæ est, quòd Deo id decorosè, & laudabiliter conveniat. At incarnari, cùm sit eximia Dei ad extra communicatio, dignissimum est, & valde decorum Deo summo bono: nam bonum est diffusivum sui; & maius bonum magis diffusivum, magisque communicativum sui ad alia bonificanda. Quāvis ergo hoc fiat cum illis abiectionibus patiendi, esuriendi, moriendi, &c. quæ in Christo dicuntur de Deo per communicationem idiomatum; non quidè Deum dedecet: non enim eiusmodi abiectiones fiunt in Natura divina; sed in natura creatâ, illarum, & similium in se capaci. Sicque cohonestantur, fiuntque decentissimæ à nobilitate communicationis eximiæ summi boni, & á finibus altissimis, quos Deus per id intendebat, & consequutus est: scilicet hominum miserè pereuntium redemptionem, & suorum Attributorum insignem manifestatione: quâ nempè innotuit thesaurus ille inexhaustus sapientiæ, & scientiæ Dei, eiusque potentia, iustitia, misericordia, benignitas, aliæque perfectiones. En igitur convenientiam decentiæ: & modum, quo iuxta S. Thom. fuit Deo conveniens Incarnatio.

30 Dices, incongruum, & inconueniens videri, voluisse Deum sui abiectionem, & exinanitionem, & permisisse peccata execrabilia patrata in Christicidio: quæ sunt inconvenientiora, quàm sit sibi conveniens gloria manifestationis suorum Attributorum, pendens utique à notitia finita, & limitata, quam creaturæ habituræ essent; & quàm sit conveniens hominum salus, utpote etiam finita. Nam est quasi ordinare maius bonum ad minus: quod est indecens, & inconveniens inordinatio. Occurritur tamen dicendo, ex illa abiectione, & exinanitione resultasse præterea alia bona infinita, nempè merita, & satisfactionem Christi, per obsequia infinitissima Deo exhibita; necnon complacentiam divinam infinitam in hoc Opere. Hæc autem bona præponderant dictæ abiectioni: quam propterea sic ordinare ad eos fines honestissimos, & glorioſissimos, non est ordinate incongruè maius bonum ad minus: sicque nec est inordinatio, sed ordinatissima convenientia. Plura Conine *disp.* 2. *Conine.*

31 Secunda conclusio. Fuit etiam conveniens Incarnatio humanitati assumptæ, convenientiâ decentiæ, & utilitatis, seu commoditatis; non verò connaturalitatis. Cum hoc etiam discrimine loquutus est. S. Thom. Prior pars patet: quia per Incarnationem elevatur humanitas ad statum altissimum, & honorificentissimum, & participat mirificè summa Dei bona. Et quamvis assumatur sine propria personalitate alioquin sibi debitâ, id fit commutando propriam cum aliena divina infinities sublimiori, perfectiori, sibiq; convenientiori. Neque in hoc patitur violentiam, vt explico *disp.* 2. *sec.* 6. Posterior pars probatur: quia sic assumi à Verbo fuit supra dignitatem exigentiam, & vires humanitatis, totiusque naturæ, utpotè opus supernaturalissimum: ergo non fuit connaturaliter conveniens, seu competens humanitati. Et sic intelligendus est ibi S. Tho. *Infrà disp.* 2.

32 Tertia conclusio. Fuit etiam conveniens toti Universo. Tum quia totum Universum condecoravit hoc opus nobilissimum. Tum quia, cùm homo participat ex omnibus generibus Universi, quatenus, ut ait S. Gregorius, habet esse commune cum inanimatis, vivere cum plantis, sentire cum brutis, intelligere cum Angelis, &c. assumptâ humanitate à Verbo, omnis natura quodammodò decoratur. Usque adeò, & ipsis dæmonibus fuit conveniens: quibus utique in instanti suæ creationis mulo- *Greg.*

Digitized by Google

multa dona collata fuerunt per Chriſtum: quāvis ob ipſorum perverſitatem minus ipſis profuerint. Excipiunt aliqui aliquem modulum, cui videtur convenientem non fuiſſe Incarnationem, modum ſcilicet perſonalitatis propriæ humanitatis Chriſti, quippè ipſius exiſtentiam impedivit Incarnatio. Sed hæc leviſſima ſunt.

33 Nunc ex dictis reſpondeo ad argumentum numeri 26. negando ſequelam. Ad primam probationem, conceſſo antecedente, negatur conſequentia: nam per limitationem, dependentiam, aut inceptionem unionis, aut humanitatis non relinquitur Verbum limitatum, dependens, aut incipiens, ob repugnantiam horum denominationum cum prædicatis Verbi immutabilibus, ideóque per illas imperfectiones non redditur imperfectum. Multas autem formas communicare eidem ſubiecto unā denominationem, & non aliam iuxta ſubiecti capacitatem, vel incapacitatem, notiſſima Philoſophia eſt, ut innuimus num. 25. Cui nunc addere oportet, quód nec ſemper forma ſortitur pro ſe denominationem, quam tribuit; nec ſemper tribuit denominationem, quam pro ſe ſortitur. Oculatus teſtis eſt vilis: quæ, cùm viſa non ſit, denominat colorem vilum; & cùm videns ſit, non denominat colorem videntem: ſcilicet ex aptitudine, aut ineptitudine ſubiectorum, vel obiectorum, ad ſic, vel ſic denominari.

34 Ad ſecundam probationem, diſtingo: mortalitas, & paſſibilitas ſunt imperfectiones naturæ, quam afficiunt concedo: naturæ, quam non afficiunt, quāſtivé nec mortalem, nec paſſibilem reddunt, nego. Unde, illis imperfectionibus unitus Deus, non dicitur paſſibilis, nec mortalis in ſua Natura divina; ſed in naturā humanā aſſumptā; ideóque non niſi per communicationem idiomatum dicitur poſt incarnationem Deus mortuus, & ſepultus, ut explicabitur diſp. 2. ſec. 7.: quod cùm citra Dei imperfectionem contingat, & explicetur, falſa eſt conſequentia. *Infra. diſp. 2.*

35 Ad tertiam dico, motis unione, & humanitate intrinſecè affixis Verbo; non perinde moveri Verbum in propria naturā immenſiſſimā: quā iam eſſentialiter eſt ubique: ſicut, licet ſit nobiſcum penetratus Deus, movemur nos, nunquam moto, ſemperque nobiſcum penetrato Deo. Nec enim intrinſeca unionis affixio arguit, quód ad motum unius extremi debeat moveri aliud, ſi iam aliud eſt ubi per motum ponitur extremum mobile: quandoquidem quòcumque iſtud moveatur adeſt iam aliud extremum, cui intrinſecè affigitur.

36 Ad quartam, concedo maiorem de diſtantia entitativa. Ad minorem autem dico, hominem fieri canem converſivé, hoc eſt converti in canem, ſicut in pulverem, & in herbam non repugnare; ſed eſſe imperfectionem ſuæ mutabilitatis potentis amittere eſſe hominis, quod habet, & converti in aliud. Hominem verò fieri canem conſtitutivé, manente ſcilicet tota humanitate, & ſuppoſitando naturam canis, repugnare ob ipſius limitationem ineptam ad tantam, & tam eximiam ſui communicationem, utpotè propriam ſolius ſummi, ac infiniti boni, ut dicemus *diſp. 3. ſec. 7.* Sic ergo diſtinctā minori, diſtingo conſequens: repugnat, Deum fieri hominem converſivé concedo: nam ad hoc opus eſſet, quòd deſineret eſſe Deus, ut fieret homo: conſtitutivé, negoeo ſcilicet modo, quo, *quod erat permanſit, & quod non erat aſſumpſit*: ut iam diſtinximus *ſec 1. num. 3.* Unde diſtinguo conſequens: repugnat, Deum fieri hominem converſivé concedo; conſtitutivé modo explicato, nego: nam ad hoc non obſtat, imò iuvat, diſtantia infinita entitativa Dei ab homine: cùm potiùs in ea ipſa infinitudine ſummi boni, multò magis cōmunicabilis, quàm bonum finitum, fundetur proportio maior unibilitatis cum humanitate in unam perſonam, ut eximié, & hypoſtaticé ſe diffundat ad bonificanda ſingulariter alia extra ſe. *Infra. Diſp. 3.*

37 Ad quintam, negatur maior, ſcilicet humanitatem eſſe violentam per hypoſtaticam unionem, quantumvis impeditivam perſonalitatis creatæ debitæ humanitati: de quo ex profeſſo *d ſp. 2 ſec. 6.* *Infra. Diſp. 2.*

SECTIO IV.

An Unio hypoſtatica ſit modus ſuperadditus à Verbo, & humanitate diſtinctus?

38 NEgant impenſé ex noſtris P. Martinon *diſp. 5. à ſec. 6.* & ex aliis Caietanus, Alvarez, Gonetus *d ſp. 6.* & communiter Thomiſtæ præter Illuſtriſſimum, & ſapientiſſimum Godoy qui *3. p. tr. 2. diſp. 11. 6. 7.* Sancti Thomæ potius, quàm Thomiſtarum veſtigia premens, ait, humanitatem uniri hypoſtaticè Verbo per unionem creatam intrinſecam ſuperadditam, quamvis Verbum per ſe ipſum uniatur intrinſecè humanitati. Nec quidquam obeſt quod ibidem ait S. Thom. unionem eſſe relationem: vel enim hoc intelligunt Thomiſtæ de relatione tranſcendentali, vel de prædicamentali. Si de tranſcendentali, omnes dicimus, hanc diſtingui à termino, quem reſpicit: cùm autem unio reſpiciat, utrumque extremum unitum, débet ab utroque diſtingui. Si de prædicamentali, hanc ponunt Thomiſtæ in modo ſuperaddito diſtincto à fundamento, & termino: ergo ex hoc ipſo coguntur dicere, *Mart. Caiet. Alvar. Gonet. Godoy. S. Thom. 3 p. q. 2. art. 7.*

unio-

unionem esse modum superadditum distinctũ ab extremis per ipsam contingenter unitis. Nec facilé conciliabile est, ad hoc ut homo sit similis homini requirere modum superadditũ; & non illum requiri, ut humanitas contingenter uniatur Verbo. Quo quàm acriter pungantur sui Thomistæ expendit meritò Godoy nu. 14. in via S. Thomæ.

Godoy.

Scot. *Suar.* *Vazq.*

39 Scotus *in* 3. *dist.* 1. & Suarez *disp.* 8. *sec.* 2. cum suis Scholis communiùs affirmant unionem hypostaticam esse modum superadditum à Verbo, & humanitate distinctum. Sic etiam Vazquez *disput.* 18 *cap.* 1. quibus adhæreo.

40 Probatur primò. Incarnatio importat aliquam actionem physicam, qua in tempore *Verbum caro factum est*: ergo huic actioni respondet aliquid productum: non Verbum, quod in tempore produci non potest: non humanitas præcisé: quia, licét humanitas temporaliter producatur; at humanitatem uniri Verbo, & Verbum fieri hominem non est præcisé produci humanitatem: potentem utique produci, & existere quin Verbum caro factum esset: ergo actioni illi Incarnativæ, qua Verbum caro factum est, correspondet aliquid productum præter humanitatem, & Verbum: ergo correspondet unio, hæc extrema uniens, ipsis superaddita, & ab ipsis distincta. Nec refert dicere, eam actionem incarnativam producere humanitatem, & se ipsam, *ut quo*; non verò alium modum medium distinctum, ad quem ipsa terminetur. Nam, quidquid sit de hac doctrinâ, de qua sec. seq. nunc solùm contendimus, unionem formalem humanitatis ad Verbum esse quid creatum ab humanitate & verbo physicé distinctum, prout exigit actio realis Incarnativa: sive sit ille ipse modus, qui est actio habens, utrumque id munus producendi, & formaliter uniendi, ut vult P. Bernal, laudandus sec. sequenti; sive sit alius modus distinctus ab actione: quod ad præsentem quæstionem parvi refert.

Genet.

41 Respondet Gonetus *num.* 65. actionem Incarnativam, nec esse formaliter unionem hypostaticam, nec habere pro termino producto unionem hypostaticam distinctam ab humanitate, & Verbo; sed Christum, ex ipsis per se formaliter unitis constitutum. Sicut, inquit, terminus productus per generationem humanam, nec est corpus, nec est anima, nec est modus superadditus unionis; sed est homo. Exemplum hoc nimis quadrat: eamdem enim præsefert difficultatem, ut omnes novimus ex Physicis: ubi propter eamdem nostram rationem adstruimus unionem extremis compositi naturalis superadditam, quæ sit in homine terminus *quo* productus per generationem humanam, à quo totus homo dicitur terminus productus, *ut quod*. Ibi se tuentur & explicant Thomistæ exemplo unionis hypostaticæ indistinctæ ab extremis; hic autem tuentur, & explicant hanc indistinctionem exemplo unionis humanæ à suis extremis indistinctæ: quod est inaniter, circuire, & quando de utraque expectamus rationem, alterum pro alterius ratione vicissim obtrudere.

42 Argumentor sic. Christus nihil est aliud quàm constitutum ex humanitate, & Verbo unitis: ergo, si unio nihil est physicé distinctum ab humanitate, & Verbo, nihil aliud dicit constitutivé Christus præter humanitatem, & Verbum: ergo, cùm per actionem incarnativam, nec humanitas secundum se, nec Verbum secundum se producatur, si nihil est ab illis simul physicé distinctum quod producitur, nihil omninò per ipsam producitur. Confirmatur: ut Christus sit terminus totalis, seu terminus, *quod*, productus per actionem incarnativam; debet dari aliquid in Christo, quod sit terminus *quo* per eam productus: ut patet in æterna ipsius verbi generatione: cuius terminus totalis, *quod*, est Filius, seu Persona Verbi; & terminus formalis *quo* productus est Relatio, seu Personalitas: alioquin dici posset, per generationem æternam Verbum quidem produci, quin tamen, nec natura, nec personalitas producatur, sed constitutum ex utraque nempé Verbum: quod uti minimé Catholicum respuit meritò Godoy num. 24. Sic igitur ut Christus, qui est terminus totalis, dicatur productus per actionem Incarnativam, debet in Christo dari aliquis terminus formalis *quo*, per eam productus: sed terminus formalis *quo* per eam productus, non est humanitas, nec Verbum, nec totus Christus, qui est terminus totalis *quod*: ergo est unio physicé superaddita nectens physicé humanitatem, & Verbum.

Godoy.

43 Probatur secundò conclusio. Hæc ipsa humanitas est simul coexistens, & penetratissima cum Personalitate Patris, & Spiritûs Sancti, & non est ipsis hypostaticé unita: & potuit similiter coexistere simul, & penetratissimé cum Personalitate Verbi, quin esset ipsi hypostaticé unita: ergo huic humanitati, ne sit hypostaticé formaliter unita Patri, & Spiritui Sancto, aliquid deest, quod sit ratio formalis uniendi ipsam Patri, & Spiritui Sancto; & ut sit unita Verbo aliquid adest physicé, potens realiter non adesse, quod sit ratio formalis uniendi ipsam hypostaticé Verbo: ergo hæc ratio formalis uniendi est aliquid physicé distinctum, utpote physicé separabile ab humanitate, & Verbo.

44 Communes Thomistarum responsiones reducuntur ad hos terminos: illud, quod, coexistentibus humanitate, & Verbo, potuit nõ

eſſe,& nunc phyſicé eſt, ut hypoſtaticé uniantur ; & phyſicé deeſt, ne hypoſtaticé uniatur humanitas alijs Perſonis ; non eſſe unionem, hęc enim ſunt ipſa extrema formaliter ;ſed eſſe actionem unitivam,ſeu terminationem,unitionem, ſeu, ut loquuntur alij, exercitium uniendi: cuius actionis, terminationis, unitionis , ſeu exercitij poſitione erga humanitatem , & Verbum , hæc extrema perſemetipſa formaliter uniuntur: & cuius defectu erga alias Divinas Perſonas, hę non uniuntur , quantumvis intimé penetrentur humanitati.

45 Contra tamen , & reſumo omnes terminos, ne ab uno ad alium circumfugiatur, ut moris eſt. Actio hęc unitiva , hæc terminatio, hæc unitio , hoc exercitium uniendi , vel eſt phyſicé à parte rei ipſum eſſe intrinſecum extremorum coexiſtentium ; vel eſt aliquid phyſicé, & à parte rei ab ipſis diſtinctum. Si primum : ergo cùm nequeant phyſicé coexiſtere talia extrema, ſine ſuo eſſe intrinſeco; nequeũt coexiſtere ſine unione , & ſine actione unitivâ, & ſine unitione , & ſine terminatione , & ſine exercitio uniendi , ac proinde , quin exercitè uniantur: quod inſigne cacephaton eſt. Ex quo non minùs abſurdé ſequeretur contra Fidem, nunc de facto Verbum ęquè phyſicé & à parte rei eſſe exercité unitum hypoſtaticé alijs humanitatibus, quibuſcum coexiſtit, & intimé penetratur, quàm humanitati Chriſti: & humanitatem Chriſti non minùs eſſe exercité unitam Perſonalitatibus Patris, ac Spiritus Sancti,quibuſcum coexiſtit intimé penetrata, quàm Perſonalitati Verbi. Dices : alias humanitates non eſſe privatas ſubſiſtentiâ propriâ , quæ privatio requiritur quaſi diſpoſitio, ut exercité denominentur unitę Verbo. Contra: Tum quia humanitas Chriſti iam eſt privata ſubſiſtentiâ propriâ ; cur ergo exercité uniretur Perſonalitati Verbi, potiùs quam Patris, aut Spiritus Sancti, ſi exercitium uniendi eſſet ipſum eſſe intrinſecum extremorum ? Tum quia , ſi incompatibilis eſt ſubſiſtentia propria cum aliena ; eandem rationem , quam deſideramus iuxta hanc reſponſionem, cur Perſonalitas Verbi potiùs exercite uniatur iſti humanitati,& non alijs ; deſideramus etiam, cur in alijs humanitatibus non impediat proprias ſubſiſtentias, ſicut in iſta?

46 Si verò dicatur ſecundum, ſcilicet actionem unitivam, unitionem, terminationem, ſeu exercitium vniendi,eſſe quid phyſicé à parte rei diſtinctum ab eſſe intrinſeco extremorum; rogo ulterius: an ſit aliquid creatum , an aliquid increatum. Si eſt aliquid creatum:ergo mediat aliquid creatum phyſicé ſuperadditum à parte rei inter humanitatẽ, & Verbum, quod eſt formaliter eorum extremorum unitio , intrinſeca terminatio, actio unitiva, & exercitium uniendi: hoc autem ipſum exercitium formale uniendi eſt ipſa formalis unitio, & unio extremis phyſicè ſuperaddita:ſi ut exercitium agendi eſt actio,& exercitium intelligendi eſt intellectio, & exercitium recipiendi eſt receptio , & informandi eſt informatio. Nec aliud intendimus, cum affirmamus dari unionem hypoſtaticam, quę ſit modus phyſicé ſuperadditus extremis , niſi dari aliquid creatum intermedium phyſicé efficiens humanitatem ad Verbum, quod ſit formale exercitium uniendi talia extrema,& formalis unitio talium extremorum, potius quàm aliorum: hoc enim ipſiſſimum eſt unio hypoſtatica; vel,ſi mavis,eſt unitio hypoſtatica, aut exercitium hypoſtaticé uniendi humanitatem cum Verbo: aut dicatur, precor, ſi daretur unio hypoſtatica , quę eſſet modus ſuperadditus , quid eſſet, niſi hoc ipſum , quod, dum illum verbis negant , concedunt in re per has ſuas reſponſiones Adverſarij?

47 Si verò eſt aliquid increatum: ergo eſt aliquid æternum , ac proinde non minùs realiter identificatum cũ Verbo,quàm unio,quę ſit ipſum Verbũ:ergo coexiſtentibus humanitate, & Verbo,ſicut cum illis coexiſtit unio cum ipſis, aut cum altero ipſorum realiter identificata, ſimiliter eo ipſo deberet cum ipſis coexiſtere unitio , actio unitiva , & exercitium uniendi, quod iuxta hanc partem reſponſionis eſt etiam realiter identificatum cum Verbo , & æternũ: ergo, ſicut in hac ſententia nequeunt coexiſtere humanitas,& Verbum, quin exiſtat unio, utpotè cum ipſis realiter identificata;ita nec quin exiſtant unitio , actio uniendi , terminatio , & exercitium uniendi, quæ quidem omnia, ſi increata,& æterna ſunt , identificata ſunt realiter cum Verbo: ergo non potuerunt exiſtere,Verbum , & hæc humanitas , niſi ſimul cum ipſorum unione,& unitione,& terminatione, & actione unitiva , & exercitio uniendi : ergo non potuerunt exiſtere, niſi hypoſtaticè unita. Quid enim amplius dicit eſſe,hypoſtaticé unita,quàm ea extrema , eorumque vnionem coexiſtere ſimul cum unitione, terminatione, actione unitiva,& exercitio uniendi?

48 Dices: quamvis ea omnia adſint,poſſe humanitatem, & Verbum non denominari unita: non quidem defectu unionis,aut unitionis formalis ; ſed defectu alicuius conditionis requiſitæ,ut ſic denominentur. Contra tamen: Primo: quia debent adverſarij aſſignare hanc conditionem; alioquin liberum, cuique ſimiliter eſſet dicere, poſitâ intellectione intrinſecè in intellectu, & albedine in pariete, poſſe, nec parietem denominari album , nec intellectum intelligentem: non defectu formæ; ſed defectu alicuius conditionis innominatæ. Secundò: quia vel illa conditio eſt de intra eſſentiam , vel de extra eſſentiam conſtitutivam unionis , prout exercitè denominantis. Si eſt de intra eſſentiam:

tiam: ergo non est pura conditio, sed essentiale prædictum unionis, ut unientis, seu ut denominantis extrema unita, & quidem separabile ab extremis per vos: hoc autem est formalis unio extremis superaddita. Si est de extra essentiam: ergo hac conditione nondum posità, stantibus reliquis pertinentibus constitutivè, & essentialiter, ad hoc, ut ea extrema denominentur unita; stat tota, & adæquata essentia unionis, quoad denominationem etiam, & ut exercitè denominantis: ergo stat unio, quo ad denominationē, seu ut exercitè denominans: simplicat enim in terminis, stare totam essentiam sine suo essentiato, & totum constitutivum sine suo constituto: cùm evidens sit, essentiatum esse ipsam suam essentiam, & constitutum esse suum ipsius constitutivum adæquatum. Unde Respondentes isti cogerentur dicere, quòd quāvis non uniatur hypostaticè de facto ad humanitatem Personalitas Patris; datur tamen de facto talis unio hypostatica cum toto essentiali constitutivo denominationis uniendi hypostaticè Patri humanitatem: qui modus loquendi, & contradictorius esset, & absurdus.

49 Superest recursus ad mysterium libertatis divinæ, quo tandem tueri tentant nonnulli indistinctionem unionis hypostaticæ ab extremis. Dicunt, quòd sicut Deus per ipsum suum esse intrinsecum, & sine aliquo superaddito est, & denominatur intrinsecè decernens mundum, cùm potuerit pro libito suo non sic denominari; sic Verbum per suum esse intrinsecum & sine aliquo modo superaddito, est, & denominatur intrinsecè unitum humanitati ad libitum æternum Dei pro tali tempore, quamvis potuerit non sic denominari: ad quod sufficit, inquiunt, distinctio virtualis talis denominationis, seu unionis quo ad denominationem, ab entitate Verbi. Sic discurrunt, citantes pro se Patrem Valentiam. Sic paulò aliter Pater Martinon *sect.7.* unionem hypostaticam ait esse ipsa extrema unibilia cum exercitio suæ unibilitatis: quod exercitium ait esse modum quēdam taliter se habendi, virtualiter dumtaxat distinctum ab entitatibus extremorum: pro quo *sect.8.* recurrit ad exercitium actuum liberorum Dei. P. Borrull id respuit de facto, & in tempore; de possibili tamen ait potuisse Verbum, absque unione superaddita uniri humanitati, si ab æterno uniretur: per aliquam scilicet sui virtualitatem intrinsecam: sicut ab æterno Deus, potens non esse volens mundum, est volens mundum per aliquam sui virtualitatem ab æterno defectibilem; non verò inceptibilem in tēpore. Tantæ molis est, unionem hypostaticam realiter ab extremis indistinctam utcumque propugnare.

Valētia. *Martin.* *Borrull in M.S.*

50 Imprimis, ut ab hoc postremo incipiam, scrupulus iste Patris Borrull me non pūgit. Si enim eiusmodi virtualitas ad uniendum se hypostaticè humanitati per se ipsum, est in Verbo intrinsecé, & à se, potens ab æterno sic uniri, & potens non sic uniri ab æterno; cur precor, nequeat incipere sic uniri in tempore? Si enim defectibilitas illius virtualitatis stat cum perfectione divinæ necessitatis essendi; cur inceptio virtualis ejusdem non stabit cum perfectione divinæ immutabilitatis? Huc faciunt, quæ scripsi *disp.13. de Attributis, sect.4.* pro inceptione virtuali aliquorum divinorum affectuum, quo ad denominationem, absque omni prorsùs iacturâ divinæ immutabilitatis: iactura autem divinæ constantiæ hinc procul abest, cùm longiùs versemur ab inceptione, seu variatione decretorum, quæ semel Deus concepisset. Quòdsi hic modus se uniendi hypostaticè sine modo creato superaddito possibilis est Verbo, non video, cur sic non uniatur de facto: ad quem enim eventum asservaretur in Verbo illa virtualitas, sive illa virtus, cùm iam advenerit casus se hypostaticé uniendi humanitati? Propter hæc minùs mihi displicet opinio Patris Martinon id asserentis de facto, sicque suarum virtualitatum fructum qualem qualem, cum gaudiolo decerpentis.

Tom.1. disp.13.

51 Cæterùm, ut verum fatear, totum hoc cum recursu suo ad mysterium libertatis divinæ, minùs mihi placet. Primò: quia, ut simile quid dicamus in denominationibus actuum liberorum Dei, cogit nos mysterium libertatis divinæ: ut autem id applicemus denominationi hypostaticè uniti, nihil est qnod nos cogat, cùm sit denominatio ad extra potens exhiberi citra inconveniens per modum aliquem creatum, de novo affixum intrinsecè Verbo: sicut in adversariorum etiam sententia humanitas de novo affigitur, & unitur intrinsecé Verbo absque inconvenienti. Secundò: quia si unio est virtualitas Verbi, quâ pro libito potest reddi unitum, sive in tēpore, ut ait Martinon, sivè ab æterno, ut ait Borrull, sine ulteriori unione superadditâ; similiter dici posset, esse quoque in Verbo virtualitatem, qua sive in tempore, sive ab æterno posset pro libito reddi homo sine ulteriori humanitate superadditâ: quemadmodum ergo nulla Dei voluntas, nec virtualitas potest Deum facere hominem, nisi volendo humanitatem superadditam: sic nec facere unitum, nisi volendo unionem superadditam. Tertiò: quia virtualis illa distinctio divinorum, ut scitè supponit ipse Borrull *disp.7. de Attrib. num 56.* ubi evitabilis fuerit, possibilis non erit: non enim admittitur, nisi ex necessitate Mysteriorum, ut nos etiam ibidem supposuimus *disp.8.num.64.* idemque repetit ipse Borrull *disp.16. de Volunt. nn.27.* Hic autem nulla est necessitas, nec utilitas eam admittēdi: ergo nec datur, nec dabilis est inter Verbum, ejus-

Borr. *Tom.1. d.8.sec.4. Borr.*

que unionem ſecum identificatam: daretur enim, ut ſupponitur, & non daretur, quia nec datur, nec dari poteſt, niſi ubi inevitabilis eſt. Quartò: quia inutiliter, & inepte applicatur ad præſens inſtitutum doctrina illa de actibus liberis Dei: nam illæ denominationes Dei ad intra, ſunt ipſum velle Dei, & ipſum libitum Dei; non eſt autem mirum, quòd illæ dicantur ſic, vel ſic denominare, aut non denominare Deum pro ſolo libito Dei, cùm ipſum libitum Dei ſit ipſum ſic denominare, ac denominari: at uniri Dei ad extra, ne ad affectivam unionẽ Neſtorianam accedamus, non eſt ipſum velle Dei, ſicut nec Deum eſſe hominem, eſt ipſum velle Dei, nec parietem dealbari eſt ipſum velle Dei: ſed ſunt obiecta creata, quæ vult Deus, & ponuntur, quando Deus fit homo, & quando paries fit albus: hæc autem non fiunt formaliter per ipſum velle Dei extrinſecè tantum afficiens alia extra ſe; ſed ſunt entia creata, per quæ formaliter intrinſecè præſtantur illæ denominationes. Sic ergo dicendum de denominatione intrinſecè formaliter uniti, niſi à verâ conſtantique Philoſophia, & Theologia prorſus recedamus.

52 His relictis, redeamus ad Thomiſtas, ut videamus eorum fundamenta pro indiſtinctione unionis hypoſtatica ab extremis quæ quidem imparia ſunt tanto negotio aſtruendo. Arguunt primò: ſi unio eſſet modus ſuperadditus, mutaretur Verbum per illam: ergo non eſt modus ſuperadditus. Secundò: in compoſito naturali materia, & forma uniuntur intrinſecè per ſe ipſas, ſine modo ſuperaddito: ergo etiam in Chriſto humanitas, & Verbum. Tertiò: talis modus creatus eſſet accidens: ergo negandus. Uno verbo nego triplex antecedens: primum, ex dictis *ſect. 1.* ſecundum ex Philoſophis: tertium ex dicendis *ſec. 11.*

53 Inſiſtit Gonetus, contendens, Verbum non uniri unione à ſe diſtinctâ, etiamſi in compoſito naturali materia, & forma, non niſi mediâ unione diſtinctâ unirentur. Primò: quia Verbum unitur per id quod exercet rationem complementi, & ultimi termini humanitatis per ipſum, & in ipſo ſubſiſtentis: ſed id quod exercet rationem complementi eſt ipſum Verbum: ergo per ſe ipſum unitur. Probatur minor: quia ſi id eſſet aliquid creatum ſuperadditum, Verbum non eſſet actus purus, ſicut nec Omnipotentia, ſi productio activa rerum, qua exercetur, eſſet aliquid diſtinctum à Deo. Secundò: quia Verbum per ſe ipſum terminat viſionem beatam, unitur que intellectui beato, aut ſaltem viſioni beatificæ, abſque alio medio à ſe, & à viſione diſtincto: ergo unitur etiam phyſicè humanitati per ſe abſque alio medio à ſe, & ab humanitate diſtincto.

54 Reſpondetur ad primum, diſtinguendo maiorem: per id quod exercet, *ut quod* nego: *ut quo*, concedo maiorem; & in hoc ſenſu, nego minorem: nam, quamvis Verbum exerceat, *ut quod*, rationem complementi, & hoc quidem per ſe, perfectate virtutis completivę, & ultimò determinativæ non requirentis aliam virtutem terminativam, & completivam humanitatis; *ut quo* tamen illam virtutem exercet in humanitate, non per ſe, ſed medio exercitio complendi humanitatem, ab ipſo verbo realiter, ut vidimus, ſeparabili: quod exercitium, & exercens, *ut quo*, eſt unio ſuperaddita, mediâ qua Verbum complet humanitatem, & exercet in illa virtutem ſuam per ſe complendi, & terminandi. *Per ſe*, inquam, perfectate virtutis, utpote non requirentis aliam mediam virtutem completivam; non verò perfectate actualis exercitij complendi; cùm hoc exercitium formaliter complendi humanitatem ſit realiter à Verbo ſeparabile. Hoc autẽ formale exercitium, eſt unio media. Ad probationem minoris, nego totum: quia non eſt contra rationem actûs puri exerceri ad extra per aliquid à ſe diſtinctum; dummodò id non arguat in illo potentialitatem, & perfectibilitatem à tali exercitio, quam iam à Verbo depulimus *ſec. 1.*

55 Ad ſecundum, nego eodem modo antecedẽs. Nã intellectui beato, & viſioni beatificæ unitur Deus intelligibiliter per viſionem ipſam, quę eſt verbum creatum, & ratio formalis, ac exercitium videndi Deum. Quòd autem inter Deum, & viſionem ipſam non requiratur alia unio; bené verò inter Verbum, & humanitatem; ideo eſt, quia viſio eſt ipſa formalis determinatio videndi: at Verbum, & humanitas ſunt, quid indifferens, ut hypoſtaticè uniãtur, vel non uniantur, ideoque indigent formali determinativo, quod eſt unio media.

SECTIO V.

An Unio hypoſtatica ſit realiter ipſa productio humanitatis Chriſti.

56 DOctiſſimus Pater Auguſtinus Bernal *diſp. 12.* partem affirmativam eruditè defendit, & illuſtrat: quæ poſtea inter Noſtrates mirificè invaluit. Eam antiquiùs tenuerunt pauci alij, quorum meminit P. Suarez *diſp. 8 ſec. 1.* & eodem ferè Bernalis tempore, quamvis non eodem modo, Pater Petrus Uvadingus *diſp. 4. dub. 3.* Eos ſequitur Boneſpei *diſp. 4.* apud Lumbier *q. 16. ar. 3.* cui ſat quoque probabilis viſa eſt. Præcipuus tamen huius ſententiæ Auctor laudatur, & meritò, Bernal; præcipuique amplificatores, Recentiores noſtræ Provinciæ: quos inter operoſiũ, & *Bernal.* *Suar.* *Uvad'n.* *Boneſpei.* *Bumbier.*

Boxassa. & luculentiùs P. Ioannes Paulus Boxassa, nonnullum in hoc Collegio Primarius, ac percelebris Theologiæ Antecessor in Manuscriptis doctissimis de Incarn. *disp. 9. per totam.*

57 Fundamentum primum est à multiplici auctoritate, & quidem gravissimâ. Quia S. Tho. *q. 2. ar. 8.* docet, assumptionem ratione *S. Tho.* differre ab unione hypostatica: sentit ergo realiter esse idem assumptionem, quæ est actio productiva unionis, seu humanitatis unitæ, & *Leo.* unionem. S. Leo *in Epist. decret. 11.* ait: *Natura quippè nostra non sic assumpta est, ut prius creata, postea assumeretur; sed ipsâ assumptione crearetur:* ergo quia assumptio ipsa, quæ *August.* est formalis unio, est creatio, seu productio humanitatis. S. August. *in Enchiridio c. 36.* ait de Christo: *numquid ille prius vixit filius hominis, & benè vivendo factus est Filius Dei?* Negat hoc, & dat rationem: *inde cœpit, & inde incepit, & susceptione factus est*: quasi dicat, ipsa susceptione, quæ est assumptio, productum fuisse. S. Gregorius *l. 9 Reg Epist 61.* significans nomine unctionis unionem hypostaticam, & nomine conceptionis productionem *Gregor.* humanitatis, ait: *De Spiritu Sancto ex carne Virginis concipi, à Spiritu Sancto ungi fuit.* Et in eundem sensum S. Fulgentius *de Incarn. & Gratia c. 3. & c. 18. de Fid. Ipsa quippè acceptio carnis fuit conceptio Virginalis:* & ite- *Fulgent.* rum clarius: *ipsum Verbum Deum suæ carnis* *Concil.* *acceptione conceptum, ipsamque carnem Ver-* *Alexãd.* *bi Incarnatione conceptam.* Concilium Alexandrinum *in decimâ Epist. Cyrilli*: *Non enim primò homo ex Virgine ortus est, in quem Dei Verbum deinde sese demisserit; sed in ipso utero carni unitum sustentasse dicitur generationem carnalem.* Nequit autem intelligi, Verbum sustentasse generationem Christi in ipso fieri, nisi ipsa generatio essentialiter terminetur ad Verbum, illud per se uniens car- *Synod. 6.* ni. Et Synodus sexta *act. 11. in Epist. Sophronij*, habet hanc thesin, quam approbat deinceps *act 13 Simul Dei Verbi caro simul caro animata rationalis, simul Dei Verbi caro animata rationalis*: & dat rationem: *In illa enim, & non per se ipsam habuit existentiam.* Quo significatur, humanitatem non habuisse existentiam, nisi in Verbo: ergo quia per ipsam sui productionem fuit unita, & facta pendens à Verbo, & hypostaticè subsistens in Verbo.

58 Ad hæc, & alia penitùs intelligenda, & dissolvenda, tria præ oculis habenda sunt. Primum, quod iam præmonuimus *num.* 1. Incarnationem sumi iam formaliter pro unione; iam efficienter pro productione unionis: similiter enim assumptio sive formaliter pro unione, sivè efficienter pro productione unionis, sive adæquatè pro utràque, accipitur diversimodè. Id quod sensim approbat ipse Ber- *Bernal,* nal: quippè in S. Thom. sumit assumptionem pro actione, & in S. Leone pro unione. Similiter etiam unio interdùm significat verbaliter unitionem, sumpta videlicet efficienter pro productione unionis; interdùm purè nominaliter formalem unionem: id quod ibidem distinxit S. Tho. dicens, Patrem unire humanitatem, & *S. Thom.* Verbum, quatenus nempè, producit unionem: fatente P. Suarez in eo Commentario, multos *Suar.* sumere unionem, quam alij unitionem vocant, pro productione unionis. Secundum: errorem fuisse Nestorij, humanitatem Christi priùs tempore, quàm assumeretur à Verbo extitisse conceptam à Virgine: unde fuit alius error, quòd B. Virgo non fuit propriè Mater Dei, sed hominis, qui postea fuit Deus: quos errores damnat Ecclesia, tribuens B. Virgini nomen, *Theotecos*, definiensque Mariam fuisse propriè Matrem Dei, & humanitatem Christi in nullo têpore extitisse non unitam Verbo, sed simul têpore productam, & hypostaticè unitam. Tertium ex Philosophia: productionem humanitatis, quamvis adæquatè sumpta dicat productionem corporis, & animæ, ultimatiùs tamen acceptam sumi pro productione unionis humanæ: sicque dicitur homo generans generare, & producere hominem, quamvis nec materiam primam, nec animam producat, sed solam unionem ipsarum.

59 Ex his respondetur ad auctoritates *num. 57*: Imprimis ad S. Tho. Loqui de assumptione formali, de qua docet optimè, ratione dumtaxat differre ab unione hypostatica, quia realiter sunt idem: cum quo stat, quòd ab illa distinguatur realiter productio humanitatis, & productio ipsius unionis hypostaticæ, quæ productio est assumptio efficiêter. Deinde ad Augustinum, & alios Patres respondet sententia communis, eorum mentem fuisse, reijcere errorem Nestorij, asserentis, humanitatem Christi extitisse priùs tempore, quàm uniretur Verbo: contra quem ingeminant simul extitisse, & unitam fuisse, & ipsa sui assumptione creatã fuisse, & eius concipi fuisse eius uniri, eiusque fieri fuisse susci pi à Verbo: quibus phrasibus solum intendunt significare simultaneitatem temporis, nè dicatur priùs tempore producta, & posterius tempore hypostaticè unita: more videlicet Philosophico, quo dicitur de formis: *corruptio unius est productio alterius*: non ad significandam identitatem, sed temporis simultaneitatem generationis unius cùm corruptione alterius. Hanc Conciliorum, & Patrum intelligentiam nimis laxam reputat, nec immeritò, Bernal, utpote valde deprimentem illorum proprietatem, & rigorem Scholasticum in re doctrinali.

60 Idcircò qui velit aliter respondendo seve-

ſeveriùs ad rigorem Scholaſticum hos Patres intelligere, ponat mecum unionem humanam corporis, & animæ Chriſti inter ſe, eſſe ſimul realiter unionem hypoſtaticam ad Verbum. Sic enim planiſſimus, & ſtrictiſſimus eſt S. Leonis ſenſus, quód humanitas *ipſâ aſſumptione crearetur*: per productionem ſcilicet unionis humanæ, quæ productio eſt efficienter ipſa aſſũptio, cum ſit productio etiam unionis hypoſtaticæ, quæ eſt aſſumptio formalis idemtificata realiter cum unione humana. Sic etiam rectiſſimé dixit Auguſtinus, Chriſtum factum eſſe *ipsâ ſuſceptione*: ideſt, ipsâ aſſumptione efficienter acceptâ pro productione unionis, quæ unio ſimul eſt hypoſtatica, & humana. Similiter ad Gregorium dic, formalem Chriſti conceptionem fuiſſe unionem ſuam humanam, quæ, cùm ſit etiam hypoſtatica ad Verbum, hoc idem in re fuit ungi, & ſanctificari. Sic etiam affulget Fulgentij mens: nam formalis acceptio carnis, quæ eſt unio Verbi ad humanitatem, fuit formalis conceptio virginalis, nẽpé unio etiam corporis, & animæ Chriſti inter ſe producta à Virgine: aut, ſi mavis, ſermonem ibi eſſe de carnis acceptione efficienter; dic, fuiſſe etiam conceptionem virginalem efficienter quoque ſumptam: quatenus nempé ipſamet productio unionis humanæ à Virgine fuit etiam productio unionis hypoſtaticæ idemtificatæ cum humanâ. Sic etiam expeditus eſt ſecundus Fulgentij locus. Ad Concilium Alexandrinum conſtabit ex dicendis ad tertium fundamentum. Ad ſextam Synodum, ſenſus eſt, humanitatem Chriſti non extitiſſe prius tempore, quàm extiterit in Verbo: quia non extitit ante unionem partium, quæ unio fuit etiam unio ad Verbum: quo nihil rigidius excogitari poteſt ad theſin Synodi ſuſtinendam: quin neceſſe ſit, productionem humanitatis eſſe unionem hypoſtaticam ad Verbum.

61 Secundum fundamentum eſt: quia ſic benè ſalvatur, & intelligitur, B. Virginem fuiſſe verè, & propriè Matrem Dei: ſiquidem ipſa humanitatis productio Virginalis fuit unio hypoſtatica ad Verbum Divinum. Sinminùs iuxta communem ſententiam diſtinguentem eam productionem ab unione hypoſtaticâ, quamvis benè intelligatur fuiſſe Matrem, ſeu cauſam illius humanitatis alioquin unitę ad Deũ; non ita benè intelligitur, fuiſſe Matrem Dei, niſi valdé peraccidens, & impropriè; non videlicet eâ proprietate, qua aliæ mulieres ſunt matres hominum; ſed eâ improprietate, qua mulier eſt & dicitur mater Regis, adveniente ſcilicet hac regiâ denominatione de peraccidens ad eius generationem. Et ratio eſſet: quia productio humanitatis Chriſti juxta communem ſententiam eſt diſtincta, & pro aliquo priori ad unionem hypoſtaticam, quam ea productio non exigit utpoté illi, ſicut & humanitati, de peraccidens advenientem; non autem per ſe, & ex naturali exigentia, ſicut adveniunt propriæ perſonalitates alijs humanitatibus: propter quod aliæ matres ſunt, & dicuntur per ſe, & proprié matres hominum.

62 Reſpondetur, confitendo Patri Bernal, per eius ſententiam meliùs explicari, & ſalvari proprietatem Maternitatis Dei, quàm per ſententiam communem, ut rectè probat eius diſcurſus, cui non plenè ſatisfacit Adrete *diſp. 32.* Cæterum multò meliùs ea Maternitatis Dei proprietas intelligitur, & ſalvatur, per aliã meam ſententiam idemtificantem unionem humanam cum hypoſtatica. Sic enim productioni virginali unionis humanæ Chriſti non fuit de peraccidens, ſed de per ſe, unio ad Verbum: ſiquidem ex intrinſecis ſuis eſt productio unionis humanæ, quæ ſimul eſt unio ad Verbum; & hoc quidem, quin ea productio ſit unio hypoſtatica.

SECTIO VI.

Alia fundamenta Patris Bernal: & noſtra concluſio ex adverſo pro communi ſententia.

63 TErtium fundamentum à ratione. Humanitas Chriſti carens proprio ſuppoſito creato, ſiſtitur in alieno increato, pendens à Verbo, ut à ſuſtentante: ergo ex vi ſuę productionis pendet à Verbo, ut à termino unibili, ſibique unito: ergo per ipſam ſuam productionem formaliter unitur Verbo: ac proinde ipſa humanitatis productio eſt hypoſtatica unio. Probatur prima conſequentia: Tum quia, ſi ex vi ſuę productionis non penderet à Verbo, ea productio, ejuſque terminus eſſent ex vi productionis independentes à Verbo: ac proinde ſubſiſtentes: ergo ex vi ſuæ productionis pendere debet à Verbo. Tum quia, pendere à Verbo, ut à ſuſtentante, eſt habere exiſtentiam ſuſtentatam à Verbo, & pendentem à Verbo: ſi autem humanitas non pendet à Verbo ex vi ſuę productionis, non habet exiſtentiam pendentem à Verbo; nam exiſtentiam habet ex vi ſuæ productionis: pendet igitur à Verbo ex vi ſuæ productionis. Tum quia, ſi ex vi ſuæ productionis non penderet à Verbo, priùs naturâ habuiſſet humanitas exiſtentiam in ſe, quàm in Verbo: ſiquidem pro priori ad unionem eſſet exiſtens per productionem non per ſe pendẽtem à Verbo: id autem ſine abſurdo dici nequit: videtur enim concedi humanitati antecedenter ad unionem Verbi rationẽ ſiſtentiæ in ſe, quæ eſt ratio ſubſiſtentiæ proprię.

64 Reſpondetur, conceſſo antecedente; con-

concedo etiam primam consequentiam, & nego secundam: nam ut humanitas ex vi suę productionis pendeat à Verbo, non opus est, quód eius productio sit formaliter ipsa unio, seu dependentia à Verbo: sufficit enim si ejus productio sit etiam productio unionis ad Verbum: quod salvamus dicendo, unionem ipsam humanam esse realiter unionem ad Verbum juxta doctrinam sectionis sequentis: sic enim productio unionis constituentis humanitatem est productio unionis constituentis humanitatem in Verbo: sicque dicitur humanitas ex vi suæ productionis pendere á Verbo: sicut dicitur ex vi suæ productionis existere, quin productio sit formalis existentia ipsius, eo solum quód sit productio existentiæ.

65 Hinc, ne inexplicatum quidquam maneat ex ijs, quæ in probatione primę consequentiæ á nobis non negatæ involvuntur; patet, productionem humanitatis Christi sumptam ultimatè, & absolutè pro productione unionis corporis cum anima, non esse per se independentem à Verbo, cum habeat pro termino essentiali unionem, quę simul est unio ad Verbum. Patet insuper, humanitatem per ejusmodi productionem, non solum accipere existentiam, sed existentiam in Verbo sustentante: siquidem per eam productionem habet unionem, quæ non solum est unio corporis, & animæ; sed realiter etiam unio ad Verbum, quâ nempé sistitur in Verbo, & fit pendens à Verbo sustentante: quod non est aliud, quam humanitatem constitui in suppósito Verbi efficienter per eam productionem, & formaliter per unionem productam, distinctissimam utique à productione. Denique patet, humanitatem non priús, ne prioritate quidem naturæ, habuisse existentiam in se, quàm in Verbo: quia antecedenter ad unionem humanam, quâ constituitur, nondum habuit existentiam in se, & per ipsam unionem humanam, quę simul est hypostatica, iam unitur Verbo.

66 Addo, quód quamvis, ut ait sententia communis, non uniretur Verbo per eamdem unionem humanam, dummodo in eodem instanti reali temporis suæ existentię uniretur Verbo humanitas existens pro priori naturę ad unionem cum Verbo; nihil esset ex hac parte incommodi, nec favoretur Nestorio constituéti tempus inter existentiam humanitatis, & unionem ad Verbum. Nota tamen, quód pro illo priori naturæ non diceretur humanitas existens in se; sed existens, præcisim ab existere in se, & existere in Verbo: & fieret existens in Verbo per unionem hypostaticam advenientem pro posteriori naturæ: nullatenus verò fieret existens in se, cùm pro nullo signo illius instantis temporarij dicat propriam subsistentiam: excluiam nimirum á toto illo instanti temporis per subsistentiam Verbi sustentantis in eo instanti humanitatem. Sic materia prima pro priori naturę ad formam, nec dicit formam receptam, nec excludit illam; sed prę|scindit ab existentiâ, & exclusione formę: nam si illam excluderet, non esset forma pro eo instanti reali: cùm in eodem instanti temporis coincidere nequeant forma, & exclusio formæ, ut est per se clarum: quamvis coincidere possint forma pro posteriori naturæ, & præcisio à forma pro priori: quia hoc non sonat excludi, seu non esse absolutè formam coexistivè; sed non esse formam constitutivè se habentem ad subjectum ipsius receptivum.

67 Quartum fundamentum. Productio, quæ simúl fit unio sui termini, imprimis non repugnat: deinde quòd talis de facto sit productio humanitatis Christi suadetur ex multiplici congruentiâ. Primò ex axiomate, quód *frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora.* Secundó à paritate naturalium: nam ubi producitur unum dependenter ab altero sustentante, per ipsam sui productionem unitur alteri sustentanti: ut evenit in accidentibus, & in formis materialibus eductis è subjecto, quæ per eamdem actionem eductivam, quâ fluunt ab agente, uniuntur subjecto. Tertiò, à paritate accidentium Eucharistiæ, quorum productio est ipsorum unio ad Corpus Christi ea sustentãs Congruit ergo similiter dicere, productionem humanitatis Christi, dependentis à Verbo eam suppositante, esse ipsam unionem hypostaticam ad Verbum.

68 Respondetur: quidquid sit de possibili, falsum id esse de facto. Ad axioma primæ probationis dico, esse verum, quando quæ fiúnt per plura possunt fieri per pauciora æquè commodé: at non nisi incommodissimé fierent per unicum modum munera productionis, & unionis, ut satis probant Auctores communis sententiæ: pro quibus videri potest Magister Prudentius *tr.1. disp. 1. sec. 7. & tract.3. disp. 1.* *Prudent.* Addo, me identificantem unionem humanam cum hypostatica, non plures modos ibi admittere, quàm Pater Bernal identificans productionem humanitatis cum unione hypostaticâ. Ad secundam probationem, negavi antecedens in Physicis cum P. Suar. & communiori sententia, distinguente productionem formæ eductæ ab ipsius unione cum subjecto. Et adhuc permisso antecedente, non teneret paritas: cùm enim unio ad suum subiectum debeatur formæ eductæ, congruum alicui videri potest, quòd eductio ipsa formæ sit ejusdem unio cum suo subjecto: at unio ad Verbum non debetur humanitati: ideóque cessat in præsenti ratio illa aliqualis congruentiæ: alioquin cur non etiam identificant hi Auctores cum Conimbricensibus, productionem animæ ratio- *Conimb.*

nalis

nalis cum ejus unione ad materiã? Ad tertiam, negabo etiam illud antecedens *disp. de Accidentibus Eucharisticis sec. 4.* ubi de his, Deo dante, redibit sermo. Unde consequentia pariter neganda est. *Infra de Euchar.*

69 Quintum fundamentum. Productio substantialis per se loquendo est complementum, & subsistentia sui termini producti: quippé per illam redditur terminus in se sistens, & independens ab alieno supposito: ergo productio humanitatis Christi esset quoque ejus subsistentia, nisi per se ipsam faceret humanitatem dependentem suppositó, aut illi suppositaliter unitam: ut ergo præstó sit ratio, cur productio humanitatis Christi non sit ejus subsistentia, ne sic admittatur in Christo alia personalitas præter divinam; necesse est dicere, productionem humanitatis Christi esse ejusdem unionem ad suppositum Verbi. Antecedens probatur. Primò, quia non est aliud in quo stare commodé possit ratio subsistentiæ creatæ, nisi in modo productionis substantialis non unientis terminum productum alieno supposito. Secundó, quia accidens completur per suam inhærentiam, quæ est ejus productio: ergo & substantia per subsistentiam, quæ sit ejus productio. Tertió, quia in Deo tres subsistentiæ, seu Personalitates, sunt tres productiones, aut activæ, aut passivæ: cur ergo in creatis subsistentia non sit productio?

70 Respondetur, in antecedente contineri plausibilem doctrinam Patris Bernal, familiarem nostratibus Neotericis. Nego tamen quidquid in illo continetur; non enim sunt ea munera productionis; sed facere, quód terminus productus pendeat à principio producente: pendere autem, vel independere á subjecto, vel supposito, aliunde petendum est. Ad primam probationem, negatur antecedens: nam multó commodiús stare dicitur ratio subsistentiæ creatæ distinctæ à naturâ quam complet, in modo unionis substantialis componentis partes essentiales substantiæ completæ inter se, & non illas unientis, seu communicantis supposito infinito: propter rationes jam á doctissimis Recentioribus receptas, quas in Philosophia prosequutus sum, & attingam in sequentibus. Ad secundam, negavi etiam, inhærentiam accidentis esse ejus productionem: productio namque illud extrahit ab agẽte; & unio, realiter à productione distincta, illud ponit formaliter in subjecto. Unde consequenter nego consequentiam. Ad tertiam, concedo antecedens, & nego consequentiam, nihilo meliús illatam, quàm si ex eo, quòd in divinis subsistentia non distinguatur realiter à Natura, inferres, quód nec in humanis. Reddo tamen rationem disparitatis claram: quia in Deo productiones non producunt naturam, quam complent; sed sunt naturæ proprietates; in creatis verò contendit Bernal, productionem, quà producitur natura, complere naturam: cúm tamen præcedat origine naturam, & natura debeat præcedere, aut saltem non subsequi, ad suum complementum, à quo perficitur à posteriori, aut saltem non à priori.

71 Atque hinc notanda venit incõgruentia doctrinę, quà taxant aliqui sententiam cõmunem, quód dicat dependentiam humanitatis à supposito Verbi ut à sustentante, esse dependentiam à posteriori: cùm tamen Verbum non sit proprietas debita humanitati: unde videntur velle deducere, humanitatem debere pendere à Verbo, ut à sustentante, ac proinde ipsi hypostaticé uniri per ipsam sui productionem, quasi à priori. Quocirca tria dixerim. Primum: humanitatem non pendere à Verbo à priori productivé influxu speciali non communi tribus Personis, ut dicemus *disp. 4. sec. 1.* Secundum: humanitatem pendere à Verbo à priori productivé, sicut ab alijs Personis: illam enim sicut & alias creaturas producit tota Trinitas: & in hoc differt Verbum à proprietatibus creaturarum non producentibus naturas, quibus adveniunt. Tertium: præciso hoc influxu communi effectivo Verbi in humanitatem, dependentiam humanitatis specificativé sumptæ à Verbo, ut à sustentante, sive illam suppositante, non esse à priori: sicut neque est à priori dependentia, quam habent aliæ humanitates à subsistentijs suis; sed à posteriori, tamquam à complemento: quod quamvis non debeatur humanitati secũdũ se, debetur humanitati secũdum modũ, quo producitur in Christo: nempé per actionem productivam unionis humanæ, quæ realiter est etiam unio ad suppositum Verbi. Vnde ad convenientem dependentiam humanitatis à Verbo necesse non est, productionem humanitatis esse unionem hypostaticã ad Verbum. Dixi: *specificativè sumptæ*: propter ea, quæ dicam *disp. 3. num. 7.* ubi iterùm de hoc sermo. *Infrà Disp. 4. sec. 1.*

72 Conclusio. Unio hypostatica non est realiter ipsa productio humanitatis Christi. Ita cum Suarez communior sententia. Quàm varij variè probant, ut videre est apud Prudentium citatum, & Lumbier *qu. 16. art. 3.* non tamen omnium probationes approbare possum, cúm aliquæ sint potiùs à nobis etiam dissolvendæ *sec. 9.* *Suar. Prudent. Lumb.*

73 Ratio mihi efficax ad homines est: Quia juxta ipsa contrariorum fundamenta, præterquam quòd facilem, ut vidimus, habent responsionem, sequitur illud ipsum inconueniens, quod vitare contendunt: quòd nempe daretur in Christo contra Fidem complementum, personalitas, seu subsistentia creata. Sequela probatur: nam apud multos Assertores sententiæ Patris Bernal, cum ipso ubi supra *num. 12.* subsistentia est terminus substantialis cum abstrac-

to substantiali constituens unum ens concretum: sed hoc præstat humanitati Christi modus ille creatus, qui esset productio humanitatis,& unio ad Verbum: ergo daretur in Christo subsistentia creata. Probatur minor: nam humanitas est terminus substantialis respectu productionis, unionis, & Verbi, faciens cum abstracto substantiali scilicet cum personalitate Verbi unum ens concretum, nempé hominem: & faciens cum alio abstracto substantiali; nempè cum unione,& productione,quæ per vos etiam substantia est,unum ens concretum, nempé unitum, & productum. Vel ergo conceptus subsistentiæ ulteriùs declarandus est,aut daretur in Christo subsistentia creata. Quinimó, & multiplex subsistentia creata: nam ille conceptus subsistentiæ, tam convenit productioni, quæ sit substantialis unio, respectu humanitatis, quàm humanitati respectu unionis, & productionis substantialis: cum utraque sit terminus substantialis cum abstracto substantiali constituens unum ens concretum.

74 Dices, productionem, & unionem non esse terminum humanitatis, sed potiùs habere humanitatem pro termino unito, & producto. Contra: nam etiam productio naturæ Angelicæ habet naturam pro termino producto: & tamen per vos est terminus naturæ,quātū sufficit ut sit subsistentia naturæ Angelicæ: ergo haberi pro termino productionis, seu unionis, aut non tolleret à productione unitivâ humanitatis Christi rationem subsistentiæ, aut illam tolleret pariter à productione naturæ Angelicæ: quo ruit fundamentum doctrinæ Patris Bernal. Dicat aliquis, productionem Angeli, ut productio, est, habere pro termino naturam, & ut subsistentia est, esse terminum substantialem naturæ: quasi similiter ludi non posset, dicendo de productione unitivâ humanitatis Christi, quòd nempé, ut unio, & ut productio est, habeat pro termino producto, & unito humanitatem; & ut est subsistentia, sit terminus substantialis constituens cum abstracto humanitatis unum ens concretum.

75 Respondebis, hanc productionem unitivam humanitatis Christi non esse subsistentiam, quia communicat humanitatem alieno supposito, nempé Verbo: subsistentiæ autem formale munus est reddere naturam independentem,seu incommunicabilem alieno supposito. Ventum est ab hypothesi ad thesin Philosophicam de munere primario, seu effectu formali subsistentiæ. In impugnatione generalis doctrinæ huius responsionis non immoror. Quippé præter multa, quæ illam reddunt difficillimam in Philosophia,& ad salvandas veritates Mysteriorum Trinitatis, & Incarnationis insufficientem, ac prorsús ineptam; sequitur ex illa, animam, seu humanitatem, cujus partes essentiales uniantur inter se unione, quæ simul non sit hypostatica ad Verbum, retinere in Christo rationem, & conceptum formalem propriæ substantiæ creatæ, contra Fidem. Hāc sequelam fusè prosequutus sum *disp.6. de Attrib. sec.4. & 5.* contra varias multorum responsiones. Ideò hic ne actum agam, à prolixa digressione supersedeo. *Tom.1. Disp.6.*

SECTIO VII.

An Unio hypostatica ad Verbum sit realiter in Christo unio ipsa humanæ corporis, & animæ inter se.

76 DUctus præsertim illustri auctoritate S. Tho. *qu.2. art.5.* singularem hanc difficultatem impensé versare cœpi, disputans de subsistentia in Cursu Philosophico: nihil ausus in re gravissimâ de meo tunc inducere, nisi prius meo sensu cum sapientioribus maturé collato: quos inter consului gravissimos Magistros meos R. P. Petrum de Oxea, & R.P.M.F. Raymundum Lumbier; illum in nostro Collegio Cæsar-Augustano; illum in Universitate Cæsar-Augustanâ, Primarios Theologiæ Professores, suis in lucem editis Operibus satis notos. Quibus annuentibus, in medium tunc protuli cogitationem meam de identitate unionis hypostaticæ cum unione humanâ Christi: quam postea semel, & iterum adstruxi in Manuscriptis de Incarnatione. Eam, me, sine nomine, non sine honore, citato, refert,& laudat Magister Lumbier *qu 16.art.5.*& ex aliorum mente insinuat P. Aldrete *in limine, disp. 33.* passus tamen, ni fallor, aliquam æquivocationem, ut colligitur ex tota *disp.32.* ad quam frustra se remittit. E nostratibus Recentioribus eam non pauci sequuti sunt,& doctissimis suis elucubrationibus studio, & ingenio plenis postea illustrarunt. Rem totam,prout assequor,binâ conclusione pronuntio. *S.Thom.* *Oxea.* *Lumb.* *Aldret.*

77 Prima conclusio. Non omnis unio hypostatica ad Verbum est realiter unio humana corporis, & animæ Christi inter se. In hoc convenio cum communi sententia. Et probatur: quia moriente Christo, dissoluta fuit unio corporis ad animam, manente tamen in illo triduo unione hypostaticâ corporis, & animæ ad Verbum: ergo aliqua datur unio hypostatica distincta ab unione humanâ Christi: ac proinde non omnis hypostatica est humana. Prior pars antecedentis est tam certa, ac est certum, mortem cōsistere in dissolutione unionis corporis cū anima. Posterior cōstat ex axiomate indubitato de divino Verbo: *quod semel assumpsit, numquā dimisit*: ac proinde retinuit Verbum adhuc in triduo mortis secum unita, quamvis invicem inter se separata, corpus, &

Aldret. animam Christi. De hac unione hypostaticâ est illud Bernardi apud Aldrete *disp. 34. sec. 4.*

Bernal. *inde est, quòd, nec morte intercedente ullatenus intercidi potuit, etsi carne, & animâ invicem separatis.*

Leo. Et illud magni Leonis: *In tantam unitatem Dei & hominis natura cõvenit, ut nec supplicio potuerit dirimi, nec morte disjungi.* Distincta ergo, & realiter separata in illo triduo fuit aliqua unio hypostatica ab unione humanâ Christi: ac proinde non omnis hypostatica fuit humana.

78 Secunda conclusio. Aliqua unio hypostatica ad Verbum est realiter ipsa unio humana uniens corpus, & animam Christi inter se. Hoc est meæ sententiæ negotium, quod multis arduum principiò visum est; jam verò invaluit inter Recentiores. Atque imprimis, loquendo de possibili, ipsimet, qui de facto id negant, id mihi concedunt, & saltem probabilissimum iudicat Lumbier *art. 6.* quia nulla est

Lumb. repugnantia in eo, quòd unus, & idem modus intrinsecus physicè coniungat corpus, & animam inter se, & cum Verbo utrique penetratissimo: eo autem ipso quòd una unio tria hæc conjungeret, esset simul hypostatica, & humana: ut ex terminis claret.

79 Quòd autem sic sentiendum sit in Christo, prout de facto, mihi persuadent gravissima fundamenta. Et primò quidem auctoritas præclara S. Thom. *qu 2. art. 5.* ubi procedens adversùs quosdam relatos à Magistro, negantes dari unionem inter corpus, & animam Christi, sibi objicit sic: *Ex unione animæ & corporis in nobis causatur persona, vel hypostasis hominis: si ergo anima, & corpus fuerunt in Christo unita, sequitur, quòd fuerit ex unione eorum aliqua hypostasis constituta: non autem hypostasis Verbi Dei, quæ est æterna: ergo in Christo erit aliqua persona præter hypostasim Verbi: quod est contra prædicta.* Et objectionem; cui S. Tho. respondet sic: *Ad primum ergo dicendum, quòd ex hac ratione moti videntur illi, qui negaverunt unionem animæ, & corporis in Christo: ne per hoc scilicet cogerentur, personam novam, vel hypostasim in Christo inducere: quia videbant, quòd in puris hominibus ex unione animæ ad corpus constituitur Persona. Sed hoc ideo in puris hominibus accidit, quia anima, & corpus sic in eis coniunguntur, ut per se existant. Sed in Christo uniuntur adinvicem, ut adiuncta alteri principaliori, quod subsistit in natura ex eis compositâ: & propter hoc ex unione animæ, & corporis in Christo non constituitur nova hypostasis, seu persona; sed advenit ipsum coniunctum Personæ, seu hypostasi præexistenti. Nec propter hoc sequitur, quòd sit minoris efficaciæ unio animæ, & corporis in Christo, quàm in nobis, quia ipsa coniunctio ad nobilius non adimit virtutem, aut dignitatem, sed auget. Sicut anima sensitiva in animalibus constituit speciem, quia consideratur ut ultima forma; non autem in hominibus, quamvis in nobis sit virtuosior, & hoc propter adiunctionem ulterioris, & nobilioris perfectionis, scilicet animæ rationalis.*

80 Tria cernere est in hac Angelicâ contextura. Primum, eos, contra quos ibi procedit S. Thom. opinatos fuisse, ex corpore, anima, & unione in hominibus causari personam: causari inquam, in genere causæ formalis, & constitutivè, ut intellexit, & explicuit in responsione S. Tho. per illa verba: *quòd in puris hominibus ex unione animæ ad corpus constituitur persona:* cùm autem sit certum, constitui personam ex anima, & corpore, & ex subsistentiâ, liquet quòd in eorum opinione unio corporis, & animæ in hominibus puris fuerit subsistentia.

81 Secundum, ejusmodi opinionem approbari a S. Tho. expressè per illa verba, ibi: *Sed hoc in puris hominibus accidit:* ac proinde, ejus etiam mentem fuisse, in puris hominibus unionem substantialem corporis, & animæ esse subsistentiam. Id quod etiam docuerat *in 3. dist. 1. art. 1. qu. 2.* dicens: *hoc quod facit, coniunctum ex corpore, & anima esse hominem, non est præter animam, & corpus, & unionem aliquid positivum.* Unde, aut ponit subsistentiam in negatione, quod quàm sit alienum à mente S. Tho. monstrat Prudentius *tr. 1. disp. 1. sec 8.* aut apertè illam ponit in unione, cujus est cum corpore, & anima, quæ sunt natura, constituere hominem, qui est conjunctum ex natura & subsistentiâ. Proculdubio ergo sentiebat cum illis veteribus S. Tho. sic in puris hominibus accidere, ut ex unione animæ ad corpus constituatur persona: ex anima scilicet, & corpore, quæ sunt natura, & ex unione earumdem, quæ est formaliter personalitas, seu subsistentia.

S. Tho.

Prud.

82 Tertium, negari ibi á S. Tho. id quod objicientes inferre volebant, scilicet non fuisse in Christo unionem humanam animæ ad corpus, ne foret in Christo alia hypostasis, seu personalitas, seu subsistentia, præter divinam. Ratio autem, cur ejusmodi sequelam, negat S. Thom. est tota nostra doctrina in illis verbis: *sed in Christo uniuntur ad invicem*, corpus scilicet & anima, *ut adiuncta alteri principaliori*, scilicet Verbo, *quod subsistit in natura ex eis compositâ*, scilicet in humanitate. Quod enim velit S. Thom. corpus, & animam in Christo adinvicem unita, *ut adiuncta*, Verbo; esse adiuncta, seu unita Verbo per eamdem unionem, quâ uniuntur invicem inter se; mihi persuadeo indubitanter ex verbis sequentibus,

Digitized by Google

bus, quibus suam, & nostram mentem clariùs explicuit S. Doctor.

83 Quippè insistit repetens: *Propter hoc ex unione animæ, & corporis in Christo non constituitur nova hypostasis, seu persona; sed advenit ipsum coniunctum Personæ, seu hypostasi præexistenti.* Quo clarè significat, ex ejusmodi unione non constitui in Christo personam creatam, & quòd illam constitueret, nisi ex ea unione animæ, & corporis adveniret ipsum conjunctum humanitatis ad Verbum: quod est dicere, in Christo advenire, seu uniri humanitatem Verbo ex ipsa unione corporis, & animæ inter se, hoc est, per ipsam unionem: nam si per aliã, scilicet indebitã, & inexigibilẽ ab unione corporis, & animæ uniretur, hæc alia staret in Christo simul cum unione propria corporis, & animæ, in qua per ea, quæ ibi concedit S. Tho. stat ratio propriæ personalitatis: nisi fortè dicatur cum Scoto, stare in negatione purâ alteriùs unionis unientis illã humanitatem hypostasi principaliori, quod in via S. Tho. cogitari nequit, ut vidimus *num. 80.* & videre est apud Suar. *disp. 34. Met. sec. 2.* & Vazquez *to 1. in 3. p. disp. 31. cap. 2.*

Scot. *Suar.* *Vazq.*

84 Insuper subjungit: *ipsa coniunctio ad nobilius non adimit virtutem, aut dignitatem, sed auget*: scilicet virtutem unitivam, & dignitatem unionis humanæ Christi: non autem augeret virtutem unitivam unionis humanæ, nisi ipsa conjunctio, seu unio ad nobilius, scilicet ad verbum, non esset ipsa unio corporis, & animæ inter se: si enim conjunctio ad Verbum esset distincta, nihil unquam haberet virtutis unitivæ unio illa humana, nisi ad uniendum corpus cum anima: sicque non augeretur ejus virtus unitiva ex conjunctione corporis, & animæ ad Verbum: ut ergo rectè intelligitur, quòd conjunctio, seu unio ad Verbum non adimit, sed auget virtutem unionis humanæ; dicendum est, unionem hypostaticam, seu conjunctionem humanitatis ad Verbum, esse realiter, & physicè ipsam unionem corporis, & animæ inter se; sicque facere quòd præter virtutem uniendi corpus, & animam inter se, sit etiam virtus uniendi, & conjungendi hypostaticè humanitatem ad Verbum: non quòd hæc conjunctio ad Verbum superveniat physicè, ut modus distinctus, ad modum unionis corporis cum anima; sed ita, ut prædicatum conjungendi ad Verbum accedat metaphysicè in eodem modo physico ad prædicatum uniendi animã, & corpus inter se.

85 Postremò, ut totus hic sensus consequentissimus S. Thomæ maneat prorsùs citra dubium, contra interpretationem, quam frustra tentat Magister Lumbier *num. 772.* nihil potuit excogitari aptius, quàm exemplum, quòd adhibet S. Thom. in ultimis verbis suæ responsionis ad declarationem, & robur suæ nostræque doctrinæ: *sicut*, inquit, *anima sensitiva in animalibus constituit speciem, quia consideratur ut ultima forma; non autem in hominibus, quamvis in nobis sit virtuosior: & hoc propter adiunctionem ulterioris, & nobilioris perfectionis, scilicet animæ rationalis.* Quod nequit taliter intelligi, ut in hominibus uni animæ sensitivæ fiat adjunctio alterius animæ perfectioris, nempè rationalis: nihil enim magis esset alienum à veritate, & à mente S. Thomæ; sed taliter, ut in hominibus in unâ eâdemque anima, præter prædicatum animæ sensitivæ, sit etiam, seu adjungatur prædicatum rationalis: utrumq; id nimirum præstante physicé, & realiter eadem animâ simul sensitivâ, & rationali. Ad hunc ergo modum, & non aliter, vult intelligi *S.* Thom. cum ait, quòd in Christo unio corporis cum anima non constituit personam, sicut in hominibus puris; quia nempé corpus, & anima *in Christo uniuntur ad invicem, ut adiuncta alteri principaliori*; per eamdem scilicet unionem humanam corporis, & animæ, quæ simul sit hypostatica ad Verbum: aliter enim non teneret paritas. Et hæc est tota nostra doctrina. *S. Tho.*

Lumb.

SECTIO VIII.

Secundum nostrum fundamentum: nè in Christo, sicut in hominibus puris, unio humana sit Personalitas seu subsistentia creata.

86 SEcundum fundamentum, quo fulcitur idemtitas realis unionis humanæ Christi cum hypostatica, subtruitur sic. In puris hominibus personalitas, seu subsistentia est unio substantialis, & essentialis conjungens formaliter corpus, & animam, ex quibus partibus, & ex unione illas ultimò conjungente, & complente, constituitur humanitas, quæ est natura completa in se sistens, utpote non ordinata ad ulteriorem compositionem essentialem; ac proinde constituitur homo, suppositum, & persona. Atqui totum id haberet unio humana Christi, si realiter non esset unio hypostatica: ne ergo dicatur contra Fidem, unionem humanam Christi esse subsistentiam, & personalitatem, ac proinde dari præter divinam in Christo hypostasim, & subsistentiam creatam; dicendum est, unionem humanam corporis, & animæ Christi esse quoque realiter unionem hypostaticam ad Verbum, & propterea non esse subsistentiam: quia nempé tam longè abest, ut reddat humanitatem sistentem in se, quin potiùs illam essentialiter ulteriùs transferat, & constituat in supposito Verbi. Totus iste syllogismus est expressissima doctri-

Digitized by Google

Digitized by Google

ſunt, & ſui iuris non ſunt moraliter. Præterea cavendum eſſet, ne ſonus harum loquutionum non ſatis diſſonet à præcipuo errore Neſtorij, qui ſibi viſus eſt, per unionem moralem ſuppoſiti Verbi ad humanitatem ſatis apté conſtituere Chriſtum, non manente ejus humanitate ſui iuris, utpoté moraliter refusâ in ſupremâ Verbi poteſtatem.

99 Auctoritates,& rationes, quas ſapienter opponit P. Thyrſus *tom. 3. diſ. 26. ſec. 4.* *Thyrſ.* procedunt rectiſſimé contra communes ſententias de ſubſiſtentia humanâ in poſitivo diſtincto ab extremis, & unione ſubſtantiali; nos verò, qui in ipsâ unione eam conſtituimus, vix feriunt: imò magna ex parte nobis opitulantur.

100 Iam, hoc opinandi modo ſatis depulſo, ſi ad aliam communiorem, & planè verum accedamus, quòd nempé ſubſiſtentia humana ſit aliquid ſubſtantiale poſitivum ſuperadditum naturæ,& inaſſumptum á Verbo;quód hoc ſubſtantiale ſuperadditum nihil eſſe con- *Thyrſ.* gruè poſſit, præter unionem, mihi perſuadent in primis multa, quæ pro ſe congerit Thyrſus citatus. Deinde quia modus ille ſubſiſtentiæ, vel eſſet productio humanitatis:quòd quàm ſit inveriſimile,& incongruum viſum eſt *à ſec. 5.* vel eſſet alius modus, ſeu res alia, cujus ſpeciale,& formale munus unicè ſit reddere naturam poſitivè independentem, ſeu incommunicabilem: hoc autem,& ſine ſufficienti fundamento adſtruitur; & impugatur efficaciter à Patre Thyrſo, ubi nuper; & nos impugnatum ſupponimus,tùm ex Philoſophia,tùm *ex diſp.6 de Attributis, ſec.4. & 5.* ubi ſpecialiter urſimus ſequelam, quód juxta communem hunc *Tol.d.6.* ſentiendi modum, anima Chriſti de facto retineret propriam ſubſiſtentiam, contra Fidem.

101 Reſtat igitur aſſerendum, ſubſiſtentiam humanam eſſe unionem ſubſtantialem corporis, & animæ, quibuſcum conſtituit hominem, ſuppoſitum, & perſonam: non quidē utcumque unionem, ne dicamus in Chriſto, ubi datur unio corporis, & animæ, dari ſubſiſtentiam; ſed unionem corporis,& animæ, quæ ſimul non ſit unio eorumdem ad ſuppoſitum divinum.

102 Hanc eſſe mentem expreſſiſſimam *S.Thom.* S. Thom. expendimus latè *ſec.6.*ex ejus verbis conceptiſſimis, Per quæ intelligi debet, quod ait ipſe S. Doctor *in 3. d. 6. q. 1. art. 2.* ibi: *Quod facit, coniunctum ex anima,& corpore eſſe hominem, non eſt præter animam, & corpus,& unionem, aliquid poſitivè.* Ex quo, niſi tribuatur Sancto Doctori, contra communem ſuorum diſcipulorum intelligentiam,opinio nuper impugnata, ſtatuens ſubſiſtentiam humanam in purâ negatione, infertur liquidó noſtra cōcluſio,quòd purus homo præciſé cōſtituitur ex anima,corpore,& unione, eas partes ſubſtantialiter nectente inter ſe: ex his autem tribus, anima,& corpus, ſubſiſtentia non ſunt, cùm reperiantur in Chriſto, in quo ſubſiſtentia humana non eſt: unio igitur illa in puris ho- *Infra.* minibus eſt ſubſiſtentia, ut expreſsé habet S. *ſec.7.* Doctor allegatus,& expenſus *ſec.7. á num.79.* ubi dat pulchrè rationem, cur unio corporis,& animæ in Chriſto ſubſiſtentia non ſit.

103 Conſonat Angelico Seraphicus Doc- *S.Bonau.* tor *in 3. d.5. q.2.* dicens: *Ad illud, quod opponitur, quòd anima rationalis unita carni facit perſonam, dicendum, quòd verum eſt, quando anima, & caro non coniunguntur digniori:* puta, per ipſam unionem, ut ſeſe pro utraque, & pro nobis explicuit dilucidé Sanc. Tho. ſpecialiter in hunc ſenſum expenſus ſupra *á num.*83. Utique, & nobis præluxit S. *Damaſc.* Damaſcenus *cap. 50. Dialectica*, ubi loquens de ſubſiſtentia ſubſtantiæ compoſitæ, ait: *hypoſtaſis eſt in principio exiſtentia uniuſcuiuſque*, ſcilicet extremi, *ſecundum ſe ipſum confixio*: confixio autem extremorum, quid eſt niſi unio?

104 Accedit ratio congruentiſſima. Si enim ſubſiſtentia, ut vult Bernal, eſt terminus ſubſtantialis, cum abſtracto ſubſtantiali conſtituens unum ens concretum;hoc quidem æquè aptatur unioni, ac productioni; nam utraque cum natura, quam modificat, conſtituit unum concretè: imò meliùs; quia, ut hoc dicatur de productione, dici debet, non ſine præiudicio Philoſophiæ, productiones ſubſtantiarum eſſe ſubſtantias contra ordinem prædicamenti: quâ facultate poſſet quis prælicentiùs ſibi aſſumere, modos durationis,& præſentiæ, quibus ſubſtantiæ durant, & ubicantur, eſſe ſubſtantias: de modo autem unionis compoſiti naturalis ſine præjudicio Philoſophiæ ſupponunt quotquot illum admittunt, eſſe ſubſtantiam. Si verò ſubſiſtentia, ut meliùs dicunt alij, eſt perfectio ſubſtantialis naturæ, cum illa conſtituens ultimò ſuppoſitum; hoc non minùs,quàm cuicumque alteri modo, aptatur modo unionis: qui nimirum perfectio ſubſtantialis eſt naturæ, & de conſtitutivo ſuppoſiti: & diſtinctus à natura, ipſique ſuperveniens: ſupponunt enim Philoſophi cum Ariſtotele, unionem non eſſe naturam, cùm non ſit principium actívum,nec receptivum, motûs, & quietis. Unum eſt certum,ſubſiſtentiam appellari ab omnibus complementum ſubſtantiale naturæ: hoc autem reſtè competit unioni, quâ nimirum ex partibus incompletis fit unum completum, non ordinatum exigenter ad ulteriorem completionem ſubſtantialem in unum per ſe eſſentiale; quod eſt in ſe ſiſtere, & ſubſiſtere. Et quidem,quidquid aliter loquantur Bernal, & Recentiores,

negari

negari nequit, non nisi per abusum dici posse complementum naturæ productionem, quæ naturam antecedit origine. Igitur multò congruentiùs est adiudicare munus subsistentię modo unionis, quàm modo productionis non simul unienti partes compositi naturalis supposito divino. Sic tandem in composito naturali hominis non admittimus nisi partes, & unionem, quæ tria agnovit Philosophia: alium autem superaddere modum, cui id munus suppositandi, seu personandi adscribatur, nec ex Philosophia, nec ex Fide necessarius est, sed undequaque superfluus.

105 Nunc sic. Unio humana, non simul uniens se, suaque extrema creata, supposito divino, est subsistētia creata: ergo, si unio hypostatica in Christo nō esset simul unio humana corporis, & animæ inter se, ejus unio humana esset unio earum partium, eas non uniens simul supposito divino: sicque daretur in Christo subsistentia creata contra Fidem: nam daretur in Christo unio substantialis corporis, & animæ inter se, quæ non esset si nul unio sui, & suorum extremorum ad suppositum divinum. Dicendum igitur omninò venit, unionem hypostaticam, quę unit animam, & corpus Christi simul ad Verbum, esse ipsam unionem humanam, quæ unit istas partes humanitatis inter se.

SECTIO IX.

Reliqua nostra fundamenta.

106 TErtium fundamentum est ex doctrina celebri Theologorum. Nam, quamvis aliqui dixerint, unionem humanam Christi non uniri immediatè Verbo; communior tamen sententia cum P. Suarez, ut diximus *disp.2. á num. 65.* sentit immediatè uniri. Hac ergo positâ sententiâ, nulla prorsus est necessitas, aut ratio ponendi unionem hypostaticam distinctam, & specialem, quæ uniat Verbo unionem humanam Christi: cur enim hęc ipsa humana unio non se ipsam per se affigat essentialiter Verbo? Ad quid unionis unio superaddita? Si igitur hæc humana unio se per se ipsam unit Verbo, *ut quo*; eo ipso unit eidem Verbo corpus, & animam, *ut quod*: sicut se per se ipsam uniens, *ut quo* corpori, & animæ, eo ipso unit, *ut quod*, corpus cum anima, & animam cum corpore: siquidem tribus illis extremis, scilicet Verbo, animæ, & corpori, per se intrinsecé, intimissimé, & essentialissimè affigitur: nequit autem illis sic per se affigi, quin tria illa affigat, & invicem uniat inter se: ergo tria illa intrinsecè unit: sicque est simul unio humana, quatenus unit corpus, & animam inter se; & simul unio hypostatica, quatenus se ipsam, simulque corpus, & animam unit ad Hypostasin Verbi. Prævalet iste discursus in sententia communi Recentiorum, ponentium specialem modum unionis hypostaticæ distinctum ab unionibus Verbi ad corpus, & Verbi ad animam, ut uniat Verbum unioni humanæ. Ad quid, precor, quartus iste modus, cùm id muneris per se ipsam commodissimè præstare possit eadem unio humana?

Suar. Infra Disp.2. sec.5.

107 Quartum. Quia magnam huius nostræ doctrinæ partem admittere coguntur Iuniores nostri juxta sententiam Patris Bernal, cui adhærent. Docent enim, eductionem esse unionem sui termini educti cum subiecto; & productionem unionis humanæ esse ejus eductionem: unde ejus productio erit unio unionis humanæ cum subiecto. Cùm autem ea productio, né sit subsistentia creata in Christo, juxta ipsorum doctrinas, sit etiam unio humana ad Verbum; sequitur, quòd idem modus intrinsecus est unio sui termini cum subiecto, simulque cum Verbo. Insuper, multi, qui docent cum Bernal, productionem substantię non uniētem substantiam productam ad alienum suppositum esse subsistentiam, docent etiam cum Suarez, & Delugo, Verbum in triduo unitum fuisse novę formæ cadavericæ: ergo productio huius novæ formæ materialis eductæ fuit ejusdem unio cum Verbo: alioquin esset subsistētia: atqui ea productio, cum sit eductio, est etiam iuxta ipsos unio formæ productæ cum materia: ergo unus, & idem modus est unio partium cadaveris inter se, simulque sui, & earumdem partium cum Verbo. Hanc consequentiam, quam ipse deducebam ex principijs horum Auctorum, inveni postea ultrò concessam in terminis à P. Bernal *disp.37. de Eucha. sec.1. n. 23.* Non igitur est adeò Auctoribus invisa, & in Scholis inaudita doctrina tribuens unico modo physico munera uniendi partes compositi creati inter se, simulquè hypostaticè cum Verbo, uti putarunt aliqui, & illi fortè, ex quorum doctrinis discursus nostet procedit liquidissimé.

Bernal.

Suar: Luz.

Bernal.

108 Quintum. Quia sic facillimé, & optimé intelligitur, & salvatur contra Hæreticos dogma Catholicum de Maternitate Deiparæ: quòd nempé Maria fuerit proprijssimé, & strictissimè Theotocos, id est, Mater Dei. Si enim unio humana Christi est idem, ac hypostatica, B. Virgo, physicè producens humanam, produxit eo ipso hypostaticam, quâ homo fit Deus: sicque est absolutissimè Mater Dei ex vi actionis suæ generativæ, & non impropriè, & per accidens, ut ex sententia communi inferebamus *sec. 5.* quam non satis defendunt ab argumento Patris Bernal, & nostro Pater Aldrete ibi citatus, & Lumbier *art. 6. à num. 768.* ingenuè

Aldret. Lumb.

Digitized by Google

genuè fassus *num. 763.* ad tuendam proprietatem Maternitatis Dei in B. Virgine nihil aptius excogitari potuisse, quàm hanc nostram sententiam: in eo etiam præferendam quoad hoc sententiæ Patris Bernal, quòd sic ex vi ejusdem actionis generativæ, qua B. Virgo produxit unionem humanam Christi, produxit etiam hypostaticam ad Verbum, utpotè idemtificatam cum humana. De quo iterum *disp. 4. sec. 3.*

Infra. disp. 4.

Supra sec. 5.

109 Sextum. Quia auctoritates Patrum adductę *num. 57.* quas malè explicari à communi sententia probat benè P. Bernal ibi citatus, strictum, ac proprijssimum sensum habent, idemtificando unionem humanam Christi cũ hypostaticâ. Quinimó & multò sinceriùs, ac dilucidiùs, quàm in sententia ipsius Bernal, ut perspeximus ibi *à num. 58.* Sicque omnes illi SS. Patres opitulantur potiùs sine dubio huic nostrę sententię, idemtificanti unionem hypostaticam cum unione humana, quàm sententiæ Patris Bernal illam idemtificanti cum productione humanâ. Auget numerum, & vim auctoritas Damasceni alió citati à Vazquez hic *disp. 14. num. 58.* & à Delugo *disp. 9 n. 21.* dicentis *c. ult. Dialect.* ibi: *Hypostaticam unionem unã rerum coniunctarum compositam naturam efficere.* Sic vertit Billius, quamvis non sic Faber. Quod certè falsum esset, si vnio hypostatica solùm coniungeret humanitatem cum Verbo, cùm certum sit contra Eutychianos, seu Monophysitas, ex humanitate, & Verbo non fieri in Christo unam naturam: optimè verò, & planissimè intelligitur, si eadem unio hypostatica coniungat etiam corpus, & animam inter se: nam ex his partibus efficitur una natura humana composita. Nec damnanda illicò est traductio Billij, eo quòd vocem, *hypostasin*, quæ est in Græco, traducat latinè, *naturam*: vox enim *hypostasis* erat olim dubiæ significationis, ut vidimus *disp. 6. de Attributis*, usurpata nimirum ab alijs pro subsistentia, ab alijs pro natura. Oportuit autem idemtificari à Damasceno unionem humanam Christi cũ hypostaticâ, nè poneret in Christo subsistentiam humanam, quandoquidem in puris hominibus, quorum unio humana non est hypostatica, indicat satis ibidem, unionem esse subsistentiam, dicens: *Illud autem intelligendum est, naturas quidem inter se per hypostasin uniri posse, ut in homine*: ubi appellat naturas corpus, & animam: & ait, uniri per *hypostasin*, hoc est, per subsistentiam. Quó facit quod ex eodem Damasceno retulimus nu. 103.

Damas. Vaz. De Lug. Billius Faber.

De Attrib. disp. 6.

Suar. sec. 7. Lumb.

110 Propter hęc Magister Lumbier *art. 6. num. 767.* & doctus Commagister meus in Manuscriptis de Incarn. fatentur, se nullam invenire repugnantiam in hac mea doctrina de idemtitate unionis hypostaticæ cum humana. Quin etiã alter eorũ ait adesse cõgruẽtias satis aptas, ut ita asseratur de facto; alter, sibi videri de facto verisimile: absolutè tamen uterque id de facto negat. At certè, si hæc doctrina nullam præsefert repugnantiam, & multas affert congruentias ad rectè Theologizandum in hoc Mysterio prout de facto, non video cur de facto non debeat admitti: præsertim cum viam aperiat ad rectè intelligendas multas loquutiones SS. Patrum, quibus, ut vidimus, est valde conformis; & ad strictè, & rigorosè intelligendum, & propugnandum dogma Catholicum Maternitatis Dei contra Hæreticos, hanc Beatissimę Virginis gloriam deprimentes.

P. Theodorus Mauris.

111 E diverso Primarius alter é nostris Theologiæ Professor, de hac sententia optimè meritus, eam illustrat, & propugnat doctissimè, non solum ut congruentem, & verã; sed etiam ut necessariam ad salvandam veritatem Mysterij Incarnationis prout de facto. Quia, inquit, veritas Mysterij, prout de facto est, Verbum assumpsisse humanitatem in unitatem suppositi, seu Personæ: ita ni nirum, ut non detur in Christo duplex, sed una Persona, ideoque una, & non duplex Personalitas, seu subsistentia, docente Fide, non dari in Christo subsistentiam creatam propriam humanitatis, sed ejus munus supplere subsistentiam Verbi, quæ suppositat, & personat naturam humanam Christi. Atqui ad hoc salvandum necessaria est unio humana idemtificata cum hypostatica: ergo necessaria est ejusmodi unio, quæ simul sit humana, & hypostatica, ad veritatem Mysterij prout de facto. Probatur minor. Quia si unio humana Christi non esset simul hypostatica, uniret substantialiter partes physicas humanitatis, scilicet corpus, & animam, & illas coniungeret in unam naturam completam in esse naturæ incommunicabiliter quantum est ex se ad aliud suppositum, per inexigentiam scilicet positivam ulterioris communicationis substantialis, & essentialis: atqueadeo illas constitueret positivè sistentes in se, seu subsistentes: cùm sit ejusmodi unio subsistentia creata debita humanitati, & propria hominis: ergo constitueret cum partibus personam creatam: quâ personâ accedente per aliam unionem ad Personam Verbi, maneret ibi duplex Persona: sicque Verbum non assumeret humanitatem in unitatem personæ. Ne ergo hoc dicatur, sed salvetur potiùs unitas Personæ in Christo iuxta veritatem Catholicam Mysterij, prout de facto, dicendum necessariò est, unionem humanam, quâ de facto uniuntur inter se corpus, & anima, esse simul hypostaticam ad Verbum.

P. Gualdericus R. 10.

SEC-

SECTIO X.

Obiectionum expeditâ solutione identitas unionis humanæ Christi cum Hypostaticâ constabilitur.

112 OBijcitur primò S. Thom. *hic q. 6. art. 4.* dicens: *Unione personali prius secundum intellectum oportere quod caro uniatur animæ, quàm Verbo*: ergo quia unio animæ ad carnem præcessit unioni ad Verbum: ac proinde sunt diversæ: *& art. 5. ad 3. Unio personalis est ad quam terminatur assumptio; non autem unio naturæ, quæ resultat ex coniunctione partium*: alia ergo est unio personalis scilicet hypostatica, ad quam terminatur assumptio, scilicet actio assumptiva; & alia est unio partium, quæ est unio humana. *Et in 3. d. 2. q. 32. art. 3. hæc quatuor necesse est simul fuisse, scilicet conceptionem carnis, creationem animæ, coniunctionem utriusque, & unionem ad Deitatem*: alia ergo est coniunctio carnis, & animæ ad invicem, & alia est earum unio ad Verbum. *Et dist. 6. qu. 3. art. 1. dicendum, quòd Damascenus loquitur quantum ad unionem divinitatis ad humanam naturam, non quantum ad unionem animæ, & corporis*: distinguit igitur duas illas uniones ex mente Damasceni. *S. Thom.*

113 Respondetur ad primum, rectè ibi supponi à S. Thom unionem carnis ad animã esse personalem, hoc est hypostaticam: rectèque addi, carnem priùs uniri animæ, quàm Verbo, *secundum intellectum*: denotando unius unionis duas formalitates, unam non nisi ratione ex parte intellectũ priorem aliâ. Unde nulla est illatio de distinctione plusquam rationis. Quomodo se tueatur P. Bernal à primo testimonio S. Tho. nobis obiecto, ipse viderit. Si enim productio carnis est eius unio ad Verbum, quomodo unio carnis ad animam, cùm supponat carnem existentem, ac proinde productum, erit adhuc secundum intellectum prior unione carnis ad Verbum? Ad secundũ, sensus est de termino totali assumptionis, qui est unitas Personæ, non verò unitas naturæ ex Verbo, & humanitate, sicut ex corpore, & anima: quippè totalis terminus assumptionis non est unitas naturarum divinæ & humanæ in unã naturam; sed hypostasis divinæ, & naturę humanæ in unam Personam. Ad tertium dico, rectè ibi discerni à S. Tho. illa quatuor, quæ simul tempore intercesserunt in Incarnatione: sive fuerint inter se realiter distincta, sive dumtaxat ratione: quod ère S. Thomæ tunc non erat. Ad quartum dico, tám à Damasceno, quàm à S. Tho. discerni similiter ibi munera uniendi Verbum humanitati, & uniendi corpus, & animam inter se; sive uni realiter unioni, sive realiter duplici ea duo munera competant. Quod totum nos verificamus identificantes realiter unionem humanam, & hypostaticam: humanam, inquam, in quantum unit corpus, & animam inter se; hypostaticam, in quantum eam humanitatem unit ad hypostasin Verbi.

114 Obijcitur secundò doctrina celebris Concilij Tridentini *sess 13. cap. 3* quòd sub speciebus Eucharisticis sunt Christi anima, & divinitas: *anima quidem vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini inter se copulantur; divinitas verò, propter admirabilem illam eius cum corpore, & animâ hypostaticam unionem.* Distinguit ergo planissimè Concilium unionem animę cum corpore, quam vocat naturalem connexionem, ab hypostaticâ unione, quam vocat admirabilem. Respondetur, de una, & eadem realiter unione potuisse totum id commodissimè dici à Concilio, parùm ibi curante de distinctione, vel indistinctione reali earum unionum: sicut & de modo coniunctionis, quam vocat naturalem inter partes Christi, inter corpus, & animam, & inter corpus, & sanguinem, quæ fortè unio, intrinseca, aut continuativa non est. Vocat itaque illam unionem admirabilem, in quantum est ad Verbum, quia ex hoc respectu est hypostatica; & in quantum unit corpus cum anima, vocat eam naturalem, quia sub hoc præcisè respectu constituit ex partibus hominis unam naturam: non totum unam essentialiter ex partibus essentialibus corporis, & animæ per unionem, quæ simul est realiter hypostatica; verumetiam unam integraliter, seu quasi integraliter ex corpore, & sanguine per coniunctionem, quæ nec unio hypostatica est, nec fortasis unio physica intrinseca, sed extrinseca alia coniunctio, uti coniungitur liquor cum vase continente, de quo *disp. 5. de Euch sec ult.* Ab his enim omnibus abstrahit Concilium, hæc & similia relinquens Scholarum disputationibus, quasi præter intentum veritatis, quam definit. Ad hunc modum sententia celebris, idemtificans gratiam habitualem cum habitu charitatis, ad multas loquutiones eiusdem Concilij loquentis seorsim iam de Gratia, iam de Charitate, respondet optimè, Concilium non curare de distinctione, aut indistinctione reali charitatis, & gratię; sed id relinquendo pro Scholis loqui iam sub nomine Charitatis, iam sub nomine Gratiæ, earumque muneribus, modò unus, & idem habitus sit, modò realiter diversus. *Trid.* *Infra: de Euch.*

115 Obijcitur tertiò: quis sequeretur Verbum non assumpsisse humanitatem: id enim solùm assumpsit ad quod assumptivè termina-

tur aſſumptio formalis, nempé unio hypoſtatica: ſed hæc non terminaretur ad humanitatem: ergo. Probatur minor: humanitas eſt partes, & unio: ſed unio hypoſtatica, ſi eſſet idem realiter cum humana, non terminaretur ad partes, & unionem: non enim dici poteſt terminari ad ſe ipſam: ergo non terminaretur ad humanitatem. Confirmatur. Unio hypoſtatica terminatur ad id, quod Verbum ſibi univit: ſed ſibi univit partes, & unionem humanam, cùm ſibi univerit partes, ut inter ſe unitas: ergo unio hypoſtatica terminatur ad partes, & unionem humanam: ſed non terminatur ad unionem hypoſtaticam, cùm dici nequeat ad ſe ipſam terminari: ergo quia unio humana diſtincta realiter eſt ab hypoſtatica. Hæc obiectio potiùs ferit eos, qui docent, unionem humanam non fuiſſe immediatè unitam Verbo; quos quamvis probabiliter loquutos, deſeremus *diſp. 2. ſec. 3.* *Infra. Diſp 2. ſec. 3.*

116 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad probationem, nego maiorem. Nam Verbum non ſolum aſſumpſit terminos aſſumptionis, ſed immediatiſſimè quoque, & *ut quo* ipſam aſſumptionem formalem, quæ eſt unio hypoſtatica: ac proinde ſic etiam unionem humanã, quæ eadem realiter eſt in Chriſto cum hypoſtaticâ, & cum aſſumptione formali, eſtque terminus productus per actionem incarnativam, quæ eſt aſſumptio effectiva. Ad minorem dico, abſolutè falſam eſſe: nam eo ipſo quòd unio hypoſtatica terminetur ad partes unitas terminatur ad humanitatem: quæ nihil aliud eſt quã partes illæ unitæ: ſcilicet corpus, & anima unitim. Ad probationem, nego maiorem: humanitas enim non eſt partes, & unio hoc modo ſignificatæ; ſed modo, quo ſignificantur abſolutè per hoc nomen, *humanitas*, ſeu, *natura humana*. Portò per hæc nomina non ſignificatur in recto unio: quæ quidem natura non eſt, cùm principium motûs non ſit, ut appoſitè illuſtrat Aldrete *diſp. 32. ſec 2.* Hinc, conceſſâ minori, nego conſequentiam. Nam eo ipſo quòd unio hypoſtatica terminetur ad partes humanitatis inter ſe unitas, terminatur ad humanitatem, ſive ad naturam humanam, quæ nihil aliud eſt, quam corpus, & anima unita. Sic defendit eamdem loquutionem facillimè etiam, & aptiſſimè, ſententia docens, unionem humanam nullatenus fuiſſe à Verbo immediatè aſſumptam; quin propterea negare cogatur, humanitatem fuiſſe immediatè aſſumptam: quia nempé aſſumptæ fuerunt immediatè partes illæ habentes inter ſe unionem. *Aldret.*

117 Ad confirmationem, diſtingo maiorem: unio hypoſtatica terminatur ad id, quod Verbum ſibi univit *ut quod*, ſive ut extremum unitum, concedo: tàm *ut quod*, quàm *ut quo*, ſive ut ad rationem etiam formalem uniendi, nego: non enim terminatur ad ſe ipſam, quàm certiſſimè ſibi Verbum coniunxit. Unde conceſſa minori, nego conſequentiam, quo ad unionem humanam: ad hanc enim, licèt eam ſibi uniat Verbum, non terminatur unio hypoſtatica: quia eſt ipſa unio hypoſtatica. Hinc, conceſſa minori ſubiunctâ, nego conſequentiam. Ad id, quod ſubditur pro ratione primæ minoris, dico, quòd Verbum ſibi univit partes, ut inter ſe unitas: unitas, inquam inter ſe per ipſam unionem, quâ Verbum illas ſibi univit; non verò unitas, aut præunitas per aliam unionem puré humanam. Sic dicitur, quod actio eſt productio termini producti: non iam antea producti, aut per aliam actionem producti, ſed producti per hanc ipſam productionẽ. De illa reduplicatione, *ut unitas*, loquere ut placuerit & ſalva veritatem, quòd unio univit Verbo (dempto triduo mortis Chriſti) partes humanitatis, non invicem ſeparatas, ſed unitas inter ſe, ut ſtatuit S. Tho. contra illos relatos à Magiſtro, quos impugnat *q. 2. art. 5.* uti expendimus *ſec. 7. á nu. 79.* *S. Thom.*

118 Objicitur quartò. Unio humana eſt de conſtitutivo eſſentiali humanitatis: ergo hypoſtatica, quæ propter identitatem deberetur unioni humanæ, deberetur humanitati. Ex quo ſequeretur, reſpectu humanitatis non fore de facto gratiam, ſed naturam, & quaſi ex debito eſſe unitam Verbo contra ſcripturam, & Patres docentes, eſſe gratiam factam humanitati: & non loquentes de ſolis partibus, ſed de humanitate. Huic argumento, quod antea mihi obiecerat ingenioſus olim Auditor meus, & nunc magnæ notæ Magiſter, nimis defert Magiſter Lumbier *num. 767.* Qui tamen animadvertere debuiſſet, ab ipſo pariter eſſe ſolvendum in caſu poſſibili à ſe admiſſo, quo unio hypoſtatica idemtificaretur cum humanâ: præmaximè cùm nec poſſibilem admittat ſubſiſtãtiam creatam entitativam, cui deberi poſſint dona ſupernaturalia, ut cum ipſo tenui *tom. 1. diſp. 18. ſec. 4.* *P. Gualderiquus R^io. Lumb.* *Tom. 1. Diſp. 18.*

119 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens: aliqua unio humana indeterminatè eſt de conſtitutivo eſſentiali humanitatis, concedo: Hæc determinatè unio, nego: nam poſitis his corpore, & anima cum aliquâ unione humanâ, hac, vel illâ, daretur humanitas; imò, & abſolutè hæc numero humanitas, quamvis numero, aut etiam ſpecie variaretur unio: ſemper enim manerent eædem partes unitæ, quas ſignificat de recto nomen, *humanitas*, ſivé *hæc natura humana*, conſignificatâ de obliquo aliqua unione. Quemadmodum ſimili abſolutiſſimo modo loquendi dicimus, in Chriſto redivivo eſſe eamdem numero humanitatem, quæ erat ante mortem, quamvis non ſit eadem unio humana, quæ præceſſerat mortem.

Qui-

Quinimò &, variatâ in specie unione, manere eamdem numero naturam leoninam docent quotquot unionem leoninam identificant cũ eductione formæ leoninæ: hæc enim eductio specie variatur, quando Leo nascens definit cõservari à matre, & incipit conservari à solo Deo. Hinc negatur consequentia: quia multò minus hęc unio humana, quæ simul est hypostatica, debetur humanitati, aut huic humanitati: nam illi corpori, illique animæ sic unitis, minimè debetur sic uniri.

120 Sic sarta tecta relinquitur doctrina Scripturæ, & SS. Patrum: cum enim sic uniri non sit ex debito humanitatis, nec huius humanitatis, unio hæc humana, quæ simul sit hypostatica, & supernaturalissima, non ex debito, sed ex gratia indebitissima competit humanitati, & huic humanitati. Si dicas, non esse indebitam huic humanitati, ut taliter unitę; non mirum, quia sic, reduplicando super talem modum uniendi indebitum humanitati, est dicere, non esse indebitam huic modo unfendi, qui sicut, & hæc unio, indebitus est huic humanitati sic unitæ specificativè, & absolutè loquendo: nihil autem amplius significant scripturæ, & Patres. Notandum adhuc est, quòd licet hæc numero unio humana, quę simul sit hypostatica, optima sit huic humanitati, attamen, nec humanitas illam exigit, nec ea humanitati debetur, adhuc disjunctivè, sicut exigit disjunctivè hãc, vel illam unionem naturalem: quia naturales istæ illi bonæ sunt, & aliunde connaturales, & proportionatæ: hæc verò, quamvis bona illi sit; non tamen connaturalis: ut de subsistentia Verbi respectu humanitatis dicemus *disput. 2. sec. 7.*

Infra Disp. 2.

121 Objicitur quintò. Unio hypostatica est supernaturalis: sed unio humana Christi est naturalis: alioquin humanitas Christi non esset humanitas naturalis: nec esset ejusdem speciei cum nostra: nec Christus esset homo ejusdem speciei cum alijs: ergo illæ uniones sunt realiter distinctæ. Respondetur, concedendo absolutè minorẽ in sensu absoluto, & Theologico: quamvis, uti observat Suarez *in Comment ad q. 2. art. 12.* in aliquo sensu Philosophico possit etiam dici naturalis, ut loquitur Concilium Ephesinum *Can. 3.* hoc est, *physica*, utpote non solum moralis, & affectiva, ut volebat Nestorius: & etiam in alio sensu *naturalis*, scilicet non solum uniens naturam humanam ad Personam Verbi, sed etiam duas naturas incompletas, scilicet corpus, & animam inter se, ut fiant una humanitas completa. Et conc ssa minori in his duobus sensibus sic explicatis, nego illam absolutè: nam in eodem sensu absoluto, & Theologico, in quo diximus unionem hypostaticam esse supernaturalem, est etiam supernaturalis unio humana Christi. Unde nego consequentiam.

Suar. 3. p.

Ephes.

122 Nec perinde sequitur, quòd humanitas Christi non sit humanitas naturalis: est enim absolutè naturalis, utpotè composita ex corpore, & anima naturalibus, quæ in rigore Philosophico sunt natura: & nihil aliud significatur directè per nomen, *humanitas*, seu, *natura humana*, quamvis obliquè consignificetur unio. Dici potest, Theologicè etiam loquendo de naturali contrapositè ad supernaturale, humanitatem Christi esse naturalem in entitate, & supernaturalem quo ad modum, ut scitè loquitur Oviedus *contr. 6. de Gratia, prin. 3 num. 17.* quatenus nempè modus, quo uniuntur eius partes in hac nostra sententia, supernaturalis est: & seorsim etiam à nostra sententiâ, modus, quo producta fuit in utero Virginis, & modus, quo spoliata subsistentiâ sibi connaturali sistitur in alieno supposito, supernaturalis est.

Ovied.

123 Similiter nego, quod perinde humanitas Christi non sit eiusdem speciei cum nostra: nam etiam in nobis, ut cum multis opinor, uniones singulorũ hominum specie saltem logicâ differunt, quin perinde specie differant singulorum humanitates. Quorum ratio est; quia, humanitates, seu naturas humanas dici eiusdem speciei, sumitur à corpore, & anima, quæ natura sunt, & sunt in singulis, & in Christo eiusdem speciei: quidquid sit de unione: quæ utique natura non est in phrasi Philosophorum; sed naturæ modus. Quòdsi ratione istius modi velit aliquis, detorquens rectum loquendi stylum, dicere humanitates esse specie diversas secundum quid, nihil aliud dicet nisi humanitates numero diversas, includere modos specie diversos. Quid inde ad rem, & ad absolutum modum loquendi?

124 Ad illud, quòd Christus non esset homo eiusdem speciei cum alijs, tenemur omnes respondere, seorsim etiam ab hac mea sententiâ; cùm omnibus certum sit, quòd in ratione hominis concretè importetur præter naturam subsistentia, quæ in Christo specie differt á nostrâ sine dubio. Dicitur tamen Christus homo eiusdem speciei nobiscum: quia per id significatur habere humanitatem, seu naturam humanan eiusdem speciei. Sic Lynceus *2. phys. tr. 9. num. 16. & 73.* Bernal *disput. 45. à num. 66.*

Lynce. Bernal

125 Objicitur sextò: quia sequeretur B. Virginem, non fuisse Matrem naturalem. Nam eatenus fuit Mater, quatenùs produxit unionem humanam Christi: sed hanc, si identificatur cum Hypostaticâ supernaturalissimâ, non produxisset naturaliter: ergo. Respondetur, Matrem *naturalem* posse dici dupliciter: uno sensu contrapositè ad Matrem legalem, seu putativam: alio sensu contrapositè ad Matrem sus-

tur assumptio formalis, nempé unio hypostatica: sed hæc non terminaretur ad humanitatem: ergo. Probatur minor: humanitas est partes, & unio: sed unio hypostatica, si esset idem realiter cum humana, non terminaretur ad partes, & unionem: non enim dici potest terminari ad se ipsam: ergo non terminaretur ad humanitatem. Confirmatur. Unio hypostatica terminatur ad id, quod Verbum sibi univit: sed sibi univit partes, & unionem humanam, cùm sibi univerit partes, ut inter se unitas: ergo unio hypostatica terminatur ad partes, & unionem humanam: sed non terminatur ad unionem hypostaticam, cùm dici nequeat ad se ipsam terminari: ergo quia unio humana distincta realiter est ab hypostatica. Hæc obiectio potiùs ferit eos, qui docent, unionem humanam non fuisse immediatè unitam Verbo; quos quamvis probabiliter loquutos, deseremus *disp. 2. sec. 3.* *Infra. Disp 2. sec. 3.*

116 Respondetur, negando sequelam. Ad probationem, nego maiorem. Nam Verbum non solum assumpsit terminos assumptionis, sed immediatissimé quoque, & *ut quo* ipsam assumptionem formalem, quæ est unio hypostatica: ac proinde sic etiam unionem humanã, quæ eadem realiter est in Christo cum hypóstaticâ, & cum assumptione formali, estque terminus productus per actionem incarnativam, quæ est assumptio effectiva. Ad minorem dico, absolutè falsam esse: nam eo ipso quòd unio hypostatica terminetur ad partes unitas terminatur ad humanitatem: quæ nihil aliud est quã partes illæ unitæ: scilicet corpus, & anima unitim. Ad probationem, nego maiorem: humanitas enim non est partes, & unio hoc modo significatæ; sed modo, quo significantur absolutè per hoc nomen, *humanitas*, seu, *natura humana*. Portó per hæc nomina non significatur in recto unio: quæ quidem natura non est, cùm principium motûs non sit, ut appositè illustrat Aldrete *disp. 32. sec 2.* Hinc, concessâ minori, nego consequentiam. Nam eo ipso quòd unio hypostatica terminetur ad partes humanitatis inter se unitas, terminatur ad humanitatem, sive ad naturam humanam, quæ nihil aliud est, quam corpus, & anima unita. Sic defendit eamdem loquutionem facillimé etiam, & aptissimé, sententia docens, unionem humanam nullatenus fuisse à Verbo immediatè assumptam; quin propterea negare cogatur, humanitatem fuisse immediatè assumptam: quia nempé assumptæ fuerunt immediatè partes illæ habentes inter se unionem. *Aldret.*

117 Ad confirmationem, distingo maiorem: unio hypostatica terminatur ad id, quod Verbum sibi univit *ut quod*, sive ut extremum unitum, concedo: tàm *ut quod*, quàm *ut quo*, sive ut ad rationem etiam formalem uniendi, nego: non enim terminatur ad se ipsam, quàm certissimé sibi Verbum coniunxit. Unde concessa minori, nego consequentiam, quo ad unionem humanam: ad hanc enim, licét eam sibi uniat Verbum, non terminatur unio hypostatica: quia est ipsa unio hypostatica. Hinc, concessa minori subiunctà, nego consequentiam. Ad id, quod subditur pro ratione primæ minoris, dico, quòd Verbum sibi univit partes, ut inter se unitas: unitas, inquam inter se per ipsam unionem, quâ Verbum illas sibi univit; non verò unitas, aut præunitas per aliam unionem puré humanam. Sic dicitur, quod actio est productio termini producti: non iam antea producti, aut per aliam actionem producti, sed producti per hanc ipsam productionẽ. De illa reduplicatione, *ut unitas*, loquere ut placuerit & salva veritatem, quód unio univit Verbo (dempto triduo mortis Christi) partes humanitatis, non invicem separatas, sed unitas inter se, ut statuit S. Tho. contra illos relatos à Magistro, quos impugnat *q. 2. art. 5.* uti expendimus *sec. 7. á nu. 79.* *S. Thom.*

118 Objicitur quartò. Unio humana est de constitutivo essentiali humanitatis: ergo hypostatica, quæ propter identitatem deberetur unioni humanæ, deberetur humanitati. Ex quo sequeretur, respectu humanitatis non fore de facto gratiam, sed naturam, & quasi ex debito esse unitam Verbo contra scripturam, & Patres docentes, esse gratiam factam humanitati: & non loquentes de solis partibus, sed de humanitate. Huic argumento, quod antea mihi obiecerat ingeniosus olim Auditor meus, & nunc magnæ notæ Magister, nimis defert Magister Lumbier *num. 767.* Qui tamen animadvertere debuisset, ab ipso pariter esse solvendum in casu possibili à se admisso, quo unio hypostatica identificaretur cum humanâ: præmaximé cùm nec possibilem admittat subsistãtiam creatam entitativam, cui deberi possint dona supernaturalia, ut cum ipso tenui *tom. 1. disp. 18. sec. 4.* *P. Gualderiquus Rio. Lumb.* *Tom. 1. Disp. 18.*

119 Respondetur, distinguendo antecedens: aliqua unio humana indeterminatè est de constitutivo essentiali humanitatis, concedo: Hæc determinatè unio, nego: nam positis his corpore, & anima cum aliquâ unione humanâ, hac, vel illâ, daretur humanitas; imó, & absolutè hæc numero humanitas, quamvis numero, aut etiam specie variaretur unio: semper enim manerent eædem partes unitæ, quas significat de recto nomen, *humanitas*, sivé *hæc natura humana*, consignificatâ de obliquo aliqua unione. Quemadmodum simili absolutissimo modo loquendi dicimus, in Christo redivivo esse eamdem numero humanitatem, quæ erat ante mortem, quamvis non sit eadem unio humana, quæ præcesserat mortem.

Qui-

Quinimò &, variatâ in ſpecie unione, manere eamdem numero naturam leoninam docent quotquot unionem leoninam identificant cũ eductione formæ leoninæ: hæc enim eductio ſpecie variatur, quando Leo naſcens definit cõſervari à matre, & incipit conſervari à ſolo Deo. Hinc negatur conſequentia: quia multò minus hęc unio humana, quæ ſimul eſt hypoſtatica, debetur humanitati, aut huic humanitati: nam illi corpori, illique animæ ſic unitis, minimè debetur ſic uniri.

120 Sic ſarta tecta relinquitur doctrina Scripturæ, & SS. Patrum: cum enim ſic uniri non ſit ex debito humanitatis, nec huius humanitatis, unio hæc humana, quæ ſimul ſic hypoſtatica, & ſupernaturaliſſima, non ex debito, ſed ex gratia indebitiſſima competit humanitati, & huic humanitati. Si dicas, non eſſe indebitam huic humanitati, ut taliter unitę; non mirum, quia ſic, reduplicando ſuper talem modum uniendi indebitum humanitati, eſt dicere, non eſſe indebitam huic modo uniendi, qui ſicut, & hæc unio, indebitus eſt huic humanitati ſic unitæ ſpecificativè, & abſolutè loquendo: nihil autem ampliùs ſignificant ſcripturæ, & Patres. Notandum adhuc eſt, quòd licet hæc numero unio humana, quę ſimul ſit hypoſtatica, optima ſit huic humanitati, attamen, nec humanitas illam exigit, nec ea humanitati debetur, adhuc disjunctivè, ſicut exigit disjunctivè hãc, vel illam unionem naturalem: quia naturales iſtæ illi bonæ ſunt, & aliunde connaturales, & proportionatæ: hæc verò, quamvis bona illi ſit; non tamen connaturalis ut de ſubſiſtentia Verbi reſpectu humanitatis dicemus *diſput. 2. ſec.7.*

Infra Diſp.2.

121 Objicitur quintò. Unio hypoſtatica eſt ſupernaturalis: ſed unio humana Chriſti eſt naturalis: alioquin humanitas Chriſti non eſſet humanitas naturalis: nec eſſet ejuſdem ſpeciei cum noſtra: nec Chriſtus eſſet homo ejuſdem ſpeciei cum alijs: ergo illæ uniones ſunt realiter diſtinctæ. Reſpondetur, concedendo abſolutè maiorẽ in ſenſu abſoluto, & Theologico: quamvis, uti obſervat Suarez *in Comment ad q. 2. art. 12.* in aliquo ſenſu Philoſophico poſſit etiam dici naturalis, ut loquitur Concilium Epheſinum *Can.3.* hoc eſt, *phyſica*, utpote non ſolum moralis, & affectiva, ut volebat Neſtorius: & etiam in alio ſenſu *naturalis*, ſcilicet non ſolum uniens naturam humanam ad Perſonam Verbi, ſed etiam duas naturas incompletas, ſcilicet corpus, & animam inter ſe, ut fiant una humanitas completa. Et conceſſa minori in his duobus ſenſibus ſic explicatis, nego illam abſolutè: nam in eodem ſenſu abſoluto, & Theologico, in quo diximus unionem hypoſtaticam eſſe ſupernaturalem, eſt etiam ſupernaturalis unio humana Chriſti. Unde nego conſequentiam.

Suar. 3.p.

Epheſ.

122 Nec perinde ſequitur, quòd humanitas Chriſti non ſit humanitas naturalis: eſt enim abſolutè naturalis, utpotè compoſita ex corpore, & anima naturalibus, quæ in rigore Philoſophico ſunt natura: & nihil aliud ſignificatur directè per nomen, *humanitas*, ſeu, *natura humana*, quamvis obliquè conſignificetur unio. Dici poteſt, Theologicè etiam loquendo de naturali contrapoſitè ad ſupernaturale, humanitatem Chriſti eſſe naturalem in entitate, & ſupernaturalem quo ad modum, ut ſcitè loquitur Oviedus *contr.6.de Gratia,pun.3 num. 17.* quatenus nempè modus, quo uniuntur eius partes in hac noſtra ſententia, ſupernaturalis eſt: & ſeorſim etiam à noſtra ſententiâ, modus, quo producta fuit in utero Virginis, & modus, quo ſpoliata ſubſiſtentiâ ſibi connaturali ſiſtitur in alieno ſuppoſito, ſupernaturalis eſt.

Oviedo.

123 Similiter nego, quod perinde humanitas Chriſti non ſit eiuſdem ſpeciei cum noſtra: nam etiam in nobis, ut cum multis opinor, uniones ſingulorũ hominum ſpecie ſaltem logicâ differunt, quin perinde ſpecie differant ſingulorum humanitates. Quorum ratio eſt; quia, humanitates, ſeu naturas humanas dici eiuſdem ſpeciei, ſumitur à corpore, & anima, quæ natura ſunt, & ſunt in ſingulis, & in Chriſto eiuſdem ſpeciei: quidquid ſit de unione: quæ utique natura non eſt in phraſi Philoſophorum; ſed naturæ modus. Quòdſi ratione iſtius modi velit aliquis, detorquens rectum loquendi ſtylum, dicere humanitates eſſe ſpecie diverſas ſecundum quid, nihil aliud dicet niſi humanitates numero diverſas, includere modos ſpecie diverſos. Quid inde ad rem, & ad abſolutum modum loquendi?

124 Ad illud, quòd Chriſtus non eſſet homo eiuſdem ſpeciei cum alijs, tenemur omnes reſpondere, ſeorſim etiam ab hac mea ſententiâ; cùm omnibus certum ſit, quòd in ratione hominis concretè importatur præter naturam ſubſiſtentia, quæ in Chriſto ſpecie differt á noſtrâ ſine dubio. Dicitur tamen Chriſtus homo eiuſdem ſpeciei nobiſcum: quia per id ſignificatur habere humanitatem, ſeu naturam humanam eiuſdem ſpeciei. Sic Lynceus *2. phyſ.tr.9. num. 16. & 73.* Bernal *diſput.45. à num.66.*

Lynce. Bernal.

125 Objicitur ſextò: quia ſequeretur B. Virginem, non fuiſſe Matrem naturalem. Nam eatenus fuit Mater, quatenùs produxit unionem humanam Chriſti: ſed hanc, ſi identificatur cum Hypoſtaticâ ſupernaturaliſſimâ, non produxiſſet naturaliter: ergo. Reſpondetur, Matrem *naturalem* poſſe dici dupliciter: uno ſenſu contrapoſitè ad Matrem legalem, ſeu putativam: alio ſenſu contrapoſitè ad Matrem ſu-

Digitized by Google

pernaturalem, & miraculoſam. In primo ſenſu, nego ſequelam : nam B. Virgo fuit Mater Chriſti phyſicé, & proprié, non minùs, quàm Elisabetha Baptiſtæ: & non legalis, aut putativa, ſicut Ioſephus dictus eſt Pater Chriſti : & ad hoc nihil facit probatio ſequelæ. In ſecundo ſenſu, admitto ſequelam, eiuſque probationem. Sic enim, nec Elisabetha fuit mater naturalis Baptiſtę ; ſed miraculoſa. Nec ſequela ſic conceſſa quidquam redolet abſurdi : cùm præſertim ſic loquatur S. Tho. *q. 33 art. 4. conceptio Chriſti debet dici ſimpliciter miraculoſa, & ſupernaturalis* : citatque S. Dionyſium dicentem, Mariam ſupernaturaliter concepiſſe : quò tendit quotidiana illa Virginis invocatio: *Mater admirabilis :* & ut cum S. Ildephonſo loquar; *quid eſt, quòd legem naturæ requirimus in Maria, ubi rorum, quod in ea fuit, poſſedit Spiritus Sanctus?* Sic etiam Bonaventura, Martilius, & Gabriel.

S. Tho. *3. p.* *Dioniſ.* *Ildeph.* *Bonav* *Marſil.* *Gabriel.*

126 Objicitur ſeptimò : quia ſequeretur Chriſtum non ſe nutriviſſe naturaliter : nutritio namque dicit unionem animæ ad novas partes materiæ de novo organizatæ, & diſpoſitæ: quæ nova unio, ſi eſſet quoque ſupernaturalis, & hypoſtatica, ne ſit ſubſiſtentia creata, non potuiſſet naturaliter produci à virtute nutritiva Chriſti: ergo non ſe nutriviſſet Chriſtus naturaliter ; ſicque converſio aquæ in vinum non fuiſſet initium miraculorum Chriſti : cùm iam præceſſerit miraculoſa nutritio. Hæc objectio, ſicut & præcedens facit pariter contra Bernal, eiuſque Sectatores: quippè dicunt, actionem productivam & nutritivam Chriſti, ne ſit ſubſiſtentia, debere eſſe unionem hypoſtaticam ad Verbum. Ideoque concedit ſequelam *diſ. 19 n. 41.*

Bernal.

127 Reſpondetur itaque, concedendo ſine inconvenienti ſequelam de naturali contrapoſito utcumque ſupernaturali. Facultas igitur naturalis nutritiva humanitatis Chriſti, quamvis ad unionem integralem novæ materiæ cum antiqua concurrerit naturaliter, & principaliter; ad unionem verò eſſentialem animæ cum nova materia, quæ unio neceſſe eſt, quòd fuerit ſimul hypoſtatica, ne foret ſubſiſtentia creata; concurrebat obedientialiter. Verum tamen eſt, quòd modus iſte ſe nutriendi, quamvis non fuerit naturalis facultati naturali humanitatis, erat quidem connaturalis Chriſto: huic enim ſuppoſito elevatiſſimo, cui actiones tribuuntur, operari miraculoſè erat connaturaliter operari: ex Ripalda *tom. 1. diſp. 129. nu. 43.* Delugo *hic diſp. 11. ſec. 5.* Cipullo *q 2. art. 12. num. 5.* & Suarez ubi nuper. Sicque licebit etiam dicere in ſenſu non inepto, Chriſtum ſe naturaliter, ſeu connaturaliter nutriviſſe. Illud de converſione aquæ in Cana Galileæ non dicitur omninò primum miraculorum Chriſti, ſed *initium ſignorum*, ſcilicet ut exponit Cornelius ex SS. Patribus, primum ſignum externè patens, & manifeſtum, quale non fuerat miraculum nutritionis Chriſti.

Ripald. *Lug.* *Cipull.* *Suar.*

Ioan. 2. *Cornel.*

SECTIO XI.

Principalior obiectio ex deſtructione unionis moriente Chriſto.

128 OBijcitur octavò. In morte Chriſti defecit realiter unio humana, in cuius utique diſſolutione ſtat mors : ſed non defecit unio hypoſtatica, ne dicatur Verbum dimiſiſſe quod ſemel aſſumpſit contra axioma receptiſſimum ex Damaſceno : ergo unio humana Chriſti non eſt ſimul hypoſtatica. Accedunt teſtimonia Sanctorum Bernardi, & Leonis allegata *ſec. 7. num. 77.* per quæ patet, in morte Chriſti non periſſe, aut interciſam fuiſſe unionem hypoſtaticam, quantumvis factâ diſſolutione, & ſeparatione corporis, & animæ ad invicem.

Infra *ſec. 7.* *Bern.* *Leo.*

129 Huic obiectioni, quæ negotium facceſſit in hoc puncto parare quiſquam aggreditur aliquam ſolutionem ex nonnullorum doctrinâ apud Ribadeneyram *diſp. 11. de Actib. hum. cap. 4.* agnoſcentium quoſdam modos talis naturæ, ut per ſe præſtent aliquod exercitium abſolutè, & aliud conditionatè, ſi nempè certæ adſint circumſtantiæ. Talem enim meditari poſſent modum unionis hypoſtaticæ, qui per ſe abſolutè uniret corpus, & animam ad Verbum ; inter ſe verò non ita abſolutè, ſed ſub certis conditionibus, quæ in morte Chriſti defuerunt. Sed nihil eſt, quod nos cogat ad aggrediendam viam iſtam difficilem.

Ribad.

130 Viſum aliis eſt, poſſe ſolidiùs reſponderi, deficiente in morte Chriſti unione humanâ, defeciſſe quidem ſimul hypoſtaticam, quæ præceſſerat in Chriſto vivo, ſuccedente tamen illicò aliâ, & aliâ hypoſtaticâ Verbi ad corpus, & animam ſeorſim: ita ut in nullo inſtanti fuerint inunitę Verbo iſtæ partes invicem inunitæ & ſeparatæ: quod ſufficit ad veritatem axiomatis Theologici, teſte Uvadingo *diſp. 4. dub. 10.* cùm Verbum ſemper unitim ſibi retinuerit corpus, & animam, ſive per unam, ſive, ea deficiente, per aliam unionem immediatiſſimè ſuccedentem. Quemadmodum Deus conſervans effectum hac actione, & mox alia actione, non dimittit à ſua conſervatione talem effectum, quamvis defecerit prior actio : quia nempè, ſuccedente continuò alia, non ceſſat Deus influere, & conſervare. Sic etiam habent ſuum ſenſum teſtimonia Bernardi, & Leonis, in id intuentium, ut corpus, & anima invicem diſſoluta per mortem, non manſerint diſſoluta à Verbo.

Vvad.

Huic

Albert. 131 Huic responsioni opitulantur multi. Primò: doctrina Patris Albertini *tom.2. qu. 9. num. 1.* ex opinione probabili per hæc verba: *Dicendum est igitur, quòd in Christo vivente erat hæc unica unio* (scilicet hypostatica) *efficiens utramque partem* (scilicet corpus, & animam); *& quod in morte dissoluta fuit hæc unio: & quòd fuerint productæ duæ uniones, altera in corpore, altera in anima.* Id ipsum probabile reputat doctissimus P. Martinus de *Esparza.* Esparza *hic qu.20 ad 7.* Secundò: judicium P. *Vazq.* Vazquez id absolutè docentis *disp 37 c.10.nu. 61. & disp. 20.c 3. nu. 30.* palamquè propugnantis, in morte Christi defecisse unionem hypostaticam, quę præcesserat, & successisse alias ad corpus, & animam seorsim. Nec dissentit *Lugus.* Cardin. de Lugo *disp.12. num. 49.* dicens, in morte periisse antiquam unionem animæ ad Verbum, succedente novâ. Tertiò: doctrina *Bernal.* similis Patris Bernal *disp.20. num. 10.* dicentis, in nativitate Christi periisse unionem hypostaticam unionis humanæ ad Verbum, succedente alia. Quartò: doctrina aliorum, apud eumdem Bernal *num.17.* dicentium, unionem hypostaticam variatam fuisse totaliter singulis in- *Aldrete.* stantibus motûs localis Christi. Et P. Aldrete *disp.36. num 1.* iniuit modum, quo ex sententia identificante unionem hypostaticam cum productione humanitatis, dici posset, etiam citra motum localem variatam fuisse, & nunc etiam variari unionem hypostaticam singulis instantibus: posità scilicet quorumdam Philosophiâ identificante rerum creatarum ductiones, cum earumdem productionibus, si u conservationibus, quod & nobis placuit *disp.12.de Attrib.num.40.* Has doctrinas præter morem huc congessi, né unquam alicui minùs in Auctoribus versato videri possit quod concessit in responsio de destructione præcedêtis unionis hypostaticæ in morte Christi, succedente illicò aliâ ad corpus, & aliâ ad animam.

132 Respondetur tamen aliter accomodatius ad communem sensum, & ad loquutiones Sanctorum præsertim Bernardi, & Leonis, *Supra sec.7.* supra memoratas, juxta duas conclusiones, quas statuimus *sec.7.* concessâ maiori, distinguendo minorem: non defecit omnis unio hypostatica, concedo: aliqua, nego minorem; illa scilicet specialis, quæ unit corpus, & animam inter se, & cum Verbo: hæc enim perijt in morte Christi, perstante unione etiam hypostatica uniente corpus cum Verbo, & non cum anima: & unione uniente animam cum Verbo, & non cum corpore. Nec potest hanc doctrinam *Recen. Suar.* sic temperatam respuere Pater Bernal, imò nec sententia communior, dicens ex P. Suar. *disp. 17. sec 5.* periisse saltem in morte Christi unionem hypostaticam nectentem Verbum immediatè cum unione humana tunc pereunte. Sic ergo distinctâ minori, nego consequentiam obiectionis: quia, licèt ex hac responsione benè sequatur, aliquam esse in Christo unionem hypostaticam, quæ non est unio humana corporis cum anima, iuxta primam nostram conclusionem *num. 77.* non verò sequitur, unionem ipsam humanam non esse simul hypostaticam sui, & partium suarum ad Verbum.

133 Sic Verbum, iuxta axioma illud, nunquam dimisit corpus, & animam, quas partes semel assumpsit, cùm semper retinuerit aliquâ unionem hypostaticam ad illas. Nec obest, quòd dimiserit saltem unionem humanam. Tum quia, ea non est in præsenti propria dimissio, cum nullibi manserit ea unio inassumpta. Tum quia hoc non est speciale dictum nostræ sententiæ: cùm à communi sententia Patris Suarez dici etiam debeat, perisse unionem hypostaticam specialitèr immediatè terminatam ad unionê humanã Tum quia si & humanitas coniunctim dicta posset malè dici tunc similiter dimissa: quia dissolutis mutuo in morte corpore, & anima, non mansit coniunctim humanitas. Sensus ergo sincerus axiomatis est, quòd Verbum nunquam dimisit quod semel assũpsit: intelligêdo scilicet id de partibus humanitatis assumptis, *ut quod*: non de alijs, aut de quolibet assumpto, *ut quo*, qualis est unio, quæ sit ipsa formalis assumptio, ut explicant communiter Theologi ex Suarez: quorum multi cum ipso *tom. 2. disput. 38. sec.3.* nec recusant dicere, assumpsisse Verbum pro triduo mortis formam cadavericam, quam in resurrectione dimisit. Sed huic additamento cõsentire non possum pertæsus eiusmodi formas cadavericas substantiales, succedentes in articulo mortis formis viventibus é corpore abeuntibus: de quo in disputationibus de Eucharistia pro forma Corporeitatis.

134 Nec videri potest, aut superflua, aut liberé asserta in Christo vivo multiplex illa unio hypostatica: una corporis; alia animæ ad Verbum; alia animæ, & corporis inter se, & ad Verbum. Non quidem superflua: nam illis duabus seorsim præsuppositis ex communi doctrina, hæc alia non ponitur ad id præcisé munetis, quod illæ præstant, scilicet ad uniendum utcumque corpus, & animam Verbo; sed ad munus uniendi unionem humanam Verbo, & humanitatem coniunctim sumptam Verbo: quod munus illæ per se non præstant: ex quo sequitur, quòd hæc unio uniens se ipsam Verbo, & corpus, & animam inter se, uniat etiam per se formaliter corpus, animam, & humanitatem coniunctim sumptam Verbo, ut expendebam *sect. 8.* iuxta id quod monet optimè Suarez *disp. 17. sec. 5.* præter uniones corporis ad Verbum, & animæ ad Verbum, mansuras ex Dei decreto in triduo mortis, oportere dari *Supra sec. 9. Suar. d.17.*

in

in Chriſto vivo unionem etiam hypoſtaticam unientem ex ſuis intrinſecis eidem Verbo humanitatem totaliter, & coniunctim ſumptam, & aſſumptam: quod munus non præſtant illæ duæ aliæ uniones: & commodiùs, ac rationabiliùs præſtat unio alia hypoſtatica, quæ ſimul ſit humana corporis cum anima, quàm quæ terminetur ad humanam à ſe diſtinctam, ut vidimus *ſec. 3. & 9.* præſertim *num.* 113. Non eſt ergo liberè, ſed magno cum fundamento auctoritatis, & rationis aſſerta hæc unionum hypoſtaticarum multiplicitas.

Infra. d. 2. ſec. 6.

135 Nona obiectio poſſet eſſe: quod poſita hac corporis ad animam unione, quæ ſimul eſſet hypoſtatica, privarentur illæ partes unione ſibi connaturali, ac debitâ, non hypoſtaticâ, ſimili unionibus aliarum humanitatum: ſicque inferretur illis extremis violentia. Remitto tamen hanc obiectionem, eiuſque ſolutionem ad *diſp. 2. ſec. 6.* ubi in ſimili diximus, humanitati Chriſti non eſſe violentum carere ſubſiſtentiâ propriâ ſibi debitâ, dummodo loco propriæ gaudeat ſubſiſtentiâ divinâ. Eodem enim iure negandum hîc eſt, fieri violentiam corpori, & animæ Chriſti denegando illis unionem purè humanam ſibi propriam, & debitam, dùmodò, gaudeant unione humanâ, quæ ſimul ſit hypoſtatica.

136 Alia tandem obiectio, cui, nec immeritò, multum detulit ornatiſſimus noſtri Collegij Magiſter, fieri poteſt adverſus idemtitatem ſubſiſtentiæ cum unione in puris hominibus, & unionis hypoſtaticæ cum humanâ in Chriſto, ex eo quòd in conſortio unionis corporis, & animæ, quæ ſimul ſit hypoſtatica ad Perſonam Verbi, dari poſſet unio etiam purè humana corporis, & animæ, quæ non eſſet unio ad Perſonam Verbi: ſicque eſſet ſubſiſtentia creata: cocuntibus pro eo caſu poſſibili in illo coniuncto duabus ſubſiſtentijs, ſeu perſonalitatibus, unâ divinâ, & aliâ humanâ. Ex quo debilitatur valde diſcurſus SS. Patrũ, & Conciliorum inferentium, in Chriſto non dari Perſonalitatem creatam, ex eo quòd eius humanitas phyſicè hypoſtaticé uniatur Perſonæ, ſeu ſuppoſito divino. Prætereo tamen hîc obiectionem iſtam: quia ſpecialiter non quatit doctrinam, quam hic adſtruximus, de idemtitate unionis humanæ cum hypoſtatica; ſed generaliter doctrinam communem conſtituentem ſubſiſtentiam in poſitivo, & docentem, hoc poſitivo retento, poſſe naturam creatam aſſumi à Perſona Divinâ: coniunctis ſcilicet in eadem natura creata duabus ſubſiſtentijs, unâ propriâ, & aliâ alienâ: de quo oportuniùs *diſp. 3. ſec. 1.* ubi huic obiectioni ſatisfiet.

P. Theod. Maurit.

Infra diſp. 3.

SECTIO XII.

An Vnio hypoſtatica ſit intrinſeca, ſubſtantialis, eſſentialis, ſpiritualis, ſimplex, & incorruptibilis.

137 Circa primum dixiſſe dicitur Scotus, unionem hypoſtaticam eſſe extrinſecam humanitati. Sed, ni fallor, non dixit, niſi eſſe reſpectum extrinſecùs advenientem: quo non ſignificatur, unionem non afficere intrinſecé humanitatem, & Verbum; ſed nõ illis advenire ex intrinſeca exigentia. Cum hoc autem benè ſtat, quòd veriſſimè docet communis ſententia, hypoſtaticam unionem eſſe intrinſecam extremis, eaque intrinſecé unire. Imò oppoſitus modus loquendi cavendus eſt, ne videamur conſonare Neſtorio dicenti, Verbum, & humanitatem non uniri phyſicé, ſed affectivé tantùm, & moraliter.

Scot.

Albert. Lorca.

138 Aliter dicunt Albertinus, & Lorca, unionem eſſe extrinſecam Verbo, quia illam non recipit, cùm ſola humanitas ſit ſubiectum receptivum illius. Quo modo loquendi dicunt ſimiliter, uniones humanas, quia non recipiuntur in animâ, ſed in materia, eſſe materiæ intrinſecas, & extrinſecas animæ. Cæterùm totum hoc diſplicet communiter Auctoribus, ſtatuentibus, & merito, tàm corpus, & animam, quàm Verbum, & humanitatem intrinſecè uniri; atque adeò unionem hypoſtaticam eſſe phyſicè intrinſecam humanitati, & Verbo.

139 Non eſt tamen omnibus una, nec facilis ratio firma huius intrinſecitatis. Vitium mihi fuit in Philoſophia, relictis multorum placitis, hoc quod eſt, extrema uniri intrinſecè nihil eſſe aliud à nobis congruenter explicabile, quàm ſic mutuò affigi, & in unum cõmunicari, ut eo præciſè quòd unio ſit in loco, debeant extrema à tali loco indiſtare: ſive quia penetrata, ut contingit in compoſitis eſſentialibus; ſive quia contigua ſunt, ut contingit in compoſitis integralibus. Sic autem ſe habere humanitatem, & Verbum per unionem hypoſtaticam, ideóque intrinſecé per ipſam mutuò uniri, perſpicuum eſt. Hoc legi poſtea ſic etiam explicatum à doctiſſimis Patribus Uſon, & Borrull in ſuis Manuſcriptis de Incarnatione.

Vſon. Borull.

140 Circa ſecundum dixiſſe dicitur Durandus, unionem hypoſtaticam eſſe accidentalem. Certum tamen eſt, eſſe ſubſtantialem ex Concilio Lateranenſ. apud Bernal *diſ. 11. ſec. 3.* dicente, duas naturas in Chriſto eſſe unitas ſubſtantialiter: eamque unitionem vocante ſubſtantialem. Nec obeſt, quòd tam Verbo, quàm partibus humanitatis adveniat contingenter,

Durand. Lateran. Bernal.

aut

aut extraessentialiter ea unio. Hinc enim solum fit, esse respectu talium extremorum accidens logicum: quo sensu,& ipsa humanitas dici posset accidens, cùm contingenter adveniat Verbo,& Verbum humanitati: non est autem hoc contra rationem substantiæ. Est ergo hypostatica unio vera substantia, & non accidens physicum: quia est ens per se de constitutivo suppositi: cùm sit de constitutivo Christi, qui est unum per se,& suppositum Deus homo: tum ne autem ens de constitutivo suppositi est substantia; sicut est accidens physicum quidquid est extra constitutivum suppositi, ut exposui in Metaphysicis.

141 Dicat aliquis, seclusâ hac unione, idem omninò suppositum, nempè Verbi, maneret, sicut præcessit ante Incarnationem: ergo unio hypostatica non est de constitutivo suppositi, ac proinde non est substantia. Respondetur: suppositum Christi cum sit ex duplici Natura, dupliciter constitui, eiusque subsistentiam infinitam cum unaquaque naturâ & cum utraque natura constituere suppositum: & idem suppositum, propter identitatem suppositalitatis, seu personalitatis per se stantis, & expressiùs significatæ nomine concreto suppositi, seu personæ, ut dicemus *disp. 2. sec. 7.* Quamvis autem unio hypostatica non sit omninò de constitutivo huius suppositi, prout purè concreti ex natura divinâ, & subsistentiâ divina; benè verò prout concreti ex subsistentia divina, & naturâ humana: cum quâ constituit veré suppositum: idque sufficit, ut ea unio substantialissima sit, utpote de constitutivo Christi utramque illam naturam, & constitutionem complectentis. Hinc in forma, distingo antecedens: idem suppositum maneret absolutè, & secundum constitutionem ex naturâ & subsistentiâ divinis, concedo: secundum constitutionem ex natura humanâ, & subsistentia divinâ, nego antecedens, & consequentiam.

Infra Disp. 2. sec. 7.

142 Circa tertium dixisse dicitur Lorca, unionem hypostaticam non posse dici essentialem, sicut nec naturalem; sed personalem: ne videatur loquutio Eutichiana, quasi dicatur ea unio facta in natura, & in essentia, constituere unicam naturam in Christo. P. Vazquez *disp. 17. c. 3* haud recusat, illam essentialem appellare, referens Sanctos PP. sic loquutos. Dissidium est de modo loquendi; sed non propterea minimi apud Theologos momenti in rebus dogmaticis: ubi & sentire, & loqui rectissimè, oportet. Licebit, ut arbitror, ea loquutio ubi constet, non significari, aut unionem hypostaticam esse essentialem extremis, aut factam in unitatem essentiæ, sive naturæ; sed esse veram unionem physicam naturæ humanæ ad Verbum, quâ constituitur Christus, unum per se essentiale, & non unum per accidens.

Lorca.

Vazq.

143 Circa quæstum, cum distinctione loquendum est, & dicendum, quòd unio hypostatica uniens seorsim animam Christi cum Verbo est spiritualis, & non materialis: quia non est ens pendens à materia magis, quàm ipsa anima, quæ spiritualis est. Unio hypostatica uniens seorsim corpus cum Verbo, materialis est, quia essentialiter pendet à materia corporis. Unio etiam hypostatica uniens corpus, & animam inter se, & cum Verbo, materialis est, utpote pendens etiam essentialiter à materia corporis, cui per se affigitur, quamvis affigatur etiâ animæ, & Verbo spiritualibus: ut dici similiter solet de unione purè humanâ, quamvis affigatur per se essentialiter, & intrinsecè animæ spirituali. Hæc ex doctrinis philosophicis, quas hic non discutio, sed suppono uti rationi conformiores.

144 Insurgit hinc scrupulus. Quia, si vera est doctrina communior, quòd unio hypostatica sit forma sanctificans, sequitur inde, aliquam formam de facto sanctificantem formaliter animam Christi, nempè unionem unientem animam, & corpus inter se, & cum Verbo, esse formam materialem: quod videtur indecens. Sed certè, si indecens non est esse materialem, & esse unionem hypostaticam; nec erit indecens esse materialem, & esse formam sanctificantem: nam esse materialem nihil est aliud, quam pendere à materia: qui conceptus nulli prædicato essentiali formæ sanctificantis in genere contradicit.

145 Circa quintum tria dico. Primum: unionem hypostaticam non esse compositam ex una unione, quæ uniat humanitatem Verbo; & ex alia, quæ uniat Verbum humanitati: ad modum, quo Hurtadus, & Herize in composito humano geminant uniones, unam in corpore ad animam, aliam in anima ad corpus. Hoc enim satis reiecimus in Physicis. Secundum: unionem hypostaticam non esse omninò simplicem, sed compositam ex una unione corporis seorsim ad Verbum; & ex alia animæ seorsim ad Verbum; & ex alia corporis, & animæ inter se, & ad Verbum. Constat ex dictis *sec. 7. & 10.* Quam unionis hypostaticæ compositionem ad mentem etiam communis sententiæ cum Suarez *d. sp 17. sec. 5.* Tertium: illas duas uniones hypostaticas, quas nuper diximus esse materiales, non esse adhuc in se simplices, sed integraliter compositas ex tot particulis, seu punctis, quot sunt puncta materiæ, quam uniùt Verbo: uti dici solet de unione purè humana in reliquis hominibus. Hæc enim compositio est propria rerum materialium. Unde unio hypostatica uniens seorsim animam Verbo, quæ spiritualis est, simplex omnino est, excludens eiusmodi compositionem integralem.

Hurtad. 1. er 2.

Suar.

146 Circa sextum potest esse sermo de in-

incorruptibilitate intrinſecâ ex ipſius naturâ unionis de ſe repugnantis deſtrui; vel de incorruptibilitate extrinſecâ per legem, ſeu decretum Dei, nolentis eiuſmodi unionem deſtrui: quò facere aliquomodo videtur axioma: *quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſſit.* Loquendo in primis ex lege Dei, dicendum eſt, quòd nunc iam hypoſtatica unio indeſtructibilis eſt: quia poſt Chriſti reſurrectionem, cùm nulla Chriſti pars ſit diminuenda, nec diſſolvenda, non eſt cur, vel minima pars unionis hypoſtaticæ peritura ſit. Ab initio autem Incarnationis non fuit ſemper adæquatè indeſtructibilis hypoſtatica unio. Tum quia ex communi ſententiâ perijt ſaltem moriente Chriſto ea unio hypoſtatica, quæ uniebat Verbo unionem humanam tunc deſtructam: ſivé, quæ in noſtra ſententia erat realiter unio ipſa humana. Tum quia, agens Chriſtus vitam paſſibilem, aliquas ſuæ humanitatis partes deperdebat, ut præputium in Circumciſſione, & fortè guttulas ſanguinis: & conſequenter perijt quoque tunc ea integralis unionis hypoſtaticæ pars, quæ particulas illas uniebat Verbo. Dixi, *adæquatè*: nam unio animæ ad Verbum, & magnâ etiam ex parte unio corporis ſemper retenti à Verbo, ſemper fuit ex lege Dei indeſtructibilis: & de his capi debet axioma: *quod ſemel aſſumpſit, numquam dimiſiit*: ut ex Patre Suarez explicui *nu.* 140.

Supra ſec. 9.

147 Loquendo deinde ab intrinſeco, & ex naturâ ipſius unionis; unio nectens ſeorſim animam cum Verbo incorruptibilis eſt ex natura rei: ſicut Angelus, & anima rationalis dicuntur incorruptibiles, & indeſtructibiles, quâvis de poteſtate abſolutâ Dei poſſint anihilari. Unio verò nectens ſeorſim corpus cum Verbo, ex natura ſua corruptibilis eſt: utpote deſtructibilis vi naturalis agentis potentis ſic immutare materiam, ut non maneat ſub aliquâ formâ, ſub qua ſit aſſumptibilis á Verbo iuxta doctrinam, quam trademus *diſp. 3. ſec. 3.* Videndus Bernal *diſput. 20.* & Aldrete *diſput. 26.*

Infra. diſp. 3. Bernal. Aldret.

SECTIO XIII.

An Unio hypoſtatica ſit modus exigua, an eximiæ perfectionis.

148 MIra ſunt hominum ingenia, ſicut & varia. Sunt qui, extollentibus communiter, & meritò, reliquis excellentiam, & perfectionem elevatiſſimâ unionis hypoſtaticæ, eam uſque adeò deprimere ſtudeant, ut dicant; quòd quamvis in eſſe unionis, hoc eſt in munere uniendi, ſumma ſit, eſt tamen in eſſe entis perexiguæ perfectionis: ita ut parùm, aut nihil perficiat per ſe formaliter humanitatem; ut in ſe ſit prope nihil, quamvis denominativé á termino divino perfectiſſima ſit; ut minus quàm Fides, aut alius habitus ſupernaturalis humanitatem per ſe perficiat: ut minùs etiam perfecta ſit qualibet ſubſtantiâ completa naturali. Movetur autem ad hæc aſſerenda mirabilis Antonius Perez multipliciter *diſp. 1 de Incarn. cap. 13.*

Perez

149 Primò. Unio hypoſtatica eſt ſumma unio non ſolum ex parte termini uniti, qui ſummus eſt, nempe Deus; verùm etiam ex ipſa ratione uniendi: ergo ratione ſui in eſſe entis eſt modicæ perfectionis. Probatur conſequentia: quia unio ex conceptu unionis eſt modus tenuis entitatis: ergo ſumma unio petit eſſe tenuiſſimæ entitatis: ergo & perfectionis in eſſe entis. Confirmatur, quia unio ex conceptu ſuo eſt complexio dumtaxat, & compoſitio duorũ: neque eſt ens habens, ſicut pars materialis, neque eſt forma habita, ſicut pars formalis; ſed præciſé habitio quædam: ideircò ſine extremis inconcepibilis, nec æſtimabilis, niſi æſtimatione extremorum: nam habere animam non æſtimatur, niſi ea æſtimatione, quâ æſtimamatur anima habita: hæc autem eſt æſtimatio ipſius animæ: ergo unio non habet in ſe titulum, cur æſtimetur præciſſim ab effectu formali includente extrema: ergo nec perfectionem ratione ſui, niſi quam haurit ab extremis: nam æſtimatio rei ſequitur perfectionem rei, ſicut amabilitas bonitatem. Nec perinde minuitur perfectio unionis in ratione unionis; imò augetur. Nam ſicut Artifex eó melió-,& ſapiẽtior iungit lapides, quò iuncturam facit ſubtiliorem: & tunc optimé, quando iunctura eſt firma,& tam ſubtilis, & exigua, ut vix diſcriminetur à lapidibus iunctis; ſic Deus ſummus Artifex coniunxit ſe ſapientiſſimé cum humanitate, coniungens ſe per unionem firmam, & indiſſolubilem; ita tamen ſubtilem, ut vix diſcriminetur ab extremis: eſt igitur unio ratione ſuæ entitatis prope nihil, ut ſic minùs videatur interponi inter humanitatem, & Verbum: quo ſalvatur maxima perfectio unionis hypoſtaticæ in ratione unionis, quia perfectiſſimé, id eſt ſubtiliſſimé, ac firmiſſimé unit: & perexigua ipſius perfectio in eſſe entis, cùm ſit eo ipſo exiliſſimæ entitatis.

150 Reſpondetur, negando conſequentiam. Ad probationem diſtinguò antecedens: eſt modus tenuis entitatis reſpectivé ad extrema, quæ unit, concedo abſolutè ſecundum ſe, & reſpectivé ad quaſlibet alias res, nego antecedens, & conſequentiam in eodem ſenſu. Eſt quidem tenuis entitatis comparativè ad ſua extrema, ſeu ad totum: quia totum ſemper eſt tantæ entitatis comparativè ad unionem, ut hæc vix ſit aliquid, comparata cum ſuo toto: hoc tamen non tollit, quominùs abſolutè in ſe, & com-

comparativé ad multas alias res, sit eximiæ perfectionis. Quod idem fatemur ultrò de unione hypostaticâ, quatenus licet absolutè, & in se, eximiè perfecta sit, & perfectior multis rebus creatis; comparativè tamen ad suppositum, quod ex eius formali determinatione constituitur, est ferè nullius perfectionis: eâ scilicet ratione, qua creaturæ cunctæ sunt quasi paleæ, momentum stateræ, & quasi non sint comparativé ad suppositum divinum.

151 Ad confirmationem, negatur unionem non esse æstimabilem æstimatione distinctâ ab æstimatione extremorum, seu sui totius: nam quod inintelligibilis sit eius æstimatio seorsim ab æstimatione sui effectûs formalis, non tollit quominùs eius æstimatio sit diversa ab æstimatione effectûs formalis: sicut é contra, quòd nec intelligi, nec æstimari possit effectus formalis, quin intelligatur, & æstimetur unio in ipso inclusa, non tollit quominús effectus formalis sit æstimabilis æstimatione distinctâ ab æstimatione solius unionis. Et ratio est, quia hoc solùm denotat dependentiam, seu cõnexionem earum æstimationum; non verò indistinctionem: nec arguit non competere unioni in recto specialem suam æstimationem. Nec prodest illa præcisio de magnâ perfectione in esse unionis, & minimâ in esse entis, nec exemplum unionis, seu glutinis materialis lapidum: nam exiguitas, seu subtilitas glutinis ex eo cõmendat Artificis dexteritatem, quia ad finem sui artificij conducit ea subtilitas, quin tollat entitativam perfectionem glutinis, quod interdum esse potest pretiosior ipsis lapidibus: contra intẽtum arguentis. Ad finem verò intentum à Deo in opere Incarnationis non conducit exiguitas perfectionis unionis hypostaticæ in esse entis: imò decet opus, & artificem unio creata valde perfecta Dei cum humanitate: quæ sit communicatio admirabilis divinitatis ad humanitatem longé diversa à communicatione duorum lapidum, seu lignorum medio glutine, quod nec cum ipsis penetratur, nec facit ipsa inter se penetrari, & intimé communicari.

152 Secundò. Si aliqua esset necessitas tribuendi unioni hypostaticæ magnam, & eximiam perfectionem, maximé magnitudo sui effectus formalis: sed hic non tam provenit ab unione, quàm á formâ, seu quasi formâ infinitâ communicatâ: ergo nulla est necessitas tribuendi unioni magnam perfectionem. Confirmatur: si cum proportione ad effectum formalem judicandum esset de perfectione unionis, modus iste unionis deberet esse ratione sui infinitus: sicut ergo stat perfectionem unionis non esse infinitam, cum eo quòd effectus formalis infinitus sit; ita & esse modicam, quamvis effectus formalis magnus sit.

153 Respondetur, negando majorem. Quamvis enim ex effectu illo formali arguatur ea necessitas; formaliter tamen, & in se nec [illegible] tribuendi unioni magnam, & eximiam perfectionem, est ipsa essentia talis unionis per se essentialiter determinantis ea extrema ad talem effectum formalem. Ad minorem dico, talem effectum suo modo provenire à formâ, seu quasi formâ; at suo etiam modo, & *ut ajo*, ab unione. Quod non est emetiri arithmeticé perfectionem unionis, cum perfectione effectûs sui formalis, qui est Christus infinitissimus: non quidem infinitissimus per id, quod unio per se de novo ponit; sed per id quod essentialiter supponit, & communicat nempé Verbum. Unde talis modus communicationis habuit cum proportione, ut ajunt, geometricâ, sublimem perfectionem supra communicationes alias divinitatis ad creaturas; infra communicationem tamen per identitatem saltem in tertio, quæ est in Deo sibi ipsi ad intra. Quemadmodum, quamvis perfectio cognitionis sumatur etiam extrinsecé ab obiecto; non tamen arithmeticè ad mensuram obiecti: alioquin visio Dei evaderet infinitè perfecta, sicut Deus, quem supponit; benè verò geometricè: sicque evadit valdé perfecta in eo etiam quod formaliter ponit. Hinc ad confirmationem dico, ex infinitudine effectûs formalis judicari quidem & argui magnam perfectionem unionis hypostaticæ; non verò infinitam sicut est infinitus talis effectus per id quod unio supponit: quia essentia unionis supponens illud infinitum finita est. Sic, quia visio creata objecti infiniti finita est, non evadit tam perfecta, quàm objectum, quamvis ab illo detumat ingẽtem perfectionẽ.

154 Tertiò. Si unio hypostatica perfectior esset Visione beatâ, & Gratiâ habituali, eo quod sit maior conjunctio cum Deo; sequeretur primò, humanitatem pentiandam, & æstimãdam esse perfectam consideratam præcisè, ut affectam unione hypostaticâ, per quam sit conjunctissima cum Deo. Si autem inde deberet æstimari perfectio humanitatis, & unionis, sequeretur secundó, unionem hypostaticam esse summam creaturam, quæ à Deo fieri potest, cúm nulla sit possibilis conjunctio major creaturæ cum Deo: contra communem Philosophiam, & Theologiam docentem, qualibet assignatâ creaturâ, posse à Deo creari perfectiorem.

155 Respondetur, priorem sequelam non esse absurdam: humanitas enim valde perficitur per unionem, cùm per illam formaliter sanctificetur, fiatque particeps divinitatis: quamvis multò magis perficiatur per Verbum, cúm per istud altiori modo sanctificetur, & præterea subsistat, & personetur. Posteriorem autem sequelam negamus: quia ex aliquibus capitibus possent esse perfectiores istâ aliæ, & aliæ

uniones hypoſtaticę aliarum, & aliarum naturarum perfectiorum ad Verbum, ut dicemus *ſec. ſeq.* Sicque ſalvatur Philoſophia, & Theologia illa communis nobis objecta.

156 Addo, nec propterea cogi nos ad dicendum unionem hypoſtaticam eſſe perfectiorem animâ rationali, & Angelo: ſtat enim cum tota hac doctrina de prælatione unionis hypoſtaticæ ad gratiam accidentalem, & ad viſionem beatificam creatam, quòd creaturæ multæ intellectuales ſint ex alijs capitibus abſolutè perfectiores unione, ſicut & gratiâ, ut autumant, fortaſis verè, Suar. Vazq. Ripalda, & Arriaga, *Suar. Vazq. Rip. Arr.* *1. 2. diſp. 43. ſec. 3.* quamvis oppoſitum tenuerim obiter *tom. 1 diſp. 18. num.* 122. de quo latiùs in diſputationibus de Gratia. Placet iudicium P. Ripaldæ *diſp. 22. ſec. 2.* maturè dicentis, ut plurimum non ſupereſſe nobis regulas certas, quibus metiamur iuſtè perfectiones rerum omnibus penſatis; *& diſp. 100. num. 10.* idem repetit dubitans, an vitio beatifica perfectior ſit amore beatifico. *Tom. 1. diſp. 18. ſec. 10, Rip.*

157 Dicendum igitur eſt, Unionem hypoſtaticam eſſe modum excellentiſſimum magnæ, ac eximiæ perfectionis, in ſe etiam, & in eſſe entis. Hic eſt communis Theologorum ſenſus ex Sanctis Patribus videndus apud Aldrete *diſp. 34. ſec. 3.* S. Bernardus *5. de Conſider.* ait: *Inter omnia, quæ rectè unum dicuntur, arcem tenet unitas Trinitatis, quâ tres Perſonæ una ſubſtantia ſunt. ſecundo loco illa præcellit, quâ è converſo tres ſubſtantiæ, una in Chriſto Perſona ſunt.* Vbi clarè loquitur de præcellentia unionis, quâ tres ſubſtantiæ, Verbum, anima, & corpus, fiunt in Chriſto unum ſuppoſitum; poſt ſupereminentiſſimam, ac ſummam unitatem, quâ tria ſuppoſita in Deo fiunt unus Deus: quia ſi loqueretur de præcellentia totius per illam unionem reſultantis, quod eſt Chriſtus; non debuiſſet Bernardus illi dare ſecundum, & inferiorem locum in perfectione: cum tam perfectus ſit Chriſtus, ac tota Trinitas. S. Thomas *q. 7. art. 13.* ibi: *Gratia unionis non eſt in genere Gratiæ habitualis, ſed eſt ſupra omne genus.* Et *q. 4. art. 1. Multò major, & perfectior eſt unio ad Deum ſecundum eſſe perſonale, quam qua eſt ſecundum operationem: per viſionem autem beatam unitur homo Deo per operationem.* Dices, loqui de unione prout iunctâ cum eſſe perſonali Verbi. Contra tamen: quia opponens ſibi Caietanus contra S. Tho. ſic: *Unio cum Verbo eſt communis naturis rationalibus, & irrationalibus: unio per viſionem beatam ſolùm convenit naturis rationalibus: ergo eſt perfectior;* reſpondet, multò eſſe perfectius uniri Deo in Perſona, quàm per gratiam, & gloriam conſummatam. Unde ſit clarè S. Tho. comparaſſe unionem ipſam hypoſtaticam cum viſione, illamque in perfectione prætuliſſe. *Aldret. Bernar.* *S. Thom. 3 p.* *Caiet.*

158 Ratio verò prima ſit. Unio hypoſtatica ſaltem à perfectione divinâ redditur perfectiſſima: aliàs nec ratione Divinæ Perſonæ magni æſtimaretur: & hoc quidem habet ex natura ſua eſſentialiter exigêre ſic perfici. Atqui hoc ipſum quod eſt, habere ex natura ſua, aliúde reddi perfectiſſimum, eſt magna perfectio: ergo unio hypoſtatica in ſe, & ratione ſui eſt etiam magna perfectio. Probatur minor. Tum quia, ſubſtantia entitativa creata ex natura ſua exigens gratiam, & beatitudinem, eo ipſo eſſet perfectiſſima. Tum quia ex eo quod Angelus petat ex ſe intelligere perfectiùs, quàm homo, habet ex ſe præciſſim etiam ab intellectione maiorem perfectionem entitativam, quàm homo. Tum quia ſic ſolemus inferre perfectionem naturarum formaliter, & in ſe, nempé per exigentiam nobiliorum accidentium, ipſas quoque perficientium. Nec ſe ſatis defendit ab hac ratione Antonius Perez exemplo actuum liberorum Dei, qui in ſe non dicunt ſpecialem formalem perfectionem, quamvis exigant infinitè perfici à perfectione indefectibili Dei, quâcum realiter identificantur. Aſſumit enim falſum, quód libera etiam Dei non dicant ſpecialem perfectionem infiniciſſimam, ut tradidi *diſp. 3 de Attrib. ſec. 4.* *Tom. 1. Diſp. 3.*

159 Secundo. Quó perfectiora ſunt extrema unionis, cæteris paribus perfectior eſt unio: alioquin non eſſet cur unio animæ cum corpore eſſet perfectior unione caloris cum ligno: unio igitur hypoſtatica ad extremum perfectiſsimum, eſt in ſe & formaliter valde perfecta: cùm ex ſe, & ratione ſui habeat eſſe unionem talium extremorum. Antecedens probatur: quia cognitio, & amor cæteris paribus eſt in ſe eó perfectior, quò perfectius obiectum attingit: cur ergo non ſimiliter & unio ex reſpectu ſuo intrinſeco ad extrema? Hinc non rectè dixerunt Cabrera, & Lorca, ſolùm eſſe valde perfectam cauſaliter, ita ut magnitudo perfectionis ſolum competat ſuppoſito ex illa conſtituto: noſtra enim ratio probat, quód formaliter etiam, & ratione ſui: quia formaliter, & ratione ſui dicit conſtituere tale ſuppoſitum. *Cabrera. Lorca.*

160 Tertia. Si quid obſtaret eximiæ perfectioni unionis hypoſtaticæ in eſſe entis, eſſet, quòd ſit modus, eo quód modi ſint in ſe, & ratione ſui modicæ entitatis, & perfectionis: ſed hoc non obſtat: ergo. Probatur minor: quia unio corporis, & animæ multò perfectior eſt unionibus continuativis materiæ, & multó magis, quàm unio accidentalis albedinis, ſeu caloris: & idem videre eſt in alijs modis productionum, & ubicationum: ergo ratio, ſeu conceptus modi non eſt contra rationem perfectionis, & majoris perfectionis in ſe, & ex ſuis naturis: ergo unio hypoſtatica ex natura ſua con-

conſtituens unum per ſe infinitiſsimum, non amittit ex conceptu modi quominùs ſit magnæ, & eximiæ perfectionis in ſe etiam, & ratione ſui. Quandoquidem conceptus modi, ut ſic, abſtrahit à magna, mediocri, & parva perfectione variorum modorum: ac proinde genus illud admittit ſub ſe modos ex differentijs ſuis ſpecialibus nobiliſsimos, qualis eſſe debet hypoſtatica unio. Clariùs urget hæc ratio aſſerentes, quod verum puto, omnes actus vitales creatos eſſe modos: in quorum collectione certiſsimum eſt eſſe actus ſupernaturales perfectiſsimos.

161 Quarta. Unioni hypoſtaticæ competit ratione ſui juxta adverſarios aliqualis perfectio: ergo magna, & eximia. Quoniam poſſeſsio boni importans ratione ſui perfectionem, eo majorem in ſe perfectionem importat, quò melioris boni poſſeſsio eſt, & quo ſecurior, & ſtrictior poſſeſsio eſt: ergo cùm unio hypoſtatica ſit poſſeſsio intrinſeca ſummi boni, ſi exinde evadit aliqualiter in ſe, & ratione ſui perfecta, evadit eâdem ratione valdè, & eximiè perfecta. Illa namque magna perfectio eſt, quæ cùm ſit perfectio eſt magis appetibilis, non utcumquè quatenùs privat malo, ſed propter bonum, quod præfefert: unio autem hypoſtatica, præterquamquód privat malo, eſt magis appetibilis, quàm quælibet alia unio propter poſitivum bonum, quod præfefert formaliter, & ratione ſui: non igitur eſſe poteſt eius perfectio perexigua, imò magna, & eximia, ſi aliqua eſt. Facilius, me iudice, defenderetur omninò nulla, quàm modica.

162 Reſpondere conatur ad hæc Anton. Perez dans rationem, cur conjunctio Gratiæ, & Viſionis cum Deo arguat illas valdè perfectas, & non ita unionem hypoſtaticam. Quia, inquit, Gratia, & Viſio conjungunt cum Deo, non quatenùs formaliter, & intrinſecè communicant Deitatem, ſed quatenus ſunt formæ valdè imitantes entitatem divinam: quod eſt eſſe magnas perfectiones, & entitates: nam magna conjunctio cum Deo, ſi non ſit per unionem intrinſecam, neceſſe eſt eſſe per magnam imitationem, perfectionis divinæ. At unio hypoſtatica conjungit cum Deo, quatenus phyſicè intrinſecè, & formaliter communicat ipſam divinitatem: ideóque neceſſe non eſt, hanc ipſam conjunctionem eſſe ratione ſui magnam entitatem, ſeu perfectionem; ſed potiùs effectum formalem conſtitutum media unione ex ipſo termino communicato eſſe valdè perfectum, non ratione conjunctionis, ſed formaliter ratione termini in ipſo effectu formali conſtituto intrinſecè incluſi. Itaque in effectu formali perfectiſsimo reſultante ex conjunctione animæ cum Deo per Gratiam, & Viſionem, non intrat ipſe Deus; ſed ſe habet ut terminus extrinſecus: ideòque opus eſt magnam ejus perfectionem intrinſecam ſumi ab ipſa ejuſmodi conjunctione. Cùm verò in effectu formali perfectiſsimo reſultante ex conjunctione per unionem hypoſtaticam intret ipſe Deus, non eſt neceſſe pro perfectione quantalibet talis effectûs recurrere ad ipſam formalem conjunctionem; cùm inſit ipſi Deo. Video multum veri, ſicut & ingenij continere has rationes diſparitatis: non tamen video, qua ratione inde deprimatur perfectio unionis hypoſtaticæ. Profectò, ſicut illa major, & intimior conjunctio nihil detrahit infinitæ perfectionis Dei ſic intrinſecè communicati; ita nec infinita perfectio Dei ſic intrinſecè communicati quidquam detrahit eximiæ perfectionis talis communicationis, imò illam extollit, & auget, ut noſtræ rationes ſatis evincunt. Cur ergo inde evadat unio hypoſtatica minus perfecta?

SECTIO XIV.

An, & quatenus Unio Hypoſtatica ſit maxima unionum.

163 ESSE maximam unionum docuit S. Thom. *qu. 2. art. 9.* ex Auguſtino *1. de Trin.* dicente: quòd *homo potiùs eſt in Filio Dei, quàm Filius Dei ſit in Patre*: quo videtur hypoſtatica unio in ratione faciendi unum præferri non ſolum alijs unionibus compoſitivis, ſed etiam unitati, quia Perſonæ Divinæ ſunt unum. Hoc tamen non eſt ita intelligendum, ut humanitas, & perſonalitas in Chriſto ſint abſolutè magis, aut perfectiùs unum per unionem, quàm ſint unum in Deo tres Perſonæ per identitatem in Natura; ſed ita ut homo in Chriſto aliquo modo ſit unum cum Filio Dei, quo Filius, & Pater unũ non ſunt: quippé non ſunt in Deo unum, & idem ſuppoſitum; cũm homo, & Filius Dei in Chriſto unum, & idem ſuppoſitum ſint: unde verè dicimus: *Filius eſt homo*; non verò: *Filius eſt Pater*. Sic ibi S. Tho. poſt reſponſionem *ad 3. & in Comment. ad eum articulum* Eximius Suarez. *S. Thoꝛ* *Suarꝛ*

164 Rationem autem ſuæ concluſionis dat S. Tho. non ex parte naturarum divinæ, & humanæ, quæ uniuntur in Chriſto, ſed ex parte termini in quo uniuntur, qui maximè unus, & ſimplex eſt nempé Perſona Filij Dei ſimplex, & incompoſita.

165 E diverſo Durandus *in 3. diſt. 1. qu 3.* negat, unionem hypoſtaticam eſſe maximam unionum abſolutè, quamvis non neget eſſe maximam dignitate, quatenus ex ſe eſt communicativa excellentioris, & maximi boni: & conjunctiva extremorum maximé, ac ſummé diſ-

tantium, ut ſunt Deus,& creatura. Nec diſſentit Amicus *diſput.8. num.132.* cum alijs Theologis.

166 Primò: quia ratio S. Tho. non ſubſiſtit. Quòd namque formalis terminus unionis ſit maximè unus, & ſimplex, non arguit unionem eſſe maximam. Sic enim unio humanitatis cum propria ſubſiſtentia dici poſſet maxima: quia habet pro termino perſonam ita unam, ut omninò ſit indiviſibilis in duas perſonas: conceptus enim indiviſionis, cùm negativus ſit, non ſuſcipit magis, aut minùs.

167 Secundò: quia unitas, vel ſimplicitas termini formalis, ad quem communicandum,& adquirendum per ſe tendit unio, non affert per ſe maiorem communicationem ſui, quàm ſi non ita ſimpliciter eſſet unus. Patet in ſubſiſtentia humana, non minùs intimè communicatà humanitati puri hominis, quam Perſonalitas Verbi humanitati Chriſti. Quæ enim major intimitas, quàm faciens, ex natura, & ſubſiſtentia conſtitui unum hominem?

168 Tertiò: quia major compoſitio eſt minor unio: eò ſcilicet minor, quò magis diſcedit ab identitate,ſimplicitate, & unitate: ſed compoſitio ex perſonalitate, & natura eſt major compoſitio, quàm ex partibus tantùm naturæ: nam compoſitioni naturæ ſuperaddit cõpoſitionem perſonæ: ergo compoſitio perſonæ eſt minor unio. Cùm ergo unio hypoſtatica ſit compoſitio, ſeu conſtitutio Perſonæ, eſt minor unio: ac proinde non maxima unionum.

169 Quartò: quia unio, quæ facit ſubſtantiam minùs unam, eſt minor unio ſubſtantialis: ſed unio hypoſtatica facit ſubſtantiam minùs unam, quàm unio puré humana: ergo eſt minor unio ſubſtantialis. Probatur minor: quia unio humana facit unam naturam ſubſtantialem, unam radicem, & principium operationum ſuppoſiti: quod non facit unio hypoſtatica, nam in Chriſto manent duæ naturæ, duo principia operationum inconfuſé, & impermixtim: ita ut nec operationes divinæ naturæ afficiant humanam, nec humanæ divinam: at unio puré humana taliter unit corpus, & animam in unam naturam, ut proprietates, & operationes humanitatis afficiant, & immutent permixtim corpus,& animam,quaſi unum principium completum,& adæquatum earumdem: ſintque propterea unæ, & unius naturæ.

170 Quintò: quia unio accidentium ad ſubjectum videtur major:quatenus nempé magis accedit ad identitatem. Nam accidentia ita intimé communicantur ſuo ſubjecto: v. g. albedo parieti,& intellectio intellectui, ut illud denominent, dicaturque paries albus, & intellectus intelligens, haud minùs, quàm ſi cum ſubjecto identificarentur. At per unionem hypoſtaticam humanitas non redditur tam digna, nec tam ſancta, nec tam perfecta à ſubſiſtentia Verbi, ac ſi cum ipſa identificaretur. Ergo maior unio eſt accidentis ad ſubjectum, quàm humanitatis ad Verbum, quatenus eſt major communicatio.

171 His tamen non obſtantibus amplectimur concluſionem S. Thomæ, quòd unio hypoſtatica eſt, maxima unionum. Primò quia unit extrema diſtantiſſima. Unde Cyrillus *in Scholijs de Incarn. c.7.* ait: *Quoties igitur adunatum eſſe naturæ noſtræ Verbum Dei dicimus, omni humanâ cogitatione adunationis eius modus videtur eſſe ſuperior.* Secundò: quia rationi ſui eſſe eſt perfectiſſima,ut vidimus *ſec. prac.* Tertiò: quia ratione Perſonæ, in qua uniuntur naturæ divina, & humana præcellit omnes alias uniones. Unde Bernardus *cit. nu. 157.* ait unionem hypoſtaticam obtinere ſecũdum locum poſt unicatem naturæ Divinæ in Trinitate Perſonarum. Quartò: quia ſola unio hypoſtatica ita iungit in unum ſua extrema, ut totum, quod inde reſultat, ſit veré, & realiter prædicabile de uno extremo,& viceverſâ unum extremum de toto: veré enim dicimus: *Verbum eſt Chriſtus: Chriſtus eſt Verbum*: non ita: *anima eſt homo*: *homo eſt anima*: ſive, *corpus*. Quintò: quia ſola facit, ut unius partis,ſeu quaſi partis operationes ſint etiam tamquam alterius. Sic nempé, ut operationes humanitatis unitæ Verbo non minori æſtimatione ſint dignæ, quàm eſſent immediatiſſimé elicitæ à ſolo Verbo: & tam honeſtæ, ac meritoriæ ſint ſic denominatæ,& dignificatæ à Verbo, ac ſi non eſſent operationes humanitatis unitæ Verbo, ſed elicitæ ſolum, ab ipſo ſolo Verbo. Id quod nulla alia ſubſtantialis unio ſic præſtat inter ſua extrema. Ex ijs ergo capitibus evadit hęc unio abſolutiſſimé maxima prę alijs unionibus, utpoté magis accedens ad munera identitatis. *Cyril.* *Bernard.*

172 Hinc ad primam rationem contrariam dico in primis,per illam, ſicut nec per ſecundam,non impugnari concluſionem Sanct. Thomæ, ſed rationem concluſionis. Deinde pro ratione S. Thomæ poſſet forté dici, ibi loqui S. Thomam non tam de unione relatâ ad humanitatem, & Verbi perſonalitatem, quàm relatâ ad humanitatem, & Deitatem. Sub hoc autem reſpectu docuit, quod hæc unio non habet præeminentiam in ratione uniendi ex parte eorum, quæ conjunguntur, quia non fiũt ex duabus naturis una natura; ſed ex parte eius, in quo conjunguntur, quatenus unitas Perſonæ, in qua conjunguntur factæ una Perſona, eſt maxima, nempè identitas perſonalis cum natura divina. Nullibi enim contingit, nec

con-

contingere potest, nisi in unione hypostatica, quód duæ naturæ, aut alia extrema realiter uniantur titulo termini cum altero identificati, in quo uniuntur: nam alibi semper contingit, id in quo uniuntur distingui ab alterutro extremorum non minús realiter, quàm extrema distinguntur ad invicem: ideòque non tam intimé, strictéque uniuntur, ac duæ naturæ in Christo per unionem hypostaticam. Sicque *Suar.* subsistit ratio S. Thomæ iuxta P. Suarez *disp.* *Vazq.* *10. sec. 1.* & clariús juxta Vazquez *disput. 20. cap. 2.*

173 Ad secundam constat similiter ex prædicta explicatione, quomodo terminus formalis, ad quem respicit unio hypostatica, nempé unitas Personæ, in qua uniuntur duæ naturæ; sit magis intimé pertinens ad unum ex extremis, nempé ad Naturam divinam, quàm sit ullus terminus formalis creatus ad aliquod ex extremis, quæ per alias uniones veniunt in cõpositionem. Quantumvis enim subsistentia humana intimé communicetur naturæ humanæ; at non unit sua extrema in aliquo termino formali non distincto realiter ab alterutro extremorum: neutrum enim est per se identicé persona humana.

174 Ad tertiam distinguo majorem: major extensivé compositio, ideſt plurium extremorum in unum conjunctio, est minor unio, si ea extrema non unit in unitate simplicissimà termini formalis, permitto majorem, quæ fortè posset adhuc aliter subdistingui: Si ea, quantumvis plura, unit in unitate simplicissimâ termini formalis, nego majorem. Et ad minorem dico, unionem hypostaticam, quamvis extendatur ad plura extrema, ea conjungere in unitatem simplicissimam Personæ Verbi modo explicato singularissimo: ideóque non est minor, sed major unio, utpotè magis accedens ad identitatem, ut vidimus *num 171.*

175 Ad quartam, distinguo quoque majorem: quæ facit subsistentiam minùs unam, tam ex parte terminorum, quàm termini formalis, concedo: quæ, quamvis faciat minús unam ex parte terminorum materialium, facit tamen magis unam ex parte termini formalis, nego. Hujusmodi autem est unio hypostatica: nam quamvis terminos quasi materiales, nempé naturas divinam, & humanam, earumque operationes, inconfusos, & impermistos relinquat, & verè duos, dualitate naturæ; at illos conjungit in unitatem Personæ modo strictiori singularissimo, unitatis simplicissimæ supra explicato: scilicet in Personalitate Verbi simplicissimé una, realiter identificata cum alterâ ex naturis, quas conjungit. Unde nulla est consequentia.

176 Ad quintam potest dici, illud discrimen inter uniones accidentales, & hypostaticam, non tam provenire ex defectu, vel minoritate unionis, quàm ex defectu capacitatis subjecti, seu extremi uniti: quod propter intrinsecam limitationem incapax est tantarum denominationum ab alio extremo unito, nempé Verbo: quocum si humanitas per impossibile identificaretur, jam non esset utcumque deificata, sed esset Deus. Dici etiam potest, majoritatem illam, aut potius esse ex imperfectione extremorum sic aliunde perfectibilium, & mutabilium, quàm ex perfectioritate unionis; aut esse dumtaxat majoritatem quamdam secundum quid ex aliquo capite; cum quo stat optimè, quód ex alijs multis capitibus excellat unio hypostatica, sicque sit absolutissimè major, & unionum maxima.

SECTIO XV.

Quid de majoritate in ratione doni gratiæ, & beneficij excellentissimi?

177 SErmo est non de ratione gratiæ, & beneficij Incarnationis respectu totius generis humani, & universæ creaturæ, sed respectu humanitatis hypostaticè assumptæ in Personam Filij Dei. In hac autem ratione gratiam unionis hypostaticæ esse summam, & maximum beneficiorum Dei etiam possibilium, est communis Sanctorum, ac Theologorum sensus, & loquutio, ut videre est apud Valentiam *disp. 1. qu. 2. puncto 3.* Petavium *lib. 4. c. 14 & 15.* & Suarez *in comment ad art. 9. q. 2* Sufficiat nobis S. Tho. ex August. *15. de Prædest. Sanctorum: Prædestinata est ista natura humana tanta & tam celsa, ac summæ subvectio, ut quò attolleretur amplius non haberet.*

178 Usque adeò, ut Anton. Perez, qui in esse entis nimis deprimit perfectionem unionis hypostaticæ; in ratione tamen gratiæ, ac beneficij eam summé extollat ratione Personæ Verbi ipsi communicatæ: dicatque, non posse id sine errore negari. Nititur autem præsertim verbis Pauli ad Hæbr. 1. ubi dicitur Christus: *Hebr. 1.* *tantò melior Angelis effectus, quantó differentius præ illis nomen hæreditavit: cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, &c.* Loqui autem de Christo, ut homine, colligitur ex eo quod ait: *melior Angelis effectus:* nam Christus ut Deus non est melior effectus; sed ab æterno genitus non factus, & omnia creata superexcedens, non effectione, sed increatâ generatione.

179 Hinc formari potest hæc ratio. Christus ut talis vi unionis hypostaticæ supra id quod Verbum erat Filius Dei naturalis, ac necessariùs, est aliquid in tempore superexcellens, & infinitè majus, quàm quodlibet aliud opus Dei:

Digitized by Google

Dei : ſed hoc fit per unionem hypoſtaticam: ergo quia huiuſmodi unio communicat, & affert humanitati intimitate quâdam infra identitatem majori donum gratiæ infinitè maximũ: atque adeó evehens,& magnificans illam in ratione beneficij ſupra cuncta alia gratiæ dona. Minor ex ſe patet.

180 Major, quæ videtur deduci ex verbis Pauli nuper adductis, probatur inſuper. Primó ex communi ſenſu Fidelium, Chriſtum etiam ut in tempore conceptum,& natum ſuper creata cuncta collaudantium. Secundò,ex frequentibus SS. Patrum loquutionibus, Incarnationem prædicantibus maximum Dei opus: quatenus tota Dei majeſtas, ac plenitudo divinitatis ſeſe infuderit humanæ naturæ per Incarnationem. Tertiò, ex doctrina Theologorum paſſim obvia, quòd Incarnatio eſt medius quidam modus, quo ſeſe Deus communicat, inferior quidem æterno per generationem, ac ſpirationem ad intra; cæteris autem per gratiã, ſeu viſionem communicationibus, etiam poſſibilibus, ſuperior. Quartò ex pia, juſtâque ferè omnium exiſtimatione, quòd Maternitas Dei ſit maxima inter dignitates puræ creaturæ, de quo Suarez *tom.2. diſp. 1.* Petav. *l.14. c.8.* Ripal. *tom.2. diſp.79.* & lato, ac erudito calamo noſter Franciſcus Garau. *in Deipara elucid. Princip. 2.* Non autem tanta foret moralis ea dignitas Matris, ſi dignitas Chriſti, ut Filij Matris, ac proinde ut hominis de novo habentis in tempore per Matrem gratioſum illud eſſe ex æterna prædeſtinatione, non eſſet phyſicè ſumma in ratione gratiæ,& beneficij : quandoquidem juxta hujus operis, ſeu effectûs magnitudinem emetienda eſt moralis dignitas Matris cum debita proportione citra æqualitatem.

Suar. Petav. Rip. Garau.

181 Probatur nunc conſequentia primi ſyllogiſmi. Nam ut aliquod opus per unionem compoſitum ſit cæteris majus, & ut tale verè ſummum, neceſſe eſt, quòd uni ſaltem parti, ſeu quaſi ſubiecto, communicetur vi unionis formaliter, bonum aliquod cum proportione majus, quàm cæteris. Conſtat hoc per inductionem: & ſuadetur facilè:quia ea unio non ſolum ſupponit aliquid magnum, & ſæpé majus, & in Chriſto ſummum, nempè Verbum divinum ; quin etiam ponit vi ſua de novo aliquid magnum, ſeu magnificatum, eó ſcilicet plùs magnificatum, quò bonum, quod ſupponit, & cõmunicat,majus eſt.Alioquin poſſet excellens illa magnitudo exiguam,aut etiam nullam perfectionem,& magnitudinem refundere, ac cõmunicare ſubjecto: ſi autem aliquam, cur non excellentiſſimam ? Accedit quòd de ratione divinæ bonitatis,& perfectionis eſt, aut non cõmunicari eo quod non applicetur quaſi ſubjecto capaci ; aut ſi debitè communicetur quaſi ſubjecto capaci, illud bonificare, & perficere magis quàm quælibet alia minor bonitas ; & perfectio. Hinc Auguſtinus *tr. 28. in Ioann.* ſummam Incarnationis gratiam de ipſa humanitate prædicans, ait: *ad Perſonam Vnigeniti Filij Dei per gratiam pertinet humana natura,& tantam gratiam, ut nulla ſit maior,nulla æqualis.* *Auguſt.*

182 Objicies. Vi unionis hypoſtaticæ exiſtit Chriſtus, qui, ut talis,eſt ſummus,& æqualis Patri ; quin propterea ſummè bonificet, ac perficiat humanitatem æqualiter ad Patrem. Ergo ex eo quòd vi unionis hypoſtaticæ ponatur opus Incarnationis,quod eſt ſummum;non ſequitur, quòd ita magnificet, ac perficiat humanitatem,quæ eſt quaſi ſubjectum tantæ bonitatis, ut ſummè illam extollat in genere gratiæ, ac beneficij.Confirmatur: Verbum ex ſe tam eſt ſummè perfectivum humanitatis abſolutè, quàm eſt perfectivum illius ſummè reſpectivè ſuper omnes alias gratias : ergo ſicut non bonificat, aut perficit humanitatem abſolutè ſummè, ſive æquè ac ſe ipſum, & Deitatem; ita nec illam perficit ſummè reſpectivè ſupra omnes alias gratias.

183 Reſpondetur conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Diſparitas ſumenda eſt à diſcrimine inter rationem ſummi boni, quod eſt Verbum ſibi & ſecundum ſe præſuppoſitivè ad unionem;& rationem ſummi beneficij gratioſi, quod non eſt Verbum ſibi, aut ſecundum ſe præſuppoſitivè ad unionem ; ſed humanitati reſpectivè per unionem: Unde vi unionis non fit quód Verbum ſit ſummum bonum, ſed quód illud quod erat ſummum bonum communicetur beneficè humanitati,conſtituaturque Chriſtus. Itaque benè ſtat, quòd vi unionis non ponatur, nec fiat ſummum bonum, ſecundum id per quod Chriſtus æqualis eſt Patri, & quód vi unionis ponatur id ipſum in ratione ſummi beneficij, ſummæque gratiæ: quia hoc habet reſpectivè ad humanitatem. Quæ propterea, quamvis propter ſuam limitationem non evadat æquè bona, & magna ac Pater, aut Deus; evadit tamen ſummè bonificata,& magnificata in ratione gratiæ,& beneficij ſuper omnia: quia reſpectivè ad Deum non habet divina bonitas,& perfectio rationem beneficij,& gratiæ ; reſpectivè verò ad creaturam nulli ſic intimè communicatur, ſicut humanitati vi unionis hypoſtaticæ : taliter ſcilicet, ut nequeat ſic communicari, quin reſpectu talis humanitatis habeat rationem ſummæ gratiæ, ſummique beneficij, à nullo alio beneficio, nullàque gratiâ ſuperabilis ; imó nec exæquabilis, niſi interventu, & vi alterius unionis hypoſtaticæ.

184 Ad confirmationem, nego antecedens: nam ſicut quod eſt verè, & per identitatem Deus ex ſe ſuperat omne, quod ſic non

eſt

est Deus, in omnibus, & singulis perfectionibus; ita quod est per physicam unionem in Deo sicut humanitas Christi,& constituit cum Deo physicé unam Personam; quamvis nec Deus sit, nec Persona Divina sit, sicut re ipsa humanitas nec Deus est, nec Persona Divina est; necesse est quód superet propter illud donum sic physicé communicatum quæcumque alia, quæ sic non sunt in Deo: quod est in ratione doni gratiæ, ac beneficij pertingere ad summitatem,& infinitatem,iuxta S.Tho. *quæst. 7. artic. 11.* infra quam sunt quæcumque alia gratiæ dona,& beneficia. *S.Thom.*

185 Objicies difficiliús. Unio hypostatica non est tantum donum, tanta gratia, tantum beneficium,ut aliud maius dabile non sit, etiam respectivè ad humanitatem: ergo non pertingit ad summum, neque ad infinitatem simpliciter, adhuc in ratione doni gratiosi, & in genere beneficij. Consequentia tenet: quia summitas in aliquo genere non agnoscit maius supra se;& infinitum simpliciter excedi nequit in suo genere infinitatis, ut ex dictis *disp. 3. de Attrib. sect. 1.* exponemus infra *disp. 7. sect. 12.* ubi de infinitate offensæ. Antecedens autem probatur dupliciter: *Tom. 1. Disp. 3. Infra Disp. 7.*

186 Primò: quia loquendo seorsim de unione,& visione,maius beneficium,maiorque gratia esset visio. Quod sic ostenditur. Tum quia Beneficium est actio benevola gaudium tribuës accipienti: at absq dubio maius est gaudium beatificæ visionis, quam unionis hypostaticæ, seclusà visione. Tum quia beatifica visio est possessio Dei, fœlicitas æterna, & consequutio ultimi finis creaturæ rationalis:quâ fœlicitate, & possessione ultimi finis privata esset humanitas unita Deo, si careret visione. Tum quia, si careret beatificâ visione, posset etiam carere omni alia notitia sui statûs hypostatici: qua notitiâ deficiente, nullum habere posset gaudium de sua unione,deque statu suo quantumvis elevato, ac fœlici. Sic autem fœlix absolutè non esset,utpote minimè beata,imó privata possessione beatificâ sui ultimi finis ad quem ordinatur, & procurare obligatur. Tum quia propter hæc omnia videtur indubitandũ, eligibilius quid esse,& ex obligatione fœrè naturali potiús eligendum à quolibet sanæ mentis possessionem sui ultimi finis per visionem beatificam,æternamque fœlicitatem beatorum, quàm unionẽ hypostaticã perpetuò sine visione: præsertim si unionẽ hypostaticam comitarentur miseriæ cum ipsa cõpatibiles,eis similes, quas in vita mortali passus est Christus. Quænam enim hæc esset fœlicitas propria naturæ rationalis ordinatæ ad æternam Dei possessionem fœliciſſimam? Seorsim igitur si considerentur, maius absolutè bonum esset, maiusque beneficium humanitati visio, quàm unio.

187 Secundó. Dato quód visio beatifica non esset maius bonum, & eligibilius beneficium,quàm unio seorsim; at saltem complexũ ex utraque fore quid melius, & eligibilius,maiusque beneficium,& donum gratiæ, quàm esset sola unio,perspicuum est. Hoc autem sufficit,ut beneficium unionis seorsim non sit summum,nec simpliciter infinitum in ratione boni,ac doni gratiosi respectivé ad humanitatem, ut supponimus ex S. Tho. Nam summum, & simpliciter infinitum nequit in eo genere susceipere ipcrementum, nec in consortio alterius potest constituere aliquid tertium supra seiam enim eo ipso desineret esse absolutè summum, & simpliciter infinitum: esseteque simul & non esset summum in eo genere: quod implicat in terminis. Stat ergo veritas primi antecedentis, quod unio hypostatica non est tantum donum, ut aliud maius dabile non sit: cum dabile sit complexum ex unione,ac visione absolute maius,& eligibilius,quàm sit sola unio.

188 Difficili huic obiectioni facilem ac solidam responsionem non invenio, nisi dicamus,donum,ac beneficium unionis hypostaticæ importare secum necessariò beneficium visionis beatificæ, taliter ut omnino impossibile sit, humanitatem evehi ad statum unionis hypostaticæ, quin eo ipso evehatur ad visionem beatificam, quacum videlicet essentialissimé connectitur. Nec enim satisfacit doctrina,quã promovet doctè Ripalda *disp. 100 sect. 10.* contendens; unionem ipsam hypostaticam esse formalem beatitudinem, utpotè possessionem intrinsecam summi boni, multó intimiorem, ac strictiorem, quam sit possessio intentiónalis per visionem Deo extrinsecam. Nam eiusmodi possessio physica,& emortua, non est possessio ultimi finis propria intellectualium capacium veræ fœlicitatis,sitæ in possessione, & fruitione summi boni, de qua SS. Patres, & universi Theologi loquuntur nomine beatificæ possessionis Dei. Itaque,ut ingenuè loquar,hoc non esset extollere unionem hypostaticam ad rationem veræ,ac legitimæ possessionis beatificæ Deiſsed deprimere rationem formalis beatitudinis ad possessionem Dei physicam, & emortuam: quæ eo ipso nequit esse formalis beatitudo propria intellectualium capacium fœlicitatis. Ne Deus quidem fœlix & beatus esset, si visione,amore,& fruitione sui non gauderet. *Rip.*

189 Stando igitur doctrinæ insinuatæ de essentialiſſima connexione unionis hypostaticæ ad naturam capacem beneficijs,gratiæ:doni,fœlicitatis,& veræ beatitudinis,cum visione beatificâ, quam oportuniús discutiemus *disp. 12.vbi de Scientijs Christi*; respondetur pro nunc ad obiectionem negando antecedens.

190 Ad primam probationem *num. 186.* petmitto, vel concedo antecedẽs cum sua efficaci

caci probatione, comparatione factâ inter viſionem, & unionem non eſſentialiter connexã cum viſione. Ea tamen vis non premit, comparatione factâ inter viſionem, & unionem hypoſtaticam ſecum neceſſitate metaphyſicâ importativam viſionis. Nam in ratione doni ac beneficij totum id amplecteretur ciuſmodi unio: & perinde eſſet humanitati eſſe hypoſtaticè unitam, ac eſſe beatam: non formaliter beatam per ipſam unionem, ut contendit Ripalda; ſed per viſionem, & fruitionem ſummi boni, & ultimi finis. Quodſi hoc non habet unio hypoſtatica reſpectu corporis diviſim ab anima; ideo reſpecta corporis nec habet rationem doni gratioſi, nec beneficij: hæc enim ſolum dicuntur propriè reſpectu intellectualium, utpotè capacium fœlicitatis.

191 Ad ſecundam *num.* 187. dico, procedere ſimiliter, factâ comparatione unionis ſeiungibilis à viſione, & complexi ex utraque. Non ita, factâ comparatione unionis eſſentialiter connexæ cum viſione, & complexi ex utraque. Num quoad æſtimationem, & eligibilitatem perinde eſt illa unio, & iſtud complexum in ratione doni, ac beneficij: in qua ratione diximus habere ſummitatem, & infinitatem ſuper omnia alia beneficia, & dona creata Dei? Unde falſa eſt ultima conſequentia, alioquin, me iudice, innegabilis. Difficultates, quæ contra doctrinam iſtam poſſunt excogitari, diſſolvemus, Deo dante, *diſp.* 12.

Infra. Diſp. 12.

192 Hæc ſint dicta de excellentia doni, ac beneficij unionis hypoſtaticæ in genere ſupra alia cuncta dona, ac beneficia creata diſtincta ab unione. Quid iam de unione iſta hypoſtatica, quæ de facto eſt, comparativé ad alias etiam hypoſtaticas uniones poſſibiles? Eſtné dabilis aliqua maior, ac perfectior iſtâ? Affirmat abſolutè Ripalda *tom 2. diſp. vlt. ſect. 39.* Iuxta cuius principia hæc unio hypoſtatica, quæ de facto datur non terminata immediate ad Naturam divinam, ſed ad ſolam Perſonalitatem Verbi; non erit omnium dabilium perfectiſſima: quia perfectior eſſet quæ uniret humanitati ſubſiſtentiam abſolutam, ſeu immediatè naturam divinam: aut quæ uniret humanitati tres divinas Perſonas. Hoc mihi placere nequaquam poteſt. Quippe cùm pares omnino formaliter in perfectione defenderim perfectiones divinas, & tam perfectam eſſe unam divinam Perſonam, ac tres ſimul *diſp. 3. de Attrib. ſect. 7. & 8.* nulla perinde maior unionis perfectio mihi affulget: cuius etiam iudicij invenio denuò Magiſtrum Prudentium *tract. 1. de Incarnat. diſp. 3 dub. 1 ſect 6.* Deinde falſum etiam iudico, unionem hypoſtaticam, quæ de facto eſt, non terminati immediatè ad Naturam divinam modo quo id ex profeſſo defendemus *diſp. 2. ſect. 4.*

Rip:

Tom 1. diſp. 3.

Prud.

Infra Diſp. 2.

193 Ex parte tamen extremi creati perfectioris non gravabor admittere aliqualem maiorem perfectionẽ phyſicam in una unione hypoſtatica præ alijs: ſicque unionem Verbi ad Angelum perfectiorem phyſicè fore, quàm quæ de facto datur ad humanitatem. Conſequenter inter ipſas, quæ de facto dantur in Chriſto, perfectiorem ſimiliter eſſe unionẽ Verbi ad animam unione ad corpus ſeorſim. Quin tamen perinde totum, quod ex una unione reſultaret perfectiùs dici poſſet toto reſultante ex alia: quia in utrolibet includeretur Deus, perfectio ſumma, ut dixi *diſp. 3. de Attrib ſect. 11.* Notandum verò, quod in ratione doni, aut beneficij non excelleret unio ad Angelum unionem ad humanitatem.

Tom. 1. diſp. 3.

SECTIO XVI.

An, & quemodo Unio hypoſtatica ſit ſupernaturalis. Ubi de eius cognoſcibilitate: & de notitia Incarnationis.

194 Liquidò conſtat ex dictis, hypoſtaticam unionem eſſe ens in ſubſtantia ſupernaturale, ſeu ſubſtantiam ſupernaturalem modalem. Eſt enim ens ſine dubio ordinis divini, utpotè coniungens mirificè humanitatem cum Deo, ipſamque ſublimi elevatione deificans: & eximié ſuperans vires, debitum, & exigentiam totius naturæ: hoc eſt, omnis ſubſtantiæ entitativæ creatæ, & creabilis. Uſque adeó, ut quamvis multi poſt Ripaldam exiſtiment poſſibilem ſubſtantiam creatam entitativam, cui connaturalis eſſet aliqua forma ſupernaturalis, ſcilicet Gratia, aut Viſio beata; nullatenus tamen, cui connaturalis, eſſe poſſit unio hypoſtatica ob præſtantiorẽ iſtius ſupernaturalitatem. Quinimò dixi *diſp. 18. de Attrib ſect 8.* Unionẽ hypoſtaticã non utcũque eſſe ens ſupernaturale; ſed ſpecialiter eſſe unã ex Supernaturis, in ordine ad quàm alia multa dona dicuntur ſupernaturalia, ſicut alia in ordine ad naturam, naturalia: & *ſect. 5.* dedi rationẽ, cur repugnãte ſubſtãtia creatâ entitativa ſupernaturali, ẽ ſimiliter repugnet modus iſte unionis hypoſtaticę ſubſtãtialis ſupernaturalis, cui debeatur divinum Suppoſitum. Quia nempe ſubſtantia entitativa creata, eo ipſo quòd talis ſit, eſſet Natura, quæ ut contrapoſita Supernaturæ, nihil eſt aliud in ſenſu, & ore SS. Patrum, quàm ſubſtantia creata entitativa: implicat ergo eo ipſo, talem ſubſtantiam eſſe ſupernaturalem. Ens autem modale, ſicut neque accidentale, non eo ipſo eſt Natura Theologicé accepta. Plura Aldrete *diſp. 30.* & Nos loc. cit.

Ripal.

Tom. 1. diſp. 18.

Aldret.

195 Poſitâ citra dubium unionis hypoſtaticæ ſupernaturalitate, controvertitur difficultas de ipſius cognoſcibilitate, & de notitiâ Incarnationis: qualis videlicet notitia, & quemodo habea-

habeatur, vel haberi possit à nobis, de Incarnatione factâ, vel factibili. Multa circumferuntur Authorũ dissidia, quæ noviter videri possunt apud Magistrum Lumbier *q 3. per totam.*

Lumb. 196 Relictis Infidelibus, qui Incarnationem incognoscibilem putant, quia putât impossibilẽ; contra quod egimus *sect. 1. 2. & 3.* convenimus Theologi in eo quod lumine, & viribus supernaturalibus homines, & Angeli habere possunt, & habent certissimam, & evidentem notitiam unionis hypostaticæ, & Incarnationis possibilis, & existentis. Certissimam quidem per Fidem supernaturalem in via post multiplicem Dei revelationem in Sacris Scripturis, quas præter Suarez, Petavium, & Conine citatos *num. 3.* expendit videndus etiam Lumbier. *qu. 2. art. 6.* *Suar.* *Petav.* *Coninc.* *Lumb.* *& 7.* Evidentem verò per visionem beatificam in Patriâ.

197 Difficultas supereſt de notitiâ naturali per lumen, & vires naturæ seorsim à revelatione divinâ. Multi communiter cum Ripalda *Ripal.* non solùm de Unione hypostaticâ, seu de Incarnatione; quin etiam de quovis ente supernaturali, generaliter negant, posse evidenter cognosci viribus naturæ, sive ut actuale, sive ut possibile. Pater Valentia affirmat possibilitatem Incarnationis posse naturaliter evidenter cognosci *Valetia.* ab homine, vel Angelo negativè: hoc est, iudicari non repugnans solutis evidenter implicantijs occurrentibus. Scoto, & Medinæ tribui solet, quòd dixerint, Incarnationem iam patratam, *Scot.* *Medina.* & existentem posse seorsim à revelatione naturaliter evidenter cognosci ab homine, vel Angelo. Bonaspei tenet, Incarnationem non posse naturaliter evidenter cognosci ab Angelo, vel homine, qui nunc sunt; benè verò ab alia substantia creabili, cui esse posset connaturalis species propria Incarnationis. Alij nec probabilem notitiam Incarnationis existimant haberi posse ab homine, vel angelo per lumen, & vires naturæ. *Bonasp.*

198 Prima conclusio. Posset homo, vel Angelus naturaliter, seclusâ revelatione, notitiâ aliqualem Unionis hypostaticæ, & Incarnationis adquirere. Probatur communiter, & facilè: quia, ut similiter discurritur in suis terminis pro Mysterio Trinitatis, quis neget posse Angelo naturaliter occurrere istos terminos, *humanitas: divinitas: Personalitas: Unio?* His autem menti occurrentibus, poterit saltem dubitativè apprehendere an repugnet Personalitati divinæ uniri humanitati, sicque fieri Deus Homo: igitur eiusmodi saltem notitia apprehensiva dubitativè habita negari nequit naturæ viribus iuxta modum ordinarium, quo intellectus creatus sibi relictus, apprehensis terminis quibuslibet, excitare solet dubitationes varias circa mutuam ipsorum repugnantiam, seu combinationem.

199 Secunda conclusio. Potest deinde viribus etiam, & lumine naturæ ab eodem intellectu fieri assensus alicuius probabilis de possibilitate, imò & de existentia Incarnationis, omni seclusâ divinâ revelatione. Hoc negant aliqui cum Martinon *disp. 1. sect. 2.* Probatur: quia, semel positâ prædictâ dubitatione, quamvis occurrant difficultates multæ retrahentes ab assensu; at tales non sunt, quas intellectus Angelicus perspicax non valeat superare sese probabiliter expediens ab implicantijs, quæ sibi obijcerentur contra eiusmodi coniunctionem humanitatis cum Deo summè bono, ideoque valde communicabili: Non est ergo, cur, sic dissolutis implicantijs occurrentibus, non posset prudenter, ac saltem probabiliter iudicare, id minimè repugnare. *Martin.*

200 Ad hæc. Quamvis Angelus ipse non sic assentiret, sed maneret suspensus, imò, & quâvis dissentiret; posset tamen animo fallendi proponere homini hoc Mysterium, ut ipsi venerat in mentem, & apparenter solvere repugnantias, & attestans se ita sentire, homini persuadere suũ assensum: quibus sic positis, homo probabiliter, & prudenter suum assensum serio præstaret. Ergo hoc saltem modo assensus aliquis probabilis & prudens haberi naturaliter posset ab intellectu creato, seorsim à divinâ revelatione circa possibilitatem huius Mysterij: saltem in genere, prout est unio humanitatis cum Persona divinâ: ne nos immiscearnus in notitiam Trinitatis Personarum in una essentia, quod est altioris indaginis propter obstaculum illius principij: *quæ sunt eadem uni tertio sunt idem inter se.*

201 Quinimò, & similiter circa Incarnationis existentiam. Nam, visis postea operibus Christi, & auditis quæ de ipso dicebantur apud vulgus, posset Angelus, aut homo naturaliter dubitare, an in eo homine fuerit reipsa patratum à Deo id, quod aliunde videbatur ipsi non repugnans, scilicet uniri in una Persona humanitatem Deo. Ecce iam apprehensionem dubitativam de existentia huius mysterij. Quâ naturaliter habitâ, posset suadere sibi prudenter Angelus rationibus probabilius eius existentiam: & multò meliùs eam persuadere homini naturaliter, & prudenter crediturο, ut de possibilitate dictum est. Sic igitur haberi posset naturaliter assensus prudens probabilis, non solùm de possibilitate, quin etiam de existentia Incarnationis saltem in genere.

202 Ad hunc fortè probabilitatis gradum pertingebat ea notitia, quâ *Luc. 4. exibant dæmonia á multis clamantia: Tu es Christus Filius Dei: & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant, ipsum esse Christum.* Ubi SS. Patres apud Suarez *disp. 31. sect. 3.* dicunt dæmonem cognovisse Christum: at certè non per cognitionem supernaturalem. Addunt alij apud *Luc. 4.* *Suar.*

Bernal. Bernal. *disp.* 1 *sect.* 4. §. 2. Dæmonem ſæpe impedituin divinitùs fuiſſe, né id cognoſceret: ergo quia potuit naturaliter cognoſcere exiſtentiam Incarnationis conferens naturali diſcurſu quæ fiebant, & dicebantur à Chriſto, & de Chriſto probabiliter ſaltem, & ſuſpicativè, ut loquitur S. Tho. cum Chriſoſtomo apud Ripaldam *tom.* 1. *diſp.* 11. *num.* 31. Sic etiam ferè Lumbier *qu.* 3.

S. Thom. Chriſoſt. Ripald. Lumb.

203 Tertia concluſio. Seclusâ divinâ revelatione, nequit ab intellectu creato haberi notitia naturalis evidens Incarnationis per naturale lumen. Eſt communis contra aliquos citatos *num.* 197. & probari ſolet argumento communi; ſed nec ſolido, nec verò, ſic. Nullum ens ſupernaturale poteſt naturaliter evidenter cognoſci ab intellectu creato per naturale lumen: quia ens ſupernaturale debet ſuperare vires naturæ etiam in cognoſci evidenter: Sed unio hypoſtatica, & Myſterium Incarnationis eſt ens ſupernaturale: nequit igitur naturaliter evidenter cognoſci. Cæterum maiorem univerſaliter eſſe falſam probavi ſatis contra Ripaldam, & aſſeclas *dictâ diſp* 18. *de Attrib. ſect.* 12. cum Vaſquez, Arrubal, Perez Benedictino, Aldrete Quiros, & Cardin. de Lugo, ubi dedi multa obiecta ſupernaturalia, quæ ſine dubio naturali evidẽtia cognoſcuntur ab intellectu creato: eâ videlicet claritate, ne de voce evidentiæ contendamus, quâ novit Philoſophia naturalis Deum eſſe, & ſapientem eſſe, & quâ cognoſcimus, diem eſſe quando Sol lucet.

Tom. 1. diſp. 18. Rip. Vaſq. Arrub. Perez. Aldret. Quiros. Lugo.

204 Aliter ergo probo concluſionem ſpecialiter. Atque in primis ab authoritate. 1 Corinth. 2. *Loquimur Dei ſapientiam in Myſterio*, (Incarnationis) *quæ abſcondita eſt, quam nemo Principũ huius ſæculi cognovit.* Epheſior. 3 *Sacramentum abſconditum à ſæculis in Deo.* Coloſſenſ. 1. *Myſteriũ abſconditũ à ſæculis.* Ex quibus Concilium Epheſ. dixit, Verbum coniunxiſſe ſibi naturam humanam, *modo inexplicabili*: & mox addit Incarnationem factã eſſe ſecretè, *& ineffabili Deitatis, & humanitatis in vnum conventione.* Sic etiam dixere Hierotheus, & Dionyſius, hoc Myſterium eſſe ſupra mentem, ſupra rationem, quod nec oratione explicari, *nec ratione percipi valet.* Et ſimiliter alij SS. Patres. Nimis planè forent exaggeratoriæ loquutiones iſtæ, ſi naturalem ſaltem evidentiam non ſuperaret Myſterium iſtud.

1. Cor. 2. Epheſ. 3. Coloſſ. 1. C. Epheſ. Hieroth. Dionyſ.

205 Ratione verò probatur. Ut cognoſcatur evidenter exiſtentia, ſeu poſſibilitas Incarnationis, notum abſque formidine deberet eſſe intellectui creato lumine naturæ, non repugnare Verbo, ſeu Perſonæ divinæ, uniri hypoſtaticé humanitati: ſed hoc eſt impoſſibile: ergo & noticia evidens naturalis Incarnationis. Probatur minor. Primò: quia nequit evidenter naturaliter ſciri in Deo dari Verbum Perſonale diſtinctum ab alijs Perſonis divinis: cùm prætervolet omnino naturalem evidentiam intellectús creati abſtruſiſſimum Trinitatis Myſterium. Secundò: quia, ut naturale lumen iudicet evidenter, Perſonam divinam, adhuc in genere, uniri poſſe hypoſtaticé humanitati, vincere deberet evidenter, & ſine formidine difficultates in eiuſmodi unione occurrentes, tam ex parte naturæ humanæ, quàm ex parte perſonalitatis divinæ: hoc autem eſt prorſus impoſſibile propter infinitudinem Dei infinitè ſuperantem captum intellectus creati & propter defectum mediorum ad id ſine formidine infetendum.

206 Unde, quo perfectior eſſet intellectus, ſublimiùs conciperet de infinitate Dei: & quamvis ſolveret difficultates occurrentes in eo quod divina Perſona uniretur hypoſtaticé naturæ creatæ; ſemper tamen formideret, imò & deberet aut ſaltem poſſet prudenter formidare, an in illo pelago infinitudinis puriſſimæ, & abſtruſiſſimæ Dei, lateret aliqua repugnantia ita ſe coniungendi cum extremo diſtantiſſimo imperfectionibus pleno. Relictus igitur homo, vel Angelus naturali diſcurſui, aut iudicaret id eſſe indecens, & impoſſibile; aut maneret ſuſpenſus, & anceps; aut ad ſummum non evidenter, ſed cum magnâ formidine iudicaret id eſſe poſſibile.

SECTIO XVII.

Argumenta pro evidenti notitiâ naturali Incarnationis: eorumque ſolutiones.

207 PRimum. Angelus evidenter naturaliter ſcit perſonalitatem aliquam creatam uniri poſſe naturæ alienæ in unitatem Perſonæ: ergo, & à fortiori Perſonalitatem divinam; eo utiquè communicabiliorem, quò melior eſt. Confirmatur. Lumini naturali patet eſſe poſſibile, quod non repugnat: ſed patere poteſt lumini naturali, non repugnare, quòd natura humana uniatur hypoſtaticé Perſonæ divinæ: ergo & Incarnationem eſſe ſaltem poſsibilem. Minor probatur: quia pro repugnantiâ talis unionis nullum poteſt fieri evidens argumentum: cùm verum non ſit, nec tale, quod ab homine, vel Angelo ſolvi non poſſet lumine naturali: ergo ſaltem quoad non repugnantiam patere poteſt lumini naturali, id non repugnare.

208 Reſpondetur, antecedens eſſe mihi falſum, ex dicendis *diſp.* 3. *ſect. vlt.* Imò iudicò probabilius, Angelum evidenter ſcire oppoſitũ: cum id re vera omnino repugnet. Permiſſo deinde antecedente, negatur conſequentia, ob ſpeciales difficultates, quæ, ut nuper expendebam, occurrerent ex parte Perſonalitatis divinæ puri-

Infrà diſp. 3.

Digitized by Google

tissimæ, simplicissimæ, & distantissimæ à quâvis naturâ creatâ infinitè inferiori. Ad confirmationem, nego minorem. Ad probationem concedo primam partem antecedentis, ex qua nihil concluditur. Nam ex eo quod non fiat evidens argumentum pro repugnantia, non sequitur evidens argumentum pro non repugnãtia: manente scilicet utrinque dubio, aut iudicio inevidenti, seu probabili. Distingo autem secundam partem antecedentis: nec tale, quod solvi non posset lumine naturali evidenter, nego: aliquali probabilitate iuxta secundam nostram conclusionem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Quidquòd, & quamvis Angelus solveret evidenter cunctas repugnantias sibi contra eiusmodi unionem occurrentes, adhuc non assentiretur evidenter eius possibilitati: semper enim posset, ac deberet prudenter formidare, an ex parte Dei infinitissimi lateret aliqua repugnantia sibi non occurrens: quod sufficit ad cohibendum assensum evidentem.

209 Secundum. Ex Scripturis allegatis *nu.202.* arguunt SS. Patres apud Bernal, dæmonem fuisse aliquando divinitùs impeditum, ne cognosceret, Christum esse Deum: non autem fuit impeditus, ne id cognosceret probabiliter: ergo ne id cognosceret evidenter: ergo quia poterat id evidenter cognoscere naturaliter, nisi divinitùs impediretur. Respondetur, ex illis testimonijs colligi, dæmones habuisse aliquam notitiam vehementer suspicativam; & ad summum, iudicium aliquod probabile de hoc Mysterio: si enim evidentiam haberent, non toties tentassent scire, si forté possent, Personam illius hominis esse Deum. Illi verò Patres apud Bernal. dicunt, dæmonem fuisse aliquando specialiter impeditum non à cognitione physicé evidenti, nam ab hac non erat necesse illum sic impedire; sed ab alia notitia probabiliori, & vehementiori, feré moraliter evidente ex tot signis, quæ fiebant, & dicebantur. *Bern.*

210 Tertium. Potuit haberi naturali lumine cognitio probabilis vera, affirmans dari, vel posse dari Incarnationem: ergo, & evidens. Antecedens fuit nostra secunda conclusio. Cõsequentia probatur: nam Angelus evidenter naturaliter cognoscens reflexé eã cognitionẽ probabilẽ suã, vel hominis, cognosceret evidenter, esse veram: sed evidens est non posse esse verã, nisi detur, vel dari possit Incarnatio; èrgo cognosceret evidẽter dari, vel posse dari Incarnationẽ. Maior probatur: quia veritas cognitionis naturalis, cũ sit eius proprietas, est quid naturale: ergo Angelus naturaliter evidenter cognoscens illam cognitionẽ naturalem, eiusque proprietates naturales, cognosceret eius veritatem: ergo naturaliter evidenter cognosceret, esse veram.

211 Respondetur, negando consequentiam. Ad probationem, negatur maior. Ad cuius probationem dic, veritatem esse proprietatem cognitionis primo illo modo proprij, quod iuxta Dialecticos, *convenit soli, non tamen omni*. Itaque ex notitia affirmativâ reflexâ etiam intuitivâ cognitionis probabilis non infertur notitia affirmativa, quòd talis cognitio sit vera, quamvis re ipsa vera sit: obiectum autem sic se habere non inferretur ex intuitiva notitia cognitionis; sed veritatis. Falsum deinde est, veritatem dictæ cognitionis probabilis de Incarnatione esse adæquatè quid naturale, cùm dicat ex una parte affirmationem naturalem Incarnationis, & ex alia parte ipsam Incarnationem supernaturalissimam. Sic coexistentia Lapidis cum Trinitate, vel Incarnatione non est adæquatè naturalis, cùm prætet existentiam Lapidis dicat ex alia parte existentiam Trinitatis, vel Incarnationis. Denique distingo penultimum consequens: Angelus naturaliter evidenter cognoscéns cognitionem illam naturalem cognosceret eius veritatem cognitione evidenter affirmante, eam cognitionem esse veram, nego: sicut neque cognosceret coexistentiam Lapidis cum Trinitate cognitione naturali evidenter affirmante talem coexistentiam: propter dependentiam scilicet talis modi cognoscendi ab affirmatione Trinitatis: cognosceret eius veritatem alio modo cognoscendi, non evidenter affirmante cognitionem esse veram, ac proinde non inferente evidentem affirmationem veritatis illius, neque Mysterij Incarnationis; concedo. Unde falsa est absolutè ultima subillatio.

212 Quartum. *Incarnationis Mysterium est evidenter credibile*: ut de omnibus Catholicæ Fidei veritatibus dicitur in Tractatu de Fide: *ergo est evidenter possibile*: & quidem respectivé ad lumen naturæ, cui evidens est ea credibilitas. Consequentia probatur: Hæc illatio est bona: *est evidenter impossibile: ergo est evidenter incredibile*: igitur & illa: *est evidenter credibile: ergo est evidenter possibile*: iuxta regulam dialecticorum *ex opposito consequentis, sequitur oppositum antecedentis*. Hoc argumentum transcendens est ad multas materias: & minus cautos, nec satis penetrantes illam dialecticæ regulam, illigare solet.

213 Respondetur expedité, negando illationẽ. Ad probationem, concedo priorem illationem, & nego posteriorem: utpotè minimè cadentem sub regula illa Dialecticæ. Sensus enim regulæ planus hic est, quòd ex propositione contradictoriè oppositâ consequenti affirmativo, sequitur propositio contradictoria antecedentis etiã affirmativi: ut in his: *est homo ergo est rationalis: nõ est rationalis ergo non est homo*. At ex illis propositionibus, quas disponit obiectio, nulla est negativa, sed omnes quatuor sunt affirmativæ: atque adeò nulla contradictoria alterius, cùm de naturâ contradictoriarum

ſit, unam eſſe affirmativam, & aliã negativam. Dixi: *conſequenti affirmativo*: nam de negativis nec valet, nec loquitur ea regula: ut patet, in his: *non eſt homo: ergo non eſt animal: eſt animal: ergo eſt homo*: ubi prior illatio valet; poſterior deficit.

214 Quintum, & ſpecialius. In humanitate datur potentia obedientialis ad unionem hypoſtaticam, realiter identificata cum entitate ipſius humanitatis: atque adeo naturalis, & non ſupernaturalis: ergo evidenter cognoſcibilis naturaliter ab Angelo: ſed eiuſmodi potentia obedientialis connectitur eſſentialiter cum poſſibilitate unionis hypoſtaticæ: nam, ut aliunde ſuppono, ad unionem impoſſibilem nulla dari poteſt obedientialis potentia: ergo Angelus eam obedientialem potentiam cognoſcens cãdem evidentia naturali cognoſceret poſſibilitatem Unionis hypoſtaticæ, ac proinde Incarnationis.

215 Reſpondetur, concedendo totum antecedens, & diſtinguendo conſequens: evidenter cognoſcibilis naturaliter ab Angelo aliquibus modis cognoſcendi, qualis eſſet hic diſiunctivus: *in hac humanitate datur, vel non datur obedientialis potentia ad unionem hypoſtaticam*; concedo: modo cognoſcendi abſolutè iudicante, & affirmante, ibi dari talem potentiam obedientialem, nego conſequentiam. Et admiſsâ minori ſubiunctâ, de connexione ſecundum dici dumtaxat, prout de alijs potentijs naturalibus, imò, & de Omnipotentiâ diuinâ, iuxta mentem arguentium explicui generaliter, & utiliter *diſp 9. de Attrib. ſec. 3.* nego ſubillationem de cognitione abſolutè affirmante, eſſe poſſibilem unionem hypoſtaticam: ſicut negavi nuper de cognitione evidenter naturaliter affirmante dari potentiam obedientialé ad ipſam: ex cognitione autem illâ diſiunctivâ, & ex alijs evidentibus, quæ ſic, vel ſic haberi naturaliter poſſunt circa Incarnationem, ſicut & circa Trinitatẽ ſeu circa aliud quodvis obiectũ ſupernaturale, nõ infertur iudicium evidens, de quo certamus, abſoluté iudicãs, Incarnationẽ eſſe poſſibilẽ

Tom 1. diſp. 9.

216 Urgebis. Angelus naturaliter comprehendens humanitatem, poſſet eam potentiam obedientialem abſolutè evidenter naturaliter affirmare: quandoquidem eſt prædicatum naturale, utpote identificatum cum ipſa humanitate: ergo ex naturali ſaltem comprehenſione humanitatis, inferret evidenter naturaliter Incarnationem eſſe poſſibilem. Reſpondetur item eſſe aliò pertinentem, an Angelus comprehendere poſſit naturaliter humanitatem: quia dubium eſt ſatis anceps, quid requiratur ad conceptum comprehenſionis, de quo diſſervi *diſp. 17. de Attributis.*

Tom 1. diſp. 17. Aldret.

217 Exiſtimat Aldrete non requiri, quód res cognoſcatur omni modo, quo cognoſcibilis eſt verſús cunctos eius terminos: ſicque ait, Angelum comprehendere poſſe naturaliter humanitatem, quin perinde debeat, aut poſſit naturaliter illam cognoſcere modo ſupradicto cognoſcendi abſolutè affirmativo, verſùs unionem hypoſtaticam, quæ eſt terminus prætervolans naturalem illum modum cognoſcendi? Et in id etiam inclinat Antonius Perez, dicẽs ad comprehenſionem naturalem non requiri rem cognoſci verſus terminos dicentes reſpectũ ad myſteriũ aliquod naturaliter incognoſcibile. Ideo negant abſolute antecedens.

Anton. Perez.

218 Alij cum Nominalibus exiſtimant ad comprehenſionem requiri, rem cognoſci omni modo quo cognoſcibilis eſt, verſùs omnes omninó ſuos terminos: & hoc videtur cõformius ad rigorem vocis. Ideo negant, Angelum poſſe naturaliter humanitatem comprehendere. Et iuxta doctrinam iſtorum ſupponitur falſum in antecedente: quód nempe Angelus naturaliter comprehendere valeat humanitatem. Sicque videntur ſentire PP. DD. Herrera *qu. 3. de Trinit. ſec. 2* & Thyrſus *to. 1. diſp. 5. ſec. 11.* Nec obeſt, quód illa potentia obedientialis ſit naturalis contrapoſité ad ſupernaturale: quia eamdem comprehenſibilitatem naturalem negant Angelo de ipſa humanitate

Nomin.

Herrera Thyrſus.

219 Tria mihi fixa ſunt. Primum: Angelum habere non poſſe naturaliter, evidentet eiuſmodi cognitionem affirmativam dictæ potentiæ obedientialis in humanitate, propter eaſdem rationes, ob quas vidimus ipſi repugnare notitiam evidentem naturalem Incarnationis. Secundum: non minorem cognitionem humanitatis concedi Angelo in uno, quàm in altero ex duobus modis reſpondendi ſupra poſitis: quamvis manet diſsidium magnâ, ex parte vocale, an ea Angeli cognitio ſit dicenda comprehenſio, nec ne: quod ad rem præſentem vix reffert. Tertium: Idem argumentum fieri poſſe contra feré omnes ad probandam cognoſcibilitatem evidentem lumine naturæ ab homine, vel Angelo, Myſterij Trinitatis: nimirum ex cognitione potentiæ obedientialis intellectús creati ad viſionem intuitivam de Trinitate. Ex quibus omnibus ad argumentum, quidquid ſit de eo quod Angelus comprehendat, vel non comprehendat naturaliter humanitatem; nego abſolutè antecedens, & conſequentiam. De ijs non nihil *diſp. 18. de Attrib. ſect. 11.*

Tom. 1. diſp. 18.

220 Sextum. Angelus evidenter naturaliter cognoſcit in humanitate Chriſti carentiam, ut loquũtur, propriæ perſonalitatis, ſeu ſubſiſtentiæ humanæ. Vel enim ea carentia eſt naturalis, vel ſupernaturalis: ſi naturalis, cur non evidenter cognoſcibilis ab Angelo lumine naturæ? Si ſupernaturalis, non ideo præciſſé fugit evidentiã naturalem Angeli, ut remiſsivè dixi nu.... ergo evidenter naturaliter cognoſcit, eſſe ibi talem carentiam perſonalitatis humanæ: ergo eviden-

ter

der infert, esse ibi personalitatem divinam. Probatur hæc consequentia: scit enim humanitatem esse non posse sine aliquâ personalitate, & non habere propriam: imò neque alienam creatam: cùm sciat per alienam creatam non posse personari, uti iudico verum: & se eam visurum si adesset: ergo evidenter infert, in ea humanitate esse personalitatem divinam.

Infra Disp. 3. sec. vlt.

221 Pulchra machinamenta. Pro tuenda solidâ veritate à multorũ æquivocatione animadvertendum est, illud primum antecedens duos sensus habere posse. Unum affirmativum, quòd in humanitate Christi sit ens quoddam physicé ibi residens, distinctum ab omni positivo, quod ens incepit vulgò vocari carentia propriæ subsistentiæ. In hoc autem sensu antecedens est plusquam falsum, eiusque probatio prorsùs absurda: cum nec sit ens supernaturale, nec naturale quod re verâ non est ens. Quinimo Angelus contra imaginationem quorumdam hominum eam evidenter cognoscit repugnare tale ens distinctum ab omni positivo, quàm distinctum ab omni ente.

222 Secundus sensus primi illius antecedentis est negativus: negans utique in humanitate Christi esse propriam personalitatem humanam: hoc vel simili modo cognoscendi: *non est in humanitate Christi propria personalitas humana*: quam veritatem, si placet, poteris explicare per has, & similes phrases: *deest humanitati Christi propria personalitas humana: humanitas Christi caret humanâ personalitate: est in humanitate Christi carentia, caritio, seu privatio personalitatis humanæ*: quippe de re curo potiùs quàm de vocibus: quas equidem usurpo, cum oportet, quantumvis barbaras, explicationis causâ, dummodo rem Philosophicam, aut Theologicam non corrumpant, nec loquutiones sapientum in sensus reprobos, minùs sapientum insciti â, detorqueantur. Monuit hoc scitissimé Augustinus tract. 1 in Joannem: *Videte*, inquid, *ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est: solent enim multi malè intelligentes, sine ipso factum est nihil putare, aliquid esse nihil.* Et cap. 4. de Genesi: *ita igitur dictum est, tenebræ erant supra abyssum, ac si dictum esset, non erat lux.* Et lib. 1. de Vita beata: *nescio quomodo dicamus, habet egestatem: tale est enim, ac si locum aliquem, qui lumine caret, dicamus habere tenebras: quod nihil est aliud, quam lumen non habere; nõ enim tenebræ quasi veniunt, ac recedunt.* Nec est cur diutiùs in ijs otiemur post dicta in Metaphysicis, & repetita idemtidem in Disputationibus de *Essentia & Attributis Dei.*

Augustin.

223 Respondetur ergo ad argumentum negando antecedens. Ad probationem dico, eam carentiam loquendo ad mentem multorum sic arguentium in primo illo sensu antecedentis, nec esse naturalem, nec supernaturalem: talsò enim supponunt, esse: id quod optimé cognoscit Angelus. Loquendo autem aptè iuxta secundum sensum, dico, sive id dicatur naturale, sive supernaturale, Angelum ex eo quod non videat in humanitate Christi personalitatem propriam humanam, non evidenter inferre, eam ibi non esse. Quippe novit, posse ibi esse, sibique á Deo posse occultari, ideoque forte ab ipso non videri, quamvis ibi sit.

224 Dices: ergo nec evidenter inferet, nocte non esse lucem ex eo quòd lucem non videat, nec cognoscat: cùm possit suspicari Deũ illam sibi occultare, quamvis re ipsâ sit. Sed negatur ista consequentia: quia in hoc non est ratio prudens id suspicandi, dubitandi, nec formidãdi, sicut in casu illo personalitatis propriæ, quam non videt in humanitate: non enim scit naturaliter evidenter stare posse humanitatem sine personalitate propriâ: ideoque eam ibi nõ videns, habet magnam rationem suspicandi, ibi adesse, sibique à Deo occultari: quod impedit iudicium evidens negans ibi adesse. At non videns nocte lucem, nullam habet rationem dubitandi, aut suspicandi, lucem adesse, sibique occultari: ideoque format iudicium evidens, negans ibi esse lucem.

225 Urgebis. Quid si Deus ut Author naturæ revelaret Angelo, cui deberetur connaturaliter notitia personalitatis humanæ, se nihil illi occultaturum ex ijs, quorum notitia debeatur illi connaturaliter? Certé in eiusmodi casu evidenter inferret Angelus, in humanitate Christi non esse propriam personalitatem humanam ex eo quòd ipse illam ibi non videat: certùs utique quód illam videret si esset ibi: cùm sibi iam constet ex revelatione Dei ut Authoris naturæ, non fore sibi divinitús occultandam. Respondetur, non esse huius loci disputare, an Deus, ut Author naturæ, possit id revelare, & an Angelo id posset naturali evidentiâ, seu certitudine innotescere. His tamen pro nunc in gratiam arguentium permissis, in casu posito concedo totum. Nam quód ex divinâ aliquâ revelatione possit haberi ab homine, vel Angelo notitia aliqua naturalis certa, & evidens de Incarnatione, uti iam conceditur ab Aldrete, & alijs; non est contra nostram conclusionem loquutam in casu secluſæ revelationis. Præmaximé, si aliunde, uti etiam opinor, & supposui *sect. prac.* non repugnat in genere notitia evidens naturalis de ente supernaturali.

Aldrete.

226 Insistes Carentia, ut aiunt, personalitatis propriæ in humanitate Christi est supernaturalis, quia est carentia termini naturaliter debiti: ergo carentia unionis hypostaticæ in ea humanitate esset naturalis, quia esset carentia termini indebiti: ergo hæc carentia naturalis esset evidenter ab Angelo cognoscibilis; si esset

in

tantium, ut ſunt Deus, & creatura. Nec diſſentit Amicus *diſput. 8. num. 132.* cum alijs Theologis.

166 Primò: quia ratio S. Tho. non ſubſiſtit. Quòd namque formalis terminus unionis ſit maximè unus, & ſimplex, non arguit unionem eſſe maximam. Sic enim unio humanitatis cum propria ſubſiſtentia dici poſſet maxima: quia habet pro termino perſonam ita unam, ut omninò ſit indiviſibilis in duas perſonas: conceptus enim indiviſionis, cùm negativus ſit, non ſuſcipit magis, aut minùs.

167 Secundò: quia unitas, vel ſimplicitas termini formalis, ad quem communicandum, & adquirendum per ſe tendit unio, non affert per ſe maiorem communicationem ſui, quàm ſi non ita ſimpliciter eſſet unus. Patet in ſubſiſtentia humana, non minùs intimè communicatâ humanitati puri hominis, quam Perſonalitas Verbi humanitati Chriſti. Quæ enim major intimitas, quàm faciens, ex natura, & ſubſiſtentia conſtitui unum hominem?

168 Tertiò: quia major compoſitio eſt minor unio: eò ſcilicet minor, quò magis diſcedit ab identitate, ſimplicitate, & unitate: ſed compoſitio ex perſonalitate, & natura eſt major compoſitio, quàm ex partibus tantùm naturæ: nam compoſitioni naturæ ſuperaddit cõpoſitionem perſonæ: ergo compoſitio perſonæ eſt minor unio. Cùm ergo unio hypoſtatica ſit compoſitio, ſeu conſtitutio Perſonæ, eſt minor unio: ac proinde non maxima unionum.

169 Quartò: quia unio, quæ facit ſubſtantiam minus unam, eſt minor unio ſubſtantialis: ſed unio hypoſtatica facit ſubſtantiam minùs unam, quàm unio puré humana: ergo eſt minor unio ſubſtantialis. Probatur minor: quia unio humana facit unam naturam ſubſtantialem, unam radicem, & principium operationum ſuppoſiti: quod non facit unio hypoſtatica, nam in Chriſto manent duæ naturæ, duo principia operationum inconfuſé, & impermixtim: ita ut nec operationes divinæ naturæ afficiant humanam, nec humanæ divinam: at unio puré humana taliter unit corpus, & animam in unam naturam, ut proprietates, & operationes humanitatis afficiant, & immutent permixtim corpus, & animam, quaſi unum principium completum, & adæquatum earumdem: ſintque propterea unæ, & unius naturæ.

170 Quintò: quia unio accidentium ad ſubjectum videtur major: quatenus nempé magis accedit ad identitatem. Nam accidentia ita intimé communicantur ſuo ſubjecto: v. g. albedo parieti, & intellectio intellectui, ut illud denominent, dicaturque paries albus, & intellectus intelligens, haud minùs, quàm ſi cum ſubjecto identificarentur. At per unionem hypoſtaticam humanitas non redditur tam digna, nec tam ſancta, nec tam perfecta à ſubſiſtentia Verbi, ac ſi cum ipſa identificaretur. Ergo maior unio eſt accidentis ad ſubjectum, quàm humanitatis ad Verbum, quatenus eſt major communicatio.

171 His tamen non obſtantibus amplectimur concluſionem S. Thomæ, quòd unio hypoſtatica eſt, maxima unionum. Primò quia unit extrema diſtantiſſima. Unde Cyrillus *in Scholijs de Incarn. c. 7.* ait: *Quoties igitur adunatum eſſe naturæ noſtræ Verbum Dei dicimus, omni humanâ cogitatione adunationis eius modus videtur eſſe ſuperior.* Secundò: quia rationi ſui eſſe eſt perfectiſſima, ut vidimus *ſec. prec.* Tertiò: quia ratione Perſonæ, in qua uniuntur naturæ divina, & humana præcellit omnes alias uniones. Unde Bernardus *cit. nu. 157.* ait unionem hypoſtaticam obtinere ſecũdum locum poſt unitatem naturæ Divinæ in Trinitate Perſonarum. Quartò: quia ſola unio hypoſtatica ita iungit in unum ſua extrema, ut totum, quod inde reſultat, ſit veré, & realiter prædicabile de uno extremo, & viceverſâ unum extremum de toto: veré enim dicimus: *Verbum eſt Chriſtus: Chriſtus eſt Verbum*: non ita: *anima eſt homo: homo eſt anima*: ſive, *corpus*. Quintò: quia ſola facit, ut unius partis, ſeu quaſi partis operationes ſint etiam tamquam alterius. Sic nempé, ut operationes humanitatis unitæ Verbo non minori æſtimatione ſint dignæ, quàm eſſent immediatiſſimé elicitæ à ſolo Verbo: & tam honeſtæ, ac meritoriæ ſint ſic denominatæ & dignificatæ à Verbo, ac ſi non eſſent operationes humanitatis unitæ Verbo, ſed elicitæ ſolum, ab ipſo ſolo Verbo. Id quod nulla alia ſubſtantialis unio ſic præſtat inter ſua extrema. Ex ijs ergo capitibus evadit hęc unio abſolutiſſimé maxima præ alijs unionibus, utpoté magis accedens ad munera identitatis. *Cyril.* *Bernard.*

172 Hinc ad primam rationem contrariam dico in primis, per illam, ſicut nec per ſecundam, non impugnari concluſionem Sanct. Thomæ, ſed rationem concluſionis. Deinde pro ratione S. Thomæ poſſet forté dici, ibi loqui S. Thomam non tam de unione relatâ ad humanitatem, & Verbi perſonalitatem, quàm relatâ ad humanitatem, & Deitatem. Sub hoc autem reſpectu docuit, quod hæc unio non habet præeminentiam in ratione uniendi ex parte eorum, quæ conjunguntur, quia non fiũt ex duabus naturis una natura; ſed ex parte eius, in quo conjunguntur, quatenus unitas Perſonæ, in qua conjunguntur factæ una Perſona, eſt maxima, nempè identitas perſonalis cum natura divina. Nullibi enim contingit, nec

con-

Digitized by Google

contingere potest, nisi in unione hypostatica, quòd duæ naturæ, aut alia extrema realiter uniantur titulo termini cum altero identificati, in quo uniuntur: nam alibi semper contingit, id in quo uniuntur distingui ab alterutro extremorum non minùs realiter, quàm extrema distinguntur ad invicem: ideòque non tam intimè, strictéque uniuntur, ac duæ naturæ in Christo per unionem hypostaticam. Sicque subsistit ratio S. Thomæ iuxta P. Suarez *disp. 10. sec. 1.* & clariùs iuxta Vaquez *disput. 20. cap. 2.*

Suar.
Vazq.

173 Ad secundam constat similiter ex prædicta explicatione, quomodo terminus formalis, ad quem respicit unio hypostatica, nempè unitas Personæ, in qua uniuntur duæ naturæ; sit magis intimè pertinens ad unum ex extremis, nempè ad Naturam divinam, quàm sit ullus terminus formalis creatus ad aliquod ex extremis, quæ per alias uniones veniunt in cōpositionem. Quantumvis enim subsistentia humana intimè communicetur naturæ humanæ; at non unit sua extrema in aliquo termino formali non distincto realiter ab alterutro extremorum: neutrum enim est per se identicè persona humana.

174 Ad tertiam distinguo majorem: major extensivè compositio, idest plurium extremorum in unum conjunctio, est minor unio, si ea extrema non unit in unitate simplicissimâ termini formalis, permitto majorem, quæ fortè posset adhuc aliter subdistingui: Si ea, quantumvis plura, unit in unitate simplicissimâ termini formalis, nego majorem. Et ad minorem dico, unionem hypostaticam, quamvis extendatur ad plura extrema, ea conjungere in unitatem simplicissimam Personæ Verbi modo explicato singularissimo: ideóque non est minor, sed major unio, utpotè magis accedens ad identitatem, ut vidimus *num. 171.*

175 Ad quartam, distinguo quoque majorem: quæ facit substantiam minùs unam, tam ex parte terminorum, quàm termini formalis, concedo: quæ, quamvis faciat minùs unam ex parte terminorum materialium, facit tamen magis unam ex parte termini formalis, nego. Hujusmodi autem est unio hypostatica: nam quamvis terminos quasi materiales, nempè naturas divinam, & humanam, earumque operationes, inconfusos, & impermistos relinquat, & verè duos, dualitate naturæ; at illos conjungit in unitatem Personæ modo strictiori singularissimo, unitatis simplicissimæ supra explicato: scilicet in Personalitate Verbi simplicissimè una, realiter identificata cum alterâ ex naturis, quas conjungit. Unde nulla est consequentia.

176 Ad quintam potest dici, illud discrimen inter uniones accidentales, & hypostaticam, non tam provenire ex defectu, vel minoritate unionis, quàm ex defectu capacitatis subjecti, seu extremi uniti: quod propter intrinsecam limitationem incapax est tantarum denominationum ab alio extremo unito, nempè Verbo: quocum si humanitas per impossibile identificaretur, jam non esset utcumque deificata, sed esset Deus. Dici etiam potest, majoritatem illam, aut potius esse ex imperfectione extremorum sic aliunde perfectibilium, & mutabilium, quàm ex perfectioritate unionis; aut esse duntaxat majoritatem quamdam secundum quid ex aliquo capite; cum quo stat optimè, quòd ex alijs multis capitibus excellat unio hypostatica, sicque sit absolutissimè major, & unionum maxima.

SECTIO XV.

Quid de majoritate in ratione doni gratiæ, & beneficij excellentissimi?

177 Sermo est non de ratione gratiæ, & beneficij Incarnationis respectu totius generis humani, & universæ creaturæ, sed respectu humanitatis hypostaticè assumptæ in Personam Filij Dei. In hac autem ratione gratiam unionis hypostaticæ esse summam, & maximum beneficiorum Dei etiam possibilium, est communis Sanctorum, ac Theologorum sensus, & loquutio, ut videre est apud Valentiam *disp. 1. qu. 2. punct. 3.* Petavium *lib. 4. c. 14 & 15.* & Suarez *in comment ad art. 9. q. 2* Sufficiat nobis S. Tho. ex August. *15. de Prædest. Sanctorum*: *Prædestinata est ista natura humana tanta & tam celsa, ac summæ subvectio, ut quò attolleretur amplius non haberet.*

178 Usque adeò, ut Anton. Perez, qui in esse entis nimis deprimit perfectionem unionis hypostaticæ; in ratione tamen gratiæ, ac beneficij eam summè extollat ratione Personæ Verbi ipsi communicatæ: dicatque, non posse id sine errore negari. Nititur autem præsertim verbis Pauli ad Hæbr. 1. ubi dicitur Christus: *tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit: cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, &c.* Loqui autem de Christo, ut homine, colligitur ex eo quod sit: *melior Angelis effectus*: nam Christus ut Deus non est melior effectus; sed ab æterno genitus non factus, & omnia creata superexcedens, non effectione, sed increatâ generatione. *Hæbr. 1.*

179 Hinc formari potest hæc ratio. Christus ut talis vi unionis hypostaticæ supra id quod Verbum erat Filius Dei naturalis, ac necessariùs, est aliquid in tempore superexcellens, & infinitè majus, quàm quodlibet aliud opus Dei:

Digitized by Google

Dei : ſed hoc fit per unionem hypoſtaticam: ergo quia huiuſmodi unio communicat, & affert humanitati intimitate quâdam infra identitatem majori donum gratiæ infinitè maximũ: atque adeó evehens,& magnificans illam in ratione beneficij ſupra cuncta alia gratiæ dona. Minor ex ſe patet.

180 Major, quæ videtur deduci ex verbis Pauli nuper adductis, probatur inſuper. Primó ex communi ſenſu Fidelium, Chriſtum etiam ut in tempore conceptum,& natum ſuper creata cuncta collaudantium. Secundò,ex frequentibus SS. Patrum loquutionibus, Incarnationem prædicantibus maximum Dei opus: quatenus tota Dei majeſtas, ac plenitudo divinitatis ſeſe infuderit humanæ naturæ per Incarnationem. Tertiò, ex doctrina Theologorum paſſim obvia, quòd Incarnatio eſt medius quidam modus, quo ſeſe Deus communicat, inferior quidem æterno per generationem, ac ſpirationem ad intra; cæteris autem per gratiã, ſeu viſionem communicationibus, etiam poſſibilibus, ſuperior. Quartò ex pia, juſtâque ferè omnium exiſtimatione, quòd Maternitas Dei ſit maxima inter dignitates putæ creaturæ, de quo Suarez *tom.2. diſp. 1.* Petav. *l.14. c.8.* Ripal. *tom.2. diſp.79.* & lato, ac erudito calamo noſter Franciſcus Garau. *in Deipara elucid. Princip. 2.* Non autem tanta foret moralis ea dignitas Matris, ſi dignitas Chriſti, ut Filij Matris, ac proinde ut hominis de novo habentis in tempore per Matrem gratioſum illud eſſe ex æterna prædeſtinatione, non eſſet phyſicè ſumma in ratione gratiæ,& beneficij : quandoquidem juxta hujus operis, ſeu effectûs magnitudinem emetienda eſt moralis dignitas Matris cum debita proportione citra æqualitatem.

Suar. Petav. Rip. Garau.

181 Probatur nunc conſequentia primi ſyllogiſmi. Nam ut aliquod opus per unionem compoſitum ſit cæteris majus, & ut tale verè ſummum, neceſſe eſt, quòd uni ſaltem parti, ſeu quaſi ſubiecto, communicetur vi unionis formaliter, bonum aliquod cum proportione majus, quàm cæteris. Conſtat hoc per inductionem: & ſuadetur facilè:quia ea unio non ſolum ſupponit aliquid magnum, & ſæpé majus, & in Chriſto ſummum, nempè Verbum divinum; quin etiam ponit vi ſua de novo aliquid magnum, ſeu magnificatum, eó ſcilicet plùs magnificatum, quò bonum, quod ſupponit, & cõmunicat,majus eſt.Alioquin poſſet excellens illa magnitudo exiguam,aut etiam nullam perfectionem,& magnitudinem refundere, ac cõmunicare ſubjecto: ſi autem aliquam, cur non excellentiſſimam ? Accedit quòd de ratione divinæ bonitatis,& perfectionis eſt, aut non cõmunicari eo quod non applicetur quaſi ſubjecto capaci ; aut ſi debitè communicatur quaſi ſubjecto capaci, illud bonificare, & perficere magis quàm quælibet alia minor bonitas ; & perfectio. Hinc Auguſtinus *tr. 28. in Ioann.* ſummam Incarnationis gratiam de ipſa humanitate prædicans, ait: *ad Perſonam Vnigeniti Filij Dei per gratiam pertinet humana natura,& tantam gratiam, ut nulla ſit maior,nulla æqualis.*

Auguſt.

182 Obijcies. Vi unionis hypoſtaticæ exiſtit Chriſtus, qui, ut talis,eſt ſummus,& æqualis Patri : quin propterea ſummè bonificet, ac perficiat humanitatem æqualiter ad Patrem. Ergo ex eo quòd vi unionis hypoſtaticæ ponatur opus Incarnationis,quod eſt ſummum;non ſequitur, quòd ita magnificet, ac perficiat humanitatem,quæ eſt quaſi ſubjectum tantæ bonitatis, ut ſummè illam extollat in genere gratiæ, ac beneficij.Confirmatur: Verbum ex ſe tam eſt ſummè perfectivum humanitatis abſolutè, quàm eſt perfectivum illius ſummè reſpectivè ſuper omnes alias gratias : ergo ſicut non bonificat, aut perficit humanitatem abſolutè ſummè, ſive æquè ac ſe ipſum, & Deitatem; ita nec illam perficit ſummè reſpectivè ſupra omnes alias gratias.

183 Reſpondetur conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Diſparitas ſumenda eſt à diſcrimine inter rationem ſummi boni, quod eſt Verbum ſibi & ſecundum ſe præſuppoſitivè ad unionem,& rationem ſummi beneficij gratioſi, quod non eſt Verbum ſibi, aut ſecundum ſe præſuppoſitivè ad unionem ; ſed humanitati reſpectivè per unionem: Unde vi unionis non fit quód Verbum ſit ſummum bonum, ſed quód illud quod erat ſummum bonum communicetur beneficè humanitati,conſtituaturque Chriſtus. Itaque benè ſtat, quòd vi unionis non ponatur, nec fiat ſummum bonum, ſecundum id per quod Chriſtus æqualis eſt Patri, & quód vi unionis ponatur id ipſum in ratione ſummi beneficij, ſummæque gratiæ quia hoc habet reſpectivè ad humanitatem. Quæ propterea, quamvis propter ſuam limitationem non evadat æquè bona, & magna ac Pater, aut Deus; evadit tamen ſummè bonificata,& magnificata in ratione gratiæ,& beneficij ſuper omnia: quia reſpectivè ad Deum non habet divina bonitas,& perfectio rationem beneficij,& gratiæ ; reſpectivè verò ad creaturas nulli ſic intimè communicatur, ſicut humanitati vi unionis hypoſtaticæ : taliter ſcilicet, ut nequeat ſic communicari, quin reſpectu talis humanitatis habeat rationem ſummæ gratiæ, ſummique beneficij, à nullo alio beneficio, nullàque gratiâ ſuperabilis ; imó nec exæquabilis, niſi interventu, & vi alterius unionis hypoſtaticæ.

184 Ad confirmationem, nego antecedens: nam ſicut quod eſt verè, & per identitatem Deus ex ſe ſuperat omne, quod ſic non

eſt

est Deus, in omnibus, & singulis perfectionibus; ita quod est per physicam unionem in Deo sicut humanitas Christi,& constituit cum Deo physicé unam Personam; quamvis nec Deus sit, nec Persona Divina sit, sicut re ipsa humanitas nec Deus est, nec Persona Divina est; necesse est quód superet propter illud donum sic physicé communicatum quæcumque alia, quæ sic non sunt in Deo: quod est in ratione doni gratiæ, ac beneficij pertingere ad summitatem,& infinitatem,iuxta S.Tho. *quæst. 7. artic. 11.* infra quam sunt quæcumque alia gratiæ dona,& beneficia. *S.Thom.*

185 Objicies difficiliús. Unio hypostatica non est tantum donum, tanta gratia, tantum beneficium,ut aliud maius dabile non sit, etiam respectivè ad humanitatem: ergo non pertingit ad summum, neque ad infinitatem simpliciter, adhuc in ratione doni gratiosi, & in genere beneficij. Consequentia tenet: quia summitas in aliquo genere non agnoscit maius supra se;& infinitum simpliciter excedi nequit in suo genere infinitatis, ut ex dictis *disp. 3. de Attrib. sect. 1.* exponemus infra *disp. 7. sect. 12.* ubi de infinitate offensæ. Antecedens autem probatur dupliciter: *Tom. 1. Disp. 3. Infra Disp. 7.*

186 Primò: quia loquendo seorsim de unione,& visione,maius beneficium,maiorque gratia esset visio. Quod sic ostenditur. Tum quia Beneficium est actio benevola gaudium tribuës accipienti: at aba dubio maius est gaudium beatificæ visionis, quam unionis hypostaticæ, seclusà visione. Tum quia beatifica visio est possessio Dei, fœlicitas æterna, & consequutio ultimi finis creaturæ rationalis:quà fœlicitate, & possessione ultimi finis privata esset humanitas unita Deo, si careret visione. Tum quia, si careret beatificà visione, posset etiam carere omni alia notitia sui statûs hypostatici: qua notitiâ deficiente, nullum habere posset gaudium de sua unione,deque statu suo quantumvis elevato, ac fœlici. Sic autem fœlix absolutè non esset,utpote minimè beata,imó privata possessione beatificâ sui ultimi finis ad quem ordinatur, & procurare obligatur. Tum quia propter hæc omnia videtur indubitandũ, eligibilius quid esse,& ex obligatione fore naturali potiús eligendum à quolibet sanæ mentis possessionem sui ultimi finis per visionem beatificam,æternamque fœlicitatem beatorum, quàm unionẽ hypostaticã perpetuò sine visione: præsertim si unionẽ hypostaticam comitarentur miseriæ cum ipsa cõpatibiles,eis similes, quas in vita mortali passus est Christus. Quænam enim hæc esset fœlicitas propria naturæ rationalis ordinatæ ad æternam Dei possessionem fœliciſſimam? Seorsim igitur si considerentur, maius absolutè bonum esset, maiusque beneficium humanitati visio, quàm unio.

187 Secundó. Dato quód visio beatifica non esset maius bonum, & eligibilius beneficium,quàm unio seorsim; at saltem complexũ ex utraque fore quid melius, & eligibilius,maiusque beneficium,& donum gratiæ, quàm esset sola unio,perspicuum est. Hoc autem sufficit,ut beneficium unionis seorsim non sit summum,nec simpliciter infinitum in ratione boni,ac doni gratiosi respectivé ad humanitatem, ut supponimus ex S. Tho. Nam summum, & simpliciter infinitum nequit in eo genere suscipere incrementum, nec in consortio alterius potest constituere aliquid tertium supra seiam enim eo ipso desineret esse absolutè summum, & simpliciter infinitum: esseteque simul & non esset summum in eo genere: quod implicat in terminis. Stat ergo veritas primi antecedentis, quod unio hypostatica non est tantum donum, ut aliud maius dabile non sit: cum dabile sit complexum ex unione,ac visione absolute maius,& eligibilius,quàm sit sola unio.

188 Difficili huic obiectioni facilem ac solidam responsionem non invenio, nisi dicamus,donum,ac beneficium unionis hypostaticæ importare secum necessariò beneficium visionis beatificæ, taliter ut omnino impossibile sit, humanitatem evehi ad statum unionis hypostaticæ, quin eo ipso evehatur ad visionem beatificam, quacum videlicet essentialissimé connectitur. Nec enim satisfacit doctrina,quã promovet docté Ripalda *disp. 100 sect. 10.* contendens, unionem ipsam hypostaticam esse formalem beatitudinem, utpotè possessionem intrinsecam summi boni, multó intimiorem, ac strictiorem, quam sit possessio intentiónalis per visionem Deo extrinsecam. Nam eiusmodi possessio physica,& emortua, non est possessio ultimi finis propria intellectualium capacium veræ fœlicitatis,sitæ in possessione, & fruitione summi boni, de qua SS. Patres, & universi Theologi loquuntur nomine beatificæ possessionis Dei. Itaque,ut ingenuè loquar,hoc non esset extollere unionem hypostaticam ad rationem veræ,ac legitimæ possessionis beatificæ Deiſsed deprimere rationem formalis beatitudinis ad possessionem Dei physicam, & emortuam: quæ eo ipso nequit esse formalis beatitudo propria intellectualium capacium fœlicitatis. Ne Deus quidem fœlix & beatus esset, si visione,amore,& fruitione sui non gauderet. *Rip.*

189 Stando igitur doctrinæ insinuatæ de essentialiſsima connexione unionis hypostaticæ ad naturam capacem beneficijs,gratiæ:doni,fœlicitatis,& veræ beatitudinis,cum visione beatificâ, quam oportuniús discutiemus *disp. 12.vbi de Scientijs Christi*; respondetur pro nunc ad obiectionem negandò antecedens.

190 Ad primam probationem *num. 186.* petmitto, vel concedo antecedẽs cum sua effi-

caci

ſaci probatione, comparatione factâ inter viſionem, & unionem non eſſentialiter connexã cum viſione. Ea tamen vis non premit, comparatione factâ inter viſionem, & unionem hypoſtaticam ſecum neceſſitate metaphyſicâ importativam viſionis. Nam in ratione doni ac beneficij totum id amplecteretur eiuſmodi unio: & perinde eſſet humanitati eſſe hypoſtaticè unitam, ac eſſe beatam: non formaliter beatam per ipſam unionem, ut contendit Ripalda; ſed per viſionem, & fruitionem ſummi boni, & ultimi finis. Quodſi hoc non habet unio hypoſtatica reſpectu corporis diviſim ab anima; ideo reſpecta corporis nec habet rationem doni gratioſi, nec beneficij: hæc enim ſolum dicuntur propriè reſpectu intellectualium, utpotè capacium fœlicitatis.

191 Ad ſecundam *num.* 187. dico, procedere ſimiliter, factâ comparatione unionis ſeiungibilis à viſione, & complexi ex utraque. Non ita, factâ comparatione unionis eſſentialiter connexæ cum viſione, & complexi ex utraque. Num quoad æſtimationem, & eligibilitatem perinde eſt illa unio, & iſtud complexum in ratione doni, ac beneficij: in qua ratione diximus habere ſummitatem, & infinitatem ſuper omnia alia beneficia, & dona creata Dei? Unde falſa eſt ultima conſequentia, alioquin, me iudice, innegabilis. Difficultates, quæ cont a doctrinam iſtam poſſunt excogitari, diſſolvemus, Deo dante, *diſp.* 12.

Infra. Diſp. 12.

192 Hæc ſint dicta de excellentia doni, ac beneficij unionis hypoſtaticæ in genere ſupra alia cuncta dona, ac beneficia creata diſtincta ab unione. Quid iam de unione iſta hypoſtatica, quæ de facto eſt, comparativé ad alias etiam hypoſtaticas uniones poſſibiles? Ittaé dabilis aliqua maior, ac perfectior illa? Affirmat abſolutè Ripalda *tom 2. diſp. vlt. ſect. 39.* Iuxta cuius principia hæc unio hypoſtatica, quæ de facto datur non terminata immediate ad Naturam divinam, ſed ad ſolam Perſonalitatem Verbi; non erit omnium dabilium perfectiſſima: quia perfectior eſſet quæ uniret humanitati ſubſiſtentiam abſolutam, ſeu immediatè naturam divinam: aut quæ uniret humanitati tres divinas Perſonas. Hoc mihi placere nequaquam poteſt. Quippe cùm pares omnino formaliter in perfectione defenderim perfectiones divinas, & tam perfectam eſſe unam divinam Perſonam, ac tres ſimul *diſp. 3. de Attrib. ſect. 7. & 8.* nulla perinde maior unionis perfectio mihi affulget: cuius etiam iudicij invenio denuò Magiſtrum Prudentium *tract. 1. de Incarnat. diſp. 3 dub. 1 ſect 6.* Deinde falſum etiam iudico, unionem hypoſtaticam, quæ de facto eſt, non terminati immediatè ad Naturam divinam modo quo id ex profeſſo defendemus *diſp. 2. ſect. 4.*

Rip:

Tom. 1. diſp. 3.

Prud.

Infra Diſp. 2.

193 Ex parte tamen extremi creati perfectioris non gravabor admittere aliqualem maiorem perfectionẽ phyſicam in una unione hypoſtatica præ alijs: ſicque unionem Verbi ad Angelum perfectiorem phyſicè fore, quàm quæ de facto datur ad humanitatem. Conſequenter inter ipſas, quæ de facto dantur in Chriſto, perfectiorem ſimiliter eſſe unionẽ Verbi ad animam unione ad corpus ſeorſim. Quin tamen perinde totum, quod ex una unione reſultaret perfectiùs dici poſſet toto reſultante ex alia: quia in utrolibet includeretur Deus, perfectio ſumma, ut dixi *diſp. 3. de Attrib ſect. 11.* Notandum verò, quod in ratione doni, aut beneficij non excelleret unio ad Angelum unionem ad humanitatem.

Tom. 1. diſp. 3.

SECTIO XVI.

An, & quomodo Unio hypoſtatica ſit ſupernaturalis. Ubi de eius cognoſcibilitate: & de notitia Incarnationis.

194 Liquidò conſtat ex dictis, hypoſtaticam unionem eſſe ens in ſubſtantia ſupernaturale, ſeu ſubſtantiam ſupernaturalem modalem. Eſt enim ens ſine dubio ordinis divini, utpotè coniungens mirificè humanitatem cum Deo, ipſamque ſublimi elevatione deificans: & eximié ſuperans vires, debitum, & exigentiam totius naturæ: hoc eſt, omnis ſubſtantiæ entitativæ creatæ, & creabilis. Uſqueadeó, ut quamvis multi poſt Ripaldam exiſtiment poſſibilem ſubſtantiam creatam entitativam, cui connaturalis eſſet aliqua forma ſupernaturalis, ſcilicet Gratia, aut Viſio beata; nullatenus tamen, cui connaturalis, eſſe poſſit unio hypoſtatica ob præſtantiorẽ iſtius ſupernaturalitatem. Quinimò dixi *diſp. 18. de Attrib ſect 8.* Unionẽ hypoſtaticã non utcũque eſſe ens ſuper naturale; ſed ſpecialiter eſſe unã ex Supernaturis, in ordine ad quàm alia multa dona dicuntur ſupernaturalia, ſicut alia in ordine ad naturam, naturalia: & *ſect. 5.* dedi rationẽ, cur repugnãte ſubſtãtia creatâ entitativa ſupernaturali, ō ſimiliter repugnet modus iſte unionis hypoſtaticę ſubſtãtialis ſupernaturalis, cui debeatur divinum Suppoſitum. Quia nempe ſubſtantia entitativa creata, eo ipſo quòd talis ſit, eſſet Natura, quæ ut contrapoſita Supernaturæ, nihil eſt aliud in ſenſu, & ore SS. Patrum, quàm ſubſtantia creata entitativa: implicat exgo eo ipſo, talem ſubſtantiam eſſe ſupernaturalem. Ens autem modale, ſicut neque accidentale, non eo ipſo eſt Natura Theologicé accepta. Plura Aldrete *diſp. 30.* & Nos loc. cit.

Tom. 1. diſp. 18.

Aldrete

195 Poſitâ citra dubium unionis hypoſtaticæ ſupernaturalitate, controvertitur difficultas de ipſius cognoſcibilitate, & de notitiâ Incarnationis: qualis videlicet notitia, & quomodo habea-

habeatur, vel haberi possit à nobis, de Incarnatione factâ, vel factibili. Multa circumferuntur Authorũ dissidia, quæ noviter videri possunt apud Magistrum Lumbier *q 3. per totam.*

Lamb. 196 Relictis Infidelibus, qui Incarnationem incognoscibilem putant, quia putât impossibilẽ; contra quod egimus *sect. 1. 2. & 3.* convenimus Theologi in eo quod lumine, & viribus supernaturalibus homines, & Angeli habere possunt, & habent certissimam, & evidentem notitiam unionis hypostaticæ, & Incarnationis possibilis, & existentis. Certissimam quidem per Fidem supernaturalem in via post multiplicem Dei revelationem in Sacris Scripturis, quas præter Suarez, Petavium, & Coninc citatos *num. 3.* expendit videndus etiam Lumbier. *qu. 2. art. 6.* *Suar.* *Petav.* *Coninc.* *& 7.* Evidentem verò per visionem beatificam in Patriâ.

Lamb. 197 Difficultas supereſt de notitiâ naturali per lumen, & vires naturæ seorsim à revelatione divinâ. Multi communiter cum Ripalda non solùm de Unione hypostaticâ, seu de Incarnatione; quin etiam de quovis ente supernaturali, generaliter negant, posse evidenter cognosci viribus naturæ, sive ut actuale, sive ut possibile. Pater Valentia affirmat possibilitatem Incarnationis posse naturaliter evidenter cognosci ab homine, vel Angelo negativè: hoc est, iudicari non repugnans solutis evidenter implicantijs occurrentibus. Scoto, & Medinæ tribui solet, quòd dixerint, Incarnationem iam patratam, & existentem posse seorsim à revelatione naturaliter evidenter cognosci ab homine, vel Angelo. Bonaspei tenet, Incarnationem non posse naturaliter evidenter cognosci ab Angelo, vel homine, qui nunc sunt; benè verò ab alia substantia creabili, cui esse posset connaturalis species propria Incarnationis. Alij nec probabilem notitiam Incarnationis existimant haberi posse ab homine, vel angelo per lumen, & vires naturæ.

Ripal. *Valentia.* *Scot.* *Medina.* *Bonasp.*

198 Prima conclusio. Posset homo, vel Angelus naturaliter, seclusâ revelatione, notitiâ aliqualem Unionis hypostaticæ, & Incarnationis adquirere. Probatur communiter, & facilè: quia, ut similiter discurritur in suis terminis pro Mysterio Trinitatis, quis neget posse Angelo naturaliter occurrere istos terminos, *humanitas: divinitas: Personalitas: Unio?* His autem menti occurrentibus, poterit saltem dubitativè apprehendere: an repugnet Personalitati divinæ uniri humanitati, sicque fieri Deus Homo: igitur eiusmodi saltem notitia apprehensiva dubitativè habita negari nequit naturæ viribus iuxta modum ordinarium, quo intellectus creatus sibi relictus, apprehensis terminis quibuslibet, excitare solet dubitationes varias circa mutuam ipsorum repugnantiam, seu combinationem.

199 Secunda conclusio. Potest deinde viribus etiam, & lumine naturæ ab eodem intellectu fieri assensus aliquis probabilis de possibilitate, imò & de existentia Incarnationis, omni seclusâ divinâ revelatione. Hoc negant aliqui cum Martinon *disp. 1. sect. 2.* Probatur: quia, semel positâ prædictâ dubitatione, quamvis occurrant difficultates multæ retrahentes ab assensu; at tales non sunt, quas intellectus Angelicus perspicax non valeat superare seseque probabiliter expediens ab implicantijs, quæ sibi obijcerentur contra eiusmodi coniunctionem humanitatis cum Deo summè bono, ideoque valde communicabili: Non est ergo, cur, sic dissolutis implicantijs occurrentibus, non posset prudenter, ac saltem probabiliter iudicare, id minimè repugnare. *Martin.*

200 Ad hæc. Quamvis Angelus ipse non sic assentiret, sed maneret suspensus, imò & quâvis dissentiret; posset tamen animo fallendi proponere homini hoc Mysterium, ut ipsi venerat in mentem, & apparenter solvere repugnantias, & attestans se ita sentire, homini persuadere suũ assensum: quibus sic positis, homo probabiliter, & prudenter suum assensum serió præstaret. Ergo hoc saltem modo assensus aliquis probabilis & prudens haberi naturaliter posset ab intellectu creato, seorsim à divinâ revelatione circa possibilitatem huius Mysterij: saltem in genere, prout est unio humanitatis cum Persona divinâ: ne nos immiscearmus in notitiam Trinitatis Personarum in una essentia, quod est altioris indaginis propter obstaculum illius principij: *quæ sunt eadem uni tertio sunt idem inter se.*

201 Quinimò, & similiter circa Incarnationis existentiam. Nam, visis postea operibus Christi, & auditis quæ de ipso dicebantur apud vulgus, posset Angelus, aut homo naturaliter dubitare, an in eo homine fuerit reipsa patratum à Deo id, quod aliunde videbatur ipsi non repugnans, scilicet uniri in una Persona humanitatem Deo. Ecce iam apprehensionem dubitativam de existentia huius mysterij. Quâ naturaliter habitâ, posset suadere sibi prudenter Angelus rationibus probabilius eius existentiam: & multò meliùs eam persuadere homini naturaliter, & prudenter crediturο, ut de possibilitate dictum est. Sic igitur haberi posset naturaliter assensus prudens probabilis, non solùm de possibilitate, quin etiam de existentia Incarnationis saltem in genere.

202 Ad hunc fortè probabilitatis gradum pertingebat ea notitia, quâ *Luc. 4. exibant dæmonia á multis clamantia: Tu es Christus Filius Dei: & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant, ipsum esse Christum.* Ubi SS. Patres apud Suarez *disp. 31. sect. 3.* dicunt dæmonem cognovisse Christum: at certè non per cognitionem supernaturalem. Addunt alij apud *Luc. 4.* *Suar.*

Bernal. Bernal.*diſp.* 1 *ſect.* 4. §. 2. Dæmonem ſæpe impedituin divinitùs fuiſſe, né id cognoſceret: ergo quia potuit naturaliter cognoſcere exiſtentiam Incarnationis conferens naturali diſcurſu quæ fiebant,& dicebantur à Chriſto,& de Chriſto probabiliter ſaltem,& ſuſpicativè, ut loquitur S. Tho. cum Chriſoſtomo apud Ripaldam *tom.* 1. *diſp.* 11. *num.* 31. Sic etiam ferè Lumbier

S. Thom. Chriſoſt. Ripald. Lumb. *qu.* 3.

203 Tertia concluſio. Seclusâ divinâ revelatione,nequit ab intellectu creato haberi notitia naturalis evidens Incarnationis per naturale lumen. Eſt communis contra aliquos citatos *num.* 197.& probari ſolet argumento communi; ſed nec ſolido,nec verò,ſic. Nullum ens ſupernaturale poteſt naturaliter evidenter cognoſci ab intellectu creato per naturale lumen: quia ens ſupernaturale debet ſuperare vires naturæ etiam in cognoſci evidenter: Sed unio hypoſtatica,& Myſterium Incarnationis eſt ens ſupernaturale:nequit igitur naturaliter evidenter cognoſci. Cæterum maiorem univerſaliter eſſe falſam probavi ſatis contra Ripaldam , & aſſeclas

Tom. 1. *diſp.* 18. *Rip. Vaſq. Arrub. Perez Aldret. Quiros. Delugo.* *dictâ diſp* 18. *de Attrib. ſect.* 12. cum Vaſquez, Arrubal, Perez Benedictino, Aldrete Quiros, & Cardin. de Lugo,ubi dedi multa obiecta ſupernaturalia,quæ ſine dubio naturali evidẽcia cognoſcuntur ab intellectu creato: eâ videlicet claritate , ne de voce evidentiæ contendamus, quâ novit Philoſophia naturalis Deum eſſe, & ſapientem eſſe, & quâ cognoſcimus, diem eſſe quando Sol lucet.

204 Aliter ergo probo concluſionem ſpeciatim. Atque in primis ab authoritate. 1 Corinth 2. *Loquimur Dei ſapientiam in Myſterio* , (Incarnationis) *quæ abſcondita eſt, quam nemo Principũ huius ſæculi cognovit.* Epheſior. 3 *Sacramentum abſconditum à ſæculis in Deo.* Coloſenſ. 1. *Myſteriũ abſconditũ à ſæculis.* Ex quibus Concilium Epheſ. dixit, Verbum coniunxiſſe ſibi naturam humanam , *modo inexplicabili:* & mox addit Incarnationem factã eſſe ſecretè, *& ineffabili Deitatis , & humanitatis in vnum conventione.* Sic etiam dixere Hierotheus, & Dionyſius , hoc Myſterium eſſe ſupra mentem,ſupra rationem, quod nec oratione explicari,*nec ratione percipi valet.* Et ſimiliter alij SS. Patres. Nimis planè forent exaggeratoriæ loquutiones iſtæ, ſi naturalem ſaltem evidentiam non ſuperaret Myſterium iſtud.

1. Cor. 2. *Epheſ. 3.* *Coloſſ. 1.* *C. Epheſ.* *Hieroth. Dionyſ.*

205 Ratione verò probatur. Ut cognoſcatur evidenter exiſtentia , ſeu poſſibilitas Incarnationis , notum abſque formidine deberet eſſe intellectui creato lumine naturæ , non repugnare Verbo, ſeu Perſonæ divinæ , uniri hypoſtaticé humanitati: ſed hoc eſt impoſſibile: ergo & noticia evidens naturalis Incarnationis. Probatur minor. Primò: quia nequit evidenter naturaliter ſciri in Deo dari Verbum Perſonale diſtinctum ab alijs Perſonis divinis:cùm prætervolet omnino naturalem evidentiam intellectûs creati abſtruſiſſimum Trinitatis Myſterium. Secundò: quia,ut naturale lumen iudicet evidenter,Perſonam divinam,adhuc in genere, uniri poſſe hypoſtaticé humanitati, vincere deberet evidenter , & ſine formidine difficultates in eiuſmodi unione occurrentes, tam ex parte naturæ humanæ , quàm ex parte perſonalitatis divinæ:hoc autem eſt prorſus impoſſibile propter infinitudinem Dei infinitè ſuperintem captum intellectus creati & propter defectum mediorum ad id ſine formidine infetendum.

206 Unde , quo perfectior eſſet intellectus,ſublimiùs conciperet de infinitate Dei: & quamvis ſolveret difficultates occurrentes in eo quod divina Perſona uniretur hypoſtaticé naturæ creatæ ; ſemper tamen formideret,imò & deberet aut ſaltem poſſet prudenter formidare, an in illo pelago infinitudinis puriſſimæ , & abſtruſiſſimæ Dei , lateret aliqua repugnantia ita ſe coniungendi cum extremo diſtantiſſimo imperfectionibus pleno.Relictus igitur homo, vel Angelus naturali diſcurſui , aut iudicatet id eſſe indecens, & impoſſibile ; aut maneret ſuſpenſus,& anceps;aut ad ſummum non evidenter, ſed cum magnâ formidine iudicaret id eſſe poſſibile.

SECTIO XVII.

Argumenta pro evidenti notitiâ naturali Incarnationis : eorumque ſolutiones.

207 PRimum. Angelus evidenter naturaliter ſcit perſonalitatem aliquam creatam uniri poſſe naturæ alienæ in unitatem Perſonæ : ergo, & à fortiori Perſonalitatem divinam ; eo utiquè communicabiliorem, quó melior eſt. Confirmatur. Lumini naturali patet eſſe poſſibile , quod non repugnat : ſed patere poteſt lumini naturali , non repugnare , quòd natura humana uniatur hypoſtaticé Perſonæ divinæ : ergo & Incarnationem eſſe ſaltem poſsibilem. Minor probatur : quia pro repugnantiâ talis unionis nullum poteſt fieri evidens argumentum: cùm verum non ſit, nec tale,quod ab homine,vel Angelo ſolvi non poſſet lumine naturali: ergo ſaltem quoad non repugnantiam patere poteſt lumini naturali , id non repugnare.

208 Reſpondetur , antecedens eſſe mihi falſum,ex dicendis *diſp.* 3. *ſect. vlt.* Imò iudicò probabilius, Angelum evidenter ſcire oppoſitũ: cum id re vera omnino repugnet.Permiſſo deinde antecedente,negatur conſequentia,ob ſpeciales difficultates,quæ, ut nuper expendebam, occurrerent ex parte Perſonalitatis diviæ putiſ-

Infra diſp. 3.

tissimæ, simplicissimæ, & distantissimæ à quâvis naturâ creatâ infinitè inferiori. Ad confirmationem, nego minorem. Ad probationem concedo primam partem antecedentis, ex qua nihil concluditur. Nam ex eo quod non fiat evidens argumentum pro repugnantia, non sequitur evidens argumentum pro non repugnãtia: manente scilicet utrinque dubio, aut iudicio inevidenti, seu probabili. Distingo autem secundam partem antecedentis: nec tale, quod solvi non posset lumine naturali evidenter, nego: aliquali probabilitate iuxta secundam nostram conclusionem, concedo antecedens, & nego consequentiam. Quidquòd, & quamvis Angelus solveret evidenter cunctas repugnantias sibi contra eiusmodi unionem occurrentes, adhuc non assentiretur evidenter eius possibilitati: semper enim posset, ac deberet prudenter formidare, an ex parte Dei infinitissimi lateret aliqua repugnantia sibi non occurrens: quod sufficit ad cohibendum assensum evidentem.

209 Secundum. Ex Scripturis allegatis *nn.*202. arguunt SS. Patres apud Bernal, dæmonem fuisse aliquando divinitùs impeditum, ne cognosceret, Christum esse Deum: non autem fuit impeditus, ne id cognosceret probabiliter: ergo ne id cognosceret evidenter: ergo quia poterat id evidenter cognoscere naturaliter, nisi divinitùs impediretur. Respondetur, ex illis testimonijs colligi, dæmones habuisse aliquam notitiam vehementer suspicativam; & ad summum, iudicium aliquod probabile de hoc Mysterio: si enim evidentiam haberent, non toties tentassent scire, si forté possent, Personam illius hominis esse Deum. Illi verò Patres apud Bernal. dicunt, dæmonem fuisse aliquando specialiter impeditum non à cognitione physicé evidenti, nam ab hac non erat necesse illum sic impedire; sed ab alia notitia probabiliori, & vehementiori, ferè moraliter evidente ex tot signis, quæ fiebant, & dicebantur. *Bern.*

210 Tertium. Potuit haberi naturali lumine cognitio probabilis vera, affirmans dari, vel posse dari Incarnationem: ergo, & evidens. Antecedens fuit nostra secunda conclusio. Cõsequentia probatur: nam Angelus evidenter naturaliter cognoscens reflexé eã cognitionẽ probabilẽ suã, vel hominis, cognosceret evidenter, esse veram: sed evidens est non posse esse verã, nisi detur, vel dari possit Incarnatio; ergo cognosceret evidẽter dari, vel posse dari Incarnationẽ. Maior probatur: quia veritas cognitionis naturalis, cũ sit eius proprietas, est quid naturale: ergo Angelus naturaliter evidenter cognoscens illam cognitionẽ naturalem, eiusque proprietates naturales, cognosceret eius veritatem: ergo naturaliter evidenter cognosceret, esse veram.

211 Respondetur, negando consequentiam. Ad probationem, negatur maior. Ad cuius probationem dic, veritatem esse proprietatem cognitionis primo illo modo proprij, quod iuxta Dialecticos, *convenit soli, non tamen omni*. Itaque ex notitia affirmativâ reflexâ etiam intuitivâ cognitionis probabilis non infertur notitia affirmativa, quòd talis cognitio sit vera, quamvis re ipsa vera sit: obiectum autem sic se habere non inferretur ex intuitiva notitia cognitionis; sed veritatis. Falsum deinde est, veritatem dictæ cognitionis probabilis de Incarnatione esse adæquatè quid naturale, cùm dicat ex una parte affirmationem naturalem Incarnationis, & ex alia parte ipsam Incarnationem supernaturalissimam. Sic coexistentia Lapidis cum Trinitate, vel Incarnatione non est adæquatè naturalis, cùm præter existentiam Lapidis dicat ex alia parte existentiam Trinitatis, vel Incarnationis. Denique distingo penultimum consequens: Angelus naturaliter evidenter cognoscéns cognitionem illam naturalem cognosceret eius veritatem cognitione evidenter affirmante, eam cognitionem esse veram, nego: sicut neque cognosceret coexistentiam Lapidis cum Trinitate cognitione naturali evidenter affirmante talem coexistentiam: propter dependentiam scilicet talis modi cognoscendi ab affirmatione Trinitatis: cognosceret eius veritatem alio modo cognoscendi, non evidenter affirmante cognitionem esse veram, ac proinde non inferente evidentem affirmationem veritatis illius, neque Mysterij Incarnationis; concedo. Unde falsa est absolutè ultima subillatio.

212 Quartum. *Incarnationis Mysterium est evidenter credibile*: ut de omnibus Catholicæ Fidei veritatibus dicitur in Tractatu de Fide: *ergo est evidenter possibile*: & quidem respectivé ad lumen naturæ, cui evidens est ea credibilitas. Consequentia probatur: Hæc illatio est bona: *est evidenter impossibile: ergo est evidenter incredibile*: igitur & illa: *est evidenter credibile: ergo est evidenter possibile*: iuxta regulam dialecticorum *ex opposito consequentis, sequitur oppositum antecedentis*. Hoc argumentum transcendens est ad multas materias: & minus cautos, nec satis penetrantes illam dialecticæ regulam, illigare solet.

213 Respondetur expeditè, negando illationẽ. Ad probationem, concedo priorem illationem, & nego posteriorem: utpotè minimè cadentem sub regula illa Dialecticæ. Sensus enim regulæ planus hic est, quòd ex propositione contradictoriè oppositâ consequenti affirmativo, sequitur propositio contradictoria antecedentis etiã affirmativi: ut in his: *est homo ergo est rationalis: nõ est rationalis ergo non est homo*. At ex illis propositionibus, quas disponit obiectio, nulla est negativa, sed omnes quatuor sunt affirmativæ: atque adeò nulla contradictoria alterius, cùm de naturâ contradictoriarum

ſit, unam eſſe affirmativam, & aliã negativam. Dixi: *conſequenti affirmativo*: nam de negativis nec valet, nec loquitur ea regula: ut patet, in his: *non eſt homo: ergo non eſt animal: eſt animal: ergo eſt homo*: ubi prior illatio valet; poſterior deficit.

214 Quintum, & ſpecialius. In humanitate datur potentia obedientialis ad unionem hypoſtaticam, realiter identificata cum entitate ipſius humanitatis: atque adeo naturalis, & non ſupernaturalis: ergo evidenter cognoſcibilis naturaliter ab Angelo: ſed eiuſmodi potentia obedientialis connectitur eſſentialiter cum poſſibilitate unionis hypoſtaticæ: nam, ut aliunde ſuppono, ad unionem impoſſibilem nulla dari poteſt obedientialis potentia: ergo Angelus eam obedientialem potentiam cognoſcens cãdem evidentia naturali cognoſceret poſſibilitatem Unionis hypoſtaticæ, ac proinde Incarnationis.

215 Reſpondetur, concedendo totum antecedens, & diſtinguendo conſequens: evidenter cognoſcibilis naturaliter ab Angelo aliquibus modis cognoſcendi, qualis eſſet hic diſiunctivus: *in hac humanitate datur, vel non datur obedientialis potentia ad unionem hypoſtaticam*; concedo: modo cognoſcendi abſolutè iudicante, & affirmante, ibi dari talem potentiam obedientialem, nego conſequentiam. Et admiſsâ minori ſubiunctâ, de connexione ſecundum dici dumtaxat, prout de alijs potentijs naturalibus, imò, & de Omnipotentiâ diuinâ, iuxta mentem arguentium explicui generaliter, & utiliter *diſp 9. de Attrib. ſec. 3.* nego ſubillationem de cognitione abſolutè affirmante, eſſe poſſibilem unionem hypoſtaticam: ſicut negavi nuper de cognitione evidenter naturaliter affirmante dari potentiam obedientialé ad ipſam: ex cognitione autem illâ diſiunctivâ, & ex alijs evidentibus, quæ ſic, vel ſic haberi naturaliter poſſunt circa Incarnationem, ſicut & circa Trinitatẽ ſeu circa aliud quodvis obiectũ ſupernaturale, nõ infertur iudicium evidens, de quo certamus, abſolutè iudicã, Incarnationẽ eſſe poſſibilẽ

Tom 1. diſp. 9.

216 Urgebis. Angelus naturaliter comprehendens humanitatem, poſſet eam potentiam obedientialem abſolutè evidenter naturaliter affirmare: quandoquidem eſt prædicatum naturale, utpote identificatum cum ipſa humanitate: ergo ex naturali ſaltem comprehenſione humanitatis, inferret evidenter naturaliter Incarnationem eſſe poſſibilem. Reſpondetur item eſſe aliò pertinentem, an Angelus comprehendere poſſit naturaliter humanitatem: quia dubium eſt ſatis anceps, quid requiratur ad conceptum comprehenſionis, de quo differvi *diſp. 17. de Attributis.*

Tom 1. diſp. 17. Aldret.

217 Exiſtimat Aldrete non requiri, quód res cognoſcatur omni modo, quo cognoſcibilis eſt verſus cunctos eius terminos: ſicque ait, Angelum comprehendere poſſe naturaliter humanitatem, quin perinde debeat, aut poſſit naturaliter illam cognoſcere modo ſupradicto cognoſcendi abſolutè affirmativo, versùs unionem hypoſtaticam, quæ eſt terminus prætervolans naturalem illum modum cognoſcendi? Et in id etiam inclinat Antonius Perez, dicẽs ad comprehenſionem naturalem non requiri rem cognoſci verſus terminos dicentes reſpectũ ad myſteriũ aliquod naturaliter incognoſcibile. Ideo negant abſolute antecedens.

Anton. Perez.

218 Alij cum Nominalibus exiſtimant ad comprehenſionem requiri, rem cognoſci omni modo quo cognoſcibilis eſt, versùs omnes omninó ſuos terminos: & hoc videtur cõformius ad rigorem vocis. Ideo negant, Angelum poſſe naturaliter humanitatem comprehendere. Et iuxta doctrinam iſtorum ſupponitur falſum in antecedente: quód nempe Angelus naturaliter comprehendere valeat humanitatem. Sicque videntur ſentire PP. DD. Herrera *qu. 3. de Trinit. ſec. 2* & Thyrſus *to. 1. diſp. 5. ſec. 11.* Nec abeſt, quód illa potentia obedientialis ſit naturalis contrapoſité ad ſupernaturale: quia eamdem comprehenſibilitatem naturalem negant Angelo de ipſa humanitate

Nomin.

Herrera Thyrſus.

219 Tria mihi fixa ſunt. Primum: Angelum habere non poſſe naturaliter, evidenter eiuſmodi cognitionem affirmativam dictæ potentiæ obedientialis in humanitate, propter eaſdem rationes, ob quas vidimus ipſi repugnare notitiam evidentem naturalem Incarnationis. Secundum: non minorem cognitionem humanitatis concedi Angelo in uno, quàm in altero ex duobus modis reſpondendi ſupra poſitis: quamvis manet diſsidium magnâ, ex parte vocale, an ea Angeli cognitio ſit dicenda comprehenſio, nec ne: quod ad rem præſentem vix reffert. Tertium: Idem argumentum fieri poſſe contra feré omnes ad probandam cognoſcibilitatem evidentem lumine naturæ ab homine, vel Angelo, Myſterij Trinitatis: nimirum ex cognitione potentiæ obedientialis intellectûs creati ad viſionem intuitivam de Trinitate. Ex quibus omnibus ad argumentum, quidquid ſit de eo quod Angelus comprehendat, vel non comprehendat naturaliter humanitatem; nego abſolutè antecedens, & conſequentiam. De ijs non nihil *diſp. 18. de Attrib. ſect. 11.*

Tom. 1. diſp. 18.

220 Sextum. Angelus evidenter naturaliter cognoſcit in humanitate Chriſti carentiam, ut loquũtur, propriæ perſonalitatis, ſeu ſubſiſtentiæ humanæ. Vel enim ea carentia eſt naturalis, vel ſupernaturalis: ſi naturalis, cur non evidenter cognoſcibilis ab Angelo lumine naturæ? Si ſupernaturalis, non ideo præciſé fugit evidentiã naturalem Angeli, ut remiſsivè dixi nu....ergo evidenter naturaliter cognoſcit, eſſe ibi talem carentiam perſonalitatis humanæ: ergo evidenter

Digitized by Google

cer infert, esse ibi personalitatem divinam. Probatur hæc consequentia: scit enim humanitatem esse non posse sine aliquâ personalitate, & non habere propriam: imò neque alienam creatam: cùm sciat per alienam creatam non posse personari, uti iudico verum: & se eam visurum si adesset: ergo evidenter infert, in ea humanitate esse personalitatem divinam.

Infra Disp. 3. sec. vlt.

221 Pulchra machinamenta. Pro tuenda solidâ veritate à multorũ æquivocatione animadvertendum est, illud primum antecedens duos sensus habere posse. Unum affirmativum, quòd in humanitate Christi sit ens quoddam physicé ibi residens, distinctum ab omni positivo, quod ens incepit vulgò vocari carentia propriæ subsistentiæ. In hoc autem sensu antecedens est plusquam falsum, cuiusque probatio prorsùs absurda: cum nec sit ens supernaturale, nec naturale quod re verâ non est ens. Quinimo Angelus contra imaginationem quorumdam hominum tam evidenter cognoscit repugnare tale ens distinctum ab omni positivo, quàm distinctum ab omni ente.

222 Secundus sensus primi illius antecedentis est negativus: negans utique in humanitate Christi esse propriam personalitatem humanam: hoc vel simili modo cognoscendi: *non est in humanitate Christi propria personalitas humana*: quam veritatem, si placet, poteris explicare per has, & similes phrases: *deest humanitati Christi propria personalitas humana: humanitas Christi caret humanâ personalitate: est in humanitate Christi carentia, caritio, seu privatio personalitatis humanæ:* quippe de re curo potiùs quàm de vocibus: quas equidem usurpo, cum oportet, quantumvis barbaras, explicationis causâ, dummodo rem Philosophicam, aut Theologicam non corrumpant, nec loquutiones sapientum in sensus reprobos, minùs sapientum insciti â, detorqueantur. Monuit hoc scitissimé Augustinus tract. 1 in Joannem: *Videte*, inquid, *ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est: solent enim multi malè intelligentes, sine ipso factum est nihil, putare, aliquid esse nihil.* Et cap. 4. de Genesi: *ita igitur dictum est, tenebræ erant supra abyssum, ac si dictum esset, non erat lux.* Et lib. 1. de Vita beata: *nescio quomodo dicamus, habet egestatem: tale est enim, ac si locum aliquem, qui lumine caret, dicamus habere tenebras: quod nihil est aliud, quam lumen non habere; nõ enim tenebræ quasi veniunt, ac recedunt.* Nec est cur diutiùs in ijs otiemur post dicta in Metaphysicis, & repetita identidem in Disputationibus de *Essentia & Attributis Dei.*

August.

223 Respondetur ergo ad argumentum negando antecedens. Ad probationem dico, eam carentiam loquendo ad mentem multorum sic arguentium in primo illo sensu antecedentis, nec esse naturalem, nec supernaturalem: falsò enim supponunt, esse id quod optimé cognoscit Angelus. Loquendo autem aptè iuxta secundum sensum, dico, sive id dicatur naturale, sive supernaturale, Angelum ex eo quod non videat in humanitate Christi personalitatem propriam humanam, non evidenter inferre, eam ibi non esse. Quippe novit, posse ibi esse, sibique à Deo posse occultari, ideoque forte ab ipso non videri, quamvis ibi sit.

224 Dices: ergo nec evidenter inferet, nocte non esse lucem ex eo quòd lucem non videat, nec cognoscat: cùm possit suspicari Deũ illam sibi occultare, quamvis re ipsâ sit. Sed negatur ista consequentia: quia in hoc non est ratio prudens id suspicandi, dubitandi, nec formidãdi, sicut in casu illo personalitatis propriæ, quam non videt in humanitate: non enim scit naturaliter evidenter stare posse humanitatem sine personalitate propriâ: ideoque eam ibi nõ videns, habet magnam rationem suspicandi, ibi adesse, sibique à Deo occultari: quod impedit iudicium evidens negans ibi adesse. At non videns nocte lucem, nullam habet rationem dubitandi, aut suspicandi, lucem adesse, sibique occultari: ideoque format iudicium evidens, negans ibi esse lucem.

225 Urgebis. Quid si Deus ut Author naturæ revelaret Angelo, cui deberetur connaturaliter notitia personalitatis humanæ, se nihil illi occulturum ex ijs, quorum notitia debeatur illi connaturaliter? Certè in ciusmodi casu evidenter inferret Angelus, in humanitate Christi non esse propriam personalitatem humanam ex eo quòd ipse illam ibi non videat: certùs utique quòd illam videret si esset ibi: cùm sibi iam constet ex revelatione Dei ut Authoris naturæ, non fore sibi divinitùs occultandam. Respondetur, non esse huius loci disputare, an Deus, ut Author naturæ, possit id revelare, & an Angelo id posset naturali evidentiâ, seu certitudine innotescere. His tamen pro nunc in gratiam arguentium permissis, in casu posito concedo totum. Nam quòd ex divinâ aliquâ revelatione possit haberi ab homine, vel Angelo notitia aliqua naturalis certa, & evidens de Incarnatione, uti iam conceditur ab Aldrete, & alijs; non est contra nostram conclusionem loquutam in casu secluſæ revelationis. Præmaximé, si aliunde, uti etiam opinor, & supposui *sect. prec.* non repugnat in genere notitia evidens naturalis de ente supernaturali.

Aldrete.

226 Insistes. Carentia, ut aiunt, personalitatis propriæ in humanitate Christi est supernaturalis, quia est carentia termini naturaliter debiti: ergo carentia unionis hypostaticæ in ea humanitate esset naturalis, quia esset carentia termini indebiti: ergo hæc carentia naturalis esset evidenter ab Angelo cognoscibilis; si esset

in

in humanitate : ergo poſſet Angelus evidenter naturaliter inferre, ibi non eſſe eiuſmodi carentiam : atque adeò, ibi eſſe unionem hypoſtaticam.

227 Reſponderi ſolet, conceſſo uti ſonat, primo enthymemate, negando ſecundam conſequentiam, ob connexionem, quam habet in cognoſci, quamvis non in eſſe, carentia, eiuſque terminus. Cæterum acceptis carentijs, ut vulgò ſolebant, pro veris entibus ab omni poſitivo diſtinctis, ex ea chymericâ connexione carentiæ cum termino non magis arguitur utriuſque cognoſcibilitas, quàm incognoſcibilitas.

228 Reſpondetur, permiſſo, aut iuxta ſenſum tolerabilem admiſſo primo enthymemate, concedo quoque ſecundam conſequentiam: & nego ultimam ſubillationem ob rationem datam *nu. 223.* quia nempé, quamvis Angelo deberetur connaturaliter cognitio carentiæ unionis hypoſtaticæ in humanitate non hypoſtaticè unitâ non inferret evidẽter, in humanitate unitâ nõ dari talẽ carentiã ex eo quod illam non cognoſceret : quia prudenter poſſet ſuſpicari, ſibi occultari divinitús à Deo, etiamſi adeſſet ibi talis carentia, in quocumque iſta conſiſtat.

229 Mirandum magis eſt, quòd propter connexionem carentiæ cum ſuo termino, velint aliqui arguere cognoſcibilitatem unionis hypoſtaticæ lumine naturæ, exẽo quod eius carentia utpote naturalis, ſit evidenter naturaliter cognoſcibilis. Profectó nihil aut falſius, aut ab ſcopo aberrantius potuit excogitari. Nihil falſius : quia carentia in quocumque conſiſtat repugnantiam dicit eſſentialem cum ſuo termino : quomodo ergo connexionem ? niſi forte dicendum alicui videatur, unum ens non poſſe eſſe ſine alio, qui eſt conceptus mutuæ connexionis ; idem eſſe, ac unum ens non poſſe eſſe cum alio, qui eſt conceptus mutuæ repugnantiæ. Nihil ab ſcopo aberrantius: quia ex cognitione evidẽti affirmante dari carentiam, non infertur cognitio affirmans, ſed potiús negans dari terminum.

230 Dicat alius : eam carentiam unionis in humanitate eſſe privationẽm, quæ eſt termini poſſibilis : ergo ex talis carentiæ cognitione, arguetur evidenter, terminum eius ſcilicet unionem hypoſtaticam eſſe poſſibilem, & humanitatem eſſe capacem illius. Reſpondetur diſtinguendo conſequens : ex quacumque cognitione talis carentiæ, nego : ex aliquâ, quà ſcilicet affirmaretur illam carentiam eſſe privationem, potiús quam puram negationem, concedo. In quocumque tamen conſtituatur eiuſmodi carentia, quæ re ipsâ ſit privatio, ſive ſit privatio ex intrinſecis ſuis, ſive ex denominatione extrinſecús contingente ; nego, intellectum, cui aliunde evidens naturaliter eſſe non poteſt, eius carentiæ terminum nempe unionem hypoſtaticam, eſſe poſſibilem; poſſe dignoſcere evidenter naturaliter talem carentiam eſſe potiús privationem, quàm negationem puram: quemadmodum de potentiâ obediẽtiali diximus, quòd quamvis idemtificetur cum natura, nequit cognoſci cognitione evidenter naturaliter affirmante, ineſſe naturæ talem potentiam, niſi ab intellectu potente naturaliter evidenter cognoſcere, eſſe poſſibilem effectum, qui eſt terminus talis potentiæ.

DISPUTATIO II.

DE TERMINIS INCARNATIONIS.

1 INCARNATIO efficienter dicta, ſive actio incarnativa, habet pro termino formali *quo* Unionem hypoſtaticam, quam ſcilicet producit penes totum quod in ſe dicit intrinſecè: pro termino totali habet Chriſtum, qui abſolutè denominatur productus, quamvis non ſit productus penes totum quod dicit, quia nec Verbum, nec anima, nec materia per Incarnationem producitur. Incarnatio formaliter dicta, ſive Unio hypoſtatica, habet pro termino totali, reſultante, ſeu conſtituto, ipſum Chriſtum; pro terminis autem ſeu extremis unitis, humanitatem, & Verbũ. Humanitas dicitur, terminus aſſumptus; & Verbum, terminus aſſumens; utrumque, terminus unitus. Cuius diſcriminis rationem dat. S. Thom. quia appellatio *unionis* denotat coniunctionem duorum adæquatè diſtinctorum in unum: cum autem Verbum, & humanitas adæquatè condiſtincta coniungantur in unum Chriſtum, utrumque verè eſt terminus unitus. *Incarnatio* denotat unionem factam in perſona, cui acceſſit caro. & ideò ſolum Verbum dicitur incarnatum, quamvis tres Perſonæ divinæ dicantur incarnantes, ſicut & unientes. *Aſſumptio* activè denotat eamdem unionem, ut factam in extremo, & ab extremo, quod alteri coniungitur: & ideò ſolum Verbum dicitur aſſumens, quia ſolum Verbum eſt unitum, & producens unionem: humanitas autem non eſt aſſumens, ſed aſſumpta; quia, quamvis uniatur, non producit unionem. Aliæ verò divinæ Perſonæ non dicuntur aſſumentes, quia quamvis producant unionem, non uniuntur. Itaque *aſſumptio* dicit actionem, & quaſi paſſionem, ſcilicet producere unionem, & uniri: quod ſolius eſt Verbi. *S. Thom. q. 4. à. 1.*

SECTIO I.

De termeno totali, qui eſt Chriſtus, unus in Perſonâ; non ſic in Naturâ.

Neſtor. 2 NEſtorius Patriarcha Conſtantinopolitanus propagavit errorem aſſerentium, Unionem hypoſtaticam non fuiſſe factam in Naturâ, neque in Perſona; ſed taliter, ut ſint in Chriſto duæ Perſonæ, ſicut duæ naturæ, divina ſcilicet, & humana: & Chriſtum eſſe quidem hominem, non phyſicè unitum Deo, ſed eximiè dilectum à Deo; non proprié hominem Deum, ſed hominem deiferum. Huc etiam pertinuiſſe errores Felicis, & Elipandi damnatos in Francofordienſi, & in alijs Concilijs pròbat luculenter Bernal. *diſp. 64.* videndus etiam *diſp. 13. & 14.* Itemque Petavius *lib. 8.* Suar. *diſp. 7.* Vaſq. *diſp. 14. & 15.* & Conic. *diſp. 7. dub. 1. & 4.* rem iſtam dogmaticam digne elucidantes.

Franc. Bernal. Petav. Suar. Vaſq. Conine.

3 Euthyches Archimandrita, favente Dioſcoro Patriarchà Alexandrino, nimium ſeſe opponens Neſtorio, in extremum devènit errorem, ſe quoque antiquiorem, aſſerens cum Appollinari, unionem factam fuiſſe tam in Natura, quam in Perſona: taliter nimirum, ut Chriſtus ſit una tantùm natura, ſicut eſt una tantùm Perſona. Quem errorem, quia nunquam ſatis declarabat Eutyches, alijs & alijs phraſibus ſubdolètergiverſando, variè intellexerũt Authores. Vaſquez ait, Eutychem poſuiſſe in Chriſto unam naturam mixtam, ſeu compoſitam ex naturis divinâ, & humanâ, ſicut ex corpore & animâ phyſicè componitur humanitas. Lugus ait, errorem illum fuiſſe, quòd naturæ divina, & humana ita coaluerint in unam tertiam naturam, ut non manſerint in Chriſto integræ, ſed dimi-

Euthic. Dioſcor. Apoll. Vaſq. Lugus.

diminutæ. Alij aiunt Eutychianos nequaquam agnoviſſe in Chriſto Domino veram naturam divinam, nec humanam ſubſtantialiter, ſed aliam tertiam naturam ex illis reſultantem. Apollinaris ſic ſe explicuit, ut Verbum fuerit caro factum converſivé, ita quód converſum fuerit in carnem, ſicut aqua in vinum in Canna Galileæ. Bernal putat, ſenſum fuiſſe, quód in Chriſto eſſet ſola natura divina ſub accidentibus humanæ, ibi ſubſtantialiter deficientis: ad modum quo in Euchariſtia eſt ſubſtantia Chriſti ſub accidentibus panis. Dānati certó fuerunt Eutichiani, quia docebant alio, vel alio modo, unicam tantúm in Chriſto naturam. Ideo vocabantur *Monophyſitæ*, id eſt, unius naturæ aſſertores: & aliquando *Acephali*, id eſt, ſine capite: quia mortuo Euthyche, ſine certo capite vagabantur.

Apoll.

Bernal.

4 De Fide eſt primò contra Neſtorium, Unionem hypoſtaticam factam fuiſſe in Perſona: hoc eſt, in unitatem Perſonæ, ita ut unica tantum Perſona fuerit in Chriſto, & illa quidem divina Verbi. Sic definitur in Concilijs Epheſino, Alexandrino, & Calcedonenſi. Et colligitur ex Scripturis, nunquam loquentibus de Chriſto, niſi tanquam de unica Perſona, & illâ quidem divinâ, & in hunc ſenſum intellectis conſtanter ab Eccleſia, & á SS. Patribus, ut expendit erudité Bernal *diſp 13. á nu 28. & diſp. 25. ſect 2.* Hæc Perſonæ unicitas ſignificatur per illas propoſitiones abſoluté veras in in Chriſto: *Deus eſt homo: homo eſt Deus*: ſignificant enim idemtitatem Perſonæ, quæ eſt homo, & Deus: de quo *ſect 7.* Et propter id ipſum recuſatur hæc: *Verbum aſſumpſit hominem*: quia cùm homo concretè ſignificet Perſonam, videri poſſet, dici, quòd Perſona Verbi aſſumpſerit perſonam hominis: cum tamen non ſit in Chriſto una Perſona aſſumens, & alia aſſumpta: ideoque non eſt dicendum Perſonam verbi aſſumpſiſſe hominem, ſed humanitatem: non Perſonam, aut Perſonalitatem, ſed naturam humanam: de quo *ſect. 5.*

Epheſ. Alexãd. Calcéd.

Bernal.

5 Objcies. Chriſtus eſt Perſona divina, & Perſona humana: ergo eſt duplex Perſona: ſicque unio non fuit in unitatem Perſonæ. Reſpondetur, priorem partem antecedentis de Perſona divina eſſe certam. Circa poſteriorem de perſona humanâ, recuſant illam Suarez, & alij apud Bernal. *diſp 13. num. 74.* negantes, dici poſſe Chriſtum Perſonam humanam, ne videatur admitti in illo perſonalitas humana, ſeu creata. Cæterum Caietanus, Vaſquez, & Granadus illam admittunt: advertentes tamē, quòd cum dicitur Chriſtus Perſona humana, non ſignificatur alia Perſona præter divinam; ſed quòd ipſa Perſona divina, eſt in Chriſto Perſona humana: hoc eſt, habens ſibi coniunctam humanitatem. Bernal. ait, Chriſtum dici poſſe Perſonam Theandricam, hoc eſt, *Divini humanam*. Ex ijs ad obiectionem, recuſantes prædictam loquutionem, negant antecedens. Illam autem admittentes, admiſſo antecedente, negant conſequentiam, & benè: quia, quamvis Chriſtus ſit Perſona divina, & Perſona humana; non tamen humana alia à divinâ, ſed eadem: ſicut quamvis ſit Perſona Verbi, & Perſona Filij: non alia Perſona Verbi, & alia Filij, ſed eadem, quæ Verbum ſimul, & Filius eſt.

Suarez. Bernal.

Caiet. Vaſq. Granad.

6 Circa diſſidium autem illud vocale non parvi faciendum à Theologis in re dogmaticâ, videtur mihi primó, Chriſtum non eſſe ita abſolutè vocandum Perſonam humanam, ſicut vocatur Perſona divina: quia non dicit naturam, & perſonalitatem humanam, ſicut dicit naturam, & perſonalitatem divinam. Videtur ſecundó, abſoluté vocandum eſſe Perſonam divinam; Perſonam verò humanam, non abſolutè, ſed cum addito explicante ſanum ſenſum: ne videatur loquutio Neſtoriana. Videtur tertiò, poſſe in bono ſenſu cum debitâ explicatione vocari Perſonam humanam: hoc eſt, Perſonam, quæ veré eſt homo: dummodò conſtet, non poni Perſonam diverſam á divinâ, nec perſonalitatem humanam, ſeu creatam. Videtur quartò, vocari poſſe perſonam Theandricam, ut loquitur Bernal: qui eodem modo diſcurrit circa iſtam loquutionem: *Chriſtus eſt Perſona creata*: quæ tamen duriot eſt, & periculotior: ideoque repellenda.

7 Objcies ſecundó. In Chriſto ſunt duæ naturæ intellectuales completæ: ergo duæ Perſonæ. Reſpondetur diſtinguendo antecedens: completæ per unicum complementum perſonale, quod eſt ſubſiſtentia divini Verbi, concedo: per duplex, nego antecedens, & conſequentiam.

8 Urgebis. Perſona ex Boetio eſt, *rationalis naturæ individua*, ſeu incommunicabilis, *ſubſtantia*: quod eſt idem ac, natura intellectualis completa: ſed in Chriſto ſunt duæ naturæ intellectuales completæ, ſeu ſubſiſtentes, quamvis per unicam ſubſiſtentiam, ſeu perſonalitatem: ergo ſunt duæ Perſonæ: quemadmodum, quia ſubiectum habens albedinem eſt album, ubi dantur duo ſubiecta habentia albedinem, quantumvis unicam, & eamdem, ſunt abſoluté duo alba. Reſpondetur, ſyllogiſmum non valere, ſicut nec valet iſte: *Perſona identificata cum deitate eſt Deus: ſed ſunt tres Perſonæ identificatæ cum Deitate: ergo ſunt tres dij*. Conceſſis ergo præmiſſis, negānda eſt in utroque conſequentia. Quæ quidem ut valeret, debuerat maior poni ſic: *quot ſunt naturæ intellectuales completæ, tot ſunt perſonæ*: quam maiorem univerſalem negarem. Rationem dabimus *ſect. 7.* quia multiplicatio concreti Perſonæ, ubi Perſonalitas eſt per ſe ſtans, ut in Deo,

Bañez.

&

& in Christo, sumitur à multiplicatione Personalitatis: ideoque cum in Christo non multiplicetur Personalitas, non multiplicatur Persona. E contra est in concreto adiectivo albi, & similibus, quæ multiplicantur ad multiplicationem subiecti in recto significati: ideoque est verum, tot esse alba, quot sunt subiecta habentia albedinem: ex qua propositione infertur illa consequentia: non autem vi formæ ex eo præcisè, quod subiectum habens albedinem sit album.

9 Obijcies tertió. Unitas in persona est unitas per se, & non per accidens: sed humanitas, & Verbum non uniuntur, nec possunt uniri in unum per se: ergo neque in unitatem personæ. Probatur minor: quia unum per se non fit nisi ex duobus entibus incompletis, ordinatis intrinsecè ad componendum. Nec dicas, humanitatem iam ordinari ad componendum cum sua subsistentia, cuius tamen munus præoccupat subsistentia Verbi. Hoc enim non est humanitatem ordinari ad componendum cum Verbo: sicque ex illa, & ex Verbo non fiet unũ per se, sed per accidens: sicut non fieret unum per se ex duabus animabus, quia non ordinantur ad componendum inter se, quamvis ordinentur ad componendum cum corporibus. Insuper exinde solùm fieret, humanitatem, utpotè incompletam, adiungi per se Verbo; non autem Verbum completissimum adiungi per se humanitati; sed peraccidens.

10 Difficultas hic tangitur satis implexa, in qua perfidè hærebat Nestorius, ut negaret humanitatem, & Verbum potuisse physicè intrinsecè uniri, putans utique fuisse duas Personas in Christo affectivè tantùm, & moraliter unitas, ut explicabam *disp.1. num.92.* Labor est in explicando iuxta Philophiam, quid requiratur, & sufficiat, ut duo possint coniungi in unũ per se. Requirunt aliqui, quòd ambo sint eiusdem prædicamenti. Falsò tamen, nam substantiæ cum suis proprietatibus physicis, quæ accidentia, & qualitates sunt, ac proinde diversi prædicamenti, unum per se ordinatissimum faciunt, & non peraccidens. Requirunt alij, quòd alterutrum saltem debeat esse ens incompletum. At hoc quoque universaliter falsum est: nam ex duabus aquis in se completissimis invicem physicè unitis fit integraliter unum per se ordinatissimum, & non per accidens. Quod verò circumfertur axioma: *ex duobus entibus completis non fieri unum per se*; aut negandum est ex Theologiæ luce, aut quomodolibet explicandum. Meum sensum aperiam respondendo ad obiectionem.

Supra disp. 1. sect. 3.

11 Respondetur igitur, concessâ maiori, negando minorem, eiusque probationem. Circa quam, alijs reiectis, placet quod docent Hurtadus *disput.22. de Incarnat. & disp.10. Metaph. sect.2.* & Uvadingus *disp.4. dub.8.* scilicet, non requiri eiusmodi incompletionẽ, ut ex duobus possit fieri unum per se, ut nuper vidimus in uno saltem per se integrali; sed sufficere unionem physicam extremorum, sese certâ proportione respicientium per modum aptitudinis, seu non repugnantiæ, ad communicationem specialium denominationum ab uno in alterum. Si rogas, qualis & quanta debeat esse ea proportio? fatebor, mihi non constare regulam generalem. Scotus *in 3 dist.2. quæst.2.* dixit haud ineptè, non aliam de his, & similibus adhibendam esse rationem, nisi quia hoc est hoc, & illud est illud, quia nempè hoc extremum est talis naturæ & aliud talis: quandoquidem ad hoc tandem deveniendum est. Eam proportionẽ in naturalibus invenimus, inter materiam, & formam, inter naturam, & subsistentiam, inter partes integrantes unam substantiã, inter subiectum eiusque accidentia. Inter humanitatem autem, & Verbum inde peti potest, quòd humanitas, cùm sit natura rationalis capax moralitatis, & elevationis ad ordinem divinũ ideoque intrinsecè sãctificabilis, & personabilis; specialem dicit aptitudinem ad participandos à Verbo summè bono, ideoque miris modis sui cõmunicativo, nobilissimos effectus, quorum aliæ multæ naturæ creatæ incapaces sunt, ideoque fortè non habent eam proportionem ut possint coniungi cum hypostasi divina in unum per se. Sic se explicat Uvadingus *n.9.* utens exemplo Gratiæ, ad quam natura rationalis creata aliquam proportionem, & aptitudinem dicit, quę negatur naturæ lapidis, quamvis in neutra detur exigentia gratiæ. Sufficit itaque ad unibilitatem duorum in unum per se ordo istè mutuus per modum aptitudinis, quin sese debeant respicere per modum exigentiæ: ille autem ordo rectè reperitur inter humanitatem, & Verbum. De ijs iterum *disp.3 sect.2.*

Vvad. *Scot.* *Vvadin.* *Infra Disp. 3.*

12 De Fide est secundò contra Eutychetem, Unionem hypostaticam non esse factam in naturâ, hoc est, in unitatem naturæ, taliter ut una tantum natura sit in Christo. Sic definitur in Concilijs Ephesino, Calcedonẽsi, Constantinopolitano, & Lateranensi; ut refert Suarez *disp.7. sec.2.* & colligitur ex varijs Scripturis, in quibus Christus & verus Deus, & verus homo compellatur: ergo quia dicit veram naturam divinam, & veram naturam humanam, ac proinde duas. Utrũque dogma habet Athanasius in Symbolo: ibi de Christo: *Unus omnino, non confusione substantiæ, sed unitate Personæ.*

Ephes. *Calced.* *Constan.* *Lateran.* *Suar.* *Athan.*

15 Obijcies primò. Deus in Christo factus est homo: ergo conversus in hominem: ergo non mansit in Christo terminus *à quo* conversionis, nempe natura Dei. Respondetur, quòd Deus non est factus homo conversive,

Hurtad.

Apollin. ut erravit Apollinaris, ſicut aqua fuit facta vinũ in Galilea; ſed conſtitutivè: taliter, ut ex Deo, & humanitate conſtituatur, & fiat Deus homo. Quo modo loquendi dicitur intellectus fieri cognoſcens adiunctâ ſibi cognitione: & Geneſis 2. *homo factus in animam viventem* per infuſionem formæ. Idcircò Athanaſius in Symbolo appoſuit: *non converſione Divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum.*

Geneſ. 2.
Athan.

14 Obijcies ſecundò eumdem Athanaſium dicentem, ibi: *ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo; ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus*; ergo ad modum, quo ex anima, & carne unitis fit in homine una natura humana, ſic ex natura humana, & ex natura divinâ unitis fit in Chriſto una natura. Reſpõdetur, hanc conſequentiam non deduci ex verbis Athanaſii. Quippe non ait quòd Deus & homo una eſt natura; ſed, *unus eſt Chriſtus*: cõſtitutus nimirum non in unitatem naturæ, aut in unica naturâ; ſed in unitatem Perſona, & unica Perſona ex natura humanâ, & Perſonâ divinâ: & quo ad hoc tenet paritas animæ, & carnis: nec opus eſt ut teneat quo ad omnia, ut recte Suarez citatus, & laté Delugo *diſp. 9. ſectione 3.*

Suar.
Lugus.

15 Negotium autem momenti eſt, dare rationem, cur ex humanitate, & Deitate unitis & integre manentibus nequeat dici fieri una natura compoſita. Dant rationem aliqui: quia unio hypoſtatica non fit immediate ad Naturam divinam. Verum iſta ratio nec vera, nec ſufficiens eſt, ut conſtabit *ſec. 3. & 4.* Dant alij: quia Deitas eſt omnimodè completiſſima, & humanitas completa ex parte ſui in eſſe naturæ, quamvis non in eſſe perſonæ: ideoque fit per ſe unum in Perſona cum Verbo, non tamen in naturâ. Sed contra eſt quod diximus *num. 11.* ad unum per ſe non requiri eiuſmodi incompletionem extremorum: & videmus, ex duabus aquis completis fieri unum per ſe cõpoſitum ex utrâque; & non obſtante completione Deitatis fieri ex illius Perſona, & ex naturâ humanitatis unum per ſe in Perſona: quidni ergo & unum per ſe in naturâ ex illis compoſitâ?

16 Ratio mihi eſt: quia ex duabus naturis fieri per ſe unam naturam compoſitam, vel eſt per compoſitionem integralem, ut in duabus aquis: & hoc modo, proprio rerum corporearum, ſatis per ſe patet, non uniri Natura divinâ, & humanam. Vel eſt per compoſitionem eſſentialem: & hoc fit dupliciter: primò, ſicut ex naturis elementorum fiunt mixta, non manentibus ibi formaliter elementis: & hoc modo certum etiam eſt, ex naturis divinâ, & humanâ non fieri unam naturam in Chriſto, cùm utraque maneat formaliter in Chriſto. Secundò, ſicut ex anima, & corpore, manentibus formaliter in humanitate, fit una natura humana compoſita: & neque hoc modo dici, aut intelligi poteſt, fieri in Chriſto ex naturis divina, & humanâ unam naturam compoſitam. Sic enim non fit una natura compoſita ex duabus, niſi habentibus ſe, unâ ut cauſa materialis, alia ut cauſa formalis, ut fiat ex duabus una radix, & unum principium phyſicum adæquatum earumdem proprietatum, & operationũ, quod eſt natura compoſita completa in eſſe naturæ. Sic autem nequeunt ſe habere naturæ divina, & humana: quia divina nequit fieri cauſa phyſica materialis, nec formalis: & humana nequit ullo modo fieri principium aut radix proprietatum, & operationem naturæ divinæ: ſed quælibet exerceat ſeorſim ſuas operationes phyſicé ac ſi quoad hoc unitæ non eſſent. Non ergo apparet modus iuxta Philoſophiam, ſed ſumma repugnantia, in eo quód ex naturis divinâ, & humana in Chriſto fiat una natura compoſita. Sic ferme Conine videndus *diſp. 7.*

Conine.

17 Hinc ſeduló cavenda eſt iſta loquutio: *Chriſtus eſt una natura compoſita ex divinâ, & humanâ*: etiam in ſecundò illo ſenſu compoſitivo *numeri 16.* quamvis ille modus admittendi in Chriſto unam naturam non ita acriter impugnetur à SS Patribus, ſicut alij, modi, teſte Delugo *d. 9. n. 11.* Extant apud Petaviũ *lib. 3. cap. 10. num. 9.* verba hæc Sancti Maximi Martyris: *unam naturam compoſitam dicere eſſe Chriſtum refugimus omninò, idcò quòd nullus ſelectorum Patrum hactenùs viſus eſt huiuſmodi vocem uſurpare.*

Lugus.
Petav.
Maxim.

18 Quid de iſta: *Chriſtus eſt Perſona compoſita?* Eam recuſant Durandus, Alenſis, & Caietanus. Primò quia eſt loqui, quaſi Deus ſit pars in eo compoſito: contra quod ait Auguſtinus *lib. 3. contra Maximum cap. 10. nec tamen Deus pars huius Perſonæ dici poteſt: alioquin Filius Dei antequam acciperet formam ſervi non erat totum.* Secundò, quia Chriſtus eſt eadem Perſona, ac Verbum; ſed Verbum non eſt Perſona compoſita, ergo neque Chriſtus. Cæterum Bernal. *diſ. 13. ſect. 3.* eam admittit ut abſolutè uſurpatam à Concilijs, & Patribus. Quia Perſona Chriſti dicit duo diſtincta unita in unum eſſentiale: compoſitio autem nihil eſt aliud, quám diſtinctorum unio: ergo eſt Perſona compoſita. Aſſentior: & ad primam rationem contrariam, nego id eſſe vocare Deum partem: nam pars dicit inferioritatem ad totum: quod utique ſemper eſt maius parte: Deus autem, ſeu Verbum non eſt quid inferius Chriſto, nec Chriſtus maior Verbo ſolo, ut dixi *diſp. 3. de Attrib. ſect. 11.* Si forſan aliqui Patres refugiunt vocare Chriſtum Perſonam compoſitam, intellige, ex partibus, quarum una ſit Verbum. Compoſitio autem non eſt eſſentialiter

Durand.
Alenſis.
Caiet.
Auguſt.
Bernal.
Tom. 1. diſp. 3.

ex

ex partibus, sed aut ex partibus, aut ex terminis, vel extremis, cum nō fit nisi distinctorum unio: ut bene Coninc *disp. 7. dup. 7.* Ad secundam rationem dico cum Bernal. *num 39.* Christum esse eamdem Personam cum Verbo: at hæc eadem Persona Christi, & Verbi cœpit esse composita ex quo cœpit esse homo.

Coninc.

19 Quid de ista: *Christus est Persona composita ex duabus naturis?* Toleratur à Vasquez ex SS. Patribus, quos allegat: quia solùm significat, Personam compositam ex duabus naturis in unitatem Personæ; non in unitatem naturæ. Recusatur, & meritò à Suarez, & Bernal: quia assonare videtur unionem in natura, seu unitatem naturarum in unam naturam compositam: quod vel in modo loquendi cavendum est *ex nu. 17.*

Vasq.

Suar. Bernal.

20 Quid de istis: *Christus est duæ naturæ: Christus est divinitas, & humanitas?* Aliqui eas recusant uti damnatas in Concilio Cōstantiensi contra Joannem Hus. Admittunt eas & meritò, Vasquez, & Bernal ex Damasceno dicente: *duæ natura unus Christus est, & Christus duæ naturæ*: videlicet, unitæ. Ad dānationem Constantiensis dic, eas loquutiones ibi damnari in sensu Joannis Hus: quippe volebat Christum esse duas naturas etiam divisivè: taliter nimirum, ut valeat: *Christus est humanitas*: & seorsim etiam: *Christus est divinitas*. P. Suarez *disp. 35. sect. 2.* eas admittit in uno sensu, si nempe *Christus* significet directé pro toto coniuncto: nam illud coniunctum est idemticè divinitas, & humanitas simul: in alio sensu eas recusat, si nempe *Christus* significat contractiùs Personam Verbi: Verbum enim non est humanitas.

Constan. Hus. Vasq. Bernal. Damas.

Suar.

21 Hinc tandem est dubium: quid absolutè significet *Christus* in recto? Respondetur, ex una parte significare corpus, & animam unitim, quod est humanitas: & ex alia Personam Verbi, quæ Deus est: & præterea consignificare unionem hypostaticam indirectè, & in obliquo. Verum tamen est quod ait Bernal. *disp. 15.* quòd interdum *Christus* significat in recto constitutum ex Deitate, & Personalitate Verbi, & in obliquo humanitatem Verbo unitam: interdum in recto constitutum ex humanitate, & Personalitate Verbi, & in obliquo Deitatem humanitati unitam: interdum in recto coniunctum ex utraque natura, & ex Personalitate Verbi. Unde semper significat in recto Personalitatem: quodnam autem aliorum prædicatorum significet in recto, aut in obliquo, dignoscendum est ex modo præcandi in variis loquutionibus. Secùs accidit in puris hominibus, in quibus personalitas utpote non per se stans, sed adiacens, non significatur in recto per nomina *homo*, & *Persona* de quo latiùs *sec. 7.* An Christus, *ut homo*, sit Persona discutietur *sect. vlt.*

Bernal.

SECTIO II.

De termino assumente, quod est Verbum, qua ratione unionem hypostaticam terminet.

22 IN Verbo, & est ratio Personalitatis ipsi propriæ, & est ratio Naturæ divinæ communis tribus Personis, quæ est prædicatum absolutum, virtualiter, ut communicet dicitur, distinctum à personalitate, quæ est prædicatum relativum. Difficultas præsens, & quidem gravis, est: an Verbum terminaverit unionem hypostaticam ratione prædicati absoluti; an solùm secundum relativum, & proprium, quod est Personalitas. Sunt in hoc varij sentiēdi, & loquendi modi difficulter conciliabiles, nec facilè discernibiles ut videre est apud Vasquez *disp. 26.* Coninc *disp 7. dub. 2.* & Amicum *disp. 14. sect. 3.* Audiamus varios Authores, unūquemque in suo sensu abundantem.

Vasq. Coninc. Amicus

23 Doctissimi Nominales apud Amicū citatum, & Ragusam *disp. 49.* docuerunt, unionem hypostaticam terminari ad Verbum secundum totum id quod identicè dicit: nempe secundum Personalitatem proprium, & Naturam communem, æquè formaliter, & immediatè. Seduló tamen observa, non perinde dici à Nominalibus, unionem terminari ad Verbum secundum naturam, hoc est, in unitatem naturæ, ut aiebant Euthychiani; sed terminari ad Personalitatem simul, & ad Naturam Verbi æquè immediatè: non quidem facta ex duabus naturis unâ naturâ; sed ex illis, & ex unicâ Verbi Personalitate unâ Personâ: qui sensus Eutychianus non est. Nec omninó displicet Patti Meratio, dum ait *disp. 16.* admissâ in Deo subsistentia absolutâ, non esse contra id quod ex Scripturis, Concilijs, & Patribus sentire debemus, dicere, unionem hypostaticam de facto æquè primò, & immediatè terminari ad subsistentiam relativam, seu Personalem Verbi, & ad subsistentiam absolutam communem tribus Personis. Quid habeat veri in re, quid incommodi in modo loquendi sententia ista Nominalium, aperiemus in sequentibus.

Ragusa.

Merat.

24 Durandus docuit, Unionem primariò factam esse in Absoluto, & secundario in Relativo. Quippe sentiebat, in Deo, quamvis sint tres Personalitates, non esse tres subsistentias, sed unicam, & hanc absolutam & communem: ad quam primario oportuit fieri unionem humanitatis, ut in Deo subsisteret. Si inferas: ergo tres divinæ Personæ fuerunt humanatæ: siquidem perfectiò illa subsistentiæ absolutæ ratione sui unita humanitati, est communis tribus Personis; negat illationem: quia, inquit, præter illam unionem ad subsistentiam absolutam,

Durand.

datur alia unio ad Perſonalitatem ſolius Verbi: quod propterea dicitur ſpecialiter caro factum. Concedit tamen, poſſe aliquomodo dici ratione unionis ad ſubſiſtentiã communem tribus: *Pater in quantum Deus eſt homo.* Hanc doctrinam vocat Capreolus periculoſam, Caietanus, ſomniatum errorem; & Suarez *diſp. 12 ſect. 2.* improbabilem. A nobis relinquitur primò propter authoritatem Concilij Toletani ſtatim allegandi. Secundò propter Theologiam pluſquam falſam, quam ſupponit: falſum enim eſt dari in Deo ſubſiſtentiam abſolutam, quam ex profeſſo reieci *diſp. 6. de Attributis*: & pluſquam falſum, non dari tres Subſiſtentias Relativas contra quod ibidem tamquam certùm ſuppoſuimus ex ore ferè omnium Theologorum. Cùm ergo certum ſit, omnem Perſonalitatem, ac proinde Perſonalitatem Verbi, eſſe ſubſiſtentiam; non eſt cur ponenda ſit unio ad ſubſiſtentiam abſolutam, potiùs quam ad Relativam, eo titulo, ut humanitas in Deo ſubſiſtat.

Capreol. *Caiet.* *Suar.*

Tom. 1. diſp. 6.

Sotus. *Victoria.*

25 Sotus, & Victoria, negantes etiam in Deo ſubſiſtentias relativas, dixerunt, unionem fieri ad Verbum ſecundùm abſolutum, modificatum tamen relativo: & utuntur exemplo divini generantis, ubi principium formale *quo* generandi eſt prædicatum aliquod obſolutum, ſcilicet intellectio cõmunis, quamvis ſolus Pater generet; quia principium formale *quo* non eſt utcumque intellectio ſecundum ſe, ſed intellectio, ut modificata relativo Paternitatis propriæ ſolius Patris. Hi Authores quâ parte Durandizant negantes ſubſiſtentias relativas, deſerendi ſunt cũ Durando. Quâ verò parte utuntur eo exemplo principij *quo* generandi, doctrinam afferunt inexploratam, quam multi reſpuunt opinantes fortè probabiliùs, principium formale quo generandi in Patre divino eſſe potiùs Relationem Paternitatis. Quidquid tamen de hoc ſit, nulla prorſus eſt inde paritas ad rem præſentem. Ratio namque cur principium *quo* generandi dicitur à multis eſſe intellectio, eſt quia Filius procedit formaliter per intellectum, & Pater generat intelligendo, ut loquimur omnes ex SS. Patribus: unde ſumitur fundamentum ad dicendum, intellectionem eſſe principium formale, *quo* Pater eſt generativus: cùm autem eſſe generativum ſit ſolius Patris, & intellectus, ſive intellectio abſoluta ſit communis tribus Perſonis; ideo coguntur modificare illud abſolutum commune per aliquid relativum proprium ſolius Patris. At ad præſumendum, quidquam abſolutum eſſe rationem formalem terminandi unionem hypoſtaticã, nulla prorſus eſt ratio, nec ſimile fundamentũ: non enim id arguitur, ex eo quòd humanitas ſubſiſtat in Deo: nam, ut diximus contra Durandum, in ipſa Verbi Relatione ſua relucet ratio ſubſiſtentiæ: neque ex eo quod humanitas exiſtat per exiſtentiam Dei: nam, & hoc in primis falſum eſt, cùm res quælibet exiſtat per exiſtentiam ſuam ſecum identificatam: & deinde, ſua etiam in ſingulis Relationibus divinis exiſtentiæ ratio fortè reperitur, de quo *diſp. 7 de Attributis ſec. 12.*

Tom. 1. diſp. 7.

26 Alvarez, & multi Thomiſtæ poſt Capreolum docent, Unionem fuiſſe primariò ad Relativum Verbi, & ſecundariò ad Abſolutum; per aliam tamen unionem ad exiſtentiam Dei, quæ abſoluta eſt: non enim agnoſcunt exiſtentias ſpeciales Relativas. Quippe duas meditantur dependentias humanitatis à Verbo: unam in ſubſiſtendo: & ad hoc eſt unio primaria ad ſubſiſtentiam perſonalem relativam Verbi: aliam in exiſtendo: & ad hoc requirunt unionem ſecundariam ad exiſtentiam abſolutam, cùm non detur in Verbo ſpecialis exiſtentia relativa. Cæterùm falſo in primis ſupponunt, humanitatem, ſicut & rem quamlibet, non exiſtere per exiſtentiam ſuam propriam, cum ſingulis rerum etiam creatarum eſſentijs identificatam: de quo in Metaphyſicis, & curſim *diſp. 2. de Attributis ſec. 1.* Deinde falsò etiam negatur Relationibus divinis ſpecialis conceptus exiſtentiæ relativæ, ut innuebam num præcedenti.

Alvar.

Tom. 1. diſp. 1.

27 Concluſio cõmunis apud Theologos, præſertim Recentiores cum Suarez, & Vaſquez, & omninó, me iudice, tenenda, eſt: Unionem hypoſtaticam, quæ de facto eſt, terminari formaliter ad Verbum ſecundum Relativum ſuæ Perſonalitatis; non ita ſecundum Abſolutum, ſeu ratione abſoluti. Extat pro re, & pro recto modo loquendi concluſionis authoritas præclara Concilij Toletani 11. profitentis ſic: *Solus Filius formam ſervi accepit in ſingularitate Perſonæ; non in unitate divinæ naturæ: in id quod eſt proprium Filij; non quod cõmune Trinitati:* ijſdem fere verbis id ipſum habetur in Toletano 6. Quę Conciliaris confeſſio videtur opponi modo loquendi Thomiſtarum, Durandi, & Nominalium, & in ipſis ferè terminis continet ſenſum, & loquutionem, ſemper in ijs magnifaciendam, concluſionis noſtræ. Reddit enim in puncto doctrinali ſenſum formalem: videlicet, in Filio, ſeu in Perſona Verbi, rationem, ſeu terminum formalem *quo* Unionis hypoſtaticæ, eſſe ſingularitatem relativam Perſonę Filij; non verò unitatem abſolutam Naturæ communis tribus Perſonis: unionem eſſe ad Verbum in id, quod eſt proprium, hoc eſt, ſecundum Relativum Verbi; non ſic in id, quod eſt commune Trinitati, hoc eſt, non ſecundum abſolutum Eſſentiæ.

Suar. *Vaſq.*

Concil. Tolet.

28 Nec ſatisfaciunt qui dicunt, unionem fieri ſecundum abſolutum, prout in Verbo, ſed

ut

ut modificatum Relativo Verbi. Hoc enim, niſi aptius explicetur, aut non ſalvat rem Concilij, aut rem intentam à ſic reſpondentibus non ſalvat. Nam unionem fieri ad Abſolutum ut modificatum Relativo, vel eſt fieri ad ſolum abſolutum: & hoc non; quia eſſet non magis fieri ad Verbum, quam ad alias divinas Perſonas. Vel eſt fieri primariò, & formaliùs ad Abſolutum, & ſecundariò ad Relativum: & hoc negatur etiam à Thomiſtis contra Durandum. Vel eſt fieri primariò, & formaliter ad modificationem illam Relativi, quæ eſt ipſum Relativum, & ratione iſtius ad Abſolutum: & hæc eſt ipſiſſima ſententia Patrum Suarez, & Vaſquez. Vel eſt æquè immediatè fieri ad Abſolutum, & ad modificationem illam Relativi propriam Verbi: & hoc eſt in re ſententia Nominalium, in re diſſidens à Thomiſtis; & in modo loquendi diſſonans à confeſſione Concilij, loquentis magno cum diſcrimine de *communi*, ſeu Abſoluto; & de *proprio*, ſive Relativo Verbi, dum ait, unionem fieri *in id quod eſt proprium Filij, non quod eſt commune Trinitati.* Quod certè iuſtiſſimum diſcrimen, in quo ſtat res tota, & veritatis ſcopus, ſola ſalvat noſtrorum ſententia iuxta concluſionem noſtram.

29 Pro qua arguitur inſuper à principijs Fidei. De Fide eſt, ſolum Filium incarnatum eſſe, & non alias divinas Perſonas: ergo unionem incarnativam, ſeu hypoſtaticam terminat Filius, non ſecundum quod eſt commune alijs Perſonis, quod eſt Abſolutum Naturæ; ſed ſecundum quod eſt proprium Filij, quod eſt Relativum Perſonalitatis. Si enim illam terminaret ſecundum aliquid commune tribus: hoc eſt: Si ratio terminandi eſſet aliquod prædicatum tribus Perſonis commune; tres Perſonæ terminarent eiuſmodi unionem: ſicque tres fuiſſent Incarnatæ contra Fidem. Quemadmodum tres Perſonæ produxerunt unionem, quia producere unionem Incarnativam competit Filio ſecundum Omnipotentiam, ſeu ratione Omnipotentiæ, quæ quidem eſt prædicatum abſolutum commune tribus. Hæc conſequentia, & valdè Theologica illatio ſumitur ex Concilio Toletano 6. dicente: *Si Naturam hominis Deique alteram in alteram infudiſſet, tota Trinitas corpus aſſumpſiſſet.* Puta, ſi æquè ſecundum ſe, & ratione ſui utraque natura unita fuiſſet. Et ratio Theologis ſcitiſſima eſt: quia quod competit cuicumque Perſonæ divinæ ratione alicuius prædicati abſoluti cõmunis tribus, eodem iure competit alijs Perſonis: ſequendo ſcilicet communitatem talis prædicati. *Toletan.*

30 Nec ſatisfaciunt qui dicunt, unionem primariò fieri ſecundum Relativum, & ſecundariò, id eſt, per aliam ſecundam unionem ad Abſolutum. Nam ſaltem hæc ſecundaria, ſeu ſecunda unio primariò reſpiceret, & afficeret Abſolutum, & eſſet ſecundum abſolutum, & ratione abſoluti, nempe ratione exiſtentiæ, quæ abſoluta eſt, & communis tribus Perſonis: ergo ex vi, & ratione iſtius unionis tres Perſonæ eſſent unitæ, & Incarnatæ: quia ſic uniri per iſtã ſecundam unionẽ competeret Filio ratione alicuius prædicati abſoluti communis tribus: quę eſt ratio conveniendi tribus. Hoc autem, nec primariò, nec ſecundariò admitti poteſt iuxta Fidem. Quid quòd illud quod additur *num 26.* unionem humanitatis ad Relativum, quæ eſt ad ſubſiſtendum, eſſe priorem unione ad abſolutum, quæ eſt ad exiſtendum: præpoſteritas eſt minimè diſſimulanda contra rationem; quia exiſtere non eſt poſterius ad ſubſiſtere: & contra S. Thomam *q. 6. art. 4.* docentem animam Chriſti priùs ratione intelligi unitam corpori quàm Verbo: ac proinde aliquà præcedent à ſive rationis, ſive naturæ intelligi debere priùs exiſtentem humanitatem, quam ſubſiſtentem in Verbo. Videatur ibi Caietanus. *S. Thom.* *Caiet.*

31 Concluſio ergo ſit: unionem hypoſtaticam humanitatis ad Verbum, eſſe ad Verbũ ſpecialiùs, & formaliùs ſecundum Relativum Perſonalitatis, quàm ſecundum abſolutum Naturæ. Quam formalioritatem exprimit ipſum nomen unionis: quæ ideò vocatur *hypoſtatica*; ut expreſſiùs indicet Hypoſtaſim, ſeu Perſonalitatem, Verbi, cui unitur humanitas: ratione ſcilicet Hypoſtaſis, & Perſonalitatis, quæ eſt Relativum Verbi, ut per illam ſubſiſtat, & perſonetur: illique uniatur, non in unitatem Naturæ, ſed in unitatem Perſonæ, ſeu Hypoſtaſis.

SECTIO III.

Gravis obiectio. Ubi an, & quomodo cum hoc ſtet, quòd Natura divina non mediatè, ſed immediatè terminet unionem hypoſtaticam.

32 OBijcies difficulter Sanctos Patres abſolutè ingeminantes, Naturam Dei incarnatam, & unitam humanitati in Chriſto. S. Auguſtinus *lib. de Fide ad Petrum c. 2.* *humanitatem ſibi unitam ſumma Divinitas gerit.* Athanaſius, & Cyrillus: *Natura Verbi incarnata eſt.* Bernardus: *venerat ad nos calceata Maieſtas Divinitas incarnata.* Damaſcenus *lib. 3. de Orthodoxa Fide: Naturam Divinitatis in una eius Hypoſtaſeon incarnatam eſſe*: & deinceps *cap. 7.* ſe explicat dicens: *quando dicimus, Naturam Verbi incarnatam eſſe ſecundum Athanaſium & Cyrillum, Deitatem dicimus eſſe unitam carni, & unam Naturam Dei Verbi incarnatam.* S. Thom. *in 3. diſt. 2. q. 32. art. 3.* *coniunctionem utriuſque* (ſcilicet corporis, & animæ Chriſti) *Auguſt.* *Athan.* *Cyril.* *Bern.* *Damaſ.* *S. Thom.*

&

Lateran. *& unionem ad Deitatem.* Concil. Lateranen. *duas Naturas in Christo esse unitas.* Accedunt alij admittentes idemtidem in Christo *coniunctionem Naturarum* apud Petavium *Petav. q. Thom. p. Magist. Rip. Palac.* *lib.5. de Incarn. cap.1.* & apud Vasquez *disp. 14.cap.4.* Idque habent S. Thom *q.3.art.2.* & Magister iuxta Ripaldam *in 3 dist.1.* Unde Palacius in *3. dist. 1. disp. 2.* testatur, in Decretis Synodicis sub Martino Papa, sic haberi: *qui dixerit,quód Natura Dei non sit incarnata, anathema sit,* & in Canonibus Concilij Lateranens. sub eodem Martino 1. *can.6.* anathematizantur id non confitentes: *propriè, & secundum veritatem scilicet in Christo,ex duabus Naturis substantialiter unitis,&c.* Habetur to.15.Concil.impress.Paris.ann.1644.

33 Communis intelligentia est,ijs & similibus loquutionibus satisfieri per unionem,quæ non immediatè,sed tantum mediatè uniat Naturam divinam humanitati; quatenus scilicet Natura realiter idemtificatur cum Personalitate Verbi, quæ immediatè unitur: uniri autem humanitati Personalitatem immediatè, & Naturam cum Personalitate idemtificatam non uniri immediatè, verificatur, inquiunt, beneficio distinctionis virtualis, ficut Naturam communicati, & Personalitatem non communicari, & alia huiusmodi in Trinitate. Ad verificationem autem illarum loquutionum SS. Patrum, & Conciliorum sufficit, aiunt, quòd Natura divinâ mediatè uniatur humanitati: hoc est,quod idemtificetur realiter cum Personalitate Verbi, quæ immediatè unitur. Sic acriter *Arriag. Vvadin.* Arriaga *disp.42. de Trinit.* contra quẽ omninó videas Vvading.*disp.4.de Incarnat.dub.7.*

34 Adversùs hanc tamen intelligentiam communissimam ponderantur urgentiùs prædictæ Patrum loquutiones. Quippe Patres frequentissimè,& absolutissimè dicunt, Naturam divinam unitam, & incarnatam: at hoc absolutè dici non posset, si tantum mediatè modo explicato verificarentur: quatenus nempe Natura realiter idemtificatur cum Personalitate Verbi immediatè unitâ: ergo,vel prædictæ Patrum loquutiones corrigendæ sunt, quod est nefas;aut certè alio strictiori modo,& sensu intelligendum, & dicendum, Naturam divinam uniri, scilicet immediatè. Probatur minor clarissimè: idemtitas realis Naturæ,quæ est Absolutum,cum Relativo Personalitatis Verbi non sufficit, ut Natura dicatur, aut dici absolutè possit distingui realiter à Patre, à quo Personalitas Verbi realiter distinguitur: neque,ut Natura divina dicatur genita, aut producta, quamvis Verbum,quocumNatura realiter idemtificatur sit, & dicatur productum,& genitum.Igitur ea realis idẽtitas Naturæ cũ personalitate unitâ,nullatenus sufficere posset, ut Natura divina dicatur unita, & incarnata, ut absolutissimè,& frequentissimè loquuntur in re dogmaticâ, & doctrinali tot, tantique Patres Ecclesiæ: quorum proinde loquutiones immediatam significant unionem divinæ Naturæ ad humanam.

35 Viderunt hanc vim, á me non leviter expensam in manuscriptis, prædocti Recentiores nostri:& respondere conati sunt dicentes, Naturam non dici genitam, nec productam, nec distinctam à Patre, quamvis idemtificetur cum Filiatione genitâ, productâ, & distinctâ à Patre; quia est incapax harum denominationum propter idemtitatem sui cum Filio, & Patre: at non est incapax denominationis unitæ, cùm possit per aliam unionem immediatè uniri humanitati, nullo ipsius prædicato ciusmodi unioni repugnante. Unde est, quód possit à præsenti unione denominari unita:& incarnata, sicque à SS.Patribus dici; non verò à præsenti productione,seu generatione genita,nec producta. Confirmant responsionem exemplo, ut aiunt, innegabilimam Personæ,seu Personalitates divinæ denominãtur *intelligentes volẽtes,& producentes ad extra,* ab Omnipotentia immediate producente,ab Intellectu intelligente,& à Voluntate volente; & ab ijsdẽ non denominantur *absolutæ,nec cõmunes tribus;*cũ tamen has quoque duas denominationes immediatissimè sortiantur Omnipotentia, intellectus, & voluntas: non ex alia ratione, visi quia Personalitates sunt ex proprijs prædicatis incapaces harum duarum denominationum. Hanc autem, & non aliam fuisse mentem Patrum contestantium,Naturam divinam unitam,& incarnatam, sibi persuadent ex Synodo Generali quintâ *act.* *Synod. Gener.* 5. exponente verba Cyrilli, sic apud S. Tho. *S. Thom.* *qu.2. ar.1. si quis unam naturam incarnatam Verbi dicens,non sic accipiat,sicut Patres docuerunt: quia ex divinâ naturâ, & humanâ, unione secundum subsistentiam factâ;sed ex talibus vocibus unam naturam,sive substantiam divinitatis, & carnis Christi introducere conetur; talis anathema sit.*

36 Ut ab hoc ultimo incipiam,non equidem video, quid præsidij arrogare sibi meritò possit ex his verbis prædicta responsio. Quinimó habemus pro nobis in illis expressum Authoritate Sinodicâ,eiusmodi loquutionẽ, *Natura Verbi est incarnata,* fuisse à Patribus usurpatam, ex quo fundamento processit argumentum á num. 32. Deinde Synodus non improbat eam loquutionẽ, imò approbat sic acceptam,*sicut Patres docuerunt.* Denique quod ex mente Patrum additur: *unione secundum subsistentiam factâ*; non eò tendit, quò nonnulli putant, scilicet ad negandam immediatam unionem ad Naturam Verbi: hic enim sensus nec erat è re Sanctorum PP. aut Concilij; nec é sensu genuino prædictæ loquutionis.

Non

Digitized by Google

37 Non è re: quia rei veritas ſtans media inter duos errores, Neſtorij, & Eutychis, in eo ſiſtitur, quòd ex unione hypoſtaticâ phyſicâ humanitatis ad Verbum conſtituatur verè Chriſtus *Deus-homo*: qui non ſit duplex Perſona, ut errabat Neſtorius, negans præterea phyſicam unionem humanitatis ad Verbum, tàm quo ad Relativum, quàm quo ad Abſolutum, & concedens tantùm aff. ctivam, ut expoſuimus *num.* 2. ſed ſit unica Perſona, ut eſt de Fide: nec ſit unica Natura, ut errabat Eutyches varié expoſitus *num.* 3. ſed verè ac diſtinctè duplex Natura, divina ſcilicet & humana. At certè ad unicitatem illam Perſonæ facit quòd ex parte termini aſſumpti unio illa phyſica non uniat Verbo perſonam humanam, quamvis uniat Naturam humanam; quod autem ex parte termini aſſũentis uniat mediatiùs, aut immediatiùs Relativum, quàm Abſolutum Verbi, quid, præcor, facit ad excluſionem Perſonalitatis humanæ, & conſequenter dualitatis Perſonæ divinæ, ac humanæ, aſſertæ à Neſtorio, & negatæ à Patribus, & Concilijs? Profectò nihil. Similiter ad dualitatem Naturæ divinæ, & humanæ in Chriſto, quam negabat Eutyches, & contra ipſum tenuerunt Concilia, & Patres; quid, precor, attinet mediatio, vel immediatio illa unionis ad abſolutum, & relativum Verbi, dummodò ſalvetur quod explicuimus *num.* 16. ex illis extremis ſic unitis non conſtitui unicam naturam, ſicut conſtituitur unica Perſona? Profectò etiam nihil. Ergo non erat, nec eſt é re Sanctorum PP. & Conciliorum contra prædictos errores, ſenſus ille, quo nonnulli putant intelligendos eſſe, quaſi negare intenderint immediatam unionem humanitatis ad abſolutum etiam Verbi.

Supra ſect. 1.

38 Non é ſenſu prædictæ loquutionis: quia per illas voces, *unione ſecundum ſubſiſtentiam factâ*, ex quibus ſibi perſuadent Adverſarij, unionem factam immediatè ad ſubſiſtentiam, ſeu Perſonalitatem, ſeu ad Relativum verbi, & ſolùm mediatè ad Abſolutum vi tantùm realis identitatis cum Relativo; poſt illas, inquam, voces, continuò ſubiungitur in eodem Concilij textu earum in ſolido ſenſu explicatio longè diſtans, à ſenſu, quam ſibi perſuadent Adverſarij, ibi: *Sed ex talibus vocibus vnam Naturam, ſive ſubſtantiam Dvinitatis, & carnis Chriſti introducere conetur; talis anathema ſit.* Cape nunc ſincerum Concilij, & mẽtem Patrum. Dicebant illi Patres, *Naturam Verbi incarnatam*, ut legimus *num.* 31. volebant hæretici, hoc ſic accipere, ut incarnatâ Naturâ Verbi, non ſolùm fieret unio humanitatis ad ſubſiſtentiam Verbi taliter ut ex humanitate, & perſonalitate Verbi conſtituatur unica Perſona; ſed etiam fieret unio ad Naturam Verbi taliter, ut ex humanitate, & Naturâ Verbi conſtitueretur unica Natura. Hic eſt planè ſenſus, quem anathematizat ibi Concilium: relictâ quidem & admiſsâ in ſuo vero ſenſu loquutione illa Patrum: *Natura Verbi eſt incarnata*; quæ tamen, nec in hoc, nec in alio vero, & bono ſenſu proferri potuiſſet iuxta reſponſionem adverſariorum, ſi eatenus tantùm uniretur, & incarnata quemadmodũ eſſet Natura, quateous unitur, & incarnata eſt Perſonalitas; in nullo ſẽſu verò, & bono proferri poteſt, Naturam eſſe productam, aut realiter diſtinctã à Paternitate, quãvis realiter identificetur cũ Filiatione, quæ producta eſt, & diſtincta à Paternitate: in quo redit argumentum inſtitutum *num.* 34. quin ſuperſit præſidium contra illud ex allegatis verbis quintæ Synodi, ut patefecimus.

39 Iàm verò contra reſponſionem, & diſparitatem poſitam num. 35. inſurgo multipliciter. Primò: quia, ſi abſque eo, quòd Natura producatur, nec poſſit ullatenus produci, ſtat mediatio illa, quòd realiter identificetur cum Filiatione immediatè productâ; à fortiori ſtaret mediatio hæc, quòd Natura realiter identificetur cum Perſonalitate, immediatè unitâ. & incarnatâ abſque eo quòd natura ullatenus uniretur, & incarnaretur, ſi aliunde unio, ſive incarnatio non magis afficit Naturam; quàm productio: ergo, ut Natura dicatur potiùs incarnata, quàm producta, debet potiùs affici incarnatione ſive unione, quàm productione: ac proinde immediatè, & non titulo ſolius identitatis realis cum Perſonalitate immediatè unitâ, & incarnatâ. Præmaximè, cùm doctrina ſit plauſibilis eorum etiam, quibuſcum nunc diſputo, quòd identitas realis inter virtualiter diſtincta, quantum ad attribuendam uni denominationem, quæ beneficio diſtinctionis virtualis competit alteri, eſt quaſi non eſſet, aut quaſi realiter diſtinguerentur. Unde ſi vera eſt adverſariorum ſententia de terminatione unionis ad ſolum Relativum Verbi, identitas realis Relativi uniti cum Natura divina eſt quaſi non eſſet, aut quaſi realiter diſtinguerentur, quoad eam denominationem unitis: atque adeò nullatenus denominari, aut dici verè poſſet unita, & incarnata Natura, potiùs quàm producta: cum tamen SS. Patres Naturam dicant planiſſimè unitam, & incarnatam: ergo quia immediatè afficitur unione incarnativâ.

40 Secundò: quia quòd Natura ſit aliunde capax immediatè uniri, & incarnari ſine ullà Myſterij repugnantia; nullatenus verò capax produci; nihil confert ad præſentem denominationem unitæ, & incarnatæ: ergo nulla eſt diſparitas ex eiuſmodi capacitate, ſeu incapacitate petita. Antecedens probatur, quia quamvis Natura ſit capax immediatè uniri, & incarnari per aliam unionem, quæ aliter uniret; non tamen per hanc, quæ ex ſpeciali, & eſſentiali

ſuo

ſuo modo ſic uniendi, ſolùm unit immediatè Perſonalitatem; cuique repugnat aliter unire, ſcilicet immediatè Naturam: ergo ad præſentem denominationem unitæ, & incarnatæ per hanc unionem, quæ de facto aſſeritur ſolùm afficiens immediatè Perſonalitatem, nihil prorsùs confert capacitas illa incarnandi ſe, & immediatè uniendi per aliam unionem. Quemadmodum quòd intellectus creatus ſit capax intelligendi per intellectionem creatam nihil confert, ut de facto denominetur intelligens per intellectionem divinam: imò nec loquens magis quàm lapis, per loquutionem increatam Verbi ſibi immediatè unitam, quamvis ſit capax denominari loquens præ lapide, per loquutionem creatam.

41 Tertiò: quia quomodocumque ſit, Perſonalitas Verbi eſt incarnata, & natura Verbi eſt incarnata in phraſi Conciliorum, & Patrum. Si autem, ut Natura Verbi ſic dicatur incarnata, ſufficeret, ut aiunt, eſſe capacem immediatè ſe uniendi, & incarnandi, & identificari realiter cum Perſonalitate immediatè incarnatâ & unitâ; ſimiliter, ut de facto Pater, & Spiritus Sanctus ſic dicerentur incarnati contra omnes, ſufficere deberet eſſe capaces ſe immediatè incarnandi abſque repugnantia cum Myſterio Trinitatis, & eſſe realiter idemtificatos cum Natura Verbi veré incarnatâ, ut loquuntur Patres, & Concilia: quod admitti nequit. Nec valet dicere, non eſſe idemtificatos cum Natura Verbi immediatè incarnatâ. Nam in hoc genere mediatæ unionis ad denominationem mediatè uniti parum facit ulterior illa mediatio, dummodo per mediatas uniones veniatur ad immediatam: ut patet in continuo: nam in linea primum punctum eſt immediatè unitum ſecundo, & mediatè non ſolum cum tertio, ſed eadem loquendi proprietate cum quarto, & quinto: unde in homine caput non minus eſt unitũ continuativè cum pede, quàm cum brachio: quia cum utroque unitur mediatè, non obſtante ad hanc denominationem ſic uniti, maiori, vel minori mediatione, ſive diſtantia pedis, & brachij à capite.

42 Quartò: quia Natura non minus eſt realiter idemtificata cum Perſonalitate Patris nullatenus incarnatâ, quàm cum Perſonalitate Filij incarnatâ: & ex ſe tam capax eſt incarnari, quam non incarnari: ſi ergo propter idemticatem cum Perſonalitate incarnatâ, & unitâ, ſuppoſitâ capacitate immediatè ſe incarnandi, & uniendi, diceretur abſolutè unita, & incarnata, ut ingeminatur à Patribus, & Concilijs, eâdem ratione, eodemque iure propter idemtitatem cum Perſonalitate inunitâ, ſuppoſitâ capacitate ſe non uniendi & incarnandi, dici ſimiliter poſſet, & deberet inunita, & non incarnata contradictoriè ad loquutionem Conciliorum, & Patrum: ergo quando iſti ore pleno, non ſolum eam dicunt unitam, & incarnatam, quinetiam damnat dicentes non eſſe incarnatam, aliquid ſignificant præter illud mediatè uniri, & incarnari ſtans præciſè in identitate reali cum Perſonalitate immediatè unitâ, & incarnatâ, & capacitate ſe immediatè uniendi, & incarnandi.

43 Nec tenet exemplum, quo ſuam reſponſionem, & diſparitatem firmare conabantur Recentiores *num.* 35. Nam quo ad priorem partem eſt omninò falſum; quo ad poſteriorem eſt prorſus abs re. Eſt abs re quo ad poſteriorem: quia non dubitamus, multas denominationes formæ, ſeu quaſi formæ immediatiſſimè communicatæ ſubiecto, ſeu quaſi ſubiecto, non cadere in iſtud eo quòd ſic omninò incapax: unde eſt quod ab intellectione, & volitione abſolutis denominantur Perſonalitates intelligentes, & volentes; non verò *abſolutæ*, nec *communes tribus* Quid inde? Certè ex eo quòd non ſufficiat unio immediata formæ ad ſubjectum, ut ſubjectum ſortiatur denominationem, cuius eſt omninò incapax, non ſequitur non requiri eam unionem, ut ſubiectum ſortiatur denominationem cuius eſt capax: aliud enim eſt id non ſufficere, aliud non requiri: ergo quo ad hanc partem exemplum allatum eſt abs re. Eſt autem falſum quo ad priorem: quia intellectio, & volitio divinæ non magis realiter idẽtificantur cum intellectu, & voluntate Dei, quàm cum Perſonalitatibus: productiones ad extra non minùs realiter emanant à Perſonalitatibus, quàm ab Omnipotentia: quoad hoc enim nihil præſtat diſtinctio virtualis Relativorum ab Abſolutis non gratis ubilibet inculcanda. Profectò quomodocumque diſcutiatur de diſtinctione divinorum, hoc eſt indubium, non magis diſtingui à Perſonalitatibus intellectionem, & volitionem, quàm intellectum, & voluntatem: unde ſicut vi idemtitatis realis per intellectum, & voluntatem ſunt tres Perſonalitates intellectivæ, & volitivæ, ſeu potiùs unum intellectivum, & volititivum; ſic etiam per volitionem, & intellectionem, vi etiam idemtitatis realis non ſolum cum intellectu, & voluntate, ut ait reſponſio, ſed etiam cum intellectione, & volitione, ſunt immediatiſſimè intelligentes, & volentes, ſeu potiùs unum intelligens, & unum volens. Non ergo, niſi ex falſo ſuppoſito, poteſt inferri, Naturam Verbi dici poſſe incarnatam, & unitam per ſolam idemtitatem cum Perſonalitate immediatè unitâ, quin ipſa immediatè uniatur. Productiones ad extra, nec Perſonalitates, nec Omnipotentiam afficiunt intrinſecè mediatè, nec immediatè: extrinſecè autem æquè immediatè denominat illas, & iſtã: quãvis formaliùs iſtam, illas autẽ ratione iſtius, utpotè exprimentis in ſuo conceptu virtutem

pro-

productivam ad extra : quæ quidem formalitas minimè tollit immediationem denominationis : ſicut denominatio cogniti, & voliti immediatè cadit ſupra obiectum materiale, quāvis ratione obiecti formalis formaliùs attacti. Unde potiùs euitur explicatio, quàm impugnatio noſtræ ſententiæ, ut patefiet *ſec. ſeq.*

SECTIO IIII.

Vera difficultatis ſolutio, & reſolutio : cum explicatione ſolidâ noſtræ ſententiæ.

44 EX ijs patet non fieri ſatis obiectioni Theologicæ poſitæ *num.* 32. per doctrinas communes Recentiorum expoſitas *num.* 33. Quapropter aliter ſalvandę ſunt loquutiones illæ SS. Patrum de Naturâ Verbi verè unitâ, & incarnatâ, & explicanda, ac retinenda cōmunis concluſio poſita *num.* 31.

45 Reſpondeo ergo ad obiectionem admittendo cum Sanctis Patribus, & Concilijs ſic planiſſimè loquentibus, non ſolum Perſonalitatem ; ſed etiam Naturam Verbi unitam, & incarnatam : & improbando uti inſufficientem communem illam intelligentiam propoſitam num. 33. propter impugnationes adverſus illam expenſas. Quibus convincor equidem dicere, unionem hypoſtaticam non ſolum mediatè mediatione ibi explicatâ, ſed immediatè etiam affigi, & terminari phyſicè ad Naturam, ſeu ad Abſolutum Verbi divini in conſortio Relativi, ſeu Perſonalitatis. Ita nempe, ut, amotis vocum ambagibus, talis ſit præſens unio humanitatis ad Verbum, talique immediatione afficiat Naturam divinam naturæ humanæ, ut, ſtante hoc modo ſuo eſſentiali uniendi, uniret humanitati Abſolutum, ſeu Naturam Verbi, quam vis per impoſſibile diſtingueretur realiter à Relativo, ſive á Perſonalitate. Quâ doctrinâ ſic expoſitâ, ſatiſque probatâ per impugnationes communis reſponſionis, ſalvantur termini cōmunes noſtræ concluſionis, & in ſenſu ſuo ſyncero, ac plano loquutiones à tot SS. PP. ore pleno antiquitùs uſurpatæ. Reſtat, ut eā ab impugnationibus gravium Recentiorum minimè contemnendis protegamus.

46 Obijciunt primò, inconciliabilem videri hanc doctrinam immediatæ terminationis unionis ad Relativum, & ad Abſolutum, ad Perſonalitatem, & ad Naturam Verbi Divini, cum concluſione noſtra, qua diximus num. 31. in terminis ſententiæ communis, unionem ad Verbum, eſſe ſpecialiùs, & formaliùs ſecundum Relativum Perſonalitatis, quàm ſecundum Abſolutum Naturæ. Reſpondetur, hæc duo amiciſſimè conciliari. Quia quód unio ſit ad utrumque, ſpecialiùs verò, ac formaliùs ad Relativum, non eſt, ut putant, eſſe immediatè ad Relativum, & non immediatè ad Abſolutum ; ſed eſſe immediatè ad utrumque : ad abſolutum verò ratione Relativi, & non è contra : ad modum quo attingi per unum actum obiectum materiale, & formale, formaliùs autem formale, quàm materiale, non eſt unum attingi immediatè, & aliud non immediatè ; ſed utrumque immediatè, unum autem ratione alterius, & non è contra. Quemadmodum igitur hoc habet actus ex modo ſuo eſſentiali tendendi, illud habet præſens unio ex ſuo eſſentiali modo uniendi, taliter, ut non eſſet hæc unio, ſi ſic non uniret, quia nempè non eſt unio in unitatem naturæ, hoc eſt ad conſtituendam ex humanitate, & Verbo unam Naturam, ob repugnantiam, quam dedi *num.* 16. ſed in unitatem Perſonæ, hoc eſt ad conſtituendam ex humanitate, & Verbo unam Perſonam : ideòque vocatur Hypoſtatica, & Perſonalis. Seu clariùs : unionem hanc unire utrumque illud, nempè Relativum, & Abſolutum Verbi, utrumque immediatè, & utrumque ſecundum Relativum, & ratione Relativi ; non verò ſecundum Abſolutum, aut ratione Abſoluti ; eſt unire utrumque contractè ad Relativum, & neutrum extenſivè ad Abſolutum : hoc eſt in re, ſic unire Relativum Verbi, quin aliquid, quod realiter eſt Verbi maneat inunitum : & ſic unire Abſolutum Verbi, ut aliquid, qnod realiter idemticè eſt Abſoluti, ſeu Naturæ, maneat inunitum, nempè duæ aliæ Perſonalitates, quod eſt uniri Verbum cum totâ ſua reali extenſione : non verò Natvram cum tota ſua reali extenſione, ſed contractè ad Verbum : cùm per realem identitatem extendatur ad duas alias Perſonalitates, quæ quidem nec realiter uniuntur, aut incarnantur. En quomodo congruentiſſimè conciliatur, unionem fieri ad Verbum ſecundum Relativum, aut ratione Perſonalitatis, non verò ſecundum abſolutum, aut ratione Naturæ, cum eo quod utrumque uniatur immediatè.

47 Obijciunt ſecundò, quòd in terminis Scholaſticorum, quibus inter alios utuntur Patres Suarez, & Vaſquez, dici ſolet, Abſolutum uniri medio Relativo, ſicque unionem terminari immmediatè ad Abſolutum. Reſpondetur verum eſſe multos Scholaſticos graves uſos his terminis ; nō tamē omnes in ſenſu, quo ijſdem terminis abuſi ſunt alijà quo abuſu recedere ſtudui. Certé ſub ijſdem terminis quæritur inter Scholaſticos, ut legere eſt apud Suar. & Vaſq. an ex parte extremi aſſūpti unio hypoſtatica terminetur ad corp^{s} mediâ animâ? An ad animam mediâ mente? Et dicūt quód ſic : quia perinde intelligant, aut mentem, & non animam ; aut animam, & non corpus immediatè uniri Verbo in eo ſenſu, quo volunt RR. Relativum, & non Abſolutum uniri *Suarez, Vaſq.*

tio terminandi unionem istam hypostaticam, ex modo suo essentiali uniendi habentem facere ex humanitate,& Verbo unam Personam,& non unam naturam, fuerit Filij Personalitas, & non Natura communis : quam rationem formalem aliter exprimit Concilium, utpote doctrinalissimè,& formalissimè loquens sic: *in id*, quasi in sensu valde formali dicat : *secundum id quod est proprium Filij; non in id*,hoc est, *secundum id, quod commune Trinitati*. Quæ sub eijdem terminis fuit doctrina nostræ conclusionis *num. 27*. Juxta quam, concesso in forma ad obiectionem todo antecedente, admitto, etiam primam consequentiam, & nego secundam: quæ quidem nec ex prima, nec ex toto antecedente deducibilis est,ut vidimus *nu. 45.& 46*. Quó facit etiam quod ex Meratio retulimus *num.23*. & ex Uvadingo *num.33*.de quo videndus insuper Aldrete *disp.42. num.2*. & Ripalda *3 sent.dist 5*.

Merat. *Uvandi.* *Aldret.* *Rip.*

51 Infero, distinctionem virtualem Naturæ divinæ à Personalitatibus non arguì ex unione hypostaticâ, quatenus unit immediatè Personalitatem Verbi, & non Naturam,ut dici solet ; sed quatenùs unit immediatè Naturam Verbi, & non alias Personalitates idemtificatas cum eâdem Naturâ. Illa namque priora contradicentia non verificantur in sensu reali; bené verò ista posteriora, quæ ut amittant cõtradictionem,opus est distinctione virtualinon quidem Naturæ á Personalitate Verbi ; sed Naturæ ab aliis Personalitatibus realiter distinctis à Personalitate Verbi, ad cuius Personam absoluté,& ad eius Naturam non ita absolutè,sed contractè, prout in tali Persona, terminatur præsens unio incarnativa ex modo suo essentiali, & speciali uniendi.

52 Stat ex dictis,personas Patris & Spiritûs Sancti non esse incarnatas in Christo. Quo ex Fide supposito, dubitatur: an & quomodo dici aliter possint esse in humanitate Christi. Hugo Cardinalis , Alvarez, & alij omninò negant esse specialiter in Christo ratione Incarnationis. Dicendum tamen est primò: esse in humanitate Christi spetialiter titulo, & ratione Incarnationis; non ipsarum , sed solius Verbi. Sic supponere videntur SS. Patres, præsertim Augustì apud Bernal.*disp.23*. dicens: *Pater,& Spiritus Sanctus carnem Christi deserere nõ potuerunt , quando in Divinitatis vnitate manserunt:* ubi non dat pro ratione immensitatem,quo titulo generali nullam rem existentem possunt præsentialiter deserere ; sed unitatem in Natura cum Verbo incarnato, qui est titulus specialis erga humanitatem unitam Verbo,pertinens ad circumincessionem cuiuslibet divinæ Personæ in alijs ratione idemtitatis cuiuslibet cum Natura aliarum : quo titulo quælibet deberet ad esse ubicumque sunt aliæ, etiã si titulo immensitatis non deberent omnes esse ubique. Sicque exponi solet quod dixit Christus Joan.14. *Ego in Patre, & Pater in me est*. Hinc.

Hug.Ca. *Alvar.* *Augusst.* *Bern.* *Ioan. 14.*

53 Dicendum est secundò:Patrem,& Spiritum Sanctum esse specialiter in Christo titulo circumincessionis : taliter,ut quamvis titulo generali immensitatis non essent ubique, deberent esse in Christo titulo speciali unionis humanitatis ad Verbum,quocum eminentissimè connectuntur,& in tertio, scilicet in Natura idemtificantur. Ad hunc modum dicemus *disp.22.sect.12*. Patrem, & Spiritum Sanctum esse in Eucharistia speciali titulo concomitantiæ,ultra tres titulos generales Essentiæ,Potentiæ,& Præsentiæ,quibus adsunt ubique. *I. Disp.22.*

54 Quo exinde dicere liceat: *Pater, & Spiritus Sanctus sunt incarnati concomitanter,aut circũincessivè*.Nam eiusmodi loquutio sonat unionem harum Personarum ad humanitatem , quod solius est Verbi : & est prorsus inusitata, & lubrica.Omitto nonnullorum delirium,qui aliquando dixerunt Personam Spiritûs Sancti fuisse in aliqua humanitate Incarnatam. Itemque aliorum, qui dixerunt,ad finem legis gratiæ fore incarnandam; sicut ad initium Incarnata est in Christo Persona Verbi Adversus hæc effata animadversum est oportunè in Inquisitione Hispanicâ. Censuras vide apud Illustrissimum Araujo in Decisionibus *tract.3. quæst.22*. ubi refert, Nicolaum quemdam de Calabria eam doctrinam disseminasse Barchinone ad ann.1352. & qualificatam fuisse ut hæreticam,& iniuriosam legi Gratiæ,ut legere est in Direct.Inquis.*3.par. quæst.21 pag.266*.

SECTIO V.

De Termino assumpto , qui est Humanitas; quatenùs unita fuerit Verbo , assumenti Naturam,& non subsistentiam,humanitatem, & non hominem.

55 ERror fuit quorumdam apud Conine *disp.9*.Verbum non assumpsisse veram,& integram humanitatem. Quippe alij negabant in Christo verum corpus,ut Martionistæ , & Manichei , dicentes, fuisse corpus phantasticum: & Valentinus dicens,fuisse corpus cœleste,& nõ carneum sicut nostrum. Alij negabant veram animam , ut quidam Ariani, dicentes, Verbum assumsisse solum corpus,cui pro anima fuit ipsum Verbum. His accessit Apollinaris , coactus postea dicere , Verbum assumpsisse animam solummodò sensitivam , & pro rationali fuisse ipsum Verbum : & hoc sonabat dicere,assumpsisse animam,& non mentem: contra quod sunt loquutiones SS. Patrum idemtidem conclamantium , assumpsisse non

Conine. *Martion.* *Manich.* *Valent.* *Arian.* *Apoll.*

Digitized by Google

ſolum animam, verumetiam mentem, & Spiritum: quamvis alij aliter iſtos Patres intelligãt apud Conine *dub. 2.*

56 De Fide eſt primò contra prædictos errores, aſſumptam à Verbo fuiſſe veram humanitatem, verum corpus, & veram animam rationalem unitim. Fuit enim Chriſtus verus Deus, & homo eiuſdem nobiſcum humanæ naturæ. Unde Pater Conine, rectè docens cum egregijs Philoſophis à me citandis, & ſequendis *diſp. 22. à ſect. 8.* corpus eſſentialiter dicere materiam, & formam ſubſtantialem corporeitatis; conſequentiſſimè, & veriſſimè docet, præter materiam, & animam, eam etiam còrporeitatis formam carnis, & oſſis conſtitutivam aſſumptam fuiſſe immediatè à Verbo: utpote aſſumente carnem, oſſa, aliaſque partes ſolidas corporis humani: eiuſmodi autem corporeitatis forma coaleſcit ex formis partialibus ſubſtantialibus carnis, oſſis, nervi, & ſimilium: ut alibi explico, & defendo cum probatiſſimis noſtris Authoribus poſt Læſſium, & Conine. Videatur Suarez *diſp. 17. ſect. 4.* referens Gabrielem & Almainum, improbabiliter aſſerentes, eſſe probabile, Verbum ſolùm aſſumpſiſſe immediatè animam; corpus verò ſolùm mediatè: puta, mediatione interiectionis.

Conine. *Infra Diſp. 22.* *Læſſius.* *Conine.* *Suarez.* *Gabr.* *Almai.*

57 Hinc, Dentes, & ungues aſſumpti quoque à Verbo ſine dubio fuerunt. Quia certè animâ informantur. Et idem dico de capillis: cum ſpectent ad ſubſtantialem integritatem hominis: quippe ſine illis foret aliquomodo inutilus, deformis, & imperfectus. De his Amicus *ſec. 7.* & Mart. Perez *diſ. 9. ſe. 3.* benè notans ex Becano, quòd in quæſtione an hæc, aut alia pars fuerit unita Verbo, nec ne; non tam attenditur, an animetur vel nõ, quã an & quomodo pertineat ad conſiſtentiam, & integritatẽ ſubſtantialem humanitatis.

Amicus. *Mart. Perez.* *Becan.*

58 Accidentia verò, ut calorem, colorem, habitus, actusvé vitales, & id genus alia, quæ nõ ſunt de integritate ſubſtantiali humanitatis, dici poſſunt mediatè aſſumpta: quatenus aſſumptum eſt corpus, & anima in quibus ſubſiectantur.

59 Difficultas eſt de ſanguine, an fuerit aſſumptus immediatè. Durandus negat. Caietanus partim affirmat de ſanguine perfectè decocto; & partim negat de minùs perfectò, quẽ vocat nutrimentalem. Sunt qui dicant cum Mayrone, ſanguinem fuiſſe aſſumptum; dimiſſum tamen in triduo mortis: & cum Raynaudo, ſpiritus vitales ſanguineos non fuiſſe aſſumptos: quippe valdè tranſeuntes ſunt, & evanidi.

Duran. *Caiet.* *Mayr.* *Rayn.*

60 Certum mihi eſt, ſanguinem fuiſſe immediatè aſſumptum. Conſtat ex Clem. 6. in Extrav. *vnigenitus* de Pœnit & Remiſſ. vbi dicitur, ſuffeciſſe pro Redemptione guttam ſanguinis Chriſti *propter unionem ad Verbum.* Ex Epheſino, dicente, Verbum æquè communicaſſe *carni, & ſanguini.* Et ex Calcedonenſi approbante epiſtolam Cyrilli dicentis: *Verbũ caro factum eſt: id eſt, carnem, & ſanguinem aſſumſit.* Eſtque ſenſus communis Eccleſiæ. Uſque adeò, ut quamvis Collius apud Lugum putet, oppoſitum non meteri cenſuram; ipſe tamen Lugus *diſ. 14. ſect. 7.* putet eſſe nunc iam cenſurabile. Varias multorum cenſuras refert Amicus *diſp. 15. ſect. 7.* cenſens eſſe ſaltem temerarium.

Clem. 6. *Epheſ.* *Calced.* *Cyril.* *Collius.* *Lugus.* *Amicus.*

61 Nec placet limitatio Caietani. Quamvis enim detur ſanguinis magis, & minus perfectus, ac decoctus; attamen prædictæ authoritates indiſcriminatim loquuntur de toto ſanguine: atque etiam, contra Raynaudum, de Spiritibus vitalibus: qui certè nomine ſanguinis ſubtiliſſimi veniunt: nec eſt cur antea uniti Verbo, quando iu in ſtatu craſſiori erant, dimittantur mox propter ſubtilitatem. Ratio cunctorum univerſaliter eſt: quia ſive ſanguis animetur, ut volunt multi; ſive non animetur, ut iudico cum alijs: certum omnibus eſt, eſſe de integritate ſubſtantiali naturæ humanæ: taliter ut dixerit Tridentinum, in Hoſtia, ubi ex vi verborum ponitur Corpus Chriſti, poni ſanguinem propter concomitantiam: hoc eſt, *propter coniunctionem, qua partes Domini inter ſe copulantur.* Vocat ergo ſanguinem partem hominis. Quod dictum eſt de ſanguine, dictum quoque puta de alijs tribus humoribus: quippe uno ſanguinis vocabulo ſignificari conſueverunt, & pertinent ſimiliter ad integritatem, & conſiſtentiam humanitatis, & ad ſubſtantialem diſpoſitionem humano corpori convenientem, & debitam.

Trident.

62 Nec item placet, ſanguinem priùs aſſumptum, fuiſſe in triduo mortis à Verbo dimiſſum. Nulla enim eſt iſtius dimiſſionis ratio: cùm præſertim adhuc effuſus ille ſanguis pertineret ad corpus Chriſti mox reſurrecturi. Unde fertur, oppoſitum fuiſſe damnatum ab Inquiſitoribus Fidei contra Doctorem quemdam Barcinonenſem, de quo Nitella Franciſcana apud Raynaudum. Quodſi aliquæ guttæ ſanguinis manſerunt, Chriſto etiam redivivo, adhærentes inſtrumentis Paſſionis; æ dicuntur à Verbo dimiſſæ: quin obſit axioma: *quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit*; intelligitur enim, iuxta Suarez, Vaſquez, & alios, de partibus principalibus, ut ſunt corpus, anima, totusvè ſanguis. Aliqui iudicant eiuſmodi guttulas manſiſſe unitas Verbo quandiu ſanguinis formam retinuerunt. Veroſimilius mihi eſt, nihil ſanguinis ibi manſiſſe poſt reſurrectionem: quia totus fuit Angelorum miniſterio redivivo corpori reſtitutus: quamvis alicubi manſerit color ille rubeus. De quibus erudite Lugus *diſp. 14.* & apud

Nitel. *Rayn.* *Suar.* *Vaſq.* *Lugus.*

Collius. ſpud ipſum Collius *de Sanguine Chriſti.*

63 Objcit Durandus. Si ſanguis fuit aſſumptus, ſequitur primò, Verbum aſſumpſiſſe duas naturas integras, humanam,& ſanguineã: ſiquidem iſta non conſtituitur,nèc informatur animâ rationali ; ſed aliâ ſpeciali formâ minimè ſubordinatâ. Sequitur ſecundò, dici etiam poſſe: *Deus eſt ſanguis: Deus eſt effuſus:* ſicut dicitur: *Deus eſt homo: Deus eſt paſſus* Reſpondetur,aut abſoluté negando, aut diſtinguẽdo primam ſequelam : duas naturas integras diſparatas, & nullo modo ſubordinatas, nego: ſigillatim integraliter incompletas, & aliquo modo ſubordinatas in unam integram naturam humanam, concedo: ſanguis enim,quamvis non animetur ſicut caro, ſubordinatur, & ſubſervit ſubſtantialiter naturæ humanæ. Ad ſecundam, ſunt qui admittant eas propoſitiones,uti veras,quamvis inuſitatas. Alij communius, & meliùs illas negant abſoluté cum Suarez *diſp.15 ſect 6.* & Vaſquez *diſp. 36.num.36.* Quoniam eiuſmodi propoſitiones idiomaticæ non admittuntur niſi inter naturas completas concreté ſignificatas. Sanguis autem non eſt natura completa,ut benè Lugus *nu.23. & 24.* ſicut,neque caro,neque corpus, neque anima, neque apud me embrio,aut cadaver : ideoque horum compoſitorum incompletorum unio non eſt ſubſiſtentia,nec ſuppoſitalis : nam illa compoſita ſuppoſita non ſunt, cùm ſubſtantiæ completæ non ſint.

Suar. *Vaſq.* *Infra, ſec. 7.*

64 Altera difficultas eſt:an præter unionem hypoſtaticam ad corpus, & animam, detur unio etiam hypoſtatica ad totam humanitatem, ſive ad unionem nectentem corpus cũ anima.Negant Coninc *diſp.10.dub 4.* Aldrete *diſp.32.ſect.2.* Hurtado *diſp.46. ſect.4.* Uvadingus *diſp.4. dub 12.* Bonæſpei,Lumbier, & alij exiſtimantes,ſatis eſſe,quòd corpus,& anima immediatè invicem unita uniantur immediatè Verbo, quin ulteriùs ſit neceſſe uniri immediatè verbo unionem humanam unientem corpus,& animam inter ſe. E diverſo P.Suarez *diſp.17 ſect. 5.*Albertinus *to.2.contro.9 Theol. Corol 9.*Delugo *diſp.12 ſect 5.* Bernal.*diſp.27. ſect.3.*Eſparza *quæſt.20.* Martin. Perez *diſp.11. ſect.6* & iam communiùs Recentiores docent, præter unionis hypoſtaticas unientes ſeorſim animam,& corpus ad Verbum, dari aliam etiã hypoſtaticam,cuius munus,& eſſentia unicè ſit unire immediatè ad Verbum unionem humanam, ac proinde, quod neceſſe putant, unire humanitatem conſtitutam:nam illæ aliæ uniones id ita non habent, cùm ſtare poſſint, ut in triduo mortis,unientes Verbo corpus, & animam ; non autem ſic humanitatem conſtitutã: quia deerat unio inter corpus,& animam. Peter Vaſquez *diſp.36.cap.3.*unicâ contentus pro toto Chriſto vivo unione hypoſtaticâ, ait, hanc primò, & per ſe terminari ad totalitatem humanam, quam diſtinguit à corpore, & anima invicem unitis: ratione autem dictæ totalitatis ait,corpus & animam ſecundariò, & quaſi mediatè uniri ad Verbum per eamdem unionem totalitatis.

Hurt. *Coninc.* *Aldret.* *Vvad.* *Bonæſp.* *Lumb.* *Suar.* *Albert.* *Lugus.* *Bernal.* *Eſparza.* *M. Per.* *Vaſq.*

65 Relictà hac ſententiâ Patris Vaſquez propter doctrinã illam, quam ſupponit, de totalitate diſtinctâ à partibus unitis, minimè nobis probatam in Philoſophia ; inter alias duas ſententias probabiles, communior illa Patris Suarez videtur meliùs, & ſpecialiùs ſalvare prout oportet,quòd ex vi præſentis unionis hypoſtaticæ uniatur Verbum,non corpori, & animæ utcumque, ut uniebatur etiam in triduo mortis ; verùmetiam humanitati conſtitutæ in eſſe talis: quod non ita ſalvat oppoſita ſententia, iuxta quam ſtare poſſet tota præſens unio hypoſtatica, quin Verbum uniretur humanitati conſtitutæ : quod videtur aliquibus inconveniens minimè contemnendum.

66 Reſolutio difficultatis capienda nobis eſt ex doctrina,quam fuſé ſtabilivimus *diſp. 1. à ſec 7.* de identitate unionis humanæ cum hypoſtatica.Quocirca conſentimus primæ ſententiæ, quatenus ait, præter uniones Verbi ad corpus, & animam, non dari aliam unionem hypoſtaticam unicè terminatam ad unionem humanam : & conſentimus ſecundæ ſententiæ,quatenus ait,præter corpus, & animam, unionem etiam corporis cum anima,ac proinde humanitatem conſtitutam, uniri immediatè hypoſtaticè ad Verbum : & conſequenter ad noſtras doctrinas conciliamus mutuò quidquid veri habent prædictæ duæ ſententiæ, dicendo, unionem humanam Chriſti uniri formaliter immediatiſſimè hypoſtaticé ad Verbum:non quidem per aliam unionem hypoſtaticam à ſe diſtinctam; ſed per ſe ipſam,quæ ſcilicet ſimul hypoſtatica eſt, uniens ſe ipſam, & corpus ac animam inter ſe,& cum Verbo. Utilitates huius doctrinæ expendimus ad ſatietatem ubi ſupra.

Supra Diſp. 1.

67 Supereſt alia difficultas circa ordinem prioritatis inter prædictas uniones, & aſſumptiones. Supponimus ex definitionibus Pontificum, & Conciliorum, videndis apud Suarez *diſp.17.*quarũ nos aliquas etiam retulimus *diſp.1.ſec.5.*hìc non agi de prioritate temporis:cùm certum ſit,animam,& corpus Chriſti inter ſe,& cum Verbo ſimul tempore fuiſſe unita adverſùs Originem, in eo taxatum,quòd per errorem exiſtimaverit, corpus, & animam Chriſti præceſſiſe unitim inter ſe per aliquod tempus ante unionem hypoſtaticam ad Verbum.Hoc ſuppoſito,dubium reſtat de prioritate aliquâ naturæ, originis,vel rationis:quod negotium parvi momenti reputatur meritó á Delugo *diſp.15.* quamvis operoſiùs diſcutiatur ab aliquibus.

Suar. *Supra Diſp. 1.* *Lugus.*

P.Vaſ-

Digitized by Google

Vasq. 68 P. Vasquez ait, priùs naturâ fuisse partes humanitatis invicem unitas, quàm uniretur humanitas Verbo. Alij cõmuniùs aiunt è contra cum Suarez, priùs naturâ fuisse partes unitas Verbo, quàm inter se inter unitiones verò hypostaticas partium, priùs naturâ unitum fuisse Verbo corpus, quàm anima: in quo postremo ait è contra Granadus apud Bernal, priùs fuisse unitam animam. Fundamenta utrinque sunt satis levia, & tandem in varias explicationes earum prioritatum devoluta. Dicam meum sensum cum distinctione inter ordines prioritatis, sive in dignitate, sive in intentione, sive in executione.

Suar.

Granad. Bernal.

69 Ordine dignitatis prior quidem est humanitas, quàm anima: & anima, quàm corpus, & simili comparatione, unio hypostatica totius humanitatis constituç. quæ unio est etiã unio humana, prior est, quàm unio hypostatica solius animæ: & hæc, quàm unio hypostatica solius corporis. Siquidem humanitas perfectior est solâ animâ & anima corpore.

70 Ordine intentionis videtur etiam prior in assumptione humanitas, quàm anima; & anima, quàm corpus: quia ex intentione & ratione assumendi humanitatem, & ut fieret homo assumpsit Verbum has ipsius partes: & ratione animæ, corpus; quod nempe (forte alias incapax assumi, de quo *disp. 3 sec. 3.*) per animam constituitur in specie capaci operandi, prout oportebat ad finem Redemptionis satisfactoriæ. Et hoc vocant multi, uniri corpus mediante animâ & animam mediante mente: scilicet ratione intellectualitatis constitutivæ suppositi, quòd sit Persona: ut iam adnotavi *nu. 47.* contra simistras horum terminorum usurpationes.

Infra Dis. 3.

71 Ordine exequutionis, qui magis pertinere potest ad rem præsentem, placet quod ait Bernal *disp. 28.* animam, & corpus unita fuisse inter se, & cum Verbo non solùm simul tempore; sed simul etiam naturâ. Quia neutra illarum unionum est causa exequutiva alterius. Nec iuxta meum sensum est inter illas dependentia sufficiens ad strictam prioritatem, & posterioritatem naturæ, vel originis. Qui admittunt in Christo unionem humanam non hypostaticam, hypostaticé tamen Verbo unitam speciali unione immediatè ad ipsam terminatâ: dicere poterunt respectu istius priùs naturâ fuisse unionem humanam, quàm ista specialis hypostatica, quæ nimirum illi inesset essentialiter dependens ab illa, & non é contra. Qui verò negamus eiusmodi specialem unionem hypostaticã terminatã ad unionẽ humanã à se distinctam, eo quòd illã existimemus indistinctã realiter ab unione humana; non possumus sic dicere, istam esse priorem illa prioritate reali naturæ; sed ad summum prioritate aliqua rationis: quatenus nempe hæc unio, quam nos ponimus æquivalentem illis duabus; habet duos conceptus: scilicet humanæ, quatenus unit corpus cum anima; & hypostaticæ, quatenus se quoque unit ad Verbum: inter quos conceptus potest considerari prioritas, & posterioritas rationis ad instar prioritatis, & posterioritatis realis, quæ interest inter duas illas uniones, quibus æquivalet. Et in hoc sensu explicuimus S. Thomam *disp. 1. num. 113.*

Bernal.

S. Thom. Supra Disp. 1. sect 10.

72 De Fide est secundò contra errores Nestorianos, non assumptam fuisse à Verbo humanitatem cum propria Personalitate humana; sed absque sua creata Personalitate, seu subsistentiâ. Constat ex dictis *sect. 1.* Quod ipsum significavit Innocentius Tertius apud S. Thom. *quæst. 4. art. 2.* cum dixit: *Persona Dei consumpsit Personam hominis*: non quidem, quòd præexistentem iam in humanitate personalitatem creatam depulerit; sed quod Personalitas divina ex modo uniendi se humanitati, impediverit, ne ibi Personalitas creata unquam existeret. Sic S. Thomas.

S. Thom. Innocen.

73 Hoc ipsum significat orthologa loquutio, qua Scholastici universim dicunt, Verbum assumpsisse *humanitatem, & non hominem*: quia nempe, *homo*, sonat non solam naturam, sed etiã personã: sicq; assumpto *homine*, videretur admitti in Christo duplex Persona cum Nestorio: una assumens, & alia assumpta. Sic inter veteres etiam dixit olim Joan. Maxentius *Dial. 10. contra Nestorianos*: *ego à Deo susceptum hominem nullatenus audeo dicere ne duas in Filij Dei videar prædicare Personas.* Et quia postea id ausus fuit frequentiùs dicere Ludovicus Vives *ad cap 7. libri 9. de Civitate Dei*, correctus est ab Inquisitione Hispanicâ. Meritò qui dẽ: postquam Concilij Ephesini protestatur: *non hominẽ assumptũ esse dicimus*: & mox: *hominẽ verò assumptũ esse à Verbo non videtur*: *S. PP. assumptum esse non sic censuerunt*; *sed ipsum potiùs Verbum asserunt factum esse hominem.* Et Felix Papa relatus in Concilio Calcedonen. ait: *neque enim hominem assumpsit Dei Filius.* Ratio autem est, quia non assumpsit Personalitatem, seu subsistentiam, qua humanitas ultimò completur, & constituitur in esse hominis concretè, sicut in esse Personæ. Plura Lugus *disp. 13 sec. 2.* & Bernal *disp 27 sect. 7.*

Maxent.

Vives.

Felix Calcedon

Delugo. Bernal.

74 Obvertari videntur Concilia Toletana primum, sextum, & undecimum: ubi legitur: *credimus, Filium Dei assumpsisse hominẽ: Personam Filij verum hominem assumpsisse*: hancque dicit esse phrasim SS Patrum. Similiter Francofurtense ait, quòd Verbum *perfectum hominem assumpsit*, & Romanum sub Felice Papa: *Verbum caro factum est assumpto homine.* Sanctus Leo: *Dei Verbum in susceptione*

Concil. Tolet.

Francof. Roman.

S. Leo.

Digitized by Google

Adrian. Auguſt. Hymn. Eccleſ.

ceptione hominis, &c. Adrianus ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Galliæ *homo quem aſſumpſit. &c.* Auguſtinus, vocans hæreticum negare, *Deum ſuſcepiſſe hominem.* Et Eccleſia canit: *Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem.* Excuſat id S. Thom eo quòd huiuſmodi loquutiones ſint impropriæ, quaſi per Sinecdochen, ut vult Antonius Perez, acceperint totum pro parte, *hominem pro humanitate.* Sed certè mirum eſſet tot Patres in re dogmatica doctrinaliter procedentes, loquutos eſſe ita conſtanter in ſenſu improprio. Addo, quòd ipſe S. Thom. Scholaſticorum Princeps, eaſdem loquutiones uſurpat: *in 3. ad Anibald diſt. 2. art 2.* ibi: *Verbum aſſumpſit perfectum hominem*: & rurſùs *in 3. q. 1. art. 3* ſic: *propriè*, & ſimpliciter dici, *hominem* eſſe unitum Deo. Plura Uvadingus *diſp. 13. dub 3.* Propterea iudicans eam loquutionem, *Verbum aſſumpſit hominem*, uſurpari poſſe ſine cenſura: ſicque iudicat etiam Martinez Complutenſis apud Illuſtriſſimum Godoy.

S. Thom.

Uvadin.

Martin. Godoy.

75 Cæterum iudico, nunc iam uſurpari non poſſe ſine cenſura; quamvis olim potuerit. Sic ſic ſatis ad loquutiones illas veterum Patrum, quæ obverſari videntur modo loquendi nunc debito, & ſtabilito per ea, quæ adduximus *nu.* 73. Cuius diſcriminis ratio eſt obſervanda: quia olim nondum erat in uſu, ſicut nunc vox *humanitas* abſtractè, ad ſignificandam naturam hominis diverſimode, ac nunc concretè vox *homo*: ideoque eádem voce, *homo*, utebantur ad ſignificandam interdum naturam humanã abſtractè, interdum perſonam humanam, ſive hominem concrete: ſicut nunc voce, *aqua*, modò naturam, modò ſuppoſitum, aquæ ſignificamus. Id quod Joannes ipſe Maxentius animadvertit cùm dixit: *homo ſicut & Perſonam, ita & Naturam ſignificat: unde & nonnulli Sãcti Patres hominem aſſumptum dicere comprobantur*: illi ſcilicet, qui voce *homo* naturam ſignificabant, quod nobis nunc ſignificat *humanitas*: illi verò, qui hominem aſſumptum negabant, voce *homo* ſignificabant ſicut nos modò Perſonam, ſeu hominẽ concretè. Quippe tunc varia fuit ſignificatio vocis *homo*, & impunè uſurpabatur in utrolibet illo ſenſu. Nunc autem non ſic: quia percrebuit iam uſus quòd *humanitas* ſignificet naturam, & *homo* ſignificet Perſonam, concretum videlicet ex natura, & perſonalitate: ideoque malè audiret & mereretur cenſuram qui diceret, Verbum aſſumpſiſſe *hominem*, quaſi non ſatis diſcedens ab Arianiſmo. Sic Bernal. nec omninò diſſentit ipſe Uvadingus.

Maxen.

Bernal.

Uvandin

***

SECTIO VI.

Duplex difficultas emergens circa violentiam Humanitatis aſſumptæ, & ſuplementum propriæ Perſonalitatis in aſſumptæ.

76 RAtio dubitandi circa primum eſt: quia humanitati debetur propria Perſonalitas, ſeu ſubſiſtentia, uti proprietas connaturalis, ad quam ineſt ipſi appetitus innatus, & exigentia inamiſſibilis, utpotè identificata cùm ipſa entitate naturali humanitatis: ergo dum iſte appetitus manet inexpletus, manet humanitas violenta: non ſecùs ac aqua ſine frigore ſibi proprio, & debito. Sed in humanitate aſſumpta manet ille appetitus, cum maneat entitas humanitatis: & manet inexpletus, cum maneat abſque Perſonalitate, & ſubſiſtentiâ propriâ, quæ eſt terminus exactus ab illo appetitu: ergo manet humanitas violenta. Succũbere videntur nonnulli cũ P. Bernal. *d. 2. ſec. 2.* concedentes humanitati Chriſti eiuſmodi violentiam, quamvis horrere ſe fateantur ſic loqui apud vulgus: nec propterea concedunt, humanitatem eſſe coactam: nam coactio dicitur contra appetitum elicitum: humanitas autem, fœlicior ſine, quàm cum ſua Perſonalitate, non deſiderat elicitè ſuam, habens infinitè meliorem, quam cum ſua non haberet.

Bernal.

77 Ratio dubitandi circa ſecundum eſt: quia ut Verbum dicatur ſupplere humanitati vices ſubſiſtentiæ propriæ, illamque reddere ſubſiſtentem, debet illi præſtare effectum primarium formalem, qui eſt de conceptu eſſentiali ſubſiſtentiæ ut ſic: hic enim effectus, ſeu conceptus formalis, vel eſt ipſa ſubſiſtẽtia communicata ſubiecto, ſeu quaſi ſubiecto: vel ſaltem ab ipſa ſic comunicatã inſeparabilis: ſed Verbum id non præſtat humanitati cui hypoſtaticè communicatur: ergo non ſupplet humanitati vices ſubſiſtentiæ propriæ. Probatur minor: quia effectus formalis primarius ſubſiſtentiæ eſt, reddere naturam ſubſiſtentem: hoc eſt in ſe ſiſtentem, ſeu incommunicatam, aut incommunicabilem alieno ſuppoſito: ſed hunc effectum non præſtat Verbum humanitati: ergo. Probatur hæc minor: nam imo potiùs redditur humanitas per Verbum in ſe non ſiſtens, tradũcta ulteriùs ad ſuppoſitum Verbi: ſicque communicata ſuppoſito ipſi alieno. Hæc difficultas, quam non ſatis ab Authoribus diſcuſſam ſubodoratus eſt Lugus *diſp. 12. num. 50.* tanta eſt, ut propter illam Uvadingus *diſp 4. dub. 3. num 47.* negare attentaverit, Verbum propriè ſuppleviſſe erga humanitatem vices ſubſiſtendæ propriæ; dixeritque paulò animoſiùs P. D. Thyr-

Lugus. Uvandi.

Hyr. Thyrſus *tom.3.diſp.89 num.50.* humanitatem non ſubſiſtere per ſubſiſtentiam Verbi. Videndus Martinon *diſp.1. ſect.3. in reſponſ.ad primum.*

Martin.

78 Dicendum eſt circa primum cum Suarez, & alijs communiter, quos ſequuntur Lugus *diſp.12. num.19.* Magiſter Prudentius *Tract.1 diſp.1. num.178.* & Reverendiſſimus Lumbier *quæſt 4.art.2.* humanitatem Chriſti in eo non pati violentiam. Fundamentum, & explicatio huius dicti erit ſolutio primæ rationis dubitandi, quæ aliquos nolentes, ut puto, impulit in oppoſitum.

Suar. Lugus. Prudent. Lumb.

79 Ad rationem ergo dubitandi poſitam *num.76.* diſtinguo antecedens: ſi datur humanitati loco propriæ, Perſonalitas, ſeu ſubſiſtentia nobilior, & excellentior, nego: quia per hanc indebitam ſolvitur ſuperabundanter humanitati quod debetur: ſicut per adamantem illi, cui deberetur nummus: Si ſic non daretur humanitati loco propriæ nobilior, concedo antecedens cum conſequentiâ. Et conceſsâ deinde priori parte minoris ſubiunctæ, nego poſteriorē, quòd nempe maneat inexpletus appetitus ille propriæ perſonalitatis, ſive ſubſiſtentiæ in humanitate habente loco propriæ Subſiſtentiam, & Perſonalitatem divini Verbi: unde nego ultimam conſequentiam. Ratio: quia appetitus ille, & exigentia propriæ perſonalitatis nō ſolùm expletur per terminum ſuum innatè exactum, ſi detur; ſed etiam per terminum, quantumvis non exactum, á quo tamen, ſi ipſi inexigenti detur, habet bonum illud, ratione cuius exigitur terminus connaturalis. Porro bonum illud, ratione cuius humanitas exigit perſonalitatem propriam eſt, ut conſtituatur & cō-pleatur in eſſe hominis, & perſonæ: quod bonum habet ſupereminentiſſimè à Perſonalitate Verbi: quā, ſi non exigit humanitas, non ideo eſt quia per ſuam potiùs, quàm per iſtam alienam habeat tale bonum; ſed quia iſta aliena ipſi non debetur: ſi tamen ipſi, præter debitum, concedatur, manet humanitas per iſtam ſatiatiſſima, eiuſque exigentia expletiſſima: ſicut debitum nummi per adamantem indebitum. Itaque appetitus ille innatus, ſive exigentia intrinſeca habendi formaliter propriā ſubſiſtentiam eſt quaſi condicionalis, habendi nē-pe propriam, ſi forté nō detur ipſi aliena à qua habeat ſupereminenter bonum illud, quod haberet à propria. Unde, datâ hac alienâ indebitâ, manet expletus, atque ſatiatus appetitus ille, quamvis ſit ſine propriâ debitâ. Sic laté Prudentius *Tract.3. diſp.ultim.ſect.3.* contra Martinum Perez.

Prudent. Perez.

80 Obſiſtes: ergo humanitas æquè appetit, & exigit Perſonalitatem propriam, ac alienam Verbi: ſcilicet utramque conditionatè, ſi altera non ipſi detur: non ſecùs ac unam propriam ſi alia etiam ipſi propria non haberetur: quòd eſt omninò falſum: cum ipſi debeatur propria creata, & non aliena increata. Reſponderi poſſet cum diſtinctione inter appetitum innatum, & exigentiam, quam ex Montoya admiſſi, & expoſui *diſp.18. de Attrib. nu.* 104. concedendo ſine inconvenienti conſequē tiam de appetitu, & negando de exigentia. Nam exigentia non dicitur niſi ad bonum debitum; appetitus verò ad bonum ſive debitum, ſive indebitum. Unde quòd perſonalitas propria ſit debita, & aliena Verbi indebita humanitati, tollit quidem quominùs humanitas æque utramque exigat; non verò tollit quominus utramque appetat. Idquod approbant etiam Conine *diſp.8.dub.5* & Valentia *tom.2.diſp.1. quæſt 5.* cum ſubtiliſſimis Scotiſtis: cum quibus dixi propterea loc. cit. entia naturalia appetere dona ſupernaturalia, utpote ſibi bona; quamvis non exigant, utpotè ſibi indebita.

Tom.1. diſp.18. ſect.10.

Conine. Valent. Scotiſt.

81 Quoniam verò arguentes hi: pro eodem ſumunt communiter appetitum innatum & exigentiam, nego illis abſolutè conſequentiam. Quamvis enim humanitas ſit intrinſecè capax, ſive propriæ, ſive alienæ ſubſiſtentiæ, & non ſit ipſi minus bona aliena quàm propria; propriam tamen ita reſpicit, ut naturali ſuo iure illam appetat, & exigat habere pro omni caſu ab ipſa abſolutè exigibili: cùm caſus, pro quo illam non exigit habere, ſit ſolus caſus habendi alienā, abſolutè inexigibilis, uti præ nimia dignitate indebitus; alienam verò quantumvis ſibi bonam, & abſolutè donabilem, non ita reſpicit, ſed longiſſimè aliter: quia tam procul abeſt quòd humanitas illam exigat habere pro omni caſu ab ipſa abſolutè exigibili; quin potiùs unus caſus illam habendi, qui ſolus eſt caſus unionis hypoſtaticæ, indebitus ipſi & abſolutè inexigibilis ſit. Aliter ſe habet humanitas erga multas ſubſiſtētias proprias, quas æquè diſiunctivè appetit & exigit: cùm non ſit una præ altera magis debita, aut indebita. Per alienam ſubſiſtentiam qua natura aliqua poſſit ſubſiſtere, ſemper intelligo divinam: quia modus ſe uniendi, & communicandi hypoſtaticè ſolius eſt infinitæ ſubſiſtentiæ, ex dicendis *Diſp.3. ſect ult.*

Infra ſec. ult.

82 Dicendum eſt circa ſecundum cum communi Theologorum ſenſu, & modo loquendi, humanitatem Chriſti ita veré ac proprie ſubſiſtere per ſubſiſtentiam divini Verbi, ut hæc ſuppleat abſolutiſſimè vices ſubſiſtentiæ propriæ ibi deficientis. Probatio etiam ſufficiens huius dicti erit ſolutio difficultatis oppoſitæ, cuius dumtaxat vis diſturbavit forté nonnullos propter inſubſiſtentiam doctrinarum de ſubſiſtentia, quibus à Philoſophis hærent, iterum, atque iterum ad incudem revocandis in obſequium Theologiæ.

Ad

83 Ad rationem ergo dubitandi poſitam *num. 77.* reſpondere conantur aliqui dicendo, illum effectum, ſeu conceptum ſubſiſtentiæ aſſignatum in ratione dubitandi, eſſe effectum ſubſiſtentiæ propriæ, non verò alienæ. Hæc tamen reſponſio aliena prorſus eſt à poſito. Primò, quia propria, & aliena ſubſiſtentia conveniunt in ratione ſubſiſtentiæ, ut ſic: aſſignetur ergo conceptus, ſiue effectus formalis primarius, in quo conveniãt, quemque præſtet aliena loco propriæ, quando datur abſente propriâ; ſicque ſuppleat aliena vices propriæ. Et cave né dixeris, cum conceptum, ſive effectum eſſe utcumque conſtituere concretum ſubſtantiale: hoc enim manet apertè reiectum *diſp. 1. à nu. 73.* remiſſivé ad *diſp. 6. de Attrib.* Secundò: quia ex hoc ipſo arguitur, defectum propriæ ſubſiſtentiæ in humanitate Chriſti non ſuppleri à ſubſiſtentia Verbi: ſiquidem effectus ſubſiſtentiæ propriæ eſſet reddere humanitatem incommunicabilem alieno ſuppoſito etiam Verbi: & hoc non habet humanitas à ſubſiſtentia Verbi: imò habet prorſus oppoſitum.

Supra diſp. 1. ſec. 6.

84 Reſpondent alij, per ſubſiſtentiam Verbi iam reddi humanitatem incommunicabilem alijs ſuppoſitis alienis, præter ſuppoſitum Verbi: hoc autem, quamvis ſit alienum reſpectu humanitatis, non tamen reſpectu concreti ex illa, & ex Verbo reſultantis. Cæterùm hoc, aut ad intentum reſponſionis non eſt, aut eſt concedere intentum argumenti. Nã eſt planè concedere, humanitatem à Verbo non reddi incommunicabilem omni ſuppoſito ſibi alieno: qui eſſet effectus propriæ ſubſiſtentiæ: ac proinde, hunc non plenè ſuppleri per ſubſiſtentiam. Præterea: eiuſmodi effectum ſic expoſitum non haberet humanitas Chriſti reſpectu ſuppoſitorum Patris, & Spiritûs Sancti: quæ nimirum, quamvis ſint diſtincta, non tamen aliena reſpectu ſuppoſiti Chriſti: aut ſi ſunt aliena, neé Perſonalitas Verbi reddet ſubſiſtentem Naturam divinam: quam utique non redderet incomunicabilem omni alieno ſuppoſito; cùm non reddat incomunicabilem Patri ac Spiritui Sancto.

85 Inſuper ad homines contra Bernal, & noſtrates Recentiores. Sequitur enim apud ipſos, productionem humanitatis Chriſti fore ſubſiſtentiam, ſi prædicto modo explicant alienitatem ſuppoſiti. Quia, quamvis ea productio, quæ apud illos ſubſtantia eſt, communicaret ſuum terminum productum ſuppoſito Verbi quod eſt alienum reſpectu humanitatis, non verò reſpectu cõcreti reſultãtis ex Verbo, & ex humanitate, nec reſpectu talis productionis eſſentialiter unitivæ, utpoté eſſentialiter exigentis tale ſuppoſitum. Quòd ſi hæc alienitas ſuppoſiti divini, reſpectivè videlicet ad humanitatis, ſufficit apud ipſos; ut ea productio non ſit ſubſiſtentia: eodem iure ſufficiet, ut Verbum non ſuppleat vices ſubſiſtentiæ propriæ reſpectu humanitatis, nec reddat humanitatem ſubſiſtentem; cui nimirum alienum eſt ſuppoſitum, in quo conſtituitur cum aſſumitur à Verbo, propterea non illam reddente incommunicabilem, ſed imò communicatam ſuppoſito alieno ipſi humanitati, prout ab his ipſis Authoribus explicatur.

Bernal.

86 Propter hæc, & alia, cenſui in Philoſophia, ex qua huiuſmodi abſurda ſolent in Theologiam detivari, & proſequutus ſum maturiùs *diſp. 6. de Attrib.* effectum formalem, ſeu conceptum primarium ſubſiſtentiæ non eſſe prædictam incommunicabilitatẽ. Id quod ulteriùs confirmo: quia Paternitas divina eſt certiſſimé ſubſiſtentia: & non reddit Naturam incommunicabilem ſuppoſito Filij. Si dicas, hoc non eſſe alienum; benè: ergo conceptus, & effectus formalis ſubſiſtentiæ Perſonalis ut ſic ſalvatur in Paternitate per id ſolùm quod ſit complementum ſubſtantiale naturæ intellectualis reddens illam incommunicabilem ſuppoſito alieno, id eſt extraneo. Si negatur hæc conſequentia, aſſignetur igitur conceptus, & effectus primarius ſubſiſtentiæ perſonalis ut ſic. Si conceditur, concedendum deinceps erit, ſubſiſtentiam abſolutam, quam in Deo admittunt, prout virtualiter, ut aiunt, diſtinctam à tribus Perſonalibus, habere quoque rationẽ ſubſiſtentiæ perſonalis, cum habeat intrinſecam incommunicabilitatem, reddatque Deitatem, ſeu Deum ex ipſa, & ex Deitate concretẽ, ut volunt, conſtitutum, incommunicabilem alieno, id eſt extraneo ſuppoſito: ſicque erunt in Deo tres Perſonalitates Relativæ, & inſuper Perſonalitas abſoluta: quod eſt abſonum, & omninò cavendum.

To. 1. ſec. 6.

87 Reſpondendum ergo aliter eſt ex ſecurioribus principijs ad rationem dubitandi poſitam *num 77.* concedendo maiorem, & negando minorem. Ad huius probationem, nego maiorem, ut ibi explicatam, ob rationes, quas hucuſque expõdimus. Quibus etiam permoti Ovied. *contr. 6. Metaph. punct. 3.* & Lynceus *lib. 3. Metaph. tr. 3. cap. 2.* negant etiam, eiuſmodi incommunicabilitates naturæ ad alterum, ſive ad alienum ſuppoſitum, eſſe formalem effectum, aut conceptum formalem ſubſiſtentiæ: id quod pluribus adſtruxi *diſp. illa 6. de Attributis.* Unde, ex eo quòd perſonalitas Verbi non præſtet humanitati eiuſmodi effectus, non arguitur, non reddere humanitatem ſubſiſtentem, aut non ſupplere in humanitate Chriſti vices ſubſiſtentiæ propriæ.

Ovied. Lync.

88 Opinor ergo, effectum formalem, ſeu conceptum primarium ſubſiſtentiæ eſſe perficere, & complere naturam conſtituendo cum

Digitized by Google

93 Accepi cum communi iam hodie loquutione, *suppositum*, concretè pro constituto ex natura, & suppositalitate, quæ est idē ac subsistentia: quamvis interdum, præsertim apud antiquos, inveniri soleat usurpatum, modò concretè pro dicto constituto; modo abstractè pro suppositalitate, seu pro sola subsistentia, ut oportunè obseruavit Hurtadus *disp. 11. Metaph sect.* 1. sicut & nos diximus de voce *homo sect prec. num.* 75 apud antiquiores usurpatâ modò abstractè pro humanitate, modó concretè pro homine constituto ex humanitate, & subsistentiâ. *Hurt.*

SECTIO VII.

Vsus communicationis Idiomatum inter Terminos Incarnationis sub concretis Deus, & Homo.

94 IDioma est idem ac proprietas: & communicatio idiomatum, idem ac cōmunicatio proprietatum. Cùm in Christo sint duæ naturæ, divina, & humana, sunt quædā propria naturæ divinæ, ut esse Omnipotentem Creatorē, &c. quædā propria naturæ humanæ, ut esse passum, mortuum, natum ex Matre, &c. Communicari Deo, seu prædicari de Deo, significante naturam divinam, ea quæ sunt propria naturæ humanæ, ut in hac propositione: *Deus est passus, & mortuus, natus ex Virgine, &c* & de homine significante naturam humanam, ea quæ sunt propria naturæ divinæ, ut in hac propositione: *Homo est omnipotens, Creator*, &c. Dicitur in Christo Scolasticâ phrasi communicatio Idiomatum. Quoniam verò hęc communicatio idiomatum, quam vocat extraessentialem, seu proprietativam, nititur in communicatione, seu reciproca prædicatione horum terminorum concretorum, *Deus*, & *Homo*, quatenus verissimè dicitur in Christo: *Deus est Homo: Homo est Deus*; priùs huius communicationis, seu mutuæ prædicationis essentialis veritas statuenda, & explicanda est, ut ad alias communicationes extraessentiales, earumque explicationem postea veniamus. Vocantur illæ, *essentiales*: non quia Deo essentiale fuerit fieri, seu esse hominem; sed quia utroque termino constant substantivo, secundum se significante substantiam, sive essentiam rei, quidquid sit de eorum usu in mutuâ prædicatione.

95 Veritas Catholica earum prædicationum: *Deus est homo: Homo est Deus*: uti principalissima inter dogmata nostræ Fidei; negotium fuit præcipui momenti in multis Conciliis. Ex qua definiverunt, Deum verè factum fuisse hominem: & Mariam absolutissimè vocandam esse Theotocon, id est Matrem Dei: scilicet, hominis, qui non metaphoricè, & improprié, sed absolutè & proprié est Deus: adversùs varias Hæreses, quas contra hoc referunt, & refellunt Petavius *lib. 4. cap. 15 & 16.* & Bellarminus *to. 1 lib. 3. de Christo à cap. 9.* Quòdsi dixit Durandus, hanc propositionem: *Deus est homo*, non esse tam propriam ac, *Petrus est homo*, forté non illi negabat proprietatem contrapositam metaphoræ; sed stylo dialectico dicebat, Deo convenire extraessentialiter esse hominem. & non tamquàm prædicatum essentiale maximè proprium, qualiter esse hominem convenit Petro, iuxta id quod animadvertimus in fine numeri præcedentis. *Petav. Bellarm. Duran.*

96 Ad defendendam autem veritatem, & proprietatem earum propositionum, indaganda nobis est, & statuenda significatio illorum terminorum concretorū: *Homo*, & *Deus*: quid nimirum, & quomodo rectè, aut obliquè significent, & consignificent: cùm in se, tùm in prædictis propositionibus. De quo plura sapientissimè Conine *disp. 18. de Incarn. & disp. 7. de Trinit.* *Conine.*

97 Quidam indiscriminatim docent, terminum concretum, *Deus* significare Naturam divinam, & *homo*, naturam humanam in rectò; & utrumque consignificare in obliquo subsistentiam, seu personalitatem. Cæterùm hæc doctrina generalis deservire non potest ad salvādam veritatem earum propositionum: *Deus est homo*: *Homo est Deus*. Imo iuxta illam essent absolutè falsæ. Cùm enim *homo* significaret in recto solam humanitatem, & *Deus* solam Deitatem, sicut concreta adiectiva *albū*, & *dulce*, solum subiectum in recto, consignificando formam, seu quasi formam in obliquo; dicere, *homo est Deus*, esset idemtificare humanitatem cum Deitate, sicut dicere: *album est dulce* est idemtificare subiectum albedinis cū subiecto dulcedinis. Sicut autem hoc est verum in lacte, ubi unum & idem est subiectum albedinis, & dulcedinis, quod solum significant in recto *album*, & *dulce*; illud esset falsum in Christo, ubi distinctæ realiter sunt humanitas, & Deitas, si sola humanitas significaretur in recto nomine *homo*, & sola Deitas, nomine *Deus*: esset enim æque falsum dicere, *homo est Deus*; ac est falsum, quód humanitas sit Deitas, & quódDeitas terminans humanitatem sit humanitas terminans Deitatem. Ergo quòd *homo* significet in recto solam humanitatem, & *Deus* solam Deitatem, non est doctrina conveniens ad salvandam veritatem eius propositionis: *homo est Deus*: imò illam falsificaret, & destrueret.

98 Alij docent, tàm nomen, *Deus*, quàm, *homo*, significare in recto solam Personalitatem, consignificando naturam in obliquo: mo-

men *Deus*, divinam; & *homo*, humanam: ſicque verè dici: *homo eſt Deus*: quia rectum utriuſque nominis eſt una, & eadem Perſonalitas in Chriſto: Hæc doctrina eſt aperté falſa ex alio latere, ſcilicet, ex Myſterio Trinitatis. ubi unus eſt Deus, & Perſonæ tres: eſſent autem, & dici deberent tres dij iuxta prædictam nominis *Deus* ſignificationem: ſi enim *Deus* ſignificat ſolam Perſonalitatem in recto conſignificando de obliquo Deitatem, ſicut ſunt in Deo tres Perſonalitates habentes Deitatem, quamvis unicam; eſſent, & dici deberent tres dij: quemadmodum tria obiecta tacta per unã cognitionem ſunt, & dicuntur tria cognita, quia recta ſunt tria, quamvis cognitio conſignificata de obliquo, ſit unica. Præterea: ſi *Deus*, & *homo*, ſignificant in recto ſolam Perſonalitatem, quid nomen etiam concretum, *Perſona?* Dicunt idipſum ſignificare in recto nomẽ, *Perſona*, conſignificando in obliquo naturam: ideoque in Deo Perſonas eſſe, & dici tres, quia Perſonalitates in recto ſignificatæ per nomen, *Perſona*, ſunt tres. Benè: ſi quia perſonalitates in recto ſignificatæ nomine, *Perſona*, ſunt tres, Perſonæ dicuntur abſolutè tres: ergo ſi nomen *Deus* ſignificaret etiam in recto ſolam Perſonalitatem; cùm ſub eo nomine ſint perſonalitates tres nomine etiam Dei in rectó ſignificatæ. Dij eſſent tres, non ſecùs ac Perſonæ. Non ergo ſic ſignificat nomen, *Deus*.

99 Alij propterea docent, nomina concreta *Deus*, & *Homo*, ſignificare in recto naturam conſignificando de obliquo perſonalitatem; é contra verò nomen, *Perſona*, ſignificare in recto perſonalitatem conſignificando in obliquo naturam: quo pacto dicũt ſalvari in Myſterio Trinitatis unitatẽ Dei, quia una eſt Deitas ſignificata in recto per nomen *Deus*; & Trinitatem Perſonarum, quia tres ſunt Perſonalitates ſignificatæ in recto per nomen: *Perſona*. Bene: ſed non ſalvant in Chriſto veritatem propoſitionis, *homo eſt Deus*: imò nec in Chriſto, nec in nobis hanc aliam veritatem: *homo eſt perſona*: nec enim in Chriſto identificantur humanitas, & Deitas, quæ ſunt recta illorum terminorum *homo*, & *Deus*: nec in nobis humanitas habens Perſonalitatem & Perſonalitas habens humanitatem, quæ ſunt recta illorum terminorum *Homo*, & *Perſona*: ergo iuxta prædictam ſignificationem illorum nominum concretorum nec verè diceretur, *homo eſt Deus*; nec, *homo eſt Perſona*.

Bernal. Coninc. 100 P. Bernal *diſp.* 45. & P. Coninc *diſp.* 7. *de Trin.* docent, nomina concreta ſubſtantiva, qualia ſunt, *Deus*, *Homo*, *Perſona*, *Suppoſitum*, &c. ſignificare in recto utramque partem, ſeu quaſi partem, ſcilicet Naturam, & Perſonalitatem, ſeu ſubſiſtentiam: à differentia nominum concretorum adiectivorum, qualia ſunt *album*, *calidum*, *cognitum*, &c. quæ ſolum ſubiectum ſignificant in recto, conſignificando formam in obliquo. Hinc pro multiplicatione concretorum dicunt, adiectiva multiplicari ad multiplicationem recti: ideòque multæ res cognitæ unicâ cognitione ſunt multa cognita, & multi parietes habentes unicam albedinem eſſent multa alba: ſubſtantiva verò, quæ utramque partem dicunt id recto, multiplicari ad multiplicationem illius partis, ſeu quaſi partis, quam nomen expreſsiùs, & formaliùs ſignificat: ideòque in Deo Perſona eſt triplex, quia Perſonalitas, quàm expreſsiùs, & formaliùs ſignificat nomen *Perſona*, triplex eſt; & Deus eſt unus, quia Deitas, quam expreſsiùs, & formaliùs ſignificat nomen *Deus*, unica eſt: & in Chriſto Perſona eſt una, & ſuppoſitum eſt unũ; quia Perſonalitas, quam expreſsiùs, & formaliùs ſignificat nomen *Perſona*, & ſuppoſitalitas, quàm expreſsiùs, & formaliùs ſignificat nomen *Suppoſitum*; unica eſt. Sunt autem veræ illæ propoſitiones: *Deus eſt Perſona: homo eſt ſuppoſitum. & eſt Perſona*; & é contra; quia recta illorum concretum idem ſunt. Hinc venietur ſtatim ad veritatem iſtius in Chriſto: *Deus eſt homo:* priùs tamen oportet fere iudicium circa dicta.

101 Atque in primis mihi difficile eſt, ne dicam impoſsibile, nec alioquin ita utile, dare regulam generalem pro omnibus nominibus concretis, ſive ſubſtantivis, ſive adiectivis: cùm præſertim negotium ſit, non tam de rebus, quàm de nominibus, quorum ſignificatio arbitraria eſt, & ſæpé varia pro varietate loquentium, & temporum, ut circa nomen, *homo*, modó ſignificans ſolam humanitatem, modò humanitatem, & perſonalitatem, ſeu ſubſiſtentiam, obſervabam *num.* 76. & circa nomen, *ſuppoſitum*, modó ſignificans ſolam ſuppoſitalitatem; modò ſuppoſitalitatem, & naturam, *nu.* 94. Deinde cavendum eſt, ne nomina concreta ſubſtantiva grammaticalia cum ſubſtantivis, Dialecticis, aut Theologicis confundamus: certè enim, *Rex*, *Pater*, & alia huiuſmodi grãmaticaliter ſubſtantiva ſunt; quæ tamen dialectícè loquendo more adiectivorum gubernantur, non ſecus, ac *album*, & *dulce*; tàm in prædicatione, quàm in multiplicatione, ut perſe eſt notum. E contra verò nomina, *immenſus*, & *omnipotens*, grãmaticaliter adiectiva ſunt; quæ tamen Theologicè ut ſubſtantiva uſurpantur in Symbolo Athanaſij, & inde cõmuniter à Theologis, tam in prædicatione, quàm in multiplicatione, ut vidimus *diſp.* 7. *de Attrib. ſec.* 11. Tandem circa ea concreta ſubſtantiva Theologica, *Deus*, *homo*, *Perſona ſuppoſitum*, in Deo, & in Chriſto, quorum noſtra intereſt in præſenti, placet mihi quod docent Bernal, & Coninc, quibuſcum loquitur Lumbier *quæſt.* 16. *art.*

Athan. tom. 1. *Diſp.* 7. *Lumb.*

Digitized by Google

*art.*11. ſcilicet utramque partem ſignificare in recto, & multiplicari ad multiplicationem expreſſioris ſignificati. At in purè creatis placet magis quod docet Arriaga *tom* 1. *diſp.*54. concreta, *Homo*, *Perſona*, *ſuppoſitum*, & ſimilia, omnia dicere in recto naturam, & in obliquo ſubſiſtentiam, quæ ſcilicet eſt modus, vel forma adiacens naturæ, & ſubiectata in natura, non minùs, quàm albedo, & alia accidentia in ſuo ſubiecto: ideoque, tàm quo ad multiplicationem, quàm quo ad prædicationem ſequuntur morem adiectivorum, potiùs quàm ſimilium ſubſtantivorum in Deo, & in Chriſto, ubi perſonalitas non eſt adiacens ſubiecto, ſed tàm per ſe ſtans, ac ipſa natura. Hinc ſunt veræ in nobis: *Perſona eſt homo*: *homo eſt ſuppoſitum*, & è converſo: quia quod in recto ſignificatur per tria hæc nomina idem eſt, nempe natura, conſignificando ſubſiſtentiam creatam in obliquo.

Arriag.

102 Iam vero circa verificationem in Chriſto earum propoſitionum, quarum eſt præſens negotium: *Deus eſt homo*: *homo eſt Deus*; iuxta doctrinam traditam ingraveſcit ratio dubitandi. Si enim, *Deus*, ſignificat in recto Deitatem, & Perſonalitatem; & *Homo*, in Chriſto humanitatem, & Perſonalitatem; non verè diceretur, *Deus eſt homo*: imò foret abſolutè falſum: ſicut abſolutè falſum eſt: *Deitas, & Perſonalitas eſt humanitas, & Perſonalitas*: nam recta eorum terminorum deberent eſſe idem, ut termini *Deus*, & *Homo* verè prædicarentur inter ſe, ut conſtat ex dictis, & per exempla omnium concretorum. Nec eſt recurſus ad identitatem expreſſioris ſignificati: nam hoc per terminum *Deus*, eſt Deitas; & per terminum, *homo*, eſt humanitas: quæ non identificantur, ſed diſtinguntur inter ſe.

103 Hoc opus, hic labor eſt. Pro quo, & pro inferiùs dicendis circa idiomata extraeſſentialia, ob oculos habendæ ſunt duæ regulæ oportuniſſimæ. Prima, ex Iuriſperitis, quòd *Voces accipere debemus vti nummos iuxta communem valorem, & æſtimationem*: ſcilicet nos præſertim in punctis dogmaticis iuxta inſtitutionem, & uſum Eccleſiæ, & Theologorum. Secunda ex Dialecticis, quòd *eatenùs ſupponunt ſubiecta, quatenùs permittuntur à prædicatis, & è contra*. Sic quamvis vox, *Deus*, abſolutè & ſeorſim ſignificet Deum; tamen in hac propoſitione *Deus eſt nomen*; non ſignificat Deum, ſed ſe ipſam: quia non aliter permittitur á prædicato talis propoſitionis; quamvis nomen, *Tullius*, ſic abſolutè ſignificet Tullium; tamen in hac propoſitione: *legi Tullium*; non ſignificat Tullium, ſed librum: quia non aliter permittitur à ſubiecto talis propoſitionis. Quibus præiactis fundamentis.

Auguſt.
Bernal.

104 P. Doctor Auguſtinus, Bernal, & Magiſter Lumbier aiunt, non obſtante eorum doctrinâ expoſitâ *num.*100. verè in Chriſto dici: *Deus eſt homo*, & è converſo: quia, quamvis terminus, *Homo*, ſecundum ſe ſignificet in recto Perſonalitatem, & Deitatem, ſignificat interdum in prædicatione more concreti adiectivi Perſonalitatem habentem humanitatem cõſignificando illã in obliquo; eo quòd in Chriſto Perſonalitati divinæ completæ, & per ſe ſtanti advenerit quaſi accidens logicum humanitas. Cùm autem Deus veriſſimè ſit in Chriſto Perſonalitas habens humanitatem ſibi unitam; & perſonalitas habens humanitatem ſibi unitam ſit Deus; indè planè eſt, quòd veriſſimè *Deus eſt homo*: & *homo eſt Deus*. Nec mirum, inquiunt, quòd in Myſterio, quod *novum fecit dominus ſuper terram*, coniungens creata divinis & ima ſummis; novus innotuerit modus prædicandi, & uſurpandi terminos, & nomina ad ſignificandam novitatem, quâ Deo æterno extraeſſentialiter advénit eſſe hominẽ, *quando Verbum caro factum eſt*. Quæ doctrina excipit etiam pro Chriſto eadem ratione prædictam uſurpationem adiectivam nominis *homo*: à regula generali, quam de omnibus eiuſmodi concretis etiam ſubſtantivis increatis dedimus *num.*101.

Lumb.
*Ierem.*31.
*Ioann.*1.

105 P. Coninc ait, veritatem earum propoſitionum ſalvari, tam ex parte rei ſignificatæ, quam ex parte modi ſignificandi. Ex parte rei; quia res, quæ ſignificatur in Chriſto, tam per nomen *Deus*, quàm per nomen, *Homo*; eadem eſt, nempè Deitas humanitas, & Perſonalitas: ſive conſtitutum quoddam perſonale ex illis. Ex parte modi; quia nomen *Deus* ſignificat in recto conſtitutum ex Deitate, & Perſonalitate, ſive etiam ex humanitate, ſive non: & nomen, *homo*, conſtitutum, ex humanitate, & Perſonalitate, ſive ſit etiam ex Deitate, ſive nõ. Cùm autem in Chriſto ſit conſtitutum ex Deitate, & Perſonalitate, quod etiam eſt ex humanitate, aptum ſignificari nomine, *Deus*: ſitque etiam conſtitutum, ex humanitate, & perſonalitate, quod etiam eſt ex Deitate, aptum ſignificari nomine *homo*; inde eſt quòd benè, ac verè dicitur: *Deus eſt homo*: *Homo eſt Deus*. Quaſi nimirum ſit dicere: *Suppoſitum, quod eſt homo, eſt ſuppoſitum, quod eſt Deus*: *Suppoſitum, quod eſt Deus, eſt ſuppoſitum, quod eſt homo*: quod in Chriſto planè verum eſt: ampliando nomen ſuppoſiti, quod eſt Deus, ad ſuppoſitum, quod poſt Incarnationem ſuppoſitat etiam humanitatem; & ſuppoſitum, quod eſt homo, ad ſuppoſitum, quod ultra naturam humanam, & Perſonalitatem dicit etiam naturam divinam in unitatem ſuppoſiti: ſic enim verè unum eſt ſuppoſitum Homo, & Deus, nempe ſuppoſitum Verbi, poſtquam homo factum eſt. Si dicas: nominá, *Deus*, & *Homo*, nequ

*Coninc. diſp.*18.

mu:

mutarunt ſignificationes: ſed antè non ſignificabant conſtitutum, ſeu ſuppoſitum ex Deitate, humanitate, & Perſonalitate: ergo nec poſt Incarnationem. Reſpondetur, non mutaſſe ſignificationem formalem, ſeu modum ſignificandi; ſed mutatum illis fuiſſe ſignificatum obiectivum: non mutatione, quæ illud ſubtrahat à ſignificatione formali; ſed, quâ remanere aptè poſſit ſub eadem ſignificatione formali, utpotè abſtrahente ex modo ſuo formali ſignificandi à tali mutatione ſignificati obiectivi. Exemplum eſt clarum in hac voce, *album*, ex modo ſuo formali ſignificandi comprehendente ſub ſe omnes parietes albos: quòdſi aliqui nunc de novo dealbarentur, de novo ſub illa comprehenderentur: factâ ſcilicet mutatione in ſignificato materiali; non in modo formali ſignificandi, utpotè comprehendente ſub ſe omnia alba, atque etiam dulcia, ſi forte fiant alba, quia modus ille formalis ſignificandi abſtrahit ab hac materiali mutatione, dummodo mutatio non extrahat rem à formali vocis ſignificatione. Hinc in forma, ſic explicatâ maiori cum diſtinctione accommodâ; diſtinguo minorem: ante non id ſignificabant, abſtrahendo ab eo conſtituto, alias aptè comprehendi ſub ſuo formali modo ſignificandi, concedo: excludendo id à ſuo ſignificato, nego minorem, & conſequentiâ: quia hoc eodem modo formali ſignificant poſtea, quamvis mutatio facta ſit in ſignificato, in quo de novo verificatur illa ſignificatio ſic etiã eadem eſt formalis ſignificatio huius propoſitionis: *aliquis homo currit*: ſive nunc verificetur in ſolo Petro currente, ſive mox in ſolo Paulo.

106 Utrolibet ex is duobus modis, quorum poſterior videtur exactior, prior autem expeditior, ſtatutâ ſatis veritate earum propoſitionum, *Deus eſt homo*, *Homo eſt Deus*, pro communicatione idiomatum intraeſſentiali; venimus ad extraeſſentiales: *Deus eſt mortuus*: *Homo eſt omnipotens*: & his ſimiles, quas propoſuimus *num. 94.* appropriantes Deo quæ ſunt hominis, & homini quæ ſunt Dei. Fundatur iſtarũ extraeſſentialium veritas in veritate illius intraeſſentialis: quatenùs nempe eo ipſo, quòd in Chriſto vere dicatur, *Deus eſt homo*, *Homo eſt Deus*; conſequenter idioma, ſeu proprietas Dei, ſuum ſequens principale, veré dicetur de Homine, qui eſt Deus; & proprietas hominis de Deo, qui eſt homo, terminis aptè, & ſine inconvenienti uſurpatis iuxta canones ſtatim adnotandos. Cùm enim in Chriſto Deus ſit abſolutè homo, & homo abſolutè, & non metaphoricè, ſit mortuus; Deus quoque dicendus eſt abſolutè mortuus, ſcilicet in natura humana ſui ſuppoſiti: & è converſò, cùm in Chriſto Homo ſit veré Deus, & Deus ſit abſolutè omnipotens, Homo quoque dicendus eſt abſolutè omnipotens, ſcilicet in Natura divina eiuſdem ſui ſuppoſiti. Quæ licet vera ſint, pro rectâ tamen, & uberiori intelligentiâ utiliſſimæ veritatis, præter duas regulas prænotatas *num. 103.* alij quinque canones ſeduló notandi ſunt, & iuxta illos ad Theologicam trutinam dignoſcendæ, admittendæ, vel reijciendæ variæ loquutiones idiomaticæ, occurrentes in hac materia, aliòquin lubricâ.

107 Canon primus. Communicatio idiomatum non admittitur per nomina abſtracta Perſonalitatis, ſeu Naturarum Chriſti; ſed per concreta ſignificantia ſuppoſitum: ut: *Homo eſt Deus*: *Homo eſt Omnipotens*: *Deus eſt Homo*: *Deus eſt natus, paſſus, mortuus*. Unde ſicut non niſi falsò diceretur: *humanitas eſt Deitas*: *humanitas eſt Perſonalitas*; ſimiliter non niſi falsò dici poteſt: *Humanitas eſt Omnipotens*: *Deitas eſt nata, paſſa, mortua*: *Perſonalitas Verbi crucifixa*. Quia hoc eſſet cõfundere Naturas, & potiùs deſtruere, quàm cõmunicare earũ proprietates: nempe per mortem Deitatis, eius immortalitatem; per omnipotentiam humanitatis eius limitationem. Sic neque dicitur abſtractè *albedo eſt dulcedo*: nec, *dulcedo eſt ſubiectum albedinis*: aut, *eſt album*: ſed utrinque concretè, *album eſt dulce*, in lacte, & ſaccharo nimirum. Quid de iſta, *Deitas eſt homo?* Si ſumatur, *homo*, ut concretum ſubſtantivum ſignificans in recto humanitatem, & Perſonalitatem, certum eſt non poſſe veré dici; quia Deitas non eſt Perſonalitas, & humanitas. Si autem ſumatur *homo* adiectivè pro Perſonalitate habente humanitatem iuxta doctrinam P. Bernal permiſſam *num. 105.* videtur poſſe dici: quia revera Deitas eſt realiter Perſonalitas habens humanitatem. Verumtamen, quidquid de hoc ſit, non eſt admittenda illa loquutio: *Deitas eſt homo*: utpote inuſitata, & abſona, ut bene ait Lumbier, quamvis capax ſit prædictæ explicationis non ineptæ. Nec quod habet veri iuxta eam explicationem, habet tàm per regulas Theologicas communicationis idiomatum, quàm ratione peculiari identitatis realis Deitatis cum Perſonalitate Verbi.

108 Secundus. Nec admittitur in ſenſu reduplicante ſupra Naturam, cui appropriantur idiomata alterius Naturæ, ſic: *Deus ut Deus eſt homo*: *Deus in quantum Deus eſt paſſus*: *Chriſtus ut homo eſt omnipotens*: *Homo ſecundum humanitatem eſt Creator*. Quia, cùm eiuſmodi reduplicationes cadant, aut ſupra Deitatem, aut ſupra humanitatem, faciunt quaſi degenerare nomina illa concreta, *Deus*, & *Homo*, in abſtracta, *Deitas*, & *Humanitas*: eſſetque cõfundere Naturas in Chriſto. Sic falsũ eſt reduplicativè: *album, ut album eſt dulce*; quamvis ſpecificativè ſit verum: *album eſt dulce*: quia

hæc

hæc loquutio ſpecificativa ſignificat identitatẽ ſubiecti habentis albedinẽ cũ ſubiecto habẽte dulcedinem; illa verò reduplicativa ſignificat identitatem albedinis cum dulcedine ex uſu Dialecticorum.

109 Tertius. Nec admittitur, ſi prædicatum, quód eſſet alioquin proprietas naturæ, repugnat naturæ pro ſtatu Unionis Hypoſtaticæ. Hinc, quamvis verè dicantur: *Deus eſt mortalis, & mortuus: Homo eſt Deus*; non verò *Deus eſt peccabilis: Homo eſt tantum Deus.* Quia mori convenire potuit humanitati pro ſtatu etiam unionis; peccare, non pro tali ſtatu: quód homo ſit Deus, non negat eſſe hominem; quod ſit tantùm Deus, repugnat pro ſtatu, quo homo eſt.

110 Quartus. Nec admittitur, ſi loquutio periculoſé coincidit in voces Hæreticorum ſimiliter loquentium in ſenſu pravo. Unde, quia Ariani dicebant Verbum eſſe creaturam, id tribuentes Verbo ratione ſui in propriâ Naturâ, & non per communicationem idiomatum; ideo abſolutè recuſanda nobis eſt ea loquutio: *Verbum eſt creatura*: quidquid de iſta: *Chriſtus eſt creatura*: dicat Bernal *diſp.* 45. Et iſtæ: *Verbum eſt limitatum: Deus eſt imperfectus*: quia videri poſſent hæreticales loquutiones: quamvis alioquin per idiomatum communicationem viderentur admittẽdæ. Quòd ſi Nazianzenus, Nyſſenus, & Damaſcenus apud Vaſquez, & Martinum Perez aliquas illarum interdum uſurpant, eſt in circunſtantijs, quæ ſatis explicant loquutos de Deo, aut de Chriſto, ut homine, & ſecundum humanitatem. Sic etiam Hieron. ait non eſſe periculum, *eum dicere creaturam, quem vermem & hominem, & crucifixum tota ſpei noſtræ fiducia confitetur*: & S. Leo: *ſi homo in ſuo honore manſiſſet, Creator mundi creatura non fieret*: & S.P.N. Ignatius: *Creatorem dignatum eſſe fieri creaturam.* Similiter, quamvis alioquin per communicationem poſſet & deberet dici: *Chriſtus eſt immẽſus*; ſicut: *eſt omnipotens: Hic homo eſt ubique*; id recuſatur propter Hæreticos Ubiquiſtas, ſic vocatos quia, & Humanitatem dicebant eſſe ubique, & immenſam: ne vel loquutionem proteſtativam talis erroris uſurpemus: niſi expreſſo addito: *ſecundum divinitatem*, ſive *ut Deus*. At quid de iſtis? *Chriſtus incœpit eſſe: Deus incœpit: hic homo eſt æternus, immortalis?* Reſpondet Bernal. primam eſſe veram, & uſitatam: ſecundam cavendam eſſe; quia abſolutè non ſonat, Deum incœpiſſe eſſe hominem; ſed incœpiſſe exiſtere: tertiam eſſe veram, & uſitatã: ſicut iſtæ: *Deus eſt mortalis: & temporalis*: ſcilicet in Chriſto, qui dicitur mortalis, & immortalis, temporalis, & æternus, ſecundum diverſas ſuas Naturas. Nota, admitti hanc: *Deus factus eſt homo*; non verò hanc: *homo factus eſt Deus*: quia ſonat errorem Eutychis de homine præexiſtenti, qui poſtea factus eſſet Deus. Quodſi aliqui Patres eam uſurpant intelligunt, quòd homo conſtitutus eſt ſimul Deus, & homo.

Bernal. *Mart. Perez. Diſp. 40 ſec. 3.* *Hieron. ad 2. Epheſ.* *S. Leo ſec. 3. Pent.* *S. Ign. in 1. Exercit.* *Bernal.*

111 Quintus. Nec admittitur per communicationem loquutio exotica, & inuſitata. Unde, quamvis valeat communicatio idiomatum inter Naturas adæquatas divinam, & humanam; non ſic inter Naturam divinam, & partes ſeorſim naturæ humanæ. Itaque, quamvis apté dicatur: *Deus eſt homo*: inepté diceretur: *Deus eſt anima: anima eſt Deus.* Et ratio eſſe poteſt: quia, quamvis anima ſit unita ſuppoſito divino, non eſt capax eſſendi ſuppoſitum adhuc in nobis per ſuppoſitalitatem propriam humanitatis: cùm ſit ſubſtantia incompleta eſſentialiter ordinata ad componendum: communicatio autem idiomatum non admittitur niſi per terminos concretos ſignificantes utrinque ſuppoſitum. Ob ſimilẽ rationem iuxta P. Suarez nec apté dicitur: *Deus eſt ſanguis: Deus eſt effuſus: Deus eſt cadaver: Deus eſt brachium*: quia nullus iſtorum prædicatorum ſignificat naturam completam, & integram, capacem ſubſiſtendi, aut eſſendi ſuppoſitum. De quibus iterùm *diſp. 3. ſectione 8. & 4.* *Suar.*

112 Quid tandem de iſta loquutione: *Deus eſt corpus?* Reſpondeo, eſſe æquivocam atque adeó explicandam: imò, & cavendam, ſi vigeret error antiquus, qui Deum aiebat eſſe ſubſtantiam materialem, non ſpiritualem. Hoc autem relicto, adhuc *corpus* dupliciter ſumitur. Uno modo, prædicamentaliter, ut ponitur à Philoſopho in prædicamento, pro ſubſtantia corporea completa, qualis eſt homo, Leo, arbor, lapis: & hoc modo loquutio illa eſt vera, ſicut iſtæ in Chriſto: *Deus eſt homo: corporeus: quãtus: materialis: animal rationale.* Alio modo phyſicè, & organicè pro parte phyſica animalis diſtincta ab anima: quo nomine veniunt oſſa, caro, & organica membrorum ſtructura; & hoc modo eſt falſa, *Deus eſt corpus*: ſicut illa: *Deus eſt anima*: propter eamdem rationem: quia nempe ſubſtantia incompleta eſt, & incapax eſſendi ſuppoſitũ, ut nuper dicebamus de anima. *Infra Diſ. 3.*

113 Dices. Si in hoc etiam poſteriori ſenſu non eſſet vera: *Deus eſt corpus*; non eſſet vera: *Deus eſt ſepultus*: ſed hæc admittitur ut vera: ergo & illa. Similiter argui poſſet pro Anima ex verâ loquutione: *Deus deſcendit ad inferos.* Reſpondetur tamen ad utrumque diſtinguendo maiorem: non eſſet vera *Deus eſt ſepultus*, in ſenſu proprio, concedo: tropicé, nego maiorem. Et ſub eadem diſtinctione dico ad minorem, eas propoſitiones, *Deus eſt ſepultus: Deus deſcendit ad inferos*, ſolum eſſe ve-

ras

tas tropicè, & per Synechdochen, ſumendo partem pro toto. Nec mirum: quia neque homo aut in Chriſto, aut in nobis, dicitur proprié ſepultus, nec Chriſtus deſcendiſſe ad inferos; ſed per Synecdochen ſumptâ parte pro toto: quatenus nempè corpus eſt ſepultum, & anima deſcendit ad inferos. Ad eum nempe modum, quo dicitur nunc per Synechdochen, & non aliter, quòd Sanctus Petrus eſt in Cœlo quia eius anima eſt in Cœlo, ut adverſit S. Tho. *qu* 50. *art.* 4. Quo etiam modo dicitur etiam Deus *incarnatus*: &, *Verbum caro factum*: ſumendo carnem pro totâ humanitate: ſicut interdum anima pro toto homine, dicente Scripturâ: *octo animæ ſalvæ factæ ſunt*, pro octo hominibus ſalvis à diluvio in arcâ Noemi.

S. Tho.

1. Petr. 3.

SECTIO VIII.

Quid tandem de iſta propoſitione: Chriſtus, ut homo, eſt Perſona.

114 RESTÈ obſervat ex S. Thoma Cardinalis de Lugo *diſp. 23. ſect. 6.* atque iterum *diſp. 31.* reduplicationem illam, *ut homo*, in Chriſto, ſeu, *in quantum homo*, interdùm cadere ſupra abſtractum humanitatis contradiſtinctim à Naturâ, & à Perſonalitate divinâ, ut cum dicimus: *Chriſtus, ut homo, moritur*: id eſt, ratione humanitatis. Interdum verò cadere ſupra concretum conſtitutum ex humanitate, & Perſonalitate Chriſti contradiſtinctim à Naturâ divinâ, ut cum dicimus: *Chriſtus, ut homo, eſt Filius naturalis Dei*: cùm certum ſit non eſſe talem ratione humanitatis, ut exponemus *diſp.* 8. In hoc ergo poſteriori ſenſu aptiſſimo agitur, an Chriſtus, *ut homo*, ſit Perſona: nam in illo priori certum eſt, quòd non, ſicut certum eſt, ex parte humanitatis non eſſe in Chriſto rationem formalem ſubſiſtentiæ.

S. Thom. Lug.

Infra diſp. 8.

115 Negat impensè P. Doctor Tyrſus Gonzalez *tom. 3. Select. diſp. 28. ſect. 2.* abſolutè veram eſſe prædictam propoſitionem: *Chriſtus, ut homo, eſt perſona*. Eſſe tamen veram, veriſſimum eſſe, cenſent communiter Theologi cum S. Thom. *quæſt. 16. art.* 1. ibique Suar. *in Comment.* & ibidem Vaſquez *diſp. 69.* ita aſſeveranter, ut dicat *nu.* 7. hanc propoſitionem: *Chriſtus in quantum homo eſt perſona*, in nullo ſenſu, quem verba propriè reddere poſſunt, eſſe falſam, nec poſſe negari. Sic etiam Delugo *diſp. 23. ſect. 6.* & alij ferè omnes. Quódſi veteres aliqui illam negarunt, explicabant ſe in ſenſu, quem propoſitio abſolutè prolata non reddit: reduplicando ſcilicet ſupra abſtractum humanitatis, quaſi ſupra formam conſtitutivam Perſonæ: quo ſenſu alieno à præſenti quæſtione, nec Petrus, *ut homo*, eſt perſona. Probari poſſet communis noſtra ſententia ex eo quód non aliter poſſet eſſe verum, quód Chriſtus, ut homo, eſt Filius naturalis Dei. De hoc tamen *diſp. 8.*

Thyrſ.

S. Thom. Suar. Vaſq.

Lug.

Infra diſp. 8.

116 Probatur nunc aliter. Chriſtus, *ut homo*, eſt aliquid per ſe ſubſiſtens, & incommunicabile; eâ ſcilicet incommunicabilitate, quæ propria ſuppoſitorum eſt: eſt enim concretum ſubſtantiale non ordinatum ad ulteriorem compoſitionem, ſeu conſtitutionem ſubſtantialem: ergo Chriſtus, *ut homo*, eſt ſuppoſitum: cum autem, *ut homo*, rationalis ſit, ſequitur, quod Chriſtus, *ut homo*, ſit perſona.

117 Reſpondet P. Thyrſus *num. 16.* diſtinguendo antecedens: Chriſtus ut homo eſt aliquid per ſe ſubſiſtens ratione Verbi ſuppoſitantis naturam humanam, concedit; ratione naturæ humanæ, negat. Quia inquit, cum Chriſtus, *quatenus homo*, reduplicer ſupra naturam humanam, quæ in Chriſto non eſt exiſtens per ſe, ſed in alio digniori, nempe in Verbo; *quatenus homo* non eſt perſona. Reſpondet ſecundò *num.* 17. diſtinguendo aliter: Chriſtus, *ut homo*, eſt per ſe ſubſiſtens, & incommunicabile, exprimens minorem perfectionem, quam aliquod ex ſuis conſtitutivis ſecundum ſe ſumptum, concedit; aliter, negat. Quia, inquit, hoc ipſo quód Chriſtus, *quatenus homo*, minorem exprimat perfectionem, quám Verbum, exiſtit in Verbo, tanquam in ſuppoſito: ac proinde ſub illâ reduplicatione non eſt ſuppoſitum: nam eſſe ſuppoſitum, & eſſe in alio tanquam in ſuppoſito, ſunt implicantes termini. Reſpondet tertió, diſtinguens aliter: Chriſtus, *ut homo*, eſt aliquid ſubſiſtens in Verbo tanquam in ſuppoſito, concedit; eſt ſubſiſtens ſimpliciter in ſe, & tanquam ſuppoſitum ſuorum conſtitutivorum, negat: quia, inquit, Chriſtus *ut homo*, non eſt ſuppoſitum Verbi, ſeu id, cui tribuantur operationes Verbo, ut Verbum, eſt, cúm *quatenus homo*, ſit minor Verbo.

Thyrſ.

118 Cæterúm, ut verum fatear, prima reſponſio nihil nobis negat, quod omnes non negemus, & quæſtionem extrahit à ſenſu, in quo diſputamus. Nam diſputamus de Chriſto, ut homine; non quidem reduplicando abſtractè ſupra humanitatem: in quo ſenſu alieniſſimo, ut iam ſuppoſuimus, nec Chriſtus, *ut homo*, eſt Deus; nec, *ut homo* eſt Filius Dei; nec *ut homo* eſt ſuppoſitum: quia nihil horum habet ratione abſtracti naturæ humanæ, tanquam formæ, vel quaſi formæ earum denominationum: ſed reduplicando concretè ſupra conſtitutum ex humanitate, & perſonalitate Verbi, præciſim à naturâ Divinâ: in quo ſenſu non procedit prima reſponſio: ideoque videtur extra rem.

119 Secunda reſponſio videtur infirmari nam Chriſtus, *ut homo*, reduplicando concretè, uti par eſt, ſupra conſtitutum ex humanitate, & Perſonalitate, quâ de facto ſuppoſitatur; quam

vis

vis ex uno extremo, quod est humanitas, exprimat minorem perfectionem, scilicet naturam creatam; at ex alio extremo, quod est Personalitas Verbi, ac per consequens ex toto constituto talium extremorum, tantam perfectionem exprimit quantam dicit Verbum, totaque Deus, ut statuimus *d. 3. de Attrib. sec. 7. & 11.* Deinde, quamvis verum sit quòd Christus, *ut homo*, existat in Verbo, tanquam in supposito; at non tanquam in supposito alio à Christo, ut homine; sed tanquam in supposito ipso proprio Christi, ut hominis, factâ, ut per est, reduplicatione concretè. Sic ergo Christus, *ut homo*, non est in alio, tanquam in supposito, cum non sit in supposito, quod sit aliud à Christo, ut homine; sed in supposito ipsius Christi, quod est suppositum Verbi. In hoc autem nullos video implicantes terminos; sed cohærentissimos sibi, & veritati iuxta quam illa nostra propositio, *Christus ut homo est subsistens*, nec negari, nec in dubium revocari posse videtur.

Tom. 1. disp. 3.

120 Tertia responsio videtur iterum velle confundere modos reduplicandi, deflectêdo ad sensum alienum à quæstione. Verissimum est, Christum, ut hominem, esse aliquid subsistentes in Verbo, tanquam in supposito: non enim aliter subsistit, aut supponitur, aut personatur, nisi per subsistentiam, per suppositum, seu per Personalitatem Verbi, ut est certissimum, cùm sit de Fide, ibi non esse subsistentiam, suppositum, aut personalitatem creatam. Nego tamen, quòd propterea non subsistat in se: & securius nego, quòd Christus, ut *homo*, non sit suppositum Verbi: factâ scilicet, ut monuimus, reduplicatione, non supra solam humanitatem abstractè, sed concretè supra constitutum ex humanitate, & Personalitate Verbi: quod quidem constitutum est, præter humanitatem, ipsum suppositum Verbi, & non quid minus Verbo. Quando autem dicitur Christus, *ut homo*, minor Verbo, reduplicatur aliter supra abstractum humanitatis, ut dicemus *disput.* 10.

Infra disp. 10.

121 Ex ijs manet inconcussa, & meo videri innegabilis propositio à nobis assumpta, *nu. 117.* Quòd nempè *Christus, ut homo, est aliquid per se subsistens*. Cum autem, *ut homo*, non sit subsistens, nisi Personalitate Verbi; fit liquidó quód Christus, *ut homo*, concretè, ut è re est, reduplicando, est Persona Verbi: atque adeo absolutissimè, *ut homo, est persona.*

Thyrs.

122 Objicit multa doctissimé citatus Auctor. Primò: quia Christus, *ut homo*, reduplicativè concretè, vel dicit in recto Verbum, & & humanitatem: vel saltem in recto Verbum, & in obliquo humanitatem, significans complexum illud in tempore resultans ex Personalitate Verbi, & ex humanitate. Atqui sub hac consideratione Christus, *ut homo*, non est suppositum: ergo, *ut homo*, non est Persona. Probatur minor: quamvis enim Verbum, adhuc dum terminat humanitatem, sit suppositum & persona; at non est Persona, & suppositum, quatenus terminat humanitatem, ita ut denominatio suppositi, & personæ cadat supra cõplexum: ergo sub ea consideratione Christus, *ut homo*, non est suppositum. Probatur antecedens: quia sub ea consideratione illud non est suppositum, cùm sit aliquid contingens, & incipiens in tempore: in Christo autem non datur suppositum contingens: alioquin daretur contra Fidem duplex suppositum; alterum necessarium, nempè Verbum; alterum contingens, nempé illud complexum in vi complexi.

123 Secundó. Quia sic videtur colligi ex 5. Synodo, *Anathematismo 5.* ibi: *Si quis non confitetur, Dei Verbum carni substantialiter uniri; & propterea, unam eius substantiam, vel personam; & ita Sanctam Calcedonensem Synodum unam subsistentiam D. N. Iesu Christi confiteri anathema sit. Neque enim adiectionem subsistentiæ, vel Personæ Sanctæ Trinitas suscepit ex incarnato uno de eadem Trinitate Dei Verbo.* Si autem Christus, *ut homo*, esset persona, suscepisset Trinitas *adiectionem Personæ*: nam ex Incarnatione suscepit adiectionem naturæ humanæ, quando Deus factus est homo. Si ergo ratio hominis resultans ex Incarnatione, quatenus talis, est persona; facta fuisset Deo adiectio personæ, cum facta fuit Deo adiectio hominis.

Synod. 5.

124 Tertiò. Quia, cùm in illo complexo intret Verbi Personalitas, quasi pars; si cõplexum illud in vi complexi esset suppositum, Verbum existeret in aliquo creato, ut in supposito. Hoc autem repugnat: nam operationes ortæ á parte, vel quasi parte existente in toto, ut in supposito, tribuuntur illi toti, ut principio *quod*. Unde, cùm oriatur à Verbo Spiritus Sanctus, oriretur ab aliquo creato, ut creatum est: nempé ab illo complexo Christi, ut hominis in vi complexi, quod, ut tale, creatum est, & verè in tempore factum, quando Deus homo factus est.

125 Quartò. Quia humanitas in Christo, neque est persona, neque constituit personam: ergo Christus, *ut homo*, non est persona: ad hoc enim deberet humanitas saltem cõstituere Personam: sicut ad hoc ut Christus, *ut homo*, sit minor Patre, passibilis, & mortalis; debet humanitas esse minor Patre, passibilis, & mortalis, aut saltem eam minoritatem, passibilitatem, & mortalitatem constituere. Antecedens quoad primam partem est certum: nam, cùm humanitas sit creata, si humanitas esset persona, esset persona creata. Quoad se-

cundam verò partem probatur: quia si humanitas in Christo constitueret personam, constitueret contra Fidem, personam creatam: increatam enim nequit constituere.

Ioan. 14. 126 Quintò. Quia Christus, *ut homo*, est minor Patre, juxta illud: *Pater maior me est*: ergo est minor Verbo secundum se: ergo Verbum non existit in Christo, ut homine, tanquam in supposito, quod sit Christus, *ut homo*; sed tanquam suppositum Christi, *ut hominis*: ergo, quia Christus, *ut homo*, non est suppositum, ac proinde nec Persona. Probatur prima consequentia: quia suppositum est id, quod est perfectissimum in concreto substantivo.

127 Sextò. Quia terminus totalis unionis hypostaticæ per illam resultans, est quid factum in tempore per veram actionem, ac proinde
Suar. quid creatum, ut habet P. Suar. *disp. 7. de Incarn. sec. 5.* sed terminus unionis hypostaticæ est Christus, *ut homo*: ergo Christus, *ut homo*, est quid factum per generationem temporalem Matris, ac proinde quid creatum. Si igitur Christus, *ut homo*, esset suppositum, esset suppositum creatum, contra Fidem: ergo Christus, *ut homo*, non est suppositum, nec persona. Huc, si pro tenuitate meâ benè percepi, reducuntur momenta supra laudati Scriptoris: quibus oportet cumulatè responderi pro gravitate rei, aut saltem modi loquendi concernentis Fidei dogmata in hac materia.

128 Respondetur ad primum, admisâ majori sub utralibet disiunctionis parte, negando minorem. Ad probationem, negatur antecedens. Ad cuius probationem dico, illud complexum sub ea consideratione esse suppositum: non utcumque, sed suppositum homo: quod contingens est, & incepit in tempore: non, inquam incæpit esse suppositum; sed hoc ipsum suppositum incepit esse homo, & esse suppositum homo. Ex quo non sequuntur duo suppositа in Christo, unum necessarium, & aliud cõtingens: nam illud ipsum suppositum Verbi necessarium, est suppositum Christi, ut hominis; cui contingenter advenit in tempore, non quidem esse suppositum, neque esse hoc suppositum; sed, quòd hoc ipsum suppositum fuerit homo, & quòd complexum ex Personalitate Verbi, & humanitate fuerit suppositum: non aliud; sed illud ipsum suppositum, quod antea non erat homo, & postea fuit homo. Eiusmodi autem contingentia innegabilis, nec opponitur necessitati divini suppositi, nec arguit alietatem divini suppositi à supposito, quod dicit Christus, *ut homo*; adhuc in vi cõplexi; sed alietatem naturæ de novo assumptæ, à supposito divino. Quemadmodum adhuc in vi complexi Deitatis, & Paternitatis realiter distinctæ à Filio, nequit dici Pater alius Deus à Filio.

129 Ad secundum, duo certa sunt. Primum, sensum Conciliorum esse sine dubio, contra Nestorium, ex susceptione, seu assumptione humanitatis non resultare in Christo duas personas, sive duo suppositа: cùm enim una sit in Christo Personalitas, unà suppositalitas, una subsistentia infinita, per se stans; una est Persona, & unum suppositum, non obstante distinctione naturarum: sicut è diverso, non obstante distinctione Personarum, unus est in Trinitate Deus, quia una est Deitas, ut explicuimus *sec. 1. & 7.* Secundum, negari non posse à Conciliis, ex Incarnatione advenisse Deo esse hominem per adiectionem naturæ humanæ ad Personam Divinam in unitatem suppositi. Ex quibus ad rationem nobis oppositam ex verbis Concilij, nego minorem subsumptam. Ad probationem, concesso antecedente, nego consequentiam: Quamvis enim ratio hominis inde resultans, quatenus talis, sit persona, non fit adiectio personæ, sed adiectio humanitatis ad Personam: sicque Persona illa facta est homo, cum Deus homo factus est: sicque intelligendum est, & non aliter, quòd facta fuit adiectio hominis: non quòd adiectum fuerit Deo totum, quod dicit in Christo, *homo*; sed quòd adiecta fuerit humanitas, ex qua adiectâ Personalitati Verbi de novo Deus factus est homo.

130 Ad tertium, distinguendum est: Verbum existeret in aliquo purè creato, ut in supposito non divino, nego: existeret in aliquo constituto ex creato, & increato tanquam in supposito increato, quod est ipsum suppositum Verbi, concedo. Hoc autem modo nego, id repugnare. Ad probationem huius repugnantiæ, nego perinde dici debere, aut posse, quòd Spiritus Sanctus oriretur ab aliquo creato, ut creatum est; imò nec specificativè ab aliquo creato, ré Arianismo, adhuc in modo loquẽdi, saveamus: quia actiones, seu operationes partium eatenùs tribuuntur toti, ut principio *quod*, quatenùs tribuuntur supposito, & dicuntur esse suppositorum. Suppositum autem Christi, & Christi, *ut hominis*, est suppositum increatum; & quamvis in Christo accedat illi humanitas creata, accedit in unitatem suppositi increati, cùm non sit ibi aliud suppositum, nisi increatum. Unde dici nequit per eam regulam principij *quod*, Spiritum Sanctum oriri ab aliquo creato: quia esset oriri à supposito creato, quod in Christo non datur. Quod autem illud suppositum increatum, constitutum in Christo in ratione hominis concretè ex humanitate, & ex personalitate Verbi, sit principium à quo oritur Spirit. Sanctus, nihil affert magis mirandũ, quàm quòd sit terminus per generationem æternam procedens à Patre, ut verè Filius naturalis, á quo, & à Patre procedit

dit Spiritus Sanctus. Nec obest, quòd complexum illud, sic constitutum ex personalitate, & humanitate, in vi complexi, sit quid creatum. Non enim est purè creatum; sed coalescens ex natura creata, & supposito increato: ratione cuius increati competit illi, ut Deo, & ut homini etiam concreté, esse principium, à quo procedit Spiritus Sanctus, sicut esse terminum procedentem à Patre, ut Filium naturalem Patris. Certè de Christo specificativè sumpto hæc omnia verificare debemus omnes, & habebit Arguens eamdem difficultatem, quam nobis opponit. Verè enim est Filius naturalis Dei, & principium à quo oritur Spiritus Sanctus; cùm tamen sit complexum ex Deo, & creatura.

131 Ad quartum, distinguo secundam partem antecedentis: humanitas in Christo nõ constituit Personam in ratione Personæ, utcumque, concedo: quia illa eadem persona erat iam constituta in ratione personæ ante humanitatem: non constituit personam illam eãdem in ratione personæ hominis, nego. Nec perinde constituit Personam creatam, cùm in Christo non detur persona creata; sed constituit Personam increatam, non in ratione personæ utcumque, sed in ratione personæ hominis, postquam Deus, qui non erat homo, factus est homo.

132 Ad quintum, distinguo antecedens, & consequens: Christus, *ut homo*, reduplicando supra abstractum humanitatis, est minor Patre, & Verbo, concedo: & sic capi debent loquutiones illæ sacræ, ut dicemus *disp.*10. reduplicando supra concretum hominis, sub qua reduplicatione disputamus, nego antecedens, & consequentiam. Nego deinde subillationem: utrolibet enim illo modo est Verbum in Christo, ut homine: scilicet, & tanquam suppositum Christi, ut hominis, quia suppositum Christi, ut hominis, non est aliud suppositum nisi suppositum Verbi: & tanquam in supposito Christi, ut hominis, quia existit in se ipso, quod est suppositum Christi, ut hominis. Existit ergo in Christo, ut homine, tanquam in supposito: non tanquam in supposito alio ab ipso supposito Verbi; sed tanquam in supposito, quod est ipsum suppositum Verbi assumentis sibi de novo humanitatem in unitatem sui suppositi: hoc autem est in se, seu in suo ipsius supposito existere. Nego autem absolutè ultimam consequentiam. Ad subiunctam probationem primæ, fatebor, suppositum debere esse quod est perfectissimum in concreto substantivo; & non omninò purum à minùs perfecto: ut cernere est in homine, ubi complexum ex anima perfectiori, & ex corpore minùs perfecto, sunt unitim unum suppositum.

Infra disp.10.

Suar. 133 Ad sextam, respondet P. Suar. concedendo antecedens. Notans tamen, dupliciter dici quid *creatum*: uno modo strictiùs quasi *ex nihilo* factum: & hoc modo Christus non est creatus, cùm non sit factus ex nihilo, sed ex Verbo increato præsupposito: alio modo latiùs pro eodem ac *factum*: & hoc modo Christus, & Christus *ut homo*, quid creatum est, hoc est factum in tempore: cùm ab æterno non extiterit Christus, *ut homo*. Sic autem concesso antecedente, & primâ consequentiâ, negat absolutè secundam: quia, *suppositum creatum*, sonat suppositalitatem, seu personalitatem, eo vocabulo expressam, creatam: sicut ob eandem rationem in Christo cum duplici natura, & una personalitate est una persona; quia personalitas expressiùs significata nomine personæ una est: & in Trinitate est triplex persona, & unus Deus; quia personalitas expressiùs significata nomine Personæ est triplex; & Deitas expressiùs significata nomine Dei, est una. Quòd faciunt quæ circa significationem, & multiplicationem, aut immultiplicationem eiusmodi concretorum diximus *sec.1. & 7.* quod etiam tetigi *disp.6. de Attrib. sec.ult.*

134 Non acquiescit huic responsioni P. Thyrsus, quam *à num.*8. impugnat. Primò: quia si Christus, *ut homo*, est Persona; vel est persona necessariò existens, & sic increata; vel contingenter existens, & sic creata; sed, *ut homo*, non est Persona necessariò existens, ac proinde non increata: ergo est persona contingenter existens, ac proinde creata. Secundò *num.11.* (præter missis alijs, quæ minùs labefactant responsionem Patris Suar. iuxta doctrinas à nobis allegatas de significatione, & multiplicatione concretorum *Suppositi*, & *Personæ*;) quia ex responsione Patris Suarez fit, hunc Hominem Deum esse Personam, quia est Persona divina subsistens in humanitate, taliter ut subiectum, supra quod cadit prædicatum personæ sit Verbum specificativè; non verò ita ut cadat supra complexum ex Verbo, & humanitate in vi complexi: sic enim de aliquo creato in Christo, quale est illud complexum, verè diceretur esse personam, ac proinde esse personam creatam. Hoc autem, quod dici nequit, deberet dici ad hoc, ut Christus, *ut homo*, sit Persona.

Tom.1. disp.6. Thyrs.

135 Sto tamen pro responsione Patris Suarez. Ad primam impugnationem, admitto priorem partem maioris, & nego minorem cum consequentia. Quia, quamvis Persona illa quæ est Christus, *ut homo*; non necessariò, sed contingenter sit homo; eâ scilicet contingentiâ, & accidentalitate logicâ, quâ Filius Dei *homo factus est*; necessariò tamen, & non contingenter est Persona, & quidem illa eadem Persona increata, & æterna, quæ in tempore facta est homo. Ad secundam, nego id sequi ex doctrina Patris Suarez, aut ex nostrâ: iuxta quam

ſtat ſemper, quòd hic Homo-Deus eſt Perſona: non ſolùm, quia eſt Perſona divina humanitatem ſuppoſitans, cadente prædicato Perſonæ ſupra ſolum Verbum; ſed cadente etiam ſupra complexum ex Verbo, & humanitate in vi complexi, ſupra quod reduplicat *Chriſtus, ut homo*. Nec ex eo, quòd hoc complexum ut tale, ſit creatum, ſcilicet, factum, ut explicuit Suarez, & ex eo quòd, ut tale, ſit Perſona, ſequitur, eſſe Perſonam creatam, aut factam, quamvis ſit facta homo, ob rationem, quam iam retulimus *num.* 133. Sicque nihil opus eſt dicere, quod dici ritè non poſſit, ac debeat, ad hoc, ut Chriſtus, *ut homo*, ſit verè, & abſolutiſſimè Perſona.

DISPUTATIO III.

DE TERMINIS INCARNATIONIS DE poſsibili.

1 HACTENUS de Terminis Incarnationis, prout de facto. Quoniam verò ad uberiorem eorum intelligentiam, multùm confert diſcuſſio multarum aſſumptionum, quæ iuxta alias rerum providentias potuerunt fieri à Deo; operæ pretium erit, de ijs ea diſputare, quæ lucem augere poſſunt præcedentibus cum utilitate doctrinæ.

SECTIO I.

An potuerit à Deo aſſumi humanitas retinens propriam ſubſiſtentiam ſeu perſonalitatem.

Suar. Vaſq. Lug. Amic. Aldret. Prud. Coninc. Hurt. Rayn. Godoy. Martin.

2 NEgant Suarez, Vaſquez, Delugo *diſp 12 ſect.6.* Amicus *diſp.15. ſect.4.* Aldrete *diſp.41.* Prudentius *tra.3.diſ.2. dub.6.* Coninc *diſp.1. dxb.5.* Gaſp. Hurtadus *diſp.4 dub.14.* Raynaudus, Godoy, Martinon, & graves alij Magiſtri.

Hurt. Perez. Lumb. Bernal. Suar.

3 Affirmant meliùs alij: Petrus Hurtad. *diſp.11 ſect 8.* Bernal. *diſp 24.* Martinus Perez *diſp 9 ſect 9.* Lumbier *quæſt.18.art.5.* quibus multi etiam ex RR. aſſentiuntur: nec omninò diſſentit P. Suarez, ſatis cenſens probabilem noſtram iſtam ſententiam affirmantem. Pro qua ſtandum eſſe videtur, dùm vel à ratione, vel ab Authoritate non probetur, vel ſaltem non timeatur certa repugnantia. Hanc poſitivè probare contendit Bernalicius tamen rationes ſolvit facilè P. Aldrete. Nobis ſufficiet ſolvere rationes repugnantiæ adduci ſolitas pro ſententiâ negativâ.

Supra Diſp.2.

4 Prima eſt à priori ex conceptu ſubſiſtentiæ: ex quo natura per ſuam ſubſiſtentiam ſubſiſtens, fit ſiſtens in ſe, independens ab alieno ſuppoſitò, aut ſaltem, ut explicuimus nos ipſi *diſp. præc. ſect.6.* conſtituta in eſſe ſuppoſiti independentis ab alio; per alienam verò traduceretur ad aliud, facta dependens ab alieno ſuppoſito, ipſique communicata, repugnant autem ſibi contradictoriè ſiſtere in ſe ſimulque traduci ulteriùs ad aliud extra ſe: eſſe independentem & dependentem ſimul ab alieno ſuppoſito. Repugnat igitur naturam, retentâ propriâ ſubſiſtentia, aſſumi ſimul ab alieno ſuppoſito.

5 Reſpondetur: partim omiſsâ, & partim admiſsâ, iuxta noſtram illam explicationem, priori parte maioris de independentiâ tantùm inexigentiæ; diſtinguo poſteriorem partem: per alienam traduceretur ad aliud ſuppoſitum facta dependens ab alieno, ipſique communicata, exigenter, hoc eſt, ex exigentia ſuâ, nego: inexigenter, & per non repugnantiam, concedo. Nego tamen minorem, quòd hæc ſic diſtincta, & explicata repugnent ſibi contradictoriè. Quia independentia inexigentiæ, quæ ſolum eſt non exigere dependere actu ab alio ſuppoſito, nec traduci ad alienum, nec communicari alieno, non pugnat niſi cum horum exigentia; non verò cum eo quòd, non obſtante illâ inexigentiâ, aut præter exigentiam, aliò traducatur divinitùs, fiatque dependens, & communicata alieno ſuppoſito, dummodò inexigenter hoc fiat: quia in hac inexigentia ſtat eſſentialis independentia ſufficiens ad rationem entis cõpleti, atque adeò ſubſiſtentis. Sic quamvis tunc,

aliò

aliò quomodocúque traducta natura, non in se sisteret ethimologicè, ut notabam *disp.praced. num.92.* esset subsistens essentialiter, & prout oportet, per propriam subsistentiam Unde negatur consequentia. Hoc est ita pervium in naturâ inexigente gratiam, & illam inexigenter habente, & in aqua inexigente calorem, & simul illum habente, præter, aut contra propriam exigentiam, ut otiosum esset prolixiùs exemplificare pro ea incontradictione. *Supra sect 6.*

6 Secunda est ab inconvenienti. Quia ex humanitate retinente propriam subsistentiam, & in istius consortio assumptâ hypostaticè à supposito Verbi, sequeretur implicantissimè, ibi fore, & non fore duo suppositа. Forent duo: quia in eo complexo essent duæ naturæ & duæ Personalitates, divina, & humana: ac proinde duo suppositа adæquatè distincta: non forent duo: quia adhuc in eo complexo diceretur verè: *Deus est homo*: *Homo est Deus*: non autem verè sic diceretur, si essent duo suppositа adæquatè distincta: quia sensus verus illarum propositionum nititur in unitate suppositi: quatenus nempe suppositum, quod est Deus est suppositum, quod est homo, ut diximus *disp. praced sect.7.* *Supra Disp.*

7 Respondetur, negando sequelam, & dicendo, ibi tunc fore duo suppositа, & non unicum. Unum omninò divinum, constitutum ex Naturâ, & Personalitate divinâ: aliud humanum, constitutum ex natura, & personalitate humanis: & secundum hanc præcisè constitutionem adæquatè distinctum ab illo divino: at constitutum insuper in eo casu ex natura humana, & personalitate divinâ hypostaticè unitis, & secundum hanc constitutionem inadæquatè duntaxat distinctum à supposito divino. Hinc ad impugnationem duplicitatis suppositi in eo complexo, dico, quòd in eo complexo essent tunc æquivocæ eiusmodi propositiones: in uno sensu veræ & in alio falsæ: veræ scilicet, si *homo* sumeretur secundum constitutionem illius hominis ex natura humana, & personalitate divinâ: sic enim tunc sumpto illo homine, dici posset *Deus est homo*; & *homo est Deus*, ad modum quo dicitur nunc in Christo, in quo *homo* sic sonat; falsæ tamen, si *homo* sumeretur secundum constitutionem illius hominis ex natura humana: quo modo nec est, nec dicitur nunc homo in Christo, unicam habente Personalitatem, & illam quidem divinam, constituentem cum duabus naturis unam Personam, cum natura divina Deum, & cum humana hominem. Ideoque nunc absolutissimè dicitur in Christo: *Deus est homo*; tunc autem in eo complexo duarum personarum non diceretur ita absolutè, sed equivocè, & non nisi adhibitâ prædictâ distinctione. Huiusmodi distinctione nunc non egemus: ideoque ex veritate inconcussâ illarum propositionum absolutè prolatarum infertur in Christo unitas suppositi.

8 Tertia est à gravissimâ ponderatione argumenti Sanctorum Patrum, locis, & verbis eruditè congestis ab Aldrete *sec. 2.* inferentium contra Nestorium, non esse in Christo Personalitatem humanam, ac proinde nec duas Personas, sed unicam, & hanc divinam, ex eo quòd humanitas suppositetur Personalitate divini Verbi. Hæc autem illatio esset nulla, & saltem infirma, atque adeò indigna iudicio, & ingenio SS. Patrum, si humanitas eadem simul cum aliena Personalitate Verbi posset retinere propriam humanam, ut cuique rem expendenti fiet notum: ergo sentiebant illi, & sentire debemus nos, id omnino repugnare; saltem ne tribuamus Nestorianis anfam eludendi, imò, & illudendi vim argumentationis Sanctorum Patrum contra ipsos. Hoc, me iudice, est robustius fulcimentum sententiæ nobis oppositæ, & certè magni faciendum à quocumque Theologo. *Aldret.*

9 Respondetur tamen, mihi pro certo esse Sanctos PP. allegari hic solitos nihil omninò curasse de præsenti nostra quæstione: quia nec necessaria illis, nec valde utilis erat contra Nestorium. Et quamvis aliquomodo foret utile ad repellendas duas Personalitates de facto in Christo dicere, nusquam omnino id esse posse; at certè non omnia, quæ utilia sunt dicenda sunt, si alioquin vera non sunt. Utile quidem foret ad repellandam vis omnibus coniunctionem tantum moralem, & affectivâ, quam affectabat Nestorius inter Personas divinam, & humanâm Christi prout à se constituti sine unione physicâ, negare possibilem omnino eiusmodi coniunctionem: quæ tamen non propterea neganda est: quia sicut media ad aliquem finem non semper omnia in se alioquin bona sunt, ita nec vera: & sicut non sunt facienda mala, ut eveniant bona; ita nec dicenda falsa, ut commodiùs defendantur vera.

10 Ad rem dixerim, non fuisse ére, nec é mente Sanctorum PP. agentium contra Nestorium, quòd sit, vel non sit omninò metaphysicè impossibile assumi per physicam unionem à Verbo humanitatem retinentem propriam personalitatem humanam in consortio alienæ divinæ. Negotium enim Ecclesiæ tunc erat stabilire propriam, & physicam unionem Personæ Verbi cum humanitate Christi in unitatem Personæ, cum essent operationes Christi propterea dictæ *Theandricæ*, id est *Divinhumanæ*, seu Personæ *Dei-Hominis*, eâ proprietate, quâ actiones dicuntur esse suppositorum: contra Nestorium totum id negantem, & dicentem, eam unionem, seu coniunctionem non esse physicam, sed solum moralem, & affectivam

inter

inter Perſonam Verbi, & aliam Perſonam Chriſti maximè dilectam à Deo, & quaſi deiferam, proprias habentem humani ſui ſuppoſiti operationes, quæ videbantur eſſe Dei, re tamen ipſa non erant Dei, niſi ad eum modum, quo voces, & opera hominis, in cuius forma apparet Angelus dicuntur opera, & voces Angeli: ſicque hominem in Chriſto non eſſe Deum veré, & propriè, ſed quaſi repreſentativè, ſicut Angelus, qui nomine Dei loquebatur ad Abraham, vel luctabatur cum Iacob, eumque benedicebat, à quo adorabatur.

11 Adversùs hos igitur errores dicebant SS. PP. & Concilia, & cum ipſis dicimus nos, coniunctionem in Chriſto Verbi cum humanitate eſſe phyſicam, & in unitatem Perſonæ, quæ veré ſit *Deus-homo*, & *Homo-Deus*: unumque ſuppoſitum, cujus ſint operationes illarum naturarum divinæ, & humanæ: ita ut ibi non ſint aliquæ operationes, quæ ſint hominis, & non Dei, & aliæ quæ ſint Dei, & non hominis, quaſi Deus, & homo eſſent duo ſuppoſita; ſed omnes ſint unius ſuppoſiti, quod veré eſt *Homo-Deus*, & *Deus Homo*. Quid, precor, ad has veritates, & ad errores Neſtorij, prout de facto, quòd de poſſibili poſſit, vel non poſſit fieri alia unio Verbi ad humanitatem retinentem propriam ſubſiſtentiã, ita ut reſultaret complexum non ſolùm duarum naturarum, ſed etiam duarum Perſonarum, ſeu ſuppoſitorum, ſuas ſibi reſpectivè adrogantium operationes? Videndum ergo eſt an aliunde hoc repugnet, vel non repugnet?

12 Hinc in forma ad ponderationem oppoſitam, *num.* 8. nego in maiori, argumentum Patrum contra Neſtorium unquam fuiſſe, ut ſupponũt adverſarij, ex præciſã unione humanitatis ad ſuppoſitum divinum inferre defectum ſubſiſtentiæ, ſivè ſuppoſitalitatis humanæ; ſed ex tali unione ad ſuppoſitum divinum, ut actiones quæ ſunt ſuppoſitorum, ſint ſemper in Chriſto operationes Theandricæ ſuppoſiti Divini Verbi, & nunquam diverſi ſuppoſiti à Verbo: ſi autem eſſent in Chriſto duo ſuppoſita, unum divinum, aliud humanum; eſſent aliæ operationes ſuppoſiti divini, & aliæ ſuppoſiti humani, ut dicebat Neſtorius, ſicut ſunt aliæ in Chriſto ratione naturæ divinæ & aliæ ratione Naturæ humanæ. Quod quidem argumentum firmiſſimum non enervatur ex eo, quòd poſſet alioquin dari unio ſuppoſiti divini ad humanitatem retinentem propriam ſubſiſtentiam, reſultante alio complexo diverſorum ſuppoſitorum, quorum unius eſſent, aut eſſe poſſent, unæ operationes, & alterius aliæ: vbi nec eſſet abſolutè verum, ſicut abſolutè verum eſt nunc in Chriſto: *Deus eſt homo: homo eſt Deus*: ſed cum æquivocatione, & diſtinctione adhibitâ *num. 121.* Undè falſum eſt in Minori, quòd ex poſſibilitate iſtius complexi duorum ſuppoſitorum, enervetur argumentum, quo utebantur Patres contra Neſtorium, quamvis enervetur illud aliud, quo nempè vellet aliquis ex præciſâ unione humanitatis ad ſuppoſitum Verbi inferre metaphyſicè defectum propriæ ſuppoſitalitatis, ſeu ſubſiſtentiæ humanæ: quo tamen Patres non uſi ſunt: quia ad ipſorum negotium cum Neſtorio circa Chriſtum, prout de facto, minimé pertinebat. Et negandã eſt abſolutè conſequentia: quia ex non repugnantia prædicti complexi duorum ſuppoſitorum, nulla datur anſa eludendi argumentum Sanctorum Patrum, id inferentium contra Neſtorium ex operationibus Chriſti, taliter ſemper attributis ſuppoſito Verbi, ut hoc unicum arguatur ibi ſuppoſitum. Huic reſponſioni favent eruditè partim Prudentius *tract. 3. diſp. 2. dub. 6.* & partim Bernal *diſp. 44.* In eo mihi minus placeos quòd propterea dicat, neceſſe fuiſſe humanitatem uniri ſuppoſito divino fine ſubſiſtentia propria, ut redderetur impeccabilis. Sed de hoc redibit ſermo *diſp. 13.* *Prud. Bernal.* *Infrà diſp. 13.*

13 Libens ſubiungo quod in commendationem noſtræ doctrinæ de identitate unionis hypoſtaticæ cum humanã, nè in Chriſto ſicut in nobis unio humana ſit ſubſiſtentia, excogitavit primarius é noſtris Magiſter; iuxta illam ſingulariter elucere vim argumenti SS. Patrum contra Neſtorium; ſumpti videlicet ex modo, quo de facto humanitas Chriſti uniã fuit ad ſuppoſitum Verbi per ipſam unionem animæ, & corporis inter ſe. Si enim unio humana, ut ſit ſubſiſtentia, debet taliter unire eas partes humanitatis inter ſe, ut eas ſimul non uniat ad ſuppoſitum divinum; ex eo quòd unio humana, quæ in puris hominibus eſt ſubſiſtentia, in Chriſto uniat ſimul eas partes ad ſuppoſitum Verbi, deſinit eſſe ſubſiſtentia in Chriſto: ac proinde nihil manet in Chriſto, quod poſſit eſſe ſubſiſtentia creata. Ad quid enim ſimul cum ea unione humana partium eas uniente ad ſuppoſitum Verbi ponenda eſſet alia uniens partes inter ſe, & non cum Verbo? *P. Gualdi, Rio.*

SECTIO II.

An natura Angelica?

14 HAnc eſſe omninò inaſſumptibilem hypoſtaticè, docuerunt olim Albertus, Henricus, Mirandulanus, & Carthuſianus apud Valentiam *tom. 4. quæſt. 4. punct. 1.* quorum ſententiam temeritatis accuſat aliqui ex loco Pauli Hæbr. 2. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ:* ubi *Albert. Henrr. Mirand. Valent.* *Hebr. 2.*

Digitized by Google

ubi passim ab Interpretibus accipitur Apostolus, quasi commendans specialem honorem, & beneficientiam Dei erga naturam humanam præ Angelicâ in assumptione humanitatis, dixerit, ex speciali Dei beneficio Verbum assumpsisse humanam præ Angelicâ: quod non sic intelligi posset, si alioquin natura Angelica foret inassumptibilis. Cæterùm Hurt. *d. sp. 42.* prædictam sententiam excutat à censura. Nec locum Pauli omnes modo supernùs posito interpretantur: Nam Cornelius,& alij cum Chrisostomo, non id intelligunt de assumptione per unionem hypostaticam; sed de apprehensione, seu susceptione per specialem curam homines lapsos redimendi præ Angelis. Quidquid tamen sit de probabilitate huius sententiæ negativæ.

Hurt.

Alapide. Chrisost.

15 Affirmandum omninò est, Naturam Angelicam potuisse, & posse hypostaticè assumi. Est communis sententia. Et ratio est: quia nihil videtur obstare eius assumptioni iuxta possibilem aliam Dei Legem.

16 Dices: specialiter obstare, quòd Natura Angelica non distinguitur à sua subsistentia, sicut à suâ distinguitur natura humana: sed natura suam retinens propriam subsistentiam, nequit assumi simul ab alieno supposito: ergo nequit assumi Natura Angelica, quamvis potuerit humana. Maior, quæ negatur à communi sententia, fuit mihi vera in Philosophia: ubi tenui subsistentiam creatam substantiarũ, seu Naturarum completarum compositarum ex partibus essentialibus esse substantialem earum partium unionem; subsistentiam verò naturarum simplicium completarum, qualis est Angelica expers compositionis essentialis, esse realiter ipsam naturam. Sic olim Albertus, & noviter Martinon *disp. 36 de Angelis sec. 3.* & novissimè Lyncæus *lib. 2. Phys. tract. 10.* Et quod caput est, traditur à S. Tho. multis in locis, ita indubitanter, ut P. Suar. vix audeat illum interpretari,& P. Fasolus *tom. 1. quæst. 3. art. 3. dub.* 1. fateatur planè cum Caietano S. Doctorem sic sensisse: quamvis alij existiment mutasse sententiam. Legatur *1. par. quæst. 3. art. 3.* ubi loquens de substantijs, quæ non componuntur ex materiâ & formâ, ait: *Unde in eis non differt suppositum, & natura*: idem supponit *quæst. 29. art. 2. ad 3.* & sibi constans *4. contra Gentes c. 55 ad 4.* ait: *in homine aliud est natura, aliud Persona, cùm sit ex materia, & formâ compositus; non autem in Angelo. & 2. sent. dist. 3. quæst. 1. art. 3. ipsa quidditas Angeli est quo subsistit ipsum suum esse.* Quid liquidius?

Albert. Martin. Lyncæ. Suar. Fasol.

S. Thom.

17 Idcircò persistens in illa mea sententiâ Philosophicâ cum S. Thom. concedo arguenti maiorem. Nego tamen minorem: nam ut dictum est *sect. præced.* natura quoque propriam retinens subsistentiam potest assumi ab alieno supposito, ac proinde,& natura identificata cum sua subsistentia: ut in his terminis tenent Martinon citat. Hurt. cit. *& d sp 11. Metaph. sec. 4.* Lynceus cit. *num. 37* & à fortiori S. Tho. docens ex una parte, Deum potuisse fieri Angelum; & ex alia parte, in Angelis identificari subsistentiam cum natura. Addendum tamen ex ibidem dictis, quòd non assumeretur Angelus in unitatem suppositi, sed relucente complexo duorum suppositorum. Unde in casu talis assumptionis Naturæ Angelicæ à Verbo, dici quidem posset in aliquo sensu: *Deus est Angelus: Angelus est Deus*; sed non ita absolutè sicut nunc dicitur: *Deus est homo*; in Christo videlicet, in quo unicum est suppositum Deus,& homo; ut monuimus *sect. 1.* Tandem ad argumentum, nego consequentiã, aut, si mavis, distingue iuxta prædictum additamentum.

Martin. Hurt. Lync.

18 Addiderim insuper, Auctorum non ignobilium esse doctrinam, Angelos non esse substantias simplices, sed compositas in esse naturæ. non ex materia corporeâ, quod esset error; sed ex partibus essentialibus spiritualibus, quarum una est subiectum alterius. Sic Sanct. Bonav. *in 2. dist. 3. quæst. 1.* itemque Richard. Alensis, Aureolus, Avicembronus,& alij apud Lynceum *lib 7. Metaph. tract. 2. num. 6.* & ex minùs antiquis Petrus Capulleus Episcopus Conversanus *in Comment. ad Bonavent.* citans Petrum Tarantasiensem, qui fuit Innocentius Papa Tertius,& S. Augustinum, quem huius etiam sententiæ facit Petavius *tom. 3. Dogmatum, lib. 1. cap. 4.* Sic tandem Gaudentius Bontempi *tom. 2. tract. 4. quæst. 1.* citans Cavellum, Vorilum, Ferchium, Galitium, & alios, idem cum ijsdem dicens de Anima rationali *tom. 3. tract. 3. disp. 1. quæst. 7.* Id quod de possibili admisit Oviedus in Phys. nec de facto aspernari omninò debent, qui Angelos iam admittunt compositos substantialiter ex natura, & subsistentia: præsertim, si hæc non sit modus, sed res, ut nonnulli volunt per unionem mediam distinctam unitæ naturæ, de quibus Aldrete *disp. 37. sec. 2.* Illi ergo sententiæ compositionis naturæ Angelicæ, qui forte acquieverit, poterit facile negare maiorem argumenti facti *num. 16.* etiam iuxta meas de subsistentia doctrinas: pariter discurrendo de assumptibilitate Naturæ Angelicæ,& Humanæ: ponendo propriam utriusque subsistentiam in unione substantiali partium essentialium, quæ simul non sit unio ad suppositum divinum. Sto tamen responsioni datæ *num. præced.* ne peregrinis istis doctrinis indigere videatur mea Theologia.

Bonav. Richar. Alen. Aureol. Avicem. Lyncæ. Capull. Tarant. S. Aug. Petav. Bontẽp. Cavell. Voril. Ferch. Galiti. Ovied.

Aldr.

19 Obstare denique videntur specialiùs dictæ nostræ responsioni, & conclusioni duo.

Pri-

Primum: quòd, ſi, ut nos dicimus, natura angelica eſt ſuimet ſubſiſtentia, & uniretur hypoſtaticè ſuppoſito divino, non eſſet ratio cur potiùs in eo caſu ſuppoſitum divinum redderet ſubſiſtentem naturam angelicam, quàm ſuppoſitum angelicum naturam divinam. Secundum: quòd iuxta prædictam noſtram doctrinam natura angelica idemtificata cum ſua ſubſiſtentia eſſet ſubſtantia eſſentialiter per ſe completa; & ſimiliter ſuppoſitum divinum ſeorſim etiam completiſſimum: ex duobus autem entibus ſic completis nequit fieri unum per ſe: ergo neque ex natura angelica idemtificatâ cum ſua ſubſiſtentia, & ex ſuppoſito divino hypoſtaticè unitis.

20 Ad primum facilè reſpondetur negando, non eſſe potiorem rationem. Ratio eſt mihi expeditiſſima, quia ſubſiſtentia perficere debet naturam, quam reddit ſubſiſtentem: at natura divina nequit perfici per quid creatum, ut latè expoſuimus *diſp. 1. à num.* 15. Addo, nullam ſubſiſtentiam creatam habere virtutem ſuppoſitandi naturam alienam, ut dicemus *ſec.* 14. unde à fortiori nec ad ſuppoſitandam naturam divinam.

Supra Diſp. 1. ſec. 2.

21 Secundum obſtaculum iam ſubmovimus *ſec. 1. à num 9.* Ex ibi dictis cum Hurtado & Uvadingo repeto, falſam eſſe minorem, quòd ex duabus entibus per ſe completis nequeat fieri unum per ſe. Ad eorum completionem ſufficit quòd neuter eorum ordinetur intrinſecè ad ulteriorem conſtitutionem eſſentialem novi totiùs cum illo adæquatè diſtincto. Adhoc ut ex illis fieri queat unum per ſe, ſufficit certa cohærentia, & aptitudo mutuæ cõmunicationis ſpecialis denominationum, effectuum, ſeu perfectionum unius per modum perficientis ad alterum per modum perfectibilis: qui conceptus minimè pugnant inter ſe. Cum autem Suppoſitum divinũ ſit infinitum bonum, habet præ alijs modos ſpeciales, & miros ſe diffundendi, & communicandi creaturis, quarum communicationum non eſt incapax natura angelica, adhuc idemtificata cum ſua ſubſiſtentia, & per ſe completa; quamvis ad id intrinſecè exigenter non ordinetur. Unde, nego conſequentiam.

Hurt. Uvad.

SECTIO III.

An natura non rationalis?

22 NAturam non rationalem, ut leonis, arboris, aut lapidis eſſe quoque aſſumtibilem à Suppoſito divino, non quidem in unitatem Perſonæ, dicenti utique naturam intellectualem, ſed in unitatem ſuppoſiti præſcindentis ab intellectuali, & non intellectuali; affirmat communis nimiùm ſententia. Cui per inſignem errorem addidiſſe videtur Tertulianus apud Maldonatum, & Cornelium ſuper *cap. 3. Matt.* de facto id eveniſſe, aſſumente Spiritu Sancto hypoſtaticè naturam columbæ, ſub cuius ſpecie apparuit, & loquutus eſt in Baptiſmo Chriſti.

Tertull. Maldo Alap.

23 Hoc tamen errore relicto pro de facto, probari ſolet ſententia affirmativa de poſſibili, quia nulla eſt in eo repugnantia. Aſt hoc facile negabitur à doctis. Qui compulſi ad aſſignandam repugnantiam, dicunt plura. Primò: quòd Deo repugnat quidquid indecens eſt: ea autem aſſumptio affert Deo multas indecentias, ut eſſe canem, eſſe brutum, & ſimilia, imò, & indecoriora: quæ propterea eſſent ſimul, & non eſſent indecentia: ecce eodem repugnantias. Secundò: quòd natura illa irrationalis à Verbo aſſumpta eſſet aſſumptibilis in unum per ſe, quia eſſet aſſumpta: & ſimul non eſſet aſſumptibilis; quia cùm non ſit proportionata, nec capax multorum effectuum, ſeu denominationum communicabilium naturæ rationali à Verbo, ut conſtituendi Perſonam, exercendi actus infinitè laudabiles, meritorios, & ſatisfactorios, &c. non haberet certam illam cohærentiam, proportionem, & aptitudinem requiſitam ad faciendum cum Verbo unum per ſe iuxta, quæ remiſſivè tetigimus *ſect.* 1. Tertiò; quòd non rectè arguitur, non adeſſe repugnantiam ex eo quòd interdum à nobis non aſſignetur. Nec propterea imprudenter dicetur id repugnare, ſi ex auctoritate, vel enormibus incongruentijs ſuſpicari prudenter poſſumus, aut debemus, adeſſe ibi aliquam repugnantiam, quæ nos latet, ut iam notabam *diſp. 18. de Attrib. ſect. 3. num. 47.*

Tom. 1. diſp. 18.

24 Idcircò Theologi alij non vulgares negant, naturas eiuſmodi completas irrationales, ſeu non intellectuales, eſſe aſſumptibiles à Verbo. Ita Uvadingus *diſp. 4. dub. 8.* Hurt. *diſp. 43.* citans Toſtatum, Henricum, Marſilium, Gabrielem, & Sanctos Bonaventuram, & Thomam: quibus accedunt noviter P. Martinus de Eſparza *quæſt. 22. & 6.* Noſtratibus noviſſimè in Manuſcriptis prædocti Magiſtri, promoventes ingeniosè rationes, quas ex Auctoribus ſuperiùs allegatis cum propenſione in eamdem ſententiam propoſui, ſemel, & iterùm quæſtionem verſans.

Uvadin. Hurt. Toſtat. Henrr. Marſil Gabr. S. Bonav S. Thom. Eſporia. Theodor. Mauritius, Gualderiq. Rio

25 Fundamentum eſt: quia ſicut Deo quidquid poſſibile eſt facile eſt, & quidquid poteſt facilè poteſt, ita quidquid indecens factu eſt, impoſſibile omnino factu eſt, & quod decenter ex nullo fine poteſt, abſolutè non poteſt: ſed ex terminis ipſis indecens eſt, nec ex aliquo fine decorum, Deum eſſe, & propriè poſſe dici beluam, & brutum, ut certè dici poſſet, ſi hypoſtaticè aſſumeret naturam belluinam: ergo hoc ipſi impoſſibile omnino eſt.

Nec

Nec obest, ut benè Hurtadus, quòd etiam ex assumptione naturæ humanæ sequuntur aliqua, quæ ex apprehensione terminorum apparent quasi indecora, & præseferunt speciem quamdam indecentiæ. Nam re vera, nec indecora, nec indecentia sunt: utpotè condecorata, & cohonestàta ab ingenti utilitate, & bonò talis assumptionis naturæ, quæ sit instrumentum ad merendum, satisfaciendum, & infinitè obsequendum Deo, ex fine etiam nobilissimo humanæ redemptionis, & sic manifestandi divitias divinæ bonitatis, clementiæ, iustitiæ, aliorumque Attributorum: quæ omnia non sic relucerent in assumptione naturæ belluinæ, aut lapideæ, utpote non apti instrumenti ad operationes morales & fines ita præclaros.

26 Fulcitur: quia, ut expendimus *disp.2 nu.* 11. & resumpsimus hic *sec.*1. ad assumptibilitatem requiritur in natura certa aptitudo, & inchoata proportio obedientialis; quam quidem reperimus in natura intellectuali elevabili ad amicitiam Dei, & ordinem divinum; & non sic in alijs naturis, quæ nec possunt sanctificari, nec evehi ad supernaturalem modum operandi moraliter, & meritoriè: neque ad Dei amorem, aut visionem. Non ergo mirum est quòd illa, & non istæ dicantur habere aptitudinem, ut assumantur hypostaticè à Deo. Sic Uvadingus cit. appositè inquiens, suum non esse ostendere positivè huiusmodi ineptitudinem in naturis irrationalibus; sed defendere non dari aptitudinem: quam probare Adversariorum est.

Supra disp.2. sec.1.

Uvad.

27 Eam autem probant, & objiciunt sic. Verbum assumpsit in triduo corpus seorsim ab anima: quod quidem non est natura intellectualis: ergo natura non rationalis assumptibilis est: aut cur non natura belluina? Respondetur: corpus in triduo non fuisse tam assumptum quam retentum, ut partem per se pertinentem ad naturam humanam aptam assumi: & hoc est quod scitè ait S. Tho. corpus in Incarnatione assumptum esse mediante animâ, id est ratione animæ, ut explicuimus *disp.2. sec.4.* ex PP. Suar. & Vasq. Hoc non habet natura belluina: de quo satis clara data est ratio. Adde, ex assumptione corporis seorsim, non sequi quòd per idiomatum communicationem diceretur: *Deus est corpus*, ut vidimus *disp. 2. sec.7.* ex assumptione verò bruti diceretur: *Deus est brutum:* quod indecens est, & offendit aures.

S.Tho. Suar. Vasq. Supra disp. 2.

28 Urgent: natura sanguinis, natura est non rationalis, & substantialiter completa ex materia, & suâ speciali formâ non vivente: sed illam assumpsit Verbum, & retinuit seorsim ab animâ in triduo mortis: ergo natura completa non rationalis, ut leonina, assumptibilis est etiam à Verbo. Respondetur ex ibidem præli-

Supra sic.7.

batis, nec naturâ sanguinis esse naturaliter completam: nec fuisse assumptam, aut retentam à Verbo, nisi ut partem per se pertinentem ad humanitatem, ut diximus de corpore, sive animetur, sive non animetur: sanguis enim, ut benè Uvadingus, *disp. 4. dub. 10.* non amat conservari, nisi coniunctus animali, ad quod intrinsecè ordinatur, ut instrumentum proximum conservandæ vitæ. Ideò nec dicitur verè: *Deus est sanguis*: sicut nec: *Deus est corpus.* Unde negatur consequentia. Circa sanguinis animationem, sentio absolutè non animari: deinde, quamvis, ut volunt plures, animaretur, non propterea desineret habere simul cum anima partialem suam formam substantialem subordinatam sanguinis; ut de carne, & osse iudico. Tandem non perinde gravabor concedere aliquantisper in aliquibus partibus materiæ sanguinis formâ specialè sanguinis, simul cum forma vivente: quæ omnia faciunt ad naturæ sanguinis incompletionem, & ad disparitatem naturæ leoninæ.

Uvadin.

29 Insistunt. Saltem natura cadaveris natura completa non rationalis est: constans utique ex materia, & ex formâ novâ cadaverica substantiali, non animæ subordinatâ, imò succedente animæ abeunti: atqui eiusmodi naturam cadaveris assumpsit Verbum in triduo, ita ut idiomaticè dici potuerit: *Deus est cadaver*: ergo natura non rationalis, etiam completa, est assumptibilis à Verbo. Maior continet Philosophiam satis usitatam. Minorem esse secundum Fidem ait Baldius *quæst. 5. diff 2.* & antea centuerat Cabrera apud Hurtadum. Excesserunt tamen, attestante è contra Marsilio, apud nullum antiquum Theologum inductam fuisse novam formam substantialem in corpus Christi mortui. An verò, si introducta sit, fuerit assumpta à Verbo pro illo triduo, sunt qui negent, & sunt qui affirment: de quo Suarez *to. 2. in 3. par. disp. 38. sec. 3.* In hoc credendum Hurtado, neminem antiquorum admisisse unquam hanc propositionem: *Deus est cadaver.*

Baldius.

Cabrera

Suar. Hurt.

30 Qui amant, vel timent prædictas formas cadavericas variè respondent. Ipse illas, nec amo, nec timeo, quamvis mortem timeã: quia hic, & ubique confictas puto, nec argumenti gratiâ permittendas. Itaque ad argumẽtum, nego maiorem: cadaver enim natura incompleta est; cùm non sit, nisi corpus sine animâ, quæ præcesserat: sicut cæcus, homo sine visu. Nec supervenit in articulo mortis forma illa specialis substantialis cadaverica; sed manet corpus cum formis suis carnis, & ossis; quod cum illis ipsis antè animationem erat embrio in statu animationis constituebat cum animâ hominem; & abeunte animâ, est cadaver: ens scilicet incompletissimum sicut anima, & cor-

pus: nec aſſumptum, ſeu retentum, nec aſſumptibile à Verbo, niſi ut pars per ſe pertinens ad humanitatem, & ratione animæ rationalis, ut de corpore, & ſanguine ſuper dictum eſt. Minor in ſenſu ſupradicto Adverſariorum, intelligentium nomine cadaveris ſubſtantiam completam ex materia prima, & forma nova illa ſubſtantiali, quam vocant cadavericam, falſa prorſùs eſt in Philoſophia & Theologia: & falſa quoque illa prædicatio: *Deus eſt cadaver* in triduo mortis Chriſti: ſicut diximus de iſta: *Deus eſt corpus.* Unde, & falſa undique conſequentia.

31 Hæc cùm ſatis, ſuperque ſint utrinquè dicta; ego quidem in primis laudo conſilium Caietani, quòd non oporteat de ijs incautè colloqui: quia facile miſcentur voces indecoræ. Deinde non laudo levitatem aliquorum, qui obſequium ſe præſtare putant omnipotentiæ Dei, ſi quâlibet ſibi propoſitâ quæſtione de abſolutâ, à dextris, & à ſiniſtris affirment, dùm contradictoria velut ipſis digitis non attrectent: quaſi non latère poſſint ubi à nobis non inveniuntur. Peterem ab iſtis, ut ita expeditè mõſtrent contradictoria in eo quòd Deus omnes homines produxiſſet amentes, caudatos, ſeu aliter monſtruoſos: aut in eo quòd totam hanc mundi intercapedinem á Cœlo, uſque ad terram ad nihil aliud reliquiſſet, niſi ut aranearum telis impleretur; quòd tamen eſſet ineptire, ſicque Deum dedecens, ideòque repugnans: aut ſaltem, magis é re, ut monſtrent contradictoria in eo quòd dari poſſit, & detur natura aliqua omninò inaſſumptibilis à ſuppoſito divino? Si autem ea poſsibilis eſt, dicant cur talis non ſit natura canis, aut vulpis. Profectò Omnipotentia poteſt quidquid non repugnat: quòd verò hoc, aut illud repugnet, aut non repugnet, nec eſt obſequium, nec iniurium Omnipotentiæ, ſed rerum natura.

Caiet.

SECTIO IIII.

An naturæ partiales ſeorſim? An etiam Accidentia.

32 SCimus corpus & animam ſeorſim eſſe naturas partiales: & idem diximus de ſanguine. Et convenimus in eo quod hæc tria fuerint per triduum retenta à Verbo, illi intrinſecè unita, quamvis invicem ſeparata. Notum eſt inſuper diſcrimen inter hæc tria, quod anima eſt ex ſe ſubſtantia vivens, & intellectualis; corpus verò, & ſanguis non ita; quamvis tria ſpectent ad conſtitutionem, ſeu conſiſtẽtiam humanitatis, quæ eſt natura intellectualis à Verbo aſſumpta in unitatem ſuppoſiti.

33 Iuxta prædictum diſcrimen decidenda eſt cum diſcrimine præſens difficultas, & conſequenter ad doctrinas ſuperiùs traditas dicendũ, animam rationalem eſſe per ſe, & ratione ſui ſeorſim aſſumptibilem; corpus verò, & ſanguinem non per ſe, & ratione ſui; ſed ratione animæ, vel humanitatis, ad quam per ſe pertinẽt, ut partes ſubſtantiales naturæ rationalis elevabilis ad operationes morales, & ad donum divinum. Et ſic de facto contigit earum aſſumptio, ſeu retentio in Chriſto. Utraque pars huius dicti conſtat ex doctrinis ſectionum præcedentium. Prior ex *ſec. 2.* per ea quæ diximus de Natura Angelica, cui in conceptu intellectualitatis aſſimilatur natura partialis & incõpleta animæ rationalis. Poſterior ex *ſec. 3.* per ea quæ diſcurrimus de natura irrationali, ſeu non rationali: cui quoad hoc aſſimilãtur ex ſe naturæ incompletæ, & partiales corporis, & ſanguinis. Unde alias naturas incompletas non rationales eſſe inaſſumptibiles conſtat à fortiori ex dictis de naturis completis irrationalibus.

34 Dices: unio Verbi ad ſolam animam, vel ad ſolum corpus, aut ſanguinem eſſet hypoſtatica, ut ſupponimus: & non eſſet hypoſtatica, quia illæ partes ſeorſim, cùm ſint ſubſtantiæ incompletæ in eſſe naturæ, ſunt incapaces ſubſiſtendi: ergo repugnans eſt. Reſpondetur: ſalvâ re noſtræ concluſionis, litem eſſe de voce æquivocâ, an ea unio aſſumptiva, ſeu retentiva dictarum ſubſtantiarum partialium ſeorſim ſit dicenda Hypoſtatica, nec ne. Vocamus eam hypoſtaticam, quia eſt ad Hypoſtaſin, ſeu Perſonam Divinam, & in hoc convenit cum unione humanitatis. Non vocamus eam hypoſtaticam pro eo, quod eſt conſtituere hypoſtaſin ex termino aſſumente, & aſſumpto: & in hoc differt ab unione humanitatis: nam ex humanitate, quæ eſt ſubſtantia completa in eſſe naturæ, & ex Hypoſtaſi Verbi, conſtituitur Hypoſtaſis, quamvis non alia, & propterea capax ſubſiſtendi à Perſona Verbi: at ex corpore, aut ſanguine ſeorſim unito, aut ex anima ſeorſim unita ad hypoſtaſin Verbi, & ex ipſa hypoſtaſi Verbi non conſtituitur Hypoſtaſis, Perſona, nec ſuppoſitum, ut ex S. Tho. docet Suarez, & nos inſinuavimus *diſp. 2. ſec. 7.* quia ſunt ſubſtantiæ incompletæ in eſſe naturæ: ideòque inepaces ſubſiſtendi: Hinc ad argumentum in forma, nego conſequentiam: quia eam unionem eſſe, & dici hypoſtaticam in uno ſenſu, & non in alio non eſt contradictio.

S. Tho. Suar.

35 Nec reſpui iure poteſt prædicta doctrina à communi ſententia. Quemadmodum enim dicunt corpus, & animam quamvis aſſumantur à Perſona, ſeu Suppoſito Verbi, non perſonari, nec ſuppoſitari à Perſonalitate, ſeu Suppoſitalitate Verbi ipſis unitâ, quia propter ſuam incompletionem habent incapacitatem,

ut

ueperſonentur,& ſuppoſitentur adhuc per ſubſiſtentias ſuas partiales proprias;& corpus præſertim, ut perſonetur, propter ſuam inintellectualitatem ; ſic diximus nec denominari poſſe ſubſiſtentes à ſubſiſtentia Verbi ſibi unicà,quia huius etiam denominationis ſunt ſimiliter incapaces propter eamdem ſuam incompletionem: nã, ut explicuimus *diſp.2. nu 91.* ſuppoſitari & ſubſiſtere idem eſt : & neutrum cadere poteſt, niſi in ſubſtantias completas in eſſe naturæ.Hinc vidimus ibid.*ſec.7.*nõ admitti à Theologis ex vi unionis Perſonæ Divinæ ad corpus, & animam has propoſitiónes : *Deus eſt corpus : anima eſt Deus.* Hinc etiam reijciendæ veniunt ſubſiſtentiæ partiales, quibus in purè creatis anima,& corpus ſeorſim ſubſiſtant: quod præterquamquod eſt in terminis implicans,aſſeverat P. Vaſquez eſſe ad ſuum uſque ſæculum inauditum.

Supra diſp 2.

Vaſq.

Bernal.

36 Hoc, ut benè obſervat Bernal *diſp.3. num. 42.* non tollit , quominús anima unita Verbo reddatur à Verbo ſanctificata , & deificata , eiuſque actiones fiant infiniti valoris ab infinita dignitate Verbi. Corpus ſimiliter denominetur deificum,& ſpeciali adoratione dignum: quia harum , & ſimilium denominationum non incapaces ſunt ſubſtantiæ partiales.

Bernal. Amic. Prudent.

37 Quoad accidentia demùm affirmant eſſe aſſumptibilia á ſuppoſito divino Bernal *diſp.25. ſec. 3.* cum aliquibus antiquis , Amicus *diſp.15. ſec. 3.* & Prudentius *tract. 3. diſp. 2. dub.7. ſec. 6.* advertens ſe non loqui de aſſumptibilitate , ſeu unione ad ſubſiſtendum, cúm accidens incapax ſit ſubſiſtendi ; ſed de unione, mediâ quâ ſuppleret Suppoſitum Verbi defectum ſubiectiuin accidentibus. Nec diſſentire videtur Baldius *diff.n.*18.

Baldius.

S.Tho. Suar. Vaſq. Conine.

38 Meritò tamen id negant communiter reliqui cum S. Thom. Suar. & Vaſquez, quos ſequitur Coninc. *diſp.8. dub.3.* Et infertur à fortiori ex dictis de inaſſumptibilitate naturæ irrationalis. Saltem per ſe patet,accidens non poſſe uniri Deo in unum per ſe ſubſtantiale Perſonale,aut ſuppoſitale , neque unione ſubſtantiali continuativâ , neque inhæſivâ , aut informativâ: dicanc ergo quo genere unionis, ut diſcutiatur an repugnet , nec ne.

Repugnantia nobis ſufficiens,indecentia, & ineptitudo eſt ex *ſect. 3.*

* *
*

SECTIO V.

De Termino potente aſſumere: & primò : an Natura divina praciſſim à Perſonalitatibus.

Valent. Bernal. Amic.

39 P. Valentia , quem ſequuti ſunt Bernal *diſp. 24.* & Amicus *diſp.14. ſec.5.* omnino affirmant, Naturam divinam prout ſuo modo condiſtinctam à Perſonalitatibus potuiſſe aſſumere humanitatem.

Vaſq. Aldret, Godoy. Boneſp. Coninc. Hurt. Prud. Perez.

P. Vaſquez , quem ſequitur Aldrete *diſp. 42. ſec. 4* Boneſpei *diſp. 6. d.3.* & communiter Thomiſtæ cum Godoy *diſp. 15.* omninò negant. P.Coninc *diſp.7.dub.3.*Gaſp. Hurt. *diſp. 3.diff.4.*& M.Prudentius *tr.3 diſp.2.*affirmant, admiſsâ in Deo ſubſiſtentiâ abſolutâ ; & hac non admiſsâ,negant.Sic etiam Lumbier. *quæſt. 18. art. 1.* Aliter diſtinguit Martin. Perez, inquiens , ſi ſubſiſtentia abſoluta admittatur virtualiter, vel obiectivé diſtincta à Natura, poſſe eiuſmodi ſubſiſtentiam, non verò Naturam aſſumere ſibi humanitatem; neutram verò, ſi vel non admittatur ſubſiſtentia abſoluta,vel admittatur indiſtincta virtualiter à Natura. Hoc tamen refutat, & meritò Prudentius , quaſi é re non ſit eiuſmodi diſtinctio , vel indiſtinctio ſubſiſtentiæ abſolutæ.

Tom.1. diſp 6. Vaſq.

40 Hæc ſunt Auctorum iudicia. Ego quidem reieci fusé cum P. Vaſquez ſubſiſtentiam abſolutam à toto Deo *diſp. 6. de Attributis,* uti Philoſophiæ , ac Theologiæ principijs, & Sanctorum PP. auctoritati contrariam. Exiſtimo tamen , independenter ab illa graviſſimâ quæſtione diſcurrendum eſſe nobis in præſenti , & reſpondendum ad difficultatem per diſtinctionem longé diverſam à ſupra relatis.

Baldius. Amic. Capreol.

41 Concluſio. Natura divina , vel ſi mavis,Subſiſtentia abſoluta divina , ſecundum ſe, ut virtualiter condiſtincta à perſonalitatibus,nõ potuit aſſumere humanitatem inaſſumptam eo ipſo à tribus Perſonis ;benè verò, eo ipſo à tribus Perſonis aſſumptam. Prior pars concluſionis traditur à Baldio *quæſt. 4. diffic. 1.* nec diſſentit Amicus *num. 58.* & pro ea citatur Capreolus à Patre Coninc *diſp.7.dub.3.* Poſterior eſt conſectaria ad ea, quæ diximus de immediatâ terminatione unionis Hypoſtaticę ad Abſolutum ſimul cum Relativo Verbi *diſp.2.ſec. 2. 3. & 4.* Et iuxta illam intelligo ſapientiſsimum Læſium *quæſt. 3. art.2. num. 26.* dicentem : *Etiamſi non daretur ſubſiſtentia abſoluta,adhuc poſſibile eſt ipſam divinam eſſentiam poſſe per ſe,& immediatè terminare,& ſuſtentare naturam humanam : talis autem unio eſſet in Perſona , quia ex vi illius omnes Perſonæ Divinæ ſubſisterent in natura humana, eamque terminarent, quamvis mediatè, ſicut*

Supra diſp.2.

Læſius.

Digitized by Google

nunc Natura Divina illam terminat.

42 Probatur prior pars. Quia quod convenit Deo ſecundum prædicatum abſolutum, vel ratione alicuius ſuæ perfectionis abſolutæ, ſalvâ oppoſitione Perſonarum ad intra, eo ipſo convenit tribus Perſonis: ergo non poſſet Natura Divina, ut Subſiſtentia abſoluta, quæ perfectiones abſolutæ ſunt, ſecundum ſe, & ratione ſui aſſumere humanitatem; quin eo ipſo eadē humanitas eſſet aſſumpta à tribus Perſonis, & Perſonalitatibus divinis: ac proinde à tribus inaſſumptam. Antecedens videtur principium Theologicum: non enim ex alia ratione dicuntur tres Perſonæ velle, ſapere, producere, & gubernare ad extra, & incarnare activè, niſi quia hæc competunt Deo ſecundum abſolutum, ſeu ratione perfectionis communis tribus, qualis eſt ſapientia, voluntas, Providentia, Omnipotentia, &c. unde vulgatum eſt axioma, quòd ea, quæ competunt Deo ratione abſoluti, ſunt cōmunia toti Trinitati. Sic ergo eo ipſo quòd paſſivè aſſumere, ſeu Incarnari, competeret Deo ſecundum naturam, vel ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, competeret omnibus Perſonis aſſumere, & incarnari non ſecùs, ac de facto convenit tribus abſolutiſsimè incarnare, ſeu activè aſſumere, ut loquitur S. Tho. *quæſt. 2.* hoc eſt efficere aſſumptionem, qua Verbum in unitatem ſuæ tantum Perſonæ incarnatum eſt.

S. Tho.

43 Nec certè video, quomodo aliter ſtet intelligentia Concilij Toletani 6 in confeſsione Fidei dicentis: *Nam ſi Naturam hominis Deique, alteram in alteram infudiſſet, tota Trinitas corpus aſſumpſiſſet.* Non enim inferre potuit, quòd in eo caſu poſsibili, vel impoſsibili, tres Trinitatis Perſonæ incarnatæ fuiſſent, niſi quia in eo caſu unio, ſeu aſſumptio humanitatis competeret Naturæ Divinæ ratione ſui. Hic ergo eſt noſter diſcurſus pro prima parte concluſionis. Ex quo iuxta mentem Cōcilij impoſsibile reputamus, quòd Natura Divina ſecundum ſe, aut ratione alicuius perfectionis abſolutæ communis tribus Perſonalitatibus incarnaretur, quin eo ipſo incarnarentur tres Perſonæ; & conſequenter quòd aſſumeret humanitatem inaſſumptam hypoſtaticè à Tribus Perſonis.

Concil. Tolet. 6.

44 Agnoverunt ſoliditatem huius meæ ratiocinationis præclari Theologi: qui tamen concluſioni verbis diſſentientes, fatentur deinde, humanitatem illam, ſic aſſumptam à Natura Divina, eo ipſo aſſumptam fore à tribus Perſonis, mediatè tamen dumtaxat, & eo modo, quo de facto in Chriſto Natura divina aſſumpta, & incarnata eſt ex Incarnatione Perſonæ Verbi. Contra tamen. Primò, quia iam vidimus *diſp. 2 ſec. 3. & 4.* contra hos ipſos Theologos, quomodo Natura Divina de facto immediatè etiam terminet unionem hypoſtaticam in Chriſto. Secundò: quia Concilia, & Pp. quorum loquutiones ibi retulimus, abſolutè dicunt de facto Naturam Divinam aſſumpſiſſe, unitam, & incarnatam fuiſſe; ſcilicet ratione perſonalitatis Verbi: ergo ſic eſſet tunc dicendum abſolutè de tribus Perſonis ratione Naturæ Divinę in eo caſu poſsibili. Tertiò, & fortiùs: quia apud ipſos non alio modo convenit nunc de facto tribus Perſonis, ſeu Perſonalitatibus, activè incarnare: ergo concedunt nobis in re, in eo caſu poſsibili dicendas fore tres Perſonas Incarnatas, eâ ſermonis proprietate, quâ de facto dicuntur incarnare: ac proinde abſolutiſsimè: imò, & etiam immediatè, nimirum ſine mediatione interiectionis, ut explicatum eſt *ibi ſec. 4.*

P. Theod. Maurif. P. Guald. Rio.

Supra diſp. 2.

45 Probatur iam poſterior concluſionis pars. Tum quia ſic videtur ſupponi à Concilio Toletano, ut expendit Bernal *diſp. 24. num. 3.* in verbis nuper à nobis adductis, indicantibus utique, taliter poſſe uniri naturas humanam, & divinam, inter ſe, ut eo ipſo tota Trinitas diceretur Incarnata, ſicut nunc dicitur incarnata Perſona Filij. Tum, quia ſolum poſſet obſtare aliqua repugnantia in eo quòd tres Perſonæ ſimul aſſumerent eamdem humanitatem in quo tamen nullam eſſe repugnantiam videbimus *ſect. ſequen.* ergo neque in eo, quòd taliter aſſumatur humanitas à Natura Divina, ut eo ipſo eſſet aſſumpta à tribus Perſonis. Tum, quia de facto ratio, cur ſola Perſona Verbi aſſumit, & incarnatur, eſt quia non unitur Natura ſecundum ſe, ſed contractè ad Perſonam Verbi, ratione Perſonalitatis Verbi, ut faciat cum humanitate unam perſonam Verbi, iuxta quidditatem, & modum ſpecialem, & eſſentialem uniendi præſentis unionis: tunc autem eſſet alter modus uniendi Naturam Divinam cum humana, non contractè ad Perſonam Verbi, ſed ad Naturam ſecundum ſe, & extentè ad tres Perſonas: in quo nulla eſt repugnantia: ergo neque in eo quòd Natura Divina aſſumeret humanam aſſumptam etiam à tribus Perſonis ex tali modo aſſumptionis, & unionis, immediatè terminatæ ad humanitatem, & immediatè quoque ad Deitatem, non contractè ad Deitatem, prout in Verbo, ſicut eſt de facto, ſed extentè ad tres Perſonas; quod non eſt de facto.

Bernal.

46 Huc faciunt etiam verba, quæ ex Leſſio retuli *num. 41.* In quibus duo animadverto. Primum, quòd adhuc in eo caſu non diceretur phraſi Theologica *unio in natura*; ſed unio in perſona: quia non eſſet ad conſtituendam ex natura divinà, & humanà, unam naturam per confuſionem, ſeu commixtionem naturarū; ſed ad conſtituēdam ex duabus illis naturis, & trina Perſonalitate divina trinam Perſonam

ſonam cum duabus naturis. Secundum, quòd mediatio illa, de qua loquitur ibi Læſſius, non eſt cur exiſtimetur mediatio interiectionis, quã recentes Theologi meditantur: cùm poſſit, & debeat intelligi de mediatione rationis, minimé tollente quód veré tunc, & abſoluté eſſent aſſumentes, unitæ, & incarnatæ tres Perſonæ, ſeu Perſonalitates divinæ; ut ex phraſi etiã primariorum Theologorum cum S. Thom. adnotavimus *ſect. 4. num. 46.*

47 Hinc ſolvetur facile obiectio, quæ ſolet fieri contra priorem partem concluſionis in hunc modum. De facto realiter unitur humanitati Chriſti Natura divina, & non ſic realiter Perſona Patris, propter virtualem diſtinctionem Naturæ á Paternitate: ergo propter ſimilem diſtinctionem Naturæ divinæ ab omnibus Perſonalitatibus, poſſet uniri Natura humanitati, quin unirentur tres Perſonæ: ſicque Deitas aſſumere poſſet humanitatem inaſſumptam eò ipſo à tribus perſonis. Qui hac obiectione utuntur & negant præſentem unionem immediatè terminari ad Naturam ſimul, & ad Perſonalitatem Verbi; cavere debent, ne dicere cogantur, de facto abſoluté non uniri humanitati Chriſti Naturam Verbi; magis quã ſi realiter diſtingueretur à Perſonalitate, ſicut in caſu obiectionis dicunt, quòd nec realiter abſoluté unirentur Perſonæ, unitã Naturã ob virtualem diſtinctionem; ut clariús perſpiciatur, quàm ſint meritó à nobis reiecti *diſp. 2. ſect. 3. & 4.*

48 Reſpondemus nos, diſtinguendo antecedens: de facto unitur Natura divina ſecundum ſe, & rationi ſui nego: ratione Perſonalitatis Verbi, & prout in Verbo, ſeu contractè ad Verbum ex vi præſentis unionis, cuius eſſentia eſt hic modus uniendi; concedo antecedens. In quo negandum eſt etiam, id eſſe propter virtualem tantum diſtinctionem Naturæ á Paternitate; quia, ut ipſi obijcientes fatentur, non obſtante eiuſmodi diſtinctione, realiter uniuntur humanitati Chriſti Perſonalitas, & Natura, & ſaltem poſſent uniri Natura, & omnes Perſonalitates; ſed præterea propter ſpecialem modum præſentis unionis, quæ nimirum ut dixi ibidem *num. 45.* uniret humanitati Chriſti Naturam, & Perſonalitatem Verbi, etiamſi per impoſſibile realiter diſtinguerentur. Unde nego totam conſequentiam. Ratio: quia Perſonæ divinæ habeant ex quidditate ſua, fieri ſibi cõmune quidquid convenit Naturæ divinæ ſecundum ſe, & ratione ſui, ſalvà ipſarum oppoſitione relativà, & veritate Myſterij, ut patet ex doctrinis innegabilibus adductis pro priori parte concluſionis. Unde, ſicut nec diſtinctio realis Patris à Filio, nec diſtinctio virtualis Perſonalitatum à Sapientia, & ab Omnipotentia, facere poteſt, quòd aliquid ſapiat Pater, aut aliquid ad extra producat Omnipotentia, quia eo ipſo id eàdem proprietate ſapiat, & producat Filius; quia nempe id competit ratione perfectionis abſolutæ ſecundum ſe; ita pariter nulla diſtinctio aut realis Perſonalitatum inter ſe, aut virtualis á Natura poteſt facere, quòd incarnatâ, ſeu aſſumente Naturâ ſecundum ſe, non incarnarentur eo ipſo, & aſſumerent tres Perſonæ: quibus, cum eiuſdem ſint individuæ naturæ, ex quidditate ſua competit quidquid competit Naturæ ſecundum ſe, ſalvà ipſarum oppoſitione.

SECTIO VI.

An tres Perſonæ divinæ aſſumere poſſint unam humanitatem; an triplicem unã: & quid inde?

49 DE Perſonis ſigillatim videtur citra dubium, quòd ſicut de facto incarnatus eſt ſolus Filius, potuit incarnari ſolus Pater, aut ſolus Spiritus Sanctus. Quin obſtet Patri, quod homo conſtitutus in eo caſu ex Paternitate, & humanitate, eſſet Pater, utpote conſtitutus ex ſuppoſito Patris, & ex humanitate in unitatem Perſonæ: & non eſſet Pater; quia homo ille potiùs eſſet Filius, utpoté productus à Patre in ſimilitudinem naturæ, ſicut nunc Chriſtus per Incarnationem: cùm autem Filius non ſit Pater, quia nemo poteſt eſſe Filius ſui ipſius, ſequitur illum hominem non eſſe Patrem. Reſpondetur enim negando, illum hominem non fore Patrem. Ad probationem huius partis negatur, quòd homo ille eſſet Filius: quia non conſtitueretur Perſonalitate, quæ ſit Filiatio, ſicut nunc Chriſtus per generationem æternam. Nec temporalis dicti ſuppoſiti productio, quæ eſſet à tota Trinitate, faceret illum potiús Filium unius Perſonæ, quã alterius: cum activè à tribus æquè per illum haberet tale ſuppoſitum quod temporaliter habet.

50 Ratio autem, cur ea productio temporalis non eſſet generatio à Patre conſtituens illum hominem Filium Patris; eſt, quia, quamvis ea productio, quæ tunc poſſet etiam eſſe generatio á Matre, eſſet aliquomodo in ſimilitudinem naturæ Dei, quatenus nempe communicaret illi homini eſſe Deum per intrinſecam communicationem Naturæ divinæ; non tamen eſſet in ſimilitudinem naturæ eo modo, quo requiritur ad rationem generationis à Patre. Nec enim haberet pro termino unito Perſonalitatem, quæ ſit Filiatio à Patre, ſicut nunc in Chriſto: in quo propterea per communicationem idiomatum dicitur veré: *hic homo eſt Filius Dei*: eiuſque productio temporalis, eſt effectiva hominis, qui eſt Filius Dei; nec ſimi-

militudo in naturâ repertâ tunc in eo ſuppoſito eadem cum Natura Patris, ſufficit, ut ea productio ſit generatio, ſicut neque, ut proceſſio Spiritus Sancti ſit generatio ſufficit produci Spiritum Sanctum eiuſdem naturę cum Patre, & Filio. De hoc dedi rationem ſatis accuratam *diſp. 8. de Attrib. ſect. 3.* Ex ibi dictis reſumam rationem à fortiori in præſenti: quia nempe ſimilitudo naturæ requiſita ad rationem generationis, eſt ad propagationem ulteriorem Naturæ, ſive producendo aliam naturam ſimilem, ut fit in generationibus creatis; ſive communicando eamdem naturam alteri ſuppoſito ulterius propagativo, ut fit in generatione divina. Eiuſmodi autem ſimilitudo, ſeu propagatio nō reperiretur in eo homine, qui tunc per communicationem idiomatum eſſet Pater æternus: in illo enim, non propagaretur natura divina ad ſuppoſitum in quo non præceſſiſſet: cum illud ſit ipſum ſuppoſitum Patris. Quæ ratio valet etiam pro ſuppoſitis humanis conſtituibilibus ex quacumque alia Perſonalitate divinâ, quantum eſt ex vi generationis, ſeu Filiationis æternæ qua conſtituitur, ut exponemus *diſp. 8.*

Tom. 1. Diſp. 8.

51 Jam verò de Perſonis ſimul, tres non poſſe aſſumere unam humanitatē docuit Scotus, ſequiturque Lugus *diſp 12. ſect. 6.* tenuit S. Anſelmus apud Petavium *lib. 5. cap. 1.* quidquid varié varij illum interpretentur: & propendet in idipſum Aldrete *diſp. 34. ſect. 1.* Movetur Lugus; quia repugnat, unam naturam ſubſiſtere ſimul per ſubſiſtentiam propriam, & alienā: ergo à fortiori per duas, vel tres alienas. Reſpondetur, conſequentiam eſſe ſatis bonam contra non paucos, concedentes antecedens. Nos verò illud negavimus *ſect. 1.* Moventur Scotiſtæ: quia cum effectus formalis ſit ipſa forma, ſeu quaſi forma, communicata ſubiecto; nequit idē effectus formalis eſſe à duplici forma: ergo non poſſet eadem humanitas habere eumdem effectum formalem ſubſiſtendi à triplici Perſonalitate divina, tanquam à triplici forma, vel quaſi forma. Reſpondetur circa antecedens multa hinc, & inde audiri in Philoſophia. Eo admiſſo, concedo quoque conſequentiam. Nego tamen pro nunc, quòd ea humanitas haberet à triplici Perſonalitate eumdem effectum ſubſiſtendi: quia cum unā conſtitueret unum ſuppoſitum, & cum alia aliud, ut ſtatim dicemus: qui eſſent plané diverſi effectus ſubſiſtendi, ab una unus, & ab alia alius.

Scot. Lug. Anſel. Aldrete. Petavi.

52 E contra quoque, nec unam divinam Perſonam aſſumere ſimul poſſe multas humanitates, docuit idem Scotus. Movetur, quia unū Verbum per unam terminationem ad intra ita exhaurit totam terminabilitatem Generantis divini, ut nequeat ulteriùs aliud Verbum ad intra generare: ergo, & una humanitas totam terminabilitatem ſuppoſiti divini ad extra ue nequeat ſimul aliam ſuppoſitare. In primis mihi ſemper diſſonat in ijs, & ſimilibus, terminus ille exhauriendi ſatis uſitatus, quaſi evacuetur, & effœta reddatur per ſui exercitium divina virtus, cum potiùs per illud ſatietur, & impleatur. Sumatur tamen exhaurire pro adæquare: & ſic, conceſſo antecedente, negabo conſequētiam. Nec opus erat ratione diſparitatis ubi nulla eſt paritatis ratio. Do tamen, quia aliud Verbum divinum repugnat aliunde; at alia natura humana ſuppoſitabilis nullo ex capite repugnat. Profectò ex antecedente potiùs inferetur, ita adæquari terminabilitatem naturæ divinæ per infinitam terminationem ſuppoſiti Verbi, ut nec natura maneat terminabilis per aliud ſuppoſitum; quod tamen falſum eſt cum etiam terminetur ſuppoſito Spiritūs Sancti: nec ſuppoſitum Verbi poſſit ulteriùs ſuppoſitare aliam naturam: quod etiam eſſe falſum videmus in Chriſto.

Scotus.

53 Concluſio ergo bipartita ſit cum S. Thom. Suar. Vaſquez, & communiori ſententia, utrumque id eſſe poſſibile: ſcilicet quòd tres Perſonæ divinæ aſſumerent ſimul hypoſtaticé unam humanitatem in uno caſu; & in alio caſu trinam ſimul humanitatem una Perſona divina. Quia in neutro caſu excogitari poteſt repugnantia ſpecialis, quæ momenti ſit.

S. Thom. Suar. Vaſq.

54 Quid inde? in prædictis duobus caſibus eſſentne ibi tres homines, & una Perſona? An tres Perſonæ, & unus homo? An totidem homines, quot Perſonæ? Quæſtio eſt moleſta propter varium uſum vocū in nominibus concretis, de quibus aliqua diximus *diſp. 2. ſec. 7.* Et ſermo eſt de abſoluto, & ſpecificativo modo loquendi: nam diſtorquendo ſignificationes per addita limitativa, diminuentia, vel reduplicantia, quodlibet poterit dici, ſcilicet eſſe tres homines inadæquaté, ſeu ſecundum quid; & ſecundum quid tres etiam Perſonas in utrolibet caſu; & in utrolibet etiam unum hominem.

Suprà Diſp. 24

55 Marſilius, & Gabriel apud Amicum, Hurtad. *diſp. 39. ſec. 8.* & Thyrſus *to. 3. diſp. 24.* docent, in primo caſu aſſumptæ unius humanitatis à tribus Perſonis fore tres homines, & tres Perſonas. At fore unum hominem, & tres Perſonas docent cum Suarez, & Vaſquez Prudentius *tract. 3. diſp. 2. dub. 3. ſec. 2.* Aldrete *diſp. 44 ſec. 6.* & communiùs alij. In ſecundo autem caſu aſſumptæ triplicis humanitatis ab una Perſona, fore tres homines docent Vaſquez, & Gaſp. Hurt. cum Scoto, & Durando quos citat, & ſequitur Amicus *diſp. 14. ſec. 7.* At fore unum hominem, & unam Perſonam docent Suar. Petr. Hurt. Lugus, Granad. & Becanus, quos citant. & ſequuntur Aldrete *ſec. 1.* Prudent. *dub. 4.* & Thyrſ. *diſ. 25.* In utramque partem citatum reperies S. Thom. forté, quia utrum

Marſil. Gabr. Hurt. Thyrſ. Suar. Vaſq. Prud. Aldret. Vaſq. Hurt. Scot. Durant. Amic. Suar. Hurt. Lugus. Granad. Thyrſ.

Digitized by Google

utrumque docuit:unum *in hac 3.part.* & aliud in Secretarijs: sicque retractasse sententiam sit Godoy *disp 16.num.136.*

Bern. Aldret. Prud. S.Tom. Godoy.

56 Existimo, in primo casu fore unum hominem, & tres personas; in secundo verò é contra,unam personam,& tres homines. Prior pars est communis cum Suarez, & Vasquez; Posterior post Vasquez traditur præcipua ex parte à Conine *disp.18 remissivè ad disp 7.de Trin.* ubi doctissimè de concretis;& ex integro à Bernal *disp 24.*

Conine. Bernal.

57 Utriusque partis una mihi ratio est: quia, ut diximus *d sp.2.sect 7.* concreta substantiva in non purè creatis, ubi tam subsistentia,quàm natura sunt substantiæ degenere pertestantium, eiusmodi nomina concreta significant in recto Personalitatem, & naturam; & multiplicâtur,seu pluraliter dicuntur, pro multiplicatione,seu pluritate expressioris, & formalioris significati per nomen: cùm autem nomẽ concretum *Homo* expressiùs significet humanitatem,quæ in primo casu est una & in secundo triplex,& nomen *Persona*,Personalitatem, quæ in primo casu est triplex, & in secundo una; inde est, quòd in complexo primi casûs unius humanitatis assumptæ à tribus Personalitatibus, dicendæ sint tres Personæ, & unus homo; in complexo autem secundi casûs triplicis humanitatis assumptæ ab unâ Personalitate dicendi sint tres homines,& una Persona. Per hanc regulam in Trinitate est unus Deus, quamvis Personæ sint tres;& sunt tres Personæ, & tria suppositа, quamvis Natura sit una: & in Christo una Persona,& unum suppositum,quia una est Personalitas, quamvis Naturæ sint duæ. In puré tamen creatis multiplicatio similium concretorum est penes Naturam:quia Personalitas,seu subsistentia,nec per nomen *homo*; nec nec per nomen *Persona*,aut *suppositum* significatur in recto ob rationem datam *disp.2. nu. 102.* Scio, Patrem Bernal.iuxta doctrinam quã ex ipso retulimus *ibidem num. 105.* de novâ significatione, quasi adiectivâ nominis, *Homo*, in Christo aliter sentire, & loqui aliquando, sustinere : in quo illum impugnat Aldrete ubi supra.

Supra disp 2.

Supra disp 2. Bernal.

Aldret.

58 Adversùs priorem partem in primo casu obijciuntur tria.Primò:Si in priori illo casu diceretur unicus homo, sequeretur dici verè tunc posse: *Pater est homo*: & similiter: *Filius est hic idem homo*: ergo diceretur similiter: Filius est Pater,iuxta principium illud:*quæ sunt eadem uni tertio sunt idem inter se.* Consequentia probatur facto pro illo casu hoc syllogismo: *Pater est homo: sed hic homo est Filius: ergo Pater est Filius.* Secundò : In illo casu esset ibi homo,& homo, nam essent multa suppositа, seu personæ, quæ essent homo: ergo essent plures homines. Tertiò : pro illo casu Patet in eo completo trium Personarum assumentium esset aliud suppositum à supposito Filij:ergo non unus,& idem homo: nam *homo* significat suppositum:

59 Respondatur ad primum, concessõ antecedente,negando consequentiam : ad modum, quo in Trinitate præter volante principium illud metaphysicum, ex eo quòd dicatur, *Pater est hic Deus: Filius est hic Deus*; non sequitur : *ergo Pater est Filius*: scilicet ob distinctionem realem Personalitatum inter se, & virtualem à deitate Hinc ad probationem consequentiæ dico,in illo syllogismo præmissas esse absolutè veras,& consequentiam fallam: deficit enim à rectâ formâ propter variatam suppositionem terminorum:quippe in prætermini *Homo, Filius*,& *Pater* prædicantur, aut subijciuntur per solam communicationem idiomatum, ratione scilicet identitatis suppositi Patris,& hominis; Filij,& hominis ;at in consequentia non possunt sic prædicari,nec subijci cum Patet,& Filius diversa suppositа sint.

60 Ad secundum:concesso antecedente nego consequentiam cum Amico *num. 124.* quia quamvis esset homo,& homo;non tamen diversus,sed idem homo. Dices:ergo posset similiter admitti in Trinitate *Deus, & Deus*: sub intelligendo,*non diversus sed idem Deus*: cum etiam ibi sint multa suppositа, quæ sunt Deus. Cum hac explicatione admittit consequentiam Amicus. Absolutè tamen neganda est, quia male sonat versùs errorem admittentium plures Deos. Et ratio est notanda : quia, *Deus, & Deus*, in Trinitate, quamvis possit habere sensum non malum, in quo id concedit Amicus,potest sonare pluritatem Deorum, quod est error; at *homo, & homo*: in complexo nostri casus ad summum potest sonare pluritatem hominum:quod non est error,imò sententia gravium Theologorũ, quamvis nobis falsa.

Amico

61 Ad tertium, concesso antecedente, negatur consequentia. Ad probationem verum est, quòd *homo* significat suppositum; at quia in pure creatis significat solam humanitatem in recto,& in non puré creatis,quale esset tunc illud complexum,quamvis & humanitatem,& subsistentiam significet in recto; humanitatem tamen significat expressiùs,non multiplicationem humanitatis : cùm autem in complexo prioris casûs, una esset humanitas, unus esset homo,quamvis Personalitates, seu suppositalitates,seu subsistentiæ essent tres. Sic in Trinitate unus est Deus,quia deitas una expressiùs significata per nomen concretum *Deus*, est una, quamvis personalitates, & suppositа quæ veniunt etiam sub significato in recto per tale concretum,sint tres,& tria.

Ad.

62 Adversús posteriorem partem in secundo casu objiciunt ingeniosè,& graviter Lugus, & Aldrete. Si complexum duplicis humanitatis in una Persona Divina, dici deberet duo homines ; cùm in Christo sint duæ naturæ viventes divina,& humana in una Personâ, Christus de facto dici posset, & deberet duo viventes: sed hoc dici nequit: ergo neque illud. Minor probatur. Primò : quia nequit dici Christus duæ substantiæ, sed unica substantia : ergo neque duo viventes. Secundó, quia, si Christus esset duo viventes, seu duplex vivens,unum non esset aliud: eo enim modo, quo est duplicitas est distinctio, cuius est facere, ut unum non sit aliud : posset ergo in Christo absolutè dici: *hoc vivens*, sive, *hic vivens non est illud vivens*: quod absonat. *Lugus. Aldret.*

63 Respondetur ex Amico *num.*143. admissâ minori, negando minorem, quòd nequeat Christus de facto dici duo viventes: potest enim id dici, sicut duas esse in Christo Naturas intellectuales : nam eiusmodi loquutiones non indicant dualitatem Personarum, sed Naturarum, quas nomen, *vivens*, exprimit. Ad primam probationem,negatur similiter antecedens, Christum non posse dici duas substantias, sicut duas Naturas admisimus cum Damasceno *d. sp 2.num 20.* præsertim cùm sic loquutus fuerit Augustinus *serm. 58. de Verbis Domini*, ibi : *Agnoscamus geminatam substantiam Christi: divinam scilicet, quâ æqualis est Patri ; humanam, quâ maior est Patre.* Antiquitùs vox *substantia*, & vox, *subsistentia*, facile confundebantur: ideòque cavendum erat ab eo quod nunc tutò admisimus. *Amic. Supra disp. 2. August.*

64 Ad secundam probationem cautiùs procedendum est in admittendo in Christo, quód sit *duplex vivens*, & *unum ac aliud vivens*, eo quód in Prædicamento, *vivens*, neutraliter sumatur substantivé pro substantia cõpleta, seu supposito vivente: sicque, *duplex vivens*, sonaret absolutè duo suppositа viventia, quod nequit admitti in Christo. Ideó, quamvis admittamus in Christo duos viventes, seu duas naturas viventes ; non ita *duplex vivens*, seu *duo viventia* ; quia hoc sonat substantivé, & prædicamentaliter duo suppositа: sicut de voce *corpus* prædicamentaliter observavimus *disp 2. num 119.* Unde in eodem sensu recusabo admittere *unum*, & *aliud vivens*, & unum vivens in Christo non esse aliud : quia esset, aut saltem sonaret, unum,& aliud suppositum: in quo nec est duplicitas, nec distinctio: sicque negandum est illud postremum, quòd in Christo *hoc vivens non est illud vivens*: quamvis verum sit, quòd sint in eo *duæ naturæ viventes*, & quòd *hæc natura vivens non est illa natura vivens*: sunt enim duæ naturæ distinctæ. *Hic vivens non est ille vivens* : videtur sonare, *hic Deus vivens* : aut *hic homo vivens*: ideòque absolutè negandum: sicut etiam, *alius, & alius vivens*. *Supra disp. 2.*

65 Demique circa terminos, *aliud*, & *aliud*, sic prolatos dicunt aliqui admitti licère in Christo ; non autem *alius*, & *alius* : quia, *aliud*, neutraliter, significat, inquiunt, alietatem naturę, quæ duplex est in Christo ; *alius* verò masculinè significat alietatem Personæ, quæ in Christo unica est : sicut propterea dicunt Theologi vice versâ,quòd in Trinitate admitti potest *alius,& alius* masculinè, & quód Filius est alius à Patre, quia sic masculinè significatur alietas Personæ, quæ in Trinitate triplex est; non verò: *aliud,& aliud*, & quòd Filius sit aliud à Patre, quia sic neutraliter significatur alietas in natura, quæ in Trinitate unica est. Sic videtur ferre usus vocum iuxta Institutum Ecclesiæ, & Scholasticorum. Semper in his expedit cauté loqui,& ubi dari possit occasio æquivocandi, cum accomodâ distinctione, ut prudenter admonet Martinon *disput. 8. sect. 2.* *Martin.*

SECTIO VII.

An assumere hypostaticè naturam alienam, ita sit solius Suppositi divini, ut nulli creato valeat convenire.

66 POsse hoc suppositis etiam creatis de absolutâ Dei potentia competere, tenuerunt olim Nominales: deinde Hurt. *disp. 32.* Bernal *disp. 24. sec. 3.* Oviedus *in Phys.* Becan. *cap. 4. quæst. 5.* & nimis communiter Moderni : atque in id per longum discursum inclinat Meratius *disp.17.* Quinimó aliqui apud Becanum putatunt, id iam defacto contigisse in Malachia, Aggæo, Baptistâ, & Melchisedecho, quos dixerunt fuisse Angelos incarnatos. Et P. Suar. *tom. 2, in 3. par. disput. 34. sec. 1.* refert alios opinatos, Antichristum fore Angelum malum incarnatum : cui opinationi videntur satis favere Theodoretus, Ambrosius, Hieronymus, & Beda. Hos tamen ab hac existimatione meritò vindicant Suar. ibi, & Prudentius *tract. 3. disp. 2. dub. 5.* *Nomin. Hurt. Bern. Ovied. Merat. Suar. Theodor. Ambros. Hieronym. Beda.*

67 Graviores Theologi meritò docent, id esse solius Suppositi divini,ita ut creato protsús impossibile sit. Sic S. Thom. Suar. Vasq. Coninc, Delugo, Godóy, Prudentius ubi nuper, Martinonus *disp. 8. sec. 1.* Amicus *disp. 14. sec. 7.* & latè P. Thyrsus *disp. 23.* Difficultas est in assignanda ratione repugnantiæ. Multas examinant;& improbant Lugus,& Prudentius. *Suar. Prudent. S. Thom. Suar. Vasq. Coninc. Lugus. Martin.*

68 Qui tamen hanc approbant ex Suarez. Nam omnis subsistentia, seu suppositalitas crea- *Amic. Prud. Godoy.*

Digitized by Google

creata est modus superadditus suæ naturæ: modus autem est per se determinatissimus ad tribuendum suum effectum formalem soli rei, cuius est modus: unde actio, sive unio, quæ est ipsum determinatissimum fieri, sive uniri Petri, nequit esse actio, aut unio Pauli: eo enim ipso esset alia actio, & alia unio. Sic ergo subsistentia, sive suppositalitas Michaelis, quæ est ipsum subsistere, ipsumque suppositari Michaelis, repugnat, quòd sit subsistentia, vel suppositalitas reddens aliam naturam subsistentem, & suppositatã: sic enim esset, & non esset eadem subsistentia.

69 Si omnes subsistentiæ creatæ actuales, & possibiles essent modi, subsistere posset illa ratio. Sed quid, si sint res, ut volunt multi, per unionem mediam affixæ suis naturis? cur per aliam unionem non possent effigi naturæ alienæ, sicque illam suppositare? Saltem mihi prodesse non potest ea ratio pro suppósito Angelico: in quo, ut ex S. Thom. dixi *sect. 2.* subsistentia est realiter ipsa natura Angeli, ac proinde non modus, sed res. Cur ergo hæc res identificata cum sua natura creata non poterit hypostaticé assumere, & suppositare naturam alienam, scilicet humanitatem, & angelus fieri homo; sicut suppositalitas Verbi identificata cum ipsius natura suppositat humanitatem, ita ut Deus sit homo.

Epiph. Martin. 70 Aliam rationem ex Epiphanio insinuat Martinon *num.7.* quòd nempe suppositalitas creata assumens hypostaticé naturam alienam esset in alio, nempe in composito inde constituto, ut pars in toto: & sic esset, & desineret esse subsistentia: at suppositalitas divina per assumptionem, in nullo potest esse, ut pars in toto, cùm nequeat esse pars. Dilucidiùs eam efformat P. Thyrius sic. Quodlibet suppositum creatum, cùm non sit simpliciter infinitum, assumens alienam naturam constitueret cum illa complexum se solo perfectius; sicque in hoc complexo perfectiori staret ratio suppositi, & non in parte assumẽte, nec in parte assumptã: nam suppositum est quod in toto constituto perfectius est. Undè suppositum illud creatum assumens esset suppositum, ut supponitur; & non esset suppositum, quia non esset quod perfectius est in toto illo essentiali constituto; cùm totum sit perfectius parte. Ecce ergo implicantiam: quæ longè abest à Suppósito divino assumente, quo nihil est perfectius: ideoque semper retinet in se solo rationem suppositi, & nunquam rationem partis, ut ex Augustino observavimus *disp.2.num.*18. *S. Aug. sup disp. 2 sect.1.*

71 Placet potissimùm ratio, quam ex S. Thoma exhibet Suarez *quæst.1. art.*1. scilicet: *solius Personæ divinæ esse assumere, propter eius infinitatem*: utpotè modo supereminentissimo continentis modos omnes, quibus sese vicissim communicant, & perficiunt entia creata; ac proinde modum, quo subsistentia creata suppositat propriam naturam. Sic etiam Lugo, & Cipullus. *S.Thom. Suar.* *Lugo Cipull.*

72 Quocirca dixi ex Uvadingo *disp. 2. num.11.* & iterum in præsenti *sect.1. & 2.* quòd, ut ex duobus entibus possit fieri unum per se, requiritur certa illorum adinvicem cohærentia, & proportio ad communicationem perfectionum unius in alterum. Cùm autem infinitum bonum sive morale sive physicum, quale est Suppositum divinum, sit ratione suæ infinitudinis communicabilius, magisque sui diffusivum, quàm bonum quodcunque creatum, eo ipso simpliciter finitum; inde est, quòd communicari possit creaturis suis multis, ac miris modis, quibus creaturæ invicem nequeunt se communicare. Patet hoc in modo se communicandi per gratiam, quæ est communicatio physica Dei ad creaturam & consortium creaturæ rationalis cum Deo, cum quo stare nequit inimicitia: & in modo se communicandi, & diffundendi per visionem sui, quæ est formalis beatitudo, & possessio summi boni, cum quo nec potestas peccandi stare potest: qui modi communicationum ita sunt solius Dei propter suam infinitatem, ut omnino repugnent limitationi cuiuscumque boni creati: quod utique eo ipso esset finitum, & infinitum. Sic ergo specialiùs, & à fortiori discurrere licet de modo excellentiori se communicandi per hypostaticam unionem; ad quem, utpote summum ad extra, nullum bonum limitatum potest pertingere: esset enim eo ipso limitatum, ut supponitur, & illimitatum, utpotè pertingens ad summum modum se communicandi ad extra proportionatum, & proprium solius boni infiniti. *Thyrs.* *Supra disp. 2.*

***

DISPUTATIO IV.

DE CAVSIS PHYSICIS INCARNATIONIS.

1 PHYSICIS, inquam; quia de cauſis Moralibus huius Myſterij, quales ſunt cauſa Meritoria, & cauſa Finalis, quæ plures, & operoſiores habent difficultates, diſſeremus ſeorſim, & fuſiùs *diſp.5.& 6.*

SECTIO I.

An Verbum influxu effectivo phyſico ſibi ſpeciali, & non communi alijs divinis Perſonis, fuerit cauſa efficiens Incarnationis.

2 CUm omnia opera Dei ad extra ſint effectivè communia toti Trinitati, certum eſt, opus quoque Incarnationis effectivè à Verbo, illo ſatem influxu activo, quo eſt ab alijs Divinis Perſonis ratione Attributi Omnipotentiæ individuæ, & communi Tribus.

3 Præter hunc influxum communem, competere Verbo alium influxum ſpecialem non communem Patri, nec Spiritui Sancto, etiam phiſicè effectivum, in humanitatem Chriſti, aut in ſui incarnationem, ſive in unionem hypoſtaticam, docuit Carolus de Abra citatus à Bernal. *diſp.12. ſect* 1. favet Uvadingus *diſp.4. dub.3.* & latè diſputat Prudentius *tract.3.diſp.1.dub.2.*

Abra. Bernal. Uvad. Prud.

4 Fundamentum eſt. Quia Humanitas Chriſti, cùm ſpecialiter ſuppoſitetur à Verbo, ſpecialem dicit dependentiam à ſuppoſito Verbi præ alijs divinis Perſonis: hæc autem ſpecialis dependentia non eſt à poſteriori, cũ ſuppoſitum Verbi non ſe habeat à poſteriori reſpectu humanitatis, aut Incarnationis: ergo eſt à priori: ac proindé, tanquam à cauſâ ſpecialiter effectivâ: nam genus cauſæ formalis, aut materialis in Verbo reſpectu humanitatis reperiri non poteſt.

5 Reſpondetur tamen, admiſsâ maiori, negando minorem, & conſequentiam: nam quamvis dependentia effectiva humanitatis à tribus communiter Perſonis ſit à priori, nimirum ut á principio phyſicè efficiente; at dependentia ſpecialis, quam præterea dicit humanitas à Perſona Verbi, ut à ſuſtentante, ſeu ſuppoſitante, non eſt à priori effectivè, ſed ut à complemento, ipſi ſuperveniente per unionem hypoſtaticam terminatam ad ſuppoſitũ Verbi: quin opus ſit ſpecialis influxus effectivus Verbi, aut in humanitatem, aut in unionem. Et quidem dependentia, quam in purè humanis dicit Natura à ſua ſubſiſtentia, ipſam utique complente in eſſe ſuppoſiti; non eſt niſi dependentia à poſteriori, tanquã à proprietate ſubſequente naturam. Unde non eſt, cur ſpecialis illa dependentia, quam dicit humanitas ſpecificativè à Verbo, ut à ſuſtentante, ſive ſuppoſitante; debeat perinde eſſe pluſquam à poſteriori, cùm in hoc munere Verbum ſuppleat vices ſubſiſtẽtiæ creatæ próprię humanitis. Nec obeſt, quòd Verbum ſit priús humanitate, & Incarnatione. Nam hæc prioritas in exiſtere non eſt prioritas in uniri, quæ eſt è re præſenti, pro dependentiâ humanitatis à Verbo ut à ſuſtentante, ſeu ſuppoſitante humanitatem mediâ unione hypoſtaticâ.

6 Inſtabis ſpecialiter contra nos: quia quamvis, iuxta doctrinam reſponſionis, & alias doctrinas communes, benè ſtet, dependentiam illam ſpecialem humanitatis à Verbo, ut à ſuppoſitante, non eſſe à priori, ſed à poſteriori; at reſpectu Incarnationis formalis, quæ eſt ipſa unio hypoſtatica, debet eſſe à priori: hæc enim, ut potè modus eſſentialiter affixus ſuis extremis, non eſſentialiter illam exigentibus; ſupponit in aliquo genere prioritatis ſua extrema: tanquam non eſſentialiter dependentia ab eſſentialiter dependenti. Quinimó, & reſpectu etiam humanitatis Chriſti, prout iuxta noſtram ſententiam conſtitutæ, idem arguitur: nam in eſſe humanitatis conſtituitur per unionem corporis, & animæ, quæ unio, apud nos, eſt unio ipſa hypoſtatica: ergo eamdem poſterioritatem, quam dicit unio hypoſtatica ad Verbum, dicit etiam hæc humanitas per hanc unionem conſtituta: ergo tam Incarnatio formalis, quæ eſt unio, quàm humanitas Chriſti, quæ per talem unionem conſtituitur, pendent à Verbo ſuſtentante non ſolum à poſteriori; ſed à priori; ergo per influxum effectivum ſpecialem

Verbi

Verbi in Incarnationem, & in humanitatem sic constitutam.

7 Respondetur, multum veri contineri in hac instantia; sed nihil ad rem præsentis difficultatis de speciali influxu effectivo Verbi. Admittere soleo prioritatem illam, quam vocant naturæ, in independenti respectu dependentis, quando non obstat influxus dependens, seu minús dependentis in independens, ut obstat certò in actione respectu termini: cúm autem id non obstet in unione respectu Verbi, nec respectu humanitatis, cõcedam, tam Verbum, quàm humanitatem specificatiuè, id est corpus, & animam habentes unionem, dicere genus illud prioritatis independentiæ respectu unionis essentialiter dependentis ab illis extremis: & in hoc prioritatis genere unionem hypostaticam dependere à priori specialiter à Supposito Verbi, & non sic ab alijs Personis quas non unit: & consequenter humanitatem, prout constitutã apud nos per unionem illam, pendere specialiter à Verbo à priori in eodem illo genere prioritatis independentiæ Cæterum ex tota hac doctrina non infertur specialis influxus effectivus Verbi, aut in unionem, aut in humanitatem, qui communis non sit alijs Personis non unitis. sed unientibus, de quo est quæstio. Unde admissa tota doctrinâ instantiæ, quæ procedit iuxta primum illum sensum prioritatis puræ independentiæ, seu essentialis inconnexionis; nego ultimam consequentiam, ut illegitimè prorsus deductam ex antecedentibus.

8 Conclusio ergo sit cum communi ferè omnium sententia: Verbum non esse causam efficientem Incarnationis per influxum effectivum sibi specialem non communem toti Trinitati. Ratio. Quia Incarnatio est opus Dei ad extra, & ex communi Theologorum proloquio opera ad extra sunt effectivè indivisim communia toti Trinitati. Nec occurrit ratio, quæ momenti sit ad concedendum Verbo prædictum influxum effectivum physicũ in Incarnationem, sive in humanitatem, qui communis non sit alijs Personis ratione scilicet Attributi Omnipotentiæ indivisim cõmuni tribus: ut ulteriús prosequuntur, contra Carolum de Abra, Bernal, & Prudentius citati.

9 Nec dependentia illa apriori, quam *num. 7.* concessimus Incarnationi respectu Verbi, probat specialem hunc Verbi influxum. Tum quia non fundatur in influxu, sed in essentiali dependentia connexivâ unionis cum Verbo non ita cum illa connexo: non quidem cum Verbo tanquam cum causa materiali, ut nobis obijciebatur *num. 4.* non enim ad id opus est causalitate materiali: quã sicut & rationem etiam causæ formalis physicæ longe fecimus à Verbo, utpoté termino purissimo *disp. 1. sect. 1.* sed à Verbo, ut ab extremo puré terminativo talis unionis: per hoc enim salvatur satis dependentia illa essentialis connexionis à non essentialiter cõnexo. Tum quia aliunde iam est in humanite, & Incarnatione vera ratio posterioritatis, & dependentiæ à priori, seu causalitatis à Verbo, ratione influxús effectivi in illam; communis tamen tribus Personis non specialis Verbi. *Suprà disp. 1.*

10 Doctrinam Patris Bernal, identificantis in puré creatis subsistentias cum productionibus humanitatum, ex qua posset aliquis contra superiùs dicta contendere dependentiam naturæ à proprijs subsistentijs esse à priori prioritate etiam causalitatis, sive originis; iam repulimus *disp. 1 sect. 5, & 6.* *Bernal.* *Suprà disp. 1.*

SECTIO II.

An Humanitas Christi fuerit causa physicè efficiens Incarnationis.

11 P. Bernal. *disp. 12. sect. 3. §. 1.* negat. Ait tamen, id sequi affirmandum ex sententia communi: apud quam anima, & corpus suam sibi producunt subsistentiam, uti proprietatem, in naturalibus: ergo congruum est, quòd concurrant ad unionem sui cum alieno, quando propria denegatur, ut in Christo. Nec obest, inquit, quód anima nihil incipiat agere nisi, ut producta, & unita corpori: cum enim unio hypostatica asseratur distincta à productione animæ, eiusque unione ad corpus; supponi potest anima producta, & unita corpori pro ptiori aliquo ad unionem cum Verbo: cur igitur sic præsupposita tota humanitas non producat sui unionem cum Verbo, sicque sit causa effectivè concurrens instrumentaliter, & obediẽtialiter ad Incarnationem. Ideo sententiam istam sic affirmantem aggressi sunt absolute tueri nonnulli in Manuscriptis. *Bernal. disp. 12.*

12 Omnes tamen alij, quos viderim negant, & meritò, Humanitati influxum istum physicé effectivum in Incarnationem, suivé assumptionem: utpote nec in authoritate, nec in ratione, vel mediocriter, fundatum.

13 Ratio id negandi mihi facilis est. Quippe unionem humanam Christi identificatam realiter pono cum hypostaticâ: cum autem nec humanitas Christi constituta per unionem humanam, nec anima Christi, quæ nihil incipit agere nisi ut unita corpori, possit influere in unionem humanam, similiter

neque in hypoſtaticam: ac proinde non influit effectivè phyſicé in Incarnationem: ſicut neque in puré humanis in ſubſiſtentiam humanam, quæ eſt ipſa humana unio.

14 Quo ruit ratio oppoſita *num.* 11. utpoté nixa antecedente mihi falſo. Ex quo certé nec contra communem ſententiam concluditur intentum: ex eo enim quòd humanitas producat ſibi propriam ſubſiſtentiam uti proprietatem, non infertur, quòd debeat producere unionem ſui, cum aliena ſubſiſtentia, ſicut neque alienam ſubſiſtentiam, ſibi indebitas, & quę non ſunt ipſius proprietates. Unde admiſſo antecedente, negabit facilé conſequentiam, eiuſque congruitatem communis ſententia.

15 Hæc dixerim de Incarnatione quoad primum ſui eſſe, ſeu de unione hypoſtatica in primo fieri. Nam deinceps in nutritione animam Chriſti, & ratione animæ eius humanitatem iam præunitam Verbo, effectivé phyſice influxiſſe in aliquas novas partes integrales unionis hypoſtaticæ, exiſtimo veriſſimum conſequenter ad noſtra principia, ſicut id ipſum conceſſit conſequēter ad ſua Bernal §. 4. *& diſp. 19 n. 41.* Ratio, & explicatio eſt: quia animæ, ſeu humanitati ſe nutrienti cōpetit in nobis ratione virtutis nutritivæ concurſus effectivus in novas partes ſuæ unionis ad materiam ſupervenientem: cùm autem in Chriſto eiuſmodi novæ partes unionis animæ ad novam materiam, ne dicantur eſſe ſubſiſtentia creata, ſint etiam unio hypoſtatica ad Verbū, non eſt cur negetur virtuti nutritivæ humanitatis in Chriſto ad id, ſicut ad alia per antecedentem unionem elevatæ, concurſus effectivus in novas illas partes integrales unionis hypoſtaticæ ſupervenientis. Obiectioni, quæ poſſet hìc fieri ex ſupernaturalitate nutritionis Chriſti, occurrimus ſatis *diſput. 1. à num. 126.*

Bernal. *Supra diſp. 1. ſect. 10.*

16 Nec incongruum mihi videtur, quòd in Reſurrectione ipſa quoque Chriſti Anima (& forté corpus) concurrerit effectivé ad unionem hypoſtaticam idemtificatam cum humanâ. Nam P. Suarez *tom. 2. in 3. par. diſp. 45. ſect. 2.* tribuit tunc Animæ Chriſti concurſum effectivum ad diſpoſitiones illas ſui corporis reſurtecturi, & ad unionem ſui cum corpore; ſaltem, ut ſtrictiùs verificetur, quòd Chriſtus ipſe, etiam ut homo, ſe reſuſcitavit, *& iterum animā ſuā ſumpſerit*, ut dixerat Joan. 16. Cùm autem apud me ea unio humana debeat tunc etiam eſſe pariter hypoſtatica, ſequitur idem ille concurſus Animæ Chriſti reſurgentis ad eam unionem hypoſtaticam.

Suar. *Joan. 16.*

17 Dubitat Suarez ibidem: an in Reſurrectione reproducta fuerit eadem numero unio, quæ in morte perierat; an alia numeró diverſa? Et inclinare videtur in eamdem numero. Loquitur ipſe de humana: & iuxta doctrinam noſtram eodem modo diſcurrendum eſſet de Hypoſtaticâ idemtificatâ cum humanâ. Utrumque poſſibile fuit, ſive eamdem reproduci, ſive novam produci. Quid evenerit de facto ex his duobus poſſibilibus, me prorſus latet. Plura ibi Suarez.

Suar.

SECTIO III.

An Beatiſſima Virgo fuerit cauſa efficiens Incarnationis, phyſicè influens in unionem Hypoſtaticam.

18 COmmunis iam eſt Philoſophorum doctrina apud Suarez *to. 1. in 3. par diſp. 10 ſect. 1.* in puré creatis Matres non ſolùm concurrere ad generationem prolis paſſivé, & ſubminiſtrando materiam, verum etiam activé, & efficienter phyſicé. Imò non ſolum ſicut Patres per illam partem ſuæ ſubſtantiæ quam emittunt; ſed immediatiùs per ſe ipſas: cùm amoto viro, ſint approximatæ fœtui, quando formatur, & animatur, nec ſit cur negetur illis ea activitas: brutis quidem in animam, & unionem; hominibus verò in ſolam unionem: quia anima rationalis eſt à ſolo Creatore. Sic etiam ex communi ſenſu ſupponit Bernal. *ſect. 3.* quòd nec eſt noſtrum hoc in loco diſputare; ſed ſupponere.

Suar. *Bernal.*

19 Fide ſanctum eſt: B. Virginem veré, proprie, & phyſicé fuiſſe Theotocon; id eſt, Matrem Dei. Adverſús Neſtorium, & alios Hæreticos, damnatos à varijs Concilijs, qui dicebant, Mariam non eſſe appellandam Matrem Dei; ſed hominis, qui fuit Deus: non Deiparam; ſed Chriſtiparam: non Theotocō, ſed Chriſtotocon: per quam non niſi quaſi per canalem Deus venit ad nos, nihil ſubſtantiale ex ea ſumens.

20 Hinc manet certum, Chriſtum Deum verum, & hominē, verequé Filium Virginis, formatum fuiſſe ex parte ſubſtantiali Humanitatis ſanctiſſimæ Virginis: quæ pars communiter creditur fuiſſe purißimus ſanguis. Manet etiam iuxta veram Philoſophiam nuper memoratam, B. Virginem, ut veram Matrem, effectivé concurriſſe ad introducendam diſpoſitionem, & formam organicam in illam materiam; & inſuper in eodem inſtanti temporis, ad unionem animæ à Deo creatæ cum corpuſculo illo ex Virgineâ ſubſtantia formato, & diſpoſito. Non quidem concurſu naturaliter exhibito, ſicut regulariter eſt in alijs Matribus, ſpectato naturæ, & temporis ordine ad hæc omnia per ſuas moras perficienda; ſed concurſu miraculoſo, & ſupernaturali, ſaltem

quo

quo ad modum: cùm tota illa dispositio, organizatio, & unitio facta fuerit divinitùs in instanti temporis à Deo principaliter; & obedientialiter à Virgine Matre Admirabili. Quæ propterea non desinit esse Mater naturalis contrapositè ad legalem, seu exillimativam, ut iam monuimus *disp. 1. num. 125.*

Supra disp. 1. sect. 10.

21 Difficultas præsens est: an præterea B. Virgo Mater effectivè concurrerit ad producendam unionem ipsam hypostaticam humanitatis ad Verbum. In quo alij negant, alij affirmant; variis tamen tam affirmandi, quàm negandi modis. Quos inter excesserunt in cẽsurâ, sicut defecerunt in fundamento, Medina, & Lorca; ille, minimè sanam; iste minimè probabilem censens sententiam affirmativam.

Medin. Lorca.

22 P. Vasquez, Baldius, Martinonus, Godoy, & latè Aldrete *disp. 33.* negant id de facto, & de possibili. P. Suarez, & communiùs alij, quos sequitur Amicus *disp. 13 n. 3.* negant id de facto, quamvis iudicẽt esse possibile. P. Coninc. *disp. 5 dup. 1.* negat de possibili; si tamen esset possibile, & aliæ Matres concurrãt activè; ait, cõcedendũ id de facto Magnę Matri. Affirmant omnino de possibili, & de facto P. Granadus *tom. 4 disp. vlt. sect. 1.* Bernal. § 2 quoad illam partem unionis Hipostaticæ, quæ unit unionem humanam cum Verbo. Magister Lumbier *quæst. 16. art. 4. à num. 756.* citans Svavedram, Lacerdam, & Becanum: & novissimè perdoctus P. Franciscus Garau in præclaro suo Opere de Deipara illustratâ *Principio 4. num 17.* & non pauci é graviss. mis Recentioribus.

Vasq. Baldius. Aldret. Martin. Godoy. Suar. Amic. Coninc.

Granad. Bernal. Lumbier Becan. Garau. Saaved. Cerd.

23 Perplacet hæc postrema sententia omnino affirmativa; quam, præter graves Authores illam absolute tuentes, indicant quoque probabilem Suarez *disp 10.* Petrus Hurtadus *disp. 23.* & Raynaudus *tom 7. in Glossario pag 417.* citans Sanctos Epiphanium & Bernardum. Undé patet, quàm temerè ceciderint de hac sententia Medina, & Lorca.

Suar. Hurtad. Raynau.

24 Moveor primò: quia, ut iuxta communiorem, & veram Philosophiam initio supposuimus de aliis Matribus, Beatissima Virgo effectivè concurrit ad producendam unionẽ humanam animæ Christi ad corpus: sed ea unio humana Christi ut latè defendimus *disp. 1. à sect. 7.* est quoque unio hypostatica sui, & humanitatis ad Verbum: ergo B. Virgo concurrit efficienter ad unionem etiam hypostaticam, & proinde ad Incarnationem. Cum eo tamen discrimine, quòd aliæ Matres præstant naturaliter, & principaliter suum concursum in unionem humanam Prolis; & Beata Virgo, Mater admirabilis, non nisi miraculosè, & obedientialiter per divinam Omnipotentiam elevata concurrit ad producendam unionem humanam Prolis supernaturalissimam, utpotè identificatam cum hypostaticâ.

Supra disp. 1.

25 Secundò: quia S. Bernardus *lib. 5. de Consideratione*, accomodans ad tria hæc extrema, Verbum, Animam, & Corpus Christi, tria illa fata farinæ, quæ adduxit in Parabolam Christus *Matth. 13.* intelligit Mariam fuisse mysticè Mulierem illam trium satorum: quatenus scilicet *tria illa fata Evangelica, carnem, animam, & divinitatem copulavit.* Et similiter S. Ambrosius *epist. 22.* scribit: *per virum, & mulierem caro ejecta est de Paradiso, per Virginem iuncta est Deo.* Per quæ satis indicatur concursus Deiparæ Virginis in copulationem, coniunctionem, seu unionẽ hypostaticam humanitatis cum Deo in Filio suo.

S. Bern.

Matt. 13.

Ambros.

26 Tertio: quia, ut oportunè expendimus *disp. 1. num. 108.* sic salvatur strictissimè, & propriissimè articulus Fidei; quòd B. Virgo fuerit verè, & absolutissimè Mater Dei. Dices: aliæ sunt veræ Matres hominum, quin producant subsistentias suorum Filiorum, aut unionem cum proprijs ipsorum subsistentijs: ergo, & B. Virgo dicetur similiter Mater Dei, id est Personæ divinæ, quamvis non produceret unionem humanitatis à se genitæ ad subsistentiam divinam. Contra tamen: in primis, quia antecedens est mihi falsum: quippe iudico, in puré creatis unionem esse subsistentiam, seu Personalitatem: ac proindè eo ipso quòd Matres producant unionẽ Prolis, producere necesse est subsistentiam. Deinde: quia, adhuc dato antecedente, non tenet consequentia: quamvis enim aliæ Matres non producerent subsistentiam Prolis, producerent Prolis naturam, cui ut proprietas debetur sua subsistentia: unde, & productio hominis, seu Personæ tribueretur illis per illam regulam: *qui dat formam dicitur dare consequens ad formam*: at si B. Virgo nõ produxisset unionem humanitatis Christi ad Personalitatem Christi, nihil omninó produxisset cui deberetur subsistentia, qua de facto Christus constituitur Persona, & homo; ergo non esset mater hominis, & à fortiori nec Dei, ea proprietatè, qua aliæ matres sunt, & dicuntur Matres hominis, sed ad summum eâ improprietate, puráque accidentalitate, qua mulier dicitur Mater Regis, postveniente accidentariò dignitate Regiâ naturæ, seu homini à se per se genito. Ne ergo sic dicatur de Matre Dei, congruentissimum est, & perutile, ne dicam prorsùs necessarium, quód B. Virgo effectivè produxerit unionem hypostaticam, mediâ quâ humanitas Christi, constituitur homo, & Persona per subsistentiam Verbi.

Supra D sp. 1. sect 9.

Quartò.

27 Quartò. Datur in B. Virgine potentia obedientialis elevabilis à Deo ad effectivè producendam unionem Hypoſtaticam, & Incarnationem: ergo fuit ad id elevata de facto. Conſequentia videtur pie concedenda, & utiliter; ſaltem pro tuenda expeditiùs, & rigoroſiùs proprietate Maternitatis Dei in gloriam B. Virginis: in cuius commendationem edocti ab Auguſtino, frequenter utimur hac arguendi forma de potentia ad actum, alioquin non validà, ut expendit eruditè P. Franciſcus Garau in ſua *Deiparâ elucidatâ Prine. 8. à num.* 111. Antecedens admittunt communiter, & facilè complures præſertim Recentiores, docentes generaliter cum Suarez, Ripalda, Arriaga, & alijs, quos recenſet, & latè ſequitur Requeſenius in Opuſc. Theologico de Potẽtia obedientiali *ſect. 2.* in qualibet creatura reſidere potentiam obedientialem activam ad quoſcumque effectus alioquin non involventes contradictionem.

Auguſt. *Garau.* *Suar.* *Ripal* *Arriag.* *Requeſ.*

28 Quoniam verò generalis iſta doctrina, nec mihi placuit in Philoſophia, nec modo placet; imò ſentio cum Vaſquez, Oviedo, Lynceo Alfonſo, Martinõ, & Aldrete, quòd ſicut non in omnibus cauſis datur virtus naturalis ad quodcumque, ſed in una ad unos, & in alia ad alios effectus naturaliter producendos; ita nec obedientialis ad quodcumque, ſed in una ad unos, & in alia ad alios obedentialiter producendos, iuxta diverſarum rerum naturam, & virtutem inchoatam; ideo, inquã, aliter probo noſtrum illud antecedens ex doctrina eiuſdem Patris Aldrete illud negantis. Ait enim *ſect. 1.* quòd quamvis non in omni re creatâ detur virtus illa obedientialis ad quodcumque; datur tamen in aliquibus ad aliquos effectus ſuperantes naturalem earum activitatem: ad illos nimirum in quibus elucet ſpecialis titulus neceſſitatis, vel connaturalitatis oriendi á tali cauſâ, quamvis ex ſe non ſufficiente ad illos producendos, ſed in conſortio comprincipij indebiti elevantis: ut cernere eſt in intellectu, & voluntate naturalibus reſpectu actuũ vitalium ſupernaturaliũ, quos obedientialiter operantur.

Vaſq. *Ovied.* *Lynce.* *Alphon.* *Aldrete.* *Martin.* *Aldret.*

29 Ex hac, inquam, doctrinâ argumentor ſic. Uniones aliorum Filiorum connaturaliter petunt effici à Matribus generantibus, ut ſuppono ex *num.* 18. ergo & unio humanæ Chriſti verè Filij Virginis Matris: ac proinde, & Hypoſtatica identificata cum humana. en ergo rationem pluſquam congruam, cur agnoſcamus ſpecialius in B. Virgine virtutẽ obedientialem ad efficiendã eiuſmodi unionem Hypoſtaticam; quamvis non eam agnoſcamus generaliter in omni re ad quoſcumque effectus: hac enim generalitate minimè indigemus ad præſentem veritatem.

30 Nec obſtat unionis Hypoſtaticæ excellens ſupernaturalitas. Hæc enim, quamvis evehat ens ſupernaturale ſupra exigentiam, & connaturalitatem entis naturalis, quâ nempe ens naturale illud exigat, aut per ſe connaturaliter cauſet, vel inducat; non verò ẽ contra facit, ut naturale non exigatur à ſupernaturali: cùm certum ſit, non eſſe contra ſupernaturalitatem viſionis beatæ exigere potentiam naturalem, & cum illa eſſentialiter connecti. Nec eſt contra ſupernaturalitatem excellentiſſimam unionis hypoſtaticæ, indigere eſſentialiter, & intrinſecè affigi animæ, & corpori naturalibus. Undè, quod unio humana Chriſti ſit ſupernaturaliſſima, utpotè identificata cum Hypoſtaticâ, non obſtat, quominùs exigat, ut quid ſibi connaturale, effici à Matre, ſicut aliæ uniones Filiorum à ſuis Matribus: obſervato tamen ſemper diſcrimine elevationis requiſitæ in Virgine ad productionem unionis ſupernaturaliſſimæ, præ alijs Matribus naturaliter efficientibus unionem naturalem Prolis. Sic ergo conſtitutâ iuxta noſtras doctrinas unione Hypoſtaticâ identificatâ cum unione humanâ Chriſti, elucet in ea titulus ille requiſitus ab Aldrete, ut agnoſcamus in B. Virgine potentiam obedientialem elevabilem, & de facto elevatam, ad productionem talis unionis, ac proinde Incarnationis.

31 Hinc iterum atque iterum vide, quàm ſit utilis identitas unionis Hypoſtaticæ cum humanâ ad explicandam digniſſimè Virginis Maternitatem, eiuſque effectivum concurſum ad unionem hypoſtaticam, ut expeditè intelligatur Mater Dei. Non quòd omnibus neceſſaria ſit illa identitas ad defendendum iſtum concurſum; cum Granadus, Bernal, & alij iſtum ſine illa defendant: neque quòd omnibus iſtum concurſum perſuadeat; cùm multi negent alijs etiam Matribus per ſe ipſas concurſum activum in unionem Prolis, id ipſum negaturi B. Virgini in unionem Hypoſtaticam, quamvis identificatam cum humanâ Chriſti. Hæc tamen non derogant veritati, & utilitati noſtræ doctrinæ.

32 Obijcies. Unio Hypoſtatica eſt inter creata ens ſupernaturale excellentiſſimũ: Si ergo ad illam producendam datur in natura virtus obedientialis, dabitur in quacumque creatura ad quoſcumque effectus. Concedent avidè conſequentiam multi quos citavimus *num.* 26. Negauda tamen eſt cum Vaſquez, & alijs laudatis *num.* 27. ex fundamentis, quæ ieci in Philoſophia. Nam virtus in aliqua re ad producendam aliam non penſatur unicè ex utriuſque perfectione, vel imper-

Digitized by Google

perfectione;ut dé unibilitate dixi *diſp.1.nn.4.* ſed potiú, à certâ proportione, ſeu cohærentiâ productivitatis, & producibilitatis fundatâ in naturis rerum. Leoni ineſt virtus naturalis productiva Leonis; non arboris,aut lapidis imperfectioris: homini virtus productiva hominis; non ſic angelo angeli æquè perfecti. Hoc ſcimus in naturalibus: undé licet, ſic ratiotinari in obedientialibus. Specialem rationem agnoſcendi virtutem obedientialem in B. Virgine ad productionem unionis Hypoſtaticæ identificatæ cum humana, iam dedimus: quæ, quia non militat pro omnibus ad omnia,conceditur antecedens ad obiectionẽ, & negatur conſequentia.

Supra diſp.1. ſec.1.

33 Obijcies aliter: quia ſequeretur,eam virtutem obedientialem, utpote identificatâ cum ente naturali, fore inconnexam cum unione hypoſtatica ſupernaturaliſſima;ſimulque fore connexam: nam impoſsibili tali unione impoſsibilis eſſet virtus etiam obediẽtialis ad ipſam: cum ad impoſsibile nulla detur potentia. Unde ſequeretur inſuper, ex cognitione naturali evidente talis virtutis obedientialis fore evidenter naturaliter cognoſcibilem poſsibilitatem unionis Hypoſtaticæ. Reſpondetur ex laté dictis *diſput.9.& 18.de Attributis*: negando fore connexam: nam eſſentialis rerum connexio non in eo ſtat, quòd unà impoſsibili,impoſſibilis etiam eſſet alia. Quod ſi hoc volunt obijcientes per abuſum intelligere nomine connexionis; dicam in hoc abuſivo ſenſu omnia naturalia, & ſupernaturalia mutuó connecti. Nego tamen id eſſe contra rationem naturalitatis, aut ſupernaturalitatis. Ad ſubſequelam latis ſuperquè factum eſt *diſp.1.à nnm.214.* in ſimili de potentia obedientiali innegabili humanitatis ad terminandam unionem Hypoſtaticam.

Tom.1. diſp 9. & 18.

Supra diſp.1. ſect 13.

34 Loquutus ſum de Unione illa Hypoſtaticâ,quæ ſimul eſt unio humana. At quid de unionibus diſtinctis ab humanâ, unientibus ſeorſim corpus,& animam Chriſti etiam mortui ad Verbum? eaſné produxerit etiam Virgo Mater,necnè? Reſpondeo,primò: concurſum B.Virginis ad eas uniones,nec ad explicandam eius Maternitatem, nec ad quidquam aliud quod magni momenti ſit,eſſe neceſſarium,aut utilem. Secundò,mihi non eſſe fundamentum quod expendimus circa unionem hypoſtaticam identificatam cum humanâ ad iudicandum eſſe poſsibilem,aut ineſſe B. Virgini potentiam obedientialem ad illum. Tertió, concedendum videri de facto, ſi poſsibilis ſit, & inſit B. Virgini obedientialis virtus ad illum.

35 Scire tandem velles rationem generalem dignoſcendi, quibus in rebus determinatè, & ſigillatim concedenda, vel neganda ſit virtus obedientialis, ſeu inchoata; & ad quos effectus? quandoquidem generaliter non omnibus concedimus ad omnes. Reſpondetur,rem te difficilem poſtulaſſe, & nobis ignotam. Nec mirum:cùm nec dignoſcere generaliter ſciamus determinatè, & ſigillatim, ad quos effectus naturales inſit unicuique rei creatæ nativa virtus. Adhuc certé de his naturalibus, quamvis ſciamus ad multos, ad multó plures ignoramus ſecretiſsimos in naturis rerum. De ſupernaturalibus per obedientialem potentiam novimus aliquos ductu ratiocinatione Theologicâ à lumine Fidei: ut diximus de actibus ſupernaturalibus vitalibus prodeuntibus obedientialiter à potentijs naturalibus intellectús, & voluntatis divinitùs elevatis, & ſic de paucis alijs: quos inter ſpecialibus rationibus,& ſufficientibus congruẽtijs ducti poſuimus, quod præſentis erat negotij, effectivum concurſum Virginis Matris in Hypoſtaticam unionem identificatam cũ humanâ. Quid indé?

SECTIO IV.

Alia de Cauſis, & cauſalitatibus phyſicis Incarnationis: & in quo ſtet Maternitas Virginis.

36 DE cauſa formali Incarnationis, ſeu Unionis Hypoſtaticæ nihil occurrit; cùm illam phyſicé non habeat: ſed ipſa potiùs ſit formalis cauſa,ſeu quaſi forma modalis phyſicé informans, & perficiens humanitatem, quam intrinſecé unit; habens pro puro termino Verbum ab ipſa imperfectibile,& immutabile: prout expoſuimus *diſ. 1.ſect.1.* *Supra diſp. 1.*

37 Cauſa materialis, ſeu receptiva eſt humanitas: ſcilicet corpus,& anima Chriſti, in quibus inhæſivé ſuſtentatur modus unionis Incarnativæ: non autem Verbum, cum illam puré terminet, ut ibidem operosé docuimus.

38 Circa cauſalitates, dicendum ſubbrevibus venit, cauſalitatẽ in genere effectivo Incarnationis, eſſe actionem productivam Unionis Hypoſtaticæ, quam actionem, ſeu cauſalitatem diſtingui realiter ab ipſa unione hypoſtaticà,vidimus late contra Bernal *diſ.1. ſect. 5. & 6.* Cauſalitas autem in genere receptivo,eſt ipſa hypoſtatica unio:quæ quidem cùm modus ſit, per ſe ipſam ſine modo alio ſuperaddito, determinatiſsimé affigitur eſſentialiter ſuo ſubiecto, in quo recipitur, & termino,quam intrinſecé etiam unit. *Supra diſp.1.*

39 De prædictâ cauſalitate effectivâ, quæ-

quæri poteſt, an ſit actio eductiva: an ſupernaturalis: an ſubſtantialis? Reſpondeo primò: eſſe actionem eductivam: quia eſt productio termini inhærentis: ſcilicet unionis receptæ in corpore, aut in anima, aut in humanitate; tamquam in ſubiectis, ſine quibus eſſe non poteſt: non ſic in Verbo, quod potè terminus eſt, & non ſubiectum, quia non eſt perfectibile, nec mutabile per ipſam. Secundò: eſſe ſupernaturalem, utpotè exactivam, & eſſentialiter inductivam termini ſupernaturalis, qualis eſt Hypoſtatica unio. Tertiò eſſe accidens, & non ſubſtantiam: cùm non ſit de conſtitutivo ſuppoſiti, ut ex profeſſo vidimus adverſus P. Bernal *diſp.1 ſect 6.*

S pra diſp. 1. ſec.5.

40 Ulteriùs quærat aliquis: an eiuſmodi cauſalitas effectiva, ſeu actio productiva, vel conſervativa Chriſti fuerit aliquando duplex totalis. Multi ex Philoſophia minùs verè id iudicabunt omninò repugnans; ſed immeritò, ut ibidem propugnant communiter noſtri. Suppoſitâ ergo poſſibilitate, aliunde probatâ, Pater Herize apud Bernal *diſp.17 ſect.4. § 2.* Hurtadus, & Arriaga apud Aldrete *diſp. 29. ſect. 5.* docent, Humanitatem, ac perinde unionem humanam Chriſti productam, & conſervatam fuiſſe duplici ſimul actione totali: unâ à ſolo Deo; alia à Deo, & à Matre. Moventur: quia ſic ſibi videntur rectè componere, Mariam ex gratia data per Chriſtum, ut prævium pro priori naturæ præciſſe pendentem à Deo per unam actionem, meruiſſe ſibi Maternitatem, quæ dicit iliã aliam actionem à Deo, & à Matre. Nos tamen neque ad id rectiſsime componendum, nec ad alias huius Tractatûs difficultates elucidandas indigemus prædictâ actionum duplicitate, ut videbimus ſuis in locis: ac proinde nulla ratione impellimur, ut duas illas ſimul actiones totales eiuſdem termini admittamus in Chriſto de facto.

Herize. Hurt. Arria.

41 Dixi *ſimul*: nam ſucceſsivè variatam aliquando fuiſſe actionem conſervativam Chriſti, admittitur à multis Theologis cum Bernal *diſp.20. num.* 10. nec negare poſſumus nos. Cùm enim, ut diximus *ſec præced.* producta fuerit humanitas Chriſti actione, quæ ſimul erat Dei, & Matris, ſicque conſervata dũ fuit in utero; poſt nativitatem autem per actionem, quæ erat actio ſolius Dei ſeorſim à Matre; ſequitur neceſſario tunc ſaltem variatam fuiſſe actionem: quia una & eadem nequit eſſe actio ſolius Dei, & actio Dei, & Matris, ut ex terminis patet, & contingit etiam in nativitate aliorum Filiorum. Nec ea variatio ſucceſsiva actionum afferet quidquam novitatis doctiſsimis Magiſtris, idemtificantibus actiones cum durationibus rerum creatarum; ideoque dicentibus ſingulis inſtantibus variari actiones omnes phyſicas, ſicut & durationes creatas. A qua doctrina non diſceſsi *diſp.12. de Attrib. à num.34.* imò addidi obiter, & rerum quoque creatarũ præſentias eſſe ipſas rerum productiones, ſeu conſervationes.

Tom. 1. diſp.12. ſect. 2.

42 Ex dictis colligitur facile, in quo conſtiterit formaliter Maternitas Virginis: Scilicet in actione illa, qua unio humana Chriſti, ſimulque hypoſtatica, producta fuit non ſolum à Deo, ſed immediatè etiam à B. Virgine per ſe ipſam, & per ſubſtantiam etiam Virgineam, ex qua verè Chriſtus formatus & compoſitus fuit. Per id enim dicitur verè, & proprie ortus à Virgine, & ex Virgine, eiuſque productio temporalis reſpectu Virginis, *erigo viventis à vivente à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ*: ut explicari ſolet in Libris de Ortu, & Interitu.

SECTIO V.

De diſpoſitionibus phyſicis ſupernaturalibus Incarnationis: an præceſſerint in humanitate ad unionem Hypoſtaticam.

43 SEntentia fuit olim Alenſis, & Gabrielis apud Conine *diſp.5. dub* 2. neceſſarias omninò fuiſſe in Humanitate aliquas diſpoſitiones prævias ſupernaturales, quibus diponeretur ad Unionem Hypoſtaticam ſubſtantialem ſupernaturaliſsimã. Alij ut Bonav. & Marſilius, docuerunt, id fuiſſe, non quidem omninò neceſſarium, ſed conveniens, & valde congruum: & ſatis favet S. Thom. *in 3. diſt. 2. quæſt.2. art.2.* idque probabile cenſuerunt Durandus, & Paludanus apud Amicum *diſ.13.* & noviter Martinonus *diſp 4 ſect.2.*

Alenſ. Gabriel. Conine. Bonav. Marſil. S. Thom. Durand. Palud. Martin.

44 Movebantur illi: quia nihil poteſt elevari ad eſſe ſupernaturale, niſi priùs per aliquam diſpoſitionem fiat capax talis eſſe: ſed Humanitas per Unionem Hypoſtaticam elevatur ad quoddam eſſe ſupernaturaliſsimum: ergo neceſſe fuit, quòd priùs facta fuerit capax per aliquas diſpoſitiones phyſicas ſupernaturales.

45 Moventur iſti: quia, cùm corpus, & anima Chriſti priùs naturâ exiſterint, quàm aſſumerentur à Verbo, potuerunt diſponi ad aſſumptionem per aliqua dona proportionata pro illo priori: congruum autem erat, quòd ita fieret, atque decentiùs: ergo ita factum eſſe putandum eſt.

46 Confirmatur. Verbum & Humanitas ſunt extrema infinitè diſtantia: ergo congruum fuit, quòd antequam mutuò unirentur hypoſtaticè, aliquomodo proportionarentur

tur ad invicem, & quaſi ſe ſibi approximarent per phyſicam aliquam diſpoſitionem elevativam humanitatis: quemadmodum in naturalibus materia prima diſponitur ad formam ſubſtantialem per diſpoſitiones phyſicas accidentales.

47 Concluſio tamen negativa defenditur communiter, & meritò à Theologis cù Suarez, eamque tenet S. Tho. *3. p. q. 6. art 6.* retractans, teſte Caietano, contrariam quam docuerat ubi ſupra. Ratio: quia prædicta phyſica diſpoſitio, vel eſſet naturalis, vel ſupernaturalis. Si naturalis: ergo ſicut diſpoſitio naturalis immediatè ſine alia diſpoſitione elevatur, ut diſponat humanitatē ad unionem Hypoſtaticam ſupernaturalem; potuit ſimiliter humanitas naturalis immediatè ſine iſta diſpoſitione intrinſecâ phyſicâ ad eamdē unionē elevari. Si ſupernaturalis; ergo ſicut Humanitas ſuſcipit eam diſpoſitionem ſupernaturalem obedientialiter immediatè ſine interventu alterius diſpoſitionis ſupernaturalis, ne procedatur in infinitum; ſimiliter potuit ſine iſtius interventu ſuſcipere obedientialiter unionem ipſam Hypoſtaticam: ergo non eſt cur admittatur eiuſmodi diſpoſitio.

Suar. *S. Thom.* *Caiet.*

48 Inſuper. Unio Hypoſtatica eſt radix omnium donorum ſupernaturalium Humanitatis Chriſti: ergo ab illa, ut à radice emanāt gratia habitualis, & reliqua ornamenta ordinis divini, ſaltem ex hac lege Dei congruentiſſimè volentis eam humanitatem primò ſibi unire hypoſtaticè, & in hac unione radicare cætera dona, quibus illam decoravit. Sicque alia dona non præceſſerunt, ſed ſubſequuta ſunt ad donum unionis, tanquam illi ſtatui elevatiſſimo debita: præſertim cum unio hypoſtatica ſit ipſa unio humana, ideoque nō præceſſerit ad unionem hypoſtaticam humanitas conſtituta in ratione humanitatis: ergo in humanitate ſaltem conſtitutâ in ratione humanitatis non præceſſit ad unionem, ipſius utiquè conſtitutivam, diſpoſitio aliqua phyſica accidentalis.

49 Ex ijs reſpondetur facile ad motiva contraria. Ad primum negatur maior, univerſaliter intellecta de diſpoſitione aliqua ſuperadditâ accidentali: nam ſaltem ad iſtam elevaretur natura non priùs diſpoſita, ſeu facta capax per aliam: alioquin procederetur in infinitum: ideoque in juſtificatione negatur, requiri in anima ante gratiam diſpoſitionem phyſicam permanentem ſupernaturalem ad gratiam; ſed tantum moralem in adultis per modum meriti. Unde, conceſsâ minori, negatur conſequentia.

50 Ad ſecundum ex *num. 45.* conceſſo antecēdente, in quo nullam video repugnantiam; nego conſequentiam quo ad factum reiſquia ad id non eſt fundamentum rationis, & authoritas Theologorum ut plurimum ſtat in contrarium. Nec eſt, aut congruentiùs, aut decentiùs, humanitatem uniri præhabenteni eiuſmodi dona diſponentia; quam uniri unione, quæ ſit radix omnium donorum ſupernaturalium, quibus decōtatur ille ſtatus Hypoſtaticus. *Supra diſp. 1. ſect. 1.*

51 Ad confirmationem, conceſſo antecedente, negatur conſequentia: nam ea infinita diſtantia entitativa non tollit aptitudinem unibilitatis aliquomodo proportionatam illorum extremorum explicatam *diſp. 1. num 4* ubi vidimus, eam aptitudinem ſeu proportionem unibilitatis non conſiderari penés diſtantiam maiorem, aut minorem entitativam, ſed penes alios reſpectus extremorum. Nec quidem eiuſmodi diſtantia entitativa deſineret eſſe infinita inter Humanitatem & Verbū, quantumvis Humanitas prælevaretur per illas diſpoſitiones, utpotè creatas, ideoque infinitè quoque diſtantes entitativè à Verbo increato ſimpliciter infinitiſſimo. Nec tenet paritas materiæ primæ: in ea enim id docet experientia, & exigunt agentia naturalia conantia introducere formam antequam re ipſa introducatur. Opus autem Incarnationis eſt ſupra ordinem naturæ, à Deo omnipotentiſſimo inſtantaneé confectum. *Supra diſp. 1. ſect. 1.*

***

Digitized by Google

DISPUTATIO V.

DE CAVSA MERITORIA INCARNATIONIS.

1 BIS incidit in hunc Tractatum sermo de Merito: semel, dum agitur de Merito, quo aliqui Christum meruerunt; iterum, dum agitur de Merito, quo Christus aliquid meruit. De hoc secundo differemus *disp. 18.* inter effectus Incarnationis; nunc in præsenti de illo primo inter Incarnationis causas. Quamvis hic quoque de Merito Christi circa Incarnationem ipsam agendum sit, quatenus considerari potest, ut causa moralis ipsius Incarnationis.

Infra Disp. 6.

SECTIO I.

Notitia pertinens de Merito, præsertim Salutario: & expositio præsentium difficultatum.

2 SAnctus Thomas *qu. 26. de Verit. art. 6* scribit sic: *Meritum est causa præmij: non quidem per modum finalis causæ; sic enim magis præmium est causa meriti; sed secundum reductionem ad causam efficientem, in quantum meritum facit dignum præmio, & per hoc ad præmium disponit: id autem quod est causa per modum efficientis nullo modo potest esse posterius tempore eo cuius est causa: Unde non potest esse quod aliquis mereatur quod iã habet. Quòd autem in humanis aliquis pro accepto beneficio Domino suo serviat, magis habet rationem gratiarum actionis quam meriti.*

S. Thom.

3 Ex ijs præclarissimis verbis tria constant liquidissimè. Primò: meritum esse causam præmij: non quidem physicam, sed moralem; ideoque *secundum rationem finalem*: per motionem scilicet intentionalem, qua præmians movetur ad præmiandum intuitu meriti sibi propositi. Secundò: Meritum non esse causam finalem, sed *per modum* causæ efficientis. Tertiò: Meritum *nullo modo* posse esse posterius tempore eo cuius est causa, scilicet præmio: ac proinde præmium nullo modo posse esse priùs tempore ad meritum. Tria hæc sunt expressissima in S. Thom. attente relegendo.

4 Alia tria deducuntur consequentissimè. Primum, ibi loqui S. Thom. de merito nostro ordinario: huic enim rectè adaptantur quæ ibi, ad scopum suum præscripsit verissimè S. Thom. nempè, causare præmium moraliter ad modum causæ efficientis: & non posse esse tempore posterius præmio sic causato: idquod docuit etiam Augustinus apud Esparzam *quæst. 41. ad 1.* inquiens: *præmium non potest præcedere meritum, & priùs homini dari, quàm dignus sit.* Hanc igitur rationem meriti subintrgit optimè S. Thom. non inveniri in exemplo illo ex humanis petito obsequij habentis potiùs apud homines rationem *actionis gratiarum*, quàm *meriti*: meriti, inquam, illius ordinarij nostri, quod exposuerat.

August. Esparz.

5 Secundum: præter istud meritum nostrum ordinarium admitti necessariò ab ipso S. Thom. & ab Augustino aliud genus meriti. Patet clarissimè: nam in ratione illa meriti à se tunc explicati, aiunt Augustinus, & Thomas, præmium non potest antecedere meritum. & postquam dixerat S. Thom. *nullo modo* signanter exprimit: *tempore*, ut omnino repugnare significet rationi meriti à se tunc explicati per modum causæ efficientis, quòd tempore sit posterius ad præmium. Atqui ijdem Augustinus, & Thomas, & cum ipsis communiter Theologi *ad 3 quæst. 19. ar. 4.* docent Christum meruisse plurima dona, & gratias quæ fuerunt in Patriarchis, & Prophetis antiquioribus, tempore fructum, & præmium meritorum Christi Redemptoris; quæ præmia tunc exhibita intuitu meritorũ Christi certum est, tempore præcessisse ad merita Christi, & merita Christi fuisse tempore posteriora: Igitur extra dubium prorsus est ex mente Augustini & Thomæ, esse aliud genus meriti præter illud ordinarium nostrum, quod in verbis allegatis nobis explicuerunt. Cùm enim in eo genere meriti ordinarij nullo modo possit præmium esse prius tempore ad me-

August. S. Thom.

Digitized by Google

meritum; ſi aliud genus veri meriti non daretur, nullo modo potuiſſent illa dona, & gratiæ collatæ antiquioribus, priùs tempore ad merita Chriſti, eſſe præmia meritorum Chriſti, nec Chriſtus illa præmia ullo modo meruiſſet: quod nec iuxta ſenſum SS. Patrũ, & Theologorum, nec ſine iniuria meritorum Chriſti, ut veri capitis Angelorum, & hominum tam præcedentium, quam ſubſequentium ipſius exiſtentiam temporalem, dici, nec cogitari poteſt, ut videbimus *á ſect. 8.* & inferius *diſp. 6. & 16.*

Infra diſp. 6. & 16.

6 Tertium: rationem, cur meritum iſtud ordinarium noſtrum nequit eſſe poſterius tempore præmio, nec ſub illud cadere præmium tempore antecedens, aſſignari ibidem claré à S. Tho. quia nempé tale meritum eſt cauſa præmij *per modum efficientis: &, quod eſt cauſa per modum efficientis nullo modo poteſt eſſe poſterius tempore eo cuius eſt cauſa.* Ex quo fit etiam manifeſtum iuxta mentem S. Tho. illud aliud genus meriti extraordinarij, neceſſariò, ut vidimus, admittendum in Chriſto reſpectu præmiorum tempore antecedentium, non debere cauſare ea præmia per modum efficientis, quia hic modus cauſandi repugnat ex S. Tho. in poſteriori reſpectu tempore prioris; ſed debere cauſare ea præmia in alio genere cauſæ, quod genus non ſit per modum efficientis, & tamen ſtet cum vera ratione meriti. Totum hoc eſt indubitabile in S. Tho.

7 In hac ſoliditate inconcuſsâ fundatur veritas Meriti ſolutorij, cui innititur pars magna meæ Theologiæ, tũ hic, tũ in Tractatu de Prædeſtinatione, tum præſertim in Tractatu de Merito, in quo ex profeſſo aſſtruitur contra multos impugnatores ferè non tam rei, quàm nominis, meriti ſolutorij; nec quæſtionem grauiſſimam, & utiliſſimam eviſcerantes; ſed à ſuperficie vix è limine ſalutatam diſpicientes. Ex doctrinâ, quam ibi uberiùs edidero, neceſſe eſt hic aliqua prælibare ad præſentes difficultates.

8 Meritum Theologicum eſt: *obſequium ſupernaturale Deo exhibitum movens moraliter, quà tale, ad collationem præmij ſupernaturalis intuitu ipſius.* Dixi *Theologicum*: hoc eſt, meritum apud Deum præmiatorem: ut amandemus hinc obſequia, ſeu merita humanà, quibus homines apud alios homines merentur varia præmia. Dixi *ſupernaturale*: quia quamvis etiam apud Deum obſequia aliqua naturalia creaturarum poſſint mereri aliqua præmia naturalia; non tam de ijs curamus Theologi, quàm de obſequijs ex gratiâ factis meritorijs apud Deum præmij gratiæ, & gloriæ, aut ſimilium donorum ordinis divini.

9 Dividi communiter ſolet in condignum, & congruum. Meritum condignum dicit æqualitatem cum præmio, aut ſaltem *non inferioritatem*: quod addo, quia non eſt contra condignitatem meriti, quòd ſuperexcedat præmium. Meritum congruum dicit certam proportionem moralem cum præmio infra æqualitatem.

10 Dividendum inſuper eſt in Meritum Remunerabile, & in Meritum Solutorium. Utrumque, ut participet veram rationem meriti Theologici ut ſic, debet eſſe *obſequium ſupernaturale*, ſcilicet actus liber honeſtus, obſequioſus Deo, ex gratia factus, *Deumque* præmiatorem ſuprenium *moraliter, & rationabiliter, aliciens, & movens ad collationem alicuius præmij ſupernaturalis intuitu ipſius.* Differunt tamen in eo, quòd Meritum Remunerabile movet præmiantem ad dandum præmium moraliter per modum cauſæ efficientis, ac proinde ad dandum præmium, *quia meritum eſt*, faciendo ſcilicet dignam præmio perſonam, propter cuius merita datur præmium. Et hoc eſt meritum ordinarium noſtrum apud Deum, quod explicuit S. Tho. ubi ſupra, & ab omnibus Theologis re, & nomine agnoſcitur, & admittitur.

11 Meritum Solutorium movet etiam præmiantem ad dandum præmium, moraliter: non tamen *per modum cauſæ efficientis*, ſed *per modum cauſæ finalis*: quæ ſuum etiam habet modum movendi moralem, & intentionalem: non *quia eſt*, ſed *ut ſit*, ſeu in *ſpe quòd erit.* Ideoque hoc meritum vocari ſolet etiam, *Meritum in ſpe per modum ſolutionis, ſeu compenſativum. In ſpe*; quia nondum re ipſâ exiſtens præcognitum tamẽ, ut exiturum, & obſequioſé ſoluturum, ſi anticipatò dentur aliqua dona proportionata & conducentia ad ipſius exiſtentiam, movet ad anticipanda illa dona intuitu ipſius poſtea obſequioſé ſoluturi. *Per modum ſolutionis:* quia poſtea factum exiſtens à parte rei ſolvit pro illis donis intuitu ipſius anticipatis. *Compenſativum*; quia per obſequia ſubſequentia compenſat pro acceptis priùs eius intuitu. Solvit ergo ſeu compenſat, facitque Perſonam dignam poſtea quando eſt, & *quia eſt*; cauſat tamen intentionalitér movens moraliter præmiantem ad dandum præmium, antequam tale obſequium ſit, nimirum *ut ſit*, ſeu *in ipſe quod erit.* Ad modum, quo finis v. g. valetudinis, mediâ præcognitione ſuæ bonitatis, antequam re ipſa ſit, allicit, & movet infirmum, ad applicanda media, ut finis re ipſa ſit, & re ipſa obtineatur: qui finis poſtea exiſtens, & non antea, facit hominem ſanum, ac benè valentem.

S. Thom.

12 Quantum habeat fundamenti diviſio hæc in S. Thom. iam expendimus. Nec obſtat, imó favet, quod ultimò ait: *quod autem in humanis aliquis pro accepto beneficio domino ſuo ſervit, magis habet rationem gratiarum actionis, quàm meriti.* Non enim ait, illa ſervitia ſubſequuta non poſſe habere rationem meriti; ſed magis habere rationem gratiarum actionis, quàm meriti. Non quia ſæpé non habeant rationem meriti; ſed quia aliquando non habent; & quando habent, non habent rationem meriti ordinarij, quòd ibi explicuerat; ſed alterius, quod concedat neceſſe eſt S. Tho. obſequijs Chriſti reſpectu gratiarum & beneficiorum, quibus Deus in tuitu, & quaſi in ſpe meritorum, ſeu obſequentiſsimæ gratificationis ipſius, ejus Matrem Sanctiſſimam, & antiquiores Patriarchas priùs tempore decoraverat. Hæc autem ſunt merita ſolutoria, quæ nomine gratiarum actionis magis quám meriti in humanis indicat ibi S. Thomas. Cùm enim ſint tempore poſteriora ad ejuſmodi præmia, non poſſunt eſſe eorum cauſa per modum efficientis, ideóque nec venire nomine meriti ordinarij ibi à ſe explicati, quod eſt meritum remunerabile; ſed nomine meriti alterius rationis neceſſario admittendi, quomodocumque nominetur: & hoc eſt, quod vocamus *Solutorium*, aut per modum ſolutionis, aut gratiarum actionis, aut *meritum quaſi in ſpe.*

Valent. Suar.

13 Favent in re Primores Theologi P. Valentia *tom. 1. diſp. 4. quæſt. 13. punct. 2. à num. Sed quidquid ſit.* Suar. *diſp. 10. ſect. 4.* dicens: *Chriſtus tantam gratiam Virgini meruit, quaſi ſolvendo quod iam datum erat.* En meritum ſolutivum. Vaſquez *1. par diſp. 94. cap. 3. Chriſtus igitur merito Paſſionis ſuæ optimè perſolvit pro gratia antiquis Patribus collata.* En meritum per modum ſolutionis. Et paulò poſt. *Chriſtus fuit cauſa electionis eorum, qui á maſſá perditionis in ſpe ipſius ſeparati ſunt.* En meritum in ſpe: Pro quo citantur inſuper Montoya, Raguſa, Lorca, Alvarez, & alij apud Ovied. hujus meriti impugnatorem *contr. 3. de Merito, punct. 6.* Ideò Boneſpei *diſp. 5.* impugnator etiam Meriti ſolutorij, fatetur *num. 49* illud admiſiſſe PP. Suar. Vaſquez, ut ex ipſius confeſſione videatur, quàm immeritò, & incohærenter dixerit, eſſe in Scholis inauditum. Quódſi alibi Suar. & Vaſquez cauſam meritoriam raducunt ad modum efficientis, & opponi ſignificant, cauſare *finaliter*, & cauſare *meritoriè*; intelligendi ſunt cum S. Tho. de Merito ordinario noſtro Remunerabili: ſalvâ ſuâ, & noſtrâ doctrina de Solutorio.

Vaſq. Montoy. Raguſa. Lorca. Alvar. Ovied. Boneſp.

14 Quam non ſubobſcuré, ſed luculentiſſimé tradidit ſapientiſſimus Læſius videndus *quæſt. 19. de Incarn.* ubi de illo diſtinctiſſimé, & conceptiſſimé loquens, ait: *de hoc genere meriti intelligendi ſunt Auctores dum dicunt Chriſtum meruiſſe Patribus antiquis.* Eam ſequitur eruditiſſimus Lorinus *ad Pſal. 44.* expreſsè Coninc *diſp. 4. & 5. de Incarn. dub. 2.* Granadus *contr. 8. de Gratia tract. 12. diſp. 4.* Uvadingus *diſp. 10. dub. 4.* Raynaudus, Avendaño *num. 1514.* & novius P. Franciſcus Garau *Princip. ult. à nu. 180.* P. æ omnibus autem illam illuſtravit impenſiùs in doctiſſimis Manuſcriptis Compluti, P. Ioannes Antonius Uſſon, fecitque celebrem inter Magiſtros Complutenſes. Eam docuerunt poſtea in Collegio Romano P. Nicolaus Martinez, quem ſub nomine Recentioris Hiſpani, refert, & ſequitur Haunoldus in Selectis *lib. 4 tract. 1. cap. 7 cont. 2. §. 5.* & in noſtro Collegio Barcinonenſi Primarij mei Succeſſores præclaræ notæ.

Læſius. Lorinc. Coninc. Granad. Vvadin. Rayn. Avend. Haunol. Uſſon. Martin. P. Theod. Mauris. P. Franc. Garau. P. Guald. R.o.

15 Eam alij communiùs impugnant, ut Oviedus *2. 2. controv. 5. de Merito punt. 8.* Boneſpei hîc, Lumbier *quæſt. 34. art. 5.* Ripalda cuſim *diſp. 86. de Ente ſupern. ſec. 9.* Iunius *ſect. 14. de Prædeſt cap. 2. & 3.* in Indice verbo *Meritum*, minùs ſcitè appellans meritum ſolutorium *Meritum Noviſtum*: & acriter Prudentius *tract 1. de Incar. diſp. 3. dub. 4.* minùs etiam prudenter obloquutus *num 79.* meritum ſolutivum perturbaſſe Theologiæ difficultates. Mihi certé graviſſimas difficultates, in quibus ſine luce meriti ſolutorij cæcutiebam, hujuſmodi meritum mirificè explanavit. Quæ adverſus illud objici ſolent afferemus opportunè *ſect 5 & 6.* ex ijs quæ copioſiùs, & opportunius in Diſputationibus de merito.

Ovied. Boneſp. Ripald Lumbier. Prudent. Iunius.

16 Monuerim tamen: quòd ſicut diviſio meriti in condignum, & congruum, non eſt in extrema ita ſefe excludentia, ut idem meritum non poſſit eſſe condignum unius præmij, & congruum alterius; ſic etiam diviſio in Remunerabile, & Solutorium talis eſt, ut idem meritum poſſit eſſe Remunerabile reſpectu unius præmij & Solutorium reſpectu alterius: quia in hoc, ſicut neque in illo non eſt ratio repugnantiæ reſpectu diverſorum. Imó, quia nullum eſt meritum de facto ſolutorium, quod ſimul non ſit etiam remunerabile; & quia ordinaria noſtra merita ſunt remunerabilia, & non ſolutoria; ideò fortè Theologi regulariter loquentes de Merito cum S. Tho. omne meritum vocant remunerabile. ut notat Haunoldus *num. 356.* quod non tollit, quominus aliqua ex remunerabilibus Chriſti ſint ſimul ſolutoria reſpectu præmij anticipati.

His

17 His prælibatis, occurrunt multa disputanda circa meritum Incarnationis; sive sumptæ quo ad eius substantiam; sive quo ad eius circunstantias; sive per merita antecedentia existentiam Incarnationis exercitam; sive per subsequentia: sive de facto; sive de possibili: sive de merito, quod sit opus humanitatis ipsius Christi; sive, quod sit opus aliorum, qui Christum tempore præcesserunt in Legibus Naturali, & Scripta cum desiderio, & spe ipsius veri Auctoris Legis Gratiæ.

18 Mereri Incarnationis substantiam, sive Incarnationem quoad substantiam, est mereri absolutè, & simpliciter, quòd Deus fieret homo; seu mereri unionem Hypostaticam humanæ Naturæ ad Divinam Personam. Nã semel suppositò, quod Deus futurus sit homo, mereri quod fiat homo ex hac stirpe, scilicet Davidis; ex hac Matre, scilicet Maria; in hoc loco, vel tempore, & alia hujusmodi; non est mereri substantiam Incarnationis; sed aliquas eius circunstantias. Quemadmodum si à Rege iam aliunde venturo Barcinonem, obtineret aliquis, quòd uno mense anticiparet adventum; alius, quòd cum Matre; alius, quòd cum Sponsâ veniret; alius, quòd apud domum suam diverteret; singuli istorum dicerẽtur obtinuisse aliquas circumstantias adventûs Regis, nullus verò adventum Regis quo ad substantiam.

SECTIO II.

An Christus ipse, aut eius Humanitas mereri potuerit Incarnationis substantiam per opera antecedentia Unionem.

19 Difficultas esse potest, vel per opera elicita ab Humanitate, sive ab Anima Christi antecedenter tempore ad Unionem Hypostaticam; vel per opera prioritate tantum Naturæ antecedentia, & facta in eodem instanti reali Unionis. Et est de possibili iuxta aliam Dei Legem, & Providentiam: nam iuxta præsentem legem, prout de facto in Christo, disputabitur *sect.* 7.

20 Prima conclusio cum Suarez, Vasquez, & communi sententia apud Bernal *disp.* 17. *sect.* 1. contra nonnullos Recentes. Anima, sive Humanitas Christi, iuxta aliam Dei legem, potuisset mereri substantiam Incarnationis de congruo per opera tempore antecedentia. Ratio: Quia, quamvis de facto non præcesserit tempore creatio Animæ Christi ad unionem Hypostaticam; cùm in eodem instanti fuerit, creari animam, & uniri ad corpus, & ad Verbum; tamen potuit multò ante unionem Hypostaticam creari, atque uniri corpori: & in eo statu ubertimis gratiæ auxilijs præveniri à Deo, & eximia virtutum opera facere, supernaturalissima, & Deo gratissima, multa pro Deo pati ex ardentissimâ charitate, & ijs similia per diuturnum tempus: non est autem, cur Deus non posset pro tot, & tantis obsequijs destinare tali Animæ, seu tali Humanitati dignitatem Unionis Hypostaticæ in præmium: nec cur ipsa non posset tale præmium de congruo promereri, ac proinde substantiam Incarnationis. *De congruo*, inquam; non *de condigno*: nam ad condignitatem requireretur moralis æqualitas, quæ non est dabilis in obsequijs puræ creaturæ ad tantum præmium; ad congruitatem verò sufficit moralis quædam proportio, quæ non ita videtur repugnare.

Suar. Vasq. Bernal.

21 Occurrit objectio, quam nimis extollit Prudent. *tract. 2. disp. 1. dub. 4. sec. 3.* Quæcumque opera fecisset Anima, seu Humanitas in eo statu antecedenter tempore ad unionem hypostaticam, quantumvis supernaturalia, & eximia, essent opera puræ creaturæ, ac proinde simpliciter finita: ergo longiùs distarent à dono simpliciter infinito divinæ Personalitatis, quàm distent opera nostra bona naturalia finita à dono etiam finito gratiæ supernaturalis: sed nulla opera nostra naturalia, quantumvis bona, & eximia, possunt habere eam proportionem cum dono gratiæ supernaturalis, quæ sufficiat ad meritum congruum Gratiæ finitæ, ut est certa Theologia contra Pelagium: ergo multò minùs opera quæcumque Animæ, seu Humanitatis in eo statu ad meritum congruum divinæ Personalitatis infinitæ. *Prud.*

22 Respondetur, concesso antecedente, distinguo consequens: longiùs distarent entitativè, concedo: proportione morali retributivâ, nego consequentiam; & concessâ minori subiunctâ, nego aliam consequentiam. Inanes esse solent similes argumentationes: magis distat intellectus noster à Deo, quam visus corporeus ab Angelo: sed visus corporeus elevari nequit ad intuendum Angelum: ergo nec intellectus ad intuendum Deum. Magis distat anima à corpore, quàm ab alia anima: sed non est unibilis per se cum alia anima: ergo nec cum corpore. Magis distat Humanitas à subsistentiâ divina, quàm ab Angelicâ: sed nequit uniri hypostaticè cum Angelica: ergo multò minus cum divinâ. Omnes istæ consequentiæ falsæ sunt. Quia maiores solum sunt veræ de distantia entitativâ: ex qua non commensuratur utcumque distan-

diſtantia proportionis inter duo quoad aliquos effectus, ſeu reſpectus mutuos. Sicut ex minori diſtantia entitativa auri ab auro, quàm à ligno, non inferretur, eſſe magis proportionatam arculam auream palmarem ligneâ bipalmari ad includendum aurum bipalmare: aut clavem auream grandiorem, aptiorem eſſe ferreâ minori, ad reſerandam clauſuram auream ſimiliter minorem.

23 Sic igitur in præſenti inter meritum, & præmium non utcumque attenditur diſtantia, vel indiſtantia phyſica entitativa; ſed potiùs penes certam proportionem moralem obſequiorum, & præmiorum: quæ proportio requirit ſaltem uniformitatem ordinis ſuperni, ordinis divini, ordinis gratiæ, excludentem à ſuo ambitu naturalia, & comprehendentem dona ſupernaturalia divinæ Gratiæ Viſionis, & Unionis Hypoſtaticæ: conſtituentibus ut ait Lugus *diſp. 8. ſec. 3.* ijs tribus ſtatibus unam quaſi Rempublicam Ordinis divini, cujus Deus Princeps, eſt & reliqui ſancti membra. Congruum autem eſt, ut potentiſſimus Princeps Deus, (quæ etiam circunſtantia conſideranda præcipuè eſt ad congruitatem ex parte præmiantis, ut benè Ripalda *diſp 71. ſec. 2.*) deſtinare poſſit unionem etiam Hypoſtaticam ad ſe in præmium, non quidem pro quocumque obſequio ſupernaturali, ſed pro multis excellentiſſimis eximiarum virtutum operibus creaturæ ſibi gratiſſimæ, & antecedenter elevatiſſimæ ad divinitatis conſortium per gratiam ſingularem. Sic ergo requirenda, & invenienda eſt in meritis ſimpliciter finitis proportio moralis retributiva ſufficiens ad meritum congruum unionis hypoſtaticæ, ſeu Incarnationis.

Lug.

Ripald.

24 Secunda concluſio. Potuiſſet ſimiliter non præexiſtens tempore ante unionem id mereri per opera, prioritate tantùm naturæ antecedentia, & tempore comitantia unionem hypoſtaticam. Hæc concluſio non eſt ita communis. Probatur tamen ſatis clarè. Nam Anima priùs naturâ quàm uniatur corpori, & Verbo, eſt exiſtens: ergo poſſet eſſe pro illo priori exiſtens cum auxilijs, quibus eliceret actus ſupernaturales præſtantiſſimos meritorios unionis ad Verbum pro poſteriori naturæ. Non enim obſtaret, quòd præmium eſſet in eodem inſtanti reali: cùm in juſtificatione peccatoris contingat in eodem inſtanti reali dari meritum contritionis, & præmium gratiæ. Nec, quòd eſſet in primo inſtanti reali exiſtentiæ: cum ſic aſſeratur à multis cum P. Suarez de Angelis, & de B. Virgine, ſcilicet in primo inſtanti reali ſuæ exiſtentiæ ſe meritoriè diſpoſuiſſe ad gratiam ſanctificantem, datam ut præmium in eodem primo inſtanti reali pro poſteriori naturæ ad propria merita. Nec quòd Anima pro illo priori non haberet ſubſiſtentiam: cum certè ſubſiſtentia, nec ſit principium operandi, nec magis neceſſaria animæ ad operandum, quàm ſit ipſi neceſſaria unio cum corpore. Nulla igitur eſt ratio, cur non poſſet Anima à Deo ſupernaturaliter præveniri, & inſtrui ad eliciendos pro priori naturæ ad unionem actus, quorum inſcitu, & merito, daretur ut præmium pro poſteriori naturæ unio Hypoſtatica in eodem inſtanti reali.

Suar.

25 Tertia concluſio. Hoc intelligendum eſt de Merito congruo; non de condigno. Scilicet ob inæqualitatem & inferioritatem illorum operum, ſecundum quod dicunt pro eo priori, cum præmio unionis hypoſtaticæ. Niſi forté velis, quòd anima uniretur Verbo priùs natura, quam corpori: & ſic jam præunita, & ſanctificata à Verbo, mereretur unionem corporis ad ſe ipſam, & ad Verbum: de quo parùm curabo. Et idē, quod dicitur de Anima, dici poterit de Humanitate, ſi conſtitueretur per unionem humanam diſtinctam ab Hypoſtatica. Sic enim præconſtituta poſſet mereri Hypoſtaticam dandam pro poſteriori naturæ: quod non poſſet ſic dici, ſi cōſtituatur Humanitas unione humanâ idemtificatâ cum Hypoſtatica; quia ſic non præcederet naturâ Humanitas conſtituta unionem Hypoſtaticam, ut per ſe claret.

26 Objicies difficulter. Prædicta opera meritoria eſſent opera Animæ in eo inſtanti reali temporis unitæ Verbo: ergo infinitè tunc temporis condignificata à Verbo: ergo, ſi anima per illa opera poſſet mereri unionem Hypoſtaticam, de condigno poſſet, & non ſolùm de congruo. Nec obſtat, quòd ea Verbi condignificatio ſubſequatur natura ad actus illos elicitos ab Anima. Nam etiam prima Gratia ſanctificans ſubſequitur naturâ ad actum contritionis proximè diſponentis ad ipſam; quem tamen condignificat in eo inſtanti reali temporis ad merendam de condigno primam gloriam, ut cum Suarez, Vaſq. & Conine tenemus *in diſputationibus de Merito.* Et ratio eſt: quia iam pro illo inſtanti temporis illi actus Animæ eſſent opus condignificatum à Verbo ad præmium infinitum. Nec neceſſe eſt, quòd forma, ſeu quaſi forma dignificans ſit priùs, nec ſimul naturâ ad actum, quem dignificat, ut ibi etiā tenemus cum Suar Vaſquez, & Lugo contra Ripaldam, Hurtadum, multoſque Recentes.

Suar. *Vaſq.* *Conine.*

Suar. *Vaſq.* *Lug.* *Ripald.* *Hurtad.* *Vaſq.* *Gaſp.* *Hurt.*

27 Confirmatur ex Vaſquez, & Gaſpare

Digitized by Google

pare Hurtado *diſp. 6. diff. 4.* Meritum congruum dicit inæqualitatem cum præmio: nam ſi diceret æqualitatem, jam eſſet condignum: ſed merita illius animæ ſic operantis non dicerent pro eo inſtanti reali inæqualitatem cum præmio: nam pro eo inſtanti iã adeſt dignitas infinita Verbi uniti: ergo pro eo inſtanti reali, ſi mererentur, non eſſent merita de congruo, ſed de condigno. Non prodeſt dicere, pro priori ſigno eſſe inæqualia, cum pro priori non adſit dignitas Verbi uniti; ſicque pro priori eſſe de congruo. Benè: ergo ſaltem pro poſteriori eſſent de condigno: unde per opera facta in eo inſtanti temporis mereri poſſet Anima ſubſtantiam Incarnationis de condigno, ſi poſſet de congruo. Contra deinde. Meritum, quod pro poſteriori ſigno eſt condignum, nequit eſſe pro priori congruum in eodem inſtanti reali temporis: ergo implicat in terminis reſponſio. Probatur antecedens: nam congruitas excludit condignitatem, ſicut inæqualitas æqualitatem, & ſicut adoptio Filiationem naturalem: ſed in eodem inſtanti temporis adhuc pro diverſis ſignis nequit eſſe forma, & excluſio formæ; ideòque nequit Chriſtus dici Filius adoptivus, & naturalis, adhuc pro diverſis ſignis; nec homo peccator, & juſtus; adhuc pro diverſis ſignis in eodem inſtanti temporis; nec linea bipalmaris æqualis, ſimul & inæqualis palmari: ergo ſi meritum illud eſſet condignum pro poſteriori, non poſſet eſſe pro priori congruum in eodem inſtanti temporis: ergo aut omnino repugnat in eo caſu dari ibi meritum, contra ſecundam noſtram concluſionem; aut ſi daretur, eſſet condignum, & non congruum contra terciam.

28 Reſpondetur concedendo primum enthimema, & negando ſubillationem. Non quidem quia obſtet, quòd ea Verbi condignificatio ſubſequatur ad illos actus; quod precisè obſtaculum benè amovent arguentes; ſed, quia ea condignificatio ſubſequitur, aut ſaltem non antecedit unionem ad Verbum, à qua formaliter eſt. In genere autem meriti Remunerabilis, quode nunc loquimur, cùm detur præmium, quia meritum eſt, & de condigno detur, quia meritum condignũ eſt; non ſolùm opus meritorium, ſed etiam condignificatio antecedere debet, ſaltem naturâ, ad præmium condignè datum. Itaque illa unio ad Verbum, quamvis eſſe poſſet præmium illorum operum penes id quod dicerent antecedenter ad unionem, à qua eſt infinita condignitas; non tamen penes id quod dicerent formaliter ab ipſa unione: ac proinde non penes condignificationem infinitam; implicat enim in terminis, quòd in genere cauſalitatis efficientis propriæ Meriti. Remunerabilis detur præmium, quia meritum cõdignum re ipſa eſt, quin meriti condignificatio præſupponatur ad præmium.

29 Atque hinc patet diſparitas ad doctrinam illam noſtram de merito condigno primæ gloriæ: ex qua potius explicatio, quàm impugnatio parari deberet præſenti concluſioni. Non enim docemus ibi cum Suar. & Vaſquez, Gratiam ſubſequutam ad actum contritionis condignificare illum ad condigne merendam ipſam primam gratiam; ſed primam gloriam: quæ quidem non eſt condignificatio actus contritionis; ſed ſupponit illum, ejuſque condignificationem per primam gratiam, qua fit de condigno meritorius gloriæ danæ in præmium illius actus, *quia eſt*, & quia condignus eſt. In præſenti autem vult obiectio, unionem hypoſtaticam condignificare illa opera ad condigne merendam ipſam gratiam Unionis: quod implicat in hoc genere meriti, ut vidimus. *Suar. Vaſq.*

30 Nec id probat ratio inibi ſubjuncta: quamvis enim verum eſſet, quòd jam pro illo inſtanti temporis illi actus eſſent opus condignificatum à Verbo ad præmium infinitum, puta alterius Incarnationis ſubſequutæ; non tamen ad præmium, quòd eſſet hæc ipſa Incarnatio Verbi, à qua formaliter eſt ea condignificatio: qua ſcilicet nequit remunerari opus, quia per ipſam condignum præſupponitur. Cum quo benè ſtat doctrina illa noſtra, quòd non ſit neceſſe formam dignificantem eſſe priùs, aut ſimul naturâ ad actum quem condignificat: nam aliud eſt condignificationem non debere antecedere actum, quem condignificat, quod verum eſt; aliud eſt, actum & condignificationem non debere antecedere præmium quod meretur, & quo condignè remuneratur: quod negamus uti implicatorium.

31 Ad confirmationem dico, majorem eſſe veram de merito puré congruo, & nullatenùs condigno: & conceſsâ minore, diſtinguo cõſequens: merita illius animæ pro illo inſtanti reali, ſi mererentur, non eſſent merita puré de congruo, concedo: de congruo, & ſimul de condigno, nego: ſunt enim de congruo reſpectu unius præmij, nempé unionis quia in eo inſtanti condignificantur; quia reſpectu iſtius non præſupponitur condignitas, ſed congruitas: & ſunt de condigno reſpectu alterius præmij, quod ipſis deſtinaretur, aut poſſet deſtinari, ad quod præſupponeretur condignitas à Verbo jam præunito. Sic ob ſimilem rationem dici ſolet, & benè, *in Tract. de Merito*, contritionem,

quã

quâ peccator ultimò ſe diſponit ad gratiam, mereri de congruo primam gratiam, & de condigno gloriam: quia nempè ad primam gloriam præſupponitur contritio, & condignitas primæ gratiæ; ad primam verò gratiam, quamvis præſupponatur contritio, non verò condignitas primæ gratiæ, quia eſt formaliter ab ipſa prima gratiâ. Hinc ad illud quòd poſtmodùm ſubinfertur, dico, illa merita pro poſteriori naturæ eſſe de condigno: non quidem de condigno ad præmium illius unionis hypoſtaticæ, à qua eſt illa ipſa condignitas; ſed ad aliud præmium ſubſequens illam condignitatem.

32 Hinc etiam ad poſtremam illam inſtantiam dico, antecedens eſſe ſimiliter diſtinguendum, & negandam conſequentiam. Nam dato, vel conceſſo, quòd meritum pro poſteriori ſigno condignum, nequeat pro priori in eodem inſtanti temporis eſſe congruum ejuſdem præmij, cujus eſt condignum; poteſt tamen eſſe congruum alterius præmij, cujus nec pro priori, nec pro poſteriori condignum eſt. At in noſtro caſu meritum illud Animæ antecedens unionem in eo inſtanti temporis, nec pro priori, nec pro poſteriori naturæ, eſſet meritum condignum talis unionis. Non pro priori; quia pro priori non eſt unio ad Verbum condignificans: non pro poſteriori; quia pro poſteriori jam eſt præmium, nempè unio ad Verbum nullo modo præſupponens condignificationem: ac proinde omninò ineptè, imò, & repugnanter, cum eo quòd remuneratorié detur tale præmium cauſaliter per modum efficientis, & quia tale meritum condignum eſt: hic enim modus dandi, ut vidimus, dicit præſuppoſitionem meriti, & condignitatis ad præmium, ſicut cauſæ ad effectum.

33 Quæ adducuntur in probatione antecedentis, partim comprobant noſtram reſponſionem, partim nihil in oppoſitum convincunt. Congruitas quidem excludit condignitatem ejuſdem præmij; non alterius: ſicut adoptio Filiationem naturalem reſpectu ejuſdem Patris; non alterius: & inæqualitas æqualitatem eidem quantitati; non alteri: quia hoc non eſt forma; & excluſio ejuſdem formæ, ſed alterius, in quo nec umbra eſt implicantiæ. Unde illud de Filiatione Chriſti non eſt ad rem: quia repugnantia Filiationis naturalis, & adoptivæ in Chriſto eſt reſpectu ejuſdem Patris. Nec illud de peccatore, & juſto: quia inimicitia peccati, & amicitia gratiæ ſunt reſpectu ejuſdem Dei: & juſtitia, quæ eſt ſanctitas, eſt eſſentialiter puritas ab omni peccato mortali. Nec illud de linea bipalmari: nam quamvis nequeat dici æqualis, & inæqualis palmari; benè verò inæqualis palmari, & æqualis alteri bipalmari. Unde, diſtincto tandem penultimo conſequente, ut ſuperiùs, negatur ultima ſubillatio: quia firmum manet ex dictis, ejuſmodi meritum ſore congruum, & non condignum talis unionis hypoſtaticæ, quidquid ſit de condignitate ad aliud præmium. Quæ omnia intellige de Merito Remunerabili: nam de Solutorio conſtabit à fortiori ex dicendis *ſec. 5.*

SECTIO III.

An potuerit per opera ſubſequentia Unionem.

34 Communior ſententia omnino negat cum Vaſquez, Thomiſtis, & alijs, quos abunde recenſet Ripalda *diſp. 86.* Quippe nec de potentia abſolutâ admittunt, principium meriti, qualis eſt Unio Hypoſtatica condignificans opera Chriſti, poſſe cadere ſubmeritum, cuius eſt principium, ſive effectivum, ſive condignificativè. Id quod, & ex Fautoribus Meriti Solutorij negant etiam nonnulli, ut Haunoldus *num. 338.* *Vaſq.* *Thomiſt.* *Ripald.* *Haunol.*

35 Sententia minùs communis, & mihi vera, affirmat. Suarez *diſp. 10. ſect. 4.* Conine *diſp. 5. dub. 2.* Granad. *contro. 8 de Gratia tract. 12. diſp. 4.* Uvading. *diſp. 10. dub. 4.* Rip. *diſp. 106. & 179.* doctique Recentiores: quibus annuere videntur Salazar *de Conceptione cap. 24. ſect. 1.* Raguſa *diſp. 42. ſect. 4.* Lorinus *in Comment. ad Pſalm. 44. verſ. 8.* Valentia *tom. 1. diſp. 4. qu. 13. punct. 2.* Diſcrepant tamen notabiliter in modo explicandi, & defendendi hanc ſententiam affirmativam. Triplex modus circumfertur. *Suar.* *Conine.* *Gran.* *Vvadin.* *Rip.* *Salaz.* *Raguſ.* *Lorin.* *Valent.*

36 Primus modus eſt, diſtinguendo cũ Suarez in Deo duos ordines decretorum: intentionis ſcilicet, & exequutionis: & dicendo, poſt decretum intentivum Incarnationis, & meritorum Chriſti ſubſequentium poſſe Chriſti merita prævideri abſolutè futura; & ex illis ſic abſolutè prævijs potuiſſe moveri Deum ad decretum exequutivum ſubſtantiæ Incarnationis.

37 Secundus modus eſt, conſtituendo in Deo cum Ripalda decretum diſiunctivum decernens Incarnationem: non hanc determinatam, ſed diſiunctivè, & vagè, hanc, vel illam, ſive primæ, ſive ſecundæ, ſive tertiæ Perſonæ divinæ: ex vi cuius decreti eſt iam abſolutè futura aliqua Incarnatio, & poteſt ſic abſolutè prævideri futurus aliquis Chriſtus exercens aliquod meritum: ex iſta autem abſolutâ prævisione meriti ſic diſiunctivè decreti, & *Ripal.*

præ-

prævisi, potuisset Deus pro posteriori naturæ decernere determinatè hanc Incarnationem secundæ Personæ divinæ. Sicque Verbum incarnari, esset ex meritis antecedenter absolutè prævisis, quæ tamen postea subsequerētur exercitè facta ab hoc Christo.

38 Tertius modus est distinguendo cū Conine duplex illud genus meriti, de quo *sect.* 1. scilicet Remunerabilis, & Solutorij: & dicendo, Christum per opera Incarnationem subsequentia potuisse iuxta aliam Dei legem mereri ipsam Incarnationem solutorié. Sciens enim Deus per simplicem intelligentiam, possibilem esse Incarnationem, sciensque per scientiam condicionatam, quód si Incarnatio actu poneretur, Christus inde resultans, rependeret gratias maximas per obsequia infiniti valoris pro beneficio Unionis hypostaticæ collato suæ humanitati; allectus hac quasi spe talium obsequiorum, ut re ipsa fierent absolutè futura, & existentia, potuit ab æterno decernere talem Incarnationem: pro qua iam exercitè Christus postea rependeret, & solveret obsequia illa infinita, condignè sic merēs in genere solutorio per modum compensationis præmium illud Unionis anticipatè prærogatum.

39 Exemplum est celebre in Rege, qui sciens & sperans, si det Militi Equum & arma, Militem pro ipso strenuè pugnaturum, & obtenturum victorias; allectus ea spe dat Militi Equum & arma, quibus, & pro quibus miles postea pugnando, solvit & compensat obsequio é Regi: sicque dicitur Miles mereri apud Regem præmium etiam illud armorum, quod anticipatò habuit & fuit instrumētum pugnæ & victoriæ; Rexque dicitur anticipatè præmiasse intuitu, & in spe talis meriti. Non enim in eo casu Rex dedit anticipatò Equum, & arma omnino gratis, sed intuitu, & in spe obsequiorum Militis: ideoque huic militi dedit, & non alteri, à quo similia obsequia non speraret. Dedit ergo huic propter merita: sicut propter pretium, & non gratis dat suas merces anticipatò venditor, solvendas postea ab emptore.

40 Placere mihi non potest primus modus. Primò, & præcipuè: quia distinctio illa decretorum ordinis intentionis, & exequutionis, ut mihi inexplicabilem, & ad nihil necessariam impugno alibi ex professo. Secundò, & specialius ad præsens punctum: quia adhuc admissis illis ordinibus decretorum, non subsistit doctrina illis subnixa. Christus enim nequit à Deo absolutè prævideri operans, & merens, quin prævideatur exercitè existens, ac proinde exequutivè etiam positus aliquando à parte rei extra causas: ergo nequit absolutè prævideri operans, & merens, nisi post decretum etiam exequutionis: ergo non minùs repugnat, quòd mereatur substantiam suæ incarnationis quoad eius decretum exequutivum, quàm quoad intentivum: certè enim ad existentiam Incarnationis, ac proinde meritorum Christi, utrumque illud decretum deberet antecedere.

41 Rursùs. Primum illud decretum ordinis intentionis, utpotè volens efficacitèr Incarnationis substantiam, est essentialiter connexum cum exequutione substantiæ Incarnationis, tàm passivâ, quæ est ipsa temporalis positio Incarnationis; quam activâ, quæ, si mavis, sit illud aliud secundum decretum æternum exequutivum: sed illud primum decretum intentivum non habetur, nec potest haberi iuxta huiusmodi doctrinā propter merita prævisa Christi, utpotè antecedens merita Christi absolutè futura, eorūque absolutam prævisionem: ergo prima futuritio absoluta substantiæ Incarnationis non posset esse ex meritis Christi, iuxta hunc modum explicandi. Quamvis ergo postea ex prævisione meritorum admittatur illud aliud secundum decretum exequutivum, aut, si mavis, aliud etiam intentivum iteratò decernens eumdem Christum poni à parte rei, aut decernens, ut vult Salazar, poni per hanc actionem; hoc quidem non esset mereri substantiam Incarnationis, aut Incarnationem quoad substantiam; sed quo ad aliquam circumstantiam, scilicet talis actionis, vel quoad secundò decerni: utique supponendo, jam absolutè futuram substantiam Incarnationis ex vi primi decreti intentivi non respicientis ad merita.

42 Displicet etiam secundus modus expositus *num.* 37. Primò: quia illam etiam distinctionem, cunctationem, & quasi interruptionem in decernendo, ut Deo indignam, & omninò repugnantem rejeci *disp. 8 de Attributis, sect. 4.* & reijciemus ut inutilem iterum infra *sec. 8. & 10.* & ut repugnantem simplicitati divinæ in decernendo *disp. seq. sect. 7.* Secundò: quia, adhuc admissâ eâ prævisione, & disjunctione in decernendo, præcedentia, quæ in illa innititur, meritorum Christi ad existentiam Christi, & ad substantiam Incarnationis, solùm est præcedentia in decerni, in futuritione, & in absolutâ prævisione: quatenus nempé prius est futurum, & absolutè prævisum tale meritum ex vi decreti sui, quàm decernatur fiatque futurus iste Christus; non autem est præcedentia in exequutione passivâ temporali; quandoquidem iste Christus præcedere debet exequutus ad omnia sua opera meritoria exercitè etiam

Tom. 1. disp. 8.

Infra disp. 6.

exequuta, ut ex ſe patet. Eam autem præcedentiam in decerni, in futuritione & in abſolutâ prævisione non ſufficere ad cauſalitatem, ſeu inclinationem meritoriam in genere meriti Remunerabilis, ut intendunt hi Auctores, monſtrabimus *ſect. 4.* & non requiri in genere meriti Solutorij *ſect. 5.*

43 Præterea: neque, præſcripto modo decernendi, & merendi permiſſo, habetur intentum à ſuis Authoribus. Nam actus meritorius Chriſti nequit decerni, nec prævideri abſoluté futurus, adhuc disjunctivé hic, vel ille, quin eo ipſo ſit, & prævideatur futurus Chriſtus hic, vel ille: tantam enim connexionem habet actus ille disjunctivè ſumptus cum aliquo ſui principio disjunctivé, etiã ſumpto; quantam actus determinatus cum principio determinato, ut eſt ex terminis certum. Sicut ergo, apud hos Authores, actus, vel actio determinata nequit mereri ſuum principium determinatum; quia eſſentialiter illud ſupponit; ſimiliter neque actus, vel actio illa indeterminatè ſumpta, ſui principium nempe Chriſtum indeterminatè etiam vagè, ac disjunctivé ſumptum. Ad ſummum igitur dicere poſſunt, & dicunt ij Authores, illum actum ſic disjunctivé prædecretum, ac prævisum, mereri poſſe, quòd poſtea intuitu ipſius decernatur determinatè iſtud principium, nempe iſte Chriſtus. Hoc autem non eſſet abſoluté iſtum Chriſtum mereri ſubſtantiam Incarnationis, ſed circunſtantiam determinationis ad hanc Incarnationem iſtius Chriſti per merita, quæ, prout in illo ſigno prævisa, non prævidentur eſſe magis iſtius Chriſti, quem alterius nunquam decernendi, nec exitum: ergo toto hoc ſuo molimine Authores iſti non aſſequuntur intentum, quòd nempe Chriſtus de facto exiſtens per opera ſua mereatur ſubſtantiam ſuæ Incarnationis: quandoquidem illa opera dicto modo præciſſim prævisa, prout in illo priori ſigno exercent ſuã vim meritoriè movendi, non ſunt magis opera huius Chriſti quam alterius; ac proinde nõ faciunt magis merentem iſtum Chriſtum, quam alium merè poſſibilem: ergo ſicut iuxta hunc modum diſcurrendi alius Chriſtus mere poſſibilis nequit dici cauſa meritoria iſtius Incarnationis, ita neque iſte, qui de facto ponneretur, ſi ſtandum eſt ad hunc modum vagè decernendi, & diſcurrendi.

44 Perplacet mihi ſemper tertius modus expoſitus *num. 31.* nixus inconcuſsè in diſtinctione illa veri meriti Solutorij ab Ordinario Remunerabili. Juxta eam defendo in Diſputationibus de Merito, cum doctiſſimis Theologis, ex natura rei minimè repugnare principium meriti cadere poſſe ſub meritum, cuius eſt principium: Sub Meritum, inquã, Solutorium, ſeu compenſativũ; quamvis ſub meritum Remunerabile, quale eſt meritum Ordinarium veriſſimum ſit axioma Theologicum: quod *principium meriti non poteſt cadere ſub meritum*: intelligendum *ſub meritum Remunerabile*, quod eſt ordinarium præſentis Legis, ideoque potius præ manibus & oculis Theologorum, inde ſibi ſtatuentiũ prædictum axioma, minimè comprehendens meritum ſolutorium, quantumvis abſolutiſſime, & veriſſimè meritum ſit, ut ſpecialiter circa S. Thom. animadvertimus *ſect. 1.* Juxta hanc autem doctrinam decidenda nobis eſt præſens difficultas duabus concluſionibus per duas ſequentes ſectiones.

SECTIO IV.

Non potuit in genere Meriti Remunerabilis.

45 EST adversùs Authores citatos pro primo illo, & ſecundo modo defendendi ſententiam affirmativam *nu. 36. & 37.* & contra omnes, qui, ſolùm admiſſo merito Remunerabili, dicunt, Chriſtum in hoc genere meriti meruiſſe multa, quæ ipſum tempore præceſſerunt. Non dico, quòd meritũ illud nõ eſſet etiam remunerabile reſpectu aliorum præmiorum ſubſequentium iuxta monitum *num. 16.* ſed quod reſpectu Incarnationis, aliorumvè præmiorũ ipſam antecedentium, non moveret in genere meriti Remunerabilis.

46 Oſtenditur à priori. Meritum Remunerabile movet præmiantem in genere cauſæ efficientis moralis ad conferendum præmium, quia nempe tale meritum eſt: ſed implicat in terminis, quòd opus ſubſequens moveat eo modo meritorio in genere cauſæ efficientis moralis ad collationem doni antecedentis, ſive hoc donum ſit principium talis operis, ſive non: ergo implicat, quòd in genere meriti Remunerabilis opera Chriſti ſubſequentia meruerint eius Incarnationem antecedentem: & hoc quidem ſive de congruo, ſive de condigno: nam concluſio, & probatio utrũque id amplectitur. Maior eſt explicatio meriti ab omnibus admiſſa ex S. Thom. allegato *ſect. 1.* Minor probatur. Qui moveatur ad conferendum nunc præmium, *quia meritum eſt*, & quia homo dignus eſt, ex hoc ipſo momo dandi, & volendi dare, ſupponit, meritum nunc eſſe, & hominem actualiter dignum eſſe, imó & cum aliqua prioritate cauſalitatis

mo-

moralis per modum efficientis: alioquin quomodo dat, aut vult dare *quia meritum eſt*, & quia homo iam dignus eſt: ergo implicat in terminis, quòd opus, ſeu dignitas antecedenter, aut ſaltem nunc non exiſtens, ſed extiturâ poſtea in craſtino, moveat eo modo meritorio præmiantem ad collationem anticipatam doni, ſeu præmij antecedentis.

47 Communis reſponſio eſt, Meritum, quamvis moveat ad dandum præmium ad modum cauſæ efficientis, & *quia eſt*, non tamen movere phyſicé, ſed moraliter intentionaliter, in quo convenit cum cauſa finali: Unde non eſt neceſſe, quód in ſe phyſicé exiſtat quando datur præmium, ſicut nec exiſtit phyſicé finis quando ponuntur media; ſed ſufficit, quòd exiſtat in præviſione præmiantis, qui antecedenter prævidens meritum abſoluté futurum poteſt antecedenter motus ex merito ſic præviſo velle dare, & re ipſa dare præmium in phyſicâ exiſtentiâ præcedens exiſtentiam meriti. Ex hac doctrinâ receptiſſimâ dicunt ferè omnes, Chriſtum de facto meruiſſe remuneratorié multa præmia, quæ tempore præceſſerunt ipſius exiſtentiam phyſicam: in eo ſe ſatis laboraſſe credentes, ad hoc ut præmium antecedens poſſit remuneratorié cadere ſub meritum ſubſequens, ſi forté per ambages multas excogitent modum, quo meritum re ipſa ſubſequens decernatur, & abſoluté prævideatur in aliquo ſigno, ut vocant, antecedente ad decretum, & præviſionem abſolutam præmij exercité, & re ipſa phyſicé antecedentis: qualia fuerunt multa præmia meritorum Chriſti; quæ præmia tempore præceſſerunt Chriſtum phyſicé, & exercitè exiſtentem, & merentem.

48 Contra tamen diſputo ſic. Vel præmians, quando exercitè dat prædictum præmium hodie propter meritum faciendum cras, dat hodie præmium, quia eſt in re meritum; vel dat, quia erit in re meritum: vel dat quia eſt hodie decretum, & abſoluta præviſio meriti craſtini.

49 Primum dici non poteſt: quia ſi meritum non eſt hodie exercité, & in re, quãdo datur præmium, ſicut re ipſa non erant exercitè merita Chriſti tempore, v.g. Paſſionis ſubſequuta, quando in re fiebat Incarnatio, aut quando dabantur auxilia, & gratiæ B. Virgini, & Patribus antiquioribus; quâ veritate, quâ prudentiâ, aut quo ſano conſilio potuit habere tunc temporis Præmiator actum quo vellet, aut diceret: *volo dare hodie hoc præmium, quia meritum in re, & exercitè eſt*? Falleretur quidem, & ſe ipſum vellet ridiculé decipere.

50 Neque dici poteſt ſecundum. Quia meritum, quod erit cras, non facit hodie hominem merentem, nec dignum præmio, ſicut nec facit operantem, præſertim ſi nec exiſtat hodie re ipſa talis homo: ergo in terminis implicat, quòd Deus remuneratorié præmians habeat hodie actum, quo velit, & dicat: *volo dare hodie præmium homini iam digno, quia eius meritum erit cras*. Conſequentia liquet. Antecedens, quamvis per ſe ſit ſatis conſtans, probatur. Tum quia forté homo cras meriturus nondum exiſtit hodie, ut re vera nondúm exiſtebat Chriſtus tempore, quo dabantur auxilia, gratiæ, & multa privilegia, B. Virgini, & Patribus antiquioribus: quomodo ergo eum nondum exiſtentem in illo tempore facerent ea merita multò poſteriora, dignum ac merentem? Tum quia meritum craſtinum, quod ſit actus amoris, quantumvis abſoluté decretus, futurus, & prævisus, non facit hominem hodie amantem: præſertim caſu poſſibili dato, quód homo cras amaturus hodie phyſicé, & moraliter exerceret odium: ergo neque facit hodie hominem merentem, nec dignum præmio correſpondente actui amoris: ergo in tuitu meriti craſtini, aut propter hodiernam ejus futuritionem, nequit remuneratorié dari hodie præmium tali homini, *quia dignus eſt*. Facit hic paritas culpæ, & pœnæ, quam urgebimus *num. 55.*

51 Neque dici poteſt tertium. Quia quòd detur hodie decretum, intentio, & abſoluta præviſio meriti craſtini non eſt decerni, intendi, ſeu prævideri meritum eſſe re ipſa hodie: ſolùm eſt, decerni, intendi & prævideri hodie, meritum fore re ipsà cras: ergo ejuſmodi decretum, intentio, & præviſio, facit quidem Deum hodie decernentem, intendentem, & prævidentem; non autem facit Chriſtum merentem, ac proinde nec dignum: non enim eſt actus meritorius Chriſti; ſed actus non meritorius Dei: nec per illum vult, aut videt Deus hodie, Chriſtum meretri, & dignum fieri hodie; ſed meriturum, & dignum fore cras: ergo ejuſmodi Dei decretum, intentio, & præviſio inſufficiens eſt, ac proſus inepta, ut Deus det hodie remuneratorié præmium, *quia Chriſtus meretur, & quia dignus eſt*: qui modus dandi præmiũ, & movendi ad illud eſt de conceptu meriti remunerabilis contrapoſité nimirum ad modum finalem movendi.

52 Dices, meritum craſtinum, hodie prædecretum, & præviſum à Deo, cauſare præmium hodiernum hodie, quia jam eſt hodie, & ab æterno in decreto, & præviſione Dei. Contra tamen claré. Meritum, quod

in re phyſicè non erit uſque ad craſtinum, eſſe jam hòdie, & ab æterno in decreto, & prævisione Dei; ſupra id quod eſt meritum in re phyſicè fore cras, ſolùm addit, Deum hodie, & ab æterno, ſive pro priori naturæ, ſive temporis, decreviſſe, & prævi liſſe meritum in re fore cras; non autem fore in re hodie: ſed Deum ſic decreviſſe, & prævidiſſe, quamvis formaliter faciat Deum ſic decernentem, & prævidentem, non facit Chriſtum dignum, ſicut nec facit merentem, nec operantem; nec exiſtentem formaliter; inductivè autem, ſeu cauſaliter, non niſi pro tempore phyſicæ exiſtentiæ ſuæ, & meritorũ ipſius: ergo ejuſmodi exiſtentia, ſeu præexiſtentia meriti craſtini in decreto, & in prævisione Dei inſufficiens omninò eſt, & inepta ad prædictum modum remuneratorium dandi hodie præmium, *quia meritum eſt*, & *quia Chriſtus dignus eſt*. Nullum enim decretum Dei poteſt velle, nec prævisio videre Dei ineptiam, qualis, quacumque Dei prævisione ſuppoſitâ, vel non ſuppoſitâ, eſſet dicere hodie quando re ipſa meritum non eſt: *volo dare hodie præmium quia meritum eſt.* Hic autem eſt modus dandi remuneratorius: remuneratio enim ſupponit re ipsâ, ut ſic loquar, munerationem: hoc eſt munus, ſeu obſequium jam exercitè acceptum quando fit remuneratio.

53 Porrò velle hoc ſalvare per præſuppoſitionem tantummodo intentionalem divinæ præſcientiæ, hoc vel illo modo à nobis conſideratæ, videri poteſt eſſe monſtrare viâ Semipelagianis ad ſua illa merita conditionate præſcita, à Concilijs damnata, & Theologis inviſa. Ex quorum Catholicâ doctrinâ argumentor ulteriùs contra reſponſionem nobis datam. Quamvis in Deo ſit antecedenter præſcientia multorum meritorum conditionatorum, quorum aliqua aliquando, alia nũquam abſolutè ponentur, tamen ex illa præſcientia, aut propter exiſtentiam intentionalem, quam habent in ea Dei præſcientia, nequit Deus dare, nec velle dare remuneratoriè præmium: *quia talia merita ſunt*: meritum enim ſolum eſſens intentionaliter in prædictâ Dei præſcientia, dum non ponitur in re, cùm non faciat hominem merentem, aut dignum, non eſt aptum ad movendum Deũ, ut det, aut velit dare præmium tali homini, *quia dignus eſt*, aut *quia meritum eſt*: quippè hic modus dandi remuneratorius eſſet fugatorius, & implicans, ſi quando præmium abſolutè, & in re datur, meritum abſolutè nõ eſt faciens hominem abſolutè, & in re dignum: ſed nec futuritio, nec prævisio abſoluta meriti craſtini facit, quòd homo hodie abſolutè, & in re merens ſit, nec quòd dignus ſit, imò nec quod exiſtens ſit: ergo ſimiliter per abſolutam futuritionem, & prævisionem, meritum hodie in re non exiſtens non eſt aptum ad movendum Deum, ut det hodie remuneratoriè præmium homini *quia dignus eſt*, aut *quia meritum eſt*: implicat enim hoc in ipſis terminis quacũ; Dei ſcientiâ, ſuppoſita, & præſuppoſitâ: nec magis occurritur huic patentiſſimæ implicantiæ per præexiſtentiam intentionalem in præſcientia Dei abſoluta, quàm per conditionatam, cui fidebant Semipelagiani.

54 Profectò S. Thom. allegatus, & expenſus *ſec. 1.* non ignorabat hanc intentionalem meritorum in decreto, & in abſolutâ prævisione Dei præexiſtentiam ad collationem phyſicam præmiorum; & tamen in verbis adductis *num. 2.* Loquens, ut vidimus, de Merito cauſante præmium non quidem phyſicè, ſed moraliter, *per modum efficientis*, qui eſt in ipſis terminis modus cauſandi meriti Remunerabilis; omninò ait, *nullo modo* poſſe eſſe poſterius tempore ad præmium, & quod *non poteſt eſſe, quòd aliquis mereatur quod iam habet*. Nihil ergo præſidij eſſe exiſtimavit ad afferendum, id aliquomodo eſſe poſſibile, præexiſtentiam illam intentionalem meritorum in decreto, aut in prævisione Dei, ut cuicumque rem, & verba ſincere conſideranti fiet abs dubio. *S. Thom.*

55 Urgentur ſupradicta à paritate pœnæ. Quamvis hodie detur actu prævisio abſoluta culpæ cras futuræ præcedens tempore, & naturâ, pœnam, & decretum, ac notitiam pœnæ; nequit Iudex ex tali futuritione, & prævisione pœcę apte moveri ad infligendam, nec ad volendum infligere hodie pœnam homini; cùm hodie re ipſa ſit homo innocens, quamvis cras futurus culpatus: quòd ita intelligo, ut quamvis Deus ex tali prævisione culpæ habeat, ante quam in re detur culpa, decretum infligendi pœnam; non tamen infligendi pœnam antequam detur culpa: nam hoc repugnat modo punitorio infligendi pœnam, *quia culpa eſt*. Similiter ergo, quamvis actu detur hodie abſoluta prævisio meriti craſtini, nequit exinde Deus aptè moveri ad dandum hodie præmium homini, *quia dignus eſt*, cùm hodie dignus non ſit, nec prævideatur hodie dignus, ſed cras dignus: quod ita pariter intelligo, ut quamvis Deus ex tali prævisione meriti, habeat, antequam meritum re ipſa ſit, decretum dandi remuneratoriè præmium; non tamen dandi præmium antequam meritum re ipa ſit: nam hoc repugnat modo remuneratorio dandi præmium, *quia meritum eſt*, & *quia homo*

dignus

dignus eſt Igitur modus ille decernendi, & dandi præmium, *quia meritum eſt*, omninò repugnat in ipſis ſuis terminis, ſi meritum in re non eſt, nec fuit quando præmium datur: eâdem prorsùs ratione, quâ repugnat infligi & velle infligi pœnam *quia culpa eſt*, ſi culpa in re non eſt, nec fuit, quando infligitur pœna.

56 Faceſſebat negotium illa paritas Patri Oviedo *punct. 8.* & dedit diſparitatem, quòd præmium datur à Deo quaſi debitore homini merenti; pœnam verò exigit Deus ut creditor ab homine debente. Debitori autem liberum eſt ſolvere anticipatò; non ſic creditori exigere debitum anticipatò. En inquit, cur poteſt Deus remuneratoriè dare præmium ante meritum, cùm in hoc contra nullius jus faciat; non verò pœnam ante culpam, quia in hoc faceret contra ius hominis nondum debentis pœnam.

57 Pulcrè quidem, & acutè; ſed certè fruſtra. Non equidem dubitamus, Deum poſſe dare homini multa dona ante meritū, imò, & ſine ullo unquam merito: quippè in hoc uteretur ſuo jure liberaliſſimus Dominus, & nullius læderet jus. Quod negamus, uti falſiſſimum & in terminis implicans, eſt, poſſe à Deo ſic dari illa dona homini in remunerationem, *quia dignus eſt*: nam ad hoc non ſuffi.it nullius lædi ius, ſed requiritur in homine jam merente ius dignitatis ad talia dona, quando dantur in præmium remuneratoriè: alioquin quomodo ſapientiſſimus Deus daret ea remuneratoriè homini, *quia dignus eſt*, & *quia meritum eſt*? Aut quomodo contra omne ius non ſit exiſtimare, ſic Deum inoptire?

58 Præterea. Nec etiam Deus, ut Supremus Dominus, infligens hodie ante culpam homini innocentiſſimo aliquod malum phyſicum ad alios fines: v. g. ad exercitium patientiæ, faceret contra hominis jus; ceterùm infligere hodie tale malum in pœnam homini innocenti, & nondum culpato pro culpa craſtinâ, omninò implicat ex modo ipſo punitorio: eſſet enim infligere malum pœnæ homini, *quia dignus eſt*, & quia culpa eſt; cum tamen culpa non ſit, nec homo culpatus ſit, ſed hodie innocens. Semper ergo urget paritas: ſi meritum craſtinum hodie præviſum faceret hominem hodie dignum, & merentem, taliter ut Deus optimo jure, & aptè, poſſet hodie dare præmium remuneratorie tali homini, *quia dignus eſt*, & *quia meritum eſt*, dans homini pro hodie jus dignitatis ad præmium hodiernum; cur ſimiliter culpa craſtina hodie præviſa non faceret hominem dignum pœna hodiernâ cum jure, in Deo puniendi hodie hominem in pœnam culpæ craſtinæ? Reſponſum mihi fuit aliquādo, meritum craſtinum eſſe moraliter hodie, & ſic poſſe facere hominem hodie dignum; non tamen data fuit ratio, cur ſimiliter non dici poſſet de culpa. Repugnat igitur utrumque ex modo ipſo ſive punitorio infligendi, ſeu volendi infligere pœnam, *quia culpa eſt*, ad quod non ſufficit præviſio, ſed poſitio culpæ; ſive remuneratorio dandi, ſeu volendi dare præmium, *quia meritum eſt*, ad quod non ſufficit præviſio, ſed poſitio meriti, antequam detur præmium.

59 Supereſt, & juvat evoluere ſpecioſam doctrinam reſponſionis poſitæ *num. 47*, in qua, niſi decipior ipſe, decipiuntur inſigniter adverſarij. Dicunt, meritum cauſare præmium, & movere ad illud, non phyſicè, ſed moraliter intentionaliter. Hoc verum eſt. Inferunt, quòd ideò non debet phyſicè exiſtere, nec extitiſſe, quando datur præmium; ſicque merita Chriſti, quamvis nec phyſicè exiſterent, nec extiterint, quando dabatur in re præmium, poſſunt prædecreta, & præviſa cauſare in re præmium, & ad ipſum remuneratoriè dandum movere. Hoc falſum eſt. Et quidem, ſi teneret illatio, teneret etiam paritas pœnæ, & culpæ non phyſicè, ſed moraliter cauſantis pœnam; quin perinde infligi poſſit punitoriè pœna, *quia culpa eſt*; antequam culpa phyſicè, & in re ſit, vel fuerit. Quoniam autem vereor, nè paritate preſſus, id ſimiliter in pœnis deglutire audeat nonnemo; inſto aliter. Sacramenta, in ſententia ſatis acceptâ, non phyſicè, ſed moraliter cauſant gratiam; & ſimiliter verba conſecratoria præſentiam Sacramentalem Chriſti. Unde eſt, quòd cauſent, aut potiùs cauſetur effectus in re, etiam cum phyſicè non exiſtunt, dummodò tamen phyſicè præxiterint. Idcircò, inquam, ſunt cauſæ morales, & cauſant non phyſicè, ſed moraliter. Quia tamen ſunt permodum efficientis, & cauſant, non finaliter, ſed quaſi efficienter; ideò non minùs requiritur exiſtentia, vel præexiſtentia phyſica, & in re Sacramentorum, vel Verborum, ut cauſetur eorum gratia, ſeu præſentia Chriſti Sacramentalis; quàm exiſtentia cauſæ efficientis phyſicæ, quando phyſicè cauſatur effectus.

60 Hinc inſtauro ſic argumentum noſtrum. Quamvis Sacramenta, & Verba conſecratoria non cauſent phyſicè, ſed moraliter; Deuſque antecedenter ad illa in re poſita decernat dare gratiam, aut Chriſti præſentiam; non tamen decernit dare in re gratiam antecedenter ad Sacramenta, nec facere Chriſtum in Sacramento realiter præſentem antecedenter

cedenter ad verba: cuius ratio conſtans eſt, quòd ſunt per modum Cauſæ efficientis, & non finalis; ideoque cauſant *quia ſunt*, aut *fuerunt*; & non, *ut ſint* Quem modum retinet etiam Deus in collatione gloriæ propter merita noſtra: quippe, quamvis antequam in re ſint merita, decernat gloriam in re dare; non tamen, gloriam in re dare antequam in re ſint merita: ex eo nempe quòd gloria datur remuneratoriè propter merita, *quia merita ſunt*, vel *fuerunt*. Igitur, ex eo etiam modo remuneratorio dandi præmium *quia meritum eſt*, repugnat omnino ex ipſis terminis, dari præmium antequam meritum ſit, quamvis à merito non cauſetur phyſicè, ſed moraliter: quia non cauſatur moraliter in genere cauſæ finalis, ſed efficientis, ut ex verbis S. Thom. vidimus, & expendimus.

61 Clauſula ſit, merita generis remuneratorij mouere intentionaliter præcognita ad præmium in re dandum: non quidem in re dandum antequam illa in re ſint, ſed in re dandum poſtquam illa in re ſint: quia hoc benè ſtat; illud verò repugnat cum modo remuneratorio dandi præmium, *quia merita ſunt*: qui modus dicit eſſentialiter meritum in re eſſe, vel fuiſſe, quando datur præmium, quamvis non, quando decernitur dari. Unde diſturbantur cogitationes illorum, qui per decreta intentiva, & exequutiva, præciſiva, aut disjunctiva, aut per præviſiones etiam abſolutas meritorum, ante præviſionem, & decretum præmiorum, eiuſmodi repugnantiam componere moliuntur. Ea namque machinamenta alioquin ingenioſa, de quibus iterũ ſermo *ſect.* 10. inania prorſus ſunt. Quamvis enim ſalvent utcumq; antecedẽtiam decretorum, aut præviſionem inter ſe; non ſalvant præcedentiam in re rerum decretarum, aut præviſarum, ſcilicet meriti ad præmium, prout neceſſe eſt ad modum remuneratorium dandi, & volendi dare præmium *quia meritũ eſt*: cùm ad hoc debeat meritum in re antecedere præmium: quin ſufficiat decretum, & præviſionem meriti antecedere decretum, & præviſionem præmij. Igitur hoc modo remuneratorio nullum præmium tempore antecedens poteſt cadere ſub meritum in re ſubſequutum: ac proinde in hoc genere meriti remunerabilis nullatenus potuit Chriſtus per opera tempore ſubſequentia mereri ſubſtantiam ſuæ Incarnationis; ſicut ne quidquã aliud tempore antecedens, ut in ſimili dicemus *ſect.* 11. ubi ulteriùs inſequemur generaliter communes iſtas reſponſiones, præſertim à *nu.* 143.

Infra ſect. 11.

SECTIO V.

Potuit in genere Meriti Solutorij.

62 ESt adversùs omnes negantes hoc genus veri Meriti, & adverſus aliquos etiam illius Propugnatores reſpectu præmiorum tempore antecedentium, non verò reſpectu præmiorum, quæ ſint principia meriti, ut eſſet Incarnatio, ſeu Hypoſtatica unio dignificans opera ſubſequẽtia Chriſti; ut Haunoldus *num* 338. Pro nobis tamen ſtant alij doctiſſimi, Coninc, Granad. Uvading. Lorinus, & ſapientiſſimimi Recentiores laudati *num.* 13. & 35. *Haunol. Coninc. Granad. Uvand. Lorin.*

63 Probatur facilè concluſio. Primò: quia omnes admittimus uti certum, Chriſtũ per opera tempore ſubſequentia meruiſſe multa præmia tempore antecentia: ſed hoc non potuit eſſe in genere meriti remunerabilis, ut vidimus *tot à ſectione præcedenti*: ergo in genere meriti ſolutorij quod *ſect.* 1. explicatum eſt; ergo in hoc genere meriti potuit Chriſtus iuxta aliã Dei legem mereri ſubſtantiam Incarnationis. Quòd enim hæc ſit principium condignificativum ipſorum non impedit, quominùs potuerit cadere ſub tale meritum, ut conſtabit generaliter ex ſtatim dicendis, & ſpecialiter *ſect.* 6. ex ſolutione objectionis quintæ.

64 Probatur ſecundò à priori. In genere meriti Solutorij, moventis ſcilicet ad inſtar cauſæ finalis, & non ad inſtar cauſæ efficientis, datur præmium, *ut meritum ſit*, aut in ſpe quod erit; non autem, *quia eſt*, vel quia fuit: ſed iuxta hunc modum dandi non eſt implicans, imò congruentiſſimum, quòd obſequium nondum phyſicè exiſtens, præcognitum autem extiturum ſi anticipetur illud præmium, moveat Principem, ac præſertim Deum omniſcientiſſimum, ut intuitu talis obſequij, & propter tale obſequium, ſeu quaſi in ſpe talis obſequij, ut nempe exiſtat, & abſolutè ponatur in ipſius honorem, det anticipatè donum illud, ſub cuius hypotheſi præſciebatur futurũ tale obſequium: ergo in hoc genere meriti optimè potuit Chriſtus per opera ſubſequentia mereri inter alia multa præmia tempore antecedentia, ſubſtantiam ipſam ſuæ Incarnationis, ſeu donum Hypoſtaticæ Unionis divini Verbi ad ſuam Humanitatem. Maior eſt conſtitutio meriti Solutorij. Minor patet: nam modus movendi cauſæ finalis talis eſt, ut finis præcognitus, & præintentus, antequam phyſicè in re ſit, moveat intendentem ad ponenda media antecedentia tempore ad poſitionem finis, ut nempe ponatur finis, aut in

ſpe

spe quòd, si adhiberetur illa media, ponetur absolutè, & in re finis. Igitur, quantum est ex hoc modo movendi & causandi, nulla est implicantia, quòd res tempore subsequens causet antecedentem: sicque meritum causet præmium, dummodo alia adsint requisita essentialia ad rationem meriti ut sic, ut certè adsunt in operibus Christi, quæ quidem sunt actus liberi, supernaturales, obsequiosi, & eoque dignes omni præmio possibili. Quòd autem de facto non adsit divina ordinatio destinans in eorum præmium substantiam Incarnationis; non tollit quominùs iuxta possibilem aliam Dei legem potuerit adesse.

65 Ex humanis redit huc exemplum illud celeberrimum Regis anticipantis equũ & arma militi pugnaturo, in spe Victoriarum, expositum *num 39.* quod ita ponit ob oculos veritatem meriti Solutorij apud Deum, ut ingenuè fateatur P. Suarez nunquam fuisse illi plenè satisfactum à negantibus hoc meritum. & idem fatetur P. Izquierdo *disp. 42. num 17.*

Suar. *Izquier.*

Iunius.

66 P. Junius *sect. 14 cap 3.* in omne se latus versat & magnam Juliani & Juri operam insumit, ut respondeat: sed omninò frustra. Supponit enim contractum, ubi nec contractum, nec colloquium necesse est esse: cùm totum id possit peragi, mente retentâ illâ spe victoriarum. Et non stat multas disparitates inter Regem illum, & Deum, & posset notare multò plures; sed nullam ad rem. Exẽplum enim apponitur ad quatuor. Primò, ut perspiciatur, Regem illum dare equum & arma ante obsequia pugnarum & victoriarum in re posita, & in hoc non est dubium. Secundò: ea non dare illi Militi omninò gratis, & ex pura liberalitate obiectivè, sicut posset eadem dare alteri quem sciret ingratum fore & nunquam pugnaturum; sed illa dare intuitu, & in spe, sivè in contractum sive in colloquiũ producta, sive animo retentâ, pugnarũ, & victoriarum medijs armis, & equo exequendarum: in hoc qui dubitet, interroget vendentes, & ementes: an quando nullâ præcedente obligatione res traditur ementi pecuniâ creditâ tradatur gratis, & ex purâ liberalitate. Tertiò, hoc verè fuisse dare, & voluisse dare Equum, & arma *propter* pugnas, & intuitu victoriarum. Hic est modus loquendi ab omnibus usurpatus; quâ loquimur agi *propter* finem ea quæ intuitu finis, & in spe finis obtinendi per eadem operamur, & tradi merces *propter* pretium, quando anticipatò, & creditò traduntur, ut pretium postea recipiatur. Quartò: propter eum modum, & animum dandi Equum, & arma, nec pugnas, aut victorias, subsequutas desinere esse pugnas, & victorias; nec desinere esse iucundas, & obsequiosas Regi; nec res à Milite gestas deficere à verâ ratione servitij, & obsequij, & consequenter; nec à ratione veri meriti apud Regem: quidquid hoc ambigat interroget a Rege, & a Milite. Nullum é toto corpore Juris quasi é pharetrâ protulit telum P. Junius, quod ferret ista capita, in quibus adequatissim é tenet exemplum, & stat tota doctrina meriti solutorij: ut iterum post longam suam doctâque responsionem verissimũ sit, quod ingenuè fatebatur Suarez, huic exemplo nunquam fuisse plenè satisfactum. Addiderim bonâ venia, forte nec semiplenè.

Suar.

67 Stat ergo citra rigores strictè contractûs vera ratio meriti moventis, *ut sit*, seu compensativi, in operibus obsequiosis strenui illius Militis erga Regem: & vera ratio præmij anticipati in equo, & armis, quæ postea sunt principia, seu instrumenta talium obsequiorum moventium intentionaliter quando non erant ex præcognitione, ac in spe quòd erunt; ôventium autem, compensatorium & merentium postea quando re ipsa sunt à Milite posita in obsequium Regis. Nec momenti est, quod post alios opponit Junius, in hoc casu non fore rationem, cur potiùs pugnæ, & victoriæ sint meritum Militis apud Regem illas præmiantem armis, & equo; quam prædonatio illa armorum, & equi sit meritum Regis apud Militem hæc præmiantem pugnis, & victorijs. Hoc enim est nolle meminisse, quòd meritum debet esse opus obsequiosum inferioris apud Superiorem: unde sicut actio illa Regis superioris non induit rationem obsequij erga Militem, quam induit opus militis inferioris erga Regem; ita nec nomen, nec rem meriti apte propriéque dicti. Hinc est, quòd Deo omninò repugnet mereri, sicut & obsequi; nec Christo posset id competere, nisi secundum naturam, *qua minor est Patre*. Sic in contractu venditionis qui dat merces pro moneta est qui vendit; & qui dat monetam pro mercibus est qui emit; sive moneta detur ante, sive post traditionem mercium: quia eiusmodi anticipatio, vel postpositio non dat, nec tollit à moneta esse monetam, nec à mercibus esse merces.

Iunius.

68 Itaque conspicuum fit in prædicto exemplo armorum, & equi, quòd in eò genere meriti solutorij, Deus omniscius potuisset, si iuxta aliam suam legem voluisset, decernere, & ordinare, in præmium, humanitatem uniri Verbo, motus, & allectus infinitis Christi inde resultantis & merentis obsequijs sibi iucundissimis, & placentissimis, ut nempe à Christo ponerentur à parte rei, sicut præsciebantur, & sperabantur absolutè ponenda sub

hypo-

Digitized by Google

hypotheſi, ſi prædonaretur unio Verbi ad humanitatem. Poſtea verò Chriſtus agens Deo gratias cumulatiſſimas pro eo ſuæ humanitati dono, & eximia præſtans obſequia æſtimationis, ac valoris ſimpliciter infiniti in Dei honorem, ſolvere, & compenſare Deo potuiſſet; ſicqué aptiſſimè, & proprijſſimé mereri de condigno per opera ſubſequentia anticipatum illud præmium unionis hypoſtaticæ, quantumvis ſit principium condigni ſicans eadem opera meritoria ſubſequuta.

69 Objicitur primó. Pœna, cujus pàritate avidé uſi ſumus *ſec. præced.* nullo prorsús modo infligi poteſt ante culpam in re poſitam: ergo omninò neque præmium ante meritum in re poſitum. Negatur conſequentia ob rationem diſparitatis patentiſſimam. In primis enim pœna antequam ſit culpa nequit à Deo infligi, *quia culpa eſt*; nam hoc implicat in terminis: & in hoc tenet paritas noſtra cum præmio meriti Remunerabilis, in quo ſimilem implicantiam oſtēdimus. Deinde neque, *ut culpa ſit*: nam à Deo nequit culpa ſperari, nec deſiderari, nec intendi, ut finis, ſicut poteſt meritum: & in hoc ſtat diſparitas, cur in genere Solutorio poſit anticipari præmium, *ut meritum ſit*, & non ita pœna, *ut culpa ſit*. Addo conſequentiam objectionis eſſe contra omnes: nam omnes admittimus multa præmia meritorum Chriſti, antecedentia longo tempore ad merita Chriſti in re poſita.

70 Objicitur ſecundò. Quod datur in præmium *propter meritum*, datur ex aliqua obligatione dandi: ſed quod daretur anticipaté ad meritum: v.g. Incarnatio, non daretur ex obligatione ſic dandi: cùm nec eſſet Deus injuſtus, nec infidelis, ſi ſic non daret: ergo nec haberet rationem præmij, nec opera ſubſequuta haberent rationem meriti. Major probatur, quia ſi non daretur ex aliqua obligatione, daretur gratis; ac proinde non in præmium *propter meritum*.

71 Reſpondetur, diſtinguendo majorem: in genere remuneratorio, concedo; in Solutorio, nego majorem. Ratio, & regula eſt, quia obligatio in ſimilibus, qualiſcumque ſit, ſive juſtitiæ, ſive gratitudinis, ſive ſtricta, ſive lata, imponitur à primo datore, & manet penes ſecundum; quin perinde mutentur naturæ rerum. Patet in contractu vēditionis, in quo aliquando anticipatur pretium ad merces, aliquando merces ad pretium. Si anticipatur pretium, emens imponit obligationem, & vendens eam ſuſcipit donec poſtea tradat merces. Si anticipantur merces, è contra vendens imponit, & emens ſuſcipit obligationem donec poſtea ſolvat pretium: & utroque modo ſtat vera venditio, & emptio penes eoſdem, ut jam obſervavi ad finem *num* 67. Similiter ergo qui dat præmium in genere remuneratorio, dat ex quadam obligatione anticipati meriti; qui autem dat præmium in genere ſolutorio, non dat ex obligatione, cùm imò ipſe anticipet præmium, manente aliqua obligatione ſaltem gratitudinis penes merentem, donec meritoriè ſolvat obſequia, & ſic compenſet pro anticipatis. Unde quo ad hoc inverſo modo ſe habent præmians, & merens in genere Remuneratorio, ac in Solutorio. Et utroque modo ſtat vera ratio meriti, & præmij.

72 In probatione majoris ſedulò diſtinguenda eſt duplex gratuitas: una materialis, ſeu ſubjectiva; & hoc modo dicitur eſſe, ſeu fieri gratis, quod non eſt materia cadens ſub obligatione: alia eſt materialis ſimul, & formalis, affectiva, & objectiva: & hoc modo dicitur eſſe, ſeu fieri gratis, quod nec eſt materia cadens ſub obligatione, nec circa illam verſatur, intendendo, aut inducendo obligationem in objecto. Termini ſunt notiſſimi *in Tract. de Prædeſtinatione*, ubi de Electione ante prævisa merita dicimus haberi à Deo gratis, & eſſe materialiter, & ſubjectivè gratuitam, quia eſt ante merita, & citra obligationem, ſeu debitum in Deo illam habendi; non tamen omninò gratis affectivé, objectivè, & formaliter: quia non vult gloriam dari gratis, & dari ante merita, ſed dari poſt, & propter merita, & dari ex debito. Sic etiam in humanis venditor gratis, hoc eſt ſine obligatione ſic volendi, vult tradere ſuas merces huic emptori; non tamen vult tradere gratis, ſed ex pretio, ſive anticipato, ſive ſubſequuto. Ex his fit dilucida reſponſio ad probationem majoris diſtinguendo: daretur gratis materialiter, & ſubjectivè, excluſâ ſcilicet obligatione ſic dandi, concedo: omninó gratis etiam objectivé, affectivè, & formaliter, nego: quia veré datur intuitu, & in ſpe meritorum, & *propter merita*, inducendo, & volendo inducere aliqualem obligationem in merente ad compenſationem obſequioſam.

Et nego tandem, priorem illam gratuitatem præciſé obſtare poſſe verę rationi præmij, ac meriti.

SEC-

SECTIO VI.

Alia obiectiones graves.

73 OBijcitur tertiò. Movere per mõdum finis, & movere per modum meriti ſunt modi movendi contrapoſiti; non ſecus ac movere, ſeu cauſare finaliter, & efficienter: ſed Meritum Solutorium, prout nos ipſi explicuimus; movet per modũ finis, ſcilicet *ut ſit*: ergo nõ niſi repugnanter, & implicatorié dicimus movere meritorié, & eſſe verum meritum. Major probatur. Primò, quia S. Tho. generaliter loquens de merito in verbis à nobis allegatis *num.* 2. ait meritum movere, & cauſare præmium, *per modũ efficientis*. Secundò, quia alius modus movendi meritorié per modum finis eſt in Scholis inauditus. Tertiò, & præcipuè; quia SS. Patres, ut Hieronymus, Auguſtinus, & Concilium Arauſicanum ex illis verbis Apoſtoli: *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti*, ſignificantibus utique motionem finalem, inferunt: *ergo non quia eramus ſancti*: hoc eſt, *benè, & ſanctè operantes*: & ſubinferunt, nos per opera noſtra nullatenus mereri electionem. Igitur, quia modus ille movendi finaliter, contraponitur omni modo movendi meritoriè: alioquin ſubillatio SS. Patrum fuiſſet illegitima.

S. Thom.

Hieron. Auguſt. Arauſic.

Epheſ. 1.

74 Reſpondetur, majorem intellectam de merito noſtro legis ordinariæ eſſe veram; imò, & abijſſe, quaſi in axioma: quod in hoc ordinario ſenſu non negamus. Intellectam autem de Merito generaliſſimé, tàm Chriſti, quàm noſtro, tàm legis præſentis ordinariæ, quàm extraordinariæ poſſibilis, eſſe abſolutiſſimè falſam. Nam illi modi movendi non ſunt contrapoſiti; ſed invicem diſparati; ut de conceptibus intellectivi, & ſenſitivi dici ſolet: qui nec ſeſe mutuo inferunt, nec ſibi invicem adverſantur. Nec omnis, nec ſolus modus movendi finalis eſt meritorius; nec omnis, nec ſolus meritorius eſt finalis: quia ſicut modus finalis abſtrahit ab uno, qui eſt meritorius, & ab alio, qui non eſt meritorius; ita modus meritorius generaliter ut ſic, abſtrahit ab uno, qui non eſt finalis, ſed efficiens, qualis eſt modus cauſandi meriti remunerabilis; & ab alio, qui non eſt efficiens, ſed finalis, qualis eſſet modus cauſandi meriti puré Solutorij: imò, & ab alio, qui ſimul eſt efficiens, & finalis, qualis eſt modus cauſandi meriti, quod ſimul eſſet remunerabile reſpectu aliquorum præmiorum; ſimulque Solutorium reſpectu aliorum, ut de multis meritis Chriſti etiam de facto dicemus *ſect. ult.* Atque hinc, conceſſâ minori, nego conſequentiam.

75 A primâ probatione majoris jam expedivimus nos *ſect.* 3. ubi neceſſariò intulimus hoc genus meriti ex ipſiſſimâ doctrina S. Thom. niſi contra S. Thom. dicendum alicui videatur, Chriſti merita nullum omninò præmium habuiſſe, quod tempore præceſſerit ad phyſicam ipſorum exiſtentiam. A ſecundâ probatione veteranis Theologis minimè dignâ, poſſent jam deſiſtere oſores pudiùs quàm impugnatores Meriti Solutorij in Auctoribus, & Scholis celeberrimi, ut etiam præmiſſimus *ſect.* 1. Ad tertiam, quæ momenti eſt, dico, Sanctos PP. ex illo loco Pauli optimè argumentatos, adverſùs Pelagium. Ajebat Pelagius, divinam electionem aliquorum præ alijs, imò, & primas gratias, ſupponere ex parte electorum meritum illarum factum ex viribus naturæ, cujus intuitu remuneratorié, & *quia ſic digni antecedenter erãt*, habebant illas à Deo in præmium. Huic errori opponunt Sancti PP. dictum Apoſtoli, *elegit nos, ut eſſemus ſancti*: & inferunt appoſitiſſimé in terminis ipſis meriti Remunerabilis: *ergo non, quia eramus ſancti*: ſcilicet antecedenter ad electionem, ſeu collationem primarum gratiarum ſupernaturalium per opera naturalia antecedenda, quibus vim meritoriam remunerabilem præmio ſupernaturali tribuebat Pelagianus error. Quæ illatio in ipſis terminis Sanctorum PP. firmiſſima eſt ex terminis Apoſtoli. Modus enim movendi puré finalis, *ut eſſemus Sancti*, contraponitur modo meritorio remunetorio, *quia eramus Sancti*; quem tribuebat Pelagius operibus naturalibus præcedentibus; & contra ipſum negabant, & impugnabant Sancti PP. non tamen omni omninò modo meritorio etiam, juxta aliam Dei Legem, nobis ex gratia poſſibili; de quo nec Pelagius cogitaverat, nec Sancti Patres ibi meminerunt, quia é re tunc non erat.

76 Urgebis. Quid ad illam ſubillationem, qua exinde deducebant Sancti PP. nos per opera noſtra nullatenus mereri electionem noſtram? Et quid, ſi quiſpiam fortè diceret, electionem, primaſque gratias cadere de facto ſub noſtrum meritum; non quidem viribus naturæ, ſed viribus gratiæ factum; notã antecedens, *& quia erat* ante illas; ſed ſubſequens, *& ut eſſet* poſt illas; tanquam bonus uſus ſupernaturalis ipſarum? Reſpondetur, illam ſubillationem SS. Patrum fuiſſe, & eſſe optimam: non, quia juxta aliam Dei Legem, & ordinationem poſſibilem non ſit dabile meritum in nobis, cui modus ille movendi finaliter non contraponeretur, ut falsò

profert objectio in ſua ultima conſequentiâ, propterea à nobis negandâ; ſed quia contentio erat de merito legis ordinariæ præſentis: juxta quam, excluſâ ſemel ex verbis Apoſtoli omni vi meritoria ab operibus noſtris viribus naturæ antecedenter ad gratiam factis, quibus illam tribuebat Pelagius; nullus omninó ſupererat nobis modus merendi noſtrâ electionem, & primas gratias, per opera noſtra: nam operibus naturalibus obſtat eorum improportio ad præmium ſupernaturale; operibus ſupernaturalibus antecedentibus, obſtat eorum antecedentia ad omne principium ſupernaturale, cùm debeant præ ſupponere aliquod; operibus autem noſtris ſupernaturalibus ſubſequentibus, obſtat præſens Dei Lex, non deſtinandi nobis in præmium, ſed gratis dandi ad merita ulteriorum præmiorum prima principia meriti, ut dicemus *num.* 80.

77 Hinc tandem ad illud poſtremum, quod quiſpiam forté diceret; aio in primis, id ibi non impugnari ex illis verbis Apoſtoli à prædictis Sanctis Patribus; nec id fore ipſum errorem Pelagij, ex illis verbis à SS. Patribus impugnatum, ut optimé diſcernit ſapientiſſimus Vaſquez, & infertur ex P. Valentia *tom. 1. diſp. 4. quæſt. 13. punct. 2.* quidquid ex adverſo noſtra conetur Oviedus *pun. 4 §. 4.* Aio deinde, id quiſquis diceret, aliundè rejiciendum eſſe, nempé ex alio loco Apoſtoli: *ſi autem gratia iam non ex operibus*; ubi primarum ſaltem gratiarum omne meritum noſtrum excluditur juxta intelligentiam Auguſtini, & aliorum; & ſubiturum Theologicas cenſuras ferri ſolitas contra eos, qui dixerunt, primas etiam gratias dari nobis, ut præmium, propter bonum uſum ipſarum: quod iterum negabimus *num. 87.*

Valent. Vaſq. Ovied.

Roman. II Auguſt.

78 Inſiſtes. Ad motionem meritoriam in genere ſolutorio ſufficit motio ad modum cauſæ finalis: ſed hoc modo opera noſtra bona ſubſequentia ad primas gratias jam de facto movent Deum ad iſtas conferendas, ſcilicet *ut eſſemus ſancti*: ergo ex noſtra doctrina ſequeretur ſic de facto contingere, quód ſcilicet per bonum uſum gratiarum, quæ ſunt principia meriti, meremur ipſas gratias anticipatas, ſcilicet in genere meriti Solutorij. Reſpondetur majorem eſſe falſam. Nuſquam diximus, nec dicere poſſumus, movere, ſeu cauſare per modum finis ſufficere ad rationem meriti ſolutorij, cum multi fines moveant, qui merita non ſunt; ſed requiri: at requiruntur etiam alia multa ad rationem meriti, quæ in multis finibus non reperiuntur, ideòque non omnes cauſæ finales meritoriæ ſunt. Sic apud omnes, quamvis ad rationem meriti remunerabilis requiratur movere, ſeu cauſare ad modum efficientis; non tamen id ſufficit, ſed multa præter id requiruntur, quæ in multis cauſis efficientibus deſunt; ideòque non omnes cauſæ efficientes meritoriæ ſunt.

79 Quod diximus, & dicimus eſt, movere, ſeu cauſare per modum finis, *ut ſit*, non contraponi, nec repugnare rationi veri meriti, & eſſe diſtinctivum meriti Solutorij à Remunerabili, movente, ſeu cauſante ad modum efficientis, *quia eſt.* Præter id tamen requiruntur alia multa ex conceptu meriti Theologici, quód nempé ſit actus liber, bonus, ſupernaturalis, obſequioſus Deo, & ordinatus á Deo ad præmium, etiam ex ordinatione divinâ tali actui deſtinatum: quod poſtremum, ſpecialiter in præſenti notandú, eſt doctrina communiſſima in *Trac. de Merito*, cum P. Suar. contra Vaſquez, & paucos alios: ut videas, quàm multa certò requirantur ad rationem meriti ultra motionem, ſeu cauſalitatem moralem, ſivé finalem, ſive efficientem.

Suar. Vaſq.

80 Hinc, conceſsâ plané minori, nego conſequentiam: quia præſens Dei Lex non ordinavit de facto primas gratias nobis collatas in præmium noſtri boni uſûs, quem intendebat; ſed illas liberaliſſimé donans ordinavit clementiſſimè, & munificentiſſimé noſtrum bonum uſum in præmia ulteriora abſorbentia omnem condignitatem, & vim meritivam noſtrorum operum. In Chriſto non fuit ſic: quia vim meritivam ſuorum obſequiorum Theandricorum nulla præmia poſſunt abſorbere: ideòque præter præmia ſubſequuta habuerunt ſimul condignitatem ad multa etiam antecedentia, data ex ipſius meritis Patribus antiquioribus, Deo ſic ordinante: quæ Dei ordinatio, ut dicemus *ſec. ſeq.* non fuit circa donum unionis hypoſtaticæ, ſeu ſubſtantiæ Incarnationis, quamvis potuerit eſſe: ideòque potuit juxta aliam Dei Legem mereri ſolutorié ſubſtantiam Incarnationis, quamvis ob rationes, quas videbimus *ſec. ſeq.* eam de facto non meruerit.

81 Objicitur quartò. Merita conditionata præmiari apud Deum, fuit Maſſilienſium error. Hoc autem videtur ſequi ex doctrina noſtri meriti Solutorij. Quippé dicimus opera bona, priuſquam ſint, & videantur abſolutè futura, movere poſſe in hoc genere meriti ad abſolutè conferendum præmium, ſub cuius præmij conditione præſciverat Deus per ſcientiam mediam ponenda fore. Sic ergo præmiare poterit actu Deus merita conditionata: quæ quidem nec in Juda deſunt: cum de illo præſciat Deus conditionatè, quód egiſſet benè, & in gratia perſe-

veraſſet

veraſſet ſub aliquâ auxiliorum hypotheſi.

82 Reſpondetur, obiectionem hanc non potuiſſe procedere niſi ex non bené penetratis erroribus Maſſilienſium, & doctrinis Menti Solutorij. Errabant primó dicentes, opera meritoria præmij ſupernaturalis præſciri à Deo cõditionaté faciẽda viribus naturæ. Ab hoc longiſſimé abeſſe totam noſtram doctrinam meriti ſolutorij, cæcus non videat. Errabant ſecundò dicentes, merita ſeu demerita, ut præſcita à Deo in ſtatu illo conditionato, & in illo purè manſura, facere homines abſolutè dignos, ſeu indignos præmio, vel pœnâ actuali: ita videlicet, ut Deus præſcius, ex parvulis morientibus, aliquos benè, alios malè operaturos fuiſſe, ſi viviſſent; illos abſolutè præmiaret, iſtos damnaret, propter illa merita, vel demerita purè conditionata. Oſtendatur, precor, qua in parte totius doctrinæ meriti Solutorij contineatur hæc inſania? Hoc ſufficiebat pro reſponſione.

83 In forma tamen, concedo maiorem iuxta nuper adhibitam explicationem errorum Maſſilienſium. Negatur autem omnino ſequela, ut ex ſola propoſitione prædictorum errorum fiet patentiſſimum callenti, vel mediocriter Theologiam meriti Solutorij. Ad probationem, nulla prorſus eſt conſequentia: Quamvis enim dicamus, opera, antequam, abſolutè prævideantor futura, movere poſſe Deum, ſeu allicere ad dandum præmium ſub cuius hypotheſi, ſeu anticipatione præſciverat Deus conditionatè ponendum meritum; nec tamen id dicimus de meritis ex ſolis naturæ viribus, quo excluſus manet primus error; nec id dicimus de meritis ex gratia, manentibus in puro ſtatu condicionato, & ſic facientibus hominem actu dignum, ut de parvulis dicebatur, & dici poſſet de Juda: quo excluſus manet ſecundus error. Sed id dicimus de meritis ex gratia, non manentibus in puro ſtatu condicionato, nec moventibus, quia condicionata ſunt, nec facientibus hominem merentem, & dignum, donec actu in re ſint; ſed quæ poſt præſcientiam illam condicionatam de eo quòd abſoluté ponentur ſub ea hypotheſi, purificata Hypotheſi à Deo præſcientiſſimo allecto ex fine, *ut abſolutè ſint*, ſeu quaſi *in ſpe*, quod ſic fient abſoluta, in re abſolutè aliquando ponuntur: tuncque, quando in re ponuntur, & non ante, reddunt hominem dignum, & merentem. Quid in hoc eſt commercij cum prædictis erroribus?

84 Ubi notandum venit, quòd aliud eſt, meritum ſolutorium re ipſa reddere hominem merentem, & ſolvere, ſeu compenſare pro præmio anticipato; aliud, re ipſa intentionaliter movere præmiantem, ut anticipet præmium. Illud prius facit quando eſt, & quia eſt in re: iſtud poſterius facit antequam ſit, & in ſpe quòd ſic abſolutè erit: quemadmodum ſanitas non niſi dum in re eſt facit hominem ſanum; at antequam ſit, movet ex ſui amore intendentem ad ponenda media, ut ipſa abſoluté ſit, & in ſpe quòd abſoluté erit. Itaque, quamvis ante abſolutam voluntatem, ſeu decretum Dei conferendi præmium anticipatum, non ſit abſoluta prævisio, ſed ſolùm condicionata huiuſmodi meriti; non perinde dicendum eſt, movere ad eam collationem meritum condicionatum, quia præciſſe condicionatum eſt; ſed, ut abſolutum, & exiſtens fiat: nam qui dicto modo motus, & allectus anticipet præmium, non intendit, aut ſperat, quód tale meritum ſit condicionaté futurum, ſed quod fiat abſolutè futurum, & in re exiſtens ponatur. Nec mirum, quòd ſola præcedente notitiâ illâ condicionatâ ſcientiæ, moveatur, ſeu alliciatur Deus à poſitione abſolutâ meriti: quandoquidem hæc ipſa poſitio abſoluta repreſentatur divinæ menti condicionaté per notitiam illam condicionatam: quod ſufficit ut moveatur, intentionaliter, & alliciatur Deus à poſitione abſolutâ. Eſt clarum, ſicut quòd prænotitia ſimplex poſſibilitatis, & conſequibilitatis finis iucundi, ſufficit ut ex abſoluto deſiderio abſolutæ poſitionis talis finis, eligam media: & quód notitia ſimplicis intelligentiæ, & interdũ ſcientiæ condicionatæ de obiecto moveat, & alliciat Deum ad abſolutum decretum de abſolutâ poſitione talis obiecti: quia totum ſtatum abſolutum perluſtrat condicionaté ſcientia conditionata, & ſimpliciter ſimplex intelligentia.

85 Obijcitur quintò. Subſtantia Incarnationis, ſeu dignitas unionis hypoſtaticæ eſſet principium condignificativum operum Chriſti ſubſequentiũ: ergo non potuiſſet illam mereri de condigno Chriſtus per opera ſubſequentia. Conſequentia probatur. Primó per Axioma Theologicum, quod *principium meriti nequit cadere ſub meritum*. Secundó, quia ſic poſſet dici, prima etiam auxilia, quæ ſunt initium ſalutis, dari nobis meritoriè propter bonum uſum ipſorum ſubſequentem, contra S. Auguſtinum, & alios PP. ac Theologos. Tertiò: quia Incarnatió, utpotè principium meritorum Chriſti, iam præcontinet eminenter ipſa opera meritoria Chriſti ſubſequuta: ergo per hæc nullatenus poſſet Chriſtus illam mereri in præmium. Probatur hæc illatio. Tum quia meritum debet eſſe obſequium diſtinctum à præmiò; non autem eſt moraliter diſtinctum à præmiò quod moraliter datur contentum eminenter in ipſo præ-

mio. Tum quia ſequeretur, quòd per eamdem rem ſcilicet per dignitatem unionis hypoſtaticæ fieret Chriſtus debitor, & ſolutor: debitor; quia ipſa eſſet præmium anticipatum, quaſi pro pretiò meritorum; ſolutor, quia ipſa condignificaret opera, per quæ Chriſtus condignè ſolveret. Sic Haunoldus, & alij Fautores alioquin meriti Solutorij: quos tamen jure coarguit Ripalda *d ſp. 86. num. 62.* Reſpondetur tamen, conceſſo antecedente, negando conſequentiam. *Haunol. Rip.*

86 Ad primam probationem dico, Axioma illud intelligi de merito Legis ordinariæ: quod vidimus ex S. Thom. eſſe de genere Remuneratorio: & late pugnavimus pro veritate hujus axiomatis, ſic intellecti totâ *ſect. 4.* Contra quod non eſt, juxta aliam Dei Legem, & ordinationem poſſibilem, in alio genere meriti, poſſe principium meriti cadere ſub meritum: quod & in genere quoque meriti Remunerabilis variis vijs juxta alias Dei Leges poſſibile etiam admittunt graves Theologi citati *num. 33.* *Supra ſec 3.*

87 Ad ſecundam nego, id dici poſſe juxta præſentem Dei Legem, ut jam cautum à nobis eſt *á nu. 76.* Deinde, nec eſſe poſſibile in hoc genere meriti ordinarij noſtri, ſcilicet Remunerabilis. Quòd autem in genere meriti ſolutorij juxta aliam Legem Deo poſſibilem id non repugnet, nec eſt contra S. Auguſt. nec alios Patres, nec contra principia rectæ Theologiæ. Ex eo autem quòd id præfato modo aſſeramus Deo poſſibile, velle inferre de facto ſic fieri, perinde eſt, ac ſi ex eo quòd omnes aſſeramus potuiſſe Deũ juxta aliam Legem dare omnibus gloriam ſine meritis, velle inferre, ſic dandam omnibus de facto contra præſentes Dei Leges manifeſtatas in Scripturis.

88 Ad tertiam, diſtinguo antecedens: Incarnatio præcontinet ipſa opera Chriſti, relinquendo ea ſub induſtria, & libertate Chriſti de ſuo etiam ea opera elicientis in obſequium Dei, concedo antecedens; non ea ſic relinquendo, nego antecedens, & conſequentiam. Non enim obſtat rationi meriti ejuſmodi præcontinentia eminentialis, dũmodo non obſtet libertati merentis liberè poſituri tale opus in obſequium præmiantis: alioquin vix poſſemus quidquam apud Deum mereri, cùm noſtros ipſos actus det nobis eminentialiter in ipſorum principijs. Et in humanis videmus, ſolutorem ex pecunia ſibi anticipatâ à debitore poſſe propriâ induſtriâ lucrari aliquid, quo ſolvat pro ipſa pecunia.

89 Nec probant ſatis conſequentiam duæ ratiunculæ ſubjunctæ. Ad primam enim dico, meritum debere eſſe diſtinctum à præmio: eam verò eminentialem præcontinentiam non tollere ſufficientem diſtinctionem operum Chriſti á ſubſtantia Incarnationis. Nec obeſt, quòd eorum operum condignificatio ſit formaliter ab ipſa ſubſtantia Incarnationis, ſicq; unio ipſa hypoſtatica, & ratione iſtius dignitas Verbi. Nam perinde nõ tollitur, quominus opus liberè elicitum à Chriſto verè, & abſolutiſſimè diſtinguatur ab unione hypoſtatica, & quòd condignificatio ipſa operis in actu ſecundo ſit ex induſtria, & libertate Chriſti in obſequium infinitum Dei. Nec officit, quòd opus Chriſti condignum præmij Incarnationis ſint æquale præmio per ipſam ſubſtantiam Incarnationis, quâ ſit condignum. Nam aliud eſt id quod dicitur æquale in recto; aliud eſt id per quod dicitur æquale: quod dicitur æquale debet diſtingui á coæquali; non verò id per quod dicitur æquale. Patet in relatione ſimilitudinis: in qua unum ſimile alteri diſtingui debet ab altero conſimili; non verò ſic à toto conſtitutivo ſimilitudinis: quia ſimilitudo conſtituitur formaliter per utrumque. Ad ſecundam, diſtinguo ſequelam: per eamdem rem fieret Chriſtus debitor, & ſolutor, eodem modo, nego; diverſo, concedo: fieret enim per donum unionis debitor materialiter, hoc eſt tanquam per materiam debitir & per eamdem fieret ſolutor, non materialiter, tanquam per materiam ſolutionis, quia materia ſolutionis ſunt opera obſequioſa Chriſto libera; ſed formaliter, condignificando ſcilicet ea opera, quæ ſunt materia ſolutionis. In quo nulla eſt repugnantia: ſicut neque in eo quòd per auxilia fiat homo materialiter debitor gratiarum actionis; & per eadem auxilia fiat gratus, ſeu quaſi ſolutor ex gratitudine, efficienter: quatenus cum adjutorio ipſorum auxiliorum exercet actus ſupernaturales actionis gratiarum. Alias obiectiunculas præoccupavimus *ſect 1.* Reliqua remitto ad Tractatum de Merito.

SECTIO VII.

An de facto meruerit Chriſtus Incarnationis ſuæ ſubſtantiam? An circumſtantias?

90 RAtio dubitandi circa ſubſtantiam eſt, quia potuit Chriſtus illam mereri de congruo per opera ſuæ Animæ pro priori naturæ antecedentia ad unionem ut aſſeruimus *ſec 2.* & de condigno per opera ſubſequentia in genere ſaltem meriti Solutorij, ut aſſeruimus *ſec 5.* Ergo de facto illam

illam meruit eo modo quo potuit. Hanc consequentiam contendit persuadere Bernal *disp. 17.* multipliciter.

91 Primò: quia id indicat Scripturâ. *Apocalypseos 5. dignus est Agnus, qui occisus est, accipere divinitatem;* & Psal. 44. *dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus oleo lætitiæ.* Quæ loca intellecta de Christo videntur significare Christum per opera sua fuisse factum meritorié dignum divinitate, seu dono, vel unctione unionis hypostaticæ, quâ divinitas communicatur suæ humanitati.

Bernal. *Apoc 5.* *Psal. 44.*

92 Secundò: quia id cedere videtur in majorem gloriam Christi: quandoquidem ex S. Thom. *qu 19. art. 3.* gloriosiùs est secundum se aliquid habere ex propriis meritis, quam sine meritis: ex qua ratione dici solet cum Suarez, Christum meruisse continuationem unionis suæ hypostaticæ, & multa privileg a, & gratias Sanctissimæ Matris, & Patriarcharum antiquiorum: Ergo non fuisset indecorum, imò valdè congruum, si semel statuitur id fuisse possibile, de facto id Christo concedere, nempé & substantiam ipsam suæ Incarnationis habuisse ex meritis saltem solutorijs: illud donum anticipante Deo intuitu, & in spe obsequiorum Christi, & Christo postea meritorié compensante, & solvente.

93 Tertiò: quia non obstant aliæ Scripturæ prædicantes Incarnationem Verbi fuisse gratis. Hoc enim potest intelligi respectu nostri, qui nullatenus illam meruimus: cui quo stat, quòd Christus nobis, & suæ humanitati illam meruerit: ad modum, quò prædestinati dicuntur electi gratis, hoc est non ex ipsorum meritis; quamvis electi fuerint ex meritis Christi. Non est ergo cur de facto non meruerit Christus substantiam Incarnationis, si semel id asseratur possibile.

94 Confirmari posset urgentiùs, & difficiliùs. Quia, si Christus non meruisset de facto Incarnationis substantiam, non extinxisset merendo totum debitum, quod nos peccando contraximus: ergo illam meruit de facto. Probatur antecedens: unum ex nostris debitis contractis per peccatum, erat debitum carendi Redemptore: sed hoc debitum non extinxisset merendo, si non meruisset suam Incarnationem, qua factus est noster Redemptor: ergo non extinxisset merendo omne debitum, quod peccādo contraximus. Probatur minor: quia, si non meruisset Incarnationem, hâc omninò gratis suppositâ independenter à meritis, gratis & non ex meritis supponeretur remissum debitum carendi Redemptore: ergo hoc debitum nostrum non extinxisset Christus per sua merita: atque adeò non plenè redemisset nos per sua merita: cùm tamen dicatur à David *copiosa apud eum Redemptio.* Nec satisfacit qui dicat, Christum extinxisse per sua merita nostrum debitum in quantum potuit; non tamē potuisse debitum carendi Redemptore, quia non potuit mereri Incarnationem, seu existentiam Redemptoris, utpotè essentialitèr præsuppositam ad omnia sua merita, idcircò supponentia illud debitum jam à Deo remissum. Hoc enim auget potius, quàm solvit difficultatem: nam esset dicere, Christum nec de facto extinxisse, nec extinguere potuisse per sua merita totum debitum nostri peccati, nec adæquatè potuisse pro nobis satisfacere & potentiorem fuisse diabolum per malignitatem suam ad ruinam nostram, quā Christum per sua merita ad reparationem: quod certè videtur indignum dictu. Hanc vim sentiunt specialiùs ij, qui cum Vasquez docent, hominem ex eo non posse adæquatè satisfacere pro peccato suo, quia quælibet meritoria ipsius satisfactio supponit auxilia ad ipsam, ac proinde remissam partem sui debiti; nempé debitum carendi omni auxilio. Hæc ergo nè dicantur, probabile videri posset alicui, Christum de facto meruisse substantiam Incarnationis.

Psal. 129. *Vasq.*

95 Conclusio nihilominus prima, & omninò tenenda sit, Christum de facto nullatenus meruisse substantiam Incarnationis. Atque in primis, quòd eam non meruerit per opera Animæ suæ tempore antecedentia Incarnationem est de Fide; cum de Fide sit, animas non creari priùs tempore, quàm uniātur corporibus, ac proinde nec Animam Christi præextitisse tempore ante unionem sui ad corpus, & ad Verbum: adversùs errorem, qui tribui solet Origini, juxta quem animæ dicebantur omnes creatæ à Deo in initio mundi, & in eo statu nondum unitas corporibus, multa opera meritoria exercuisse. Deinde verò, quòd nec per opera comitantia, nec subsequentia Incarnationem, illam Christus meruerit quo ad substantiam, nec de condigno, nec de congruo, est ita receptum apud Theologos, ut oppositum censeatur temerarium apud Coninc *disp. 5. dub. 1.* & Amicum *disp. 26. sec. 7.* Est enim expressa sententia Augustini apud Aldrete *disp. 23. & 24.* Magistri sent. S. Thomæ, Scoti, Patrum Suarez, & Vasquez, aliorumque Theologorum, id colligentium ex Scripturis, absolutè vocantibus *gratiam Dei* donum Incarnationis: ad Tit 2. *apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos:* quod communiter intelligitur

Origen. *Coninc.* *Amic.* *Augustt.* *Aldret.* *Magistt.* *S. Tho.* *Scot.* *Suar.* *Vasq.* *Ephes. 2.* *Tit. 2.*

Digitized by Google

gitur de gratia omninò gratis, ex pura miſericordia Dei, & nullatenus in præmium meritorum: ideòque ſpecialiſſimé commendantibus eximiam, & *nimiam*, ut effert Paulus, *charitatem*, & miſericordiam Dei erga genus humanum, in eo quòd miſſit Filium ſuum, quæ miſſio eſt ipſa ſubſtantia Incarnationis, nullâ prorſus factâ mentione meritorum, propter quæ miſſerit: miſit ergo gratis omninó, & nullatenus in præmium meritorum ex præſenti divina ordinatione, cujus congruentiam ſubijcio *num. ſeq.*

96 Ad rationem dubitandi poſitam, *num.* 90. conceſſo antecedente, negatur conſequentia. *Conenc.* De quo, ait Coninc *dub. 3.* vix poſſe à nobis dari rationem, niſi ex communi Auctoritate, & ex Scripturis, prout à à Sanctis PP. communiter intellectis. Rationem aliquam congruentiæ meditatur P. Suar. *Suar. diſp.* 10. *ſec.* 4. dicens, pertinuiſſe ad convenientem Providentiam Dei liberaliſſimi, ac clementiſsimi, ut conſentaneum etiam naturis rerum, prærogare omninó gratis prima principia operandi; ipſa verò opera ordinare ad ulteriora præmia proportionata. Cùm autem donum, ſeu gratia ſubſtantialis unionis Hypoſtaticæ ſit in Chriſto cunctarum gratiarum prima, radix aliarum, & omnis operis meritorij; congruentiſſimum fuit, quòd non daretur ex meritis, ſed omninò liberaliter à Deo: ut, oſtenſurus in ſatisfactione capiendâ à Chriſto Redemptore ſuam juſtitiâ, oſtenderet in elargitione Redemptoris perfectiſſimam liberalitatem: ne de ſummo Principe diceretur, ſummum ipſius opus, quod eſt Incarnatio, fundamentum totiùs meriti, non ex purâ liberalitate, & miſericordiâ, ſed intuitu meriti, & quaſi pretij præſtitiſſe. Huc poteſt accomodari quod circa diſpoſitiones phyſicas ad unionem hypoſtaticam diximus *diſp. 4. ſec. 5.* *Supra Diſp. 4.*

97 Ad primam probationem conſequentiæ dico, ſenſum genuinũ illarum Scripturarum procul eſſe à merito unionis Hypoſtaticæ. Locus Apocalipſis exponitur communiter à SS. Patribus, & Interpretibus intelligendo per *accipere divinitatem*, accipere honores divinitatis per Fidem, & confeſsionem hominum: quod digniſsimé meruit Agnus pro hominibus occiſus. Addo nomen, *dignus*, non ſemper ſignificare dignitatem meritoriam; ſed ſæpé phyſicam & excellentiæ: quemadmodum Deus meriti incapax dicitur digniſsimus omni honore, & gloriâ, & dignus, qui ſit Deus. Imó, & nomen meriti ſumitur interdum pro ejuſmodi dignitate phyſica, ut obſervat Eſparza *quæſt.* 19. *Eſparza* Videndus etiam Hurtadus *diſp.* 25. *ſec.* 5. *Hurt.* Locus Pſalmi exponi ſolet communiùs de *oleo lætitiæ*, quo ſignificatur gloria corporis Chriſti poſt Paſsionem: quam quidem gloriam meruit Chriſtus. Dato tamen quòd intelligendus ſit, ut alicubi voluit Auguſtinus, de unctione per donum, ſeu per oleum unionis Hypoſtaticæ, quo perfuſa eſt Humanitas in Incarnatione; dico, particulam illam *propterea*, non ſignificare cauſalitatem meritoriam, quaſi dixerit: *quia dilexiſti juſtitiam*, &c. ſed cauſalitatem puré finalem, ac ſi dicat *propterea*, id eſt, *in eum finem*, nempé diligendi juſtitiam, *unxit te Deus*, &c. qui modus movendi purè finalis non ſufficit, ſi cætera deſint, ad rationem meriti Solutorij, ut expreſsimus *ſec. prec. num.* 78. deeſt autem hîc Dei ordinatio ſubſtantiæ Incarnationis in præmium, quam potius voluit elargiri omninó liberaliter. *Auguſt.*

98 Ad ſecundam, valeret quidem, ſi Deus aliter propter glorioſiſsimos etiam fines non ſtatuiſſet, & ordinaſſet de facto: poſitâ tamen hac Dei ordinatione, hoc videri debet Chriſto glorioſiùs, quod Deo placentiũ. Maxima profectó foret Chriſti gloria, ſi omnes, ut eſſe potuit, propter ipſius merita re ipſa ſalvarentur, quin per inde arguatur de facto ſic evenire: & credi debet, in eo etiam quòd non ſic eveniat, ut colligitur ex Scripturis, majorem, vel parem elucere gloriam Dei, & Chriſti ex finibus nobis inexploratis, ut benè Conic *dub. 2. num.* 12. Addit Ant. Perez *Coninc.* *to. 2. par. 2. de Perfect. Chr. diſp. 2. cap. 2. n. 4.* *Perez* cæteris paribus negandum eſſe, quòd ſit glorioſius Chriſti aliquid habere propter merita, quàm indepẽdenter à meritis: quia, inquit, habere propter merita eſt id habere, inſtar mercenarij habere tamẽ indepẽdenter à meritis, eſt id habere, ut ſibi debitũ ob dignitatem Filij, & hæredis Dei naturalis. Quæ ergo meruit Chriſtus non tam fuit ut manifeſtaretur ejus dignitas, quàm ejus humilitas, & dignatio Deo famulandi, & obſequendi. Et certé, quidquid de hoc ſit, in opere Incarnationis voluit ſpecialiſsimé Deus, ut maximè reſplenderet infinita ipſius miſericordia; & omnimoda gratuitas, ac liberalitas bonitatis ſuæ, non ſolum reſpectu noſtri, quin etiam reſpectu Chriſti, ejuſque Humanitatis, ut ſatis manifeſtant Scripturæ, & ſuadent congruẽtiæ ſupra expenſæ ex Suarez: quæ quia non pariter militant quoad alia dona, privilegia, & gratias, quæ tempore præceſſerunt in antiquioribus ad merita Chriſti; ideó hæc dicuntur fuiſſe ex meritis Chriſti; quod negamus de ſubſtantia Incarnationis, quæ fuit prima radix, & fundamentum omnium meritorum. Quoad continuationem unionis, dicemus *Suar.*

diſp.

Infra disp. *disp.16. sec.5.* Unde, sic explicato toto antecedente, negatur consequentia.

99 Ad tertiam, fatebor non obstare Scripturas utcumque intellectas; obstare tamen iuxta intelligentiam SS. Patrum, & Theologorum: quæ intelligentia de omnimoda, gratuitate, qua Deus purè misericorditer: & liberaliter misit, ac donavit Filium suum ad redemptionem nostram, non patitur illas interpretationes de electione gratis respectu electorum: sed sonat omnimodam gratuitatem, etiam respectu Christi, eiusque humanitatis independenter undequaque à meritis, quibus Incarnatio ordinata fuerit in præmium. Unde nulla est consequentia pro ullo merito substantiæ Incarnationis prout de facto.

Hurt. 100 Ad confirmationem *num.94* Gaspar Hurtadus *disp.1.diff.17.* respondet: negando in probatione primi Antecedentis, nos per peccatum contraxisse meritum carendi Redemptore. Quia, inquit, solùm verè dicimur contrahere in pœnam culpæ debitum carendi illis donis, quæ ratione sui sunt bona nobis, seu bona nostra: at Incarnatio, quamvis fiat ex amore erga nos, sitque radicaliter bonum, seu donum nostrum, quatenus affert, & causat nobis multa dona nostra; formaliter tamen, & ratione sui non est donum nostrum, aut nobis; sed humanitati Christi, quæ, cùm non peccaverit, non contraxit debitum carendi tali dono. Cùm ergo carere Incarnatione non fuerit debitum à nobis contractum per peccatum, intelligitur benè, quod Christus per sua merita extinxerit totum debitum nostrum, quod peccando contraximus, quamvis, non merendo Incarnationem, non extinxerit per sua merita debitum carendi Redemptore.

101 Ardua responsio. Quandoquidem in Scripturis, & SanctisPP. idemtidem numeratur Incarnatio inter dona nostra, à Deo nobis data: & ab Apostolo vocatur *Gratia: apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos.* Unde ex Augustino, & S. Thoma distinguunt Theologi gratias intrinsecas, & extrinsecas: & inter extrinsecas numerant donum Incarnationis: pro quo, ut nobis bono, gratias Deo reddimus quotidianas, & ex eo maiores, quód huiusmodi donum contulit Deus nobis indignis per peccatum. Certissimè igitur Incarnatio est donum respectu nostri, quo carendi contraximus debitum per culpam. Præterea, quidquid sit de voce *doni* formaliter, fuit sine dubio Incarnatio erga nos opus eximiæ benevolentiæ, & misericordiæ, quo facti sumus indigni per peccatum: ergo contraximus verè debitum illo carendi. Declaratur exemplo notissimo. Offendit servus Regem, & catenatus traditur in carcerem. Indulget postea Rex misericors, quòd Filius pro servo imponat sibi catenas, sicque liberetur servus. Quidquid sit de formali ratione doni quis ambigat servum contraxisse debitum carendi isto remedio, factumque fuisse positivè indignum tali indulgentiâ: ita videlicet, ut in pœnam posset Rex iustissimè nolle, quòd Filius in se susciperet tale onus pro servo? Applicatio ad rem præsentem est facilis, & à fortiori concludens, proprissimè nos per peccatum cõtraxisse debitum carendi Redemptore, & omnino factos indignos, ne Deus mitteret Filium factum hominem ad liberandum nos.

Tit.2. August. S.Thom

102 Respondent aliter selectissimi Theologi, distinguentes, aliud esse, Deum incarnari; aliud esse, incarnati ex fine & actu redemptionis nostræ. Illud prius est substantia Incarnationis; istud posterius, scilicet si is Redemptionis, est circumstantia, sine qua stare potuisset Incarnatio: & in hoc secundo ponunt rationem beneficij & doni nostri, cuius carendi debitum contraximus per peccatum; non sic in illo primo: nam si Incarnatio Verbi non fuisset ad redimendum nos, fuisset quidem maximum donum respectu Humanitatis assumptæ; non ita respectu nostri: ac proinde non esset pœna, seu debitum proportionatum nostro peccato, quód humanitas illa, quæ non peccavit, careret sui assumptione per incarnationem; sed quod careremus Redemptione: quod debitum extinguens Christus per sua merita, extinxit totum debitum nostrum, quin meruerit Incarnationis substantiam. Deus itaque decernens Incarnationem ex fine Redemptionis, exercuit uno decreto duas libertates: unam, qua potuit incarnari, aut non incarnari; aliam, qua id potuit ex fine, aut absque fine Redemptionis nostræ: tale decretum, prout fuit exercicium libertatis Incarnandi, aut non Incarnandi, non fuit intuitu meritorum ex suo modo volendi; benè vero, prout fuit exercitium libertatis Incarnandi ex fine, aut absque fine Redemptionis nostræ; & sic fuit ex meritis Christi Incarnatio quoad istam circumstantiam nostri boni, quo facti eramus indigni per peccatum, & extinctio totius nostri debiti: quamvis non fuerit ex meritis Christi Incarnatio, quoad substantiam, quâ non facti eramus indigni per peccatum, nec contraximus debitum illâ carendi in pœnam.

103 Video responsionem ingenio plenam, sed non acquiesco. Præterquàm enim; quòd posset aliquis æstimare beneficium, & honorem haud modicum toti generi huma-

Digitized by Google

no aſſumptionem unius humanitatis; profectò Authoritates, & congruentiæ, propter quas dicimus omnes, Chriſtum de facto non meruiſſe Incarnationem, ſed Deum ipſum decreviſſe omnino gratis, miſericorditer, & liberaliter, aut nihil convincunt, aut non ſolum de ſubſtantia, ſed etiam de circunſtantia finis Redemptionis noſtræ id convincit, ſcilicet non fuiſſe ex meritis Chriſti, ſed ex purâ liberalitate Dei. Hoc enim, ſcilicet Filium Dei incarnatum eſſe pro nobis redimẽdis, eſt quod ſpecialiter in Scripturis, & Patribus tribuitur puræ Dei liberalitati, ac miſericordiæ: nec poteſt quo ad hanc circunſtantiam finis Redemptionis noſtræ excogitari aliqua interpretatio ut fuerit aliquomodo ex meritis Chriſti, quæ adhiberi pari jure non poſſit pro ſubſtantia Incarnationis. Ergo juxta Scripturas, & ſenſum Sanctorum PP. vel utrumque de facto meruit Chriſtus, vel neutrum. Si utrumque, eſt contra concluſionem, In qua convenimus, Chriſtum non meruiſſe ſubſtantiam Incarnationis. Si neutrum, eſt contra datam reſponſionem: quia ſic non extinxiſſet Chriſtus per ſua merita, totum noſtrum debitum: cùm, non merens Incarnationẽ ex fine Redemptionis, non extinxerit merendo debitum noſtrum carendi Redemptore, quod peccando contraximus, ut contendit objectio.

104 Reſpondetur ergo aliter ſolidiùs ad confirmationem *num. 94.* negando antecedens: ad cujus probationem, conceſsâ majori, negatur minor, quòd nempé non extinxiſſet Chriſtus per ſua merita noſtrum debitũ carendi Redemptore, quamvis non meruerit Incarnationem. Ad probationem minoris dico, quòd aliud eſt carere Redemptore; aliud eſt debitum carendi Redemptore: carere Redemptore eſt materia debiti, non tamen eſt formale debitum, ſeu ratio debendi: quod formale debitum, ſeu ratio debendi ſtare poteſt integre irremiſſum, ſuſpensâ materiâ debiti, ſeu debito materiali. Sic debenti centum poſſum ſuſpendere ne ſolvat, nolens ea exigere, & fortè nec recipere, retinens tamen apud me jus illa exigendi: quo in caſu, ſuſpensâ materia debiti, ſeu debito materiali, quod eſt ſolutio illorum centum, manet integrum debitum formale, ſeu ratio debendi, quæ eſt apud me illud jus, & apud alium illa obligatio. Hinc ad probationem minoris, nego antecedens: quia dare nobis gratis Redemptorem, quamvis fuerit ſuſpendere gratis materiam noſtri debiti, non fuit remittere, aut tollere debitum noſtrum formale carendi Redemptore. Unde nulla eſt conſequentia.

105 Itaque Deus, volens gratis Filium ſuum pro nobis incarnari, ſuſpendit gratis debitum materiale, ſeu materiam debiti, quæ erat carere Redemptore; non tamen eo ipſo abſtulit, ſeu remiſit gratis debitum formale noſtrum, ſcilicet poſitivam dignitatem, quam peccando contraximus carendi Redemptore, quæ nos conſtituit dignos, ſeu debentes carere Redemptore, adhuc habentes Redemptorem: ſed totum hoc debitum formale noſtri reliquit extinguendum ex meritis Chriſti per copioſam ſuam Redemptionem. In quo autem conſiſterit hæc Redemptio, & quo pacto fuerit extinctio noſtri debiti dicemus *diſp. 16. ſec. 7.* *Infra diſp 16.*

106 Concluſio ſecunda. Meruit Chriſtus de facto aliquas circumſtantias Incarnationis. Eſt communis ſententia. Quia quidquid meruerunt alij, meruerunt ex meritis Chriſti: per quem ſcilicet habuerunt omnes gratias, quæ fuerunt principia merendi, ut conſtabit in ſequentibus: ſed alij meruerunt aliquas circumſtantias Incarnationis, ut videbimus *ſer ſeq.* ergo à fortiori ipſe Chriſtus, ex cujus meritis ipſi habuerunt per quod merentur. Nec merito Chriſti circa has circunſtantias obſtare poteſt aliquid, quod á fortiori non obſtaret merito aliorum circa eaſdem. Quidquid igitur aliquis alius meruit de congruo, Chriſtus meruit de condigno, & ultra.

SECTIO VIII.

An, & quomodo antiquiores Patres meruerint Incarnationis ſubſtantiam, aut circunſtantias.

107 POtuiſſe ſaltem aliquos eximiæ ſanctitatis puros homines circumſtantias, imó, & ſubſtantiam Incarnationis Chriſti mereri de congruo, ſequitur ex ijs, quæ de Anima, vel Humanitate Chriſti, ſi præextitiſſet tempore ante unionem Hypoſtaticam, diximus *ſec. 2.* ubi quidquid objici poteſt etiam diſſolvimus *à num. 21.* Sermo nunc erit prout de facto.

108 Prima concluſio. Nullus, vel de congruo, meruit Incarnationis ſubſtantiam. Eſt communis ſententia cum Scoto, Bonav. Marſilio, Vaſquez, & utroque Hurtado, quos ſequitur Lugus *diſp. 8. ſec. 4.* Meratius *diſp. 15. ſec. 1.* Bernal *diſp. 17. ſec. 2.* Matt. Perez *diſp. 12. ſec. 7.* & Aldrete *diſp. 28. ſec. 1.* Id mihi ſonant Apoſtoli verba *ad Tit. 3.* ubi loquens de Beneficio Salvatoris nobis collato, ait: *non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam.* Contra- *Scot. Bonav. Marſil. Vaſq. Hurt. Lug. Merat. Bern. Perez. Aldret. Tit 3.*

trapoſitè igitur ad omnia hominum merita extollit Paulus eximiam Dei miſericordiam erga nos, quatenus apparuit ejus benignitas, & humanitas, *non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos*: id eſt non ex operibus juſtis, & ſanctis hominum; ſed ex ejus miſericordia liberaliſſima. Qui utique loquendi modus eò puriùs intelligitur, quò independentiùs à meritis omnium hominum etiam congruis, concipiatur in Deo donum, & beneficium Incarnationis Filij ſui ad redemptionem noſtram. Dicendum ergo eſt, nec Patres antiquos, nec ullum prorſus hominem de facto meruiſſe, adhuc de congruo, ſubſtantiam Incarnationis.

109 Accedunt aliæ Scripturæ, & congruentiæ, quas ex P. Suar. expendimus *ſect. præcedenti*, ut nec Chriſtus ipſe meruerit Incarnationis ſubſtantiam de facto, quamvis ex alia Dei Lege potuerit. Nam à fortiori perſuadent, homines id nullatenus meruiſſe: cùm potiùs eſſe videatur alienum á genuina intelligentia ſcripturarum, & à prædictis congruentijs meritum quodcumque Incarnationis ex parte hominum redimendorum, quàm ex parte Chriſti Redemptoris: ut rectè expendunt Bernal citatus, & Coninc, id propterea judicans rationabilius *diſp. 5. dub. 4.*

Bernal. *Coninc.*

110 Adverſantur tamen P. Suarez, Raguſa, Alvarez, Godoy, & Prudentius *tract. 2. diſp. 1. dub. 6. ſec. 4.* quibus ſatis favere videtur S. Thom. apud Aldrete citatum, illum aliqualiter exponentem pro noſtra concluſione. Horum ſententiam, uti valde probabilem, defendit etiam Coninc, non ſolùm de ſubſtantia Incarnationis in exequutione, ut ij loquuntur, quin etiam quoad primum decretum intentivum. Ducuntur à precibus, quibus antiqui Prophetæ, & Patriarchæ petebant à Deo Incarnationem. *Iſaiæ 45. Rorate Cœli deſuper, & nubes pluant juſtum aperiatur terra & germinet Salvatorem, & cap. 16. Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ*; & David *Pſal. 105. Viſita nos Domine in ſalutari tuo.* Ne ergo dicatur, has preces ſanctiſſimorum hominum fuiſſe irritas, dicendum eſt, per illas, ſaltem de congruo, obtinuiſſe, & meruiſſe à Deo ſubſtantiam Incarnationis.

Suar. *Raguſ.* *Alv.* *Prudent.* *Godoy.* *S. Tho.* *Coninc.*

Iſai. 45. *Pſal. 105.*

111 Sed reſpondetur, negando conſequentiam. Nam ejuſmodi preces, aut ſolum petierunt circunſtantiam accelerationis, quæ jam obtinuerunt, ut dicemus ſtatim: aut ſi ſubſtantiam etiam Incarnationis petierunt, non inde fit eam meruiſſe; nec Deum intuitu illarum eam decreviſſe; non enim cuncta, quæ petimus, meremur, aut impetramus: nec fit, illas preces irritas fuiſſe, aut à Deo deſpectas; ſed Deum alitet illas præmiaturum, noluiſſe propter illas, ſed ex purâ liberalitate, & miſericordia, Filium ſuum nobis Redemptorem donare.

112 Secunda concluſio. Aliquas circumſtantias Incarnationis obtinuerũt, & meruerunt de congruo operibus, & precibus ſuis ex gratia factis, antiquiores Patres. Eſt communis Theologorum ſententia contra paucos. Quoad circunſtantiam Maternitatis probabitur *ſec. ſequ.* Quoad alias circunſtantias ſubdo ex Scripturis ſigillatim probationes: ſuppoſito in primis, quòd meritum circumſtantiarum non derogat abſolutiſſimæ gratuitati, liberalitati, & miſericordiæ Dei aſſertæ in prima concluſione quoad ſubſtantiam Incarnationis.

113 Quoad circumſtantiam ſtirpis, colligitur ex *Gen. 22.* dicente Deo ad Abraham: *quia feciſti rem hanc, & non perperciſti Filio tuo propter me, benedicentur in ſemine tuo omnes gentes.* Similiter ad Davidem *Pſal. 131. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*: & alibi ſæpè præſertim *Pſalm. 88.* Quæ ſic communiter intelliguntur á ſacris Interpretibus, ut per opera ſua meruerint illi Patriarchæ, quòd ex ſua ſtirpe carnem ſummeret Deus incarnandus.

Gen. 22. *Pſal 88.* *& 131.*

114 Quoad circumſtantiam loci, id colligit Aldrete *ſec 8. ex Iſaia 16. Emitte Agnum, Domine, &c. de Petrâ deſerti ad montem Filiæ Sion.* Quodquidem pertinebat ad ſolatium, & decus illorum Patriarcharum, ut nempè, ſi minùs in ipſorum temporibus, ſaltem in ipſorum terris deſideratiſſimum Incarnationis opus patrateretur: ideóque magni fiebat à Michæa *cap. 5. Et tu Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es in Principibus Iuda: ex te enim exiet dux, &c.* & *Matthæi 2. ut impleretur quod dictum eſt per Prophetas: quoniam Nazaræus vocabitur.*

Aldret. *Iſai. 16.* *Mich. 5.* *Mat. 2.*

115 Quoad circumſtantiam temporis, ſeu accelerationis; de quâ videtur dubitare Delugo, colligitur ex Scripturis cit. *num. 110.* Item ex *Pſal. 11. propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus*: & ſignanter ex *Danielis 9.* propter cujus orationẽ: *Septuaginta hebdomades abbreviata ſũt, ut conſummetur prævaricatio, & ungatur Sanctus Sanctórum.*

Lug. *Pſal. 11.*

116 Objicitur primò dictum Auguſtini *qu. 83.* in vetus Teſtamentum de Chriſto ſic: *Tunc venit, quando debuit venire, voluntatis ſuæ rationem ſequutus, non meritorum*: ergo circumſtantiam ſaltem temporis omninó eximit à meritis Auguſtinus. Reſ-

Auguſt.

pondetur, illam exemiſſe à meritis noſtris condignis fundantibus in Deo debitum, quod ſatis indicat idem Auguſtinus in primis illis verbis: *quando debuit*: ſcilicet ex promiſſione: non verò à meritis etiam congruis noſtris non ita fundantibus debitum: neque à condignis Chriſti non fundantibus debitum apud nos.

Lorca. 117 Objicitur ſecundò ex Lorca. Si antiqui patres meruerunt acceleracionem Incarnationis, meruerunt, ut tempus à Deo ſemel ſtatutum pro incarnando Verbo, abbreviaretur: ac proinde, quòd Deus mutaret decretum incarnandi Verbum tali tempore, in decretum incarnandi tempore anteriori: quod omnino repugnat immutabilitati divinorum decretorum. Reſpondetur objectionem procedere ex ſiniſtra intelligentia terminorum. Unde tota ſequela falſa eſt, & abſurda. Noli, precor, ſic rem intelligere, ut dicamus, Deum decreviſſe primum Incarnationem fieri tali tempore, & tali loco, aut præciſim, ut imaginantur alij, à determinato tempore, aut loco; & poſtea per preces mutaſſe conſilium, & decreviſſe fieri tempore anteriori, aut in tali loco: hoc enim eſt affingere Deo imperfectiones noſtras. Sic ergo digné intellige, quòd Deus præſciens omnia, convenientiam ſcilicet Incarnationis, gloriam Redemptionis noſtræ, excellentiam tanti myſterij, deſideria, & preces Patriarcharum circa ejus exequutionem, abbreviationem, & locum; omnia ſimul unico ſimpliciſsimo ductu decreverit ab æterno, indiviſibiliter volens ea omnia ſcilicet Incarnationem fieri tali tempore, & tali loco, quo re ipſa facta fuit: aliter decreturus, nempe pro alio tempore, aut loco, ſi tales preces, & talia merita antiquiorum Patrũ non interfuiſſent. Non ergo neceſſe fuit mutare conſilium; ſed taliter primò capere conſilium, attento tali rerum ordine; aliud conſilium habiturus in alio ordine rerum, in quo aliter, aut aliter ſuam libertatem indiviſibiliter etiam exercuiſſet, juxta alium modum decernendi, & volendi ſimiliter ſimpliciſsimum.

118 Objicitur tertio & celebriùs ex Cardinali de Lugo. Meritum, cùm ſit actus vitalis dicit eſſentialiter actionem, aut juxta multos, quibuſcum ſenſi in libris de Anima, eſt adæquatè ipſa actio vitalis: ſed quælibet actio eſt eſſentialiter, & per ſe ipſam duratio ſui, & ſui termini, ut verum etiam judicavi *diſp. 12. de Attributis num. 37.* cum eodem Delugo, & doctiſsimis alijs Magiſtris, quos laudat, & ſequitur Aldrete: ergo meritum dicit eſſentialiter durationem: & hoc meritum hanc durationem, ſicut & hanc actionem determinatam. Modò ſic: ergo non potuit à Deo prævideri Chriſtus determinatè merens, ſive hoc meritum Chriſti determinatum, quin eo ipſo prævideretur in hac duratione, ac proinde in hoc tempore determinato, in quo re ipſâ meruit. Atqui prævius eſt determinatè merens antecedenter ad merita, & ad preces antiquiorum Patrum: ergo antecedenter ad iſtorum merita, ac proinde non ex iſtorum meritis prævius eſt in hac duratione, ſeu in hoc tempore merens, & à fortiori exiſtens in tali tempore, quo re ipſa extitit, & meruit: ſicque circunſtantia durationis, ſeu temporis non fuit ex meritis, aut precibus illorum Patrum. Probatur minor ſubjuncta: nam auxilia ad illa ipſa merita, & preces data fuerunt antiquioribus Patribus ex meritis Chriſti: ergo data ſunt ex prævisione abſoluta, & antecedente meritorum Chriſti: ergo Chriſtus prævius eſt determinatè merens antecedenter ad merita, & ad preces ipſorum, ſicut, & ad auxilia data ipſis; imò, & à fortiori.

To. 1. diſp. 12. ſec. 3. Aldret.

119 Sylvam excitavit variarum reſponſionum argumentum iſtud. Quidam occurrunt, negando primam minorem. Sed vix leniunt difficultatem: quia ſive duratio ſit, ſive non ſit ipſa actio, meritum determinatè exercitum dicit determinatam durationem, & determinatum tempus; cum non exerceatur abſolutum, aut præciſſum à tempore, & à duratione. Quidam recurrunt ad ordines ſuos intentionis, & exequutionis: quos alibi inſequimur. Quidam ad imaginaria decreta diſjunctiva, ſeu præſcindentia à loco, vel tempore. Quidam malunt, Chriſtum independenter à meritis Patrum fuiſſe primò decretum à Deo in ætate virili, aut jejunantem in Deſerto, aut orantem in Horto, aut pendentem in Cruce tali tempore; ex cujus meritis ſic à Deo prævisis decreta, & data ſunt poſtea Patribus auxilia, quibus mererentur acceleracionem, quod nempè concipieretur infans triginta retrò annis. At quid anni triginta ad ſexaginta hebdomadas Danielis? Quidam, quaſi cautum non legeretur, vel in figurâ Agni Typici: *os non comminuetis ex eo*; oſſa, carnemque Chriſti præciſiunculis ſuis minutim intercidunt: dicentes primò, in Chriſto jam viro dignoſci à Deo certas diſpoſitiones, & particulas, ex quibus ſolis adaptabile eſſet corpuſculum infantile; & alijs additis, corpus virile. Dicunt ſecundò, illas ſolas particulas, ex ſe indifferentes ad conſtituendum cum alijs corpus virile, & ſine alijs infantile (quaſi nimirum ad alias Chriſti partes negotium iſtud non pertineret) fuiſſe præciſſim priùs decretas, & ſecundum illas præciſſim Chriſtum

Digitized by Google

tum orantem, & merentem, puta in Horto, vel in Cruce. Dicunt tertiò, ex prævisione talium precum, ac meritorum Christi decrevisse pro posteriori Deum dare auxilia antiquioribus Patribus, quibus meruerunt, ut particulæ illæ, quæ tempore dictæ orationis constituere poterant corpus infantile, illud constituerent triginta retrò annis: sicque postea, adulto Christo per successivam aggenerationem aliarum partium, Redemptio per illos annos ætatis Christi merito illorum Patrum accelerata, consummaretur tempore Passionis, quo secundùm primum illud decretum posset incipere.

120 Has, & similes cogitatiunculas putare posset aliquis ludicras in re seriâ, quas, & ipse propterea etiam prætermisissem, nisi cum plausu exceptæ reperirentur à Theologis alioquin gravissimis: quibus altè insedisse videtur, sic Deum res ordinasse æterno suo consilio, sicut ipsi ab hominibus, & ijs quidem non nisi ineptè cunctabundis, ordinari potuisse, operosis subtilitatibus architectantur. Scitè ac severè doctissimus Esparza *qu. 19. Hæc*, inquit, *tota dispositio rationis nostræ, & qualiscumque praecisionis tota evanescit, cùm ventum est ad realitatem objectivam: hoc est, cùm iam consideratur Christus eliciens actum, quo meruit auxilia gratiæ Patribus antiquis. Quia tunc pro priori naturæ antequam mereatur, & velit inducere tale præmium, præsupponitur iam habens determinatam durationem, determinatum ubi, & stirpem determinatam. Nec potest nisi absurdissimè admitti, Christum cogitantem de eliciendo opere meritorio, non advertisse pro priori naturæ, ubinam gentium esset, in quo sæculo viveret, quam Matrem haberet, quos Avos; atque deijs expressè cogitasse, ut obtinendis per suum meritum; nec tamen eam cogitationem pervenisse usque ad individuationes verum, quas nemo est tam stultus, & hebes, ut non discernat in individuo.* Esparza

121 Redibit sermo de ijs, *sect. 10.* ubi sigillatim disijcientes, quamvis breviter, prædictas responsiones: & tandem *sect. 11.* plenam, & planam dabimus solutionem per meritum Solutorium ad objectionem istam initam *à nu. 118.*

* * *

SECTIO IX.

De Circunstantia Maternitatis: an, & quomodo eam meruerit, aut mereri potuerit Beatissima Virgo.

122 PRima conclusio. Potuit de condigno juxta aliam legem, & providentiam Deo possibilem. Sic Suarez, & communiter alij contra Vasquez *disp. 23.* & Meratium *disp. 15, sec 2.* Ratio est: quia potuisset Deus loco gratiæ sanctificantis, & gloriæ, quibus, ex præsenti Dei Lege, merita præmiantur; destinare Beatissimæ Virgini, pro præmio meritorum Dignitatem Maternitatis Dei: nec est tunc ipsa postea per actus eximiæ perfectionis supernaturalissimos, Deoque gratissimos, & per preces ardentissimas, & obsequentissimas, non posset eam dignitatem de condigno apud Deum mereri, ut constabit ex solutionibus argumentorum. *Suar. Vasq. Merat.*

123 Dices 1. nulla merita puræ creaturæ possent esse æqualia in ratione obsequij Dignitati Matris Dei: ergo neque condigna tali præmio. Probatur antecedens: nam quodcumque meritum puræ creaturæ est simpliciter finitum; Dignitas autem Maternitatis Dei est simpliciter infinita, ut noviter cõtendit P. Ioannes de Cardenas in Speciali Opusculo de Maternitate, & Gratia Virginis per totam disputationem primam. Respondetur, negando antecedens: nam ea dignitas si physicè spectetur, non est quid superius Gratiâ sanctificante, & Gloriâ, judicante Augustino, melius esse concipere Deum mente, quàm ventre. Si verò spectetur moraliter cum donis, & prærogativis, quibus decet eam dignitatem condecorari ea dona, & prærogativæ sunt præsertim gratia, & gloria cumulatissima, quæ non excedunt cœqualitatem cumulatissimorum etiam meritorum Quemadmodum ergo juxta præsentem Dei Legem fiunt à puris creaturis actus meritorij condigni Gratiâ, & Gloriâ; posset loco istius ex alia lege destinari in præmium dignitas Maternitatis, quam actus excellentissimi puræ creaturæ cumulatissimis auxilijs prævente exæquarent, & condignè mererentur. Ad probationem antecedentis, negatur, tam dignitatem esse simpliciter infinitam: nec quidquam adfert P. Cardenas, quod probet plusquam infinitatem secundum quid: quam fatemur cum S. Thom. hæc autem nihil obstat ad intentum. *Carden.*

124 Dices secundò ex Vasquez. Si pos-

ſet B. Virgo mereri condigné Maternitatem, id poſſet per actus condignificatos à gratia ſanctificante: ſed per hos non: ergo. Probatur minor, quia Gratia ex intrinſecis ſuis habet condignificare merita ad ulteriorem gratiam, & ad Gloriam, & non ad aliud præmiũ: ergo per gratiam non poſſent condignificari merita ad præmium Maternitatis. Reſpondetur negando minorem, & totam probationem: nam condignificare merita ad hoc præmium potiús quam ad aliud, non habet gratia omninò ex intrinſecis ſuis; ſed partim ab extrinſeca Dei Lege, ut cum Suarez tenet communior ſententia contra Vaſquez *in 1r. de Merito*. Potuit ergo Gratia juxta aliam Legem condignificare merita ad præmium Maternitatis, ſicut juxta præſentem Legem ad præmium ulterioris Gratiæ, & Gloriæ.

125 Dices tertiò. Mereri eſſe Matrem Dei eſt mereri Incarnationem: ſed ex dictis *ſect.* 1. B. Virgo non potuit mereri de condigno Incarnationem: ergo inconſequenter nunc dicitur potuiſſe mereri de condigno eſſe Matrem Dei. Major probatur: quia non poſſet eſſe Mater Dei, niſi Deus fieret homo, ac proinde niſi daretur Incarnatio: ergo mereri
Bernal. eſſe Matrem Dei, eſt mereri Incarnationem. Urgetur ſpecialiter contra Bernal: quippé docet, actionem ipſam, qua B. Virgo genuit Chriſtum, eſſe unionem hypoſtaticam: ergo ſi B. Virgo merens de condigno Maternitatem meruit illam ſuam actionem, quæ eſt ipſa Maternitas, meruit eo ipſo de condigno Unionem hypoſtaticam, quæ eſt ipſa Incarnatio: ſed hanc de condigno mereri non potuit: ergo nec Maternitatem: aut ſi talem condigné mereri potuit Maternitatem, & ſaltem meruit de congruo; quomodo non potuit mereri condigné præmium ſimpliciter infinitum? Aut quomodo de facto non me-
Bernal. ruit de congruo Incarnationem? Bernal, & aſſeclæ ſibi conſulant juxta ſua principia; nos reſpondebimus tutiùs juxta noſtra.

126 Negamus itaque majorem. Ad probationem diſtinguimus antecedens: niſi Deus fieret homo ex meritis, nego antecedens; vel ex, vel ſine meritis, concedo antecedens, & nego conſequentiam. Sicut enim ad eſſe Matrem, quamvis requiratur Deum fieri hominem, non requiritur fieri hominem ex meritis; ſic etiam ad merendum eſſe Matrem Dei, quamvis requiratur Deum fieri hominem, non requiritur fieri hominem ex meritis alioquin; & æterna Verbi generatio deberet eſſe ex meritis, ſine qua Verbum incarnari, & Filius hominis fieri non potuiſſet. Ut ergo B. Virgo meruerit circumſtantiam ſuæ Maternitatis, ſufficit, Deum fieri hominem; & ipſam mereri, quòd ſi Deus pro ſuo libito fiat homo, concipiatur ex ipsâ. Sic in humanis, qui non haberet merita proportionata ad impetrandum adventum Regis in ſuam Civitatem, poſſet mereri, ut ſi pro ſuo libito adveniret in Civitatem, exciperetur in ipſius domo: & hoc quidem quãvis excipi nequeat in ſua domo ſine adventu in Civitatem. Nec enim qui aliquid utcumque meretur, eo ipſo meretur omnia, ſine quibus illud non poteſt poni: ſicut nec qui aliquid ponit, eo ipſo ponit ea omnia: aliqua enim ſupponuntur poſita, alia ponenda non ab ipſo, ſed ab alio. Et in hac ipſa materia patet in merito congruo apud ipſos adverſarios: nam de facto meruiſſe dicitur B. Virgo de congruo Maternitatem; quia perinde dicatur meruiſſe de congruo Incarnationem.

127 Secunda concluſio. De facto tamen non meruit de condigno B. Virgo Ma- *S. Thom.*
ternitatem. Eſt communis ſententia cum S. *Suar.*
Thom. Suarez, & Vaſquez contra Gabrie- *Vaſq.*
lem, Almainum, Abulenſem, & Bernal *diſp.* *Gabr.*
17. ſec. 4. §. 3. Ratio. Merita B. Virginis, *Alm.*
quantumvis ſublimia, fuerunt ſimpliciter fi- *Abul.*
nita: atque adeo habent terminum, ultra *Bern.*
quem ſi excedat præmium, jam non erit intra, ſed ultra æqualitatem, & conſequenter ultra condignum. Deus igitur æquiſſimus æſtimator meritorum B. Virginis, vel ea omnia exæquare voluit præmio gratiæ, & gloriæ, vel non. Si voluit, ergo ſi in præmium illorum meritorum jam exæquatorum præmio gratiæ, & gloriæ, ſuperetogaretur dignitas Maternitatis; hoc jam non eſſet de condigno, ſed ultra condignum. Si non voluit: ergo tantumdem gratiæ, & gloriæ correſpondentis, & exæquantis ejus merita, detrahi neceſſe fuit, quanti æſtimatur dignitas Maternitatis, ut hæc capiatur intra ambitum condignitatis talium meritorum. Hoc autem, nec glorioſum, nec honorificum, nec commodum B. Virgini fuiſſet. Præſtat ergo, & eligibilius ipſi ſine dubio eſt, quòd tota condignitas ſuorum meritorum exæquetur præmio gratiæ, & gloriæ, & de ultra condigno ſuperaddatur dignitas Maternitatis. Hæc ra- *Garau.*
tio probat etiam contra P. Franciſcum Garau *Triumpho* 11. *num.* 352. B. Mariam non meruiſſe de condigno acceleracionem Maternitatis.

128 Reſpondet Bernal, æqualitatem *Bernal.*
condignitatis, utpoté moralem, non ſtare in indiviſibili, ſed habere ſummum, medium, & infimum, intra limites ipſos moralis æqualitatis: ut dici ſolet de pretio juſto mercium. Deus, inquit, communiter remunerat homi-

num

num merita præmio medio gratiæ, & gloriæ, ultra quam medietatem potuit, & voluit superaddere B. Virgini in præmium dignitatem Maternitatis: quo fieret præmium summum, intra tamen ambitum condigni. Pulcher discursus; sed duplici ex capite insubsistens. Primò: quia Deum non remunerare hominum merita præmio summo gratiæ, & gloriæ, dicitur contra Dei munificentiam, & contra Theologorum axioma: quòd nempe *Deus præmiat ultra, & punit citra condignum*: imò specialiter contra ipsum P. Bernal: qui *Bernal.* dixerat *disp. 4 sect. 5.* præmium gloriæ, quod Deus confert iustis, superare meritorum condignitatem: in quo desi lero doctrinæ cohærentiam. Secundò, quia, adhuc admissâ ea doctrinâ de præmio summo, medio, & infimo condigno; melius, & eligibilius foret B Virgini, quòd eius merita remunerarentur singulari præmio summo condigno gratiæ, & gloriæ: & dignitas Maternitatis superaddere tur ultra condignum: ergo non de condigno:

129 Obijciuntur dicta Sanctorum PP. singulariter commendantium, & extollentiũ in B. Virgine meritum Maternitatis. Si autem non esset condignum, non est cur ita singulariter commendaretur: nam de congruo, ut fatetur Alarcon *1. par. tract. 4. disp. 1. cap. 3.* *Alarcon* alijs Sanctis fœminis concedi id etiam potuisset. Sentiunt igitur SS. Patres, in B. Virgine fuisse condignum: præsertim Ambrosius dixit: *digna fuit, ex qua Filius nasceretur:* *Ambros.* unde Ecclesia: *vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur.* Respondetur, singulariter commendari meritum præcellentissimum Maternitatis in B. Virgine: vel quia in actu primo condignum, si Deus loco præstantissimæ gratiæ, & gloriæ voluisset sic destinare in actu secundo præmium Maternitatis; vel quia in genere congrui excellentissimum, ob congruitatem ad eiusmodi præmium ultra condignum in B. Virgine, eo maiorem, quò maiora præ alijs quibuscumque mulieribus habuit merita. Unde, quamvis aliæ id aliquasi congruitate mererentur, quod tamen negat *Aldrete.* Aldrete *disp. 29 num. vltim* & censurat Torres apud Prudentium *tract. 2. disp. 1. dub. 5.* *Torres.* *Prudent.* non tamen eximiâ illa, & præstantissimâ cõgruitate, quâ B. Virgo *Benedicta in*, & præ *mulieribus* alijs. Ad Ambrosium, & Ecclesiam respondetur, in eiusmodi loquutionibus non summi *dignum* pro eo quod est apud Scholas *condignum*; sed pro decentissimo, & congruentissimo, ut benè Prud. *cit.*

P. Ioan. Paul. Bo xassa. 130 Antecessor noster egregius Barcinonensis, ut observantiùs, & consonantiùs ad prædictas loquutiones satisfaceret obiectioni docuit, B. Virginẽ meruisse Maternitatem, nec solũ de congruo, nec omnino de cõdigno; sed de digno: hoc est, meritis adeó eximijs, quãvis aliũde cõpensatis, ut eo ipso facta fuerit dignã, quę in Dei Matrẽ eligeretur: cũ certé Maternitatis Dei dignitas sit ita excellens, ut non debuerit dari fœminæ communis Sanctitatis, quæ condignè meruerit communem gradũ gratiæ, & gloriæ; sed Virgini Sanctitatis eximiæ, quæ operibus præclarissimis condignè meruerit excellentissimum gradum gratiæ & gloriæ. Explicabat hoc ex humanis ad eum modum, quo strenuus bellator, quamvis pro suis heroicis facinoribus acceperit a Principe condigna stipendia, per id ipsum quod est meruisse tot, & talia stipendia, fit dignus, qui inter alios eligatur à Principe in Præfecturã totius exercitus. Pro hac doctrina citantur Bonavent. Marsil & Vega: nec dissentire videtur Aldrete *sect. 15.* & Baldius ferè in terminis *quæst. 9. num. 11.* Qui loquendi modus, quidquid dicat Prudent. *num. 25.* accommodatior est ad supradictas loquutiones Ambrosianam, & Ecclesiasticam. In re tamen non multum video differre à doctrina nostrę communis responsionis.

Bonav. *Marsil.* *Vega.* *Aldrete.* *Baldius.* *Prudent.*

131 Tertia conclusio. Meruit Maternitatem de congruo. Est etiam communis cum ijsdem S. Thom Suar. & Vasq. contra Lorcã, & Nazarium, omne Maternitatis meritum immeritò denegantes B. Virgini. Colligitur ex supradictis. Si enim B. Virgo meruit Maternitatem, & non de condigno; ergo saltem de congruo. Quòd eam aliquo modo meruerit, præsertim per actum illum profundæ humilitatis *ecce ancilla Domini*: & per Fidem excellentissimam, quam laudavit Elisabeth: *Beata quæ credidisti*: ipsa præsertim Virgine de se ad Deum canẽte: *quia respexit humilitatem ancillæ suæ, &c.* videtur innegabile ex Scripturis. Undè Ambros. supra: *digna fuit*: & *Epist 83. quanta sit Virginitatis gloria, qua meruit à Christo eligi, vt esset etiam corporale Dei templum.* Augustin. *serm. 14. de Temp. Talis eligitur Virgo, quæ tantum haberet meritum, vt Dei Filium in se susciperet.* Gregor. 1. *Reg.* *incomparabilibus illustrata meritis Dei Unigenito sacrum præparavit vterum*: quam propterea adloquitur Ecclesia: *quia quem meruisti portare.* Plura Aldrete *disp. 29.*

S. Thom. *Suar.* *Vasq.* *Lorca.* *Nazar.* *Luc. 1.* *Ambros.* *Augustin.* *Gregor.* *Ecclesia.* *Aldrete.*

* * *

SE-

SECTIO X.

Ingens difficultas contra ſupradicta: & multiplex hinc inde reſponſio fruſtra conquiſita.

132 SIc obiectionem celebrem diſpono. B. Virgo, habuit auxilia, & merita ſua ex meritis Chriſti prævisi merentis: ergo prævisi exiſtentis: ergo prævisi extra ſuas cauſas producti: ergo prævisi producti, & pendentis à Matre: quia non aliter fuit, nec futurus erat productus extra cauſas, niſi dependenter à Matre, quæ fuit una ex cauſis. Ergo in quocumque ſigno prævisus eſt merens, prævisus eſt exiſtens, productus extra ſuas cauſas, pendens à Matre, & habens Matrem: ergo non ut habens Matrem ex meritis Matris: atque adeó hæc nullatenus meruit Maternitatem.

133 Probatur hæc ultima conſequentia, & innodatur tripliciter difficultas. Primó: quia pro illo priori ſigno productionis Chriſti ante eius merita, nondum exiſtunt, nec prævidentur exiſtere eius merita, ac proinde, nec merita Matris habita per auxilia ex meritis Chriſti prævisis: ergo pro illo priori non eſt Chriſtus productus à Matre, nec habens Matrem ex meritis ſuis, ac proinde nec ex meritis Matris, utpotè ſupponentibus merita Chriſti. Secundò: quia, ſi pro illo priori prævideretur Chriſtus habens Matrem ex meritis Matris, prævideretur Mater habens, & non habens ſua merita ex meritis Chriſti: habens, ut ſupponitur; non habens, ne ſequatur mutua cauſalitas, & prioritas inter merita Matris, & merita Chriſti: quandoquidem eſſent merita Matris cauſaliter ex meritis Chriſti ac proinde ſupponentia merita Chriſti; eſſentque merita Chriſti habentis Matrem cauſaliter in eodem genere ex meritis Matris, ac proinde ſupponentia merita matris. Tertió: quia ſequeretur, de facto principium meriti cecidiſſe ſub meritum, cuius eſt principium, contra axioma Theologicum: quandoquidem Mater, eiuſque merita ſunt principia Chriſti hic, & nunc exiſtentis, & producti, ac proinde meritorum Chriſti; & aliunde Chriſtus, merens auxilia ad merita Matris, eſt principium meritorum Matris: quod eſt cadere, ut præmium ſub meritis Chriſti ipſum principium meritorum Chriſti: & cadere ut præmium ſub meritis Matris ipſum principium meritorum Matris: nempe productio, & exiſtentia Chriſti à Matre.

134 Fatigat Theologorum ingenia labyrinthus iſte, ut non ſit mirum in varia varios effugia diſiecisſe. Quippè ex una parte, B. Virginem habuiſſe auxilia ad ſua merita ex meritis Chriſti, negari nequit: quia à Chriſto merente, ut à capite, defcendit omnis noſtra benedictio ſpiritualis. Ex alia verò parte, B. Virginem meruiſſe Maternitatem vidimus *ſect. præced.* ex communi ſenſu Theologorum iuxta Scripturas, & SS. Patres quod, ſi, argumento ſuccumbentes, negare attentarunt Nazarius, & Lorca; poſſent eodem iure dicere, neminem meruiſſe circunſtantiam ullam Incarnationis; imò nec Chriſtum meruiſſe B. Virgini dignitatem Maternitatis: quæ fuit principium exiſtentiæ, ac proinde meritorum Chriſti; ne dicatur principium meriti cecidiſſe ſub meritum. Propter hoc coincidit hæc obiectio cum illa, quam contra meritum circunſtantiæ acceleretionis oppoſuimus *ſect. 8. num.* 118. & ſolutionem huc remiſſimus. Videatur Aldrete multus in recenſendis ſuper hoc Authorum placitis *per totam diſputationem 29* Nos aliqua decerpemus. *Aldr.*

135 Suarez, & Salazar, iuxta diverſos tuos ordines decretorum intentionis, & exequutionis, dicunt, B. Virginem habuiſſe ſua auxilia ex prævisis meritis Chriſti ut primó intentis; meruiſſe verò Maternitatem, non ut primò intentam, ſeu decretam ordine intentionis; ſed ut exequendam per decretum ordinis exequutionis. Hoc tamen iam repulimus *ſect. 3. à num. 40.* Quia, ſi B. Virgo auxilia ſibi collata ad merendam Maternitatem habuit ex meritis Chriſti abſolutè prævisis ergo ex prævisione Chriſti merentis ac proinde exiſtentis extra ſuas cauſas producti, & exequutioni mandati: ergo ut involuentis iã, vel ſupponentis decretum exequutivum ſui, ſuorumque meritorum: ergo, adhuc iuxta hanc ſententiam, mihi alioquin etiam falſam, de ijs ordinibus decretorum intentionis, & exequutionis; eâdem ratione, quâ merita B. Virginis dicuntur non potuiſſe meteri Maternitatem quoad decretum intentivum, nec quoad exequutivum potuiſſent: nam utrumque, vel neutrum præſupponit prævisio Chriſti merentis, requiſita ad hoc, ut auxilia, & merita Matiæ eſſent ex meritis Chriſti. *Suar. Salaz.*

136 P. Vaſquez, negans matribus immediatum concurſum effectivum in prolem, ait, B. Virginem ſolùm concurriſſe ad Chriſtum miniſtrando materiam Virginei ſui ſanguinis, quæ materia ex ſe potuerat nõ eſſe Matiæ: ficq; Chriſti productio nõ eſt ex ſe eſſentialiter pendens à Maria. Unde potuit Deus primó decernere, & prævidere Chriſtum productum hac actione, & merentem, nondum prævisâ Matiâ Matre; deinde, ex meritis *Vaſquez.*

Chri-

Christi sic prævisis potuit decernere auxilia, quibus Maria mereretur eligi in Matrem. Hanc viam nobis præclusimus *disp. 4. sec. 3.* concedentes B. Virgini concursum effectivam immediatum in divinam suam Prolem. Quidquod, adhuc eo concursu prætermisso, negari nequit, quòd in facto Christi productio fuit dependens ab hac, & non ab alia Matre, saltem ut à disponente, & ministrante materiam fœtus: ergo in hoc saltem genere dispositivo fuit hæc Mater principium Christi, & saltem mediatè meritorum Christi: & ex meritis Christi esset ipsorum meritorum principium: quod refugere vult ista solutio. Insuper: quamvis, juxta P. Vasquez, antiquiores Patriarchæ potuerint habere sua auxilia independenter à meritis Christi, & de facto illa habuerint sine influxu effectivo physico meritorum Christi; non potuerunt, ut ait, per auxilia habita ex meritis Christi mereri existentiam Christi: ergo quòd Christus potuerit esse sine hac Matre, & de facto fuerit sine ipsius concursu immediato effectivo physico, non potest esse Patri Vasquez apta ratio, ut posset hæc Mater per auxilia habita ex meritis Christi mereri eum modum, quem de facto habuit causandi Christum: in quo modo stat Maternitas, quicumque iste modus sit: quomodo ergo meruisset Maternitatem juxta has ipsas doctrinas?

Supra disp. 4.

137 PP. Hurtadus, Herice, & Arriaga, ponunt duas actiones totales productivas Christi: unã à solo Deo, aliã à Deo, & à Matre: sicque ajunt, Christum primò prævisum à Deo merentem productum per actionem à solo Deo, mereri potuisse auxilia B. Virgini, quibus ipsa mereretur actionem ab ipsa, & à Deo; & sic esse Matrem Christi. Hanc actionum totalium miraculosam duplicitatem, quis sine necessitate non respuat? Præterea, juxta hunc, & præcedentem modum discurrendi, non solum necesse fuit, quòd Christus prævideretur merens independenter à Matre, sed quòd sic merens nè cogitaret quidem de Matre, cogitatione saltem inserviente ad illos actus meritorios, & requirente ad sui veritatem existentiam Matris: nã hujusmodi Christi cogitatio supponeret in re existentiam Matris, non minus quàm productio à Matre, ut per se patet: quis autem sibi fingat Christum jam positum extra causas taliter merentem pro Matre, ut cogitatio de Matre carissima, quam jam habebat, inservire non posset ad actus meritorios pro ipsius Maternitate? Huc redit acre judicium doctissimi Esparza descriptum *num.* 120. quo etiam pungitur, & expungitur aliæ ex solutionibus sequentibus. In super. Actio illa totalis solius Dei, qua primò Verbum caro factum est, vel fuit pendens à consensu Virginis Annuntiatæ, vel non. Si sic; illam quoque actionem priorem solius Dei meruisset B Virgo contra responsionem, & redit eota difficultas. Si non: ergo Verbum caro factum esset ex vi illius actionis solius Dei primò decretæ, etiamsi B. Virgo non præstitisset illum consensum: quod absonat à communi sensu SS. Patrum apud Aldrete *sec. 6.*

Hurt. Herice. Arriag.

Esparza.

Denique: dicere, Christum per actus naturã præcedentes ad generationem ex Virgine meruisse illud esse, quod habuit ex Virgine pugnat cum aliis SS. Patribus apud Bernal *disp. 18.*

Aldret.

138 Recens Anonymus apud Aldrete *sec. 8.* ait, Christum fuisse primò decretum quoad animam unitam Verbo, & sic elicuisse aliqua merita independenter à phantasmatibus, & ab unione ad corpus: & ex illis meritis pro illo signo priori prævisis decreta fuisse auxilia, quibus B. Virgo mereretur fieri Mater, ministrando materiam, & concursum ad unionem animæ cum corpore Christi. Hæc liberrima doctrina, nec stat cum identitate unionis humanæ cum hypostatica, nec cum proprietate, qua B. Virgo fuit Mater Dei, ut expendimus *disp. 1. sec. 1. & 9.* & prope est, ut dicat animam Christi sic prævisam jam merentem independenter à corpore meruisse unionem hypostaticam ad corpus, sicut dicitur meruisse auxilia Matris; quod quàm sit de facto effugiendum vidimus *sec. 2.* Præterea: Quamvis anima valeat absolutè operari independenter à corpore; dum tamen est realiter in corpore, nihil nisi dependenter à corpore operatur: nec in primo suo esse agit quidquam antecedenter ad unionem cum corpore: alioquin cur non produceret sui unionem ad corpus, sicut producit in Matribus unionem prolis? Ut agitur id dicatur de Anima Christi, ad miraculum recurrendum est, & naturæ rerum pervertendæ sine operæpretio.

Bernal.

Supra disp 1.

139 P. Ripalda *disp. 86. de Ente sup. sec. 7.* cui plaudunt Aldrete *sec. 14.* & fere Prudentius *dub. 4. sec. 9.* ait, quòd Deus primò decrevit Christum disjunctim, vel præcisim producendum à Matre, hac, vel illa; sicque prævidit illum merentem; & ex ejus meritis sic etiam prævisis decrevit auxilia antiquioribus Patribus, & illa etiam per quæ B. Virgo meruit: & ex ijs meritis B. Virginis decrevit tandem, ut hæc determinatè foret Mater Christi. Sic, inquiunt, merita B. Virginis fuerunt, ex meritis Christi, & Maternitas hæc determinata ex meritis Matris. Egregiè. Plura hic involvuntur fere incon-

Ripald. Aldret. Prud.

cep-

ceptibilia in Deo; quorum aliqua jam adnotavimus *sec.3. num.42.* Nam: in primis ejusmodi distinctionem, & præcisionem divini decreti, uti divinæ simplicitati, & supercomprehensioni repugnantem, impugnat meritò Hurtadus *disp.38. num.7.* Deinde esse insufficientem, & prorsus inutilem ad intentum evincit doctissimè Delugo mox citandus. Præterea Deum prævidisse unquam Christum ex Matre, quæ non fuisset Maria, arduũ est,& saltem est fateri, juxta hanc viam,non fuisse ex meritis Christi habere Matrem; sed habere hanc matrem. Insuper non benè stat hæc structura decretorum cum præservatione Mariæ á debito culpæ originalis, de quo *disp.seq sec.12. & 13.*

Hurt. *Lug.* *Infra disp.6.*

140 Cardin. Delugo *disp.8. sec.7.* ait, Christum primò decretum fuisse conservatum tempore Passionis independenter à Matre,& sic merentem auxilia, quibus B. Virgo meruit, ut priùs conciperetur ex ipsa: priùs, inquam, exercitè in utero conceptus ex meritis Matris, quamvis quo ad decerni priùs in Passione merens auxilia ad merita Matris. Sic etiam tenuit aliquando Ripalda, ut ipsemet fatetur *num. 58.* ficque & ipse juvenis didici à sapientissimis Magistris. Video tamen in ijs omnibus multiplicitatem,& inversionem divinorum decretorum, quam postea exhorrui. Video incidi in præcipuum inveniens, quod oppositum Patri Vasquez. Video primam Christi infantis existentiam à Matre dici eodem jure posse fuisse ex Christi patientis meritis,quod dissonat à mente,& à verbis SS. Patrum præsertim Augustini *c.15. de Prædest.* Video, necesse quoque fieri quód Christus patiendo merens, ut B. Virgo fieret ejus Mater, debuisset nullam ad id adhibuisse cogitationem de Matre,supponentem Matris existentiam, ut expendebam *num.137.* quod credat qui vèlit, dummodó legat Esparzam ibi citatum.

Lugo. *Ripald.* *Aug.*

141 P. Bernal *disp.18. sec.2.* sequitur Lugum, addens assertoriè, quod Lugus sub dubio proposuerat: quòd nempè prior illa Dei prævisio de Christo patiente, fuit de Christo miraculosè conservato aliàs naturaliter morituro: ut quando dixit: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Addidit Bernal portentum ad rem non necessarium. De cætero laborat cum Lugo: & uterque cum Ripalda in conciliandâ cum meritis Christi immunitate Mariæ non solùm à culpa, sed etiam à debito culpæ. Et quod caput est, non obtinent intentum sui meriti remunerabilis per istas antecedentias in decreto, & in prævideri, ut resumam *sec.seq.*

Bernal. *Matt.26*

142 P. Aldrete *sec.10.* aliam viam, ut probabilem, monstrat. Ait cum Lugo,& Bernal, Christum fuisse primò decretum pendentem à solo Deo actione determinatâ, quam re ipsa habuit post primam ejus productionem à Deo,& à Matre. Addit ex Christi meritis sic prævisis præcisim ab ætate virili, & infantili,decreta fuisse mox auxilia,per quæ B. Virgo mereretur, ipsum infantem concipere: acutiùs observans, prius illud decretum solas illas corporis Christi particulas punctim tetigisse, quæ de se indifferentes sunt ad constituendum sine alijs corpus Christi infantile,quod verè fuit priùs,& cum alijs corpus Christi Virile, quod verè fuit posteriùs. Hæc doctrina, cujus jam memini *sec.8. num.118.* quaparte convenit cum præcedentibus jam est à nobis derelicta. De cætero nihil addit, nisi liberiorem divinandi pruritum. Idcircò illam parvi facit ipse Aldrete *sec.13.* quamvis ad componendum ex meritis Christi meritum circumstantiæ suæ accelerationis in Patribus antiquioribus illà utatur *disp.28.sec.1.*

Aldret. *Supra. sec.8.*

SECTIO XI.

Generalior impugnatio præcedentium: & plana, plenaque solutio difficultatis, beneficio, ac expensis Meriti Sotinorij, seu Compensativi.

143 HVcusque Auctorum, aliorquin gravium, diverticula: & speciales eorum præclusiones; partim ad homines insinuatæ; partim solidæ veritati innitentes. Generalior omnium impugnatio petenda nobis est efficaciùs duplici ex capite in quo conveniunt. Primó quidem,quia affingunt Deo decreta virtualiter multiplicia, quasi Deus frustatim, & cunctabundè res, & eventus creaturarum decernat: quod simplicitati, & supercomprehensioni Summi Dei indecernendo repugnare statuimus *disp.8 de Attrib. sec 4.* & repetemus *disp seq.sect.7.* Secundò, quia prædictis discursibus tanto molimine excogitatis intendunt salvare B. Virginem meruisse Maternitatem,& Christũ B. Virgini auxilia ad merendam Maternitatẽ: utrumque in genere meriti Remunerabilis causantis præmium ad modum efficientis, *quia est*: quod *sec.4.* latè probavimus implicare in ipsis terminis: quia quomodocumque decreta, & prævisiones in mente divinâ compaginentur,implicat quòd in hoc genere meriti præmium tempore antecedens,qualia fuerunt auxilia collata B. Virgini antequam esset Mater, & Patribus antiquioribus; fuerit ex meritis Christi tempore subsequutis.

Tom. 1. disp.8. Infra disp.6.

Id

143 Id quod, ut iterum omnes prædictos discursus, ac decretorum ordines frustraneos ad intentum esse demonstrem, sic denuò constabilio ex Haunoldo *lib.4.Select.tr.1.cap.7.contr.2.* §. 4. Omnis causa causans ad modum efficientis, *& quia est*, debet esse prior naturâ suo effectu: sed meritum à prædictis Auctoribus unice assertum, utpote remunerabile, est causa causans præmium ad modum efficientis, *& quia est*: ergo debet esse priùs natura præmio. Atqui, quomodocumque disponantur decreta, & prævisiones Dei æternæ de rebus temporaneis, nec Christus, nec Christi merita possunt ullatenus esse priùs naturâ ad existentiam, & Maternitatem B. Virginis, nec ad auxilia data Patribus antiquioribus; nec Christus patiens, & merens in ætate virili ad ipsius existentiam, & durationem infantilem: Igitur, quomodocumque disponantur Dei decreta, & prævisiones juxta responsiones sectionis præcedentis, incassùm prorsus est, & frustra, ut in eo genere meriti causantis, *quia est*, possint opera Christi, aut vagientis, aut patientis, causare meritoriè, aut primam ipsius Christi existentiam exercitam, aut auxilia, & merita antiquiorum Patrum, & B. Virginis nondum Matris: Sicque, aut B. Virgo non metuisset maternitatem, nec antiquiores Patres alias circumstantias præsertim accelerationem Incarnationis; aut non id meruissent per auxilia ex meritis Christi, quæ scilicet auxilia Christus remuneratoriè meruerit. Totus hic discursus dilucidus est. Major continet discrimen innegabile inter modum causandi efficienter, & finaliter jam à nobis satis expensum *sec.4.* Minor est doctrina, quam ex S. Thoma, universaliùs justo, extollunt ipsi Adversantes, ut vidimus *sec. 1.* Consequentia primi syllogismi undequaque legitima.

Haunol.

144 Negotium est in Minori subsumptâ: quam sic probo. Quomodocumque disponantur Dei decreta, & prævisiones, nulla res duratione temporis posterior aliâ, potest ullatenùs esse prioritate naturæ prior illâ aliâ: atqui, quomodocumque fuerint Dei decreta, & prævisiones, Christus, & omnia merita Christi fuerunt duratione temporis posteriora ad auxilia data Patribus antiquioribus, & ad merita B. Virginis nondum re ipsa Matris; & merita Christi patientis in Horto, vel in Cruce, ad incunabula, & infantiam Christi: ergo nullatenus potuerunt esse naturâ priora: conjunctâ scilicet eorumdem posterioritate temporis cum prioritate naturæ. Major, in qua tota res vertitur, ostenditur tripliciter.

145 Primò. Quoties ex durationibus successivis (in quocumque rerum durationes consistant) una, utpote duratio rei naturâ prioris, est prior natura ad aliam; illa duratio dumtaxat est naturâ prior, quæ essentialiter est tempore prior: ergo duratio, quæ essentialiter est tempore posterior, nequit esse natura prior ad ipsam: quia evidenter sequeretur repugnantissimè inter ipsas durationes mutua prioritas naturæ. Probatur antecedens: omne, quod est natura prius alio, ordinatur ad aliud, quasi medium ad finem ponendum, sive quasi ad finem proximum, sive remotum, sive immediatum, sive mediatum, sive ultimatum, sive intermedium: sed ex prædictis durationibus, sola illa, quæ essentialiter est tempore prior, ordinatur ad aliam, quasi medium ad finem ponendum: ergo sola illa, quæ essentialiter est tempore prior, est naturâ prior. Major est certa: nam omne principium, causa, & causalitas, existentia, & duratio eorumdem, ordinatur ad ponendum effectum. Minor autem probatur ex inconcusso proloquio: *finis est primus in intentione, & ultimus in exequutione*: quod intellectum planissimè de medijs & fine successivè se habentibus, nunquam apud Philosophos aliud habuit sensum; nisi, quòd, quamvis finis primò intendatur; in exequutione tamen temporariæ durationis, existentia, seu duratio medij est tempore prior, & existentia, seu duratio finis, tempore posterior. Ex quo manifestissimum fit, ex illis durationibus successivis, quarum una natura præcedit aliam, solam illam, quæ est naturâ prior ordinari ad aliam quasi medium ad finem ponendum, & non è contra, quia sola illa est prior in exequutione temporariâ respectu alterius, & non è contra: ac proinde, illam aliam, quæ est in exequutione temporariâ posterior, nullatenus esse posse naturâ priorē ac repugnāter inducatur inter duo mutua prioritas naturæ: & repugnātiùs, prioritas, & posterioritas naturę uni rei ad semetipsam: siquidem esset naturâ posterior ad aliam posteriorem se: quas repugnantias nulla decretorum, aut prævisionum structura conciliare, aut lenire potest. Unde concluditur de primo ad ultimum, omninò repugnare, rem tempore posteriorem aliâ, esse naturâ priorem illâ, quomodocumque disponantur Dei decreta.

146 Secundò. Quando effectus in sua duratione temporaria existit, verè existit extra causas: ac proinde, vel existunt, vel extiterunt causæ: illæ, inquam, causæ quæ *quia sunt*, vel *quia fuerunt*, inducunt effectum, ut claré pateat exceptio solius causæ finalis, quæ non inducit effectum, scilicet media, *quia est*; sed, *ut sit*: Cùm autem existentibus ejus-

modi cauſis, & effectibus, omninò ſit paradoxum, effectus exiſtere pro priori naturæ ad ejuſmodi cauſas: eſſet enim, cauſalitate, ſeu origine antecedere id a quo cauſantur, & ducunt originem, neceſſario dicendum eſt tunc temporis debere exiſtere, aut extitiſſe cauſas talis effectus cum prioritate naturæ ad effectum: ergo à fortiori intelligi nequit, niſi implicando mutuas naturæ prioritates, effectum durationè temporaria poſteriorem ad ejuſmodi cauſas, eſſe ipſis naturâ priorem. Quod qui capere valuerit, potuiſſet verè dicere Abrahamo, & Davidi, in ſuo ſæculo viventibus, & merentibus ex meritis Chriſti: *iam meruit & extitit veſter nepos*, & Mariæ nõdum Matri: *iam extitit, & paſſus eſt Filius tuus*: & de Chriſto ipſo in incunabulis: *iſte puer iam fuit vir*: Quæ quis non rideat? Dicunt, hæc ſic dici de exiſtentia, vel præexiſtentia morali. At quid hoc rei? Eſtne extitiſſe, & præextitiſſe intẽtionaliter in intẽtione, ſeu in decreto Dei? Hoc verũ eſt: at hoc ludus, finis etiã eſt prior medijs, prior ſcilicet in intentione: quin perindé dici apté poſſet naturâ prior medijs, niſi aſſertâ mutuâ prioritate naturæ. Eſtne, decretum faciens, aut ſcientiam prævidentem futuros illos effectus tempore poſteriores, anteceſſiſſe ad cauſas ipſorum temporarias priores? Et hoc verum eſſet hoc modo, non ſolum illi effectus, ſed quidquid in tempore factum, & faciendum à Deo eſt, dici poterit prius quacumque re temporariâ: quia ejus decretum, prævisio, & futuritio fuit priùs. Nullus ergo ſenſus eſt, idoneé uſurpabilis, in quo res tempore poſterior poſſit dici naturâ prior.

147 Tertiò. Exiſtere priùs naturâ, cùm non ſit hæc prioritas rationis, & imaginaria, imò veré realis, & exiſtere priùs tempore, conveniunt in verâ ratione generica *exiſtendi priùs*: & exiſtere poſteriùs naturâ, & exiſtere poſteriùs tempore, in vera ratione *exiſtendi poſteriùs*. Atqui quod eſt poſteriùs tempore reſpectu alicujus, nequit abſolutè, & ſimpliciter dici exiſtere priùs reſpectu ejuſdẽ: ergo nec poteſt dici, exiſtere priùs naturâ: eſſet enim dici prædicatum ſpecificum de illo, cui repugnat genericum: quod implicat. *Minor* probatur: quod eſt tempore poſteriùs, abſolutè, & ſimpliciter dicitur, eſſe poſterius: ergo nequit abſolutè, & ſimpliciter dici, eſſe prius: ſunt enim prædicata oppoſita, & implicatoria, & inducentia prioritatem, & poſterioritatem ejuſdem ad ſemetipſum: quæ ſimpliciter, & abſolutè affirmari nequeunt, nec per ullam compaginationem decretorum, & prævisionum æternarum reddi poſſunt verè affirmabilia.

148 Dicat aliquis: ſi Chriſtus tempore poſterior, nequit eſſe naturâ prior ad res antecedentes ipſum tempore; quomodo de illo dixit Apoſtolus: *per quem fecit, & ſæcula*: ſcilicet Deũ per Chriſtum feciſſe ſæcula ab initio mundi? Reſpondetur, ſolidiorem expoſitionem, ut legere eſt apud Cornelium, id intelligere de Chriſto, ut eſt Verbum æternum ante omnia ſæcula, per quod tanquam per Ideam, omnes rerum creatarum gradus, & ſpecies continentem, protulit Deus in lucem res temporarias omnium ſæculorum. Quodſi intelligendum mavis de Chriſto, ut homine, ejuſque meritis tempore poſterioribus; relativum illud, *per quem*, nullam tibi ſonet reſpectu tempore præcedentium cauſalitatem niſi in genere cauſæ finalis, quæ nullam dicit prioritatem, ad media, niſi in intentione: ut nempè talis finis per quem, id eſt propter quem alia ſunt præcondita, obtineretur: in quo ſumma eſt cohærentia, & nulla contradictionis umbra. *Hab. 1.* *Alap.*

149 Diſiectis itaque, ut inſufficientibus, & difficultatem potiùs augentibus, quàm evacuantibus, reſponſionibus per viam unici meriti remunerabilis incedentibus; plena, & plana ſolutio ad objectionem per aliam viam meriti Solutorij, ſeu Compenſativi, ſuperiùs explicati, tentanda eſt, & ni fallor, negotio facili perhibenda. Et ne laboret aliquis in æquivoco, quando loquimur in præſenti de auxilijs, & meritis B. Virginis, de illis loquimur, quæ habuit antecedenter tempore ad inſtans maternitatis exercitæ: de ijs enim controvertitur præſens difficultas.

150 Reſpondemus ergo ad objectionem *num.* 132. diſtinguendo primum antecedens: B. Virgo habuit auxilia illa, & merita ſua ex meritis Chriſti in genere remuneratorio, nego; in genere ſolutorio, & compenſativo, concedo antecedens. Non, inquam, dedit Deus, nec decrevit dare illa auxilia, & merita B. Virgini propter merita Chriſti ad modum cauſæ, aut cauſalitatis efficientis, *quia erant*, aut *quia tunc eſſet*, *vel fuiſſent*; ſiquidem, nec Chriſti merita, erant, nec fuerant, quando illa auxilia dabantur, & B. Virgo per ea merebatur; ſed illa dedit, & voluit dare Deus propter merita, aut ex meritis Chriſti ad modum cauſæ, & cauſalitatis finalis, *ut eſſent*, poſtea compenſatura, & ſoluturа pro illis auxilijs, & meritis anticipatè à Deo prærogatis intuitu, & in ſpe certa obſequiorum Chriſti verè meriturі, & ſuo tempore condigniſſimè ſoluturi, & compenſaturi.

151 Hinc nego omnes illas illationes, & ſub-

& subtillationes intellectas, ut vult objectio, de prævisione absolutâ meritorum Christi antecedente decretum de dandis illis auxilijs. & præfiniente illa merita B. Virginis. Nam ad decernendum dare præmium absolutè propter meritum Christi (& maximè propter meritum de genere solutorio) non prærequiritur prævisio absoluta meriti Christi, ut similiter, in alio etiam genere meriti est jam communis sententia de electione absoluta ad gloriam, ut coronam non præsupponente absolutam prævisionem meritorum; sed sufficit notitia conditionata scientiæ Mediæ apta excitare amorem, seu intentionem talis meriti Christi, ut absolutè futuri; & sic apta movere Deum ad dandum anticipatè præmium, ut postea ponatur tale meritum Christi Deo gratissimum. Ea autem notitia conditionata jam præcessit ad omne decretum absolutum. Vide supra *sec. 5.* & Patrem Conine *disp. 4. à n. 126.*

Conine.

152 Ad probationes ultimæ consequentiæ positas *num. 133.* est ex dictis responsio haud difficilis. Ad primam distingo antecedens: pro illo priori signo productionis Christi ante ipsius merita, nondum existunt, nec prævidentur existere ipsius merita exercitè, seu absolutè à Deo prævisa, concedo; non existunt veluti in spe, & conditionatè prævisa, id est, ut exercenda sub conditione, quòd Christus concipiatur ex Matre id merente, nego antecedens. Hæc enim prænotitia conditionata meritorum Christi sibi gratissimorum, & valde allicientium ad sic decernendum, est in Deo ante absolutum decretum de Christo, & de Matre, & de meritis utriusque. Unde distingo etiam consequens: pro illo priori non est Christus productus à Matre, nec habens Matrem ex meritis suis in genere remuneratorio, concedo; in genere solutorio, nego consequentiam. Nam, ut aliquid dicatur decerni fieri ex meritis, & propter merita in genere solutorio, nec requiritur realis, aut exercita præcedentia meritorum ad præmium, sicut nec ad veram emptionem præcedentia solutionis & pretij ad traditionem rei; nec requiritur præcedentia prævisionis absolutæ meritorum ad prævisionem, vel ad decretum præmij; sicut nec ad decernendam gloriam, ut coronam requiritur præcedentia prævisionis meritorum; sed sufficit præcedentia intentionalis meritorum Christi in præscientia illa conditionata Dei, & in quasi spe futuritionis absolutę talium meritorum sub conditione tunc à Deo absolutè decretâ de positione talium præmiorum intuitu meritorum postea solventium, quando re ipsa sunt: namque exercita solvunt pro præmio, *quia sunt*; præcognita verò movent ad dandum præmium propter ipsa *non quia sunt*; sed, *ut sint*: ad quod sufficit præcognitio conditionata, ut satis explicuimus *sec. 6. præsertim n. 83.*

153 Ad secundam, nego sequelam: falsum enim est, quòd pro ullo priori prævideretur Mater non habens sua illa merita ex meritis Xpi in genere solutorio; sicut falsum est, matrē ea merita sic nō habuisse: nam prævisio quæcumque Dei nequit difformari rebus. Nec officit mutua illa causalitas inter merita Christi, & merita Matris: cum sit ex una parte in genere quasi causæ efficientis, nam merita Matris non nisi in genere remuneratorio causarunt existentiam, & merita Christi; ex alia verò parte in genere causæ finalis, nam merita Christi non nisi in genere solutorio causarunt existentiam, auxilia, & merita Matris. Hæc autem mutua causalitas, ex una parte in genere effectivo, ex aliâ parte in genere finali, nec infert mutuam prioritatem, cùm causa finalis, utpote causans, non *quia est*, sed *ut sit*, non debeat præcedere ad effectum; nec aliunde repugnat; imò omnibus est in confesso: quis enim dubitet hoc modo media, & finem sese invicem causare? Quippe sanitas in genere causæ finalis causat medicamenta; & medicamenta in genere causæ efficientis sanitatem. Modum autem causandi, & inferendi intentionalitet præmium in genere meriti Solutorij esse in genere causæ finalis satis explicuimus *sect. 1.* & ab inconvenientibus defendimus *sec. 6.*

154 Ad tertiam, admitto illas sequelas, loquendo in genere meriti Solutorij: in quo nec implicat, quòd principium meriti cadat sub meritum; nec est absurdum, quòd singulariter sub meritum singularissimum Christi de facto ceciderit. Legitimum sensum Axiomatis Theologici dedimus *nn. 86.* minimè obstantem, quominùs Christus in genere meriti Solutorij meruerit aliquas suas causas meritorias: quod non est aliud quam meritoriè compensare pro illis prærogativis aut quominùs B. Virgo, & antiquiores Patres meruerint in genere remuneratorio aliquas circumstantias Incarnationis, ac proinde Christi merentis: merentis, inquam, pro illis in genere solutorio, & compensativo. Profectò, quòd Christus meruerit Matri, & Antiquioribus auxilia, ex quibus aliquomodo, saltem mediatè, existentia Christi exercitè posita fuit; communiter docemur, & docemus omnes; sicut etiam, quòd Mater, & Antiquiores meruerint aliquomodo aliquas circumstantias Incarnationis, ac proinde existentiæ, & meritorum Christi. Hoc idem nos

dicimus, & modum id defendendi alioquin, me judice, vix intelligibilem expediré, ni fallor, declaramus beneficio doctrinæ meriti Solutorij ſine ambagibus ſententiatum, quas retulimus, & reliquimus *ſec. 10.*

155 Ex ijs denique ad objectionem celebrem in ſimili poſitam *ſec. 8. num. 118.* cujus reſponſionem hucuſque diſtulimus; ſimiliter reſpondemus, concedendo Cardinali de Lugo totum primum ſyllogiſmum: deinde concedo etiam ſubſillationem. Nego tamen minorem ſubjunctam, quòd nempé Chriſtus prævifus à Deo fuerit determinaté merens, imò nec merens antecedenter ad merita, & ad preces antiquiorum Patrum. Ad probationem hujus minoris, diſtinguo antecedens: auxilia ad illa ipſa merita, illaſque preces, data fuerunt Antiquioribus Patribus ex meritis Chriſti per modum meriti remunerabilis, nego; Solutorij, concedo antecedens: & nego duas ultimas conſequentias; nam, ut laté vidimus, ad decernendum dare abſolutè præmium propter meritum in hoc genere meriti Solutorij moventis, *ut ſit*, aut *quaſi in ſpe quod erit*, non prærequiritur prævifio abſoluta meriti; ſed ſufficit præſcientia conditionata præcedens omne decretum.

156 Per hæc vide, quàm ſit falſum, & abſonum, quòd ait Pater *Martinon ſec. 6.* Chriſtum non meruiſſe, nec potuiſſe mereri auxilia præcedentia B. Virgini, aut antiquioribus per gratiarum actionem. Certé non fuiſſet compulſus ad id dicendum, ſi meritum ſolutorium admiſiſſet, juxta quod nihil aptius ad compenſandum pro antecedentibus, quàm actio gratiarum. Percipite igitur fructum uberem meriti Solutorij. *Martin.*

***

DIS-

DISPUTATIO VI.

DE CAVSA FINALI; SEV DE MOTIVO, ET, Decreto Incarnationis.

1 PRINCIPEM huius Tractatûs Diſputationem aggredimur, ad cuius intelligentiam, & reſolutionem pars magna Theologiæ ſubſervit. Præ oculis ſignanter haberi oportet quæ de divinis Præfinitionibus, quæ de directione ſcientiæ Mediæ, quæ de electione ad gloriam ante prævisa merita, & præſertim quæ de decretis præfinitivis pœnitentiæ ante prævisionem abſolutam peccati, tradi ſolent à noſtris Authoribus. Nomine *Motivi*, utimur hic latè, ſublatis ſcilicet imperfectionibus alienis à divinis actibus intellectûs, & voluntatis, à quibus, rigoroſiùs loquendo, rationem obiecti motivi contrapoſitè ad purè terminativum eliminare ſolemus in Tractatibus de Scientia, & Voluntate Dei. Devolvitur Diſputatio ad Incarnationis decretum, ſeu ad ordinem decretorum Dei in negotio Incarnationis ſuę, Redemptionis noſtrę, Præſervationis Matris, & ſanctificationis Angelorum: nam decretorum diverſitas, tam in ſubſtantia, quàm in ordine diſponi ſolet pro diverſitate motivi, ſeu cauſæ finalis, quæ intenditur. Idcircò ea hæc in Titulo Diſputationis comprehendi, & in eius decurſu pro meâ tenuitate elucidabo.

SECTIO I.

An Deus decreverit Incarnationem ſuam ex motivo Redemptionis noſtræ, taliter, ut homine non peccante, Deus non Incarnaretur.

1 *Universa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, eloquitur Sapiens *Prover. 16.* Unde Deus ipſe eſt ſibi finis intrinſecus, & generale motivum Incarnationis, ſicut & omnium, quæ voluit ad extra; Non eſt præſens controverſia de hoc motivo generali: imò neque de extrinſeco ſimiliter generali, quod eſt ipſius Dei gloria, & manifeſtatio ſuorum Attributorum, quem finem in Incarnatione, & in quolibet opere ſuo intendi à Deo ſupponimus ut indubitatum. Controverſia præſens nobis eſt de motivo ſpeciali, quò Deus in negotio Incarnationis reſpexit: an ſcilicet ita ſpecialiter decreverit incarnari ex fine redimendi homines à peccato, ut non incarnatus fuiſſet, ſi homo non peccaſſet. Quod intellige, quantum à nobis colligi valet ex vi præſentis decreti: nã ſi ad præſens decretum prout nobis revelatum eſt nullatenus attendamus, utrum Deus in illo caſu quo homo non peccaſſet, incarnatus fuiſſet propter alios fines, quis noſtrum noverit?

Proverb. 16.

3 Duæ ſunt ſententiæ celebres. Prima, quamvis non omnino neget, Incarnationem decretam fuiſſe ex motivo Redemptionis quoad aliquam ſaltem eius circumſtantiam; ait tamen, non ita decretam fuiſſe ex motivo Redemptionis, ut homine non peccante, ac proinde non egente Redemptione, deſineret incarnari Deus. Ita Scotus cum ſubtiliſſimâ ſua Schola: Eximius Suarez cum aliquot è noſtris; quos inter Hurtadus, Martinus Perez, Cardinalis Pallavicinus, & noviter ac doctiſſimè P. Thyrſus *to. 3. diſp. 21.* Franciſcus Boneſpei, & alij præſtantes Theologi. Qui tamen in modo explicandi hanc ſententiam diverſis incedunt vijs luſtrandis inferiùs. Conveniunt autem in affirmando, Chriſtum ex vi decreti de facto exiſtentis de Incarnatione exiturum fuiſſe, etiamſi Adamus non peccaſſet. Con-

Scot. Suar. Hurt. Pallavic. Thyrſ. Boneſp.

ſen-

Esparza. sentis P. Espatza *quæſt.17.* dicens tamen, id in eo caſu Adami non peccantis fore, non ex vi præſentis decreti formaliter, ſed argutivè: quatenus nempè, Adamo nõ peccante, non eſſet formaliter hoc ipſum decretum indiviſibile, quod nunc eſt de Chriſto; ex decreto tamen quod nunc eſt, colligi, in eo etiam caſu Adami non peccantis, Deum decreto alio etiam indiviſibili decretuſum fuiſſe eamdem Incarnationem.

4 Secunda ſententia, utrumque id abſolutè, negat, docens, ita decretam fuiſſe à Deo Incarnationem Verbi ex motivo redimendi genus humanum lapſum, ut ex vi præſentis decreti, nec formaliter, nec argutitive incarnatus fuiſſet Deus, ſi non peccaſſet homo. Ita S. Thomas, & communiter Thomiſtæ, S. Bonaventura, Pater Vaſquez, Valentia, & cõmuniter Authores noſtri, ex multis SS Patribus, & Scripturis; prout in ſequentibus expendemus.

S. Thom. Bonav. Vaſq. Valens.

5 Fundamentum huius ſententiæ iecit ſolidè S. Thom. Quia, inquit, cùm fuerit Deo liberum, ſic, aut ſic decernere Incarnationem, quandoquidem uterque modus illam decernendi fuit ipſi poſſibilis; quonam ex illis modis de facto eam decreverit, non aliunde niſi ex ipſius revelatione dignoſcere poſſumus: aliter enim quis ſcrutator ſenſûs Dñi, aut conſiliarius eius fuit? Atqui ex Scripturis Sacris, & ſenſu Eccleſiæ Sanctorumq; P. colligitur hic modus decernendi, quem amplectitur 2. ſententia: Hic ergo tenendus eſt. Minot, in qua res vertitur, probanda eſt reſumendo teſtimonia Scripturæ, Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum ex eijs quæ fuſiùs legi poſſunt apud Bernal *diſp.16.* Conine *diſp.4.* Aldrete *diſput.17.* & Vaſquez *diſp.10. cap.4.*

Bernal. Conine. Aldret. Vaſq.

6 Lucæ 15. *Venit Filius hominis ſalvum facere quod perierat.* Joan. 3. *miſſit Deus Filium ſuum, ut ſalvetur mundus per per illum.* 1. Timoth 1. *Iesus venit in mundum peccatores ſalvos facere.* Ad Galat. 4. *miſſit Deus Filium ſuum, &c ut eos, qui ſub lege erant redimeret.* Symbolum Nicenum: *propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt, & homo factus eſt.* Unde meritò miratur Hurtadus, dici potuiſſe ab Authore Catholico, Deum non fuiſſe factum hominem propter Redemptionem generis humani, quomodocumque ſe poſtea explicet.

Luc. 15. Joan. 3. 1. Time. 1. Galat. 4. Symbol. Hurt.

7 S. Athanaſius *Orat. 3. contra Arianos: Illius incorporationis nos cauſam dedimus, & ob ſalutem noſtram ita humanus extitit, ut in humano corpore eſſe veliet.* S. Hieronym. *in Eccleſiaſticum cap.7. Quia homo infixus in limo profundi peccati indiguit maiori auxilio, idcirco venit ipſa Sapientia,* S. Baſilius *Homil. 25. de humanâ Chriſti generatione: Ex hoc Deus venit in carne, ut inſitam mortis carnem interficeret.* S. Cyrilus lib. 5. Theſauri cap. 8. *Quia Deus ſciebat, nos fore mortales propter peccatum, ideo ſua miſericordia conſtituit, ut Verbum homo fieret.*

Athan. Hieron. Baſil. Cyrill.

8 S. Clemens Romanus *lib. 1. Conſtit. Apoſtolic. cap 7. Salvator noſter non aliam ob cauſam venit, quàm ut ſalvaret nos.* S. Nazianzen. *Ora. 4. Theolog. Quæ humanitatis à Deo ſuſceptæ pro nobis cauſa extitit? profectò, ut nobis ſalus pararetur. quid enim aliud cauſæ afferri poteſt?* S. Ambrol. *cap 6. de Incarn. Quæ erat cauſa Incarnationis, niſi, ut caro quæ peccaverat, per ſe redimeretur?* S. Auguſtin. *ſer. 8 de Verb. Apoſt. Quare venit in mundum? peccatores ſalvos facere: alia cauſa non fuit.* Et ſerm 9 *Nulla cauſa fuit veniendi Chriſto Deo niſi peccatores ſalvos facere: tolle morbos, tolle vulnera, & nulla cauſa eſt medicinæ.*

Clemens Nazian Ambroſ. Auguſt.

9 S. Ireneus adverſus Hæreſes *cap. 14. Si non haberet caro ſalvari, nequaquam Verbum Dei caro factum eſſet.* S. Auguſtin. *Pſal 36. conc. 2. Si tu ò homo, non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo.* Et ſer 8. *de Verb. Apoſt. Si homo non periiſſet, Dei Filius non veniſſet.* Et tract. 49. in Joan. *Si peccatores Deus non amaret, de Cœlo ad terram non deſcenderet.* S. Leo *ſerm. 3. in Pentec. Si homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus in ſua honore naturæ mãſiſſet, nec diabolicâ fraude deceptus à lege ſibi poſita per concupiſcentiam deviaſſet, Creator mundi creatura nõ fieret.* Origenes *Homil. 24. ſuper Numeros: Si non fuiſſet peccatum, Dei filius manſiſſet hoc quod erat, in principio Deus Verbum:* ſcilicet quin ultra id quod erat, fieret de novo Deus homo.

Ireneus. S. Aug. S. Leo. Orig.

10 Hinc inclamat Eccleſia in Officio Sabbati ſancti: *O felix culpa quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem! O verè neceſſarium Adæ peccatum, quod Chriſti morte deletum eſt!* Et Hymnus antiquus Deiparam alloquitur: *non abhorres peccatores: ſine quibus nunquam fores, tanto digna Filio.* Ex ijs, & multis alijs, quæ paſſim occurrunt, fit ſatis manifeſtum, ſenſum ſecundę ſententiæ eſſe iuxta mentem Eccleſiæ é ſacris Scripturis erutum, & Sanctis Patribus perfamiliarem: quæ erat minor fundamenti.

Eccleſ. Offic. Hymn. S. Thom.

11 Reſpondent Authores primæ ſententiæ multipliciter. Primò Scotus, ea dicta intelligi debere, non de ſubſtantia incarnationis, ſed de circumſtantia paſſibilitatis: taliter nempè, ut Chriſtus fuerit primò decretus inde-

Scot.

Digitized by Google

Independentis à peccato,& Redemptione; & deinde,vito peccato,decretus fuerit Redemptor possibilis: sicque, Homine non peccante, venisset quidem Christus in carne, sed non venisset Redemptor in carne passibili. Secundò Suarez,Deum habuisse primum suum decretum de substantia Incarnationis ob excellentiam tanti mysterij independenter à peccato; mox autem vito peccato habuisse aliud decretum volens non solam circumstantiam passibilitatis, sed ipsam etiam substantiam Incarnationis cum circumstantia passibilitatis,& hoc ex motivo Redemptionis: sicque, cùm dicitur Christus non venturus, si homo non peccaret, intelligi non venturum ex vi huius secundi decreti ut Redemptorem passibilem: quamvis alioquin verum sit, quòd venisset ex vi primi decreti ut caput Universi, sanctificator Angelorum, & hominum,&c. Tertiò Hurtadus,Deum primò decrevisse Incarnationem ob excellentiam mysterij, non omninò independenter à motivo Redemptionis: imò ex motivo etiam Redemptionis; condicionatè tamen, si homines peccarent: postea verò visis absolutè peccatis decrevisse absolutè Redemptorem: sicque ex vi prioris decreti respicientis condicionatè dumtaxat Redemptionem, venisset Christus, etiamsi homo non peccasset; non tamen venisset absolutè,ut Redemptor in exercitio,sed quasi in actu primo quo ad sufficientiam. Quartò Bonespei absolutè ait, Christum decretum primò fuisse propter hominum salutem;& hoc quidè sive homo peccaret,sive nò quia quàvis homo in actu primo peccabilis,in actu secundo non peccaret, adhuc verum esset, quòd venisset paratus Redemptor hominis peccabilis.

Suar. *Hurt.* *Bonesp.*

12 Responsiones istæ conveniunt in primis in multiplicatione mihi invisâ divinorũ decretorum, virtualiter, ut aiunt distinctorum: in qua & ipse educatus, & deceptus diu fueram. Eam tamen à tota mea Theologia iam repuli *disp.8.de Attrib sect.4.* & ulteriùs repellam hìc *sect.7.*

Tom. 1. disput.8.

13 Conveniunt secundò in eo quòd absolutè aiunt,Christum venturum fuisse etiam casu quo homo non peccasset; cùm absolutè ingeminent contradictorum multa ex testimonijs Ecclesiæ Patrum præsertim allegata *num.9. & 10.* Planè, si ut aiunt Authores illi absolutè Christus venturus esset, etiamsi homo non peccaret;Patres absolutissimè enuntiantes,Christum non venturum, si homo nõ peccaret, falsò,aut saltè incautissimè & ineptissimè loquerentur. Quemadmodum si Rex iam absolutè decrevisset quoquo modò venire Barcinonem, & postea unus civis obtineret ab ipso,ut veniret in æstate, alter, ut veniret per Valentiã, alter ut veniret cum exercitu ad fugandos hostes,alter ut diverteret in sua Domo; qui diceret absolutè,Regem non venturum fore Barcinonem, si Cives illi ea postulata circa circumstantias non obtinuissent, non nisi falsò, & inepte loqueretur, ut per se est clarissimum.Siccine ergo loquturi erant tot SS.Patres in re gravissima? Absit hoc à sincera intelligentia Doctorum Ecclesiæ.

14 Instauro deinde argumentum contra responsionem Scoti. Quod totùm est causa circumstantiæ rei non dicitur absolutè loquendo causa rei. Patet,nam antiquiores Patriarchæ, Beatissima Virgo,aut ipse Christus, qui,ut vidimus *disput.praced.* fuerunt causa meritoria alicuius circumstantiæ Incarnationis;non perinde dicuntur, nec dici absolutè possunt causa meritoria Incarnationis, nec meruisse Christi adventum, nec quòd Deus fieret homo,nec quòd Pater mitteret Filium: quia nempe hæ loquutiones significant absolutè substantiam Incarnationis, quam nullus meruit. Igitur si Redemptio à peccato non fuisset causa finalis substantiæ Incarnationis,sed tantùm alicuius circumstantiæ, scilicet passibilitas, non posset absolutè loquendo dici causa finalis Incarnationis: atqui sic dicitur absolutè in Scripturis, & interpretationibus SS. Patrum: ergo quia Redemptio à peccato non solius circumstantiæ possibilitatis fuit causa finalis, & motivum; verum etiã substantiæ Incarnationis, seu Incarnationis quoad substantiam.

15 Minor evincitur ex sacris Textibus adductis *num.6.* qui assignantes salutem, seu redemptionem generis humani pro motivo Incarnationis,absolutissimè loquuntur de Incarnatione. Hæc enim nequit absolutiùs significari, quàm per adventum, per missionem Filij Dei, ut loquuntur Lucas, Joannes, & Paulus sine addito limitativo passibilitatis & de Incarnatione sic absolutè significatã dicunt fuisse ex motivo Redemptionis: ergo sinistra interpretatio est inquere, & limitare Scripturas ita claras ad solam circumstantiam passibilitatis, & non illas intelligere de substantia Incarnationis, de qua liquidissimè loquuntur. Præterea,quid clarius, & absolutiùs ad significandam substantiam Incarnationis, quàm Filium Dei incarnari, hominem fieri, & descendere de cœlis? At certè de Incarnatione his tribus modis significatã ait Symbolum Fidei fuisse *propter nos homines, & propter nostram salutem*: ergo signantissimè Incarnatio ipsa quoad substantiam asseritur fuisse ex motivo Redemptionis: & certè pos-

Symbol.

sica

ſtea diſtinctè loquitur ſeorſim idem Symbolum de circumſtantia paſsibilitatis: *Crucifixus etiam pro nobis, &c.*

Suar. Hurt. Bonaſp. 16 Nec ſatis occurrunt difficultati Suarez, Hurtadus, & Boneſpei. Quippe, ſi ſemel conſtituunt in Deo decretum taliter volens Incarnationem, ut eam abſolutè induceret, caſu etiam quo homines non peccaſſent; moveri poſtea Deum in remedium peccati iam abſolutè prævisi ad aliud decretum de Incarnatione, ſive verſans circa eiuſdem Incarnationis ſubſtantiam cum circumſtantia paſsibilitatis, ut vult Suarez; ſive abſolute iam volens Incarnationem ex motiuo Redemptionis, ut vult Hurtadus; ſive decernens redemptionem exercitè, & in actu ſecundò peragendam, ut vult Boneſpei; iam certè non eſt moveri abſolute Deum ex fine Redemptionis noſtræ ad Incarnationem ſuam quoad ſubſtantiam, ut ſincerè exprimunt Authoritates, quibus nititur ſecunda ſententia; ſed quoad circumſtantiam ſecundi decreti, ſeu quoad ſecundò decerni: quod eſt quædam quaſi circumſtantia, ſupponens iam totam ſubſtantiam Incarnationis abſolutè ponendam, ſive peccaret, ſive non peccaret homo. Cum hoc autem non ſtare in abſoluto, & ſincero ſuo ſignificato, illas loquutiones abſolutè enunciantes per verba exprimentia ſubſtantiam Incarnationis, Chriſtum veniſſe, & Verbum Incarnatum fuiſſe, & Patrem Filium ſuum miſiſſe, propter remedium peccati noſtri; ſatis expenſum eſt *num. 14. & 15.*

17 Adhæc: utplurimum prædictæ ſacri Textûs, Sanctorumque Patrum loquutiones eò collimant, ut eximiam hominibus perſuadeant benignitatem, & charitatem Dei erga nos, etiam peccatores: quod argumentũ multò magis prævalet iuxta ſecundam ſententiam: quandoquidem æſtimabilius multò nobis eſſe debet, quod Deus, alioquin non incarnandus, incarnatus fuerit ad redimendum nos; quam ſi alioquin etiam incarnandus ſuſciperet in ſe negotium Redemptionis noſtræ, ſeeluſo peccato, carviſſet gloriâ tanti capitis, quam peccatis etiam involutus habuit. Veniſſet igitur Chriſtus etiamſi homines non peccaſſent. Confirmatur ex Boneſpei. Si Chriſtus non veniſſet, homine non peccante, redemptio fuiſſet motivum adæquatum Incarnationis; nullatenus verò excellentia Myſterij, & dignitas infinita Chriſti. Hoc autem dedecet: ſic enim Chriſtus eſſet abiectior, & minor apud Deum, quàm redemptio, iuxta effatum Nazianzeni, *Orat. 3 Theolog. Quidquid alicuius rei causâ factum eſt, vel pars illius, pro quo factum, vel eo minus eſt.* Confirmatur ſecundò. Inſipienter amat qui inter ea, quæ amat, minùs dignum præ digniori amat; ergo inſipienter moveretur Deus, ſi ad Chriſti Filij ſui poſitionem moveretur potiùs ab indignitate peccati, quàm ab eminenti excellentia ipſius Chriſti: ergo ſic habuit pro motivo excellentiam tanti myſterij, ut etiam non poſito peccato, Incarnaretur Deus & poneretur Chriſtus ex motivo excellentiæ Myſterij Incarnationis.

Bonaſp. *Nazian.*

19 Reſpondetur, aſſentiendum fore huic docto gravique diſcurſui, niſi præponderarent in oppoſitum Authoritates prodictæ pro cõmuni ſententia. Propter illas tamen diſtingui poteſt maior: ſupereſſent illa alia motiva neceſſitantia Deum ad Incarnationem, nego: relinquentia Deum liberum ad ſe incarnandum, vel non incarnandum pro ſuo libito ſuâque dignatione, concedo: in iis autem, quæ ſunt libiti Dei Deus res ordinat, ut vult: ſic autem voluiſſe in negotio Incarnationis prout aſſeritur ab iſta ſententia S. Thom. ſatis manifeſtant ſcripturæ iuxta intelligentiam SS. Patrum, & ſenſum Eccleſiæ, ut expendimus. Undè negatur minor, & conſequentia, quantum colligi à nobis poteſt ex modo, quo de facto Deus id voluit ſatis expreſſo in Scriptura. Certè enim, lapſis hominibus ita miſerè per peccatum, quamvis eo ipſo eſſet maior eorum indignitas habendi Chriſtum, eſt etiã eo ipſo ex parte ipſorum maior neceſsitas, & ex parte Dei relucet maior benignitas in ſubveniendo per medium ita excellens, & eximium generi humano miſerè lapſo, & poſitivè immerenti. Hinc eſt quod ex Scripturis, & Patribus videtur perſuaderi alioquin Chriſtum non fuiſſe venturum quod ſaltem verũ arbitror ex vi præſentis decreti: utique ſimul ac indiviſibiliter habentis pro fine excellentiam myſterij, & hominum redemptionem. Diſcurſus oppoſitus prævaleret quidem, ſi Chriſtus veniſſet ex meritis alicuius: at vidimus *diſp. præced. ſect. 7. & 8.* ex nullius meritis veniſſe quoad ſubſtantiam; ſed ex purâ miſericordiâ, & benignitate Dei: quod videtur,

Supra diſp. 4.

SECTIO II.

Obiectiones.

Eſparza. 18 OBijcitur primò ponderosè ex P. Eſparza. Homine non peccante, ac proinde citra finem Redemptionis, ſuperſunt adhuc Deo nobiliſſima motiva ad Incarnationem: ſcilicet ipſa excellentia tanti Myſterij: & quòd Deus homo eſſet caput Angelorum, & hominum, ex quo merente deſcenderet omnis gratia & gloria puris creaturis cum ingenti decoramento totius Univerſi. Incredibile autem eſt, quòd mundus,

tur,& valdè attendendum in præsenti,ne Dei decretum de adventu Christi, ex maiori dignitate,prę indignitate nostrâ regulandum esse existimemus.

20 Ad primam confirmationem, falsa prorsús est maior: ut enim verissimum esset, Christum non venturum, si homo non peccasset,non opus est redemptionem à peccato fuisse motivum adequatum veniendi: admittimus simul cum hoc motivo alia quoque motiva,quædam generalia, ut prænonvimus *num.2.* quædam specialia, inter quæ locum habet excellentia tanti Mysterij, & gloria Christi capitis Universorum. Nullum istorum motivorum,nec omnia simul, necessitabat Deum ad opus Incarnationis: ex quo autem ex ijs motivis taliter id decrevetit Deus, ut illo secluso id non decreviſſet,arcanum est nobis minimé manifestum nisi ex divinâ manifestatione: ex qua, ut expensum est in momentis sententiæ S. Thomæ satis verisimile videtur Deus taliter respexisse ad motivum redemptionis nostræ ad decernendam prout de facto Incarnationem suam, ut secluso isto motivo, quód quidem deesset, si homo non peccavisset, non decreviſſet Incarnari, quantum coniectari licet ex præsenti modo decernendi, prout nobis manifestato in Scripturis iuxta intelligentiam SS. Patrum. Quòd verò ait opposita sententia, etiam secluso isto motivo Redemptionis, Deum incarnandum fuisse, dicetur, id possibile etiam Deo fuisse, iuxta alium decernendi modum; at sine sufficienti fundamento, & per divinationem asseri prout facto, donec Deus id aliter manifestet. Hinc effatum illud Nazianzeni, quidquid sit de vera ipsius intelligentia, non est contra eos, qui ipsam quoque excellentiam Mysterij assignant pro motivo Incarnationis; non tamen ita, ut ex hoc motivo, seorsim à motivo Redemptionis nostræ Incarnaretur Deus: quia ad hoc non est fundamentum,sicut neque ad Incarnationem trium divinarum Personarum pro illo casu, quo mundus Deum non offendisset.

21 Ad secundam confirmationem maior requiritur explicatio. Vel enim intelligi potest de amore simpliciter appretiativo, & approbativo dignitatis rerum amatarum; & sic est vera maior: nã hoc amore appretiativo amat Deus magis,quod magis bonum est:vel de amore efficaciter volitivo, & liberè inductivo existentiæ rerũ amatarum;& sic est falsa maior: nam ficut posset amans,nullam illarũ rerum, nec minùs dignam, nec digniorem, amore isto efficaciter volitivo, & inductivo prosequi, sed sine illis positis manere, cùm illis minimè indigeat; ita potest hoc volendi modo amare, & velle rem minùs dignam, præ digniori.alioquin non potuisset Deus decernere præsentes creaturas,omissis alijs purè possibilibus sine dubio præstãtioribus,& dignioribus.Undè nego consequentiam: in qua negandum venit,perperam in ea dici, Deum moveri ab indignitate peccati: hæc enim indignitas à nemine asseritur motivum, seu finis decreti Incarnationis; movetur,inquam, Deus à bono redemptionis depulsivæ indignitatis peccati: quæ duo diversa sunt,imò, & opposita.Hinc subsillatio nulla est.

22 Objcitur secundò ex Cardinali Pallavicino: quod iuxta sententiam S. Thom. Christus non videret in Deo summam dilectionem erga se, per quam scilicet in nullo casu fuisset reprobata eius existentia: siquidẽ nollet Deus Christi existentiam casu, quo peccatum non fuisset.Præterea: si Deus condidisset Angelos,& homines non peccantes, non posito Christo, prætulisset Christo Angelos,& homines.Insuper,Christus non extiturus non posito peccato, deberet gaudio saltẽ speculativo gaudere de positione peccati. Rursùs: absurdum etiam videtur, quód opus excellentissimum Incarnationis, sit opus tantummodò occasionatum; utpotè non ponendum, nec decernendum, nisi occasione peccati. Denique: hoc videtur opponi Tridentino *sess.6. cap 7.* dicenti, gloriam Christi esse causam finalem nostræ iustificationis: cùm è contra dicat hæc sententia,nostram iustificationem fuisse causam finalem Christi.Fit igitur ex ijs omnibus, motivum, seu causam finalem Incarnationis fuisse potiús excellentiam tanti Mysterij; ac proinde ex hoc motivo venturum fuisse Christum, ut caput Universi,etiamsi homines non peccassent. *Pallavic.* *Trident;*

23 Salvâ pace, imbecillia nimis sunt hæc:ex quibus profectó,si quid cõcluderetur, nimis concluderetur: nẽpe,aut Deum nõ potuisse quidquam decernere, quin decerneret existentiã Xsti, ne alicuius creaturæ existentia præferret existẽtię Christi,quod est cõtra ipsos objicientes; aut non potuisse habere pro motivo existentiæ Christi Redemptionem nostram: quod est aperté contra Scripturas, & Patres Ecclesiæ.

24 Respondetur sigillatim. Ad primũ, explicato illo termino, *reprobata*, ut debet, pro eo quod est,*nolita*,seu,*non decreta* Christi existentia; concedo primam sequelam,utpotè negabilem à nemine, qui Deo non imponat necessitatem se incarnandi. Nego tamen, in hoc esse quidquam absurdi. Ad secundum: quid precor,latet sub larvâ illâ *prælationis?* an quòd Deus excellentiores æstimet Angelos, & homines, quam Christum?

at hoc negamus, sequi ex doctrina S. Thomæ: an quòd Deus vellet decernere existentiam Angelorum, & hominum, & nollet decernere existentiam Christi? Hoc quidem verissimum est; sed minimè absurdum, sicut neque quòd Deus noluisset quidquam ponendum decernere, cùm nullius rei temporaliter positæ existentiâ indigeat ad sui existentiam, & fœlicitatem: sed omnia liberè decreverit pro suo beneplacito. Ad tertium, negatur sequela, de qua fusè *sect. 4* & deinceps. Ad quartum, vox *occasionatum* æquivoca est: vel enim significat *fortuitum*, & improvisum: & hoc negamus de opere Incarnationis, providentissimè à Deo omniscio prærdinato. Vel significat opus *oportunum* occasione peccati, in illius remedium, à Deo volitum, & sapientissimè prædecretum: & hoc est verissimum: at quid absurdi? Ad postremum ex Tridentino, aliud est gloria extrinseca, seu exaltatio nominis Christi iam existentis: & hanc ait Tridentinũ esse causam finalẽ nostræ iustificationis, quod ultrò fatemur: aliud est existentia, seu positio Christi in rerum naturâ: & huius dicitur redemptio nostra fuisse causa finalis, ita ut Christus non extitisset, nisi lapsi indiguissemus Redemptione. Quid in hoc contradictionis? Subillatio igitur illegitima est, & omninò neganda.

25 Obijcitur tertiò viriliùs. Christus jam existens habuit à Patre optionem eligendi sibi impassibilitatem; aut passibilitatem juxta illud Apostoli: *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem*: ergo priùs decreta fuit substantia Incarnationis præcisim à redemptione, & deinde ex fine redemptionis, prævisо absolutè peccato, passibilitas ex electione Christi, jam alioquin quoad sui substantiam extituri ex motivo excellentiæ tanti Mysterij. Antecedens probant latè Bernal *disp 52.* & Aldrete *disp. 18.* ex Chrisostomo, & alijs Patribus contra Raguſam *disp. 28 §. 19.* Imprimis doctrina antecedentis mihi dubia est: nec convincitur ex testimonio Pauli: fortè enim ejus verba non significant, propositam fuisse Christo passibilitatem, & impassibilitatem, ut pro optione sua inter illas eligeret; sed quòd jam decretus passibilis, libenter sustinuit passionem Crucis intentus ad gaudium, & gloriam inde sibi, & Patri proventuram, & ad salutem nostram, quam pro gaudio suo reputabat: & hic sensus judicatur à Cornelio simplicior, planior, atque germanior. Cæterum, permisso pro nunc antecedente, negatur cõsequentia: quia, cùm Christus etiam impassibilis posset nos redimere; ex eo quòd esset primò decretus quoad sui substantiam præcisim à circumstantia passibilitatis, datâ ipsi optione ad ejusmodi circumstantiam, neutiquam infertur, fuisse primò decretum quoad sui substantiam præcisim à redemptione ex alio motivo, & non ex motivo redemptionis. Quo pacto componat P. Bernal doctrinam antecedentis, quam hic adstruit, cum aliâ, quam tradit *disput. 18.* docens, Christum primò decretum fuisse ita patientem, ut miraculosè debuerit conservari, ipse viderit. Certè enim, si primò decretus est sic acerbè patiens, quomodo non est primò decretus passibilis?

Heb. 12.

Bernal. Aldret. Chrisost. Raguſ.

Alapide.

Bernal.

26 Objicitur quartò. Multa decrevit, fecitque Deus, quæ existerent Adamo non peccante: sed existerent dependenter à Christo: ergo Adamo non peccante existeret Christus. Major patet: nam obediente, ac proinde non peccante Adamo, extitissent Cœli, mundus, Angeli, & homines instructi multis gratiæ donis. *Minor* autem probatur. Tum quia multa ex existentibus sunt essentialiter connexa cum existentia Christi, ut *Maternitas* Virginis, Fides de Christo, & peccatum Angelorum, si fuit invidia de excellentia Christi, utpote connexum cum revelatione Angelis facta de existentia Christi aliquo tempore. Tum quia reliqua omnia decrevit, & fecit Deus, aut ex meritis Christi, aut aliquo respectu propter Christum universorum caput, ut dicemus *sect seq.* ac proinde aliquomodo dependenter à Christo: ergo non extitura, nisi extitisset Christus.

27 Respondetur cõcedendo majorem cũ monitiuncula tamen, quòd multa etiam, ut pœnitentia Adami, & fides nostra de ejus lapsu, &c. non extitissent, non peccante Adamo. Negatur autem minor. Ad cuius probationem, fateor equidem, multa ex existentibus esse ex suis intrinsecis connexa cum existentia Christi, ut hæc Maternitas Virginis, Fides de Christo, &c. nego tamen, hæc & alia huiusmodi extitura, si Christus non extitisset. Fateor etiam, reliqua omnia decreviſſe Deũ, & feciſſe dependenter à Christo; dependentiâ quidem extrinseca, & ex ordinatione Dei, volentis illa decernere, aut ex meritis Christi, aut in honorem Christi, cùm posset illa aliter decernere; non verò dependentiâ intrinseca, & ex naturâ rerum. De his autem concedo, quòd multa extitissent, non peccante Adamo, ut cœlum, mundus, ipse Adamus, &c. prout satis constat ex divinis promissionibus cõtentis in Genesi, & alibi significatis in Scriptura: negatur tamen, quòd, non peccante Adamo, extitissent cum illa dependentia extrinseca ab existentia Christi, quandoquidem iuxta sententiam S. Thom. in eo casu non existeret Christus, ac proinde extitissent, non existente

Digitized by Google

ſtente Chriſto. De his ergo negatur ultima conſequentia: aliud enim eſt, ea non extitura dependenter à Chriſto, niſi extitiſſet Chriſtus; aliud, ea non extitura niſi extitiſſet Chriſtus: primum, verum; ſecundum, falſum.

Suar. 28 Obijcitur quintó difficiliús ex P. Suarez, & alijs. Primum Dei decretum fuit de Chriſto, cùm reliqua omnia decreverit Deus propter Chriſtum: ergo primum Dei decretum de Chriſto nõ fuit ex motivo Redemptionis, ſeu de Chriſto ut abſolutè Redemptore: ac proinde ex vi primi illius decreti veniſſet Chriſtus ſic decretus propter excellentiam myſterij, & alios fines, etiamſi homo non peccaſſet, nec redimendus eſſet. Probatur hæc conſequentia: nam decretum habitum à Deo ex motivo Redemptionis, ſeu de Chriſto, ut abſolutè Redemptore, cùm debeat ſupponere abſolutam prævisionem peccati, ſupponit eſſentialiter in Deo alia decreta priora, nempé decretum de homine peccaturo, decretum permittendi peccatum, & alia hujuſmodi: ſicque jam decretum de Chriſto non eſſet primum: ergo ut decretum de Chriſto ſit primum decretorum Dei, neceſſe eſt dicere, primum decretum de Chriſto non fuiſſe ex motivo Redeptionis, & ex vi illius primi decreti in Deo exiſtentis venturum Chriſtum, etiamſi homo non peccaſſet, nec redimendus eſſet. In hac graviſſimâ objectione vertitur tota feré præſens Diſputatio. Sectio tertia examinabit veritatem primi antecedentis; quarta, & quinta, bonitatem conſequentiæ.

29 Judicium interea meum ſuper ijs eſto, duplicem partem continere ſententiam communem S. Thomæ. Primam, Chriſtum decretum à Deo fuiſſe, etiam quoad ſui ſubſtantiam, ex motivo Redemptionis noſtræ. Secundam, taliter fuiſſe ſic decretum, ut nullatenus extiturus eſſet, ſi Adamo non peccãte, humanum genus non egeret redemptione. Prior pars videtur mihi abſolutiſſimé vera ex Scripturis adductis, & expenſis pro ſententia S. Thom. *ſec. 1. num. 6.* quibus non videtur ſinceré ſatisfieri per reſpõſiones Scoti, & aliorum. Secunda pars nõ exprimitur in Scripturis, traditur tamen clarè ab aliquibus PP. adductis *num. 8. & 9.* Quibus non obſtantibus, mihi manet prorſus incerta, & dubia propter rationes objectas *ſec. 2.* ita ut nõ

S. Tho. audeam ferre judicium cum puré pendeat à Dei libito nondum ſatis nobis manifeſtato. Scitè S. Thom. *in 3. diſt. & quæſt. 1. art. 3.* hanc verſans difficultatem dixerat: *Reſpondeo dicendum, quòd huius quæſtionis veritatem ſolus ille ſcire poteſt, qui natus, & oblatus eſt quia voluit.* Propterea Nazianzenus allegatus *num. 8.* poſt aſſignatam pro motivo Incarnationis reparationem ſalutis noſtræ, ſubjunxit: *Quid enim aliud cauſa afferri poteſt?* non dixit, *eſſe*; ſed *afferri*: ſcilicet, quia potuit alia Deo eſſe, ſufficiẽs etiã cauſa, & ratio, ut citra peccatũ noſtrũ incarnaretur: at neque à nobis cũ ſufficiẽti fundamẽto affirmabilis eſt, neque negabilis: cùm non ſatis nobis conſtet, an Deus alio ex motivo incarnandus eſſet, nec ne, in eventu illo conditionato.

SECTIO III.

An primum Dei decretum fuerit de Chriſto, & reliqua omnia propter ipſum.

30 NEgant S. Thom. Vaſquez, Leſſius, Lugus, Coninc, Bernal, Becanus, Raguſa, Meratius, Gaſpar Hurtadus, & communiter Thomiſtæ, ac Noſtri, paſſim aſſeverantes, primum Dei decretum de Chriſto ſupponere decreta creandi mundum, condendi Angelos, & homines, & permittendi peccatum Adami: quo peccato abſolutè prævisò, decrevit, inquiunt, Deus poſtea Chriſtum. Sic autem nec decretum de Chriſto fuit primum decretorum Dei; nec creatio mundi, Angelorum, & hominum, nec auxilia, & gratiæ collata Angelis, & Adamo ante peccatum, fuerunt decreta ex meritis Chriſti.

S. Tho. Vaſq. Leſſius. Lugus. Coninc. Bernal. Becan. Raguſ. Merat. Hurt.

31 Affirmant Scotus, Suarez, Petrus Hurtadus, Aldrete, Baldius, Martinus Perez, Albertinus, & Bonaſpei, ex una parte: & ex alia parte Molina, Granadus, Prudentius, Godoy, Lumbier, & Amicus. Diverſimodè tamen: nam iſti poſteriores id affirmant de decreto Chriſti, ut abſolutè Redemptoris, non venturi, ſi homo non peccaſſet; illi verò priores, de decreto Chriſti præciſim à Redemptione: ex quo decreto, ajunt, quòd veniſſet Chriſtus, etiamſi homo non peccaſſet. Conveniunt utique in puncto præſentis difficultatis, quòd nempè primum Dei decretum fuerit de Chriſto, ut capite Vniverſi, & reliqua omnia fuiſſe decreta propter Chriſtum: cujus utique merito mundus, Angeli, & homines conditi ſunt, & habuerunt etiam ante peccatum auxilia, & gratias, & ſtatum innocentiæ. Primum, inquam, Dei decretum, ſaltem negativè primum, ut ſcitè animadvertit Suarez *diſp. 5. ſec. 2.* hoc eſt, quod non præſupponat aliud: cum quo benè ſtat, quòd iſtud decretum negativè primum non ſolum Chriſtum decernat, ſed alia etiam dependẽter à Chriſto Capite univerſorum, quę decrevit, fecitque Deus.

Scot. Suar. Hurt. Aldret. Baldius. Perez. Albertin. Bonaſp. Molina. Gran. Prud. Godoy. Lumb. Amic.

Suar.

32 Vera mihi ſemper viſa fuit hæc ſecunda ſententia, dignior Deo, & Chriſto: quæ quidem, quamvis primo intuitu videri poſſit inconciliabilis cum doctrina ſectionum præcedentium; re tamen verâ nititur æqualibus cum illa Scripturarum fundamentis, ex quibus, ut ibi monuimus, diſcernendum nobis eſt, quid, quo pacto, quo ordine decreverit de facto Deus, potens alioquin, ſic, aut ſic res pro beneplacito ſuo decernere, & ordinare. Quocirca, ſi æquè colligatur ex Auctoritatibus doctrina illa de motivo, ac iſta de primatu decreti de Chriſto; alterutram deſerere ferendum non eſt; ſed in utrâque conciliandâ laborandum. Auctoritates autem pro iſta ſententia de primatu decreti de Chriſto, excriptæ, & expenſæ uberiùs apud Suarez *diſp. 3. ſect. 2.* & Aldrete *diſp. 19.* in compendium redactæ ut huiuſmodi.

Suar. *Aldret.*

33 Prima ex *Proverb. 8. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*: iuxta Verſionem Septuaginta: *creavit me initium viarum ſuarum ad opera ſua.* Loquitur, ut interpretantur hîc Sancti Patres, Sapientia incarnata, quæ eſt Chriſtus. Volentibus enim Arianis deducere ex hoc loco, Verbum eſſe creaturam, occurrebant Sancti Patres, exponentes id intelligi de Chriſto, ut homine: ſic enim fuit poſſeſſus, & creatus. Ex quo ſic: Viæ Domini in phraſi ſacrâ ſunt Dei decreta, ut *Roman. 11. Inveſtigabiles viæ eius: Pſal. 24. viæ Domini miſericordia, & veritas*: & *Eccleſiaſtici 16. vias illius quis intelligit?* Chriſtum igitur dici initium viarum Dei, eſt dici exordium decretorum; & poſſeſſum, ſeu habitum eſſe à Deo in decerni ante omnia, quaſi initium, & caput omnium operum Dei, & propter quem reliqua decreta ſunt, ut exponunt SS. Athanaſius, & Hilarius.

Pr ov. 8. *Roma 11.* *Pſal. 24.* *Eccli. 16.* *Athan.* *Hilari.*

34 Nec ſatisfacit Vaſquez, inquiens Chriſtum vocari initium: non in ordine cauſalitatis finalis; ſed dignitatis, ſeu non quó ad primum eſſe rerum, ſed quo ad reſtaurationem rerum. Textus enim claré loquitur de primâ rerum creatione, ibi: *antequam quidquam faceret à principio: ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret: nondùm erant abyſſi &c.* Nec ſolùm loquitur ordine excellentiæ, ſeu dignitatis; verùmetiam ordine naturæ, & quaſi antiquitatis ad modum noſtrum intelligêdi, ibi: *Ex antiquis antequam terra fieret: nondum erant abyſſi.* Undè Hilarius *lib. 12. de Trinit.* ait *idcircò, nunc Sapientia natam ſe ante ſæcula docens, anteriorem ſe, non ſolum ijs, quæ creata ſunt, docet: ſed æternis, coæternâ præparatione ſcilicet.* Quæ ultima Verba ad ordinem decretorum reſpiciunt.

Vaſq. *Hilar.*

35 Nec ſatisfaciet qui perinde dumtaxat intelligat Chriſtum conceptum, & exiſtentem in mente divina quoad decerni, antequam in tempore fierent abyſſi. Claré nâque loquitur Hilarius non ſolùm de exiſtentia rerum in tempore; ſed etiam de decreto, & *præparatione coæternâ* rerum in mente divinâ, ibi: *quando præparabat cælos aderam.* Alioquin verò, quænam inde Chriſti prærogativa eluceret? Quandoquidem quo ad exiſtentiam exercitam, terræ, & abyſſi antiquiores ſunt Chriſto; quoad decerni autem decretum de terra, & de abyſſis prius eſt, quàm exiſtentiâ exercita Chriſti; ſicut decretum de Chriſto prius eſt quàm exiſtentia exercita terræ, & abyſſi. Si igitur, factâ utrinque comparatione quo ad decerni, priùs decreviſſet Deus terram, & abyſſos, quâ Chriſtum, quænam ſupereſſet ſpecialis prærogativa præcedentiæ, quam ſacra illa verba adſcribunt Sapientiæ incarnatæ? *Bernal.*

36 Nec ſatisfacit Bernal, meditatus, mundum bis decretum à Deo: primò, independenter á Chriſto; ſecundò, poſt prævisum peccatum, & Chriſtum, propter Chriſtum, & ſic quoad ſecundó decerni, poſt decretum de Chriſto. Simili namque ſupervacaneâ duplicitate decreti poſſet dici Chriſtus bis decretus, & meruiſſe ſuam Incarnationem quoad ſecundó decerni; quod ægre fert Bernal. Præterea, adhuc hoc ſic admiſſo, non fieret abſolutè verum, exiſtentiam omnium aliarum rerum creatarum fuiſſe propter Chriſtum quoad ipſarum ſubſtantiam; ſed quoad circumſtantiam dumtaxat ſecundi decreti: & abſolutiſsimè prædecretæ eſſent aliæ res ante decretum de Chriſto: ergo non ſalvatur ſic primatus Chriſti in decerni, prout intendit, & eloquitur Textus ſacer. *Coloſſ. 1.*

37 Secunda Auctoritas eſt ex *Coloſſ 1.* ubi prædicatur Chriſtus: *Primogenitus omnis creaturæ: quoniam in ipſo condita ſunt univerſa in cœlis, & in terra: & ipſe eſt ante omnes: & omnia in ipſo conſtant: & ipſe eſt caput Eccleſiæ, ut ipſe ſit in omnibus primatum tenens.* Id quod de Chriſto, ut homine, intelligunt Chriſoſt. Hieron. Anſelm. Gloſſa, & Concilium Sardicenſe: eſt enim ſermo de Chriſto, ut ſpecialiter Eccleſiæ Capite. Dicitur ergo reſpectu membrorum Primogenitus, id eſt, primò ordinatus in decreto Dei: nam in exiſtentia exercitâ non fuit primus: ut igitur verè ſit primogenitus taliter, ut in ipſo, & propter ipſum condita ſint univerſa in cœlis, & in terra, & ipſe ſit ante omnes, & in omnibus Primatum tenens, oportet dicere, fuiſſe primum in decerni, & reliquas res decretas eſſe propter ipſum, & dependenter ab ipſo, & intuitu ipſius. Ter- *Chriſoſt.* *Hieron.* *Anſelm.* *Gloſſa* *Sardic.* *1. Cor. 3.*

Digitized by Google

38 Tertiò, *ex 1. Corinth. 3. Omnia veſtra ſunt, vos Chriſti, Chriſtus autem Dei.* Quæ gradatio indicare videtur, cuncta alia eſſe condita propter Electos, & Electos propter Chriſtum: atque adeò ipſam hominum creationem fuiſſe decretam intuitu Chriſti.

Rupert. Pulcrè Rupertus *lib. 3. in Matth. Et quæ cauſa eſt propter quam Deus omnia creavit, niſi iſte Filius hominis? Qui propter hunc Filium hominis gloriâ, & honore coronandum omnia creavit.* Et poſtmodum: *rectiùs dicitur, non hominem propter Angelum, ſed propter quemdam hominem Angelos quoque factos eſſe, & cætera omnia.*

39 Quarta ex Epheſ. 7. *Benedictus*

Epheſ. *Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* Omnis benedictio ſpiritualis complectitur ſine dubio auxilia etiam Adamo data in ſtatu innocentiæ, ne laberetur: unde & ea quoque auxilia fuiſſe ex meritis Chriſti ſignificavit Apoſtolus. Cui conſonat S. Thom. ad illud

Ioan. 1. Ioann. 1. *de plenitudine eius omnes accepimus: omnes*, inquit; *Apoſtoli, Patriarchæ,*

S. Tho. *Prophetæ & iuſti omnes, & omnes Angeli quia plenitudo gratiæ, quæ data eſt Chriſto eſt cauſa omnium gratiarum, quæ fuerunt in omnibus intellectualibus creaturis.*

Gregor. Similiter Gregor. Magnus in 2. Reg. 2. *Nullus hominum, neque Angelorum Sanctus eſt, niſi per Chriſtum*: & ne id dixiſſe videatur præciſim de Chriſto ut Deo, ſubdit:

Suar. *Quod ſic refertur ad eius divinitatem, ut neque intellectum humanitatis evacuet.* Et, ut alios mittam videndos apud Suar. *diſp. 5. ſec. 2.* Cyrillus Alexandrinus *ade. 54. Iſaiæ*

Cyril. *lib 5.* generaliter ait, omnem juſtificationem tam in Angelis, quàm in hominibus inſitam fuiſſe per Chriſtum. Loqui autem de juſtificatione laxè etiam ſumptâ pro ſanctificatione patet, quia de Angelis in nullo alio ſenſu ſtrictiori loqui poterat. Hæc omnia ſatis perſuadent, Chriſtum primò fuiſſe à Deo decretum, & reliqua omnia propter Chriſtum, etiam illa quæ peccatum Adami præceſſerunt; imò auxilia quoque, & ſanctificationes Angelorum in ſui creatione. Pluta in

Aldret. id Aldrete *tom. 2 diſp. 85.*

40 Accedit ratio congruentiſſima. Etenim modus iſte decernendi intendens primariò Chriſtum, complacente ſibi Deo in excellentia tanti Myſterij, ſicque volente ut reliqua omnia huic fini nobiliſſimo præintento inſerviret; eſt proculdubio Chriſto glorioſiſſimus, Deoque ordinatiſſimè volenti mirificè conſentaneus: quo adſtruitur optimè Primatus Chriſti in reliqua omnia opera Dei ex modo ipſo decernendi divino; & intelligitur ſpecialiùs, quòd Chriſtus ſit origo, fons, & radix omnium gratiarum, & donorum Angelorum, & hominum, tum quæ ſubſequuta ſunt, quam quæ præceſſerunt peccatum. Quod quis neget maximè congruere gloriæ Chriſti, ut dignitſimi Capitis hominum, & Angelorum, ac totius Univerſi? Quod autem attinet ad immunitatem Sanctiſſimæ Virginis à Lapſu, imò, & à debito peccati originalis, difficillimum eſt id ſalvare ex meritis Chriſti, prout oportet, niſi per hunc modum primò decernendi Chriſtum, ut ea etiam quæ præceſſerunt peccatum, ac proinde exemptionem Matris à pacto inito cum Adamo, tribuantur meritis Chriſti, ut expendemus *ſec. ult.* Statuto autem hoc modo divino decernendi primò Chriſtum, ut aſſerimus, omnia complanantur, ut ibi videbimus. Congruentiſſimus ergo, & convenientiſſimus eſt Patri, Filio, Matri, & omnibus, modus iſte decernendi. *Infra. ſec. ult.*

41 Formo tandem ad homines, ut ajunt, rationem aliam pro ſententia noſtra ex doctrinis multorum adverſantium, quibuſcum contendimus. Saltem poſt peccatum Adami prævisum, nulla, inquiunt, gratia data eſt hominibus niſi ex meritis Chriſti: ergo gratiæ datæ parentibus ſterilibus, exempli cauſâ, Zachariæ, & Eliſabethæ, ut precibus, & meritis obtinerent Filium, fuerunt ex meritis Chriſti. Eſt liquidum. Atqui, juxta ipſorum principia, non potuiſſet ſic eſſe, ſi Chriſtus non fuiſſet decretus ante prævisum abſolutè peccatum Adami: ergo ſic prædecretus fuit, ac proinde ante omnia: cùm difficultas præcipuè verſetur quo ad prævisionem peccati Adami. Probatur minor: quia Baptiſta decretus, & prævisus eſt ante prævisum peccatum Adami: alioquin quomodo peccabat in Adamo, abſolutè viſo peccante, ex pacto jam inito de poſterorum lapſu in ipſo, ut in capite? Si ergo Chriſtus non eſſet decretus, & prævisus merens antecedenter ad peccatum Adæ, gratiæ illæ, quibus Parentes Baptiſtæ precibus, & meritis obtinuerunt Baptiſtam, non fuiſſent ex meritis Chriſti jam prævisi.

42 Dices. In ſigno quo videbatur peccans Adamus videbatur quidem ut jam exiſtens Baptiſta, & in Adamo peccans; non tamen ut exiſtens ex ijs Parentibus, qui precibus factis ex meritis Chriſti illum obtinuerunt. Cæterum hoc eſt redire inaniter, & ſine operæpretio ad ſegmenta illa imaginaria ſignorum, & ad decreta præciſiva, & multiplicia, quæ toties repulimus uti falſa, & inſu-

ſtuoſa,

Infra sect.7. ctuoſa,& iterum repellemus *ſect.7.* Quæ quidem iam non ſatis erit his Auctoribus inducere quoad decreta de Chriſto,ut ex ipſius meritis prærogaretur Maternitas Virgini; verumetiam quoad decreta de Joanne, & de alijs filijs orationum, ut aptè poſſent peccare in Adamo, & naſci ex meritis Chriſti. Paradoxum deinde mihi ſemper erit Deum decreviſſe,& prævidiſſe alio,ut aiunt,ſigno Joānem abſolutè primò exiſtentem,& productū, & non à Zacharia,& Eliſabethâ

43 Dices iterum. Priùs fuit prævisus Adamus peccans, & in ipſo ut capite Poſteri naturali propagatione concipiendi : deinde decretus eſt Chriſtus Redemptor:& poſtea ex Chriſti meritis decreti ſunt alij Poſteri miraculosè concipiendi,ut Baptiſta. Egregia quidem concinnatio,iuxta quam,quando fuit Chriſtus primo decretus Redemptor,nō fuiſſet decretus Redemptor Baptiſtæ, ſicut aliorum Præterea: peccatum originarij Adami fuit unicum, & iuxta hanc reſponſionem prævisum conſumari ab Adamo in ſigno quo nondum prævidebatur Baptiſta: Quo ergo pacto Baptiſta prævidebatur peccans in Adamo? aut quo pacto extenderetur poſtea peccatum Adami ad Baptiſtam? Non quidem ab eodem Adamo, cuius actio iam prævita fuerat conſummata antecedenter : non ab ipſo Baptiſta, aut ab alio ſubſequuto: nam ad id opus eſſet,ut pro alio ſigno ſubſequente prævideretur Adamus iterum peccans originariè. Quæratur ergo modus, quo intelligatur iuxta doctrinas reſpondentium, Baptiſtam, alioſque Poſteros miraculosè propagatos peccaſſe in Adamo.

44 Alias rationes, ſumptas ex revelationibus de Chriſto venturo factas Angelis in via,& Protoparentibus in ſtatu Innocentiæ, & ex peccato Angelorum, & ex multis alijs capitibus, ex quibus arguitur decretum de Chriſto antecedenter ad peccatum Adami,& ad ipſius prævisionem abſolutam ; multiplici eruditione proſequitur Aldrete *diſp.19.*

Aldret. 45 Nobis hæc ſatis, ut conformiter ad ſenſum Scripturarum,Sanctorumque Patrum intelligamus, Deum Opt. Maximum prætet finem Redemptionis noſtræ habuiſſe quoque pro fine in opere Incarnationis ſuæ excellentiam Chriſti Domini capitis Univerſi, Angelorum,& hominum quo ad omnes gratias, ac dotes ipſis collatas, utpote cadentes ſub meritis tanti Capitis.Quæ excellentia reſplendet tum in ipſa Unione hypoſtatica, eiuſque termino totali,qui eſt Chriſtus; tum in ipſa dignatione redimendi per paſſionē & Crucem mundum tam miſere lapſum: ut ſic & excellentia Chriſti inſerviret Redemptioni,& gloria Redemptionis magnificaret excellentiam Chriſti : & totum hoc ex vi primi divini decreti de Chriſto.

46 Per hæc ad obiectionem oppoſitam *num. 28.* reſpondetur concedendo abſolutè Patri Suarez totum antecedens. Nego autem conſequentiam. Difficultas acris eſt in conciliandis his doctrinis: ex una parte quod primum Dei decretum fuerit de Chriſto : & ex alia parte, quód primum decretum de Chriſto fuerit de Chriſto ut Redemptore ex motivo Redemptionis ſupponentis eſſentialiter peccatum. Videntur enim hæc intelligi non poſſe quin decretum efficaciter intendens Redemptionem præſuponat decretum permiſſivum peccati, & abſolutam peccati prævisionem: quæ ſi præſupponātur ad decretum de Chriſto Redemptore,iam iſtud decretum non erit primum, ut adſtruximus in hac ſectione. Conciliatio harum doctrinarum erit negotium ſectionis ſequentis. *Supra ſect.2.*

SECTIO IV.

An prædictum primum Dei decretum de Chriſto fuerit de Chriſto ut Redemptore ex motivo Redemptionis efficaciter intenta non præſuppoſitâ permiſſione,& abſolutâ prævisione peccati.

47 NEgant Scotus, Suarez, Vaſquez, Cardin.de Lugo, Bernal, Aldrete, Uterque, Hurtadus, uterque Perez, Martinon, Raguſa, Ribadeneyra, & communiùs alij doctiſſimi, quos in ſimili refero in Diſputationibus de Providentia, ſtrenuè contendentes non poſſe à Deo præfiniri, aut abſoluté efficaciter præcederni actum pœnitentiæ quæ,ſicut Redemptio reparativa,ſupponit eſſentialiter peccatum,non præſuppoſitâ permiſſione, & abſolutâ prævisione peccati. Sic etiam inſinuat P. Thyrius *tom.3.diſp.7.* *Scoti. Suar. Vaſq. Lug. Hurt. Perez Martin. Raguſ. Ribaden. Thyrſ.*

48 Affirmant præſtantiſſimi alij Theologi ſequuti ſapientiſſimum Molinam, Granadus, Amicus, Godoy, Eſparza *qu.15.* Prudentius *tract.2.diſp.1. dub.5. ſect.5.* & Lumbier *quæſt.13.art.4.* Idem docuerunt Compluti P. Joann. Antonius Uſon,& in hoc noſtro Collegio Barcinonenſi P. Maginus Pageſius,quos ſingularis notæ Magiſtri percelebres ſequuti ſunt. Adſtipulantur,quoad eiuſmodi decreti non repugnantiam, in qua res maximè vertitur, quotquot defendunt in Tract. de Prædeſtinatione, divinam præfinitionem Pœnitentiæ noſtræ non præſuppoſitâ permiſsione, & abſolutâ prævisione peccati: ut Montoya, Albiz, Arriaga, Ribas, Quiros,& alij apud ipſum *diſp.22.de Prædeſt.* *Molina. Granad. Amicus. Godoy. Eſparza. Pruden. Lumbier. Uſon. Pages. P. Theod Maurit. Monto. Albiz. Arriag. Ribas. Quiros.*

Sub-

Digitized by Google

49 Subscripsi sæpius, & iterum atque iterum subscribo huic sententiæ affirmanti: ita ingeniosé, ac solidé componenti duas veritates, ex Scripturæ, Sanctorumque Patrum auctoritatibus constabilitas *sect. 1. & 3.* ut à Theologorum nemine deserendam existimé, qui difficultates adversus illam occurrentes superare auderet. Diversi sunt excogitati modi eam probandi, & defendendi, quos omnes non probo. Unum proponam quem solidiorem, & plausibiliorem iudico, eoque utar etiam pro solutione obiectionum ad superandas difficultates, quæ multos deterrent ab hac sententiâ.

50 Moveor, inquam, ex solidissimis doctrinis superiùs adductis, & expensis. Nam ex una parte vidimus ex Scripturis, & Sanctis Patribus *sect. 3* primum Dei decretum fuisse de Christo, & alia omnia propter Christum. Ex alterâ verò parte vidimus cum non minori authoritatum pondere *sect. 1.* primum Dei decretum de Christo fuisse ex motivo Redemptionis nostræ, quidquid sit de veritate illâ aliâ conditionatâ nobis ignotâ, an secluso isto motivo Redemptionis, decernendus etiã foret Christus, necné, ex alijs motivis, sive nunc etiam intentis, sive in alio statu rerum intendendis. Alterutram enim prædictarum veritatum, quæ pariter constant ex Scripturis, deserere nefas est: utramque verò, ut oportet, retinere, est impossibile, nisi amplectamur hanc tertiam, quantumvis difficilem, scilicet primum Dei decretum, quod fuit de Christo, fuisse etiam de Christo, ut Redemptore ex motivo Redemptionis per illud ipsum primum decretum efficaciter à Deo intentæ, ac proinde non præsuppositio decreto permissivo, nec præsuppositâ absolutâ prævisione peccati. Hoc autem sic constituto, utraque illa veritas utilissimé conciliatur; & generaliter salvamus, omnes gratias, ac dotes collatas B. Virgini, Angelis, & hominibus in omni statu fuisse non solùm ex Christi meritis, sed etiam ex Christi redimentis, patientis, & morientis meritis: quod satis indicant Scripturæ, & Patres; & non salvatur ab ijs, qui, quamvis primum Dei decretum ponant de Christo, non tamen de Christo, ut passibiliter Redêptore. Si igitur noster iste modus primò decernendi Christum absolutè Redemptorem, nõ præsuppositâ permissione, & prævisione absolutâ peccati, possibilis, & propugnabilis est; sine dubio asserendus est, & quibuscumque alijs anteferendus. Istam consequentiam iam concederent adversarij; contendunt tamen eiusdem decretum repugnare. Ego tamen nõ repugnare sic probo.

51 Si eiusmodi decretum Christi Redemptoris, & Redemptionis repugnaret, maximé, aut quia læderet libertatem Christi in redimendo, & hominum in peccando; aut quia esset per se inducens, & volens peccatum prærequisitum essentialiter ad Redemptionem reparativam: sed neutro ex ijs capitibus repugnat ergo nullatenus repugnat. Minor quoad primum caput involvit difficultatem de præfinitionibus divinis actuum liberorum voluntatis creatæ, examinandam in Disputationibus de Providentia: ubi ex professo tuemur cum Scoto, Suarez, & alijs plurib. qui nobis hic adversantur, Præfinitiones divinas sine iacturâ libertatis creatæ, Non est autem quoad hoc caput libertatis specialior difficultas in hoc Dei decreto defendendo: quia non secus, ac aliæ Præfinitiones, est evitabile à voluntate creata, & supponit necessariò scientiam mediam de consensu creato libero, ut ibi dicimus de Præfinitionibus: in quo nobiscum conveniunt, qui huic decreto Christi Redemptoris contradicunt. Convenimus ergo in eo quòd non repugnet ejusmodi decretum ex capite læsæ libertatis creatæ Christi, aut nostræ: nec est cur in hac parte hæreamus, cùm difficultas sit communis etiam adversarijs, & alibi ex professo discutienda. *Scot. Suar.*

52 Quoad secundum verò caput, quod specialius est hujus loci, probatur minor ratione, quæ, meo videri infringit omnes vites contrarias. Præsuppositio, permisso, & prævisio absolutè peccato, potest Deus efficaciter velle, & decernere Redemptorem, & Redemptionem, & de ipsius existentia gaudere, quin proinde velit peccatum, aut gaudeat de existentia peccati: ergo etiamsi non præsupponatur permissum, & absolutè prævisum peccatum, potuit præfinire, intendere, prædecernere, & efficaciter velle Redemptorem, & Redemptionem, quin proinde vellet, aut induceret peccatum. Negant hanc consequentiam: quia, inquiunt, si nondum supponitur permissum, & absolutè prævisum peccatum, necesse esset quód peccatum, quo non posito, stare non posset Redemptio, induceretur a primo illo decreto efficaci Christi ut Redemptoris, & Redemptionis.

53 Contra tamen primò. Quia hæc responsio prodesse ad summum posset ad hoc, ut divinum illud gaudium de Redemptore, & Redemptione non inducat peccatum, quandoquidem peccatum jam præsupponitur permissum à Deo, & inductum à creatura; non autem ad hoc, ut gaudium illud Dei de existentia Redemptionis, non deberet esse gaudium de existentia, aut præsuppositione peccati, Quod sic adstruo. Tam requiri-

tur

tur exiſtentia, ſeu præſuppoſitio peccati, ut exiſtat Redemptio reparativa, de cujus exiſtentia gaudet Deus efficaciſſimè, quàm requiratur ponendum eſſe peccatum, ut ponatur Redemptio, quam Deus efficaciter præintendit: ſed, non obſtante ea connexione, ſeu neceſſitate, gaudet Deus abſolutè efficaciter de Redemptione exiſtente, quin proinde, aut inductivé, aut non inductivé, gaudeat de exiſtentia, nec de præſuppoſitione peccati: ergo poterit ſimiliter intendere, prædecernere, efficaciter velle, & deſiderare Redemptionem, non præſuppoſitâ permiſſione, & prævisione abſolutâ peccati, quin perinde inductivè, aut non inductivé debeat velle, & deſiderare peccatum poni. Si dicant, Deum gaudere de Redemptione, quin perinde gaudeat de exiſtentia peccati poſitâ, aut præſuppoſitâ; quia hæc eſt extra ſphæram voluntatis divinæ proſequutivæ, ac proinde non volibilis à Deo; audient etiam eadem ratione, Deum prædecernere, & deſiderare Redemptionem, quin perinde velit, aut deſideret peccatum poni; quia peccatum eſt extra ſphæram voluntatis divinæ proſequutivæ, ac proinde nõ volibile, aut deſiderabile à Deo: nec enim Redemptio reddit bonam, & amabilem exiſtentiam, & poſitionem peccati; nec peccatum ponendum, aut poſitum, reddit malam Redemptionem.

54 Contra ſecundó. Poſt permiſſionem, & abſolutam prævisionem peccati eſt, ut volunt Adverſarij, volitio Dei efficax inductiva Redemptoris, & Redemptionis. Vel ergo hæc volitio eſt per ſe inductiva peccati, vel non. Si eſt, ergo ſimiliter repugnabit contra adverſarios ipſos decretum Dei de Redemptione poſt prævisum peccatum. Si non eſt: ergo, neque erit per ſe inductivum peccati decretum de Redemptione habitum à Deo non præſuppoſitâ prævisione abſolutâ peccati. Probo hanc conſequentiam: quia prævisio peccati non minuit connexionem Redemptionis cum peccato, nec neceſſitatem peccati ad Redemptionem. Præterea, quòd aliquod peccatum prævideatur ponendum, nihil refert ad hoc, ut debeat amari, vel non amari; induci, vel non induci etiam ab alia voluntate denuò volente illud ex quo ſequitur: nam peccatum ab alio ponendum poſſet quis novâ ſuâ voluntate velle, & ſimul inducere ſuumque facere imputativé, non ſecus ac ſi ab alio non eſſet alioquin ponendum: ergo ex ejuſmodi prævisione abſolutâ peccati ab alio ponendi, deſumi nequit præcisé ratio ſolida diſparitatis, cur Deus, efficaciter volens redemptionem poſt abſolutè prævisum peccatum, non debeat amare peccatum, pariter ac volens illam non abſolutè prævisо peccato. Inſuper, &

55 Contra tertiò. Non aliâ ratione ea prævisio abſoluta peccati præſuppoſita poteſt excuſare Deum efficaciter volentem Redemptionem à volitione, & inductione peccati, niſi quatenus per eam prævisionem ſcit Deus, jam non eſſe neceſſe, quód ipſe ponat, inducat, aut velit peccatum, cum ſciat certò ab homine ponendum, ipſo etiam non volente, & ſolum permittente: ſed etiam ante illam prævisionem abſolutam peccati futuri ſcit Deus per ſcientiam mediam, peccatum ponendum eſſe infallibiliter ab homine, ſi conſtituatur in hac libertate, quin ipſe Deus peccatum velit, aut pluſquam permiſſivé ad illud concurrat: ergo hæc etiam ſcientia conditionata, & facultas abſoluta conſtituendi hominem in tali libertate, excuſabit ſimiliter Deum à volitione, & ab inductione peccati, quantumvis, non præſuppoſitâ abſolutâ prævisione peccati, velit, intendat, & decernat efficaciter Redemptionem.

56 Ratio autem fundamentalis, & mihi ſolidiſſima eſt. Quia volitio, & intentio efficax Redemptionis extenus dumtaxat infert volitionem, & inductionem requiſiti eſſentialis ad illam ponendam, quatenus ea volitio requiſiti requiritur ad poſitionem talis requiſiti. Igitur, ſi ad poſitionem requiſiti, ſcilicet peccati non requiritur quód Deus illud velit, aut inducat, volitio ſeu intentio Redemptionis quantumvis efficax, non infert divinam volitionem talis requiſiti, ſcilicet peccati, ſive præcedat, ſive non præcedat poſitio, futuritio, aut abſoluta prævisio peccati. Atqui peccatum tale eſt, ſeorſim etiã ab hac quæſtione, ut ad ejus poſitionẽ non requirat, quód Deus illud velit, aut inducat, ſed ſufficit, quod permittat: ergo volitio, Redẽptionis nó eſt cur interat divinã volitionẽ, aut inductionem peccati, ſive præcedat, ſive non præcedat abſoluta peccati prævisio: quæ utique præcedentia, ſive non præcedentia nihil omnino refert ad præſens diſcrimen.

57 Urgeo aliter. Intentio efficax finis non magis obligat ad volitionem medij, quã ad poſitionem medij; ſed quando poſitio medij non eſt ſimpliciter requiſita ad finem, intentio finis non obligat ad poſitionem medij, ut eſt per ſe clarum: ergo quando volitio medij non eſt requiſita ad finem, intentio finis non obligat ad volitionem medij. Atqui, quando medium, aut quaſi medium, eſt tale, quod poni poteſt, Deo non illud volente, non eſt requiſita divina volitio medij ad poſitionem medij, ac proinde nec ad aſſequutionem finis, ſolùm videlicet requirentis

voli-

volitionem medij quatenus requisitam ad positionem medij: ergo quando medium est tale, quale nimirum est peccatum, quod poni potest, Deo illud non volente, intentio divina efficax finis nempé Redemptionis non obligat Deum ad volitionem talis medij, nec ullâ ratione infert talem volitionem; sed solum divinam permissionem, utpote requisitam ad positionem peccati. Itaque sive præcedat, sive non præcedat prævisio absoluta peccati, non est unde ex volitione divina efficaci Redemptionis arguatur divina volitio, seu inductio peccati.

58 Sic, & vix aliter intelligi quidem potest, quomodo quis sæpè desideret res multas connexas cum peccato, quin velit peccatum, ac proinde quin peccet: ut illi, qui laudabiliter desiderant Martyrium, & pro nomine Iesv contumeliam pati. Sic Christus iussit Petro, & Petrus voluit reverti Romam ibi crucifigendus, desiderans nempé crucifixionem, & non impediens, ut poterat non redeundo, multa Tyrannorum peccata patranda in ejus crucifixione. Sic, addit Quiros, qui sciret ex revelatione evitationem peccati sui pendere occasionaliter ab usurâ exercendâ per alium peccaturum, posset desiderare peccati sui evitationem: sicut etiam in extremâ necessitate petere mutuum à fœneratore peccaturo, habens se permissivé dumtaxat ad usuram, quin propterea dicatur velle peccatum, quod nullo modo licet. Sic quoque defendimus expeditè, cum Suarez, & saniori parte Theologorum permissionem peccati esse effectum Prædestinationis; scilicet habitam à Deo ex præintentione gloriæ remunerantis pœnitentiam aliosvé actus meritorios non exercibiles nisi circa peccatum præsuppositum. Quò pertinent illustria testimonia SS. Patrum apud Montoyam, & Quiros *in Tract. de Prædestinatione*, idemtidem conclamantium, Deum permittere peccata ob fines honestissimos, humilitatis, pœnitentiæ, redemptionis, &c. quæ loquutiones indicant ex hujusmodi finibus præintentis permitti à Deo peccata: ac proinde haberi à Deo ejusmodi præintentiones finium requirentium ad sui existentiam positionem peccati, non præsuppositâ permissione, & absolutâ prævisione peccati, quin perinde velit, aut inducat peccatum.

Mont. Quir.

59 Hoc igitur est quód dicimus de decreto Christi Redemptoris, & Redemptionis reparativæ à peccato: scilicet fuisse, & esse in Deo, non propterea volente, nec inducente peccatum, ac proinde citra inconvenies, non præsuppositâ permissione, nec absoluta prævisione peccati: ex prænotitia tamen certissima scientiæ Mediæ, qua infallibilissimé novit Deus, peccata ab hominibus ponenda, si constituerentur in hac, & illa libertate, ipso permittente. Qua notitia prælucente, securissimè Deus præintendit Redemptorem, & Redemptionem sicut, & alia multa bona requirentia essentialiter peccatum, quin propterea debeat velle, aut inducere peccatum, sed solum illud permittere, constituendo voluntatem creatam in illa libertate, in qua si constitueretur, prænovit Deus, peccatum fore ab illa volendum, & inducendum, Deo nec volente peccatum, nec inducente, sed solummodò permittente: et qui modus decernendi, ordinandi, & operandi decentissimus, & dignissimus est, ex mente SS. Patrum ad Scholas utilissimè derivatus, & contra difficultates occurrentes retinendus: non enim refugit veritas difficultates, sed inter illarum aculeos delitescit, studio, & labore non ignaviter vestiganda.

SECTIO V.

Objectiones.

60 ALiæ sunt, quæ generaliter oppugnant possibilitatem divinarum Præfinitionum quorumcumque actuum liberorum ex capite læsæ libertatis creatæ; atqueadeò & decretum supra explicatum præfinitivum, & præintentivum Redemptionis involuentis exercitium liberum, & meritorium voluntatis creatæ Christi. Aliæ specialiùs agunt ex alijs capitibus contra hoc decretum præfinitivum, & præintentivum Redemptionis à peccato non præsuppositâ absolutâ prævisione peccati. Illas remitto ad Disputationes de Providentia, ubi eas nobiscum solvunt Suarez, alijque communiùs Theologi Societatis, qui nobis quo ad hoc decretum adversantur. Istas, quæ specialiter sunt hujus loci, nunc dissolvendas suscipimus.

61 Objicitur primò. Quælibet voluntas Dei in ordine ad peccatum vocatur à Theologis voluntas consequens: non autem esset voluntas Dei consequens, quamvis essentialiter respectiva peccati, prædictum Dei decretum de Redemptione, si haberetur à Deo, non præsuppositâ permissione, & absolutâ prævisione peccati: ergo implicat in terminis Theologicis, sic à Deo haberi. Confirmatur: *Deus mortem non fecit*, ut dicitur *Sap. 1.* imò, ut dicitur *Rom. 1. per peccatum mors*: fecisset autem Deus mortem ex primariâ intentione, si non præsuppositâ prævisione peccati, primo suo decreto decrevisset

Sap. 1. Rom. 1.

peccatorum Redemptionem, quæ fuit per mortem Christi.

62 Respondetur, Theologos ex phrasi, & mente SS. Patrum, ut observat Quiros *n. 33.* vocare consequentem quamlibet Dei voluntatem habitam ex occasione rei, quam Deus seriò vult non esse; sive supponat, sive non supponat alias Dei voluntates, ut explicat rectè Montoya phrasium, ac sensuum SS. Patrum observantissimus, *disp. 19 de Volunt. Dei.* Nego autem minorem, quòd nempè in hoc sensu prædictum Dei decretum de Redemptione, quamvis nullum aliud decretum supponat, non possit ac debeat vocari voluntas consequens: non quidem consequens ad aliud decretum Dei; sed consequens ad prænotitiam conditionatam de peccato, & non habitam nisi ex occasione peccati, quod Deus seriò vult non esse; nec aliter à Deo habenda, nisi consequenter ad talem prænotitiam. In quo nulla est implicantia terminorum.

Quiros.

Montoy.

63 Ad confirmationem dico, quòd mors considerari potest præcisè, ut est medium ad finem aliquem gloriosum, qualis potuit esse mors Christi, & Mariæ: sic autem posset Deus illam velle voluntate, ut ajunt antecedente: & hoc modo Deum fecisse mortem, non esset contra Scripturam; nec esset mors propter peccatum. Vel potest considerari, prout de facto est, sive in pœnam, sive in remedium peccati: sic autem, non illam voluit Deus de facto voluntate, ut ajunt, antecedente, sed consequente, juxta explicationem nuper adhibitam: scilicet, non nisi ex occasione peccati, quod Deus seriò vult non esse: ac proinde non ex primaria intentione, quæ nimirum sonat voluntatem antecedentem mortis, ut pœnæ, seu ut remedij culpæ. Sic intelliges Damascenum *lib 2. de Fide. c. 3,* dicentem, quòd *voluntas puniendi non est de primaria intentione Dei*: cum non sit ex Deo, sed ex nobis: id est, occasione peccati nostri à Deo non voliti.

Damasc.

64 Objicitur secundò ex P. Ribadeneyra *disp. 8. de Prædest. cap. 3.* Venire à voluntate Dei primam determinationem, & connexionem cum peccato absolutè futuro, repugnat omninò, tum rationi, tum Scripturæ Sacræ dicenti: *perditio, tua, Israel*: ubi vox *tua*, sonat emphaticè, *ex te*, ut alij clariùs vertunt: *perditio tua ex te*: idest, non prius ex Deo, quàm ex voluntate peccatoris: sed id sequitur ex decreto Redemptoris, & Redemptionis prout à nobis constituto: ergo implicanter. Probatur sequela: antecedenter ad hujusmodi decretum Redemptoris, & Redemptionis nihil erat connexum cum peccato inferens ejus futuritionem, & incompossibile cum ejus evitatione: quæ omnia fert ipse cum primum illud decretum: antecedenter enim cuncta erant indifferentia ad esse, vel non esse peccati; illud verò decretum jam non est indifferens, cùm sit determinatissimum ad existentiam peccati; ergo ex Deo, scilicet, ex hac Dei voluntate sic decernente Redemptionem, esset prima determinatio ad peccatum, & connexio cum peccato.

Ribad.

Oseæ. 13.

65 In Adversariorum, ni fallor sententia, patitur objectio manifestâ instantiâ Quia, negato etiam prædicto nostro decreto, præsciens Deus, quòd si homo constituatur in tali libertate peccabit, adhuc est indifferens, ut absolutè sit, vel non sit peccatum, sicut ad hoc ut constituatur, vel non constituatur homo in tali libertate: postea decernit hominem constituere in tali libertate: & ecce jam conjunctum ex isto decreto & ex illa scientia, quod certè conjunctum est à Deo, est æquè connexum cum absolutâ futuritione peccati, ac decretum nostrum: æquè igitur, erit, aut non erit ex Deo prima determinatio peccati, sive negato, sive admisso nostro illo decreto Redemptionis.

66 Respondemus nos pro omnibus & pro veritate, distinguendo majorem: venire à voluntate Dei volente primam determinationem physicam, & connexionem inductivam peccati repugnat, cõcedo; logicam, & minimè inductivam, imò evitabilem pro libito peccatoris; nego majorem: hoc, inquã, minimè repugnat. Hæc enim logica determinatio potest esse divina perfectio, non quidem determinans nos ad peccandum, sed in se determinata ad non aliter essendum, nisi extituto peccato à suo determinante, nempè à voluntate nostrâ, pro cujus libito est liberè evitabilis illa divina determinatio logica. *Logica*, inquam, & non *Physica*: quia non est illativa causativè physicè peccati, sed illativa per illationem logicam, quatenus nempè est illatio bona: *datur in Deo talis perfectio: ergo dabitur peccatum*: illatum scilicet physicè, sive inductum à peccatore: quo inferendi modo etiam existentia creaturarum infert, seu arguit existentiam, & varias perfectiones Dei. Id quod in conjuncto illo divino Scientiæ Dei, & decreti volentis hanc libertatem creaturæ, recusari nequit ab ipsis Adversarijs, ut vidimus *num. præcedenti*: Et nihil aliud persuadet probatio sequelæ. Unde ad minorem, dico, id quod diximus de determinatione logicâ, sequi ex nostro decreto Redemptionis; sicut etiam, negato tali decreto, necesse est sequi similiter in sententia con-

contrariâ ; non verò ſequi de alia determinatione inevitabili phyſicè inductiva peccati ex Deo, quam utique negat ſenſus ille: *perditio tua ex te*: hoc eſt, peccatum ex peccatore, & non ex Deo illud volente, nec inducẽte, nec ad illud determinãte. Hinc negatur conſequentia : quia in hoc ſenſu ſic explicato, & ab omnibus explicando, non eſt implicationis umbra.

67 Objicitur 3. ex doct. P. Tyrſ. *diſp 7. n. 4.* Si decretũ de Redẽptore non præſupponeret permiſſionem peccati illud ipſum decretum deberet eſſe permiſſio : ſed hoc implicat: ergo illam præſupponit. Minorem, in qua res vertitur, probat ſic Permiſſio peccati eſt voluntas efficax divina conferendi auxilium ſufficiens, & negandi auxilium efficax ad obſervandum præceptum, & ad evitandum peccatum : ſed implicat, decretum efficax Chriſti, ut Redemptoris, idemtificari indiviſibiliter etiam virtualiter cum decreto conferendi auxilium ſufficiens, & negandi efficax ad obſervandum præceptum, & evitandum peccatum : ergo & cum permiſſione peccati. Probatur hæc minor: nam decretum efficax Chriſti ut Redemptoris connectitur eſſentialiter cum poſitione peccati : unde, ſi decretum permiſsivum conferendi Adamo auxilium ſufficiens, & negandi efficax ad evitandum peccatum idemtificaretur omninó cum decreto efficaci Chriſti, ut Redemptoris, tale decretum permiſsivum connecteretur eſſentialiter cum peccato Adami: ſed hoc implicat : ergo & quod decretum permiſsivum conferendi auxilium ſufficiens, & negandi efficax, idemtificetur omninó cũ decreto Chriſti, ut Redemptoris. Probatur etiam hæc minor : quia Deus quantum eſt ex ſe vult, ut obſervatio præcepti, & evitatio peccati oriatur à decreto conferente auxilium ſufficiens ad obſervandum præceptum: vult enim ut oriatur ab auxilio ſufficienti: idem eſt autem oriri ab auxilio ſufficienti, ac oriri à decreto conferendi auxilium ſufficiens. Atqui implicat, Deum velle, ut obſervatio præcepti & evitatio peccati oriatur à decreto eſſentialiter connexo cum poſitione peccati, & tranſgreſsione præcepti : hoc enim eſſet velle, ut obſervatio præcepti oriatur à decreto eſſentialiter incompoſibili cum ipſa: quod eſſet velle chymeram : implicat igitur in ipſis terminis, decretum permiſsivum collativum auxilij ſufficientis connecti cum poſitione peccati : ac proinde omninó idemtificari cum decreto Chriſti, ut Redemptoris connexo cum poſitione peccati.

Tyrſ.

68 Propter hanc vim aliqui, quos memorat Thyrſus *num. 5.* non audent dicere permiſsionem peccati indemtificari omninò cum decreto efficaci Chriſti, ut Redemptoris ; ſed eſſe aliud decretum ſubſequens virtualiter diſtinctum. Hos tamen optimé coarguit idem Thyrſus *num. 6.*

69 Aliter ergo reſpõdẽdũ eſt, conceſſis maioribus negando primã, ſecundã, & tertiã minorẽ. Ad hujus probationem, nego majorem intellectum de hoc præſenti decreto: quòd nempè velit Deus, ut obſervatio præcepti, & evitatio peccati oriatur ab hoc decreto, quo nunc illam vult. Vult quidem ut oriatur ab hoc auxilio, quod confert, non manente in eſſe purè ſufficientis, quia id par etiam eſſet implicantia, cùm eo ipſo quód ab ipſo oriretur obſervatio, jam auxilium non eſſet purè ſufficiens, ſed efficax ; non tamen vult, ut oriatur ab hoc decreto, ſed ab alio quod Deus haberet caſu quo obſervatio oriretur ab auxilio, quod nunc eſt purè ſufficiens, & tunc eſſet efficax. Inſtantia eſt manifeſtiſsima, & in via noſtræ Scholæ innegabilis. Ad collationem auxilij purè ſufficientis, & præcedit decretum conferendi auxilium, & præcedit ſcientia media, qua prænovit Deus, quód ſi conferatur, non obtinebitur obſervatio præcepti : vult Deus quantum eſt ex ſe, ut obſervatio præcepti oriatur ab hoc auxilio ; an etiam ut ab hac Scientia media, aut quòd idem eſt, ab hac providentia? Neutiquam : quia tam incompoſibilis eſt obſervatio præcepti cum præſenti ſcientia media, ſeu providentia, quàm cum præſenti decreto : recurrendum igitur ab omnibus eſt ad doctrinam noſtræ reſponſionis. Itaque falſum eſt in eadem majori, quód idem ſit obſervationem præcepti oriri ab hoc auxilio ſufficienti, ac oriri ab hoc decreto conferente hoc auxilium, ſicut & ab hac ſciẽtia media præilluminante ad hoc decretum: nam caſu, quo oriretur ab hoc auxilio, non oriretur ab hoc decreto, ſicut nec ab hac ſcientia media, & providentia : tunc enim hoc auxilium non conferretur per hoc decretum, ſed per aliud; ſicut nec per hanc ſcientiam mediam, aut providentiam, ſed per aliam. Hinc conceſsâ ultimâ minori, nego totam ultimam conſequentiam.

70 Objicitur quartó. Sequeretur, quod abſit, ejuſmodi divinum decretum Redemptoris, & Redemptionis fore virtualem volitionem, & inductionem peccati. Probatur. Qui vult efficaciter rem poni ; vult ſaltem virtualiter, poni id, quocum res ita connectitur, ut ſine illo poſito poni non poſsit: Sed illud decretum eſſet per nos intrinſecè efficax, intentivum, & exequutivum objecti voliti, & vult poni à parte rei Redemptionem,

quæ sic connectitur intrinsecè cum peccato, ut nisi peccato posito, poni non possit: ergo esset virtualis volitio peccati: ac proinde Deo repugnans. Probatur consequentia: quia non alia ratione repugnat Deo velle materiale peccati, velle prædeterminationem physicam ad peccatum, actionem peccaminosam, quin etiam, & habitum vitiosum.

71 Corroboratur hæc ratio nervosiùs ex Antonio Perez *disp. 1. de Prædest. Augustiniana cap. 5. num. 72.* Qui vult, ut existat res, vult, ne detinat existere: ergo efficax volitio rei est saltem virtualis nolitio impeditionis talis rei. Unde est, quòd efficax volitio vitæ est nolitio mortis, & vulneris lethalis. Igitur volitio divina efficax Redemptionis reparativæ est nolitio saltem virtualis impeditionis Redemptionis. Atqui evitatio peccati esset impeditio Redemptionis: ergo volitio efficax Redemptionis est virtualis nolitio evitationis peccati: sed nolitio evitationis peccati est virtualis volitio peccati: ergo Deum præintendere, & velle efficaciter dicto decreto Redemptionem, esset velle virtualiter peccatum. Probatur ultima minor subjunctæ: quia tam opponitur Redemptio cum impeditione Redemptionis, quàm evitatio peccati cum peccato: ergo sicut velle Redemptionem est nolle impeditionem Redemptionis, pariter nolle evitationem peccati est velle peccatum: perinde namque est ex ipsis terminis nolle evitationem alicujus rei, ac velle talis rei existentiam.

72 Omnia ista difficilia sunt; sed habent etiam instantiam manifestam contra ipsos arguentes in gaudio divino de Redemptione, quin gaudeat de peccatis & in decreto efficaci Redemptionis habito etiam post prævisum peccatum, quin eo ipso sit virtuale decretum, seu virtualis volitio peccati: nam prævisio præsupposita, vel non præsupposita peccati, nec auget, nec minuit connexionem Redemptionis reparativæ cum peccato, aut necessitatem peccati ad Redemptionem, ut expendebamus *sec. præcedenti*; nec tollit quo minùs evitatio peccati opponatur positioni peccati, æquè ac impeditio Redemptionis Redemptioni. Frustra ergo propter istas difficultates recusabitur doctrina nostri decreti.

73 Respondetur, negando sequelam. Ad probationem distingo majorem: vult poni id, quo cum res connectitur, si id non est ponibile, nisi volens rem, id quoque velit, concedo: si id est quid ponibile, etiamsi volens rem, id non velit, nego majorem. Et concessâ minori, nego consequentiam: quia quamvis verissimum sit, quòd Redemptio nequeat esse nisi posito peccato; at peccatum tale quid est, ut ponibile sit, & re ipsa ponatur, quin Deus velit illud poni, dummodò permittat: quæ permissio, ut explicui *disput. 9. de Attribut. sect. 10 & 13.* nullam importat divinam volitionem peccati, nec efficacem, nec absolutam, nec conditionatam; cùm quælibet volitio mali moralis mala sit, ideòque Deo repugnans juxta illud Psal. *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Unde est, quòd semper ponuntur peccata, quin Deus velit illa poni: sicque nihil mirum, quòd in nostro etiam casu dicatur peccatum requisitum ad Redemptionem esse quid ponibile, Deo non volente ut ponatur, sed solum permittente, hoc est, nolente impedire, cùm facilè posset. Itaque, cùm Deus antecedenter ad omne decretum prænoverit per scientiam suam Mediam, hominem positurum peccatum, si illum constituat, & relinquat in tali libertate, potuit absolutissimè decernere Redemptionem, quin ex vi talis decreti debeat velle peccatum; sed velle constituere hominem in tali libertate, & permittere peccatum: non enim Redemptio requirit ad sui existentiam, quòd Deus velit peccatum, sed quòd ponatur peccatum; quæ diversissima sunt: aliud enim est indigere peccato posito, quod verum est; aliud est indigere peccato à Deo volito, quod absit.

Perez. *Tom. 1. disp. 9.* *Psal. 5.*

74 Ad probationem consequentiæ observa, connexionem cum aliquo termino aliam esse physicè inductivam, seu causativam terminis; aliam præsuppositivam, seu merè requisitivam. Priori modo connectitur actio cum termino, prædeterminatio cum actu, materiale peccati cum formali, dato quòd distinguantur. Posteriori modo connectitur scientia Dei cum suo objecto, existentia peccati, & cujuslibet creaturæ cum existentiâ Dei: Pœnitentia, & Redemptio reparativa cum peccato: quod utique non inducunt, imò auferunt, ideòque essentialiter præsupponunt, & prærequirunt. Hinc dico, & est sedulò notandum, rationem, cur Deo repugnat velle materiale peccati, prædeterminationem ad peccatum, actionem, aut habitum vitiosum ad peccatum; non esse præcisè, quia hæc connectuntur cum peccato, ut audivi multos incogitanter concedentes, & inde adactos ad miseras consequentias: certè enim multa prædicata scientiæ, & voluntatis Dei honestissimè amabilis, & multi actus nostri supernaturalissimi connectuntur cum peccatis, & amabiles sunt non perinde amato peccato. Sed est ratio quia, vel res ipsæ in se malæ sunt, & turpes, ut existere; vel

quia

quia inductivè, & cauſativè connectuntur cũ peccato. Hæc autem modo, nec Redemptio, nec Pœnitentia, nec Scientia Dei, nec Fides, aut contritio noſtra connectuntur cum peccato; ſed requiſitivè dumtaxat, ſeu præſuppoſitivè: non enim Redemptio, aut Pœnitentia cauſant, imò tollunt peccatum; nec redduntur malæ, ſicut neque ſcientia Dei redditur mala à malitia peccati, quam eſſentialiter requirunt, aut præſupponunt. Materiale verò peccati, ſive diſtinguatur, ſive non diſtinguatur á malitia formali, redditur malum ab ipſa, & eſt à lege directè prohibitum, & idem eſt de determinatione phyſica, & de inductione cauſativâ peccati.

75 Ad corroborationem Antonij Petez ingenioſiſſimam, conceſſo antecedente, diſtingo conſequens: efficax volitio rei eſt virtualis nolitio impeditionis requirentis talem nolitionem ad non eſſendum, concedo; non requirentis, nego conſequentiam. Et ſimiliter diſtinguo ſubſillationem: igitur volitio divina Redemptionis eſt virtualis nolitio impeditionis, requirentis talem Dei nolitionem ad non eſſendum, concedo; non requirentis, nego. Diſtingo deinde minorem ſubjunctam: evitatio peccati eſſet impeditio Redemptionis non requirens divinam ſui nolitionem ad non eſſendum, concedo; requirens, nego: nam ſicut peccatum requiſitum ad Redemptionem uti diximus, tale eſt, ut ad ſui poſitionem non requirat, quód Deus illud velit; ita evitatio peccati impeditiva Redemptionis talis eſt, ut ad ſui non poſitionem, ſive ad non eſſendum, non requirat, quod Deus illam nolit: quinimo, Deo illam ſeriò volente, hortante, & præcipiente, non ponitur. Unde falſa eſt conſequentia, quód volitio quantumvis efficax Redemptionis ſit, aut debeat eſſe virtualis nolitio evitationis peccati: non enim opus eſt, Deum nolle evitationem peccati, ut evitatio non ſit, atque adeò non impediat Redemptionem; cùm præciat Deus per ſcientiam ſuam mediam, evitationem peccati non futuram, imo potiús futurum peccatum, ſi relinquat hominem in tali libertate, etiamſi Deus, nec nolit evitationem, nec velit peccatum, dummodo permittat peccatum poni, & minimé evitari.

76 Deinde datâ ultimâ minori, nego conſequentiam. Dixi *datâ*: quia mihi falſa eſt, quando nolitio evitationis non eſt nolitio omnis evitationis, ſeu omnis impedimenti, ſed alicuius dumtaxat pendentis à ſolo Deo, qualis eſt non permiſſio peccati: nam unius rei poſſunt eſſe multæ evitationes, ſeu multa impedimenta, & nolitio unius imò, & multorum non infert volitionem rei, cùm poſſit eſſe nolitio unius impedimenti ſimul cum volitione alterius, quo etiam res impediretur, ſeu evitaretur. In probatione ultimæ minoris, verum eſt antecedens: falsò tamen ſupponitur in conſequentia, velle redemptionem eſſe nolle impedimentum Redemptionis, quando impedimentum tale eſt, ut diximus, quod ad ſui non poſitionem, non requiritur, quód volens Redemptionem illud nolit; qualis eſt evitatio peccati, de qua præſcit Deus, non ponendam, etiam ſi ipſe non eam nolit, imò ponendum peccatum etiam ſi ipſe illud non velit.

77 Objicitur quintó. Sequeretur ſaltem, ſic conſtituto eo decreto Redemptionis, Deum non poſſe ſeriò velle, & præcipere, ut evitetur peccatum. Probatur: Evitatio peccati eſſet impedimentum Redemptionis, quæ eſt finis efficaciter præintentus, & prædecretus à Deo: ſed nequit Deus ſeriò quàntum eſt ex ſe velle impediri finem à ſe efficaciter præintentum: eſſet enim velle quantum eſt ex ſe fruſtrationem ſui decreti: ergo non poſſet ſeriò velle, ut evitetur peccatum; nec certé id præciperet: quis enim intelligat, Deum præcipere, ut evitetur peccatum, & ſimul præintendere efficaciter Redemptionem certò impediendam evitato peccato? Eſſet quidem velle quantum eſt ex ſe finem, & velle quantum eſt ex ſe impeditionem finis: qui ſunt termini repugnantes. Confirmatur. Quia potiùs Deus ſic prædeterminans Redemptionem adigeretur dare Adamo peccaturo auxilia inefficacia, quia inefficacia, ad evitandum peccatum, non darentur ſi forent efficacia: cùm autem auxilia reddantur inefficacia ad evitationem per poſitionem peccati, velle dare auxilia, quia inefficacia, eſſet velle peccatum, cujus poſitione redduntur inefficacia ad peccati evitationé. Probatur autem ſequela. Deus namque ſic præintendens Redemptionem, habenſque coram ſe, & in manu ſua auxilia efficacia ad evitationem peccati, quibus nempé, ſi dentur, evitabitur peccatum; & auxilia inefficacia, quibus ſi dentur, non evitabitur peccatum; deberet dare iſta inefficacia, & non illa efficacia: ſed non ex alia ratione, niſi quia iſta ſunt inefficacia, & ſic requiſita ad aſſequutionem Redemptionis: ergo adigeretur dare inefficacia, quia inefficacia, ſic exigente decreto præintendente efficaciter Redemptionem.

78 Hanc objectionem latè proſequitur Aldretè, & diſſolvit Quiros, illam retorquens, & meritò, in gaudio de Redemptione, & in decreto Redemptoris etiam ſuppoſitâ *Aldret. Quir.*

quæ ſic connectitur intrinſecè cum peccato, ut niſi peccato poſito, poni non poſſit: ergo eſſet virtualis volitio peccati: ac proinde Deo repugnans. Probatur conſequentia: quia non alia ratione repugnat Deo velle materiale peccati, velle prædeterminationem phyſicam ad peccatum, actionem peccaminoſam, quin etiam, & habitum vitioſum.

Perez. 71 Corroboratur hæc ni. nervoſiùs ex Antonio Perez *diſp. 1. de Prædeſt. & Auguſtiniana cap. 1. num. 72.* Qui vult, ut exiſtat res, vult, ne deſinat exiſtere: ergo efficax volitio rei eſt ſaltem virtualis nolitio impeditionis talis rei. Unde eſt, quòd efficax volitio vitæ eſt nolitio mortis, & vulneris lethalis. Igitur volitio divina efficax Redemptionis reparativæ eſt nolitio ſaltem virtualis impeditionis Redemptionis. Atqui evitatio peccati eſſet impeditio Redemptionis: ergo volitio efficax Redemptionis eſt virtualis nolitio evitationis peccati: ſed nolitio evitationis peccati eſt virtualis volitio peccati: ergo Deum præintendere, & velle efficaciter dicto decreto Redemptionem, eſſet velle virtualiter peccatum. Probatur ultima minor ſubjuncta: quia tam opponitur Redemptio cum impeditione Redemptionis, quàm evitatio peccati cum peccato: ergo ſicut velle Redemptionem eſt nolle impeditionem Redemptionis, pariter nolle evitationem peccati eſt velle peccatum: perinde namque eſt ex ipſis terminis nolle evitationem alicujus rei, ac velle talis rei exiſtentiam.

72 Omnia iſta difficilia ſunt; ſed habent etiam inſtantiam manifeſtam contra ipſos arguentes in gaudio divino de Redemptione, quin gaudeat de peccato: & in decreto efficaci Redemptionis habito etiam poſt prævium peccatum, quin eo ipſo ſit virtuale decretum, ſeu virtualis volitio peccati: nam præviſio præſuppoſita, vel non præſuppoſita peccati, nec auget, nec minuit connexionem Redemptionis ſeparativæ cum peccato, aut neceſſitatem peccati ad Redemptionem, ut expendebamus *ſect. præcedenti*; nec tollit quo minùs evitatio peccati opponatur poſitioni peccati, æquè ac impeditio Redemptionis Redemptioni. Fruſtra ergo propter iſtas difficultates recuſabitur doctrina noſtri decreti.

73 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad probationem diſtingo majorem: vult poni id, quo cum res connectitur, ſi id non eſt ponibile, niſi volens rem, id quoque velit, concedo: ſi id eſt quid ponibile, etiamſi volens rem, id non velit, nego majorem. Et conceſſâ minori, nego conſequentiam: quia quamvis verißimum ſit, quòd Redemptio nequeat eſſe niſi poſito peccato; at peccatum tale quid eſt, ut ponibile ſit, & re ipſa ponatur, quin Deus velit illud poni, dummodò permittat: quæ permiſſio, ut explicui *diſput. 9. de Attribut. ſect. 10 & 13.* nullam importat divinam volitionem peccati, nec efficacem, nec abſolutam, nec conditionatam: cùm quælibet volitio mali moralis mala ſit, ideóque Deo repugnans juxta illud Pſal. *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* Unde eſt, quòd ſemper ponuntur peccata, quin Deus velit illa poni: ſicque nihil mirum, quòd in noſtro etiam caſu dicatur peccatum requiſitum ad Redemptionem eſſe quid ponibile, Deo non volente ut ponatur, ſed ſolum permittente, hoc eſt, nolente impedire, cùm facilè poſſet. Itaque, cùm Deus antecedenter ad omne decretum prænoverit per ſcientiam ſuam Mediam, hominem poſiturum peccatum, ſi illum conſtituat, & relinquat in tali libertate, potuit abſolutiſsimè decernere Redemptionem, quin ex vi talis decreti debeat velle peccatum; ſed velle conſtituere hominem in tali libertate, & permittere peccatum: non enim Redemptio requirit ad ſui exiſtentiam, quòd Deus velit peccatum, ſed quòd ponatur peccatum; quæ diverſiſsima ſunt: aliud enim eſt indigere peccato poſito, quod verum eſt; aliud eſt indigere peccato à Deo volito, quod abſit.

Tom. 1. diſp. 9. Pſal. 5.

74 Ad probationem conſequentiæ obſerva, connexionem cum aliquo termino aliam eſſe phyſicè inductivam, ſeu cauſativam terminis; aliam præſuppoſitivam, ſeu metè requiſitivam. Priori modo connectitur actio cum termino, prædeterminatio cum actu, materiale peccati cum formali, dato quòd diſtinguantur. Poſteriori modo connectitur ſcientia Dei cum ſuo objecto, exiſtentia peccati, & cujuslibet creaturæ cum exiſtentiâ Dei: Pœnitentia, & Redemptio reparativa cum peccato: quod utique non inducunt, imò auferunt, ideòque eſſentialiter præſupponunt, & prærequirunt. Hinc dico, & eſt ſedulò notandum, rationem, cur Deo repugnat velle materiale peccati, prædeterminationem ad peccatum, actionem, aut habitum vitioſum ad peccatum; non eſſe præciſè, quia hæc connectuntur cum peccato, ut audivi multos incogitanter concedentes, & inde adactos ad miſeras conſequentias: certè enim multa prædicata ſcientiæ, & voluntatis Dei honeſtiſsimè amabilis, & multi actus noſtri ſupernaturaliſsimi connectuntur cum peccatis, & amabiles ſunt non perinde amato peccato. Sed eſt ratio quia, vel res ipſæ in ſe malæ ſunt, & turpes, ut exiſtimo; vel

quia

quia inductivè, & cauſativè connectuntur cũ peccato. Hæc autem modo, nec Redemptio, nec Pœnitentia, nec Scientia Dei, nec Fides, aut contritio noſtra connectuntur cum peccato; ſed requiſitivè dumtaxat, ſeu præſuppoſitivè: non enim Redemptio, aut Pœnitentia cauſant, imo tollunt peccatum; nec redduntur malæ, ſicut neque ſcientia Dei redditur mala à malitia peccati, quam eſſentialiter requirunt, aut præſupponunt. Materiale verò peccati, ſive diſtinguatur, ſive non diſtinguatur á malitia formali, redditur malum ab ipſa, & eſt à lege directè prohibitum, & idem eſt de determinatione phyſica, & de inductione cauſativà peccati.

75 Ad corroborationem Antonij Perez ingenioſiſſimam, conceſſo antecedente, diſtingo conſequens: efficax volitio rei eſt virtualis nolitio impeditionis requirentis talem nolitionem ad non eſſendum, concedo; non requirentis, nego conſequentiam. Et ſimiliter diſtinguo ſubillationem: igitur volitio divina Redemptionis eſt virtualis nolitio impeditionis, requirentis talem Dei nolitionem ad non eſſendum, concedo; non requirentis, nego. Diſtingo deinde minorem ſubjunctam: evitatio peccati eſſet impeditio Redemptionis non requirens divinam ſui nolitionem ad non eſſendum, concedo; requirens, nego: nam ſicut peccatum requiſitum ad Redemptionem uti diximus, tale eſt, ut ad ſui poſitionem non requirat, quód Deus illud velit; ita evitatio peccati impeditiva Redemptionis talis eſt, ut ad ſui non poſitionem, ſive ad non eſſendum, non requirat, quod Deus illam nolit: quinimo, Deo illam ſeriò volente, hortante, & præcipiente, non ponitur. Unde falſa eſt conſequentia, quód volitio quantumuis efficax Redemptionis ſit, aut debeat eſſe virtualis nolitio evitationis peccati: non enim opus eſt, Deum nolle evitationem peccati, ut evitatio non ſit, atque adeo non impediat Redemptionem; cùm præſciat Deus per ſcientiam ſuam mediam, evitationem peccati non futuram, imo potiùs futurum peccatum, ſi relinquat hominem in tali libertate, etiamſi Deus, nec nolit evitationem, nec velit peccatum, dummodo permittat peccatum poni, & minimé evitari.

76 Deinde datâ ultimâ minori, nego conſequentiam. Dixi *datâ*: quia mihi falſa eſt, quando nolitio evitationis non eſt nolitio omnis evitationis, ſeu omnis impedimenti, ſed alicuius dumtaxat pendentis à ſolo Deo, qualis eſt non permiſſio peccati: nam unius rei poſſunt eſſe multæ evitationes, ſeu multa impedimenta, & nolitio unius imò, & multorum non infert volitionem rei, cùm poſſit eſſe nolitio unius impedimenti ſimul cum volitione alterius, quo etiam res impediretur, ſeu evitaretur. In probatione ultimæ minoris, verum eſt antecedens: ſaltò tamen ſupponitur in conſequentia, velle redemptionem eſſe nolle impedimentum Redemptionis, quando impedimentum tale eſt, ut diximus, quod ad ſui non poſitionem, non requiritur, quód volens Redemptionem illud nolit; qualis eſt evitatio peccati, de qua præſcit Deus, non ponendam, etiam ſi ipſe non eam nolit; imò ponendum peccatum etiam ſi ipſe illud non velit.

77 Objicitur quintó. Sequeretur ſaltem, ſic conſtituto eo decreto Redemptionis, Deum non poſſe ſeriò velle, & præcipere, ut evitetur peccatum. Probatur: Evitatio peccati eſſet impedimentum Redemptionis, quæ eſt finis efficaciter prætentus, & prædecretus à Deo: ſed nequit Deus ſeriò quantum eſt ex ſe velle impediri finem à ſe efficaciter prætentum: eſſet enim velle quantum eſt ex ſe fruſtrationem ſui decreti: ergo non poſſet ſeriò velle, ut evitetur peccatum; nec certé id præciperet: quis enim intelligat, Deum præcipere, ut evitetur peccatum, & ſimul prætendere efficaciter Redemptionem certò impediendam evitato peccato? Eſſet quidem velle quantum eſt ex ſe finem, & velle quantum eſt ex ſe impeditionem finis: qui ſunt termini repugnantes. Confirmatur. Quia potiùs Deus ſic prædecernens Redemptionem adigeretur dare Adamo peccaturo auxilia inefficacia, quia inefficacia, ad evitandum peccatum, non darentur ſi forent efficacia: cùm autem auxilia redduntur inefficacia ad evitationem per poſitionem peccati, velle dare auxilia, quia inefficacia, eſſet velle peccatum, cujus poſitione redduntur inefficacia ad peccati evitationé. Probatur autem ſequela. Deus namque ſic prætendens Redemptionem, habenſque coram ſe, & in manu ſua auxilia efficacia ad evitationem peccati, quibus nempé, ſi dentur, evitabitur peccatum; & auxilia inefficacia, quibus ſi dentur, non evitabitur peccatum; deberet dare iſta inefficacia, & non illa efficacia: ſed non ex alia ratione, niſi quia iſta ſunt inefficacia, & ſic requiſita ad aſſequutionem Redemptionis: ergo adigeretur dare inefficacia, quia inefficacia, ſic exigente decreto prætendente efficaciter Redemptionem.

78 Hanc objectionem latè proſequitur Aldreté, & diſſolvit Quiros, illam retorquens, & meritò, in gaudio de Redemptione, & in decreto Redemptoris etiam ſuppoſitâ *Aldret. Quir.*

ſitâ prævisione peccati. Hæc enim prævisio nihil prorſus refert ad leniendam hujus argumentationis vim, ut perpendenti fiet manifeſtum.

79 Reſpondetur, negando ſequelam. Ad probationem, diſtinguo majorem: evitatio peccati eſſet impedimentum Redemptionis, ſimulque prætentis decreti illam ſic prę-intendentis, concedo; Redemptionis, & non ſimul decreti, nego: nam evitato peccato, nec ſtaret præſens Redemptio, nec præſens decretum. Diſtinguo autem minorem: nequit Deus ſerió velle impediri finem efficaciter à ſe intentum, ex motivo ut impediatur, concedo; ex alio motivo, ſcilicet ut peccata evitentur, ſubdiſtinguo; nequit id velle ſeriò, & omninó efficaciter, concedo: ſerió, & non omninó efficaciter, nego minorem, & conſequentiam: non enim pugnant volitio efficax finis ex uno motivo, & volitio ſeria inefficax alicujus impedimenti ejuſdem finis ex alio motivo. Patet in mercatore amante ſerió merces, & vitam; plus tamen vitam, quàm merces: qui ex motivo omninó efficaciter intento tuendæ vitæ, vult projcere, & re ipsâ projcit merces in mare; & ex alio motivo ſalvandi merces ſimul vult ſeriò quidem, quamvis non omninó efficaciter retinere merces, quarum retentio impediret cõſervationem vitæ. Sic ergo Deus diſplicens in peccato, vult ſeriò, hortatur, & præcipit, ut evitetur peccatum; quia tamen magis amat exiſtentiam Redemptionis ſibi placentiſſimæ, quam evitationem, ſeu non exiſtentiam peccati, vult efficaciter ut Redemptio omninó exiſtat ob excellentiam Redemptionis, & gloriam Chriſti, ac ſuam, nolens propterea omninò impedire peccatum, ut poterat; quamvis ſeriò volens, hortans, & præcipiens, ut ab homine evitetur: quia ad illud omninò impediendum nullo jure tenetur Deus. Cum hac autem divina nolitione omninò impediendi peccatum, quæ eſt permiſſio purà peccati, ſtat optimé, Deum ſeriò velle, hortari, & præcipere, ut impediatur peccatum ab homine, quem tamen præſcit, in hypotheſi talis libertatis, non evitaturum, ſed poſiturum peccatum: velle, inquam, id ex motivo ne ponatur peccatum, quod malum eſt; non ex motivo, ut impediatur Redemptio, quæ bona eſt. Unde liquet hos non eſſe terminos repugnantes; ſed hoc modo explicatos eſſe congruentiſſimos.

80 Nec proinde vult Deus, ut alij aiunt, fruſtrationem ſui decreti prætendentis Redemptionem. Quippé non vult, nec præcipit evitationem peccati conjunctã cum tali decreto: hoc enim eſſet velle chymeram; ſed evitato in eõ caſu tali decreto: quod nec repugnat, nec dedecet: fruſtratio autem decreti dicit evitationem peccati, & Redemptionis conjunctam cum præſenti decreto. Certus tamen eſt Deus præſcientiâ ſuâ mediâ, quòd peccatum non evitabitur, ſi conſtituatur homo in tali libertate: ſicque ſecuriſſimè prædecernit Redemptionem, ſimulque conſtituere hominem in tali libertate: in quo nulla eſt implicantia, nec indecentia.

81 Ad confirmationem negatur etiam ſequela. Ad probationem, conceſsâ majori, negatur minor: nam aliæ ſunt multæ rationes, propter quas dat Deus in eo caſu auxilia inefficacia, quin illa det, quia inefficacia, ex motivò inefficaciæ Deum dedecente: dat ergo, quia in ſe bona ſunt, & quia ſic expedit ad gloriam Redemptoris, qui fines ſunt honeſtiſſimi. Unde falſa eſt conſequentia. Itaque dat Deus in eo caſu auxilia inefficacia, quamvis ſint inefficacia; non verò, quia ſunt inefficacia: quæ diverſiſsima ſunt ex terminis: & hoc poſterius non requiritur ad finem Redemptionis non requirentis hunc modum indecentem dandi auxilia inefficacia, quamvis requirat auxilia inefficacia, quæ quidẽ decentiſsima Deo ſunt. Quòd ſi hæc ipſa auxilia, quę dantur, & ſunt inefficacia, forent, uti poſſunt, & præſcirentur à Deo fore efficacia; non proinde deſineret Deus illa dare; non tamen illa daret ex præſenti decreto Redemptionis ab his peccatis, ſimul permiſſivo horum peccatorum, utpote in illa hypotheſi ſibi repugnanti non extituro; ſed ex alio decreto non ſic præintendente, cui ea hypotheſis minimé repugnaret.

SECTIO VI.

Alia objectiones graves. Et lux ad loquutiones difficiles Auguſtinianas.

82 OBjicitur ſextò. Cauſa per ſe, & ex connexione ſuâ inductiva peccati nequit prædecerni, aut præintendi, quin ſaltem interpretativé ametur peccatum: ſed Redemptio ſic præintenta eſſet cauſa per ſe, & ex connexione ſuâ, inductiva peccati: ergo nequit ſic à Deo præintendi, quin ſaltem interpretativé amet peccatum: quod nefas eſt. Major patet ex morali proloquio: *quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati*: quod ſaltem de cauſa per ſe, & ex connexione ſua inductiva, verum eſt. Minor autem probatur. Finis eſt per ſe cauſa medij ſimpliciter requiſiti, ac neceſſarij ad ipſius eſſe:

aſſequutionem: ſed Redemptio ſic præintenta eſſet finis requirens peccatum, ut medium ſimpliciter neceſſarium ad ipſius aſſequutionem: ergo eſſet cauſa per ſe, & ex connexione ſuâ, inductiva peccati. Confirmatur: intentio efficax finis non potentis haberi niſi per hoc medium, eſt electio, aut ſaltem infert electionem, huius unici medij: ſed Redemptio exercita eſt finis, non potens haberi, niſi per hoc medium peccati: ergo intentio efficax Redemptionis exercitæ eſſet electio huius unici medij nempe peccati, aut ſaltem inferret talem electionem.

83 Vellem equidem ediſſere à doctis obijcientibus reſponſionem, ut defenderem ab hoc argumento decretum efficax Redemptionis habitum præſuppoſi à permiſſione, & abſolutâ præviſione peccati: mihi enim perinde eſt ad hanc vim, ſive præſupponatur, ſive non, præviſio abſoluta peccati quæ planè non immutat reſpectus neceſſarios inter fines, & media, ut argumentabamur *ſec. 4.*

84 Reſpondetur interim pro omnibus, conceſſâ majori, negando minorem. Ad cujus probationem, diſtinguo majorem: finis eſt per ſe cauſa medij ſimpliciter requiſiti, non ponibilis, niſi intendens illud velit, & eligat, concedo: ponibilis, etiamſi intendens illud non velit, nec eligat, nego majorem. Ratio ſumitur ex dictis ad objectionem quartam. Quia finis non cauſat, ſeu inducit media phyſicè, ſed intentionaliter; quatenus nimirum cognitus, & intentus cauſat volitionem mediorum movendo ad illam; nec magis eget volitione, aut electione medij, quàm poſitione medij, ut eſt per ſe certum. Unde, ſicut quando non requiritur omninò ad finem poſitio hujus medij, non eſt cur intentio finis cauſare debeat poſitionem hujus medij; ſic quando non requiritur ad finem volitio medij, non eſt cur intentio finis cauſare debeat volitionem medij, aut eſſe cauſa per ſe motiva, & moralis medij. Et certè, ſi præciſio poſitionis medij excuſſat per Adverſarios intendentem à volitione divinâ medij, quamvis non à poſitione per ſuas cauſas medij requiſiti; non video cur potiùs eum ab eadem volitione medij non excuſet, non requiſitio talis volitionis ad medij poſitionem. Sic diſtinctâ, & explicatâ majori, omitto minorem: cuius tamen modum loquendi non approbo, quatenùs peccatum vocat medium ad Redemptionem: non enim eſt abſolutè medium, quamvis ſit requiſitum, niſi de voce contendamus: nam medium dicit eligibilitatem ab intendente finem, quam non habet peccatum reſpectu Dei intendentis finem Redemptionis. Hinc, nego ultimam conſequentiam.

85 Ad confirmationem, diſtinguo majorem. Si medium (aut requiſitum) eſt tale, quod nequeat poni, niſi intendens illud velit, concedo: aliter, nego majorem. Et conceſſâ, aut omiſſâ minori, nego conſequentiam: nam peccatum tale medium, ſeu tale requiſitum eſt, & tale eſſe ſcitur à Deo, quod, Deo etiam illud non volente, poni poteſt, id Deo benè præſciente per ſimplicem intelligentiam, & quidem ſeorſim à præſenti quæſtione, quinimo, & ſic re ipſa ponetur, id optimè Deo præſciente conditionatè per ſcientiam mediam ſub hypotheſi talis libertatis: quæ duæ ſcientiæ antecedunt omne decretum abſolutum, & prælluminant ad illud. Itaque non eſt cur decretum abſolutum, ſeu præintentio efficax Redemptionis, quâvis non præponens permiſſionem, & præviſionem abſolutam peccati, debeat eſſe volitio peccati, aut inducere Deum ad volitionem, ſeu electionem peccati, ut falsò dicitur in conſequentia; ſed ſolùm ad permiſſionem peccati, & ad conſtituendum hominem in hypotheſi talis libertatis, ſub quâ à Deo poſitâ, præſcivit Deus peccatum ab homine ponendum fore, quin Deus illud velit poni, dummodo velit permiſſionem, quæ niſi Deus illam velit, non ponetur, nec eſt ponibilis. Ad aſſequendum autem finem Redemptionis exercitæ non eſt requiſita divina volitio peccati, ſed humana poſitio peccati, quæ, Deo permittente, certiſſimè fiet iuxta præhabitam ſcientiæ mediæ illuminationem.

86 Urget arguté P. Aldrete. Saltem, præhabito à Deo ejuſmodi decreto præintentivo Redemptionis, deberet Deus velle permiſſionem peccati, ut utilem ad finem Redemptionis: ſed hoc eſſet velle peccatum: ergo deberet velle peccatum. Maior probatur: quia ſi non vellet permiſſionem, ut utilem ad finem Redemptionis, non illam vellet ex fine Redemptionis: ſicut concluſio non eſſet ex præmiſſis, ſi non aſſentiretur ſuo objecto, ut fundato in veritate præmiſſarum. Probatur etiam minor: quia permiſſio peccati non eſt utilis ad finem Redemptionis, niſi prout conjuncta cum peccato: Redemptio enim redimit à peccato, non à permiſſione: quæ ſcilicet ſolâ, non ſequuto peccato, non ſufficit ad Redemptionem; nec requiritur ad Redemptionem, niſi quatenus requiritur ad peccatum: ergo velle permiſſionem peccati ut utilem ad Redemptionem, eſſet velle illam ut coniunctam cum peccato: atque adeò eſſet velle peccatum. Confirmatur. Quando amatur hoc præ alio, quia in *Aldret.*

hoc

hoc, & non in alio cognoſcitur utilitas ad finem, amatur hoc, ut utile ad finem, & quia eſt utile ad finem: alioquin fruſtra præceſſiſſet cognitio utilitatis: ergo ſi Deus præintendens finem Redemptionis, & ſciens, ad id utilem eſſe permiſſionem præ non permiſſione, ſeu præ impeditione peccati, vult permiſſionem præ non permiſſione, vult quidem permiſſionem ut utilem, & quia utilem ad Redemptionem: ſed non eſt utilis ad Redemptionem permiſſio præ non permiſſione, niſi ut conjuncta cum peccato: ergo vellet Deus illam ut conjunctam cum peccato; quod eſſet velle peccatum.

87 Reſpondetur dupliciter. Primò, negando majorem, ſi reduplicatio illa, *ut utilem*, æquivaleat cauſali, *quia utilem*. Nam intentio finis ſolum obligat ad amandum medium in quantum opus eſt illud amari, ut obtineatur finis: ut autem obtineatur finis Redemptionis non opus eſt, niſi quòd Deus amet, ſeu velit permiſſionem peccati utilem ad Redemptionem, quamvis non amet, quia utilem. Si dicas: eam volitionem medij non fore electionem, ſiquidem non eſſet ex motivo utilitatis; fatebor equidem, ſic non fore electionem formalem; foret tamen materialiter electio, ſcilicet volitio, ſeu amor medij, quod cognoſcitur utile ad finem: ad obtinendum autem finem, quamvis requiratur amor talis medij, non tamen amor, qui ſit formalis electio. Quid refert, precor, ad conſequutionem finis, quòd medium ſic aut ſic, ob hanc, vel illam rationem ametur ab intendente, dummodo velit intendens efficaciter illud ponere? Certè non magis, quàm quòd intendens illud velit, aut non velit, dummodò re ipſa ab aliquo ponatur, quando ut medium re ipſa ponatur non opus eſt, quòd intendens illud velit, ut ſæpè diximus, & eſt mihi indubium.

88 Nego deinde probationem majoris. Electio enim, ut ſit electio, non eſt neceſſe, quòd habeat pro motivo intrinſeco utilitatem mediorum; ſed ſufficit quòd velit media utilia ex intentione finis; aut, ſi mavis, propter bonitatem finis intenti, aut præintenti, qui in caſu noſtro eſt Redemptio. Nec obeſt, imò prodeſt, paritas illa præmiſſarum, & concluſionis: quippè nego, quòd concluſio, ut ſit concluſio, debeat habere pro motivo intrinſeco objectum præmiſſarum: ſufficit talis modus extrinſecè pendendi à præmiſſis per ſe præattingentibus tale objectum, ut cum Ripalda tenui in Philoſophia. Huic autem modo extrinſecè dependendi æquivalere poteſt ſpecialis modus volendi, quo unus actus divinus velit indiviſibiliter permiſſionem peccati, & gloriam Redemptoris, illam ſcilicet propter iſtam ex modo ſuo ſpeciali volendi, quin habeat pro motivo intrinſeco illius utilitatem; ſed illius excellentiam. Deinde ad probationem minoris, né quidquam roboris relinquamus intactum, & inconcuſum in objectione, nego antecedens: quamvis enim permiſſio non ſit ſufficiens ad finem Redemptionis reparati, væ, niſi conjuncta cum peccato; per ſe tamen habet eſſe neceſſariam, ac proinde utilem ad eum finem, & conſequenter amabilem propter eum finem, & propter utilitatem ipſius ad finem: quamvis non amabilem à Deo ut conjunctam cum peccato, non niſi turpiter amabili.

Ripald.

89 Dices: ſimilem utilitatem, ſeu neceſſitatem habet etiam permiſſio ex ſe ad poſitionem peccati, utpotè nõ ponibilis ſine divina permiſſione. Fateor: & addo, quòd hæc etiam utilitas ad peccatum reperta in permiſſione amatur à Deo. Non tamen amatur á Deo, quia utilis ad peccatum: nam hic modus amandi præfefert affectum ad peccatum Deo repugnantem. Itaque amat Deus ſanctiſsimè permiſſionem ſuam, quam novit requiſitam, & utilem ad Redemptionem, & ad peccatum: non quia utilis eſt ad peccatum; ſed quia utilis eſt ad Redemptionem. Stat diverſitas in ijs modis amandi diverſis ex modo ſuo tendendi ad objectum; quorum prior præfefert affectum erga Redemptionem Deo digniſsimum; poſterior verò affectum erga peccatum Deo repugnantem. Unde nego conſequentiam.

90 Ad confirmationem dico, quòd quando amatur hoc præ alio, quia in hoc cognoſcitur utilitas, non exinde debet hoc amari, quia eſt utile, ſive propter utilitatem, tamquam propter rationem objectivam ſic volitam: & in hoc ſenſu, nego antecedens. Nec enim particula, *quia*, denotat ſemper motivum objectivum; imò interdum aliquam conditionem ex parte objecti: ut quãdo volumus unum objectum præſens, & aliud abſens, dicitur iſtud deſiderari, & non illud, quia iſtud, & non illud abſens eſt, quin tamen abſentia dicatur eſſe motivum objectivum, aut ratio volita: interdum denotat aliquod prærequiſitum ex parte actûs, ut cùm dicitur objectum amari, quia cognoſcitur: ubi vox, *quia*, non denotat rationem volitam aut motivum objectivum amoris, ſed rationem aliundè prærequiſitam. Nec propterea fruſtrà præceſſiſſet notitia utilitatis: præceſſiſſet enim, ut eligatur medium, quod eſt utile, & non aliud, quod eſſet inutile. Certè, præcipiente Prælato, ut des eleemoſynam

das

dat quia præcipit, ſiquidem aliter non dares, ſicque non fuit fruſtrà, ſed valde profuit præceptum ad eleëmoſynam: quin tamen perinde fiat, te dare eleemoſynam ex motivo intrinſeco præcepti, aut ex fine honeſtè obediendi; ſed ſæpè ex alijs motivis bonis, aut etiam fortè malis: exequutio namque præcepti non indiget motivo tui actûs, ſed opere volito, & præſtito, quo potiùs, quàm tali modo volendi tuo, ſuccurritur inopi. Ex his, conceſsâ primâ conſequentia, diſtinguo minorem ſubjunctam: non eſt utilis ad Redemptionem permiſſio, niſi ut conjuncta cum peccato, utilitate ſufficiente ad finem Redemptionis, concedo; utilitate requiſitâ, nego minorem: quia permiſſio, ſive coniungatur, ſive non coniungatur cum peccato, ſemper eſt per ſe requiſita ad finem Redẽptionis reparativæ. Nego autem ultimam conſequentiam.

91 Obijcitur ſeptimó. Ejuſmodi Dei decretum de Chriſto Redemptore ante præviſum abſolutè peccatum non eſſet homini beneficum; atque adeò nec Redemptio ſic decreta haberet erga nos rationem beneficij: quod tamen impium eſt, & contra Scripturas commendantes nobis idemtidem beneficium ingens Redemptionis noſtræ præſertim *Rom 8.* & *Ioan.3.* ubi ſignificatur quòd Deus beneficentiſſimé Filium ſuum pro nobis tradidit. Probatur autem ſequela. Ejuſmodi decretum, cùm abſolutè velit Chriſtum Redemptorem de omnibus ac ſingulis peccatis noſtris, connectitur cum ſingulis peccatis: cum illis etiam, per quæ abutitur ſpecialiter ingratus homo auxilijs ipſi collatis ex merito Chriſti: Sed decretum ſic antecedenter connexum cum peccatis non eſſet beneficum; nec res ſic decreta eſſet beneficium reſpectu hominum peccantium: illorum maximé, qui ſic non peccarent, ſi non extitiſſet ejuſmodi decretum; ut ſunt multi, qui peccant infidelitate, aut odio contra Chriſtum, & in peccato moriuntur: ergo ſaltem reſpectu iſtorum, non fuiſſet beneficum ejuſmodi decretum. Probatur hæc minor: quia de ratione beneficij, & voluntatis beneficæ eſt, eſſe bonum rationabiliter optabile, & prudenter eligibile à beneficiario; ſiquidem beneficium non fit rationabiliter invito. Atqui nihil antecedenter connexum eũ peccato, præſertim finali, eſt rationabiliter optabile, nec prudenter eligibile ab homine peccaturo: quoniâ præ omnibus alijs optandum, & eligendum eſt non peccare: iuxta illud Chriſti de Iuda: *bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Ergo.

Rom. 8. *Ioan. 3.* *Matt. 26*

92 Circa difficultatem iſtam ab omnibus feré ſubeundam diſputantibus de Prædeſtinatione, & Reprobatione, notat oportunè P. Eſparza *queſt.15.ad 5.* quòd Deus, ut aſſeratur beneficus in opere ſuo, ſicut non eſt negandus præſcius alicuius eventûs conſequentis, ne dicatur ignarus; ita neque fingendus eſt, ejuſmodi præſcientiam præoccupaſſe volitione operandi, ne dicatur præceps, & immaturus in decernendo. Quapropter parùm ſolidas reputo quorumdam reſpõſiones fundatas in aliquibus prioritatibus rationis, eó ad hoc propoſitum debilioribus, quó facilius unuquiſque, variatâ ad nutum earum explicatione, eas ſibi coordinat, & diſponit. Videndus Aldrete *diſp 12 de Prædeſt.* & Ribaden. *diſp 7 & 8.* *Eſparz.* *Aldret.* *Ribad.*

93 Reſpondetur ſolitè, negando ſequelam. Ad probationem, diſtinguo maiorem: ejuſmodi decretum eſt connexum cum omnibus, & ſingulis peccatis inevitabiliter à ſingulis peccatoribus conſtitutis in ea libertate, quâ peccant, nego; evitabiliter, concedo. Si namque conſtitutus homo quilibet in hac libertate omitteret, ut poteſt, peccatum, quod committit, non fuiſſent in Deo ſcientia de peccato ſub hypotheſi huius libertatis, nec decretum, quod nunc eſt, de redemptione talis peccati futuri, utpotè ſupponens eſſentialiter eam ſcientiam mediam, & ex intrinſecis etiam ſuis inexiſtibile, niſi ſub ea hypotheſi ponendum fuiſſet peccatum: quamvis eſſet pro eo caſu aliud decretũ Redemptoris, non ſic volens redemptionem à tali peccato. Nego deinde minorem: ad cuius probationem, diſtinguo maiorem: de ratione beneficij, & voluntatis beneficæ eſt eſſe bonum optabile, & prudenter eligibile à beneficiario, ſi non fiat per circumſtantias ineligibile ex ipſius culpa, aut non veniat ab ipſo potiùs, quàm á benefactore, ea ineligibilitas, concedo: ſi beneficium reddatur per circumſtantias ineligibile ex culpa ipſius beneficiarij potentis, ac debentis impedire talem ineligibilitatem, nego: hæc enim ineligibilitas non tollit, quominús ea bona Dei voluntas, & bonum volitum afferant homini multa bona, & ex fine homini convenientiſſimo ſint á Deo: nec imponit Deo debitum non habendi eiuſmodi voluntatem, ſeu decretum; cuius nullo iure teneatur omninò impedire noſtra peccata. Quòd autem cum eiuſmodi Dei decreto iungendum ſit eſſentialiter peccatum homini ineligibile, & non prudenter optabile, non venit poſitivé à Dei decreto, ut inducente, ſed negativé, ut non impediente peccatum, quod aliàs conſtitutus in hac eâdem libertate, ſecluſo etiam eiuſmodi decreto, faceret homo; potens uti-

que id non facere, ſicque potens impedire, ne decretum eiuſmodi fuiſſet. Iuxta hæc diſtinguenda eſt minor, & neganda conſequentia.

Auguſt. 94 Ex ijs omnibus facilem habent intellectum aliquę loquutiones Auguſtini, quas nobis multi obijciunt, & appoſitè declarat pro nobis P. Quiros *diſput. 22. de Prædeſt. ſec. 3.* *Quir.*

95 Prima legitur *3. Confeſſ.* ibi: *Etſi approbatur officio charitatis qui dolet miſerum; mallet tamen non eſſe quod doleret, qui germanitus miſericors eſt.*

96 Secunda, *ſuper Pſal. 125.* ibi. *Melius eſt ut nullus ſit miſer, quàm ut tu facias miſericordiam: qui enim, ut faciat miſericordiam optat eſſe miſeros, crudelem habet miſericordiam.*

97 Tertia. *De Nat. & Grat. cap. 15.* ubi proteſtatur Auguſtinus, ſe non dicere, quod putabat Pelagius: *ut eſſet cauſa miſericordia Dei neceſſarium fuiſſe peccatum: utinam non fuiſſet miſeria, ne iſta eſſet miſericordia neceſſaria.*

98 Quarta ibidem cap. 26. *Medicus ad curandum iam vulneratum paratus eſſe debet; non debet tamen, ut ſanus vulneretur, optare.*

99 Ex quibus, & ſimilibus adverſari videtur Auguſtino doctrina noſtra de divino decreto Redemptionis, non præſuppoſitâ permiſſione, & prævisione abſolutâ peccati. Primò namque mallet Deus, homines redimi, quàm non peccare. Secundò, ut eos miſerendo redimeret, optaret eos eſſe miſeros per peccatum. Tertió, non ſolùm eſſet paratus ſanare vulneratos, ſed vellet eſſe vulneratos, ut ſanaret. Quæ, & abſurda ſunt, & Auguſtino contraria.

100 Cæterum ex reſponſionibus noſtris ad præcedentes obiectiones conſtat ſatis, quàm ſimus longé ab his abſurditatibus contra loquutiones, & mentem tanti Doctoris.

101 Ad primam ergo loquutionem dico, ſenſum Auguſtini eſſe veriſſimum: quòd nempé Deus veré, & ſanctè miſericors malit, non eſſe, quàm eſſe quod doleret, ſcilicet peccatum, utpoté nullatenus à Deo volibile: non verò, quód malit peccatum impedire, quam ſuam miſericordiam circa illud nõ impeditum exercere per pœnitentiam, aut redemptionem: hoc enim veré, & ſanctè vult, mavultque Deus, iuxta illud eiuſdem Auguſ. *in Enchiridio cap. 27.* ibi: *Melius iudicavit, de malis bonè facere, quàm mala nulla eſſe permittere.* Itaque prima ſequela, nec eſt abſurda, nec Auguſtino contraria, quòd ſcidicet mallet Deus homines redimi, quàm non peccare, ſeu quam omninò impedire peccatum, quod ipſe impedire nulla lege tenetur. *Auguſt.*

102 Ad ſecundam loquutionem, cum ait: *Melius eſt, ut nullus ſit miſer, quàm, ut tu facias miſericordiam;* ſic intellige, ut reſpectu hominis, qui non niſi volendo peccatum ponit peccatum, melius, id eſt eligibilius ſit non peccare, quàm redimi, aut pœnitere, cùm præ quacumque alia re debeat velle, ac eligere non peccare: non tamen id ſic verum eſt reſpectu Dei purè permittentis, & nulla lege obligati impedire, ne peccet homo.

103 Ad tertiã, & quartam dico veriſſimũ nobis eſſe quod hactenùs ſæpé diximus, & explicuimus, Deum nullatenus, & nos non niſi illicitè, & peccando poſſe deſiderare, velle, aut optare miſeriam, aut vulnus peccati quocumque ex fine. Unde nego, ſecundam, & quartam ſequelam ex noſtris doctrinis inferri: quas ſequitur noviter perdoctus P. Frãciſcus Garau in ſua *Deip. elnc. Princ. ult. ſec. 1.* *Garau.*

SECTIO VII.

An decretum de toto negotio Incarnationis, & Redemptionis fuerit unicum, ſimplex, & indiviſibile etiam virtualiter.

104 PErtæſus iampridem implicatiſſima divinorum decretorum, virtualiter, ut aiunt, partibilium, aut ſeparabilium ſegmenta, quibus Theologi multi, alioquin graves, non ſine gravibus inter ſe diſſidijs, adlaborant ad nauſeam uſque, ut conſtitutis ſibi pro arbitratu virtualium prioritatum, & poſterioritatum generibus, per ſigna, quæ ſibi inordinatiſsimé coordinant, ad apicem, ut olim mihi quoquè videbatur, doctrinæ Theologicæ conſcendant; videns tandem aliquandó earum doctrinarum inſubſiſtentiam, & abuſum, aliò me verti: & contra doctrinas, quas diſcipulus hauſeram, incepi, me ab ejuſmodi tricis, & ambagibus interminabilibus expedire, & à ſapiẽtioribus edoctus docere, unicum dumtaxàt in toto Deo dari decretum, ita ſimpliciter, & indiviſibiliter verſans circa cuncta factibilia, ſive facta, ſive non facta, nec facienda, ut a ſua ſcientia omnium ſupercomprehenſivà penitiſſimé illuminatus, uno ſuæ infinitiſsimæ voluntatis ductu, circa omnia factibilia exercuerit ſuam libertatem, alia volens, alia permittens, alia omninó nolens unquam fieri. Ita videlicet, (né per varios, ſeu noſtros, ſeu alienos terminorum ſenſus aſſertio noſtra laboreę in

æqui-

æquivoco) ut ex decretis quoquo modo diſtinguibilibus, quæ de facto ſunt in Deo; nec poſſit, nec potuerit realiter, nec virtualiter, nec quo ad entitatē, nec quoad denominationem, unum eſſe, aut fuiſſe, non eſſente alio, aut alio realiter, vel virtualiter deficiente quo ad aliquam denominationem liberam, quam pro divino libito cunctorum perfectiſsimè comprehenſivo actualiter ſortitur. Quapropter, ſi Deus noluiſſet decernere aliquid ex ijs, quæ de facto decrevit, aut ſi voluiſſet decernere aliquid ex ijs quæ non decrevit, id feciſſet alio ductu etiam indiviſibili ſuæ voluntatis, cuncta etiam ſive nolendo, ſive volendo attingente, qui nunc virtualiter deficit; ſicut deficeret tunc virtualiter ductus, ſive exercitium circa omnia verſans, qui nunc eſt, quo ad denominationes liberas præſentes.

105 Ex hac doctrina g[illegible]liori, primotibus ingenijs dignâ, cui locum dedi *diſp. 8. de Attributis, ſec. 4.* ſequutus Molinam, Ant. Perez, Eſparzam, Granadum, Magiſtrū Lumbier, & Borrull, cum alijs primæ notæ Magiſtris Recentioribus; concluditur à fortiori, in negotio Incarnationis Verbi, & Redemptionis noſtræ non interfuiſſe plura Dei decreta virtualiter diſtincta & adinvicem ſeparabilia; ſed totum id præſtiſſe Deum unico decreto, ita ſimpliciter indiviſibili, ut nec denominationes intrinſecas ſortiatur virtualiter diſtinctas: quidquid ſit de formalitatibus ratione noſtrâ præcindibilibus. Aliud enim eſt, nos ex modo noſtro Deum concipiendi diſtinguere illas formalitates; aliud eſt concipere, illas eſſe in Deo virtualiter diſtinctas: prius illud eſt verum, & imperfectio noſtri modi concipiendi; poſterius illud eſt falſum, utpote affingens Deo, quod Deo repugnat, ut ſæpè monui in ſimilibus.

Tom. 1. diſp 8. Molina. Perez. Eſpar. Granad. Borrull. Lumb.

106 Concluſio ſ[illegible]tuta, & expoſita, pro qua citat etiam E[illegible] Occamum, & Gabrielem, & explicat varios SS. Patrum, & Scripturæ loquutiones; adverſatur communi ſenſui multorum, potiùs ſupponētium, quàm probantium in hoc negotio diſtinctionem, & ſeparabilitatem virtualem decreti de condendo mundo, decreti de permiſsione peccati, decreti de Incarnatione, decreti de Redemptione, decreti de Immunitate B. Virginis, & aliorum decretorum huc ſpectantium, cum ordine objectivo virtualis prioritatis, & poſterioritatis reſpectivè. Aliquorum coordinationes, fruſtrà, & per otium excogitatas, retulimus, & reliquimus *diſp. 5. ſec 8. & 10.* alias referemus *ſec. ultima*: ut meritò proruperit doctiſsimus Eſparza in verba, quæ ex ipſo tranſcripſimus *diſp. 8. de Attributis n. 75.*

Occam. Gabriel.

Supra diſp. 5. Eſparz. Tom. 1. diſp 8. ſec. 4.

107 Probatur nunc ex ipſo concluſio, reſumendo ratiocinationis filum, quo ducti ſumus *diſp. illâ 8. de Attributis.* Quò quis eſt mente capacior, eò plura poteſt ſimpliciùs, & uno ſimul ductu, ſive uno actu attingere, ſive intellectu, ſive voluntate: neceſsitas enim procedendi quaſi pedetentim ex actu in actum, eſt ex imperfectione, & limitatione potentiæ virtutis impatis ad plura ſimul. Unde in hominibus, & Angelis notum eſt, quòd quò ſublimioris perfectionis ſunt, eó plura cogitant, ſeu decernunt uno ſimul ductu: & quò ſunt imperfectiores, eó moroſiùs, & cunctantiùs procedunt in cognoſcendo, & volendo fruſtatim, & per partes, ut novæ notitiæ accedant, & iuxta novas notitias ineant conſilia maturiora. Da Regem in exordiò imperij ſui undecumque præſcium rerum omnium, & eventuum in qualibet hypotheſi imaginabili poſsibilium, & non poſsibilium, futurorum, & non futurorum, pro toto ſui temporis decurſu; & omninò certum, quòd nullus ſuperventurus ſit caſus, quem non prænoverit. Is certè cuncta agenda, & non agenda; hoc vel illo modo ordinanda, vel non ordinanda; hoc, vel illo caſu volenda, vel nolenda poſſet decernere, velle, vel nolle; permittere, vel impedire. Aut planè, ſi ſimul omnia ex tunc non poſſet, eſſet limitatio virium ad tot ſimul reſolvenda; ſi poſſet, & non ſic ageret, indicaret quidem, aut defectum notitiarum, aut levitatem animi, capiendo mox novum conſilium, nullâ prorsùs occurrente novâ ratione; aut ſaltém irreſolutionem, & cunctationem in decernendo.

108 Non ſic Deus Opt. Max. non ſic in negotio Incarnationis, & Redemptionis, nec in ullo alio: cuius infinitiſsimæ, & ſuper comprehenſivæ menti eiuſmodi ſordes repugnant. Itaque nec ſic ſe geſsit, nec ſic ſe gerere potuit: quinimò præſcius omnium poſsibilium, & impoſsibilium per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; & omnium peccatorum, & meritorum contingenter ponendorum, & non ponendorum ſub quacumque hypotheſi excogitabili per ſcientiam ſuam mediam; cuncta decernenda decrevit, cuncta non decernenda noluit decernere, cuncta petmittenda permiſsit; cuncta non permittenda noluit permittere; volenda voluit, & nolenda noluit, uno ſimpliciſsimo ductu perfectiſsimæ ſuæ voluntatis, nec virtualiter diviſibili, aut vel quoad denominationem fruſtatim defectibili. Sic enim decet ſupremum, & perfectiſsimū Proviſorē, qui omniū partiū Univerſi cohærentiam, aut incohærentiam inter ſe, & ad certos fines optimè novit, ut

alia velit, alia nolit pro ſupremo ſuo libito, prout proſunt, aut obſunt huic, vel illi fini à ſe intento.

109 Hinc pergo ulteriùs. Decretum quodlibet Dei, ſive poſitivum rem volens, ſive negativum rem nolens, verſans alterutro ex iis modis circa rem quamcumque ſingularem, rem attingit eſſentialiter, & indiviſim comparativè, & reſpectivè ad omnia, ſive ponenda, ſive non ponenda juxta cohærentiam, vel repugnantiam, vel impertinentiam, qua ſeſe mutuò cuncta correſpiciunt: cùm enim totum id repreſentet divinæ menti divina Omniſcientia; non eſt cur circa omnia non ſimul, & uno ductu exerceat ſe divina voluntas. Id quod innui videtur Sapientiæ 11. *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti*: quod de omnibus ſigillatim intelligendum appoſitè venit: quatenus nempe Deus ſummè providens ſingula diſpoſuerit decreto eſſentialiter, & indiviſim menſurativo, numerativo, & ponderativo ad omnia ſigillatim: ſimul videlicet, & indiviſim verſante circa omnia, alia volendo, alia nolendo, alia inducendo, alia permittendo. Atqui cum eiuſmodi decreto ſic comprehenſivè verſante ſuperfluũ deinceps eſſet, & otioſum, alia decreta circa res alias multiplicare adhuc virtualiter: ergo nec virtualiter multiplicanda ſunt divina decreta in negotio Incarnationis, & Redemptionis; ſed omninò dicendum, unico decreto, nec virtualiter diviſivili, attigiſſe Incarnationis, & Redemptionis opus, circumſtantias, finem, & media, peccata noſtra, merita Chriſti, auxilia inde nobis collata, & reliqua omnia: alia volendo, alia nolendo, alia permittendo pro æterno, ac infinito ſuo libito.

Sap. 11.

110 Objectionem minoris momenti ſumptam ex inconnexione multarum rerum mutuò ſeparabilium in exiſtendo, diluimus, *loco cit. de Attributis*, ubi fecimus hanc doctrinam univerſaliorem, & vidimus planiſſimè, quòd unus modus indiviſibilis, ſeu cognoſcendi, ſeu decernendi poteſt complecti plura objecta, quantumvis mutuo inconnexa, & invicem ſeparabilia in exiſtendo. Nunc tendimus ad alias objectiones, quæ ſpecialiùs faciunt ad præſens divinæ Incarnationis, & humanæ Redemptionis negotium: quod *Negotium ſæculorum*, appellavit meritò Chriſologus *ſerm. 143.*

Tom 1. diſp. 8. ſec. 4.

Chriſol.

***

SECTIO VIII.

Objectiones.

111 OBjicitur primò Negotium Incarnationis, & Redemptionis complectitur Chriſtum liberum ad merendum, & indifferentem ut nos redimeret, vel non: ergo decretum de exiſtentia Chriſti fuit etiam indifferens, ut ſimul cum illo decerneretur à Deo Redemptio, aut non decerneretur: ſed tale decretum non fuit indifferens ad ſe ipſum; cùm ſine ſe ipſo eſſe non potuerit: ergo decretum quod actu eſt in Deo, de meritis Chriſti, & de Redemptione noſtra, diverſum eſt quoad denominationem, & virtualiter ſeparabile à decreto, quod actu eſt de exiſtentia Chriſti. Prima conſequentia probatur: quia decretum efficax de Redemptione ita connectitur cum Redemptione, ut illa non exiſtente, aut non exiturâ, non exitiſſet: ergo ſi exiſtentia Chriſti, eiuſque decretum eſt indifferens ad Redemptionem & non Redemptionem, eſt etiam indifferens ad decretum de Redemptione; ac proinde, ut ſimul cum illo decerneretur, aut non decerneretur Redemptio. Quod ſine multiplicitate decretorum in hoc negotio, nec componi, nec intelligi valet.

112 Reſpondetur, diſtinguendo antecedens: complectitur Chriſtum indifferentem, ut nos redimeret, vel non redimeret; cum facultate conjungendi non Redemptionem cum præſenti Dei decreto de exiſtentia Chriſti, nego antecedens: cùm enim præſens decretum ſit ſimul, & indiviſibiliter decretum efficax de Redemptione noſtra per merita Chriſti; inconiungibilis eſt cum illo metaphyſicè non redemptio: cum facultate impediendi, ſeu evitandi, né extitiſſet præſens Dei decretum, concedo antecedens: ſicut dici neceſſe eſt de facultate impediva, ſeu evitativa, ne unquam extitiſſet in Deo præſens ſcientia viſionis, aut etiam Media de Redemptione. Non enim exiſteret, nec extitiſſet unquam quo ad denominationem huiuſmodi Dei decretum, ſi Chriſtus non eſſet liberè per merita ſua redempturus nos, & niſi de hoc præceſſiſſet in Deo Scientia media ſub hypotheſi talis libertatis Chriſti. Chriſtus ergo eàdem ipſâ libertate, qua potuit non applicare merita ſua ad Redemptionem noſtram, potuit impedire, ſeu evitare, non quidem quodcumque decretũ Deo poſſibile de ſua exiſtentia; benè verò præſens decretum, quod actu eſt, indiviſibiliter volens, & decernens exiſtentiam

Digitized by Google

ſiam ſuam,& redemptionem noſtram per ſua merita.

113 Nego autem conſequentiam de præſenti decreto,quod actu in Deo eſt,de exiſtentia Chriſti: ſimul enim indiviſibiliter eſt de Redemptione noſtrâ. Ad probationem, conceſſo antecedente,diſtinguo conſequens: ſi decretum præſens exiſtentiæ Chriſti,quod actu in Deo eſt, eſſet ſic indifferens ad Redemptionem, vel non Redemptionem, vera eſſet conſequentia: falſa verò, ſi præſens decretum non ſic indifferens eſt. Iam autem negavi hanc præſentis decreti indifferentiã: & iterum dico, quòd illa inconnexio objectorum, ſcilicet exiſtentiæ Chriſti, & exiſtentiæ Redemptionis, probat quidem, potuiſſe Deum in alio providentiæ ordine habere decretum exiſtentiæ Chriſti, quod ſimul non ſic eſſet decretum Redemptionis; non verò probat, quód in præſenti habeat Deus decretum exiſtentiæ Chriſti,quod ſimul,& omninò inſeparabiliter non ſit etiam decretum efficax Redemptionis; aut, quod ſit indifferens ad Redemptionem, & ad decretum de Redemptione actu exiſtens in Deo. Hoc enim omninò repugnat divinæ perfectioni.

115 Quod autem objecta plura intrinſecè inconnexa valeat connectere, ſeu complecti unus,& idem modus volendi, aut nolendi, aut cognoſcendi ſine ſegmentis virtualibus, in creatis etiam perſpicuum eſt. Hoc ergo dici à nobis de ſummâ Dei Mente, quo ad omnia tam volenda,quàm nolenda,quam permittenda, ſeu potiùs omninò impedienda, perperam iudicatur, aut inconciliabile, aut inintelligibile ſine multiplicitate virtuali decretorum actu exiſtentium in Deo: cui potiùs omninò repugnat, ſingula decreta virtualiter diviſibilia ſingulis rebus inconnexis adaptare pedetentim procedens in decernẽdo, quaſi noſtris cunctationibus indigeret ſumma illa Mens, uno ductu attingens *à fine uſque ad finem fortiter*, & diſponens *omnia*
Sap.8. *ſuaviter.*

116 Objicitur ſecundò. Redemptio noſtra fuit cauſa finalis exiſtentiæ, & meritorum Chriſti *ex ſec.1.* & exiſtentia,ac merita Chriſti, fuerunt cauſa meritoria Redemptionis noſtræ ex dicendis *diſp. 16.* ergo decre-
Infra *diſp.16.* tum intentivum Redemptionis noſtræ fuit ſuo modo cauſa decreti exiſtentiæ,& meritorum Chriſti: & decretum exequutivum exiſtentiæ,& meritorum Chriſti fuit veluti cauſa decreti exequutivi Redemptionis noſtræ: ſicque intervenire neceſſe eſt plura Dei decreta in huiuſmodi negotio: quæ, cùm realiter diverſificari non poſſint, debent eſſe diverſa virtualiter. Probatur conſequentia:nam cauſæ finalis, & meritoria cauſant intentionaliter effectus ſuos: quatenus nempé excitant in operante intellectuali voluntatem applicandi medium ad finem, aut conferendi præmium pro merito: ergo, ut intelligatur, quòd Redemptio noſtra cauſavit finaliter exiſtentiam, & merita Chriſti, debuit Redemptio noſtra, ciuſquè decretum eſſe dicto modo cauſa decreti exiſtentiæ & meritorum Chriſti. En igitur duo ſaltem Dei decreta in negotio Incarnationis; unum inductum, ac proinde diſtinctum ab alio virtualiter. Alioquin, quomodo exiſtentia Chriſti merentis fuit exfine Redemptionis, *& propter noſtrã ſalutem?* Similiter, ut verè dicantur exiſtentia, & merita Chriſti fuiſſe cauſa meritoria Redemptionis noſtræ, neceſſe eſt dicere,merita Chriſti, ac proinde illorum decretum fuiſſe cauſam decreti exequutivi Redemptionis noſtræ. En tibi duo alia decreta; unum ſimiliter inductum ab alio. Alioquin, quomodo Redemptio noſtra fuiſſet ex meritis,ſeu propter merita Chriſti?

117 Reſpondetur, conceſſo toto antecedente, negando totam conſequentiam. Ad cujus probationem fateor, cauſas finalem, & meritoriam cauſare intentionaliter. At exinde non ſit, decretum,ſeu volitionem finis debere virtualiter cauſare aliud decretum,quod ſit volitio medij; aut decretum meriti debere cauſare aliud decretum præmij; ſed finem, & meritum taliter exercere ſuam cauſalitatem intentionalem in medium, & præmium, ut voluntas intendentis, ſeu præmiantis velit poni medium própter finem,& dari præmiũ propter meritum. Hoc ſæpè fit in nobis per diverſos actus; priùs per unum amando finem propter ſe; deinde per alium, amando medium propter finem; priùs per unum acceptando obſequium meriti; deinde per aliũ conferendo præmium, interdùm verò in nobis etiam per unicum actum, qui ſimul ſit indiviſibiliter intentio finis, & electio medij, ex modo ſuo tendendi amans uno ductu finem propter ſe,& medium propter finem;ſanitatem propter ſe,& deambulationem propter ſanitatem, potiùs quàm é contra: quid enim hoc vetet? In hoc autem caſu, in nobis etiam poſſibili,intentio finis non erit cauſa electionis medij, cùm idem omninò actus noſter ſit intentio illa, & electio: & tamen veriſſimum eſt, quód finis eſt cauſa medij,& quòd medium amatur, & ponitur propter finem,& non é contra: id quod præſtat ex modo ſuo ſpeciali ſic volendi unus, & idem actus indiviſibiliter. Hoc ergo, quod interdum præſtatur ſic in nobis circa aliqua indiviſibi-

liter

liter per unicum actum abſque diſtinctione virtuali, à creatis longius amandanda; præſtatur ſemper in deo circa omnia: quandoquidem alium modum id præſtandi per inutilia ſegmenta decretorum, ſeu per plura decreta virtualiter diſtincta, nec ulla perſuadet ratio, nec patitur perfectiſſima Dei ſimplicitas, ſicut interdum patitur noſtra imperfectio modum id præſtandi per actus realiter diverſos. Quod dictum eſt de fine, & mediis aplicandum facile venit ad præmia, & mala.

118 Hinc neganda eſt abſolutè conſequentia probationis. Rectè enim intelligitur, ut vidimus, quod finis ſit cauſa mediorum, & meritum ſit cauſa præmij in genere intentionali, quin volitio finis ſit cauſa volitionis mediorum, aut volitio meriti ſit cauſa volitionis præmij: dummodò cum plenâ omnium notitiâ, amentur media propter finem, & conferatur præmium propter meritum: quod ſit ſæpe in nobis, & ſemper in Deo per unicum actum ſic indiviſibiliter volentem ea obiecta ex ſpeciali, & eſſentiali ſuo modo tendendi. Fruſtra ergo meditantur ibi Virtualiſtæ duo divinà decreta virtualiter diverſa, & unum virtualiter inductum ab alio. Abſit à divino decreto ſimpliciſſimè omnium comprehenſivo pinguis iſta cogitatio. Urgebis, &

119 Objicitur tertiò. Decretum Dei de exiſtentia Chriſti antecedit virtualiter ſcientiam viſionis exiſtentiæ, & meritorum Chriſti; decretum verò remittendi per Chriſtum peccata noſtra, quod pertinet ad Redemptionem noſtram, non antecedit, imò ſubſequitur virtualiter ad ſcientiam viſionis exiſtentiæ, & meritorum Chriſti: ergo ſunt decretà virtualiter diverſa: decretum enim omninò unicum nequit antecedere, & non antecedere eamdem ſcientiam. Prior pars antecedentis probatur per ea quæ communiter dicuntur de præcedentia virtuali decreti abſoluti ad ſcientiam viſionis: quæ ſcilicet, cùm videat res eſſe vel fore, quia ſunt vel erunt; ſupponit decretum Dei unde habeant eſſe vel fore. Probatur etiam poſterior pars: Deus enim remittit nobis redemptis peccata ex meritis Chriſti, & propter merita Chriſti: ergo decretum remiſſivum peccatorum non antecedit, imò ſubſequitur ſcientiam viſionis meritorum Chriſti. Accipiet robur hæc obiectio ex alia ſimili, quam oportunè proponemus, & ſolvemus *ſect. 11.*

120 Præ oculis habendum eſt, ad declinandas æquivocationes, quæ ſenſim incautos in uſu terminorum deſipere faciunt; quod monui *diſp. 4. de Attrib. num. 26. & diſp. 7. num. 50.* terminum iſtud, *virtualiter*, ſumi aliquando latiſſimè pro, *æquivalenter*, ſeu *eminenter*: quo largo modo dicitur Angelus eſſe virtualiter, id eſt eminenter, ſeu æquivalenter plures homines quoad aliquos effectus; v.g. ad vincendum exercitum: ad intelligenda difficilia. In his, & ſimilibus difficultatibus non loquimur cum hac latitudine; ſed ſumimus terminum, *virtualiter*, preciſiùs iuxta ſubiectas materias pro conceptu perfectionis formaliter repertæ in Deo fundante ſaltem, vel ſupponente virtualem diſtinctionem conceptuum obiectivorum, cuius virtute verificentur de re realiter eadem prædicata alioquin contradictoria in ſenſu reali. Huiuſmodi diſtinctionem non admiſſi niſi in divinis inter Abſoluta, & Relativa Dei *diſp. 7. & 18. de Attrib.* Tom. 1. diſp. 7. & 8.

121 Reſpondetur nunc ad obiectionē, negando utramque antecedentis partem, ſumpto, *virtualiter*, ſtrictè, uti debet & ſolet: nam alius ſenſus laxior non eſt è re. Neque enim decretum divinum antecedit virtualiter ſtrictè ſcientiam viſionis, quamvis actus Dei, qui ſimul eſt decretum, & ſcientia æquivaleat duobus actibus noſtris, quorum alter alterum realiter præcedit, & cauſat; neque decretum nos redimendi per Chriſtum, ſeu remittendi peccata noſtra ex meritis Chriſti præviſis, ſubſequitur virtualiter ſtrictè ſcientiam viſionis: quamvis actus divinus, qui ſimul eſt decretum, & ſcientia æquivaleat multis actibus noſtris in ſimili realiter diſtinctis.

122 Ad probationem prioris partis, verum eſt quod communiter dicimus, ſcientiā viſionis videre res eſſe vel fore, quia res ſunt, vel erunt; ac proinde, quia Deus decrevit eſſe, vel fore, potiùs quàm è contra; ſaltùm tamen eſt quod communiter hinc inferri ſolet, decretum præcedere virtualiter ſcientiam viſionis, aut ab illa virtualiter diſtingui. Illud enim ſalvatur in ſenſu aptiſſimo, & realiſſimo abſque diſtinctione, atqueadeò abſque præcedentia virtuali decreti ad ſcientiam; nimirum ex ſpeciali modo tendendi unius divini actûs, qui ex quidditate, & perfectione ſua habet, ſic ferri indiviſibiliter in obiectum, ut videat res eſſe quia res ſunt, aut quia decrevit fore, potiùs quam è contra: prout late adſtruximus, & illuſtravimus ex probatiſſimis Authoribus noſtris *diſput. 8. de Attributis ſect. 1.* per totam, *& ſect. 4. à num. 45.* ubi fecimus ſatis difficultatibus contra hoc ò currentibus. Nec eſt opus hic eadem recudere. Tom. 1. diſp. 8.

123 Ad probationem poſterioris partis, conceſſo antecedente, negatur conſequē-

Tom. 1. diſp. 4. & 7.

tia

tia de ſubſequutione, ſicut & de diſtinctione virtuali ſtricta. Nam, præterquamquód ad concipiendum decretum remittendi peccata propter merita Chriſti ſufficit notitia huius motivi habita á Deo per ſuas ſciẽtias Intelligẽtiæ ſimplicis,& Mediã,ut eſt cõmunis doctrina Noſtrorum admittentiũ cum P.Suarez abſolutam electionem prædeſtinatorum ad gloriam,ut coronam,non præſuppoſitâ abſolutâ prævisione meritorum;quamvis velimus concedere adverſarijs ad aliquod munus prędicti decreti deſervire abſolutam prævisionem alicuius obiecti; poteſt totum id fieri, & intelligi ſine præcedentia virtuali ſcientiæ viſionis ad decretum, & ſine ſubſequutione virtuali decreti ad ſcientiam viſionis, ut ſpecialiùs dicemus *ſect.* 11.

124 Itaque decretum exiſtentiæ Chriſti,viſio meritorum Chriſti, & decretum redimendi nos, ſeu remittendi peccata noſtra ex meritis Chriſti,ſunt in Deo unicus,& idẽ actus virtualiter etiàm impartibilis; ac proinde abſque ordine prioritatis,& poſterioritatis virtualis intrinſecæ inter ſe: quamvis verum ſit, quod extrinſecé comparative ad nos, qui una actu ſolemus cognoſcere obiectu m, & alio actu velle; & deinde alio actu volumus ſæpe poni aliud, obiectum nempe medium,aut præmium,propter exiſtentiam, ſeu præintentionem illius prioris obiecti,nempe finis, aut meriti priùs voliti; æquivalet eminentiſſimè unicus Dei actus cunctæ huic noſtræ multiplicitati, & ordini reali prioris, & poſterioris per ſuam ſummam ſimplicitatem intrinſecam ex modo ſuo tendendi perfectiſſimo taleus. Quam æquivalentiam, & in humanis videmus: poſſumus enim, & nos uno actu velle ſanitatem, & alio actu deambulationem; item alio deambulationem pariter,& ſanitatem;alio ſanitatem propter deãbulationem; & alio deambulationem propter ſanitatem:in quo poſtremo, quamvis verum ſit,quòd amatur deambulatio,quia amatur ſanitas, potius quàm è converſo; non tamen perinde amor iſte ſanitatis diſtinguitur ab amore deambulationis, aut in iſtum influit; cùm unicus actus ſit utriuſque amor cum formalitatibus tantùm per tationem diverſis; ſed indicatur ſpecialis modus tendendi actús indiviſibilis, æquivalentis duobus realiter alioquin diſtinctis, quorum unus eſſe ſolet pura intentio ſanitatis ut finis, & alius pura electio deambulationis ut medij.

***

SECTIO IX.

Ulterior obiectio ſingularis.

125 OBijcitur quartó. Cum unico Dei decreto Incarnationis, & Redemptionis non ſtat in hominibus redimendis libertas ad peccandum: ergo eiuſmodi decretum non eſt unicum de toto eo negotio; imó diviſibile virtualiter in varia decreta virtualiter invicem ſeparabilia. Antecedens probatur,eiuſmodi libertas dicit eſſentialiter conſtitutivè libertam applicationẽ Omnipotentiæ divinæ, ita indifferentem ad utrumlibet actum peccandi, & non peccandi,ut ſit coniungibilis cum utrolibet: ſed cũ unico illo Dei decreto indiviſibili non ſtat ea applicatio Omnipotentiæ coniungibilis cum utrolibet extremo, ſive peccandi, ſive non peccandi: ergo nec ſtat in hominibus redimendis libertas ad peccandum, & non peccandum. Maior probatur: quia applicatio divinæ Omnipotentiæ eſt de conſtitutivo cuiuslibet poteſtatis creatæ, utpotè nihil omninò abſolutè potẽtis ſine præparatione libera divini concurſús: quæ quidem libera præparatio eſt applicatio Omnipotentiæ ad operationem creaturæ. Probatur autem minor: nã ea applicatio Omnipotentiæ eſſet in noſtro caſu omninò indiviſibiliter decretum Dei abſolutum, & efficax de Redemptore, & de Redemptione peccatorum, & talium peccatorum: alioquin iam darentur actu in Deo duo ſaltem decreta invicem ſeiungibilia virtualiter:unum quod ſit applicatio libera omnipotentiæ coniungibile cum non peccato; aliud,quod ſit decretum efficax,& abſolutũ Redemptoris inconiungibile cum non peccato. Atqui decretum efficax, & abſolutum de Redemptore, & de Redemptione eſt inconiungibile cum non peccato; cúm ſtare nequeat cum omnimoda omiſſione,ſeu evitatione peccati: ergo ea quoque applicatio omnipotentiæ, quæ omnino indiviſibiliter eſſet decretum ipſum de Redemptore,& de Redemptione eſſet inconiungibilis cum peccato.

126 Propter hanc vim prædoctus huius noſtri Collegij Magiſter, tuitus alioquin ſapienter indiviſibilitatem divini decreti; ad hoc tamen iudicavit admitti debere actu duo ſaltem Dei decreta virtualiter ſeiungibilia in negotio Incarnationis: unum pro liberâ applicatione Omnipotentiæ coniungibile cum non peccato, ſive cum omnimodâ evitatione peccati, utpote volens efficacitet Redemptionem eſſentialiter impotem eſſe, & de-

P. Gualdericus Rie.

& decerni, caſu evitationis omnis peccati. Ipſe tamen nullâ ratione convincor, ut vel hanc ſciſuram patiar in divino decreto, ne forſan aditus alijs aperiatur.

127 Reſpondetur itaque ad obiectionem difficilem, aſſuetam ſimiliter fieri contra præfinitionem divinam noſtri actûs liberi, quæ ſit indiviſibiliter applicatio Omnipotentiæ prærequiſita ad noſtram libertatem complectentem poteſtates ad utrumque extremum; negando primum antecedens. Ad probationem, nego maiorem. Ad cuius probationem obſervandum eſt, applicationẽ Omnipotentiæ divinæ ad effectus creaturarum eſſe duplicem: unam, neceſſariam, & determinatè requiſitam, ſeu prærequiſitam, imò & conſtitutivè ſe habentem ad quamlibet abſolutam poteſtatem creatam; cùm creatura ad nihil ſit potens ſe ſolâ: aliam, non neceſſariam, nec determinatè prærequiſitam, aut requiſitam; ac proinde non ſe habentem cõſtitutivè ad abſolutam poteſtatem creatam.

128 Illa prior eſt ipſa quidditas intrinſeca Omnipotentiæ: cui utique cùm eſſentialiter repugnet quidquam fieri à creatura, & non ab ipſa; neceſſarium, & eſſentialiſſimũ ipſi eſt ex intrinſecis ſuis concurrere, ſi creatura operetur: haud ſecùs, ac eſt neceſſarium, & eſſentialiſſimum divinæ immenſitati adeſſe præſentem creaturæ cuicumque, ſi creatura exiſtat alicubi. Unde apparet liquidò, illos, qui decretum ſpeciale Dei applicativum requirunt ad id muneris, ut nempe Omnipotentia concurrat, ſi creatura operatur, non ſatis concinnè procedere: quippe ad id quod neceſſarium eſt, & quod ex intrinſecis ſuis habet Omnipotentia volunt decretum Dei liberum: quo certè non indiget Omnipotentia; ſicut nec Immenſitas Dei ex intrinſecis ſimiliter ſuis neceſſitata ad indiſtandum á quacumque re, ſi res alicubi ponatur: ut latè proſequutus ſum *diſp. 9. de Attrib. à ſect. 9.* Nec valet recurſus ad contingentiam illius conditionis, *ſi creatura operetur*. Nam ſimiliter contingens eſt pro Immenſitate ſimilis illa conditio, *ſi res alicubi ponatur*. Supervacaneum ergo eſt ad id muneris ſpeciale decretum conditionatum, ſeu quaſi conditionatum, tam pro huiuſmodi applicatione Omnipotentiæ ad cooperandum, quàm pro applicatione Immenſitatis ad indiſtanter coexiſtendum.

Tom. 1. diſp. 9.

129 Alia poſterior applicatio non eſt ipſa quidditas Omnipotentiæ; ſed eſt Deo prorſùs libera, ſicut eſt Deo liberum, quòd creatura operetur, vel non operetur: impediendo ſcilicet, aut non impediendo operationem creaturæ, qua quidem non operante, non cooperaretur Deus. Et in hoc quoque tenet paritas Immenſitatis, de cuius intrinſecis non eſt adeſſe præſentem creaturis: ſed eſt hoc Deo prorſùs liberum, ſicut eſt Deo liberum, quòd creaturæ exiſtant, vel non exiſtant, impediendo ſcilicet, aut non impediendo exiſtentiam creaturæ, quâ quidem non exiſtente, non coexiſteret Deus, neque illi præſens adeſſet. Stat ergo hæc poſterior applicatio in volitione Dei non impediendi operationem creaturæ: eo enim ipſo quòd Deus velit non impedire, ſeu nolit impedire cauſam ſecundam, ut abſolutè poteſt, eſt ipſi Omnipotentia liberè à Deo applicata ad operandum ſuo ſimul, & divino concurſu. Notanda eſt ergo diverſitas in aplicatione Omnipotentiæ ad effectus, qui à ſolo Deo fiunt; & ad effectus, qui à Deo, & creatura: ad illos applicatur Omnipotentia à decreto, qui ſit volitio effectuum, nam eos operatur, quia vult operari; ad iſtos verò non ſemper à decreto, qui ſit illorum volitio, cùm multi ſint effectus creaturæ à Deo non volibiles; ſed à decreto nolente eos impedire; cùm effectus etiam ab ipſo minimè volibiles, ut ſunt peccata, poſſit ſemper, & velit ſæpè efficaciter Deus impedire, & aliquando velit efficaciter non impedire, quod eſt illos liberè permittere ſuis cauſis ſecundis. De quo latè *loc. cit. de Attributis.*

130 Ex ijs ad probationem prædictæ maioris dico, confundi ibi immeritò duas applicationes Omnipotentiæ nuper à nobis diſcriminatas: unam intrinſecam, & neceſſariam; aliam Deo liberam, & Omnipotentiæ contingentem ac formaliter quaſi extrinſecam. Veriſſimum quidem eſt, priorem illam applicationem Omnipotentiæ eſſe de conſtitutivo cuiuslibet poteſtatis abſolutæ creatæ, ut poté ſe ſolâ nihil omninò potentis. De hac tamen applicatione, conceſſâ maiori primi ſillogiſmi, minor eſt falſa, & probatio minoris extra rem. Quia eiuſmodi applicatio, cùm ſit quidditas ipſa intrinſeca, & neceſſariſſima Omnipotentiæ, cuius intrinſecis eſſentialiter repugnat, quidquam fieri, ipsâ non effectivè concurrente, non eſt libera Deo, aut nobis, nec ſtat in ullo Dei decreto: ſicut nec applicatio intrinſeca immenſitatis ad coexiſtendum indiſtanter cuicumque creaturæ exiſtenti.

131 At non eſt ita verum de poſteriori aliâ applicatione liberâ Omnipotentiæ: quæ ſcilicet, aut non eſt de cõſtitutivo, ſed de prærequiſito poteſtatis creatæ, ſicut etiam, & increatæ; aut, ſi velis, eſſe de conſtitutivo, non eſt hæc numero determinata; ſed una vel alia: ſicque ſive per hoc ſive per aliud decre-

tum

tum Dei liberum applicetur liberè in actu primo Omnipotentia, ſicut una,& eadem eſt numero Omnipotentia, ita etiã una,& eadem eſt poteſtas creata, aliter tamẽ,aut aliter applicata. Quemadmodũ eadẽ eſt victus per ſe proximè combuſtiva ignis,imò,& eadem numero combuſtio,ſive ignis applicetur ligno à Deo, ſive ab Angelo,ſive ab homine,ſive à beſtiâ, quamvis applicatio, ſive approximatio ſit diverſa:in quo mihi nihil eſt dubij,& ut judico, dubitare poteſt nemo.

132 De hac ergo poſteriori applicatione liberâ Omnipotentiæ negatur maior primi Syllogiſmi, quòd nempe libertas noſtra dicat eſſentialiter liberam hanc applicationem Omnipotentiæ divinæ ita indifferentem ad utrũlibet actũ peccandi,& non peccãdi,ut ſit coniungibilis cum utrolibet:ſed unam,aut aliam, ſcilicet, ſive indifferenter coniungibilem cum utrolibet exercitio libertatis; ſive indifferenter amovibilẽ,ſeu evitabilẽ pro libito voluntatis noſtræ in libertate conſtitutæ. Nõ enim eſt neceſſe ad libertatem, quòd omnia prærequiſita ſeu cõprincipia libertatis ſint cõiũgibilia cũ utrolibet extremo libertatis exercitæ, ut patet in præfinitione, & in præſcientia media ſive dirigente, ſive non dirigente,& in actu efficaciter imperante,& abs dubio in Gratia habituali influente in actum præceptum liberrimum: quamvis quæcumque illarum ſit inconiungibilis cum omiſſione liberæ actûs præfiniti, præſciti,imperati, ſeu præceptî: de quibus ſuis in locis.

133 Diſtinguo autem minorem: cum unico illo Dei decreto indiviſibili non ſtat ea applicatio Omnipotentiæ *intrinſeca*, & *neceſſaria* coniungibilis cum utrolibet extremo ſive peccati ſive non peccati, nego: quia ea applicatio intrinſeca, cùm ſit ipſa quidditas Omnipotentiæ, in utrolibet, & in quocumque caſu ſtaret: *extrinſeca*, & *libera*, concedo minorem; & nego conſequentiam: quia ad libertatem id nulla ratione requiritur,dummodò hæc applicatio inconiungibilis cum altero extremorum, ſit liberè evitabilis pro libito voluntatis in tali libertate conſtitutæ; ſicque verè indifferens: non quidem indifferentiâ *coniungibilitatis*; ſed indifferentiâ *evitabilitatis*: qui ſunt termini notiſſimi. Ad probationem minoris concedo libenter maiorem de ea applicatione liberâ: quatenùs illud ipſum decretum de Redemptore, & de Redemptione eſſet ſimul permiſſio talium peccatorum, eſſetque volitio efficax conſtituendi peccatorẽ in tali libertate,& nolitio etiam efficax impediuenti ad peccandum inevitabilis pro libito voluntatis humanæ: quo ſatis manet liberè,pro libito Dei potentis hæc omnia impedire,applicata Omnipotentia. Concedo etiam minorem: & in eodem ſenſu conſequentiam: quæ non infert, nec inferre poteſt partem à nobis negatam de applicatione neceſſariâ; ſed partem ultrò conceſſam de hac extrinſecâ, & liberâ: cuius coniungibilitas cum utrolibet extremo libertatis creatæ minimè requiritur; ſed vel cõiungibilitas, vel evitabilitas pro libito voluntatis creatæ ſic in hac libertate conſtitutæ, quæ poſſet etiam in eadem libertate conſtitui per aliam applicationem liberam eiuſdem Omnipotentiæ iuxta alium modum poſſibilem divinum decernendi, attingentem etiam omnes creaturas, ſive volendo,ſive permittendo, ſive omninò nolendo.

134 Dices, priorem illam applicationem intrinſecam,qua Omnipotentia dicitur ex intrinſecis ſuis parata ad cooperandum cum creatura ſub condicione, ſeu quaſi conditione, quòd creatura ſe determinet ad operandum,non aptè venire nomine applicationis, aut præparationis Omnipotentiæ: cum neceſſaria ſit, & ab omnibus in confeſſo, ac proinde omninò extra quæſtionem. Occurrò tamen, & dico, quòd ſcrutetur communis ſententia ſuum illud decretum coniungibiliter indifferens applicativum conditionatum, ſeu quaſi conditionatum, quo expeditur, ut aiunt, Omnipotentia ut præſto ſit ad concurrendum, ſi creatura prolibito vult operari; & comperiet ſine dubio, eiuſmodi decretum nihil aliud præterid præſtare erga Omnipotentiam. Unde vel illa intrinſeca applicatio mereretur abſoluti ſſimè nomen applicationis Omnipotentiæ, vel huiuſmodi decretum id non mereretur. Si dicant, eiuſmodi decretum eſſe Deo liberum; hoc negamus, & dicimus id non niſi repugnanter dici: quomodo liberum, ſi eius oppoſitum eſt omninò impoſſibile? Impoſſibile nãque certò eſt decretum oppoſitum, quo ſcilicet vellet Deus, Omnipotentiã non concurrere, ſi creatura operetur: ſicut & decretum, quo vellet Immenſitatem non coexiſtere indiſtanter creaturæ, ſi creatura exiſteret. Si dicant, eiuſmodi applicationem intrinſecam, & neceſſariam requirere in Deo ulteriùs aliam liberam, & contingentem,ut Deus liberè concurrat, aut non concurrat; verum dicunt: at dico, hanc aliam etiam requiri ultra decretum illud indifferens, utpote non minùs neceſſarium Deo,quàm Omnipotentia. Unde ſupervacaneum omninò debet iudicari: & omninò dicendum illam, quàm contradiſtinximus applicationem intrinſecam,& neceſſariam Omnipotentiæ ad effectus cauſarum ſecundarum, verè dici, & eſſe applicationem Omnipotentiæ.

potentiæ, ut bene vidit oculatiſſimus Ant. Perez, ſic etiam loquutus *tom. 2. in 2. d 4. n. 2.* Perez.

135 Dices iterùm: cur, & quomodo, prior illa applicatio intrinſeca Omnipotentiæ debet eſſe determinatè hæc una numero pro omni caſu ad omnes effectus, & cum quolibet indifferenter coniungibilis; & applicatio iſta poſterior libera, & contingens, non ſic; ſed hæc, aut alia? Definet tamen hoc mirari qui animadvertat, ut oportet, Omnipotentiam eſſe omnino unicam, nec eſſe Deo poſſibilem aliam; decreta verò libera Dei eſſe multa poſſibilia iuxta varios modos divinos poſſibiles volendi, & nolendi omnes res contingentes. Non ergo mirum, quòd in uno caſu per unum, & in alio per aliud poſſit eadem Omnipotẽtia aliter, & aliter applicari. Patet: quia, ſi poſſibiles eſſent duæ Omnipotentiæ in ſolidum completivæ virtutis cauſarum ſecundarum ad operandum, non opus eſſet applicatione intrinſecâ huius Omnipotentiæ ad complerionem virtutis creatæ; ſed diſiunctivè unius, vel alterius. Hoc autem, quod de duabus Omnipotentijs non eſt poſſibile pro libito Dei; eſt pro libito Dei poſſibile de decretis, eo modo quo libera Deo ſunt quoad ſic vel ſic denominandum: & hoc eſt quod de illis de facto dicimus quoad denominationem ſic, aut ſic applicãdi liberè hanc Omnipotentiam.

136 Rurſùs dices. Quidquid ſit de alijs decretis, at ſaltem de decreto eſſentialiter cõnexo cum peccato quale eſt decretũ efficax de Redemptore, & de Redemptione, imperceptibile eſt, quòd ſit applicatio, ſeu præparatio Omnipotentiæ ad evitandum peccatum, prout opus eſt ad libertatem peccandi: & de decreto eſſentialiter connexo cum evitatione peccati, quale eſt decretum efficaciter volens hominem bene operari, ſimiliter eſt imperceptibile, quòd ſit applicatio Omnipotentiæ ad peccandum, prout opus eſt ad libertatem benè operandi urgente præcepto. Quomodo enim poteſt eſſe applicatió, ſeu præparatio Omnipotentiæ ad actum, eſſentiale impedimentum actûs, quale eſt decretum connexum cum extremo oppoſito actûs? Cùm ergo Dei decretum de Redemptore, & de Redemptione reparativâ ſit eſſentialiter connexum cum peccato, & impeditivum evitationis peccati, nequit eſſe præparatio Omnipotentiæ ad peccatum: & ſimiliter decretum, quod ſit volitio intrinſecè efficax bonæ noſtræ operationis obligatoriæ, cùm ſit eſſentialiter connexum cum eâ noſtra operatione, & impeditivum peccati, quo omittetur ea operatio; eſſe nequit præparatio Omnipotentiæ ad peccatum dictæ omiſſionis. Ergo decretum applicativum, ſeu præparativum Omnipotentiæ ad utrumlibet, debet eſſe decretum aliud à prædictis decretis, coniungibile cum utrolibet extremo libertatis noſtræ, etiam cum illo, quocum coniungi nequeunt alia decreta: ac proinde neceſſe eſt quòd in negotio incarnationis, & Redemptionis interveniant varia decreta virtualiter ſeiungibilia, ſaltẽ pro applicatione Omnipotẽtiæ ad actus liberos creatos.

137 Reſpondetur, hanc aplicationem, ſeu præparationem Omnipotentiæ Deo liberam ad operationes liberas creaturarũ, in eo præciſſe ſtare, quòd Deus, potens impedire, ſeu non impedire pro libito ſuo quemlibet effectum creaturæ, utpote ſibi in eſſendo, & in operando ſubiectæ: liberè velit illam relinquere in manu conſilij ſui efficaciter nolens impedimentum ullum eſſentialiter excluſivum utriuslibet extremi libertatis creatæ inevitabile prolibito voluntatis. Porro quicumque actus liber divinus id præſtet erga voluntatem creatam erit libera applicatio præparativa Omnipotentiæ, prout opus eſt ad libertatem creatam; ſive talis actus liber divinæ voluntatis ſit ſimul libera volitio volitionis liberæ creatæ, ut quando hæc eſt bona; ſive non ſit, ut quando hæc eſt mala, & peccaminoſa, ideòque involibilis a Deo. Sic quocumque modo præſtetur, quòd verè ponatur animal rationale in rerum natura, habebimus hominem: hoc eſt enim omnis homo, ſi ſic ſimul præſtentur alia, ſive non.

138 Hinc ad argumentum, nego totum antecedens: quia cum quolibet illorũ decretorum intelligi, & ſtare optime poteſt quòd ſit etiam volitio divina libera efficax nolendi impedimentum eſſentiale utriuslibet extremi libertatis creatæ ab iſta pro libito inevitabile. Si dicas, hoc ipſum decretum eſſe tale impedimentum; hoc negamus: quod ex alijs capitibus diſputandum eſt: imò dicimus eſſe pro libito creatæ libertatis evitabile, non minus ac eſt evitabilis ſcientia media præcedens ad tale decretum: ideoque, quamvis ſit inconiungibilis ea Dei ſcientia, purificatâ ſuâ hypotheſi, cum altero extremo libertatis creatæ, nõ eſt impedimentum tollens libertatem, quia inevitabile non eſt pro libito creaturæ, utpote ſic a Deo conſtitutæ in manu conſilij ſui. Ad probationem illam interrogatoriam antecedentis, reſpondeo, poſſe quidem optimè impedimentum eſſentiale actûs eſſe præparationem Omnipotentiæ ad actum, dummodò ſit ſimul nolitio nullum adhibendi impedimentum actûs inevitabile pro libito voluntatis: in hoc enim ſtat libera hæc Omnipotentiæ præparatio. In quo equidem non maiorem invenio autrepugnantiam, aut

diffi-

difficultatem, quàm in eo quòd exiſtentia, ſeu actualitas rei contingentis ſit ipſa potentia ad non exiſtendum, cum tamen ſit eſſentialiſſimum impedimentum non exiſtendi. Unde nego totas duas conſequẽtias. Et ratio conſtans ſit: quia eiuſmodi impedimentum cùm ſit evitabile pro libito voluntatis, non eſt impedimentum poteſtatis quo ad eſſe, ad quam poteſtatem pertinet applicatio Omnipotentiæ (non loquimur de applicatione in actu ſecundo operandi, quæ eſt ipſe concurſus Dei, & actio noſtra) ſed eſt impedimentum poteſtatis quoad exerceri, hoc eſt impedimentum alicuius exercitij talis poteſtatis, cum quo exercitio componi nequit tale decretum, benè verò cum poteſtate ad illud: ſtat enim benè poteſtas ad exercitium cum impedimento ſui exercitij evitabili pro libito: ſicut ſtat poteſtas ad utrumque cùm ſcientia Dei incompoſibili cum aliquo exercitio libertatis creatæ; incompoſibili, inquam, cum exercitio ſibi oppoſito, non verò cum poteſtate ad exercitium ſibi oppoſitum.

139 Inſiſtes tandem. Ad libertatem creaturæ plenè conſtitutam non ſolùm requiritur poteſtas evitandi pro eius libito decretum eſſentialiter impeditivum exercitij oppoſiti; verùmetiam poteſtas adquirendi pro libito aliud decretum præparativum requiſitum ad exercitium oppoſitum: ſed hæc poteſtas adquiſitiva non ſtat in voluntate creata cum præſenti decreto præparativo Omnipotentiæ connexo cum hoc exercitio libertatis: ergo nec cum eo ſtat libertas. Maior patet: nam implicat poni exercitium oppoſitum ſimul cum præſenti decreto præparativo: cùm autem implicet poni exercitium oppoſitum ſine omni decreto præparativo, requiritur aliud decretum præparativum, ut ponatur exercitium oppoſitum: atqui de facto non datur aliud decretum præparativum præter illud connexum cum hoc exercitio: ergo illud aliud decretum præparativum debet poſſe adquiri pro libito voluntatis ſic cõſtitutæ, ut ſtet ipſius libertas cum poteſtate ad utrumque. Probatur autem prima minor. Primò: quia non eſt pro libito voluntatis creatæ, quòd Deus præparet, aut non præparet Omnipotentiam; cùm id pertineat potius ad ſupremum dominium Dei. Secundò: quia voluntas nullam aliam habet poteſtatem adquirendi ſibi decretum aliud præparativum Omnipotentiæ requiſitum ad exercitium oppoſitum, niſi poteſtatem, quam ex vi præſentis decreti præparativi habet ad exercitium oppoſitum; atqui per hanc non poteſt ſibi adquirere illud aliud decretum: eſſet enim illud aliud decretum ſibi adquirere per exercitium oppoſitum: quòd implicat: cùm enim exercitium oppoſitum non ſit antecedens ad decretum præparativum quo eſſentialiter indiget, quinimò deberet eſſe conſequens, nequit eſſe acquiſitivum, ſed præſupoſitivum decreti antecedentis: ut ex terminis videtur manifeſtum. Nullam ergo poteſtatẽ haberet ad id voluntas creata, modo dicto conſtituta. Exeruit totas vires obiectio.

140 Reſpondetur, concedendo maiorem: non ſolùm propter eius probationem veriſſimam; ſed quia, cùm Deus nequeat manere ſuſpenſus in decernendo, aut non decernendo, quippe circa res omnes contingentes debet exercere divinam ſuam libertatem ab æterno, ſive volendo, ſive nolendo, ſive permittendo, ſive nolendo permittere; eo ipſo, quòd voluntas creata conſtituatur liberè a Deo in ſtatu, in quo poſſit evitare aliquod Dei decretum, aut ſcientiam, quem caſum & Adverſantes concedunt; conſtituitur in ſtatu in quo poſſit facere quòd Deus loco iſtius decreti habuerit aliud, ſicut quòd loco iſtius ſcientiæ habuerit aliã? quod in re eſt poſſe volũtatẽ creatã ſic à Deo conſtitutam adquirere aliud Dei decretum, & aliam Dei ſcientiam, ſicut, & impedire, aut evitare præſentem. Quòdſi Deus pro primatu ſuæ libertatis ſuptemæ voluiſſet ad nullam creaturæ operationem parare Omnipotentiam, aut nullius creaturæ exiſtentiam decernere; dicam, illum non fore caſum præſentem voluntatis creatæ pro libito Dei in hac libertate conſtituræ; ſed fore caſum nullius libertatis niſi divinæ, qui nõ venit ſub præſentem quæſtionem.

141 Minorem autem nego: aut claritatis gratiâ, diſtinguo: poteſtas adquiſitiva per modum influxùs phyſici efficienter cauſativi talis decreti requiſiti ad exercitium oppoſitum, concedo: adquiſitiva per modum illationis intẽtionalis, nego minorem: Quemadmodum dici ab omnibus noſtris neceſſe eſt, voluntatem conſtitutam in hac libertate ad conſenſum, & diſſenſum, & re ipſa conſentiẽtem, ſicut poteſt impedire, ſeu evitare ſcientiam Dei connexam cum conſenſu, poſſe facere ut ſit in Deo ſcientia oppoſita de diſſenſu: non quidem adquirendo ſibi hanc aliam Dei ſcientiam per phyſicum influxum in ipſam; ſed per modum illationis intentionalis ipſius: quatenùs eò ipſo, quòd voluntas diſſenſura eſſet, deberet eſſe in Deo ſcientia de diſſenſu: quod non ſolùm verum eſt de ſcientia viſionis, quæ dicitur ſubſequi ad diſſenſum abſolutum; quin etiam de ſcientia media, quæ diſſenſum abſolutum non ſubſequitur, ut latiùs expono in Diſputationibus

de Prædeſtinatione agens de directione ſciẽtiæ mediæ innegabili à Magiſtris Societatis verè pugnantibus, ut opus eſt, pro talis divinæ ſcientię utilitatibus.

142 Ad primam probationem minoris dico, non eſſe pro libito voluntatis creatæ, quód Deus præparet Omnipotentiam abſolutè,& ſimpliciter: hoc enim eſt pro libito ſupremo,& abſolutiſſimo Dei. Suppoſitâ tamen pro libito Dei conſtitutione voluntatis creatæ in tali libertate, & præparatione Omnipotentiæ, quód ſit pro libito voluntatis ſic liberè conſtitutæ, Omnipotentiam alio, aut alio Dei decreto præparari,non eſt contra ſupremitatem libiti divini: ſicut nec contra hoc eſt, quód voluntas in libertate conſtituta poſſit per hanc eamdem libertatem facere quód non fuerit in Deo hæc ſcientia Viſionis, aut Medii, nec divina Præſiuitio de ſuo conſenſu. Quod in doctrinis Societatis pervium eſt, & exploratiſſimum. Inſuper juxta doctrinas in via Societatis innegabiles de directione ſcientiæ mediæ ad collationem auxilij, non conferendi, niſi voluntas eſſet conſenſura; per hanc ipſam numero libertatem conſtitutam per iſtud auxilium eſt voluntas potens liberè diſſentire,ſicque impedire exiſtentiam ipſius auxilij conſtitutivi huius libertatis. Pro quo vepiri neceſsè eſt ad doctrinam noſtræ reſponſionis, aut deſerere directionem ſcientiæ mediæ, quæ eſt Eximię Scholę quaſi ocularis pupilla.

143 Ad ſecundam probationem dico, veram eſſe majorem: nego tamen minorem, ejuſque rationem ibi adjunctam, Nam poſſe voluntatem adquirere ſibi modo dicto illud aliud decretum præparativum Omnipotentiæ per poteſtatem, quam in ea libertate habet ad exercitium oppoſitum, non eſt id poſſe per exercitium oppoſitum: poteſtas enim ad exercitium oppoſitum, & ipſum exercitiũ oppoſitum res ſunt diverſiſſimæ: illa poteſtas ſtat cum præſenti exercitio, & cum præſenti decreto præparativo; iſtud verò exercitium oppoſitum cum neutro eorum ſtat, nec ſtare poteſt: cùm ſtare nequeat, niſi impeditis illis, né cum ipſo ſtent: illa poteſtas competit voluntati pro libito Dei, etiam quando pro libito ſuo abſtinet ab exercitio oppoſito, & aliter ſe nunc exercet;illud verò exercitium oppoſitum non competit voluntati, quando pro libito ſuo abſtinet ab exercitio oppoſito. Non ergo dicimus exercitium oppoſitum, quod nempè nec eſt, nec erit, eſſe adquiſitivum illius alterius decreti præparativi, quo indiget;ſed volũtatẽ in præſenti libertate cõſtitutam cũ præſenti decreto præparativo Omnipotentiæ pro libito Dei,eſſe adquiſitivam pro libito ſuo alterius decreti aliter præparativi, ſicut eſt impeditiva,ſeu evitativa decreti præſentis, per poteſtatem, quam ex vi præſentis decreti habet ſe aliter exercendi. Quæ omnia à noſtris Auctoribus dici debent circa divinas ſcientias, præſertim ſi, prout omninó oportet, defendenda eſt directio ſcientiæ Mediæ, ut expendo fuſiùs in Diſputationibus de Prædeſtinatione: quó remitto cætera, quæ hìc deſiderari poſſent.

SECTIO X.

Quomodo ſe habeat ad Motivum, & ad Decretum Incarnationis Redemptio à peccato Originali, & à ſingulis actualibus.

144 PAter Vaſquez, ſuppoſitâ Sancti Thomæ ſententia de Chriſto non venturo, ſi Adamus non peccaſſet,ut retulimus *ſec. 1.* docet in præſenti, quód ſolo peccato Originali commiſſo,& transfuſo,nullo deinde alio hominum peccato commiſſo, veniſſet Chriſtus; non verò veniſſet, ſi ſola actualia perſonalia, ſine Originali, commiſſa fuiſſent. Sic ergo Redemptio à peccatis actualibus perſonalibus fuit motivum minús præcipuum Incarnationis juxta præſens decretum; præcipuum autem motivum ſpeciale fuit Redemptio ab Originali. Non quidem ab Originali, prout fuit perſonale ſolius Adami, ut falsò nonnulli tribuunt Patri Vaſquez; ſed prout fuit etiam Originale Poſterorum,& infecit Genus humanum. *Vaſquez.*

145 Parer Suarez, exiſtimans cum Scoto, ut ibidem retulimus, Chriſtum venturum quoque fuiſſe, nullo etiam hominum peccato commiſſo, quamvis non quoad circunſtantiam, & munus Redemptoris reparativi; docet nunc, decretum Dei de Chriſto, ut Redemptore, ita habuiſſe pro motivo ſpeciali præcipuo Redemptionem ab Originali, ut ex vi præſentis decreti veniſſet Chriſtus Redemptor paſſibilis, ſolo Originali commiſſo. Si verò Originali non commiſſo, major pars hominum perſonaliter peccaret, decerneretur etiam à Deo Chriſtus Redemptor paſſibilis; alio tamen decreto. *Suar. Scot.*

146 Pater Eſparza *quæſt. 18.* infert ex ſuis doctrinis, quocumque peccato ex ijs, quæ de facto committuntur, non commiſſo, Chriſtum non venturum fuiſſe ex vi præſentis decreti formaliter: arguitivé verò, prout colligere,& arguere licet ex præſenti Dei decreto, venturum fuiſſe nullo etiam commiſſo peccato: & venturum fuiſſe, ut Redemptorem,& paſſibilem, ſolo commiſſo Originali, *Eſparz.*

li, abſque alijs peccatis; non verò, commiſſis alijs abſque Originali. Sicque dixerat *quæſt.* 14. Redemptionem ab Originali fuiſſe motivum præcipuum decreti de Redemptore paſſibili. Alias variorum Sententias refert copioſiùs P. Amicus *diſp.7.* Meam ego quatuor concluſionibus expono.

Amicus.

147 Prima concluſio. Solo peccato Originali commiſſo, & in Poſteros Adami tranſfuſo, demptis alijs peccatis perſonalibus, veniſſet Chriſtus Redemptor ex vi præſentis decreti arguitivè. Hoc eſt, quòd, quamvis in eo caſu non eſſet præſens Dei decretum, juxta dicta de indiviſibilitate divini decreti *à ſec. 7.* ac proinde nihil fieret ex vi præſentis decreti formaliter; ex iſto tamen decreto præſenti colligitur, & rationabiliter arguitur, quòd in eo caſu daretur in Deo decretum aliud de Chriſto Redemptore. Sic, ſi Princeps prudentiſſimus propter peſtem totius Civitatis, & ſimul propter privatas alias ægritudines aliquorum Civium, miſeratione tactus decreviſſet illuc mittere pro omnibus Medicum inſignem; prudèter arguitur, quod miſſurus etiam fuiſſet Medicum eumdem, graſſante generaliter ſolâ peſte, cùm ſit malum gravius, & communius, & miſeratione dignius; præſertim, ſi hunc ſuum animum aliquomodo indicaſſet. Ad hunc modum diſcurrere nobis licet pro noſtra concluſione: cùm peccatum Originale ſit quaſi peſtis generalis humani generis, & Chriſtus redêpturus venerit ut Medicus, juxta illud Evan-

Matt.9. *Ioann.10.*

gelij: *Non eſt opus valentibus Medico, ſed malè habentibus: Veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Quò faciunt Auctoritates Sanctorum loquentium in negotio Redemptionis ſignanter de peccato Adæ, ejuſque remedio, utpotè univerſaliſſimo: quarum aliquas dedimus *ſec. 1.* aliæ paſſim occurrunt.

148 Secunda concluſio. Secluſo peccato originali, ſi omnes homines lethaliter peccarent, quod Amicus reputat moraliter impoſſibile, aut certè ferè omnes, quod non ita impoſſibile reputandum eſt; credibile eſt, prout etiam arguere licet ex præſenti decreto, quòd veniſſet Chriſtus: non verò ita, ſi pauci aliqui peccarent lethaliter, & omnes venialiter: niſi ſupponamus quod neſcimus, quòd nempè, nullo etiam exiſtente peccato, Chriſtus veniſſet, ut eſt ſententia Doctorum Subtilis, & Eximij. Ratio ſumenda conſequenter eſt ex univerſalitate tanti mali: quâ non ſtante, ut in ſecundo caſu, ceſſaret maximâ ex parte motivum præſens Incarnationis. Sic Amicus *num. 164.* proferens exemplum Angelorum, quos non ſic redemit Deus, ſicut homines reparativè, quia nec omnes, nec ferè omnes peccaverunt. Dixi: *niſi ſupponamus, &c.* Nam, ſuppoſita eâ Scoti, & Patris Suarez ſententiâ, quòd, nullo poſito, nec ponendo hominum peccato, veniſſet etiam Deus factus homo ex motivo excellentiæ tanti Myſterij; á fortiori dicendum eſt, quòd veniſſet Chriſtus paucis etiam hominibus peccantibus, quamvis tantùm venialiter.

Amic.

Amic.

149 Nec obeſt primæ parti hujus concluſionis, quòd dicitur Chriſtus libenter ſanguinem effuſurus pro uno tantùm homine redimendo. Aliud enim eſt voluntas humana Chriſti jam miſſi à Deo; aliud eſt voluntas Dei mittendi Chriſtum: Illam dixmus non forè in eo caſu paucorum hominum peccantium; neutiquam loquuti de illa ex iſtius ſuppoſitione. Nec diutiùs in ijs immoror: nam, ut ait in ſimili S. Th. 1. *Timoth.* 1. *Lect.4. Hæc quæſtio non eſt magnæ auctoritatis: quia Deus ordinavit faciendа ſecundum quod res ipſa faciendа erant: & neſcimus quid ordinaſſet, ſi non præſciviſſet peccatum.* Quod intellige, niſi forté ex revelatis aliquid innoteſcat.

S. Tho.

150 Tertia concluſio. Redemptio ab originali fuit motivum ſpeciale præcipuum præ alijs peccatis. Sic S. Thom. Suarez, & Vaſquez. Quod ipſe non ita intelligo, ut præſens Dei decretum de Chriſto non ferretur eſſentialiter in Redemptionem omnium peccatorum etiam venialium; ſed ita ut ex tendentia ſua eſſentiali, & ex ſpeciali modo afficiendi Deum erga Redemptionem, ſpecialiùs afficiat erga Redemptionem ab Originali: unde argui liceat, quòd ſolo Originali commiſſo, decernenda foret Incarnatio, & Redemptio, potiùs quàm alijs commiſſis ſine Originali. Sic idem actus noſter amare poteſt creaturam propter ſe, & propter Deum; ita tamen, ut, quamvis indiviſibiter tendat in utrumque, at ex modo ipſo ſuo tendendi anteponat Deum creaturæ, amans magis appretiativè, & præcipuè Deum: non obſtante quòd eadem reali intenſione tendat in creaturam. Præſtat hoc alia, vel alia natura, moduſvè volendi affectuum voluntatis.

151 Quarta concluſio. Quocumque peccato, etiam veniali, ex ijs quæ de facto committuntur, non commiſſo, non veniſſet Chriſtus Redemptor ex vi præſentis decreti formaliter. Id hoc convenio cum P. Eſparza, & conveniant oportet omnes illi, quibuſcum defendimus indiviſibilitatem divini decreti *à ſec.7.* Cùm enim divinum decretum ſit ſimpliciſſimè unicum, & indiviſibiliter ferатur in

Eſparza.

om-

omnia; eo ipſo, quòd aliqua res ex ijs, quæ de facto exiterunt, aut exiſtunt, non extitiſſet, aut aliter eveniſſet; non extiniſſet quoad denominationem præſens illud decretum ſic circa omnia contingentia ſe exercens; ſed aliud aliter ſe habens ex modo ſuo tendendi etiam ſimpliciſſimo verſùs omnia. Non igitur veniſſet Chriſtus Redemptor, neque non Redemptor ex vi præſentis decreti formaliter, utpote in eo caſu virtualiter deficientis, ſi aliquod peccatum etiam veniale ex ijs, quæ de facto committuntur, non committeretur: non enim eſſet, ut eſt præſens decretum, volitio pœnæ, quam nunc efficacitet decrevit in punitionem venialis commiſſi.

SECTIO XI.

Obiectio gravis.

152 FOrmatur ſic. Redemptio omnium, & ſingulorum peccatorum, quæ de facto committuntur, non potuit à Deo decerni ex vi primarij, ſeu unici præſentis decreti de Incarnatione, & Redẽptione: ergo aliquo ex peccatis, quæ de facto committuntur, non commiſſo, poſſet manere Redemptio de alijs cum præſenti decreto formaliter de Redemptione aliorum. Unde ſumitur etiam argumentum contra indiviſibilitatem divini decreti à nobis aſſertam in negotio Incarnationis *à ſec. 7.* Antecedens probatur: quia, ut ſentimus *in Diſputationibus de Prædeſt.* multa ex peccatis, quæ de facto committuntur, permittit Deus in pœnam aliorum peccatorum: ſed Redemptio peccatorum, quæ ſic permittuntur in pœnam, non potuit à Deo decerni ex vi primarij, ſeu unici ſui decreti præſentis de Redẽptione aliorum: ergo non omnium, & ſingulorum peccatorum Redemptio potuit decerni ex vi primarij & unici decreti præſentis de Incarnatione, & Redemptione. Probatur hęc minor: quia decretum Redemptionis talium peccatorum, cùm ſimul ſit indiviſibiliter ipſorum permiſſio in pœnam aliorum, debet præſupponere decretum permiſſivum, imò, & abſolutam prævisionem aliorum, in quorum ſcilicet pœnam permittuntur: ac proinde decretum Redemptionis aliorum, quod, ne multiplicemus decreta, eſt per nos indiviſibiliter ipſorum permiſſio: ergo Redemptio horum peccatorum, quæ ſic permittuntur in pœnam, non potuit à Deo decerni ex vi primarij, & unici ſui decreti præſentis de Redemptione aliorum, in quorum pœnam permittuntur.

Supra à ſec. 7.

153 Probatur hæc conſequentia: alioquin ſicut decretum Chriſti Redemptoris eſt per nos, non præſuppoſitâ abſolutâ prævisione peccati, ita decretum permiſſivum horum peccatorum eſſet, non præſuppoſitâ abſolutâ prævisione peccatorum, in quorum pœnam permittuntur: quod pugnat cum doctrinis ſtatutis à nobis *in Diſputationibus de Reprobatione*, ubi conſtanter negamus, poſſe Deum decernere pœnam non ſuppoſitâ abſolutâ prævisione culpæ: nec habere decretum reprobativum, niſi ſuppoſitâ prævisione abſolutâ peccati finalis. Quòd ſi dicatur, decretum illud de Redemptione horum peccatorum præſupponere abſolutam prævisionem aliorum, in quorum pœnam permittuntur; ecce jam multa decreta actu in Deo: unum primarium de Chriſto Redemptore, quod per nos non præſupponit abſolutam prævisionem peccati: aliud de Redemptione horum peccatorum permiſſorum in pœnam, quod ſupponit abſolutam prævisionem peccati: quandoquidem idem omninò decretum indiviſibile nequit præſupponere, & non præſupponere prævisionem peccati.

154 Reſpondetur negando antecedens. Ad probationem, conceſsâ majori, nego minorem. Ad hujus probationem, diſtinguo antecedens: decretum Redemptionis talium peccatorum debet præſupponere decretum permiſſivum, & abſolutam prævisionem aliorum, præſuppoſitione intrinſecâ virtuali, nego: hæc enim præſuppoſitio intrinſeca virtualis involvit diſtinctionem virtualem inter ſic prius, & poſterius: quæ diſtinctio nullatenùs intercedit inter decretum permiſsivum talium peccatorum, & inter decretum permiſsivum, & prævisionem aliorum, nec eſt contradictio ulla in qua fundetur: præſuppoſitione eminentiali per æquivalentiam, & extrinſecâ per rationem noſtram comparativè ad actus, noſtros, & notitias priores & poſteriores, ad quorum inſtar concipimus actum divinum indiviſibilem, concedo antecedens, & nego conſequentiam.

155 Porrò, ſicut diximus, unum Dei decretum exiſtens non diſtingui ab alio virtualiter intrinſecè, quia non eſt, in quo fundetur talis diſtinctio, cùm nulla de illis verificentur contradictoria; ſimiliter dicendum venit, nec ſcientiam liberam viſionis præſentem diſtingui virtualiter à decreto præſenti divino; quia nec eſt in quo fundetur iſta diſtinctio virtualis, nec eſt, cur Deus pro eodem ſigno decreti, in quo res ſunt abſolutè cognoſcibiles non eas abſolutè cognoſcat. Unde eodem actu indiviſibili libero vult Deus omnia, quæ liberè vult, & videt omnia, quę liberè videt, aliter, & aliter viturus, ſi aliter,

&

& aliter res decreviſſet,aut decernere noluiſſet: nulla prorſùs diſtinctione virtuali intrinſecâ intercedente inter viſionem liberam, & decretum liberum Dei, ſicut neque apud multos Adverſariorũ inter ſcientiam neceſſariam,& amorem neceſſarium,nec inter intellectum,& voluntatẽ Dei,ut tenuimus *diſp.* 8. *de Attrib.ſec.1.& 2* quo maximè conſulitur perfectioni ſimplicitati divinorum actuum tàm intellectûs, quàm voluntatis.Quam totam doctrinam tradidi curſim dum primò de Incarnatione prælegerem, & poſtea uberius expreſſit,ac illuſtravit P.Theodorus Mauritius ſæpe à me laudatus,& laudandus, & nunquã ſatis; ſequutus ingenioſiſſimos huius ætatis ſcriptores noſtros PP. Antonium Perez,Gaſparem de Ribadeneyra,& Martinum de Eſparza. Itaque,ſicut cum omnimodâ indiviſibilitate intrinſecâ divinarũ volitionum, imò, & noſtrarũ,ſalvavimus *ſec 8.n.*124. Deũ velle unum,quia videt aliud,potius quàm è converſo,ut in nobis etiam monſtravimus ibidem,ex ſpeciali ſcilicet modo tendendi unius actus in plura obiecta;ita ſimiliter ſine diſtinctione virtuali,atqueadeò ſine prioritate,& poſteriori-tate virtuali intrinſecâ inter decretum,& ſciẽtiam viſionis ſalvatur commodiſſimè,Deum decernentem,& videntem omnia unico actu indiviſibili, aliqua videre quia eadem decernit, alia decernere, quia alia videt: ex ſpeciali ſcilicet modo libero verſandi circa hæc,& illa,intrinſecè quidem indiviſibili,& ſolum ratione noſtra extrinſecè diviſibili per comparationem, & æquivalentiam ad actus noſtros realiter diſtinctos realiter priores,& poſteriores,quibus circa ſimilia nos extremus pro limitatione,& imperfectione noſtra. Hinc

Maurit.

Perez. Ripald. Eſparz.

156 Ad probationem conſequentiæ poſitam *num.*153. dico, tam decretum Chriſti Redemptoris, quàm decretum permiſſivum horum peccatorum in pœnam aliorum, cùm unum, & idem ſit indiviſibile decretum, nec intrinſecè virtualiter duplex, eſſe in Deo, non præſuppoſitâ virtualiter intrinſecè ſcientiâ viſionis peccatis,& utrumque velle permittere hæc peccata in pœnam aliorum præſuppoſitâ eminenter per æquivalentiam, & per rationem comparativè extrinſecè ad noſtros actus imperfectè,& per partes procedentes, abſolutâ prævisione peccatorum, in quorum pœnam permittuntur: in quo nulla eſt umbra contradictionis,ac proinde nec diſtinctionis nec prioritatis virtualis, Hoc enim non aliud eſt in re,niſi quòd actus idem omninò indiviſibilis videt peccata quia permittit,& aliqua permittit, quia alia videt ex ſpeciali ſuo reali formali omninò indiviſibili modo volendi, & videndi: quem modum ſpecialem indicat vox illa *quia*; & non prioritatem, nec diſtinctionẽ virtualem: ut in exẽplo etiam ex variis tendentijs in creatis petito patefecimus dicto *nu.*124.

Supra ſect.8.

157 Nec pugnat hoc cum doctrinis Noſtrorum, & noſtris de Reprobatione. Quippe rectiſſimè ſalvamus, quod ibi docemus,& docemus communiter, decretum reprobativum,& inflictivum pœnæ damnationis non eſſe in Deo ante prævisionem abſolutam culpæ finalis; ſed dirigi à ſcientia viſionis culpæ finalis,& haberi a Deo, quia videt abſolute culpam finalem. Id quod nunc minimè negamus,ſed dicimus,ad id non requiri, quòd prævisio abſoluta culpæ finalis ſit perfectio, ſeu actus Dei virtualiter intrinſecè antecedens decretum reprobationis, aut ab iſto virtualiter diſtinctus: cùm totum id ſalvetur multò congruentiùs per actum ſimpliciſſimum, ne virtualiter quidem diviſibilem,qui ſimul ſit permiſſio & viſio culpæ ſimulque decretum pœnæ, eatiter ſe habens in Deo ex ſpeciali, & eſſentiali modo ſuo verſandi circa hæc obiecta, & denominandi Deum, ut ſit viſio culpæ, quia eſt permiſſio talis culpæ;& ſit volitio pœnæ, quia eſt viſio culpæ; & in caſu obiectionis, ſit permiſſio unius culpæ,ſeu peccati,quia eſt viſio alterius peccati in cuius pœnam illud permittitur; & non è contra: quem ſpecialem modum tendendi, & efficiendi Deum indicat illa quaſi cauſalis *quia*: non enim ſemper indicat prioritatem,& poſteriorita-tem,ſeu diſtinctionem diverſorum actuum: ut patet quando etiam in creatis dicitur veriſſimè homo deteſtari peccatum, quia amat Deus, quamvis uno actu indiviſibili utrumque id præſtet. Et patet etiam in neceſſarijs Dei: amat enim ſe Deus,quia ſe cognoſcit, potiùs quam è converſo abſque diſtinctione intrinſeca virtuali ſuæ ſcientiæ neceſſariæ à ſuo amore neceſſario,ut cum multis,qui nobis nunc adverſantur,tenuimus *diſp. 8. de Attributis ſect.* 1. & 4.

Tom. 2. diſp.8.

158 Ad illud quod ultimò ſubiungitur *n.* 153. verum quidem eſt,quòd ſi dicatur,decretum de Redemptione horum peccatorum præſupponere abſolutam prævisionem aliorum præſuppoſitione virtuali intrinſecâ, deberent eſſe multa decreta virtualiter, unum ante, & aliud poſt dictam abſolutam prævisionem talium peccatorum. At non eſt cur ita ſit dicendum; ſed quòd præſens totum Dei decretum virtualiter indiſtinctum à ſcientia viſionis peccatorum,eſt decretum permiſſivum aliquorum peccatorum in pœnam, quia videt illa peccata priora; aliorum verò peccatorum, non quia illa videt; imo videt,

quia

quia permittit: & totum hoc ex modo ſuo eſſentiali indiviſibili tendendi, & denominãdi Deum circa varia objecta pro Dei libito, ſic aut ſic liberè volentis, & videntis. Quamvis ergo nequeat idem omninò indiviſibile decretum præſuponere, & non præſupponere prævisionem peccati; benè tamen, & abſque contradictione poteſt permittere aliqua peccata in pœnam aliorum, quia videt alia; & non ſic permittere omnia: cùm non omnia permittat in pœnam aliorum, ſed ob alias rationes ſibi benè viſas.

159 Dices. Prævisio abſoluta peccati eſt naturâ poſterior ipſo peccato, ut ſignificat cauſalis illa, Sanctis Patribus, & noſtris Auctoribus familiaris: *ideò Deus videt peccata futura, quia futura ſunt*: & non è converſo. Et ſimiliter eſt poſterius ad peccatum prius, & ad ejus prævisionem decretum permiſſivum peccati poſterioris in pœnam prioris: ſed decretum productivum hominis peccatoris; collativum libertatis, præparativum Omnipotentiæ, & permiſſivum peccati prioris non eſt poſterius ad ipſum peccatum, nec ad ejus prævisionem: neceſſe ergo eſt haberi à Deo plura decreta virtualiter intrinſecè diviſibilia in negotio Incarnationis, & Redemptionis omnium, & ſingulorum peccatorum.

160 Ut hæc ſalvent ſine contradictione, recurrunt aliqui ad duplex genus prioritatis naturæ: unum in genere productivo, aliud in genere determinativo, ut ex Ariſtotele loquuntur Antonius Perez, & Auguſtinus de Herrera: & dicunt, viſionem abſolutam peccati eſſe poſteriorem naturâ peccato futuro, non in genere productivo, ſeu effectivo; ſed determinativo; decretum verò productivum hominis peccatoris, & alia quæ conglobantur in minori, eſſe priùs naturâ peccato abſolutè futuro, ejuſque abſolutâ prævisione: non in genere determinativo; ſed quaſi effectivo: ſicque videtur tolli contradictio. Quidquid tamen de hoc ſit.

Ariſt. Perez. Herrera.

161 Reſpondetur ſecundò, & facilius ad argumentum, negando majorem: & in ea præſertim, quòd ex illa veriſimili Sanctorum PP. cauſali ritè deducatur, prævisionem abſolutam peccati eſſe poſteriorem naturâ peccato: & peccatum prius naturâ ad divinam ſui prævisionem. Cùm enim prioritas *naturæ* ſit prioritas nativitatis, & originis, aut pluſquam Originis, implicat in terminis, quidquam in eſſe ſuo poſterius tempore, quale eſt peccatum, & quælibet alia res creata, eſſe naturâ prius ad quidquam tempore antecedẽs, quales ſunt ſcientiæ, & decreta æterna Dei: ut ex Haunoldo, ferè id demonſtrante, promovimus *diſp. 5. ſec. 11.* Non ergo per ejuſmodi cauſalem, alioquin veriſimam, & doctrinaliſsimam, ſignificatur prioritas naturæ peccati ad ſcientiam viſionis de peccato: huic enim prioritati obſtat eſſentialiter poſterioritas temporis in exiſtendo talis objecti, nempè peccati ad ſcientiam viſionis, in quam nec per ſe, nec per ſpeciem ſui phyſicè influit: ſed ſignificatur, ex una parte, quòd peccatum, quamvis re, & tempore poſterius ad ſui viſionem intentionaliter ex tali modo tendendi terminatam ad ipſum, eſt in genere non phyſico, ſed intentionali de determinativo talis ſcientiæ ſic tendentis, quatenus modus tendendi talis ſcientiæ nequit eſſe, nec intelligi verus, quin peccatum ſit futurum: & ex alia parte, quòd ſcientia viſionis, quæ ſimul eſt decretum permiſſivum peccati, & cõnexa quoad talem videndi modum cum eo quòd peccatum ſit re ipsâ futurum, non permittit peccatum, quia ſic videt peccatum; ſed potius ſic videt quia permittit, & quia peccatum eſt reipſa futurum: qui eſt purus, & ſimpliciſſimus modus tendendi talis actus divini ſimul permittentis, & videntis, & videtis, quia permittit, non autem permittentis quia videt. Sic in humanis longè procul à diſtinctione virtuali, actum eumdem voluntatis, qui ſimul eſt volitio ſanitatis, & ambulationis, eſſe volitionem ambulationis propter ſanitatem, ſeu quia eſt volitio ſanitatis, potiùs quàm è contra; non eſt niſi ſimpliciſſimus modus taliter volendi, ut expoſui in ſimili *diſp. 1. de Attrib. ſec. 1.*

Supra diſp 5.

Tom. 1. diſp. 1.

162 Propter eamdem rationem nego in eadem majori, quòd decretum permiſſivum peccati poſterioris in pœnam peccati prioris ſit naturâ poſterius ad peccatum prius, & ad ejus prævisionem. Non ad peccatum prius: quia decretum æternum nequit eſſe naturâ poſterius peccato temporaliter incipiente, ut ex Haunoldo ſuppoſui *num præced.* Non ad prævisionem peccati prioris: quia tale decretum eſt ipſiſſima prævisio peccati prioris: taliter tamen ut ex modo ſuo ſimpliciſſimo permittendi peccatum poſterius, & videndi peccatum prius, ſit permiſſio poſterioris, quia eſt viſio prioris, & non è contra, ut dictum eſt hic, & in loco citato *de Attribut.*

Haunol.

163 Hinc conceſſâ minori, negatur cõſequentia. Quia ſine ulla multiplicitate, & diviſibilitate virtuali decretorum præter eminentialem, ſtat optimè, & intelligibiliſſimè, quòd unicum Dei decretum, nec realiter, nec virtualiter diviſibile attingat totum negotiũ Incarnationis taliter ex modo ſuo volendi, & permittendi, ut ex multis objectis, quæ in eo

ne-

negotio occurrunt, unum velit, quia vult, aut permittit aliud; & aliud velit, quia videt aliud permitti, & futurum eſſe, & non aliter: ſi enim aliquod illorum aliter vellet, ac de facto vult, nihil præſentis decreti, nec præſentis ſcientiæ viſionis eſſet quo ad denominationem; ſed loco iſtius decreti, & ſcientiæ viſionis, eſſet aliud alio modo, & ſemper indiviſibiliter attingens omnia: ut ſupra dictum eſt.

SECTIO XII.

Quàm ſit expedita iuxta ſuperiores doctrinas Chriſtipara Virginis Immunitas à debito Originalis ex merito Redemptoris.

164 BEatiſſimam Virginem, dignißimam Matrem Dei non contraxiſſe peccatum Originale certum jam eſt. Circa gradum hujus certitudinis aliqua dixi in Opuſculo de hoc puncto. Accrevit mox certitudo non modica ex nova Conſtit. Alexandri Papæ ſeptimi, quæ incipit: *Sollicitudo omnium Eccleſiarum.* Super quo videndus Eminentiſsimus Everardus Cardinalis Nidardus in Examine Theologico, ad votum piiſsimi Philippi Quarti Hiſpaniarum Regis Catholici ſapienter elaborato.

Alex. 7.

Cardin. Nidard.

165 Non hic ſiſtens Theologorum Marianorum, pro hac Magnæ Matris cauſâ pugnantium, pietas, ac ſtudium, diſputat ulteriùs: an, ſi minùs peccatum, contraxerit Saltem B. Virgo debitum peccati. Explico ſtatum, & termiuos controverſiæ.

166 Debitum hoc in præſenti non ſumitur à Theologis ſtrictè prout in jure; ſed pro obnoxietate cum neceſsitate aliqua contrahendi peccatum originale, niſi aliunde ſpeciali providentiâ Dei occurratur. Tale debitum eſt in omnibus poſteris Adæ comprehenſis in pacto Dei cum illo, ut aliorum capite. Quandoquidem, inito pacto Dei cum Adamo, quòd ipſo peccante, concipierentur poſteri in peccato, & poſito deinde peccato Adami, debent eo ipſo poſteri, niſi ſingulariter præveniantur, contrahere in ſe peccatum dum concipiuntur, ſivè dum animantur. Hujuſmodi debitum non opponitur formaliter gratiæ ſanctificanti, ſicut opponitur peccatum: quemadmodum in aqua debitum, ſive exigentia frigiditatis non opponitur formaliter calori, ſicut ipſa frigiditas: ut eſt per ſe clarum. Atque iſtud debitum vocatur proximum.

167 Præter iſtud debitum proximum reſultans in Puero, dum concipitur in inſtanti ipſo animationis, ex pacto, & ex peccato Adami Protoparentis, conſiderari ſolet à Theologis aliud debitum, quod vocant remotum; ſed non facilè explicatur. Nam antecedenter ad pactum nulla apparet ratio debiti, cùm nulla appareat ratio pacti, aut peccati Adami inducentis dictam neceſsitatem: neque etiam ſubſequenter ad pactum ſine peccato Adami: pactum enim indifferens eſt ex ſe, ut poſteri contrahant, aut originale peccatum ex Adamo inobediente; aut originalem iuſtitiam ex Adamo obediente. Quòdſi pacto Dei accedat peccatum Adami, jam eſt debitum proximum, quod nuper explicuimus. Quid igitur erit iſtud aliud debitum remotum? Dici ſolet, & poteſt, debitum iſtud remotum, eſſe præſens Dei pactum, & obnoxietatem naturæ humanæ naturali propagatione ſeminaliter ab Adamo deſcendentis, ut juxta legem generalem comprehenderetur in pacto, niſi ſpecialiùs eximeretur à pacto, & à lege generali.

168 Patet Perlinus *diſp. 1. de Conceptione cap. 2.* negat, hoc poſterius eſſe propriè, & abſolutè debitum: Ideòque docet B. Virginem nullum debitum adhuc remotum Originalis peccati contraxiſſe. Vocale negotium eſt. In re quidem B. Virgini ſeminaliter ex Adamo progenitæ competit id, quod diximus eſſe debitum remotum, quod nec Chriſto competit, nec Angelo non ſic progenitis ex Adamo. An verò id rectè appelletur debitum, nec nè, logomachia eſt. Sic fert communior loquutio, cui aliquid dandum. Quapropter ſuppono B. Virginem habuiſſe debitum iſtud remotum: quod nihil eſt aliud, quàm ſeminaliter fuiſſe progenitam ex Adamo naturali propagatione, poſt initum Dei pactum cum Adamo generaliter quoad reliquos poſteros ſic progenitos; quos inter cõprehenderetur B. Virgo, niſi à lege generali eximeretur ſingulariſsimè. Manet ergo difficultas gravis de debito proximo.

Perlin.

169 Communis olim erat ſententia adhuc inter Pios, B. Virginem, quamvis non contraxerit originale peccatum, contraxiſſe tamen debitum proximum peccandi.

170 Primò: quia ſic ſalvatur quodammodo congruentiùs dictum Apoſtoli de Adamo: *In quo omnes peccaverunt*; intellectum etiam quo ad debitum de Maria, quæ juxta hanc ſententiam dicitur quodammodo peccaviſſe in Adamo, cùm in eo, ut in capite conſtituta quoque fuerit hujus Filiæ voluntas, quamvis ad ſe peccatum in re non contraxerit eo quòd in primo ſuæ animationis inſtanti, ut terminis utar Conſtitutionis

Rom. 5.

Alexandri, præventa fuerit à gratia ex ſpeciali prærogativâ. Reſpondetur tamen, in hoc mihi minùs placere ſententiam iſtam, quòd admittat B. Virginem in Adamo peccaviſſe, ejuſque voluntatem fuiſſe in Adamo, ut in capite collocatam. Nec obſtat univerſale dictum Apoſtoli *Roman. 5.* quia ſatis indicat Tridentinum *ſeſſ. 5.* Mariam non venire in ſimiles loquutiones univerſales dum de peccatis eſt ſermo, ut fuit etiam antiquius monitum Magni Auguſtini *c. 36 de Natura, & Gratia*, ibi: *Excepta Virgine Matre, de qua, cum de peccatis agimus, nullam prorſus habere volo quæſtionem.* Et ſatis notum eſt, ſimiles propoſitiones univerſales pati interdum in Scripturis Sacris iuſtis de cauſis, & ex ſpecialibus congruentijs ſuas exceptiones in illis ſubintelligendas: ut illa *Gen. 6. Omnis caro corruperat viam ſuam*: & illa *Pſal. 13. Omnes declinaverunt*: & alia *Pſal. 115. Omnis homo mendax.* De quo paſsim Scriptores Mariani: quos inter libenter adnumero R. P. Franciſcum Gerardum quondam Diſcipulum, mox Commagiſtrum, & poſtmodum Primarium Theologiæ Anteceſſorem in hoc Collegio Barcinonen. *in Deipara ſua elucidata Triumpho 4. § 1.*

Trid. *Auguſt.* *Gen. 6.* *Pſal. 13.* *& 115.* *Gran.*

171 Secundò: quia B. Virgo verè fuit à Chriſto redempta: ergo, ſi minùs à peccato, quod certè non contraxit; ſaltem à debito proximo peccandi, quod cum alijs in Adamo omnium capite contraxerat. Reſpondetur, diſtinguendo duplex genus Redemptionis ex SS. Dioniſio, & Anſelmo ſuper illud Pſalmi 85 *Eruiſti animam meam ex inferno.* Una eſt Redemptio reparativa, qua quis jam lapſus liberatur: alia eſt Redemptio præſervativa, qua quis prævenitur, ne labatur, aut cadat. Antecedens verum eſt de redemptione præſervativa; non de reparativa: & negatur abſolutè conſequentia: nam ad genus redemptionis præſervativæ non eſt neceſſe, quòd Maria contraxerit debitum, ſicut nec peccatum, ut verè dicatur ſic redempta præſervativè à debito, imò & à peccato, ſed quod ex meritis Chriſti habuerit, ne debitum, ſicut nec peccatum contraheret.

Dioniſ. *Anſel.* *Pſal. 85.*

172 Inquies: Sic igitur dici poterit ſimiliter Chriſtus Redemptor Angelorum: quippe juxta quod diximus *ſec. 3.* gratias, & auxilia ad non cadendum habuerunt ex meritis Chriſti: qui propterea hoc modo fuit etiâ illis in cauſa ne caderent: ergo in genere redemptionis præſervativæ poſſet Chriſtus dici Redemptor, etiam Angelorum. Non id recuſant S. Hieronymus, S. Bernardus, Sophronius, & alij: quia ſic Angeli per Chriſtum evitavere peccatum, cui ex natura ſua erant obnoxij. Quando autem negant SS. Patres, & Theologi, Chriſtum fuiſſe Redemptorem Angelorum, loquuntur in genere redemptionis reparativæ: & ſic intelligunt multi illud Pauli ad Hæbr. 2 *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ*: id eſt non Angelos, ſed homines reparandos ſuſcepit, ut exponit ex Chriſoſtomo Cornel. à Lapide, jam à nobis adductus *diſp. 3. ſec. 2.* Ex ijs dicerem, poſſe hoc ſic pro Angelis concedi, non abſolutè, ſed cum limitatione, *quoad peccata perſonalia*; cui ſcilicet modo peccandi erant ex natura ſua obnoxij, ut patet in alijs qui ceciderunt; non verò quoad Originale in Adamo: nam huic modo peccandi non erant obnoxij juxta Dei pactum: cùm non eſſent ex Adamo, ſicut erat B. Virgo, indigens propterea ſingulariſſimâ exemptione à lege univerſali; ideòque abſolutè redempta præſervativè ab Originali: quod de Angelis ſic dici non poteſt.

Supra ſec. 3. *Hebr. 2.* *Supra diſp. 3.* *Hieron.* *Bernard.* *Sophron.*

173 Tertiò: quia ex vi pacti, peccante Adamo, debuit Maria contrahere peccatum Originale, niſi ſingulariter præveniretur gratiâ in primo animationis inſtanti: ergo contraxerat debitum proximum peccandi. Antecedens probatur: nam comprehenſa fuerat in pacto, inito ſcilicet pro poſteris cum Adamo, cujus B. Virgo verè filia fuit ſeminaliter ex Adamo progenita: & Adamus re ipſa peccavit: ergo ex vi pacti, peccante Adamo, debuit contrahere peccatum. Reſpondetur negando antecedens: & ad probationem nego etiam antecedens: non enim comprehenſa fuit in pacto, nec conſtituta in Adamo tanquam in capite morali ſicut cæteri hominum quoad peccatum; imò ſecluſa, & exempta à pacto: ac proinde ex vi præfentis pacti, ſeu decreti non debuit peccare, adhuc peccante Adamo. Unde utraque conſequentia falſa eſt.

174 Tenenda eſt ergo ſententia jam communior, & à recentioribus Theologis cum plauſu recepta, negans Beatæ Virgini debitum hoc proximum peccati originalis. Sic Doctor Eximius, Granadus, Salazar, Perlinus, Pintus Ramirez, quos & alios cicat, & ſequitur Velazquez. Sic etiam Aldrete *diſp. 22. de Incarn. ſec. 4.* & Magiſter Prudentius *tract. 2. de Incarn. diſp. 1. dub. 4. ſec. 4* & ſupra laudatus Pater Franciſcus Garau *Triumpho 4. §. 5.* apud quos invenies plurimas Sanctorum Patrum auctoritates, quas longum eſſet tranſcribere. Videndus omninò prò hac etiam piiſſima ſententia P. Thyrſus *tom. 3. diſp. 6. ſect. 3.* & pro toto Myſterio Conceptionis Sanctiſſimæ Virginis *à diſp. 4. ad 7.*

Suar. *Gran.* *Salaz.* *Perlin.* *Ramir.* *Velazq.* *Aldret.* *Prudent.* *Garau.* *Thyrſus.*

Ra-

Digitized by Google

175 Ratio mihi est, Quia, suppositâ citra dubium immunitate Beatæ Virginis à peccato, non est cur immixta fuerit in pacto Adami: ergo mansit etiam immunis à debito peccati sicut à peccato. Quod sanè pijssimum, & decentissimum est; incongruum verò, & sufficienti fundamento destitutum, quòd hominum, angelorumque Regina voluntati primi hominis in ejusmodi pacto subjiceret. Quemadmodum ergo ratione tantæ dignitatis libera fuit ab alijs legibus, ut à lege Purificationis, Primogenitorum, & similibus; liberari quoque debuit singulariter à lege, & debito contrahendi Originale, haud secùs, ac à peccato ipso originali.

176 Confirmatur. Deus antecedenter ad omne decretum suum benè noverat, quinam essent contracturi peccatum originale, & quinam non, casu quo sic pacisceretur cũ Adamo, & Adamus peccasset: novit ergo, Mariam non contracturam peccatum, sicut verè non contraxit. Ad quid igitur positurus erat illam sub pacto inito, aut in decreto? Dices, ut ex Christi meritis gloriosè redimeretur à debito. Sed contra: quia gloriosè redempta fuit à peccato præservativè, quamvis non contraxerit peccatum: ergo similiter ab hujusmodi debito, quamvis non contraxerit debitum: merente scilicet Christo Redemptore, quòd Mater eximeretur à lege, seu à pacto de contrahendo peccato, sicut ab ipso peccato præservativè.

177 Vix denique percipio, quomodo Maria fuerit inclusa in illa lege, seu pacto de peccato, & posita non contraxerit peccatum. Pactum enim erat, quòd posteri conciperentur sine gratia, si peccaret Adamus: vel ergo pactum illud loquebatur de Maria; vel non: Si secundum, hoc volumus: Mariam scilicet non comprehensam fuisse sub illa lege; atque adeò non contraxisse debitum in illa lege fundatum. Si primum; quomodo pactum illud, seu decretum non fuit impletum in Maria? Verè namque Adamus peccavit, & Maria ex Adamo progenita concepta fuit in gratia sine peccato.

Conine. 178 Pater Conine *disp. 4. dub. 2. num. 119.* distinguens benè inter decretum, & pactum in eo, quòd decretum sit solius Dei, & pactum utrò citroque Dei cum Adamo; ait, Mariam comprehensam fuisse in decreto, non in pacto; non tamen contraxisse, seu incurrisse debitum ex pacto; quia Dei decretum fuit de gratia ex pacto negandâ posteris peccante Adamo, nisi per aliud decretum subsequens eximeretur aliquis: exempta autem fuit singulariter Maria per decretum subsequens.

179 Non placet. Quia sic decretum illud prius non fuit absolutum, sed conditionatum: videlicet, nisi subsequeretur aliud decretum eximens: ergo nullam induxit necessitatem, nullumque debitum contrahendi peccatum, nec ingredienti pactum, nisi impletâ conditione suâ; si nempè non subsequeretur pro aliquo decretum singulariter eximens: sed hujusmodi conditio non impleta fuit pro Maria, siquidem exempta fuit per decretum subsequens: ergo primũ illud decretum nullam induxit pro Maria necessitatem, nullumvè debitum contrahendi peccatum. Si dicas induxisse saltem debitum conditionatum; contra est. Tum quia conditionatè posset etiam dici Maria contractura peccatum, si nempè nec à Deo fuisset singulariter exempta, nec præventa per gratiam in primo animationis instanti. Tum quia, si Deus habiturus erat aliud decretum, quo eximeret Mriam à primo suo decreto, cur potius non sic habuerit primum suum decretum, ut in eo nullatenus Mariam comprehenderet? Certè de hoc nullam dare possunt adversarij rationem, nisi quia sic non fert modus, quo disponunt multiplicia decreta in negotio redemptionis. Præstat ergo modum istum mutare, & unicum, simplexque decretum nostrum omnia indivisibiliter attingens amplecti.

180 Fixum itaque maneat, Beatam Virginem non contraxisse debitum proximum peccati, sicut nec peccatum; nec fuisse comprehensam sub pacto, lege, seu decreto, quo alij posteri positi fuimus capitaliter in Adamo: imò positivè exclusam singularissimo privilegio per illud ipsum primum, vel potius unicum Dei decretum. Supponitur insuper, hanc Beatæ Virginis exemptionem á debito sicut à peccato fuisse ex meritis Christi Redemptoris. Atque hinc suboritur difficultas ingens hæc duo componendi cum præsenti Dei decreto de toto negotio Redemptionis, tàm reparativè, quàm præservativè.

SECTIO XIII.

Ratio gravis dubitandi: & post alias derelictas, nostra solutio.

181 RAtio dubitandi est maxima. Quia decretum Redemptionis supponit permissionem, & prævisionem absolutam peccati Originalis; quo scilicèt non commisso, Christus non sic venisset Redemptor: ergo supponit decretum de exitu

tentia Adami,& Poſterorum, & de pacto inеundo pro Adamo, & Poſteris: ergo hujuſmodi pactum eſt futurum abſolutè antecedenter ad decretum Redemptoris. Vel ergo hujuſmodi decretum, ſeu pactum comprehendebat Mariam; vel non: ſi comprehendebat: hoc eſt, Mariam contraxiſſe debitum peccati, prout ſuperà nobis explicatum: quo conceſſo non facile intelligitur immunitas à peccato, ut urgebamus *num. 179.* contra P. Coninc. Si non comprehendebat: ergo Mariam non ibi comprehendi, ac proinde præſervari à debito, non fuit ex meritis Chriſti Redemptoris; nec Maria fuiſſet redempta à debito, imò neque a peccato, adhuc præſervativè ex meritis Chriſti.

182 Probatur hæc conſequentia. In ſigno priori ad peccatum, in quo ſigno ſunt decretum illud Dei,& pactum cum Adamo, nondum præintelligitur Chriſtus Redemptor, nec exiſtens, aut extiturus, ac proinde, nec ipſius merita: ergo, Mariam pro illo ſigno non comprehendi ſub tali decreto, & pacto, non fuit ex meritis Chriſti. Nec ſatisfacit qui dicat antecedenter ad illud ſignum decreti de Chriſto Redemptore, eſſe jam decretum de Chriſto, quamvis non de Chriſto paſſibiliter Redemptore. Etenim ſic ad ſummum fieret illam Mariæ exemptionem fuiſſe ex meritis Chriſti; non tamen ex meritis Chriſti patientis, & morientis: quod tamen omninò defendere oportet juxta antiquam Eccleſiæ Orationem: *ſicut ex morte eiuſdem Filij ſui prævisâ, eam ab omni labe præſervaſti.*

Oratio Eccleſ.

183 Hic nodus non minùs premit, quàm alius ille ſimilis circa meritum Maternitatis, quē, rejectis plurimorum doctrinis, ſtrinximus,& per noſtram de Merito ſolutorio, ſeu compenſativo diſolvimus *diſp. 5. ſec. 10. & 11.* ad præſens punctum omninò recolendis. Qui plura velit adeat Pat. Thyrſum *ubi ſupra.*

Supra d. ſp. 5. Thyrſ. Lugo.

184 Solvit Eminentiſſimus Cardin. de Lugo *diſp. 7. ſec 3.* dicens: quòd Deus in ſigno decreti de inеundo pacto excluſit à pacto, non determinate hanc fœminā Mariam, ſed vagè illam, quam poſtea eligeret in Matrem, caſu quo decerneret fieri homo: poſtea verò, viſo peccato, decernens fieri homo, voluit ex meritis talis Dei hominis, nempè Chriſti, etiam prævisis, eam fore Mariam: quæ propterea determinatè jam eo ipſo exempta fuit à pacto Adamico ex meritis Chriſti.

185 Solvit P. Ambroſ. Peñaloſa *in ſuis Vindicijs diſp. 7. num. 39. & diſp. 10. c. 5.* tria dicens. Primum, conditionem æquatam, ſub qua peccātum Adæ transfundendum erat in alios ex divina comminatione, non fuiſſe, ſi ipſe primò peccaret, ſed ſi peccaret,& ſtatim non pœniteret: puta ab hora tertia, circa quam peccavit, uſque ad nonam circa quam impœnitens inventus eſt à Deo: ſi enim intra tempus illarum horarum, quæ illi, ut Perſonæ publicæ, datæ ſunt quaſi via, pœnituiſſet, & ſub finem non excuſaſſet ſe, non transfuiſſet in alios peccatum ſuum. Id quod non improbabiliter fundat ex Sanctis PP. Secundum, Chriſtum ut paſsibilem, & mortalem fuiſſe decretum ſtatim poſt prævisum peccatum Adæ. Tertium, B. Virginem in illo medio, à peccato Adæ ad ejus impœnitentiam decretoriam, ex meritis Chriſti prædecreti fuiſſe exemptam à pacto nondum expleto, in quo inclusa fuerat. Non poſſet nobis placere ſeries iſta. Primò ob multiplicationem decretorum. Secundò, quia glorioſius eſt, B. Virginem nunquam inclusam fuiſſe in pacto, & hoc quidem ex meritis Chriſti. Tertiò, & ſpecialiùs: quia cum Deus tulit illam legem: *Si peccaverit Adā & intra illas horas non pœnituerit, amittet gratiam cunctis poſteris, nullo excepto*; vel habebat, decretum ſic conditionatum privandi gratia cunctos poſteros, nullo excepto; vel non habebat. Si non habebat, lex illa non fuiſſet ſeria, ſed deluſoria. Si habebat, neminem potuit poſtea excipere, niſi abrogando legem pro aliquo: quod implicat: nam Deus nequit revocare decretum ſuum. Si dicas, decretum importatum in lege illa comminativa non tranſire in abſolutum, poſitis præcisè peccato, & impœnitentiā Adæ; ſed poſito inſuper quòd Deus alio decreto nō excipiat aliquē, decernendo ejus conceptionem in gratia; contra, quia fuiſſet decernere ſic: *Privabo gratiâ cunctos, etiāque Mariam, ſi Adam peccet, & non ſtatim pœniteat, niſi ego decernam Mariam concipi in gratia.* Quis autem non videat, dedecere, ſummèque repugnare Majeſtati Dei inanitatem iſtam: *Efficaciter volo, Mariam etiam privari gratiâ, poſitis peccato, & impœnitentiâ Adami, ſi ego non decernam illam in gratia concipi non obſtantibus Adæ peccato, & impœnitentiâ.*

186 Solvit Illuſtriſſimus Ferdinandus de Salazar *cap. 24. de Concept.* dicens: quòd Deus in ſigno decreti de pacto vidit futuros Adamum ejuſque Poſteros præter Chriſtum, & Mariam, illoſque incluſit in pacto. Pro poſteriori autem, videns jam peccatum decrevit Chriſtum; poſtea verò decrevit matrem: non ex illis fœminis antea viſis, & incluſis in pacto; ſed aliam ſingulariter, nempè

Salazar.

Ma-

Mariam: cujus propterea non ſolùm privilegia, quin etiam exiſtentia, potuit ſic eſſe, & de facto fuit ex meritis Chriſti: ex quibus etiam meritis decrevit illam mundam, & liberam à peccato, & à pacto Adamico, ac proinde & à debito.

187 Solvunt Recentiores alij dicendo: quòd Deus antecedenter ad decretum,& pactum Adamicum noverat omnes fœminas ex Adamo conceptibiles, ac proinde & Mariam. Cùm verò decrevit pactum Adamicum,comprehendit in illo omnes eas fœminas poſſibiles conditionatè, ſi nempè eſſent exituræ, excludens unam, quam Chriſtus, ſi foret, mereretur in Matrem. Deinde decrevit, Mariam non poni in rerum natura,niſi futura eſſet Mater Chriſti; & Chriſtum, ſi exiſteret mereri Mariæ exiſtentiam,& Maternitatem. Et tandem poſt decretum de Chriſto, videns Deus Chriſti merita, decrevit abſolutè ex meritis Chriſti exiſtentiam, & Maternitatem Mariæ, ejuſque immunitatem à peccato, pacto, & debito. Ad hunc modum dicunt Cardin. de Lugo *diſp.7. ànu. 67.* cui opitulatur P. Thyrſus *tom. 2.diſp.7. ſect.6.* *Lug. Thyrſ.*

188 Alij juxta hos ferè modos aliter, & aliter ſolvunt, & extricare moliuntur præſentem difficultatem, ſicut, & ſimilem aliam diſcuſſam *diſp.5. ſec.10 & 11.* utramque, me judice, potius intricantes, juxta ſua principia improbè laborando in ijs genealogijs interminabilibus decretorum, & prævisionum coordinandis ad nauſeam uſque. Quod ipſe probare non poſſum, qui pluralitatem illam virtualem, & prioritates divinorum decretorum improbavi ſuperijs.

189 Præterquamquòd, ne à præſenti puncto diſcedamus,per nullum iſtorum modorum diſponendi divina decreta ſalvant hi Auctores, ipſis id invitò fatentibus, quòd prior illa exemptio Mariæ à decreto, quam vocant negativam, utpotè in eo præciſè ſtantem quòd priùs illud Dei decretum abſolutè non tetigerit Mariam, ſicut alios Poſteros Adæ, fuerit ex meritis Chriſti, utpotè pro poſteriori, ut ajunt, ſigno decreti,& prævisis; quamvis utcumque ſibi videantur ſalvare, quòd fuerit ex meritis Chriſti alia poſterior exemptio poſitiva per decretum ſubſequens excludens à pacto Mariam. Utrumque autem id præſtandum erat,ut totum privilegium Marianæ Immunitatis à peccato, pacto, & debito labis originariæ ex Chriſti meritis fuiſſe dicatur, prout oportet ad ſalvandas Auctoritates Scripturarum, & Sanctorum Patrũ expoſitas ſupra *ſec.3.* quòd omnia privilegia omnes prærogativæ, & gratiæ factæ Angelis, & hominibus, & conſequenter Hominum, Angelorumquè Reginæ,fuerint ex meritis Chriſti: *in quo* ſcilicet Deus *benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus*: ut expendimus ibi *n.39.*

190 Ego quidem juxta doctrinas in hac,& in præcedenti diſputatione conſtabilitas, rationem dubitandi expeditè ſolvo, & ſalvo quidquid ſpectare neceſſe eſt ad immunitatem B.Virginis à peccato,& à debito,& id ex meritis Chriſti,ex quo omnia,Negãdo ſcilicet ex dictis *ſect. 4* primum antecedens rationis dubitandi poſitæ *num 185.* Nego ſimiliter primam conſequentiam ex dictis *ſect. 7. & deinceps.* Quia nec decretum de Redemptione ſupponit remiſſionem,& abſolutam prævisionem peccati, nec ſupponit decretum de exiſtentia,aut de pacto Adamij cùm totum id præſtet indiviſibiliter unicum Dei decretum circa omnia verſans. Undè nego etiam ſecundam conſequentiam: cùm enim pactum habeat ſuam futuritionem abſolutam à decreto Redemptoris, non illam habet antecedenter ad decretum Redemptoris,utpotè nullum aliud Dei decretum ſupponentis. Ad tertiam conſequentiam dilemmatè bipartitam, admitto ſecundam partem dilemmatis, quòd nempè ejuſmodi decretum, aut pactum non comprehendebat Mariam. Subillationem autem inde deductam, diſtinguo: non fuit ex meritis Chriſti in genere meriti Remunerabilis, concedo conſequentiam; in genere meriti Solutorij, nego conſequentiam, Quemadmodum explicui,& reſolvi *diſp.5. ſec.1.* ex præjactis ibidem fũdamentis *ſec.4 & 5.* *Supra diſp.5.*

191 Ad probationem huius conſequentiæ poſitam *num 186.* concedo antecedens,& diſtinguo conſequens. Mariam pro illo ſigno (demus hoc verbulum communi loquutioni) non comprehendi ſub tali decreto, & pacto, imò poſitivè eximi, non fuit ex meritis Chriſti in genere meriti Remunerabilis, concedo;in genere meriti Solutorij,ſeu compenſativi, nego conſequentiam: & quidem Chriſti patientis,& morientis. Ubi nec tutum etiam velim, me non ex eo negare, id eſſe, aut eſſe poſſe in genere meriti Remunerabilis, quia non præcedit ad decretum de præſervatione, & exemptione Mariæ decretum de Chriſto, aut prævisio abſoluta de meritis Chriſti; cùm multa dona collata tùm Mariæ in decurſu vitæ ſuæ poſt Incarnationem exercitam, tum alijs Chriſto poſterioribus, fuerint etiam à Deo decreta per illud ipſum decretum ex meritis Chriſti patientis, & morientis in genere meriti Remunerabilis; ſed quia præteritio Mariæ, exemptio à pacto, con-

conceptio ſine peccato, & infuſio gratiæ in primo fœliciſſimæ ſuæ animationis inſtanti, præceſſerunt tempore ad merita Chriſti exercita: cum qua temporis præcedentia nulla coordinatio decretorum, & prævisionum facere poteſt, quòd meruerit Chriſtus in genere Remunerabili præmium aliquod tempore antecedens; ac proinde nec quòd Deus ſic decreverit: cùm decernere nequeat quod eſſe non poteſt, ut in locis citatis latè proſequuti ſumus.

192 Et ratio omnium reſolutoria eſt. Quia, ut Deus moveatur in genere meriti Solutorij, cauſantis utique præmium, *ut meritum ſit*, & non, *quia meritum eſt*, ad eximendam Mariam à pacto, & ſanctificandam ſingulariſſimè in primo animationis inſtanti ex meritis Chriſti patientis, & morientis, non opus eſt præcedere in Deo decretum, ſeu abſolutam prævisionem Chriſti exiſtentis, & merentis ad decretum de eximenda, aut ſanctificanda Matre, ſicut neque ad decretum de eligenda in Matrem, ut diximus *diſp. 5. ſec. 11.* ſed ſufficit præcedentia ſcientiæ mediæ, qua Deus antecedenter ad omne decretum conditionatè prælluminatus noverat certiſſimè, Chriſtum viventem, patientem, & morientem perſoluturum ipſi fore obſequia præſtantiſſima, ſibique gratiſſima in gratiarum actionem, ſi poneretur à parte rei, & Matrem haberet ita ſingulariter ſanctam, immunem, & exemptam à peccato, pacto, & debito. Qua notitiâ conditionatâ prælluminatus Deus, & quaſi ſpe tantorum Chriſti obſequiorum allectus, ut nempe ita re ipſa à Chriſto exhiberentur in ſui gloriam; decrevit taliter res, ut Maria Virgo Mater evaderet ſic immunis, & non ſolum negativè non incluſa in pacto, ſed poſitivè excluſa, & exempta à pacto per illud ipſum decretum omnia indiviſibiliter pertingens: pro qua exemptione, immunitate, & ſanctificatione originariâ Matris meruit, & ſolvit compenſativè poſtea Filius patiens, & moriens libentiſſimè ex obedientia Patris in actionem gratiarum pro privilegijs, & gratijs Magnæ Matri anticipatè prærogatis.

193 Quidquid difficultatis occurrere poteſt contra hoc, ſolutum eſt à nobis abundè in locis citatis. Et legi poteſt P. Conine *diſp. 4. dub. 2. ſec. 4.* itemque P. Franciſcus Gerardus *Triumph. 4. §. 3.* hunc etiam ſequutus diſcurrendi modum pro Sanctiſſimæ Deiparæ immunitate à peccato, & à debito.

Supra diſp. 5. ſec. 11.

Conin.

Gran.

DISPUTATIO VII.

DE NECESSITATE INCARNATIONIS.

1 SUCCEDIT rectâ methodo hæc Diſputatio præcedenti. Conſideratis enim Altiſſimis Dei finibus in opere Incarnationis, propterea convenientiſſimæ Deo, Angelis, Hominibus, totique Univerſo, ut diximus *Diſp. 1. ſect. 3.* venit in dubium, an prædicti fines non quomodocumque Deum allexerint, verumetiam aliquomodo neceſſitaverint ad ſe incarnandum. Et certum eſt Deum fuiſſe ad id abſolutè liberum, ac proinde non abſolutè phyſicè neceſſitatum: diſputatur autem de neceſſitate aliqua infra abſolutè phyſicam, ſcilicet de neceſſitate morali, ſeu ex ſuppoſitione aliquâ. Id cuius oppoſitum omninò nequit eſſe, dicitur metaphyſicè neceſſarium, ſive neceſſitas metaphyſica: ut Deum eſſe. Id, cuius oppoſitum eſſe nequit pro viribus rei neceſſitatæ, aut alterius cauſæ naturaliter agentis, quamvis poſſit pro viribus ſuperioribus, dicitur phyſicè neceſſarium, ſive neceſſitas phyſica: ut ignem applicatum paſſo diſpoſito comburere. Neceſſarium moraliter, ſeu neceſſitas moralis variè declarari ſolet, ut videbimus: tale dici ſolet id, cuius oppoſitum omnibus penſatis nequit prudenter cadere in ſuſpicionem quòd eveniet. *Supra diſp. 1.*

SECTIO I.

An Deus fuerit abſolutè neceſſitatus moraliter ad Incarnationem.

2 SIngularis fuit ſententia Patris Granado, cui acriter acceſſit doctiſſimus Melchior Fuſter Canonicus Valentinus *diſp. 3 de Volunt. Dei*, & plauſerunt alij apud Ortegam, quòd Deus abſolutâ neceſſitate morali tenetur eligere quod melius eſt, imò & optimum, ubi non eſt proceſſus in infinitum. Nam occurrente infinito proceſſu rerum meliorum, & meliorum, cùm nequeat aſsignari melius, quo non detur aliud melius, nequit dari neceſsitas ad eligendum optimum: v. g. hunc mundum præ alijs mundis poſsibilibus in infinitum melioribus, & melioribus, aut minùs bonis. Ponit itaque Granadus in Deo neceſsitatem moralem ad rem præ non eſſe rei: v. g. ad productionem præ non productione huius mundi; ad non productionem præ productione alterius mundi; & ſic ad Incarnationem præ non Incarnatione, dicens in ijs ita neceſsitari Deum moraliter ad melius, ut deſineret eſſe Deus, ſi melius non eligeret, id eſt, ſi non decerneret Incarnari præ non Incarnari: ſicque moraliter neceſsitatum Incarnationem decreviſſe. Loquitur autem de optimitate, ſeu melioritate, non qua res eſt in entitate phyſicâ perfectior; ſed qua melior eſt res reſpectivè, nimirùm magis conducens ad Dei gloriam.

Granad. Fuſter. Ortег.

3 Lenire conatur hanc Granadi doctrinam P. Ruiz de Montoya *diſp 10 de Volunt. Dei*, admittens quidem neceſsitatem moralem Dei ad eligendum optimum; non tamen ita arctè, ut Deus non eſſet Deus, ſi non eligeret optimum; ſed ita ut, vel Deus non eſſet Deus, vel Incarnari non eſſet optimum, vel aliquando non eveniret quod eſt moraliter neceſſarium, & infallibile. Cùm autem primum, & ſecundum repugnet, ad hoc tertium reducetur hic Auctor: quem quoad moralem aliquam Dei neceſsitatem producendi mundum, & aliquam Unionem Hypoſtaticam ſequi-

Mont.

Thyrſ. ſequitur P. Thyrſus *tom. 3. diſp. 11.* Satis quidem temperatè; ſed non ſatis conſequenter: nam ipſius rationes, ſicut & Granadi ponendæ *ſect. 13.* vel nullam neceſſitatem probant, vel probant quod vult Granadus, Deum non fore Deum, ſi non eligeret optimum modo explicato.

4 Stant ex adverſo communis Theologorum ſententia, & ratio validiſſima, quam ſic inſtituo. Quia ſequitur ex prædictâ doctrinâ, Deum non ſolùm moraliter, ut ajunt; quinetiam, & metaphyſicè neceſſitari ad eligendum optimum: ſicque non liberè, ſed cum omnimodâ neceſſitate metaphyſica decreviſſe Incarnationem. Sequela quidem abſurdiſsima eſt; ſed probatur apertè. Qui phyſicè, & metaphyſicè eſt impotens omittere electionem optimi, qualis v. g. ſit Incarnatio, eſt metaphyſicè neceſsitatus ad id eligendum: ſed, juxta doctrinam Patris Granadi, Deus eſſet omninò phyſicè, & metaphyſicè impotens omittere eligere optimum, nempè Incarnationem: ergo non ſolùm moraliter, quinetiam metaphyſicè neceſsitatus eſſet ad optimum, nempè ad decernendam Incarnationem. Major patet ex terminis, & ex explicatione conſtanti neceſsitatis metaphyſicæ. Minor probatur: quia juxta Granadum, ſi Deus id omitteret, non eſſet Deus: ergo ſicut Deus eſt omninò impotens etiam metaphyſicè non eſſe Deum, ita pariter eſſet metaphyſicè impotens id omittere, ſcilicet non eligere Incarnationem.

5 Inſuper. Si Deus libertate ſua phyſicâ omitteret electionem Incarnationis, ſequeretur, ut ajunt, Deum non eſſe Deum; quod eſt manifeſtè contradictorium: ergo omitti à Deo electionem Incarnationis, eſſet Deo omnimodè impoſsibile, utpotè, ex quo ſequeretur manifeſtè contradictorium: ergo neceſſarium, non ſolùm moraliter, verumetiam omninò metaphyſicè Deo eſſet, eligere Incarnationem: nam id cujus oppoſitum eſt omninò impoſsibile, metaphyſicè neceſſarium eſt.

6 Aliter. Ea moralis neceſsitas Deo neceſſaria præcedens omne exercitium Dei liberum, taliter, ut ajunt, neceſsitat Deum ad eligendum optimum, ut non electio optimi nempè Incarnationis, eſſet hic, & nunc non eſſe Dei, ſeu deſtructio Dei: ſed ea neceſsitate morali Deo neceſſariâ, & omninò inimpedibili non obſtante, manet in Deo poteſtas phyſica ad non eligēdum optimum: alioquin nihil Deo ſupereſſet libertatis: ergo manet ſimiliter in Deo phyſica poteſtas ad non eſſe Dei, ſeu ad deſtructionem Dei: cùm certè maneat ad id, unde ſequitur Deum non eſſe Deum. Quo quid repugnantius, & inintelligibilius?

7 Vexat acerbè Patronos neceſsitatis moralis argumentum iſtud. Quapropter enixè conantur illud modò ſolvere, modò iuxta ſententias communes illud retorquere.

8 Solvunt dicendo, illam Dei impotentiam omittendi electionem optimi, nempè Incarnationis, non eſſe impotentiam antecedentem, ſed conſequentem: ſicque factam tectam relinquere libertatem phyſicam Dei: quacum impotentia conſequens compatibilis eſt, ſicut cum libertate noſtra, ut paſſim dicimus.

9 Retorquent multipliciter obtrudendo nobis ſimiles argumētationes in varijs materijs. Primò, in materia divinæ ſcientiæ: ſi actus noſter liber, quem Deus exercendum videt, non exerceretur, illa Dei viſio eſſet falſa: ſed talis actus noſter, cùm liber ſit, poteſt non exerceri: ergo illa Dei viſio poteſt eſſe falſa: quó quid falſiùs? Secundó, in materia divinarum præfinitionum: Omiſsio actùs liberi noſtri, quem Deus præfinivit, eſſet fruſtratio præfinitionis: ſed eſt in nobis poteſtas ad eam omiſsionem, alioquin non eſſet libertas ad actum: ergo eſt in nobis poteſtas ad fruſtrationem divinæ Præfinionis: quo quid impoſsibilius? Tertió, in materia de peccatis venialibus: ſi homo, neceſsitatus ſcilicet moraliter ex Tridentino, citra ſpeciale privilegium, ad incidendum in aliquod veniale, evitaret diù omnia venialia, non eſſet homo; ſed habet poteſtatem phyſicam evitandi omnia venialia; alioquin non incideret liberè: ergo habet eamdem poteſtatem phyſicam, ut non ſit homo. Aut ſic: ſed non habet poteſtatem phyſicam, ut non ſit homo: ergo neque ut evitet diù omnia venialia: quo quid implicantius? En falſas conſequentias ex præmiſsis veris, & communiter admiſsis in ſimili forma, qua nos argumentabamur. Fallax igitur eſt, & illegitima noſtra argumentatio, & ab omnibus ſolvenda. Trid.

10 Solutio in primis nulla eſt. Nam prædicta impotentia Dei ad omittendam electionem optimi, nempè Incarnationis, eſt apud Granadum, amor ipſe neceſſarius, quo ſe Deus perfectiſsimè amat, ſibiquè propterea vult, & eligit meliora: ſed amor ille, cùm ſit perfectio Dei neceſſaria, antecedit omnia libera Dei: ergo impotentia ad non eligendum optimum, & neceſsitas ad eligendum optimum in illo amore conſiſtens eſt antecedens, & non conſequens. Ne verò varijs antecedentiæ uſurpationibus, aut explicatio-

cationibus colludamus, argumentor sic. Ejusmodi necessitas moralis eligendi optimum, scilicet Incarnationem, non inest Deo liberè, imò prorsùs necessariò, sicut necessitas amandi se perfectissimè, & essendi Deũ: ergo non est liberè impedibilis, aut evitabilis ab ipso Deo, potente scilicet facere ne illa sit, aut ne fuerit: ergo est impedimentum essentiale omissionis eligendi Incarnationem incompossibile cum tali omissione, & nec antecedenter, nec consequenter, moraliter, physicè, nec metaphysicè evitabile à Deo, nec ab ullo alio: ergo omninò repugnans physicæ etiam libertati Dei ad eligendum, vel non eligendum.

11 Sic certè natura, cui essentiale, & omninò necessarium esset habere Unionem Hypostaticam, Visionem beatificam, aut Gratiam essentialiter incompatibiles cum peccato mortali, ita esset omninò impotens peccare, ut nec physicam potestatem, aut libertatem haberet ad peccandum: quia scilicet, nec physicè posset evitare, aut à se amovere tale impedimentum peccati; nec cum tali impedimento componere peccatum.

12 Præterea. Potestas illa physica antecedens omittendi electionem Incarnationis, in qua stat, ut ajunt, Dei libertas; vel physicè potest antecedenter privare necessitatem moralem suo effectu moraliter necessario, faciendo scilicet ne eligatur Incarnatio; vel non potest. Si antecedenter physicè id non potest: ergo neque antecedenter potest physicè omittere electionem Incarnationis: hanc enim omittere esset privare necessitatem illam moralem suo effectu moraliter necessario. Si potest: physicè antecedenter potest id quod physicè, & metaphysicè implicat: quod dici nequit, cùm ad metaphysicè impossibile, nec consequenter, nec antecedenter dari queat absoluta potestas. Probo consequentiam: quia metaphysicè implicat id, ex quo posito sequeretur contradictio, qualis abs dubio est, Deum non esse Deum, quod ajunt sequendum fore, si necessitas illa moralis Dei ad eligendum optimum privaretur electione optimi: ergo, si datur potestas physica antecedens ad privandam eam necessitatem Dei moralem hoc suo effectu, daretur eodem prorsus modo potestas physica antecedens ad id quod physicè, & metaphysicè implicat. Nullum igitur habet præsidium sententia ista singularis à distinctione illa communi potestatis antecedentis, & consequentis.

13 Retorsio similiter est nulla, & prorsùs imbecillis. Primò nàque ad illud quod affertur ex materia Divinæ Scientiæ; nos non concedimus illam majorem primi syllogismi in nos retorti; sed aut absolutè negamus, quia si actus noster liber non exerceretur, non esset in Deo visio de illo, sicque Dei visio non esset falsa; aut distinguimus sic: si actus noster liber, quem Deus vidit, non exerceretur stante Dei visione de illo, visio esset falsa, concedimus: si non exerceretur, impeditâ Dei visione, ne unquam extitisset, negamus majorem. Et similiter distinguimus minorem: actus noster potest à nobis non exerceri, impediendo eo ipso visionem Dei de illo, concedimus: conjungendo cum non exercitio ipsius visionem Dei de illo, negamus minorem: & absolutè consequentiam. Nam ad hujusmodi conjunctionem, quæ verè esset falsificatio divinæ visionis essentialiter infàlsificabilis, nec antecedenter, nec consequenter, nec moraliter, nec metaphysicè, nec in nobis, nec in Deo datur, nec dari potest ulla potestas.

14 Secundò ad illud de Præfinitionibus; aut negamus similiter absolutè majorem, quia omissio actûs nostri, quem Deus præfinivit, esset impeditio ne unquam extitisset Dei præfinitio de actu, ac proinde non esset frustratio præfinitionis; aut similiter distinguimus: omissio actûs, quem Deus præfinivit conjuncta cum præfinitione actûs est frustratio præfinitionis, concedimus: seiuncta à præfinitione actûs eo ipso impeditâ, ne unquam extitisset, negamus majorem: & distinguimus minorem: est in nobis potestas ad eam omissionem conjunctam, vel conjungendam cum præfinitione actûs, negamus; seiũctam à præfinitione actûs, cõcedimus minorem, & negamus consequentiam. Si enim omitteremus actum, evitaremus eo ipso, ne unquam extitisset in Deo præfinitio actûs: atque adeó longé abesset, ne à nobis frustraretur præfinitio. Hæ responsiones aptari nequeunt argumento nostro contra necessitatem moralem: hanc enim ponunt ejus Auctores Deo prorsus necessariam, & omninò inevitabilem, ut visum est supra.

15 Tertiò ad illud de impotentia morali ordinariâ evitandi diu cuncta venialia, negamus majorem: non enim ita rigidè de illa sentimus, ut homo non esset homo, si fortè aliquis ea evitaret: de quo in Disputationibus de Gratia. Itaque tres illi syllogismi in nos retorti legitimi sunt, & in bona forma, sicut argumentatio nostra contra Granadum. Nos tamen non concedimus præmissas sicut ille: qui propterea non premit, & premitur. Hujusmodi autem impotentias morales obvias in creatis ob imbecillitates nostras reddentes nobis multa difficillima, repugnare Deo

Omnipotentiſſimo, & facilè prævalenti cunctis difficultatibus occurrentibus, videbimus in ſequentibus juxta tertiam concluſionem noſtram. De quibus omnibus futiùs contra Granadum doctiſſimus P. Borrull *diſp. 6. de Volunt.*

Borrull.

SECTIO II.

Triplex noſtra concluſio.

16 P Ant. Perez *Diſp. etiam 6. de Volunt. Dei*, poſt explicatam penitùs ſententiam Montoyæ, duo inter alia reſolvit *cap. 1.* ſcitu digniora. Primum; Deum non abſolutè moraliter neceſſitari ad electionem Incarnationis, ſeu alterius objecti quantumvis melioris præ ſuo contradictorio. Secundum, neceſſitari abſolutè non ſolùm moraliter, quinetiam metaphyſicè ad electionem optimam, ſeu ad eligendum id, cujus electio eſt optima. Primum fundat in rationibus ſuprapoſitis, & in alijs, quæ fieri ſolent contra moralem Dei neceſſitatem ad optimum. Secundum fundat in doctrina de æqualitate formali divinorum actuum in perfectione, ſeu in optimitate infinitiſſimâ, & omninò æqualiſſimâ omnium divinarum electionum Deo poſsibilium. Quam doctrinam ſibi ſolidè ſtatuerat *cap. 1. n. & 3.* & nos ex profeſſo tenuimus, & promovimus *Diſp. 3. de Attributis ſec. 7. & 8. & Diſp. 16. ſec. 4.* quò Lectorem remitto. Ex quibus.

Perez. *Montoy.*

17 Prima noſtra cõcluſio ſit. Incarnationẽ, & quidquid elegit Deus, ſive optimũ, ſive nõ optimũ, elegit ex neceſſitate non ſolùm morali, quinetiam metaphyſicâ eligendi optimè: hoc eſt habendi electionem, qua melior eſſe non poſsit, nec realiter, nec formaliter. Sic intelligo ſecundum dictum Antonij Perez, ut colligitur ex ipſius probationibus, & clarè traditur à Quiros *tom. 2. diſp. 18 ſec. 4. & diſp. 74 ſec. 2.*

Perez. Tom. 1. diſp 3. & 16. *Quiros.*

18 Ratio eſt. Quia, vel ſermo eſt de optimitate phyſicâ, vel de morali. Si de phyſicâ, jam ſuppono ex nuper memoratâ doctrinâ, ſingulas Dei perfectiones eſſe æquè ſummas, & optimas etiam formaliter: unde fit, Deum metaphyſicè neceſſitatum diſiunctivè ad unam, aut alteram electionem ex ſibi poſſibilibus, eſſe metaphyſicè neceſſitatum ad optimam: cum nulla ſibi poſsibilis optima non ſit, qua nempè melior, & perfectior eſſe non poſsit. Si de morali; probatur clariùs, & facilùs hæc eadem formalis æqualitas, & optimitas divinarum electionum. Quippé dedecet, & implicat, Deum eſſe, aut eſſe poſſe in eſſe moris magis, aut minùs bonum, quàm nunc eſt. Atqui ſi decreta, electiones formales, ſeu omnes actus liberi Deo poſsibiles nõ æquè forent formaliter ita ſummè boni, honeſti, & optimi, ut nullus ſit inter eos poſsibilis melior; poſſet Deus pro libito habere actus liberos ſuos magis, vel minùs bonos formaliter, quàm nunc habet: poſſet igitur pro libito in genere moris eſſe formaliter magis, aut minùs bonus, & laudabilis quàm nunc eſt: quod judico abſurdiſsimum. Omnes itaque actus Deo poſsibiles ſunt moraliter æquè ſummè boni, & electiones optimæ. Cùm ergo Deus nequeat manere puré omiſsivé ſuſpenſus, propoſito ſibi quolibet objecto creato, debet velle, vel nolle illud producere; ac proinde eligere, aut nolle eligere Incarnationem: ergo eſt metaphyſicè neceſsitatus diſiunctim ad unam ex electionibus ſibi poſsibilibus: quæ, cùm æquè optimæ ſint, & æquè ſummè bonæ moraliter, ſequitur liquidò, Deum tàm Incarnationem, quàm quodlibet aliud obiectum creatum ſibi propoſitum eligere debere, ſi eligit, ex neceſsitete metaphyſicâ ad electionem formalem optimam, ſeu ad id eligendum optimè moraliter: ſalvâ prorſus eius libertate inter hanc, & illam electionem æquè optimas, & æquè ſummè bonas in genere moris.

19 Secunda concluſio. Neque ad Incarnationẽm, neque ad aliud opus creatum optimum, ſeu melius ſuo contradictorio, fuit Deus abſolutè moraliter neceſsitatus. Ita Perez, & Quiros citati, Prudentius *Tract. 1. de Incarn. diſp. 3. dub. 1. ſec. 6* Lumbier *quæſt. 5. art. 1. & deinceps*, Bonelpei, Hurtadus, Lugus *diſp. 2.* Bernal *diſp. 3.* Amic. *diſp. 4.* Aldret. *diſp. 5.* Eſparza *quæſt. 6.* Ribadeneyra *diſp. 14. de Volunt. Dei, cap. 2* & alij communiter cum Suarez apud laudatum Borrull.

Perez. Quiros. Prud. Lumb. Bonelp. Hurtad. Lug. Bernal. Amic. Aldret. Eſparz. Ribad. Suar. Borrull.

20 Probatur primò ratione ſuperiùs inſtructâ contra Granadum *à num. 4* Secundò: Quia Deus, ſibi ſufficientiſsimus, & non emendicans extra ſe fœlicitatem, æquè fœlix, ſanctus, & perfectus eſſet, ſi nec Incarnationem, nec ullum aliud opus ad extra, quantumvis optimum, voluiſſet, & manſiſſet ſolus, ſicut fuit ab æterno. Quò ſpectant Auguſtini verba conceptiſsima, *lib. 83. Quæſt. q. 22.* ibi: *Vbi nulla indigentia, nulla neceſsitas: ubi nullus defectus, nulla indigentia: nullus autem defectus eſt in Deo: ergo nulla neceſsitas.*

Auguſt.

21 Addunt alij rationem aliam. Si namque Deus ſic eſt neceſsitatus ad optimũ, fruſtra quis eſſet anxius de ſalute ſua: quippé Deus ex ſe neceſsitatus eſſet ad ſalvandum, ad iuſti-

iustificandum,& ad instruendum auxilijs efficacibus hominem,si hoc est melius suo cõtradictorio: si verò contradictorium est melius, necessitatus pariter esset Deus ad id negandum. Insuper: si id homini velle est in se melius, quàm negare, pluris Deo quam homini interesset ea à Deo eligi: cùm alioquin desineret esse Deus. Denique, frustra Patriarchæ antiquiores orassent enixè pro adventu Christi, & Christus postea pro missione Spiritus Sancti: illi, quia si Christum venire erat optimum, jam Deus erat necessitatus ad decernendum adventum Christi: Iste præterea, quia certè novisset missionem Spiritus Sancti esse optimam, ac pro inde necessariò à Deo eligendum; sinminùs, necessariò non eligendam.

22 Responderi tamen poterit, ut est *Thyrs.* apud P.D. Thyrsum *disp.11. sec.ult.* prudenter ad hæc impetranda adhiberi orationem; quia ea eligi à Deo per preces est optimum; alioquin forté non futurum optimum, aut melius ad fines Dei. Responsio satis apta. Contra quam, prætermissis aliquorum, præsertim Goneti, impugnationibus facilé retundendis à Patronis necessitatis moralis, *Gonet.* solúm habeo, quòd juxta responsionem istam preces orantium non viderentur intendi directé ad impetrandum optimum, seu electionem Dei, qua meliùs habeamus, quàm ad meliorandam, seu optimandam per preces rem quam appetimus, & petimus: quod vix cuiquam precantium venit in mentem. *Lumb.* Nec placet Lumbier *num.228.* dicens, prædictam responsionem locum non habere in Christo orante pro missione Spiritús Sancti. At cur non ita similiter?

23 Tertia conclusio. Omninó repugnat Deo necessitas moralis non coniuncta cum physicâ,& metaphysicâ. Sic cit Borrull *Borr.* *sect.6.* partim cum Aldrete, partim cum alijs; *Aldret.* contra Ribadeneyram. Antonium Perez, & *Ribad.* alios, quibus adhæsit P. Thyrsus *disp.11.* Ra- *Perez.* tio potest colligi ex argumentis nostris factis *Thyrs.* *sect. praced.* contra Granadum, & meliùs ex responsionibus sectionis sequentis ad illius argumenta. Quia nempé quacumque facta suppositione, manens Deus utcumque liber, manet perfectissimè liber: ita videlicet rem quamcumque libeté præstans, ut possit eamdem non præstare; & eo ipso facilè oppositum præstare: hoc est, sine difficultate, molestiâ, aut indecentiâ: ex quibus capitibus oriri solent nostræ impotẽtiæ morales. Unde respectu Dei, aut datur impotẽtia metaphysica ad aliquid, aut nulla datur: quidquid enim Deus physicè, aut metaphysicé potest, facilé potest, & decenter potest: ac proinde, aut moraliter potest, aut nullo modo potest. Non ergo potuit necessitari moraliter ad Incarnationem, neque absolutè, neque ex ulla suppositione, seu ad aliud opus quodcumque, manens physicé liber ad illud: nam eo ipso posset facilè, rationabiliter, ac decenter oppositum velle: aut, si sic non posset nullo modo posset: quia nulla est in Deo potestas ad quidquam volendum, seu faciendum difficulter, irrationabiliter, aut indecenter. Quò *August.* redit Augustinus nuper allegatus.

24 Nec inde sequitur quod sæpiús inculcant Adversarij, Deum taliter à nobis cõstitui in æquilibrio liberum, ut ante electionem nullatenus possit præinclinari in unam potiùs, quàm in alteram partem. Non enim id est necesse ad veritatem nostræ conclusionis. Quandoquidem non quælibet præinclinatio, seu propensio in unam potiús partem, quàm in aliam arguit necessitatem moralem ad unam, & impotentiam moralem ad aliam: alioquin vix unquam nos operaremur sine necessitate morali, cúm feré semper aliqualiter præinclinemur. Requiritur ergo quód ejusmodi præinclinatio, propensio, seu quidvis aliud, faciat voluntati valdé difficilem, valdéque molestam electionem alterius partis: quod non semper contingit in nobis, & nunquam in Deo facilè omnipotentissimo.

25 Obiectiones contra primam con- *Tom.1.* clusionem dissolvimus ex professo *disp.3.* & *disp.6.* & *16. de Attributis.* Restant nunc contra se- *16.* cundam, & tertiam.

SECTIO III.

Obiectiones contra secundam nostram conclusionem.

26 OBijcitur primò. Qui amat aliquem propter ejus bonitatem, vult amato bona placentiora: nam amare est velle bonum amato; & magis amare, est velle magis bonum: sed Deus se ipsum propter suam bonitatem necessariò amat perfectissimé: ergo necessariò sibi vult bona placentiora. Atqui magis bona, & optima sunt Deo placentiora, atqueadeò Incarnatio placentior præ non Incarnatione: ergo necessariò sibi vult Incarnationem præ non Incarnatione, & optimum quodque præ non optimo. Confirmatur: Quó magis bonus est amatus, eó magis amatur, & magis necessariò amatur, & amans tenetur illi velle maiora bona: ut cernere est in homine: qui quó magis se amat, maiora bona sibi vult: & quò moraliter perfectior est, ideóque Dei amantior, eó melius

ra vult Deo. Cùm igitur Deus ſit infinitè bonus, ſeque infinitè amet, ſeque neceſſariò infinitè amet, neceſſariò tenetur ſibi velle magis bona, meliora, & optima: atqueadeò Incarnationem præ non Incarnatione.

27 Si hæc objectio ex ſuis præmiſſis, prout jacent, non concludit neceſſitatem, non ſolum moralem, quinetiam metaphyſicam Dei ad eligendum ſibi optimum, nihil me judice concludit: quod, & doctiorum conſiderationi relinquo. Unde actum eſſet omninò de libertate Dei. Nec ſatis huic facit inſtantiæ P. Thyrſus *num. 35. & 37.* dicens, id fore verum, ſi ea neceſſitas moralis veniret ex indigentia; ſecùs autem quando non ex indigentia, ſed ex abundantia perfectionis Dei, ſic operantis. Certè enim undecumque id veniat, ſi inducit neceſſitatem moralem inducit in Deo phyſicam, & metaphyſicam ob rationes ſupra à nobis poſitas: & ad tollendam libertatem phyſicam, nihil refert quòd neceſsitas proveniat ex perfectione virtutis, aut aliunde: ut patet in amore beatifico, cujus neceſsitas provenit à perfectione intrinſeca intuitionis ſummi boni: & non minùs tollit libertatem phyſicam amandi Deum, quàm ſi ex alio quocumque impedimento extrinſeco fieret nobis impoſsibilis omiſsio amoris: & perinde eſt ad neceſsitatem motùs primo primi, ſive proveniat à vehementia intrinſeca propenſionis in illum, ſive ab extrinſeca ſuggeſtione. *Thyrſ.*

28 Reſpondetur ergo ad objectionem, diſtinguendo majorem: ſi amatus egeat illis bonis ad ſuum eſſe, ad ſuam perfectionem, ſeu fœlicitatem, concedo, vel permitto majorem: ſi ſit abſque illis æquè bene, æquè perfectus, & fœlix, nego majorem, eiuſque probatiunculam. Nam amare eſt velle bonum, & magis bonum, ad ſummum quo amatus fiat melior, aut fœliciorꝰ non verò aliter. Et conceſsâ minori, nego conſequentiam: nam Deus talis eſt à ſe, ut ſibi ſufficiat ad ſuum eſſe, ad ſuam perfectionem, & fœlicitatem juxta illud *Iobi 22. Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fueris?* Unde totum ſui amorem explet amando ſibi ſe ipſum, qui eſt omnia bona, aut formaliter, aut ſupereminentiſsimè. Deinde diſtinguo minorem ſubjunctam: magis bona, & optima creata ſunt Deo placentiora, quibus egeat ipſe ad ſuum eſſe, perfectionem, & fœlicitatem, nego; quibus non egeat, concedo minorem: & nego conſequentiam. *Iob. 22.*

29 Ad confirmationem, diſtincto ſimiliter antecedente, negatur abſolutè conſequentia. Nec prodeſt paritas illa de homine ſe amante: quippè homo indiget, aut exiſtimatur indigere illis bonis ad ſuum eſſe, aut ad majorem ſuam perfectionem, vel fœlicitatem: non ſic autem Deus, qui bonorum noſtrorum non eget, juxta illud Davidis: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Nec item paritas de homine perfecto magis amante Deum: hic enim meliora vult Deo, ſi ſint conformiora divinæ voluntati præeligenti; ſecùs aliter: quod non procedit in Deo. *Pſal. 15.*

30 Ratio autem eſt. Quia moralis perfectio creaturarum ſtat in conformitate per obedientiam, rectamvè ſubordinationem ad voluntatem Dei ultimi finis, præcipientis, ſuadentis, aut conſulentis unum præ alio. At, ut benè Anton. Perez *cap. 2.* moralis Dei perfectio non ſtat in ejuſmodi conformitate per ſubordinationem, cum nulli ſubordinetur: ſed per idemtitatem: qua videlicet eſt conſtitutus in ſumma perfectione morali quilibet actus liber ipſius, ſive hoc, ſive illud eligat: cùm quælibet ipſius electio, volitio, aut nolitio, ſit pluſquam conformiſsima ſibi ipſi, utpote idemtificata cum ipſiſsima regula perfectionis moralis. Atque hinc eſt, quod quamvis Incarnatio ſit melior præ non Incarnatione, deficeret à perfectione morali homo perfectus, qui nolente Deo Incarnationem, & præcipiente, ſuadente, aut conſulente nè ipſi vellet Incarnationem, nihilominus vellet Deo Incarnationem. *Perez*

31 Objicitur ſecundò. Recta voluntas magis inclinatur ad volendum, ſeu decernendum bonum, quod præ alio magis amat amore ſimplici neceſſario: ſed Deus amore ſimplici neceſſario magis amat maius bonum: v. g. Incarnationem præ non Incarnatione; & Incarnatio ipſi magis placet: ergo rectiſſima Dei voluntas magis inclinatur, & propendet ad volendam, ſeu efficaciter decernendâ Incarnationem præ non Incarnatione. Atqui nequit Deus reſiſtere illi ſuæ inclinationi, utpotè rationabiliſſimæ, non potentis violentiam pati: ergo neceſſariò vult, eligit, aut decernit Incarnationem præ non Incarnatione.

32 Hæc objectio, ſicut & præcedens, habet ſuam vim pro neceſſitate Dei phyſicâ, & metaphyſica volendi res iuxta ſuam inclinationem; vel certè nullam habet pro neceſſitate morali. Et inſtari facilè poſſet in rebus, in quibus itur in infinitum. Quomodo enim in ijs reſiſtit Deus maiori ſuæ propenſioni ad magis bonum, quod ipſi ſimpliciter magis placet? Inſtatur præterea: quia ſi nos agentes plerumque, præſertim dum peccamus, contra maiorem illam propenſionem neceſſariam Dei, id facimus nullam inferen-

tes

tes violentiam Deo, multò magis Deus abſque ulla violentia atqueadeo abſque difficultate inducente neceſſitatem moralem ad unum, aut impotentiam moralem ad aliud, poterit alterutrum omnino libertimé eligere non obſtante illa ſua præinclinatione, & propenſione neceſſariâ.

33 Reſpondetur ergo in primis, non omnibus probari, quòd Deus amet amore ſimplici neceſſario bonum ullum creatum, utpoté involuens eo ipſo aliquid imperfectũ, ideoque dignum non amari, ſicut potens non à Deo decerni: ſicqué non neceſſitans, imó obſtans ne ad eius amorem neceſſitetur divina voluntas. Juxta quam Theologiam, negabitur prima minor. Deus enim ſolùm amat neceſſariò ſe ipſum, utpote purum, & ſummum bonum ſimpliciter infinitum; alia verò bona, nec magis, nec minús amat neceſſariò; quia nullatenus illa neceſſariò amat, ſed ſi amat, liberé amat, & ſi magis amat, liberé magis amat. Quo ruit obiectio, ex falſa minori non niſi falſam conſequentiam deducens.

34 Deinde, loquendo de inclinatione, ut ita dicam, lucrativâ, ſeu impulſivâ ad maiorem fœlicitatem ſui ſubiecti, falſa eſt maior: quia rectiſſima voluntas Dei ex ſe ſummé fœlicis in nullum bonum creatum, a quo ſcilicet fœlicitari nequit, ferri poteſt eiuſmodi inclinatione. Solùm ergo poteſt eſſe vera maior de inclinatione purè aprobativâ, & benevolitivâ. Et ſic permiſsâ, aut conceſsâ minori, conceditur etiam prima conſequentia de inclinatione iſta puré approbativâ, ſeu benevolitivâ. Minorem autem ſubiunctam diſtinguo: nequit Deus reſiſtere illi ſuæ inclinationi, reſiſtentiâ propriâ poſitivâ, moleſtiam, & violentiam afferente, concedo: reſiſtentiâ impropriâ negativâ, puré ſignificante, nolle decreto ſuo annuere illi inclinationi, nego minorem, & conſequentiam. Deus enim, cùm ſit libertimus, & nullius egens, ac proinde nec egens obiecto illo creato, ad quod approbativé magis inclinatur, poteſt nolle decernere efficaciter obiectum talis inclinationis. Quin tamen hoc mereatur abſoluté nomen reſiſtentiæ, cùm in ea nolitione decernendi non ſentiat difficultatem, moleſtiam, aut violentiam incuſſam inclinationi illi ſuæ rationabiliſſimæ, & temperatiſſimæ per mirificam conſenſionem omnium Dei Attributorum interdum inclinantium in diverſa, ut magis explico ſectione ſequenti; præſertim *numero 5.*

35 Objicitur tertiò. Saltem ex electione maioris boni reſultat Deo maior gloria, laudabilitas, & exaltatio: ergo, quamvis aliunde ſit ſummé felix, cùm infinite ſe neceſſariò amet, neceſſe eſt, quod velit ſibi eam maiorem gloriam, laudabilitatem, & exaltationem. Probatur conſequentia: quia creatura Deum amans, Deo vult eam gloriam, eòque maiorem, quò, magis Deum amat, non obſtante quód alioquin Deus eſſet etiam ſummé fœlix.

36 Reſpondetur, concedendo antecedens de gloria, & exaltatione extrinſecâ, & de laudabilitate gratificativa, quatenus nempe illud maius bonum ſolet eſſe maius beneficium creaturarum; negando verò antecedens de gloria intrinſeca, & de laudabilitate magnificativa: niſi fortè de magnificativâ Dei per accidens quo ad nos, quibus per ea, quæ facta ſunt, innoteſcit Deus. Unde nego conſequentiam. Quia nec illius gloriæ extrinſecæ, nec laudabilitatis gratificativæ, nec quoad nos magnificativæ eget Deus ad ſummam fœlicitatem, & magnitudinem. Ad probationem reſpondetur quod jam dictum eſt ad confirmationem ſimilem *num. 29.* Fuſiús Patet Borrull *num.71.* qui præterea *num. 79.* bené redarguit ſic arguentes. Quippé Deus, vel ab æterno habuit eam maiorem ſuam gloriam, exaltationem, & laudabilitatem; vel non habuit? Si habuit: ergo cum abſque Incarnatione poſitâ illam habuerit, non neceſsitabitur ad eam Incarnationem ponendam ex amore gloriæ reſultantis à poſitione Incarnationis. Si non habuit: ergo ſicut tunc extitit Deus ſine ea maiori gloria extrinſeca reſultante potius ex poſitione Incarnationis notâ creaturis, quàm ex electione tunc notâ ſoli Deo; potuiſſet ſic exiſtere ſemper: quin ullatenus perinde neceſsitaretur ad ſe incarnandum. *Borrull.*

37 Objicitur quartò. Deus volens minus bonum. V.g. non incarnari præ incarnari, eſſet in ſe minús bonus, & non optimus; ſed neceſse eſt Deum eſſe optimum: ergo, & eligere maius bonum, & optima quæque. Probatur maior: nam haberet actum minús bonum, utpoté verſantem circa obiectum minûs bonum. Hæc quoque obiectio, ſi quid probat, probat etiam neceſsitatem, non ſolum moralem, quin etiam metaphyſicam; cum metaphyſicé neceſse ſit Deum eſſe optimum.

38 Quidquid varij variè dixérint ex ſiniſtrâ ſuppoſitione formalis inæqualitatis Divinorum actuum; reſpondemus nos facilè iuxta primam noſtram concluſionem, & iuxta doctrinam ſolidè conſtabilitam *diſp 3. & 16. de Attributis.* negando abſoluté maiorem, eiuſque probationem. Tum quia nullus eſt actus voluntatis Dei, qui non habeat pro obiecto formali Deum, & qui pro materiali *Tom.1. diſp.3. & 16.*

ra vult Deo. Cùm igitur Deus ſit infinitè bonus, ſeque infinitè amet, ſeque neceſſariò infinitè amet, neceſſariò tenetur ſibi velle magis bona, meliora, & optima: atqueadeò Incarnationem præ non Incarnatione.

27 Si hæc objectio ex ſuis præmiſſis, prout jacent, non concludit neceſſitatem, non ſolum moralem, quinetiam metaphyſicam Dei ad eligendum ſibi optimum, nihil me judice concludit: quod, & doctiorum conſiderationi relinquo. Unde actum eſſet omninò de libertate Dei. Nec ſatis huic facit inſtantiæ P. Thyrſus *num. 35. & 37.* dicens, id fore verum, ſi ea neceſſitas moralis veniret ex indigentia; ſecùs autem quando non ex indigentia, ſed ex abundantia perfectionis Dei, ſic operantis. Certè enim undecumque id veniat, ſi inducit neceſſitatem moralem inducit in Deo phyſicam, & metaphyſicam ob rationes ſupra à nobis poſitas: & ad tollendam libertatem phyſicam, nihil refert quòd neceſsitas proveniat ex perfectione virtutis, aut aliunde: ut patet in amore beatifico, cujus neceſsitas provenit à perfectione intrinſeca intuitionis ſummi boni: & non minùs tollit libertatem phyſicam amandi Deum, quàm ſi ex alio quocumque impedimento extrinſeco fieret nobis impoſsibilis omiſsio amoris: & perindè eſt ad neceſsitatem motûs primo primi, ſive proveniat à vehementia intrinſeca propenſionis in illam, ſive ab extrinſeca ſuggeſtione.

Thyrſ.

28 Reſpondetur ergo ad objectionem, diſtinguendo majorem: ſi amatus egeat illis bonis ad ſuum eſſe, ad ſuam perfectionem, ſeu fœlicitatem, concedo, vel permitto majorem: ſi ſit abſque illis æquè bené, æquè perfectus, & fœlix, nego majorem, eiuſque probatiunculam. Nam amare eſt velle bonum, & magis bonum, ad ſummum quo amatus fiat melior, aut fœlicior; non verò aliter. Et conceſsâ minori, nego conſequentiam: nam Deus talis eſt á ſe, ut ſibi ſufficiat ad ſuum eſſe, ad ſuam perfectionem, & fœlicitatem juxta illud *Iobi 22. Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fueris?* Unde totum ſui amorem explet amando ſibi ſe ipſum, qui eſt omnia bona, aut formaliter, aut ſupereminentiſsimè. Deinde diſtinguo minorem ſubjunctam: magis bona, & optima creata ſunt Deo placentiora, quibus egeat ipſe ad ſuum eſſe, perfectionem, & fœlicitatem, nego; quibus non egeat, concedo minorem: & nego conſequentiam.

Iob. 22.

29 Ad confirmationem, diſtincto ſimiliter antecedente, negatur abſolutè conſequentia. Nec proderit paritas illa de homine ſe amante: quippè homo indiget, aut exiſtimatur indigere illis bonis ad ſuum eſſe, aut ad maiorem ſuam perfectionem, vel fœlicitatem: non ſic autem Deus, qui bonorum noſtrorum non eget, juxta illud Davidis: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Nec item paritas de homine perfecto magis amante Deum: hic enim meliora vult Deo, ſi ſint conformiora divinæ voluntati præeligenti; ſecùs aliter: quod non procedit in Deo.

Pſal. 15.

30 Ratio autem eſt. Quia moralis perfectio creaturarum ſtat in conformitate per obedientiam, rectamvè ſubordinationem ad voluntatem Dei ultimi finis, præcipientis, ſuadentis, aut conſulentis unum præ alio. At, ut benè Anton. Perez *cap. 2.* moralis Dei perfectio non ſtat in ejuſmodi conformitate per ſubordinationem, cum nulli ſubordinetur: ſed per idemtitatem: qua videlicet eſt conſtitutus in ſumma perfectione morali quilibet actus liber ipſius, ſive hoc, ſive illud eligat: cùm quælibet ipſius electio, volitio, aut nolitio, ſit pluſquam conformiſsima ſibi ipſi, utpote idemtificata cum ipſiſsima regula perfectionis moralis. Atque hinc eſt, quod quamvis Incarnatio ſit melior præ non Incarnatione, deficeret à perfectione morali homo perfectus, qui nolente Deo Incarnationem, & præcipiente, ſuadente, aut conſulente nè ipſi vellet Incarnationem, nihilominus vellet Deo Incarnationem.

Perez

31 Objicitur ſecundò. Recta voluntas magis inclinatur ad volendum, ſeu decernendum bonum, quod præ alio magis amat amore ſimplici neceſſario: ſed Deus amore ſimplici neceſſario magis amat maius bonum: v. g. Incarnationem præ non Incarnatione; & Incarnatio ipſi magis placet: ergo rectiſſima Dei voluntas magis inclinatur, & propendet ad volendam, ſeu efficaciter decernendâ Incarnationem præ non Incarnatione. Atqui nequit Deus reſiſtere illi ſuæ inclinationi, utpotè rationabiliſſimæ, non potentis violentiam pati: ergo neceſſariò vult, eligit, aut decernit Incarnationem præ non Incarnatione.

32 Hæc objectio, ſicut & præcedent, habet ſuam vim pro neceſſitate Dei phyſicâ, & metaphyſica volendi res iuxta ſuam inclinationem; vel certè nullam habet pro neceſſitate morali. Et inſtari facilè poſſet in rebus, in quibus itur in infinitum. Quomodo enim in ijs reſiſtit Deus maiori ſuæ propenſioni ad magis bonum, quod ipſi ſimpliciter magis placet? Inſtatur præterea: quia ſi nos agentes plerumque, præſertim dum peccamus, contra maiorem illam propenſionem neceſſariam Dei, id facimus nullam inferentes

tes violentiam Deo, multò magis Deus abſque ulla violentia atqueadeo abſque difficultate inducente neceſſitatem moralem ad unum, aut impotentiam moralem ad aliud, poterit alterutrum omnino liberrimé eligere non obſtante illa ſua prænclinatione, & propenſione neceſſariâ.

33 Reſpondetur ergo in primis, non omnibus probari, quòd Deus amet amore ſimplici neceſſario bonum ullum creatum, utpoté involuens eo ipſo aliquid imperfectũ, ideoque dignum non amari, ſicut potens non à Deo decerni: ſicqué non neceſſitans, imó obſtans ne ad eius amorem neceſſitetur divina voluntas. Juxta quam Theologiam, negabitur prima minor. Deus enim ſolùm amat neceſſariò ſe ipſum, utpote purum, & ſummum bonum ſimpliciter infinitum; alia verò bona, nec magis, nec minùs amat neceſſariò; quia nullatenus illa neceſſariò amat, ſed ſi amat, liberé amat, & ſi magis amat, liberé magis amat. Quo ruit obiectio, ex falſa minori non niſi falſam conſequentiam deducens.

34 Deinde, loquendo de inclinatione, ut ita dicam, lucrativâ, ſeu impulſivâ ad maiorem fœlicitatem ſui ſubiecti, falſa eſt maior: quia rectiſſima voluntas Dei ex ſe ſummé fœlicis in nullum bonum creatum, a quo ſcilicet fœlicitari nequit, ferri poteſt eiuſmodi inclinatione. Solùm ergo poteſt eſſe vera maior de inclinatione puré aprobativâ, & benevolitivâ. Et ſic permiſsâ, aut conceſsâ minori, conceditur etiam prima conſequentia de inclinatione iſta puré approbativâ, ſeu benevolitivâ. Minorem autem ſubiunctam diſtinguo: nequit Deus reſiſtere illi ſuæ inclinationi, reſiſtentiâ propriâ poſitivâ, moleſtiam, & violentiam afferente, concedo: reſiſtentiâ improprià negativâ, puré ſignificante, nolle decreto ſuo annuere illi inclinationi, nego minorem, & conſequentiam. Deus enim, cùm ſit liberrimus, & nullius egens, ac proinde nec egens obiecto illo creato, ad quod approbativé magis inclinatur, poteſt nolle decernere efficaciter obiectum talis inclinationis. Quin tamen hoc mereatur abſolutè nomen reſiſtentiæ, cùm in ea nolitione decernendi non ſentiat difficultatem, moleſtiam, aut violentiam incuſſam inclinationi illi ſuæ rationabiliſſimæ, & temperatiſſimæ per mirificam conſenſionem omnium Dei Attributorum interdum inclinantium in diverſa, ut magis explico ſectione ſequenti; præſertim *numero 5.*

35 Obijcitur tertiò. Saltem ex electione maioris boni reſultat Deo maior gloria, laudabilitas, & exaltatio: ergo, quamvis aliunde ſit ſummé felix, cùm infinitè ſe neceſſariò amet, neceſſe eſt, quod velit ſibi eam maiorem gloriam, laudabilitatem, & exaltationem. Probatur conſequentia: quia creatura Deum amans, Deo vult eam gloriam, eòque maiorem, quò, magis Deum amat, non obſtante quód alioquin Deus eſſet etiam ſummé fœlix.

36 Reſpondetur, concedendo antecedens de gloria, & exaltatione extrinſecâ, & de laudabilitate gratificativa, quatenus nempe illud maius bonum ſolet eſſe maius beneficium creaturarum; negando verò antecedens de gloria intrinſeca, & de laudabilitate magnificativa: niſi fortè de magnificativâ Dei per accidens quo ad nos, quibus per ea, quæ facta ſunt, innoteſcit Deus. Unde nego conſequentiam. Quia nec illius gloriæ extrinſecæ, nec laudabilitatis gratificativæ, nec quoad nos magnificativæ eget Deus ad ſummam fœlicitatem, & magnitudinem. Ad probationem reſpondetur quod jam dictum eſt ad confirmationem ſimilem *num. 29.* Fuſiùs Pater Borrull *num.71.* qui præterea *num. 79.* benè redarguit ſic arguentes. Quippé Deus, vel ab æterno habuit eam maiorem ſuam gloriam, exaltationem, & laudabilitatem; vel non habuit? Si habuit: ergo cum abſque Incarnatione poſitâ illam habuerit, non neceſsitabitur ad eam Incarnationem ponendam ex amore gloriæ reſultantis à poſitione Incarnationis. Si non habuit: ergo ſicut tunc extitit Deus ſine ea maiori gloria extrinſeca reſultante potius ex poſitione Incarnationis notâ creaturis, quàm ex electione tunc notâ ſoli Deo; potuiſſet ſic exiſtere ſemper: quin ullatenus perinde neceſsitaretur ad ſe incarnandum. *Borrull.*

37 Obijcitur quartò. Deus volens minus bonum, V.g. non incarnari præ incarnari, eſſet in ſe minùs bonus, & non optimus; ſed neceſse eſt Deum eſſe optimum: ergo, & eligere maius bonum, & optima quæque. Probatur maior: nam haberet actum minùs bonum, utpoté verſantem circa obiectum minùs bonum. Hæc quoque obiectio, ſi quid probat, probat etiam neceſsitatem, non ſolum moralem, quin etiam metaphyſicam; cum metaphyſicé neceſse ſit Deum eſſe optimum.

38 Quidquid varij variè dixerint ex ſiniſtrâ ſuppoſitione formalis inæqualitatis Divinorum actuum; reſpondemus nos facilè iuxta primam noſtram concluſionem, & iuxta doctrinam ſolidè conſtabilitam *diſp 3. & 16. de Attributis.* negando abſolutè maiorem, eiuſque probationem. Tum quia nullus eſt actus voluntatis Dei, qui non habeat pro obiecto formali Deum, & qui pro materiali *Tom.1. diſp. 3. & 16.*

Digitized by Google

riali etiam non amet, & velit ſeipſum: vult enim velle quod vult, aut vult nolle quod non vult. Tum quia, adhuc dato quòd non omnes actus Dei haberent pro obiecto Deũ, omnes ſunt æquè ſummé perfecti formaliter, ut diximus loco citato de Attributis, quia formaliter ſunt idemtitas realis cum tota perfectione Dei: nec emendicant ſuam perfectionem, aut phyſicam, aut moralem ab obiectis extrinſecis, cúm ex conceptu intrinſeco entis Divini habeant formaliter perfectionem ſummam, & dicant ſupereminentiſſimè omnes ſummas perfectiones Dei: & ex conceptu actus liberi Divini ſint ipſiſsima regula perfectionis moralis: ut luculenter *Perez.* proſequitur Antonius Perez *cap. 2. & 3* multa circa id opponens, & ſolvens ingenioſiſsimé, & ſolidiſsimè.

39 Obijcitur quintó. Neceſsé prorſus eſt, quód Divina voluntas conformetur Divino intellectui, ne agat contra dictamen rationis ſummæ: ſed neceſsé eſt quòd intellectus Divinus dictet, & approbet quod melius eſt: ergo neceſſe eſt quòd divina voluntas id eligat: ac proinde quód eligat optimũ. Confirmatur: Intellectu Divino non approbante malum, nequit Divina voluntas velle malum: ergo intellectu divino minús approbante minus bonum, nequit divina voluntas velle minus bonum: ſicut enim velle malum eſſet malum, ita velle minus bonum eſſet minus bonum. Reſpondetur, conceſsâ maiori, diſtingùo minorem: neceſſe eſt quód intellectus divinus approbet quod melius eſt, reprobando quod melius non eſt, ſi tamen bonum ſit, nego minorem: approbando ſimul quod melius non eſt, ſi tamen bonum ſit, concedo minorem; & abſolutè nego cõſequentiam. Sic enim etiam eligendo quod melius non eſt, ſeu quod minus bonum eſt, ſequitur voluntas approbationem intellectûs divini, & dictamen rationis ſummæ: & quidem non ſolum ſequitur huiuſmodi approbationem obiecti, ut minùs boni; verumetiam aliam, quâ ex dictamine rationis ſummæ iudicat Deus æquè ſibi optimum eſſe eligere obiectum minus bonum, ac eligere maius bonum, iuxta doctrinam primæ noſtræ conclu-
Supra num. 17. concluſionis.

40 Ad confirmationem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam, & probationem. Nam in Deo velle minùs bonum eſt volitio æquè bona, ac velle magis bonum; malum autem nequit velle Deus, cùm neque malum, neque mali volitionem approbet intellectus divinus: imò forté, & quamvis intellectus divinus id per impoſsibile approbaret: id enim habet ex intrinſecis ſuis rectitudo divinæ volunatis; ut io ſimili dico *in Diſputationibus de Fide*, divinem veracitatem, quæ eſt virtus voluntatis, ex intrinſecis ſuis habere, non poſſe velle loqui falſum, quamvis per impoſsibile intellectus divinus aliquid falsò iudicaret.

41 Obijcitur ſextó. Neceſſe eſt, quòd Deus ſit optimus Artifex: ergo, & quòd agat optima artefacta: ac proinde, quod in omnibus, quæ facit, eligat optimum. Reſpondetur negando conſequentiam: nam, ut ſit optimus Artifex, ſat eſt ſi peritiſsimus ſit optimarum regularum faciendorum operum, ſive optimorum, ſive non optimorum, & quod illas dum expedit, & vult exerceat infallibiliter: ſic enim, adhuc faciens minùs bona, faciet ex parte ſui formaliter modo æquè bono, æquè recto, æquè certo. Quoad hunc autem modum ſemper optimum, Deus in lucem edens formicam, aut cœlos, quamvis non faciat æquè bonum, facit æquè benè. Et ſic forté iuxta primam noſtram concluſionem intelliguntur pleræque Sanctorum PP. loquutiones obijci ſolitæ contra ſecundam.

42 Obijcitur ſeptimó. Concilium Fră- *Conc. Francof.* cofurtenſe ſic de Deo ſcribens ad Epiſcopos Hiſpaniæ: *Credamus, eum omnia velle, quæ meliora ſunt.* Cui conſonant pletique SS. *SS.PP.* Patres apud Montoyam ingeminantes, Deũ optima quæque eligere. Quos inter Auguſtinus *lib. 1. de Lib. arbitr. c. 5.* ait: *Quidquid tibi verâ ratione melius occurrit, hoc ſcias feciſſe Deum.* Et magis in terminis Patris Granadi Damaſcenus *lib. 2. de Fide, cap 29. Deus, ut bonus, providet; non providens, non bonus.* Signantiùs Clemens Alexandr. *lib. 6. Strom Deus, cùm ſit bonus, ſi ceſſavit unquam benefacere, Deus quoque eſſe ceſſabit.* & Chriſoſt. *Orat. 4. de Provid. Si nihil eſt poſt hanc vitam, nec Deus eſt.* Quibus ſimilia affert Amicus improbans multorum reſponſiones. Concedunt ergo SS. Patres Deo neceſsitatem faciendi aliqua talem, ut niſi Deus faceret, non eſſet Deus: ſicut de neceſsitate ad optima loquitur Granadus. *Auguſt.* *Damaſc.* *Clem. Alex.* *Chriſoſt.* *Amic.*

43 Reſpondetur, ex contextura Concilij non id abſolutè dici; ſed ſuppoſitâ iam, conſideratâ aliquâ rerum diſpoſitione; quâ ſuppoſitâ ait Concilium, credi à nobis oportere, dum de oppoſito non conſtat, Deum operari deinceps, quæ congruentiora ſunt: non tamen ex neceſsitate, ſed ex dignatione: ita ut poſſet facile ſic non operari. Ad neceſsitatem autem moralem requireretur ſaltem, quòd Deus non niſi difficillimé poſſet ſic non operari; aut eligere: ſive propter ſuperiorem impulſum ad ſic operandum, vel eligendum;

dum ; quod esset imbecillitas contra supremam Dei potestatem; sive propter indecentiam, quod esset incutere necessitatem metaphysicam sic operandi, aut eligendi : nam Deus quod non nisi indecenter posset, nec physicé, nec metaphysicé potest: aliter certé ac nos, qui sæpé physicè possumus, quod decenter non possumus.

44 Eodem modo respondetur ad Augustinum. Ad Damascenum dico, quòd loquitur ex præsuppositâ productione creaturarum in suos fines: quippè Deus non esset bonus, si in ea suppositione non esset providus, quasi nihil curans de dirigendis creaturis in fines à se intentos. Ad Alexandrinum, vel dicitur idem quod ad Damascenum, vel dicatur hyperbolicé eloquutum more concionantium: ut interpretatur etiam alios Martinon *tom. 1. Disp 13. num. 45.* Ad Chrisostomum facilius respondetur, loqui, suppositis divinis promissionibus, & minis, de præmijs, & pœnis post mortem: quibus si non staret, infidelis esset, ac proinde non Deus: quod est verissimum ; pertinens tamen ad impossibilitatem metaphysicam.

Martin.

SECTIO IV.

Obiectiones contra tertiam conclusionem.

45 OBijcitur primó. Quòd Christus *Luc. 11.* ex eo quod incredibile sit, aut moraliter impossibile, Patrem porrecturum lapidem Filio petenti panémi intulit sic: *Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare Filijs vestris ; quantò magis Pater vester de Cœlo, &c?* Infert itaque in Deo moralem pariter necessitatem similem illi, quàm habet humanus Pater ad non porrigendum lapidem pro pane Filio famalico. In id expendere quoque licet illud Isaiæ *49. Numquid obliviscì poterit mulier infantem suum, &c? Ego autem non obliviscar tui* Ubi videtur æquiparari impotentia moralis Dei ad obliviscendum nos, impotentiæ morali matris ad obliviscendum Filium. Hæ, & aliæ similes loquutiones viderẽtur inanes, & irritæ, si Deo denegetur moralis impotentia ad id, quod physicé facere potest; atqueadeó & moralis necessitas ad id quod physicé nõ potest facere.

Luc. 11.

Isa 49.

46 Respondetur tamen, nihil horum inferri ex illis loquutionibus, quãvis humano modo nostro intelligendi accõmodatis. In re namque solùm significant, Deum, factis ejusmodi suppositionibus, præstiturum esse nobis sine dubio similes effectus certissimé, non solùm moraliter ; sed etiam metaphysicé: quia sic decrevit, & promisit ; non autem, quia necessitatus antecedenter fuerit ad illos decernendos, & promittendos : quod sufficit ut nos id credamus, ac speremus, prout intendunt illæ, & aliæ similes loquutiones comparativæ: non, inquam, comparativæ quoad necessitatem moralem ; sed quoad erigendam à fortiori spem, & credulitatem nostram innixam certitudini metaphysicæ promissionis divinæ.

47 Objicitur secundó. Qui facit aliquid coactus ab extrinsecã circumstantiâ, creditur, quód, illâ seclusâ, esset aliunde moraliter necessitatus ad id non faciendum: ut patet in eo, qui coactus metu naufragij projecit merces pretiosas in mare : quippé eo ipso creditur moraliter necessitatus ad eas non projciendas, si metus ille, aut similis non urgéret. Atqui Deus non damnat homines, nisi quasi coactus ab hominum peccatis, ut ex variis Sacris Textibus eloquitur Chrisostomus varijs in locis, præsertim *Homilia 22.* inducens Deum loquentem sic: ***Num volebam tantâ eos pœnâ plectì? Ipsi me peccatorum immanitate ad tantam indignationem compulerunt.*** Significat ergo nomine Dei Chrisostomus, quòd si tot, & talia peccata nõ fuissent, necessitatus esset Deus moraliter ad non damnandos homines.

Chrisost.

48 Respondetur in primis, maiorem, nõ esse omninó universaliter veram ; sed quando tales essent extrinsecæ circumstantiæ, ut illis seclusis, nullus, aut vix ullus, faceret id ad quod faciendum illæ cogunt. Deinde admissâ maiori, adverto circa minorem, Deum nusquam dici propriè coactum, cùm non agnoscat superiorem vim. Nec verbum illud, ***compulerunt***, significat apud Chrisostomum rigorosam coactionem, sed justissimam causam divinæ indignationis erga peccatores rebelles, sine qua illos non damnaret in æternum. Denique, cum hoc temperamento admissâ minori, dico circa consequentiam, id quod infert non esse necessitatem moralem Dei non damnandi homines in æternum, nisi peccarent; sed metaphysicam: cùm impossibile metaphysicé sit, utpote indecens, & redolens crudelitatem indignam Deo, creaturas rationales damnare ad cruciatus æternos, nisi iustè motum ab ipsorum peccatis ad ostentionem iustitiæ suæ, ut dicimus in Disputationibus *de Reprobatione.* Et concludo cum Arriaga, quòd si hoc est indecens, metaphysicé repugnat Deo; si decens, nec moraliter.

Arriag.

49 Objicitur tertió. Sunt aliqua, quæ posita reddunt probabile, Deum aliquid facturum

ſturum: quibus ſi ulteriora accedant, id ipſum fit magis, ac magis probabile, magiſque credibile: ergo tot, ac tales circumſtantiæ poſſent accedere, & ſupponi, ut fiat credibiliſſimum, planéque moraliter certum, Deum id facturum. V.g. ſi id enixé poſtulet Sanctiſſimâ Virgo. Tunc ergo Deus ex illis ſuppoſitionibus erit moraliter neceſſitatus ad id faciendum. V.g ad præſervandam Mariam ex ſuppoſitione electionis in Matrem; ad concedendum ſalutem, ſi id poſtulet enixé Beatiſſima Virgo. Reſpondetur, conceſſo primo enthymemate, negando ſubillationem. Nam aliud eſt, nos eſſe moraliter certos quòd Deus id faciet; & hoc eſt verum: aliud eſt, Deum eſſe moraliter neceſſitatum ad id faciendum: at hoc eſt falſum, nec benè illatum ab illo vero.

50 Inſiſtes tamen. Nequeunt ejuſmodi circumſtantiæ fundare certitudinem illam moralem ex parte ſui, quód aliquid fiat à Deo, quin fundent pariter moralem neceſſitatem ex parte Dei: cùm nihil ſit faciendum ſine Deo: ergo quando ex parte illarum ſuppoſitionum, ſeu circumſtantiarum fundatur ea moralis certitudo, fundatur etiam moraliter ex parte Dei moralis neceſsitas: ergo quia *Herrer.* neceſsitatur moraliter Deus ad id faciendum. Confirmatur ex P. D. Herrera: quia ſaltem erit Deus moraliter neceſsitatus, & fundabitur dicta moralis certitudo ex parte Dei, quando tot Dei perfectiones inclinant ad id faciendum, ut nequeat prudenter præſumi, quòd non faciet.

51 Reſpondetur, negando antecedens. Quia moralis neceſsitas ex parte Dei non ſumitur ex illis ſuppoſitionibus, ſeu circumſtantijs, quibus nititur moralis certitudo noſtra; ſed ſumi deberet à difficultate feré inſuperabili, aut ab indecentia id non faciendi: quæ difficultas procul abeſt à Deo Omnipotentiſsimo, & liberrimo: cui utique facile eſt, & decens eſt, ab omnibus illis ſuppoſitionibus, & circumſtantijs ſeiungere effectum, quem illæ perſuadent, quamvis non credatur ſic facturus. Quod ſi decens non eſſet, nec metaphyſicè Deo poſsibile eſſet; aut ſi facile Deo non eſſet, poſsibile Deo non eſſet: quippè quidquid Deus poteſt, facile poteſt, & decenter poteſt. Patet ex phyſicis. Nam ignis fundat certitudinem, & neceſsitatem phyſicam ex parte ſui comburendi paſſum diſpoſitum, & applicatum; & non illam fundat ex parte Dei, quamvis ſine Deo non ſit faciendа combuſtio. Quia nempé Deus facilè, & ſine ſui violentia poteſt impedire combuſtionem, quidquid ſit de violentia ignis. Ad confirmationem, negatur antecedens: quia totum illud nõ ſufficit, nec prodeſt ad moralem neceſsitatem Dei ſic faciendi, dum totum id eſt ſine indecentiâ, & ſine difficultate aliter faciendi. Plura Borrull citatus. *Borrull.*

SECTIO V.

An, & quomodo neceſſitatus fuerit Deus ad Incarnationem ex aliquibus ſuppoſitionibus.

52 RAymundus Lullius exiſtimavit, Deum neceſsitatum ad Incarnationem ex ſuppoſitione Orbis conditi. Primò: quia perfectiſsimus Artifex facit opera ſua perfectiſsimé: Deus ergo, cùm neceſſariò ſit perfectiſsimus Artifex, neceſſariò debuit condere mundum perfectiſsimé: non autem eſſet perfectiſsimè ſine Chriſto. Secundó: quia Deus ſummé bonus habet infinitam propenſionem ſe communicandi; & ſummé liberalis, infinitam inclinationem donandi: ergo ſe communicandi *hypoſtaticè* per Incarnationem; & donandi Filium ſuum in Redemptionem pro multis ex ſuppoſitione creaturarum capacium tanti boni, taliumque donorum. *Lull.*

53 Concluſio tamen prima ſit cum communi ſententia: non fuiſſe Deum neceſsitatum incarnari ex ſuppoſitione Orbis conditi. Nam, adhuc ex iſta ſuppoſitione, liberrimè, & gratuitò Incarnatus eſt: ideòque opus Incarnationis, uti donum eximium, & gratiam ſingularem prædicant Orbi condito Scripturæ Sacræ: quas dedimus *Diſput. 5. ſect. 7.* *Supra diſp 5.*

54 Ad primum fundamentum Lullij, diſtinguo antecedens: perfectiſsimè ex parte rei factæ, nego antecedens: non enim tenetur Artifex, quantumvis perfectus, ad opera in ſe perfectiora: perfectiſsimè ex parte modi faciendi, cõcedo antecedens, & in hoc ſenſu conſequentiam: ut iam explicuimus *num. 41.* De cætero cavendus eſt tranſitus à perfectione ex parte modi, qui modus divinus eſt, ideòque ſummé perfectus, ad perfectionem ex parte rei, quæ res eſt opus creatum. Non autem eſt unde neceſsitetur Deus, ut opus ſit perfectiſsimum; ſicut neceſsitatus eſt à ſe, ut, ſi facit opus, modus ſuus increatus illud faciendi, ſit perfectiſsimus.

55 Ad ſecundum, poteſt totum concedi non de inclinatióne, & propenſione neceſsitativâ; ſed puré benevolitivâ, & alliciti-vâ: & quidem coniuncta in Deo cum ſummâ independentia, cum ſumma libertate, & cum ſumma poteſtate operandi, ſeu non operandi; & cum alia etiam inclinatione oſtendendi

di sum dominium in omnia, sumque sibi sufficientium, & fœlicitatem independentem ab omni eventu creato.

56 Ubi notandum venit, ejusmodi inclinationes, seu propensiones divinorum Attributorum, non esse adquisitas per actus, sicut habitus nostri adquisiti, qui non dantur ad posse, sed ad facile; sed esse ad instar potentiarum, ut dicimus de habitibus per se infusis; Deo tamen essentialissimè coidemtificatarum: & utrinque reddentium Deum potentissimum sic, vel sic operari, aut non operari: temperatâ videlicet mirificè inclinatione unius Attributi per inclinationem alterius, Iustitia per Misericordiam, Misericordia per Iustitiam, liberalitas per sui Independentiam, sui Independentia per liberalitatem, & sic de reliquis: manente quasi in æquilibrio inter Attributa hinc, & inde æqueperatissimè inclinantia, summa Dei libertate ad quodcumque opus; ac proinde ad nullum necessitata: ut dignius explicat P. D. Herrera *quæst. 11. de Volunt. Dei. sc. 1.* *Herrer.*

57 P. Antonius Perez *num. 60.* quem imitatur P. Thyrsus *disp. 11. sec. 4.* ex præiactis suis fundamentis docuit, Deum ex suppositione productionis Ordinis rerum supernaturalium, necessitatum fuisse moraliter quo ad specificationem ad se incarnandum. Movetur: quia mundus rationalis elevatus ism à Deo ad statum supernaturalem, ut rectè se habeat in se, & in partibus, postulat Christum: sine quo nimirùm esset mutilus, & imperfectus, veluti corpus sine capite connaturali: hocque illi denegare videtur minùs rationabile: cùm ergo Deus necessitatus sit ad faciendum id quod est rationabilius, videtur necessitatus saltem moraliter ad se incarnandum ex suppositione ordinis supernaturalis conditi. *Perez. Thyrs.*

58 Conclusio tamen secunda sit cum communi quoque sententia, nec ex suppositione ordinis supernaturalis conditi fuisse Deum necessitatum moraliter incarnari. Ratio est: nam æquè facilé potuisset Deus prædestinare homines, aut plures, aut pauciores elevando ad gratiam, & gloriam, quamvis nunquam voluisset incarnari: non ergo exinde necessitatur moraliter ad Incarnationem. Non propterea nego multa esse in ordine supernaturali, v.g. Fidem de Christo, & alia huiusmodi, non solum moraliter, quinetiam metaphysicè impossibilia sine Christo, sed de hoc frustra disputaremus. Loquimur ergo de ordine supernaturali secundum se.

59 Sic autem probatur nostrum antecedens, & Antonij Perez motivo simul occurritur. Nam possent à Deo dari multa auxilia, quin daret per Christum: ut in facto dicunt multi de auxilijs, & gratijs collatis Angelis & Adamo ante lapsum. Quòd autem esset in eo casu supernaturalis ordo sine hoc tuo capite nempé Christo, nec arguit fore sine capite, quod est Deus, Supernatura per essentiam, ut diximus *tom. 1. disp. 18.* nec probat, nisi ad summum, quòd in eo ageret Deus contra cõ naturalem exigentiam ordinis supernaturalis rationabiliter tamen ex variis finibus sibi notis: quæmadmodum cum produxit accidentia sine subiecto, & quando prohibuit combustionem igni Babilonico contra naturalem exigentiam; nequaquam verò irrationabiliter. Quippè ejusmodi exigentiæ sive physicæ, sive morales non necessitant Deum absolutissimum super omnia. *Tom. 1. disp. 18.*

60 Conclusio tertia. Neque ex suppositione humani lapsûs necessitatus fuit Deus ad Incarnationem. Est etiam communis sententia. Cuius ratio est: quia posset Deus offensus relinquere homines, sicut reliquit Angelos lapsos, sine reparatione. Quò facit illud Sapientiæ 10: *Quis tibi imputabit, si pereant nationes?* *Sap. 10.*

61 Obstare videntur aliqui Sancti PP. præsertim Athanasius, & Anselmus, significantes indecorum, & indecentissimum Deo fore, sinere homines perire. P. Vasquez non satis excusat Anselmum: pro quo citatur insuper Richardus: nec omninò dissentit Conine *disp. 2. dub. 2.* Respondetur tamen, benignè interpretandos esse, quasi dixerint fore id indecorum, ac indecens quoad vulgarem hominum existimationem: aut quasi exaggeratorié loquutos usurpando indecentiam pro minori congruentia respectu nostri, seu pro minori ostensione misericordiæ suæ. Quodsi alibi dicit absolutè Anselmus, homines lapsos non potuisse non reparari à Deo; intelligi potest ex suppositione certi numeri Prædestinatorum. *Athan. Anselm. Vasq. Rich. Conine.*

62 Conclusio quarta. Nec ex suppositione reparationis hominis lapsi necessitatus erat Deus ad Incarnationem. Ratio: quia poterat Deus, illos aliter reparare: scilicet, aut gratis condonando peccatum, sicut gratis, & nullis ex meritis donavit Filium; sive dando gratis, & independenter à Redemptore peccatoribus lapsis auxilia, quibus exhiberent aliqualem satisfactionem congruam, quam ipse benignè admitteret: ergo multipliciter poterat Deus homines lapsos reparare, quin Incarnaretur: ac proinde, nec ex suppositione reparationis hominis lapsi, necessitatus fuit Deus ad Incarnationem. Quocirca dixit Augustinus *capit. 1. de Agone Christiano*, ibi

Augustin. *Sunt autem stulti, qui dicunt: non poterat aliter Sapientia Dei homines liberare, nisi susciperet hominem, nasceretur ex femina, &c.*

DISPUTATIO VIII.

DE NECESSITATE INCARNATIONIS AD Satisfactionem pro peccato.

1 VENIMVS ad potissimum punctum; de necessitate scilicet Incarnationis ad satisfactionem pro peccato; dignum integrâ Disputatione. Ad cujus intelligentiam aliqua in limine prænotanda sunt; alia in decursu perstringenda ex variis Theologiæ Tractatibus.

SECTIO I.

Notationes, controversia, & sententia.

2 INtelligitur Titulus Disputationis de satisfactione pro peccato *per hominem exhibendâ*. Nam suppono, potuisse Deum fieri Angelum pro hominibus. Sic autem Deus Angelus non minùs quàm Deus Homo, potuisset satisfacere Deo pro hominibus, illosque lapsos meritoriè, & satisfactoriè reparare. Atque adeò, quâvis necessaria fuerit aliqua hypostatica unio Dei ad talẽ reparationem hominis lapsi; non tamen Unio Hypostatica, seu Assumptio, quæ esset Incarnatio: sed vel Incarnatio, vel ut ita loquar, Angelizatio. Sermo igitur est de necessitate Incarnationis ad satisfactionem pro homine lapso per Hominem exhibendam: quod est quærere: an ad id sufficere posset homo purus; an fuerit necessarius Homo Deus per Incarnationem constitutus. Est autem una ex gravioribus difficultatibus præsentium Disputationum.

3 Peccatum est: *Actus liber rationi, aut æternæ Dei legi contrarius.* Mortale, sive grave, si graviter; leve; sive veniale, si leviter rationi, aut legi adversetur. Offensa Dei est: *Peccatum contra Deum*: non quia tendat ad destruendum Deum: cùm multæ sint offensæ contra Regem, quin tendant ad occidendum Regem; sed quia formaliter, & advertenter est opposita præcepto Dei, eiusque amicitiæ, quam dissolvit, ut rectè Bernal *disp. 4. sec. 2.* An autem sit dabile peccatum etiam grave sine ratione offensæ Dei, nunc non examino. Concedunt id multi cũ de Lugo, & Ripalda admittentes malitias graves Philosophicas non Theologicas. Quod totum negat magno cum fundamento Ant. Perez *tom. 2. tr. 5. cap. 6. §. 2.* ex ijs quæ scripserat *tract. 1. d. sp. 4 cap. 10.* Regulariter saltẽ creatura rationalis per grave peccatum offendit Deum creatorem suum, inferendo ipsi iniuriam: sive strictè dictam injustitiam, ut opinor; sive injustitiam latè, & impropriè dictam, ut volunt alij: de quo nos obiter infra disputantes de rigore iustitiæ satisfactionis Christi. *Bernal.* *Lug. Rip.* *Infra disp. 17.*

4 Satisfactio pro peccato generaliter, tam quoad pœnam, quam quoad culpam, est *Compensatio voluntaria alicui facta reddens ei æquivalens pro debito.* Specialiter verò, prout ad præsens attinet, est: *Compensatio voluntaria reddens Deo æquivalens pro iniuria ipsi illatâ.* Dixi: *Voluntaria*: Nam quæ fit involuntariè, ut in damnatis, non vocatur satisfactio, sed satispassio. Satisfactio dividitur in condignam, & congruam. Ista dicit moralem quamdam proportionem infra æqualitatem; illa verò dicit æqualitatem cum injuria: ad eum nempè modum, quo dici communiter solet de Merito congruo proportionato, & de merito condigno æquali moraliter cum præmio.

Diffe-

5 Differunt autem Satisfactio, & Meritum multipliciter. Primò: quia meritum non ſemper ſupponit iniuriam, ſicut ſatisfactio: quamvis plerumquè in eodem actu ſimul meritorio, & ſatisfactorio utrumque id ſoleat reperiri: quatenus pro injuria præterita ſatisfacit, & præmium futorum meretur. Secundò: quia meritum ex conceptu ſuo reſpicit præmium proprium; ſatisfactio verò injuriam alienam. Tertiò: quia ſatisfactio conſulit alteri, cui compenſat; meritum verò cõſulit ipſi merenti, cui adquirit. Quartò: quia ſatisfactio fit ex debito ſatisfacientis erga illum cui ſatisfacit; meritum verò poteſt fieri citra debitum merentis, & intendit alterum facere debitorem præmij. Quintò: quia condignitas ſatisfactionis penſatur ab æqualitate cum iniuria, quam tollit; condignitas verò meriti ab æqualitate cum præmio, quod adquirit. Hæc ſcitè Ripalda *diſp. 96. ſec. 6. & diſp.97 ſec.1.de Ente ſupernat.* *Ripal.*

6 Difficultas præſens eſt: an ad ſatisfactionem pro peccato exhibendam Deo per hominem neceſſe fuerit Deum fieri hominem per Incarnationem; an verò illam exhibere potuerit purus homo, vel alia Perſona non divina: ſicque humanum genus lapſum reparari, quin ad hoc neceſſaria fuerit Incarnatio. Diſputatur autem tam de ſatisfactione congruâ, quàm de condignâ; tam pro peccato mortali, ſive proprio, ſive alieno; quã pro veniali. De rigore ſtrictæ iuſtitiæ hîc non diſputamus: cùm adhuc de ſatisfactione exhibita à Chriſto vertatur in dubium, decidendum à nobis infra in Diſputatione de ſatisfactione Chriſti. Audiamus iam ſuper ijs Auctorum iudicia. *Infra diſp.17.*

7 Prima ſententia eſt, ad id non fuiſſe neceſſariam ſimpliciter Incarnationem; imò potuiſſe puram creaturam condignè ſatisfacere Deo pro peccato mortali alieno. Tribui ſolet Scoto, Paludano, Caietano, & Soto. Sequuntur Rada *par.3. quæſt.1. art. 3.* Vega, & alij apud Amicum *diſp. 5. ſec. 7.* Quibus, quamvis aliquomodo videatur favere P. Suarez *diſp.4. ſec.7.* reverà tamen ſatis ſe explicat non loqui de ſatisfactione perfectè æquali, ac proinde non de condignâ, ſed de congruâ. De condigna loquitur quoad pœnam pro peccato proprio. Favet ſine dubio ſupradictis P. Thyrſus *tom.3.diſp.12.ſect.1.& & ſect.6.§.2.* *Scot. Palud. Caiet. Rada. Vega. Amic. Suar. Thyrſ.*

8 Secunda ſententia omninò ait; fuiſſe ſimpliciter neceſſariam Incarnationem ad ſatisfactionem condignam per hominem; quoniam, inquit, pura creatura non potuit condignè ſatisfacere Deo pro peccato, nec mortali, nec veniali proprio, nec alieno. Ita Uvadingus *diſp.1.num.65.* Antonius Perez, Raynaudus, Requelennius, doctique Recentiores cum alijs antiquioribus. *Uvadig.* *Perez. Reynav. Requeſ. Coninc.*

9 Tertia ſententia eſt Patris Coninc *diſp.3. dub.6.* docentis, ſi fieri poſſet, quòd pura creatura habuiſſet gratiam habitualem infinitam, poſſibile ſibi etiam videri, quòd talis pura creatura potuiſſet condignè ſatisfacere pro mortali alieno; ſicque Incarnationem non fuiſſe ſimpliciter neceſſariam ad ſatisfactionem condignam pro mortali alieno; ſecùs aliter.

10 Quarta, & communior ſententia tria docet. Primum, non potuiſſe puram creaturam ſatisfacere Deo condignè pro mortali proprio, nec pro alieno; ac proinde ad id neceſſariam fuiſſe Incarnationem. Secundũ, potuiſſe tamen de congruo pro mortali: ſicque ad id non fuiſſe neceſſariam. Tertium, potuiſſe etiam de condigno pro veniali: ſicque non fuiſſe neceſſariam Incarnationem ad ſatisfactionem pro venialibus Deo per hominem exhibendam. Ita S. Thom. Suarez, Vaſquez, & plerique alij apud Ripaldam *diſp.97.* & Martinonum *diſp.* 2. Meum iudicium triplici concluſione declaro per ſectiones ſequentes. 2. 3. & 11. *S Thom. Suar Vaſq. Ripald. Martin.*

SECTIO II.

An ad ſatisfactionem congruam pro mortali fuerit neceſſaria ſimpliciter Incarnatio, & inſufficiens pura creatura.

11 CConcluſio eſt negativa: in quam conſpirant Auctores quartæ communioris ſententiæ, & à fortiori tota prima ſententia. Quibus addo Prudentium *dub. 4. ſect.4.* Araujo *quæſt.1.art. 2. diſp.2.* contra aliquos, quibus in parte favere videtur Magiſter Lumbier, quatenús ait ſatis indeciſé *quæſt.8.art.3.* probabilius ſibi eſſe, nec cõtritionem ſupernaturalem puræ creaturæ independenter á Chriſto Reparatore fore ſatisfactionem congruam pro mortali; quamvis fateatur, fore aliquale meritum, & diſpoſitionem moralem de congruo. *Prud.* *Arauj.* *Lumb.*

12 Ratio concluſionis eſt. Quia ejuſmodi ſatisfactionem congruam præſtare poſſet Deo purus homo per actus ſupernaturales intenſiſſimos ex gratia eximiâ factos in Dei obſequium: ergo ad id non foret neceſſaria Incarnatio. Antecedens probatur; nam de facto peccator per actum ſupernaturalem contritionis meretur de congruo iuſtificari: quod eſt mereri de congruo remiſſionem ſui peccati: eo autem modo, quo mere-

tur remiſſionem peccati, ſatisfacit pro peccato, ut contra Ripaldam dicemus in ſequẽtibus, ac proinde de congruo. Ex ordinatione quidem Dei, pro peccato ſuo quæ ordinatio iuxta aliam Dei legem extendi poſſet pro alieno, ut communiter dicimus in Diſputationibus de Merito. Igitur ex ijs, quæ de facto admittit Theologia, infertur ſatis aptè non eſſe impoſſibile puræ creaturæ prælantiſſimis auxilijs elevatæ ſatisfacere Deo de congruo pro peccato ſuo, vel alieno: ac proinde ad id non fuiſſe neceſſariam Incarnationem.

13 Ratio ulterior, & fundamentalis eſt. Quia inæqualitas cuiuſcumque obſequij puræ creaturæ ad gravitatem divinæ offenſæ, quamvis obſtet æqualitati morali requiſitæ ad condignitatem; non tamen obſtat proportioni infra æqualitatem ſufficienti ad congruitatem. Et quidem mirum eſſet, omnia obſequia ſupernaturaliſſima poſſibilia omnium hominum, & Angelorum, Beatæque Virginis non ſufficere ad proportionem requiſitam in ſatisfactione congruâ pro peccato unius hominis, etiamſi conveniamus in eo quod non ſufficiunt ad æqualitatem.

14 Objicitur primò. Si daretur ea proportio, præcipuè ſtaret in eo quòd homo per actus illos præſtantiſſimos contritionis, quâvis non redderet Deo æquivalens pro peccato, redderet tamen quod poteſt, ſubmittens ſe Deo ex nobiliſſimo motivo charitatis cum propoſito obediendi de cætero: ſed hoc non ſufficit ad fundandam ejuſmodi proportionem requiſitam ad congruitatem ſatisfactionis: ergo non perinde ſatisfaceret de congruo. Probatur minor: quia ſimilis ratio militaret pro homine exhibente contritionem naturalem deſtituto viribus gratiæ ad contritionem ſupernaturalem: quippè ſic etiam faceret quantum poſſet, ſubmittendo ſe, & proponendo de cætero: quin tamen dicendus ſit proinde talis homo viribus naturæ ſatisfacere poſſe de congruo.

15 Reſpondetur, minorem eſſe veram ut patet ex eius vera probatione. Negatur tamen maior: in qua nimirum non aſſignatur adæquata ratio proportionis, & congruitatis ſufficientis ad ſatisfactionem, quam diximus: ea enim noſtra ratio, ultra id quod eſt hominem reddere Deo quantum poteſt, addit, quòd id præſtet per obſequia ſupernaturalia ex auxilijs gratiæ facta, Deo certè multò gratioſa, & magis acceptabilia, quàm contritio naturalis, quæ eſt ordinis multò inferioris. Quod multum facit ad proportionem meriti cum præmio, & ſatisfactionis cum iniuria Dei: ut expendimus *diſp. 5. ſec 2. à num. 21.* ex dicendis uberiùs *in Diſputationibus de Merito.* *Supra diſp. 5.*

16 Objicitur ſecundò. Quibuslibet obſequijs peccatoris, aut cuiuslibet puræ creaturæ poſitis, poſſet Deus, nec infundere gratiam, nec remittere peccatum: ergo quia non eſſent ſatisfactio adhuc congrua reſpectu Dei pro peccato. Antecedens conſtat ex doctrinis de Iuſtificatione: dicimus enim neque contritionem, quantumvis intenſam eſſe ex natura ſua, ſed ex favore Dei extrinſeco diſpoſitionem ultimam ad gratiam iuſtificantem. Probatur autem conſequentia: quia ſatisfactio in hoc differt à merito, quòd meritum requirit quandoque novum favorem extrinſecum, ut admittatur, & obtineat præmium; ſatisfactio verò debet eſſe apta extinguere debitum ſine novo favore extrinſeco oſtenſi. Id quod animadvertit Ripalda ubi ſupra, dans rationem: quia mereor tendit ad obligandum alterum ut muneret; ſatisfaciens verò ad deobligandum ſe, ne maneat debitor: ad quam deobligationem habet ius quiſquis ſatisfacit: ſi igitur poſitis quibuslibet illis obſequijs puræ creaturæ, adhuc eſt ex novo Dei favore remittere peccatum, ſequitur, illa obſequia, atque adeò nec contritionem, quantumvis ſupernaturaliſſima, non eſſe ſatisfactionem pro peccato. *Ripal.*

17 Reſpondetur in primis, nimis probari, ſcilicet nec ſatisfactionem Chriſti pro peccato fuiſſe congruam, nedùm condignam, cùm etiam opus fuerit extrinſeco favore Dei illam pro hominibus acceptantis, ut dicemus infra diſputantes de ſatisfactione Chriſti. Deinde, conceſſo antecedente ex natura rei, prout evincit eius probatio, nego conſequentiam. Ad cuius probationem dico, eius doctrinam valere ad ſummum de ſatisfactione condigna, & æquali pro peccato proprio; non ſic de congruâ, quæ ſalvatur infra æqualitatem. Unde de hac congruâ, qua de loquimur, nego ultimam conſequentiam. Nam, cùm ſatisfactio congrua non exæquet debitum, adhuc, non obſtante ſua proportione, relinquit locum favori extrinſeco in eius acceptatione, & remiſſione debiti: quâvis habeat proportionem, ut prudenter poſſit offenſor intuitu illius remittere debitum. *Infrà ſect. 3.* *Infrà diſp.*

18 Dices: ergo ſaltem deberet eſſe apta tollere partem debiti ſeorſim ab extrinſeco favore acceptationis: ſicqi pro illa ſaltè parte debiti erit ſatisfactio condigna. Atqui illa obſequia puræ creaturæ pro nulla parte debiti divinæ offenſæ poſſunt eſſe condigna: ergo nequeunt eſſe ſatisfactio congrua pro

tota offenſa. Reſpondetur negando primam illationem, quando debitum conſiſtit in indiviſibili, ut in præcenti dicendum eſt de debito divinæ offenſæ quoad culpam. Unde, conceſsâ minori, falſa eſt conſequentia.

Trid. 19 Obijcitur tertiò, quod Tridentinum *ſec. 6 cap. 14.* ait, ſatisfactionem per ieiunia, & per alia exercitia pia non eſſe pro pœna æterna, ſed pro temporali: ergo non ſunt pro culpa: ſi enim eſſent pro culpa, eſſent, & pro pœna æternâ conſequente culpam. Reſpondetur, ſermonem Concilij ibi eſſe de ſatisfactione Sacramentali, quæ eſt pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, ſupponens culpam, & pœnam æternam jam remiſſas per Sacramentum. De ea autem optimè dicitur non eſſe ſatisfactionem pro pœna æternâ, ſed pro temporali, in quam commutata jam fuit æterna per Sacramentum remiſſivum culpæ. Concluſio verò noſtra procedit de operibus pijs, & de contritione antecedente remiſſionem peccati quoad culpam: de qua non negat Concilium eſſe ſatisfactionem congruam pro culpa, & pro pœna æterna: cùm mereatur de congruo remiſſionem culpæ, & pœnæ æternæ, ut ex ipſo Concilio docet communior Theologia contra Patrem Valentiam citatum à Lumbier *num. 344.* non audente id de facto nobis negare *num. 352.* quamvis noſtræ concluſioni non ſatis adſtipuletur.

Valent. Lumb.

SECTIO III.

An ad ſatisfactionem condignam pro mortalis per hominem neceſſaria fuerit Incarnatio, & inſufficiens pura creatura.

S. Tho. Suar. Vaſq. Supra ſec. 4. Bernal. 20 Concluſio eſt affirmativa: & quidem cõmunis inter Theologos cum S. Thom. Suarez, & Vaſquez aliſque citatis pro tertia, & quarta ſententia *num. 9. & 10.* quam certam iudicat Bernal *diſp. 3. ſect. 2. §. 2.* poſt teſtimonium Adriani Pappæ, & Concilij Francofurtenſis ſtatim adducendum. Oportet eam ſtabilire, & ab Auctoritate, quod facile eſt: & à ratione, quod quam ſit difficile, videbimus ſectionibus ſequentibus.

Adrian. Francof. 21 Ab Auctoritate ſtat præclarum teſtimonium Adriani Pappæ Primi, & Concilij Francofurtenſis. Adrianus *in Epiſt. decretali ad Epiſ. Hiſpania*, ſuper verba quædã Auguſtini in Felicem, & Elipandũ invehitur in eos ſic: *Adverſat tandem aliquando perfidia veſtra, &c. Penſate quòd Doctor iſte dixerit, adoptatos nos eſſe per gratiam ipſius, qui peccata ſolvere venit.* Quod Pontifex commentatur ſic: *Quomodo per ipſius gratiam nos ſummus adoptati, ſic ipſe conſors nobis in adoptionis gratia fuit?* Impoſſibile ſcilicet reputans nos adoptari, id eſt reparari potuiſſe per Chriſtũ. ſi Chriſtus adoptatus, id eſt non filius naturalis Dei, ſed purus homo adoptatus etiam à Deo fuiſſet. Similiter Francofurtenſe *in Sacroſyllabo*, ait: *Quo igitur pacto nobis adoptionem filiorum tribuit, ſi ipſe neceſſarium eguit (habuit,* legunt meliús alij*) ut ſibi haberet?* Scilicet, eamdem gratiam adoptionis, quaſi non Deus eſſet per naturam. Sentiunt ergo Pontifex, & Concilium, gratiam adoptionis, quæ eſt remiſſio peccati noſtri, haberi condignè non potuiſſe per ſatisfactionem puræ creaturæ, ſed neceſſariam ad id fuiſſe hypoſtaticam unionem.

Hilar. 22 Conſonat S. Hilarius *Matt. 6.* dicens de Chriſto: *Sicut Dei Filium, ita, & Filium hominis meminerimus: quia alterum ſine altero nihil ſpei tribuit ad ſalutem.* Nempé quia Deus, qui non eſſet homo (aut Angelus) quamvis haberet infinitam dignitatem, non poſſet obſequi, & mereri apud Deum, cùm ad id requiratur aliqua ſubiectio; Homo autem, qui non eſſet Deus, quamvis haberet ſubiectionem ad obſequendum, & merendum, non haberet dignitatem Perſonæ Divinæ requiſitam, ut eius obſequia, & merita æquivalerent offenſæ gravi contra Deum. Hinc ergo eſt, quòd ad id non ſufficiat purus Deus, aut purus homo; ſed neceſſarium fuerit, Deum fieri hominem per Incarnationem, ut id per hominem præſtaretur.

Baſil. 23 Diſcurſum iſtum proſequitur S. Baſilius *in Pſalm. 28.* ad illa verba: *Redimet homo*: gloſſans ſic *Non homo nudus ſed homo Deus: quia nullus alius poterat condignum afferre pretium.* Itemque Auguſtinus *tract. 51. in Ioan.* ibi: *Quamvis autem Chriſtus vitis non eſſet, niſi homo eſſet; tamen iſtam gratiam hominibus non præberet, niſi etiam Deus eſſet.* Et in Enchiridio *cap. 108.* ibi: *Neque per ipſum liberaremur Mediatorem hominum Chriſtum, niſi Deus eſſet.* Leo Primus *ſerm. 1. de Nativ.* ibi: *Si non eſſet Deus non afferret remedium.* S. Cyrillus *lib. 1. in Ioan. cap. 16.* ibi: *Cùm ſalvare hominum genus Deus Pater voluiſſet, neque id creatura poſſet aliqua efficere, &c.* Et *Epiſt. 1. quæ eſt in Conc. Epheſino cap. 17.* ibi: *Quo pacto autem unus pro omnibus mortuus, inſtar pro omnibus pretium exolvere poſſet, ſi Paſſionem illam puri cuiuſdam hominis eſſe dicamus?* Et *lib. 1. ad Reginas:*

Auguſt. *Leo.* *Cyrill.* *Epheſin.*

ibi

tur remiſſionem peccati, ſatisfacit pro peccato, ut contra Ripaldam dicemus in ſequẽtibus, ac proinde de congruo. Ex ordinatione quidem Dei, pro peccato ſuo quæ ordinatio iuxta aliam Dei legem extendi poſſet pro alieno, ut communiter dicimus in Diſputationibus de Merito. Igitur ex iis, quæ de facto admittit Theologia, infertur ſatis aptè non eſſe impoſſibile puræ creaturæ prælantiſſimis auxilijs elevatæ ſatisfacere Deo de congruo pro peccato ſuo, vel alieno: ac proinde ad id non fuiſſe neceſſariam Incarnationem.

13 Ratio ulterior, & fundamentalis eſt. Quia inæqualitas cuiuſcumque obſequij puræ creaturæ ad gravitatem divinæ offenſæ, quamvis obſtet æqualitati morali requiſitæ ad condignitatem; non tamen obſtat proportioni infra æqualitatem ſufficienti ad congruitatem. Et quidem mirum eſſet, omnia obſequia ſupernaturaliſſima poſſibilia omnium hominum, & Angelorum, Beatæque Virginis non ſufficere ad proportionem requiſitam in ſatisfactione congruâ pro peccato unius hominis, etiamſi conveniamus in eo quod non ſufficiunt ad æqualitatem.

14 Obijcitur primò. Si daretur ea proportio, præcipuè ſtaret in eo quòd homo per actus illos præſtantiſſimos contritionis, quâvis non redderet Deo æquivalens pro peccato, redderet tamen quod poteſt, ſubmittens ſe Deo ex nobiliſſimo motivo charitatis cum propoſito obediendi de cætero: ſed hoc non ſufficit ad fundandam ejuſmodi proportionem requiſitam ad congruitatem ſatisfactionis: ergo non perinde ſatisfaceret de congruo. Probatur minor: quia ſimilis ratio militaret pro homine exhibente contritionem naturalem deſtituto viribus gratiæ ad contritionem ſupernaturalem: quippè ſic etiam faceret quantum poſſet, ſubmittendo ſe, & proponendo de cætero: quin tamen dicendus ſit proinde talis homo viribus naturæ ſatisfacere poſſe de congruo.

15 Reſpondetur, minorem eſſe veram ut patet ex eius vera probatione. Negatur tamen maior: in qua nimirum non aſſignatur adæquata ratio proportionis, & congruitatis ſufficientis ad ſatisfactionem, quam diximus: ea enim noſtra ratio, ultra id quod eſt hominem reddere Deo quantum poteſt, addit, quòd id præſtet per obſequia ſupernaturalia ex auxilijs gratiæ facta, Deo certè multò gratioſa, & magis acceptabilia, quàm contritio naturalis, quæ eſt ordinis multò inferioris. Quod multum facit ad proportionem meriti cum præmio, & ſatisfactionis cum iniuria Dei: ut expendimus *diſp. 5. ſec 2. à num. 21.* ex dicendis uberiùs *in Diſputationibus de Merito.* *Supra diſp. 5.*

16 Obijcitur ſecundò. Quibuslibet obſequijs peccatoris, aut cuiuslibet puræ creaturæ poſitis, poſſet Deus, nec infundere gratiam, nec remittere peccatum: ergo quia non eſſent ſatisfactio adhuc congrua reſpectu Dei pro peccato. Antecedens conſtat ex doctrinis de Iuſtificatione: dicimus enim neque contritionem, quantumvis intenſam eſſe ex natura ſua, ſed ex favore Dei extrinſeco diſpoſitionem ultimam ad gratiam iuſtificantem. Probatur autem conſequentia: quia ſatisfactio in hoc differt à merito, quòd meritum requirit quandoque novum favorem extrinſecum, ut admittatur, & obtineat præmium; ſatisfactio verò debet eſſe apta extinguere debitum ſine novo favore extrinſeco offenſi. Id quod animadvertit Ripalda ubi ſupra, dans rationem: quia merens tendit ad obligandum alterum ut muneret; ſatisfaciens vero ad deobligandum ſe, ne maneat debitor: ad quam deobligationem habet ius quiſquis ſatisfacit: ſi igitur poſitis quibuslibet illis obſequijs puræ creaturæ, adhuc eſt ex novo Dei favore remittere peccatum, ſequitur, illa obſequia, atque adeò nec contritionem, quantumvis ſupernaturaliſſima, non eſſe ſatisfactionem pro peccato. *Ripal.*

17 Reſpondetur in primis, nimis probari, ſcilicet nec ſatisfactionem Chriſti pro peccato fuiſſe congruam, nedùm condignam, cùm etiam opus fuerit extrinſeco favore Dei illam pro hominibus acceptantis, ut dicemus infra diſputantes de ſatisfactione Chriſti. Deinde, conceſſo antecedente ex natura rei, prout evincit eius probatio, nego conſequentiam. Ad cuius probationem dico, eius doctrinam valere ad ſummum de ſatisfactione condigna, & æquali pro peccato proprio; non ſic de congruâ, quæ ſalvatur infra æqualitatem. Unde de hac congruâ, qua de loquimur, nego ultimam conſequentiam. Nam, cùm ſatisfactio congrua non exæquet debitum, adhuc, non obſtante ſua proportione, relinquit locum favori extrinſeco in eius acceptatione, & remiſſione debiti: quâvis habeat proportionem, ut prudenter poſſit offenſor intuitu illius remittere debitum. *Infrà ſect 3.* *Infrà diſp.*

18 Dices: ergo ſaltem deberet eſſe apta tollere partem debiti ſeorſim ab extrinſeco favore acceptationis: ſicqi pro illa ſaltẽ parte debiti erit ſatisfactio condigna. Atqui illa obſequia puræ creaturæ pro nulla parte debiti divinæ offenſæ poſſunt eſſe condigna: ergo nequeunt eſſe ſatisfactio congrua pro

tota

tota offenſa. Reſpondetur negando primam illationem, quando debitum conſiſtit in indiviſibili, ut in præcenti dicendum eſt de debito divinæ offenſæ quoad culpam. Unde, conceſsâ minori, falſa eſt conſequentia.

Trid. 19 Objicitur tertiò, quod Tridentinum *ſec.6 cap.14.* ait, ſatisfactionem per ieiunia, & per alia exercitia pia non eſſe pro pœna æterna, ſed pro temporali: ergo non ſunt pro culpa: ſi enim eſſent pro culpa, eſſent, & pro pœna æternâ conſequente culpam. Reſpondetur, ſermonem Concilij ibi eſſe de ſatisfactione Sacramentali, quæ eſt pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, ſupponens culpam, & pœnam æternam jam remiſſas per Sacramentum. De ea autem optimè dicitur non eſſe ſatisfactionem pro pœna æternâ, ſed pro temporali, in quam commutata jam fuit æterna per Sacramentum remiſſivum culpæ. Concluſio verò noſtra procedit de operibus pijs, & de contritione antecedente remiſſionem peccati quoad culpam: de qua non negat Concilium eſſe ſatisfactionem congruam pro culpa, & pro pœna æterna: cùm mereatur de congruo remiſſionem culpæ, & pœnæ æternæ, ut ex ipſo Concilio docet communior Theologia contra Patrem Valentiam citatum à Lumbier *num. 344.* non audentè id de facto nobis negare *num. 352.* quamvis noſtræ concluſioni non ſatis adſtipuletur.

Valent. Lumb.

SECTIO III.

An ad ſatisfactionem condignam pro mortali per hominem neceſſaria fuerit Incarnatio, & inſufficiens pura creatura.

S.Tho. Suar. Vaſq. Supra ſec.4. Bernal. 20 Concluſio eſt affirmativa: & quidem cõmunis inter Theologos cum S. Thom. Suarez, & Vaſquez aliiſque citatis pro tertia, & quarta ſententia *num.9.& 10.* quam certam iudicat Bernal *diſp.3.ſect.2.§.2.* poſt teſtimonium Adriani Pappæ, & Concilij Francofurtenſis ſtatim adducendum. Oportet eam ſtabilire, & ab Auctoritate, quod facile eſt: & à ratione, quod quam ſit difficile, videbimus ſectionibus ſequentibus.

Adrian. Francof. 21 Ab Auctoritate ſtat præclarum teſtimonium Adriani Pappæ Primi, & Concilij Francofurtenſis. Adrianus *in Epiſt. decretali ad Epiſ. Hiſpania*, ſuper verba quædã Auguſtini in Felicem, & Elipandũ invehitur in eos ſic: *Adveriat tandem aliquando perfidia veſtra, &c. Penſate quòd Doctor iſte dixerit, adoptatos nos eſſe per gratiam ipſius, qui peccata ſolvere venit.* Quod Pontifex commentatur ſic: *Quomodo per ipſum gratiam nos ſummus adoptati, ſic ipſe conſors nobis in adoptionis gratia fuit?* Impoſſibile ſcilicet reputans nos adoptari, id eſt reparari potuiſſe per Chriſtũ. ſi Chriſtus adoptatus, id eſt non filius naturalis Dei, ſed purus homo adoptatus etiam à Deo fuiſſet. Similiter Francofurtenſe *in Sacroſyllabo*, ait: *Quo igitur pacto nobis adoptionem filiorum tribuit, ſi ipſe neceſſarium eguit (habuit,* legunt meliùs alij*) ut ſibi haberet?* Scilicet, eamdem gratiam adoptionis, quaſi non Deus eſſet per naturam. Sentiunt ergo Pontifex, & Concilium, gratiam adoptionis, quæ eſt remiſſio peccati noſtri, haberi condignè non potuiſſe per ſatisfactionem puræ creaturæ, ſed neceſſariam ad id fuiſſe hypoſtaticam unionem.

Hilar. 22 Conſonat S. Hilarius *Matt.16.* dicens de Chriſto: *Sicut Dei Filium, ita, & Filium hominis meminerimus: quia alterum ſine altero nihil ſpei tribuit ad ſalutem.* Nempé quia Deus, qui non eſſet homo (aut Angelus) quamvis haberet infinitam dignitatem, non poſſet obſequi, & mereri apud Deum, cùm ad id requiratur aliqua ſubiectio; Homo autem, qui non eſſet Deus, quamvis haberet ſubiectionem ad obſequendum, & merendum, non haberet dignitatem Perſonæ Divinæ requiſitam, ut eius obſequia, & merita æquivalerent offenſæ gravi contra Deum. Hinc ergo eſt, quòd ad id non ſufficiat purus Deus, aut purus homo; ſed neceſſarium fuerit, Deum fieri hominem per Incarnationem, ut id per hominem præſtaretur.

Baſil. 23 Diſcurſum iſtum proſequitur S. Baſilius *in Pſalm. 28.* ad illa verba: *Redimet homo*: gloſſans ſic: *Non homo redemiſſet homo Deus: quia nullus alius poterat condignum afferre pretium.* Itemque Auguſtinus *tract.31.in Ioan.* ibi: *Quamvis autem Chriſtus vitis non eſſet, niſi homo eſſet; tamen iſtam gratiam hominibus non præberet, niſi etiam Deus eſſet.* Et in Enchiridio *cap.108.* ibi: *Neque per ipſum liberaremur Mediatorem hominum Chriſtum, niſi Deus eſſet.* Leo Primus *ſerm.1. de Natiu.* ibi: *Si non eſſet Deus non afferret remedium.* S. Cyrillus *lib. 1. in Ioan. cap.10.* ibi: *Cùm ſalvare hominum genus Deus Pater voluiſſet, neque id creatura poſſet aliqua efficere, &c.* Et *Epiſt. 1. quæ eſt in Conc. Epheſino cap.17.* ibi: *Quo pacto autem unus pro omnibus mortuus, inſtead pro omnibus pretium exolvere potuit, ſi Paſſionem illam puri cuiuſdam hominis eſſe dicamus?* Et *lib.1. ad Reginas:*

Auguſt. Leo. Cyrill. Epheſin

ibi

ibi : *Si ut homo communis intelligeretur Chriſtus, quomodo corpus eius ad rependendam omnium vitam ſufficeret?* Et pauló poſt: *Si non eſſet Deus, quomodo ipſe, & ſolus ſufficiet ad hoc ut ſit pretium?* S. Fulgentius *cap. 4. de Incarn.* ibi : *Nullatenus humana natura ad auferendum peccatum mundi ſufficiens, & idonea fieret, niſi unione Verbi Dei.* *Fulgent.*

24 Hæc, & alia Pontificum, Conciliorum, & Patrum clara teſtimonia, quæ apud alios videnda remitto, apertiſſimè continent totam doctrinam noſtræ concluſionis principaliſsimæ de neceſsitate Incarnationis divinæ ad ſatisfactionem condignam pro mortali per hominem Deo exhibendam ad reparandos homines lapſos: eó quia nulla pura creatura ad id ſufficeret. Ut mirum non ſit, certam fuiſſe viſam doctiſsimo Patri Bernal noſtram concluſionem, & à nullo Theologo negabilem. *Bernal.*

25 Nec prodeſt quod aliqui reſpondẽt, ea teſtimonia intelligi debere de ſatisfactione rigoroſé condigna ex iuſtitia, ad quam, inquiunt, neceſſarius fuit Reparator, qui eſſet Perſona divina; non verò de ſatisfactione quodammodo condigna, minús perfectâ, & non ad iuſtitiæ amuſim: ad hanc enim, aiunt, ſufficeret purus homo. Vocant autem quodammodo condignam eam, quæ, quamvis pertingat ad æqualitatem cum iniuria divinæ offenſæ; tamen ob aliquem defectum deviat à rigore iuſtitiæ: & talem dicunt etiam eſſe condignitatem meritorum noſtrorum ad gratiam, & gloriam: eo quòd cuncta merita noſtra ſint alioquin Deo debita: ac proinde incapaciora mereri quidquam apud Deum ex perfecta condignitate de rigore iuſtitiæ. Non, inquam, prodeſt iſta reſponſio. Quia nec eſt ad rem, nec ad mentem Sanctorum Patrum, ex quorum Auctoritate nunc arguimus.

26 Non quidem ad rem. Quia nunc abſtrahimus a quæſtione gravi de rigore iuſtitiæ ventilandâ inferiús etiam de ſatisfactione Chriſti: de qua vertitur etiam dubium an fuerit necnè de rigore ſtrictæ iuſtitiæ, quod multi negant; cùm tamen nemo dubitet fuiſſe condignam, & perfectè condignam cõdignitate conſiſtente in æqualitate obſequiorum Chriſti cum iniuria divinæ offenſæ. Vel ergo obſequia ſatisfactoria puræ creaturæ pertingere poſſent ad moralem æqualitatem æquivalentem gravitati divinæ offenſæ; vel non: præciſſim videlicet à quæſtione de rigore ſtrictæ iuſtitiæ. Si non poſſent ergo eſſent infra moralem æqualitatem; & ad ſummum de congruo iuxtà primam noſtram concluſionem. Si poſſent ergo eſſent perfectè, & abſolutè condigna, quidquid pro nunc ſit de rigore iuſtitiæ. Nec obeſt, quòd non ſint tam perfectè condigna, ac obſequia Chriſti. Quid mirum? Si hæc ſunt ultra condigna ex ſuperabundantiâ minimè requiſitâ ad rationem perfectæ condignitatis, ſicut nec ad rationem perfectæ, & abſolutæ æqualitatis. Addo, nec defuturum illis rigorem iuſtitiæ, ſuppoſitâ condignitate, ſicut non defuit ſatisfactioni Chriſti, cùm non repugnet ſtricta iuſtitia inter Deum, & homines ex dictis *diſp. 10. de Attributis*, & ex dicendis infra dum agemus de rigoroſa Iuſtitia ſatisfactionis Chriſti. *Infra diſp. 17.* *Tom. 1. diſp 10.*

27 Non ad mentem Sanctorum Patrum. Nam, quidquid pro nunc ſit de rigore iuſtitiæ meritorum noſtrorum ad præmia gratiæ, & gloriæ, quem tamen rigorem alibi propugnamus; certè negari nequit, merita iuſti eſſe abſolutè condigna gratiæ, & gloriæ, cum diſcrimine à meritis hominis peccatoris, quæ dumtaxàt congrua ſunt. Vel ergo ſatisfactio puræ creaturæ, quantumvis ſanctiſsimæ, poſſet eſſe condigna pro peccato generis humani eo modo quo merita iuſti ſunt condigna gratiæ, & gloriæ; vel non. Si non: ergo nullam poſſet habere condignitatem, adhuc quam dicitis imperfectam: & ſic habetur intentum noſtræ concluſionis, quòd inſufficiens ſit pura creatura, & neceſſaria Incarnatio ad ſatisfactionem condignam. Si ſic; quomodo, precor, Sancti PP. attribuentes ſine dubio meritis iuſtorum cõdignitatem ad præmium gratiæ & gloriæ, negant ita ſecurè, conſtanter, ac ſeveré ſatisfactioni cuiuslibet puræ creaturæ, aut Perſonæ, quæ non eſſet Deus, condignitatem pro Dei offenſa, & rationem pretij ſufficientis ad extinguendum debitum peccati, requirentes ad id Perſonam Dei infinitam ſatisfacientem, ſolventem, & tollentem peccata mundi? Cõdignitas igitur, quàm prædicta reſponſio cõcedit ſatisfactioni poſſibili puræ creaturæ pro offenſa Dei, eſt prorſus illa, quam Sancti PP. abſolutiſsimè negant, ſtantes ſine dubio pro noſtrâ concluſione.

28 A ratione verò probari ſolet eadem concluſio multiplicitet. Quoniam verò rei difficultas Theologos hinc inde diſtraxit in varias rationes non omnes omnibus probatas, operæpretium eſt eas pro utilitate doctrinæ penſiculatiús examinare, ut rationem ſolidam pro ſolida veritate, reiectis alijs, veſtigemus, antequam obiectionibus concluſionem oppugnantibus occurramus: quod præſtabimus

ſect. 12.

* * *

SEC-

SECTIO IV.

Variæ Variorum Rationes.

Duran. 29 RAtio Durandi. Quia cùm ipsa gratiarum actio exhibita Deo ab homine, sit novum beneficium, nunquam potuisset homo purus reddere Deo gratias condignas pro cunctis beneficijs: ergo nec satisfactionem condignam pro omni debito peccati mortalis. Non satis probat: Ideò enim admittitur antecedens; quia ipsa gratiarum actio est novum beneficium, atque adeo nova materia actionis gratiarum: pro qua videtur ipsa non posse gratias agere. At obsequiũ, quo purus homo satisfaceret pro divina offensa, non esset nova offensa, nec nova materia pro qua satisfacere oporteret. Unde negatur consequentia. Præterea, probaretur sic nimis, nec pro veniali posse purum hominem adhuc de congruo satisfacere.

Scot. 30 Ratio Scoti. Quia quæcumque satisfactio puræ creaturæ indigeret novo favore extrinseco Dei, ut tolleret divinam offensam: ergo non esset condigna pro divina offensa. Hanc rationem iam enervavimus *num. 17.* Addo, quòd hæc ratio non tollit à satisfactione puræ creaturæ condignitatem in actu primo: sicut neque quòd merita nostra egeant extrinseco favore Dei, ut acceptentur, & mereant in actu secundo gratiam, & gloriam, tollit ab illis, ne sint in actu primo condigna, & moraliter æqualia præmio gratiæ, & gloriæ: ea nimirum condignitate intrinsecâ æqualitatis moralis, quam Sancti PP. denegant cuilibet satisfactioni possibili puræ creaturæ pro offensa Dei. Quidquòd Christi satisfactio fuit verè condigna; & tamen indiguit novo Dei favore extrinseco, ut in actu secundo admitteretur à Deo, & extingueret debitum peccati nostri, ut suo loco dicemus. Ergo ex eiusmodi favore Dei extrinseco requisito ad condignitatem in actu secundo, non fit aptum argumentum contra inæqualitatem moralem satisfactionis puræ creaturæ pro peccato; ac proinde nec contra condignitatem, quam illi specialiter, & non satisfactioni Christi, denegamus cum Sanctis PP. Oportet igitur quærere rationem inæqualitatis moralis, ratione cuius nec favor Dei extrinsecus posset facere. quòd ex condigno remitterentur offensæ Dei, & repararetur homo intuitu satisfactionis puræ creaturæ: quemadmodum nec favor Dei extrinsecus facere potest, quòd ex condigno retribuatur præmium gratiæ, & gloriæ intuitu obsequiorum naturalium.

Almain. 31 Ratio Almaini. Quia, quamvis posset homo offerre Deo obsequium æquè bonum, ac est malum peccatum; tamen pro pœna æterna debita peccato nihil condignum solvere Deo posset. Non placet. Vel enim reatus pœnæ æternæ est moraliter ipsa malitia culpæ offendentis Deum; vel non. Si primũ, obsequium puræ creaturæ moraliter æquale isti malitiæ, esset pariter æquale illi reatui: sicque pro utroque, vel pro neutro solveret condignè posset. Si secundum: ergo, quamvis pura creatura satisfacere non posset pro tali reatu, posset quidem condignè pro offensa: quod negant in terminis Sancti Patres: & quærimus rationem impossibilitatis satisfactionis condignæ puræ creaturæ pro culpa, seu pro malitia offensæ. Præterea, dicere, posse purum hominem offerre Deo obsequium æquè bonum, & placens, ac est malum, & displicens Deo peccatum, quo graviter offenditur, est nimis deferre sententiæ relatæ *nu 7.* opinanti possibilem esse satisfactionem condignam puræ creaturæ pro peccato; & plenè recedere à verâ sententiâ contrariâ, pro qua tuenda laboramus, & cuius rationem inquirimus: quidquid nonnulli Recentes apud Cardenas *in Gemino Sydere disp.2.c.26. n.460.* aliter sentire videantur. *Carden.*

Sot. Medin. Ferrar. 32 Ratio Soti, Medinæ, & Ferrariæ. Quia quælibet satisfactio puri hominis fundaretur in gratia ab ipso Deo offenso antecedenter erogata. Verum hoc est: non tamen evincitur exinde, satisfactionem in illa Dei gratia fundatam non fore condignam pro peccato: sicut nec, condignam esse non posse pro veniali potiùs quam pro mortali contra istos Auctores, & alios communiter. Insuper iuxta istam rationem Soti, nec satisfactio Christi esset condigna: utpotè fundata in gratia Unionis antecedenter à Deo prærogatâ: nec merita nostra possent esse condigna præmij gratiæ, & gloriæ, utpotè fundata in gratia antecedenter à Deo nobis merituris collatâ. Non igitur obstat præsupposita Dei gratiæ largitoris liberalitas, & gratuitas condignitati, imò nec rigori iustitiæ, ut cum Suarez loquar, dummodo opus obsequiorum, quod per talem Dei gratiam à creatura fit, & offertur Deo, evadat æquale, sive cum præmio, ut sit condignè meritorium; sive cum offensa, ut sit condignè satisfactorium. *Suar.*

Capreol. Ansel. 33 Ratio Capreoli, & Recentiorum ex Anselmo. Quia quidquid obsequij potest pura creatura offerre Deo, est iam debitum Deo, & iustè à Deo exigibile ex multis alijs titulis, præter titulum satisfactionis pro Dei offensa. Hoc etiam est verum: negatur tamen inde legitimè deduci, quominus idem obsequium valeat esse condignè satisfactorium pro

pro offensa, cedente scilicet Deo iure suo exigendi tale obsequium à creaturæ ex alijs titulis, solumquè id exigente, & acceptante in satisfactionem pro offensa. Insuper, si subsistit prædicta ratio, quòd probat contra suos Auctores, nec pro peccato veniali esse posse satisfactoriam condignè obsequium quantumcumque puræ creaturæ, utpotè debitum Deo, & exigibile à Deo ex alijs titulis. Quinimò, nec posset pura creatura quidquam apud Deum condignè mereri: quodlibet enim obsequium, quod offert pro præmio, est Deo alioquin debitissimum, & ex multis alijs titulis à Deo exigibile iustissimè. Quemadmodum ergo, cedente Deo liberaliter, ac benignè iuribus suis exigendi obsequia nostra ex alijs titulis, evadunt ista meritoria de condigno præmij gratiæ, & gloriæ; possent similiter, cedente Deo iure suo exigendi obsequia puræ creaturæ ex alijs titulis, evadere condignè satisfactoria pro offensa, nisi specialior alia ratio huic condignitati obstet. Videndum itaque est: an obsequia puræ creaturæ possint esse æqualia gravitati divinæ offensæ; aut cur non possint seorsim ab illis alijs titulis, quibus cedere potest Deus. Si enim possunt sic esse æqualia, ut concedere videntur sensim ij Auctores, corruit soliditas doctrinæ Sanctorum Patrum, cuius firmam rationem vestigamus.

34 Ratio Patris Vasquez, Meratij, & Gasparis Hurtado, quam videtur etiam promovere Ant. Perez. Quia nequit purus homo mereri alteri gratiam iustificantem, nec auxilia ad contritionem, quæ apud ipsos est etiam forma sanctificans. Unde inferùt, non posse puram creaturam condignè satisfacere pro peccato alterius. Multa supponit hæc ratio minùs in Scholis recepta. In primis iuxta aliam Dei legem posset Deus condonare peccatum sine infusione gratiæ, & sine dispositione peccatoris, vt teneo contra Vasquez in Disputationibus de Iustificatione. Sic autem non obstaret impotentia puri hominis ad merendum alteri gratiam, nec auxilia, quominùs posset satisfacere pro peccato, obtinendo ipsi extrinsecam Dei condonationem per extinctionem offensæ. Alia ergo ratio ad hanc satisfactionis impotentiam præcisè desideratur. Deinde, falsò quoque supponit, non posse purum hominem alteri mereri iuxta aliam Dei providentiam: quòd verò specialiter nequeat mereri gratiam sanctificantem alteri existenti in peccato, ideò specialiter est, quia nequit satisfacere pro peccato, reddendo Deo obsequium æquale, & æquivalens iniuriæ sibi illatæ per peccatum. Huius autem specialis impotentiæ rationem inquirimus; simulque, cur purus homo iustus nequeat mereri gratiam sanctificantem peccatori, quamvis alteri iusto possit.

Vasq. Merat. Hurt. Perez.

35 Ratio alia eiusdem Vasquez pro eo quòd nequeat pro peccato suo proprio purus homo satisfacere. Quia illa satisfactio non posset auferre totum debitum peccati: quandoquidem accipiens purus homo à Dei auxilia ad actus suos satisfactorios, supponit iam remissam partem sui debiti pro peccato proprio: pars enim debiti erat privari omni auxilio, & gratiâ Dei; ad hoc autem vt satisfactio sit condigna pro debito debet auferre totum debitum. De cætero iam concedit Vasquez, contritionem puræ creaturæ esse tam bonam, ac malum est peccatum, atque adeò condignè satisfacturam; nisi prædicta ratio obstaret. Displicet in primis hoc vltimum, de quo videri potest Haunoldus id vltro citroquè disputans *lib. 4. Tract. 1. cap. 1 contr. 2. §. 3.* Profectò Sancti PP. insufficientiam satisfactionis puræ creaturæ pro peccato in id reducunt, quòd nullus actus puræ creaturæ sit tam bonus in ratione obsequij, ac peccatum est malum in ratione offensæ: in quo tamè deficit hoc dictum Patris Vasquez. Deinde sequitur ex eius ratione, nec satisfactionem Christi fuisse condignam pro peccato nostro: nam Christus etiam satisfaciens supponit ablatam partem debiti nostri pro peccato, cùm supponat existentiam Redemptoris, quo privari debuit homo peccans, vt expendimus in simili *disp. 5. sec. 7. nu 94.* & deinceps *à num. 100.*

Vasq. *Haunol* *Supra disp. 5.*

36 Quodsi discutitur modus, quo satisfactio Christi fuerit condigna pro peccato non obstante suppositione Redemptoris, quo privari erat pars debiti nostri peccati; similiter poterit satisfactio puri hominis pro peccato suo esse condigna, si non obstat alia ratio, nisi quæ assignatur à Vasquez: quòd nempè quilibet actus obsequiosus, & satisfactorius puri hominis pro peccato suo supponat existentiam divini auxilij, quo privari erat pars debiti peccati sibi.

* *
*

SEC.

SECTIO V.

Rationes Cardinalis de Lugo, & Patris Martinez de Ripalda.

Lugo. 37 RAtio Cardinalis de Lugo. Quia ſicut peccatum mortale, quamvis malitiæ ſimpliciter finitæ ſit, parit tamen dignitatem pœnæ æternæ, eo quòd illa pœna neceſſaria ſit iuxta rectam gubernationem ad deterrendos homines à peccato; ita habet ex natura ſua, eſſe incompenſabile per obſequia puræ creaturæ ad eumdem terrorē: né, videntes homines ſufficere ſatisfactionem finitam pro illo, & Deum offenſum eſſe placabilem erga peccatorem obſequijs finitis, minùs graviter ſentirent de divinis offenſis, quàm oporteret ad eas evitandas.

38 Sæpé miratus ſum, quòd tantus Auctor acquieſcere potuerit huic rationi, à qua ſtare quoque videtur mirabilis Ant. Perez. *Perez.* Mihi profectò pro tenuitate mea, dum in gravitate ipſa malitiæ peccati præ obſequijs quibuſcumque finitis non aſſignatur ulterius fundamentum dictæ incompenſabilitatis, manca, & inſufficiens viſa ſemper fuit prædicta ratio. Nec ſatis eſt dicere, id eſſe ex natura ipſa divinæ offenſæ, & ex bono regimine Univerſi, ut homines deterreantur à peccato. Nam ad terrorem ſufficere videtur, hominem peccato fieri Dei hoſtem, diaboli mancipium, dignumque æternis ignibus indiſpenſabiliter, niſi Deus benignè miſereatur providens de remedio tanti mali. Præſertim, cùm, adhuc dato Chriſto Reparatore, facilé ſit Deo negare auxilia peccatori, quibus re ipsà ſatisfaciat quoquo modo, & quoad efficaciam omninò repararetur, quamvis alioquin poſſet.

39 Præterea, eo diſcurſu ductus, ſi diceret forté aliquis, nec obſequia infinita Chriſti eſſe condignam ſatisfactionem pro peccatis hominum, quia malitia peccati eſt incōpenſabilis etiam per Deum hominem, id exigente naturâ ipſa divinæ offenſæ iuxta rectū regimen Univerſi, ut homines magis deterrerentur; vix poſſet ullâ ratione impugnari. Alias impugnationes prædictæ rationis habes apud Arriagam, & Cardinalem Pallavicinum. Reſponſiones, quas aut inſinuat, aut *Arriag. Pallavic.* meditatur de Lugo, vel ſunt puræ petitiones principij, vel multa gratis ſupponunt facilé neganda.

40 Mihi quidem magni ponderis eſt, quòd totus ille terrificus diſcurſus evaneſcit ex eo quòd vix quiſquam fuit mortalium, qui ex eiuſmodi incompenſabilitate peccati, aut implacabilitate Dei, niſi per obſequia Perſonæ Divinæ, ſeclusis motivis æternæ pœnæ, iacturæ Cœli, infinitæ bonitatis Dei, & intrinſecæ turpitudinis peccati, motus, aut deterritus formaliter fuerit ad abſtinendum à peccato. Nam in primis Chriſtiani jam credunt de facto ex meritis Chriſti Deum eſſe placatum, & per media a Chriſto inſtituta ulteriùs à nobis placabilem. Deinde Ethnicis vix venit in mentē ex illo capite Dei implacabilitas, ut non peccent. Denique é Theologis, ut viſum eſt *ſec.1.* multi ſunt qui eam incompenſabilitatem peccati per obſequia puræ creaturæ negant; qui proinde ab illa minimé deterrentur. Is fructuoſus ergo, & fruſtraneus eſt diſcurſus Cardinalis de Lugo ad terrorem, é bono Dei regimine: é quo certé foret, ne fruſtrà foret, quòd Deus eam ſuam implacabilitatem promulgaret peccatoribus, ut ab illa deterrerentur, ſicut providentiſſimè promulgavit pœnas inferni, & alia motiva retrahentia, & deterrentia homines à peccato, per quæ, aut ſatis à Deo proviſum eſt ad deterrendos peccatores, aut certé non ſatis eſſet proviſum per illam incompenſabilitatem non promulgatam.

41 Demùm, vel ſeclusâ hac ratione terroris incutiendi, & incompenſabilitate intrinſecâ peccati, obſequia puræ creaturæ ſecundum ſe poſſunt eſſe tam bona in genere obſequij, ac peccatum eſt malum in genere divinæ iniuriæ; vel non. Si ſecundum, ab hac potius inæqualitate obſequiorum puræ creaturæ reſpectu divinæ offenſæ ſumenda eſt ratio inſufficientiæ puræ creaturæ ad ſatisfaciendum condignè pro divinis offenſis, & incompenſabilitatis offenſæ divinæ per obſequia puræ creaturæ; potius quam á præfata incuſione terroris: & ſupereſt ſemper dare rationem genuinam dictæ inæqualitatis. Si dicatur primum; relinquitur intactus ſenſus ſolidæ doctrinæ iuxta mentem Sanctorum PP. ſcilicet, nullam puram creaturam poſſe quidquam offerre Deo in ſatisfactionem, æquè bonum in genere obſequij, ac peccatum eſt malum in genere iniuriæ: cuius doctrinæ rationem inquirimus.

42 Ratio Ioannis Martinez de Ripalda *dip.99. de Ente ſuperni. ſec. 2.* Quia præter ſervitutem generalem, & ingenuam, quæ cunctæ creaturæ ſubiacent Deo univerſorum ſupremo Domino, homo peccans fit aliter Dei ſervus per peccatum: ſervitute videlicet non ingenuâ, & nobili, amicis quoque, & filijs communi; ſed aliâ ignobili, vili, & infami: quâ fit indignus tractari à Deo filialiter, & amicabiliter; imò dignus tractari purè ſerviliter, & ſubijci Deo tamquam vile mancipium,

Ripald.

Pium. Taliter nimirum, ut quamvis Deus titulo excellentiſſimæ ſuæ Maieſtatis non eſſet omnium Dominus, fieret ſpecialiter dominus peccatoris titulo ſervitutis peccati. Quò reſpiciunt ſcripturæ, in quibus vocatur homo, *ſervus peccati*; *venundatus*, *& venditus peccato: in ſervitutem redactus per peccatum*: & proinde, *empius*, & *redempius* à Chriſto. Ex eo autem quòd nulla pura creatura valeat obſequijs exæquare prædictum ſpeciale ius ſervitutis adquiſitum Deo ratione peccati, nullum eſt poſſibile obſequium puræ creaturæ, ultra quod Deus non poſſit à tali ſervo ſuo ultra exigere ex illo titulo aliud, & aliud. Unde infert impoſſibilitatem ſatisfactionis condignæ per puram creaturam. Nam ad hanc condignitatem requiritur, quòd ſatisfaciens exæquaret, & expleret obſequijs ſuis ius illud Dei adquiſitum ſpecialiter contra ſervum peccati; quod eſt impoſſibile. Huc reducitur ratio Haunoldi petita ex implacabilitate Dei per quæcumque obſequia creaturæ. Quippé eam implacabilitatem fundat in eo quòd Deus offenſus per peccatum adquiſierit ius ſpeciale indignandi contra hominem, ita ut rationabiliter maneret implacatus, ſi vellet, poſt quælibet obſequia creaturæ ſibi oblata, utpoté ſemper rationabiliter exigere poteus ulteriora titulo peccati.

Haunol

Prud.

43 Multa congerit Prudentius *diſp. 3. dub. 4. à num. 83.* contra iſtam Ripaldæ ratiocinationem; ſed, ut verum fatear, non ſatis efficacia. Mihi quidem ex eo non ſatis placet, quòd, ut ſupra diximus contra Capreolum *num. 33.* & contra Vaſquez *num. 31.* Poſſet Deus cedere illo ſuo iure exigendi obſequia quantumvis debitiſſima à peccatore titulo prædictæ ſervitutis. Vel ergo circumſcripto prædicto divino iure diſtinctiſſimo à malitia peccati, quamvis in illa fundato, obſequia præſtita Deo per creaturam poſſent eſſe tam bona in ratione obſequij, ac peccatum eſt malum in ratione injuriæ; vel non. Si ſic; deſeritur inæqualitas obſequij puré creati reſpectu gravitatis malitiæ divinæ offenſæ, ex qua iuxta mentem Sanctorum Patrum peti debet genuina ratio inſufficientiæ puræ creaturæ ad ſatisfaciendum condigné pro peccato. Si non; ex illa inæqualitate, cuius rationem adhuc deſideramus, petenda potiús eſt ratio inſufficientiæ ſatisfactionis puræ creaturæ pro iniuria divinæ offenſæ, quàm ex iure Deo exinde reſultante.

***

Supra ſec. 7.

SECTIO VI.

Ratio celebris ex infinitudine malitiæ peccati, ſeu offenſæ divinæ.

44 RAtio celebrior, & communior multorum eſt. Quia malitia peccati mortalis, ſeu gravitas divinæ offenſæ eſt ſimpliciter infinita, cùm ſit contra Deum infinitiſsimum; quæcumque autem obſequia puræ creaturæ, utpoté finitæ, ac limitatæ, ſunt ſimpliciter finita: quamvis eſſent actus obſequioſi infinitè intenſi ex gratiâ condignificante infinitè intensâ: quia hæc eſſet infinitudo tantùm ſecundum quid, nempé ſecundum intenſionem. Cùm autem ſimpliciter infinitum nequeat exæquari per ſimpliciter finitum, utpoté ſemper infinitè diſpar; inde eſt, quòd nulla obſequia puræ creaturæ poſſent eſſe moraliter æqualia malitiæ peccati, aut gravitati divinæ offenſæ ſimpliciter moraliter infinitæ: ac proinde nec condigné ſatisfactoria pro peccato: benè verò obſequia ſimpliciter infinita Perſonæ Divinæ ſimpliciter infinitæ, qualis eſt Chriſtus: cuius propterea Incarnatio fuit neceſſaria ad condignam ſatisfactionem pro homine lapſo per hominem exhibendam.

45 Hæc ratio, ſi vera eſt, ſufficiens eſt iuxta aliquos; iuxta alios inſufficiens. Eam ut veram ſequuntur communiter Thomiſtæ, & latiſſimé, Illuſtriſsimus Godoy *tom. 1. in 3. p. tract. 1. diſp. 1.* quam reſumit Gonetus poſt Albertum, Caietanum, Capreolum, Cornejum, Alvarez, Medinam, Araujum, & alios, qui pro ſe citant Alenſem Ex Ieſuiticâ Schola Leſsiu, *lib. 13. de Perfect. Divin. cap. 26 & 27.* Hurtadus *diſp 9. ſec. 1.* Coninc *diſp. 3. dub. 3. §. 4. & diſp. 2 & 10. de Pœnit.* Amicus *diſp. 5. ſec. 1.* Tannerus Bernal *d. ſp. 4.* & Aldrete *d. ſp. 4. ſec 3.* loquens in ratione demeriti. Ex alijs in parte Prudent. *tract. 1. diſp 3 dub. 3. ſect. 7.* & ex toto Magiſt. Lumbier *quæſt. 9.* à quo edoctus iunior eam & ipſe ſæpiùs defendi.

Thomiſt. *Godoy.* *Gonet.* *Aldret.* *Caiet.* *Capreol.* *Cornej.* *Alvar.* *Medin.* *Arauj.* *Alenſ.* *Leſſius.* *Hurt.* *Coninc.* *Amic.* *Bernal.* *Aldret.* *Prud.* *Lumbier* *Tanner.*

46 Cum aliquo tamen inter ſe ipſos diſſidio. Nam alij concedunt peccato gravitatem ſimpliciter infinitam in eſſe malitiæ, & in eſſe offenſæ; alij ſolùm in eſſe offenſæ. Aldrete in eſſe demeriti. Bernal in eſſe phyſico, & morali: alij ſolùm in eſſe morali. Prudentius pro ſolo peccato Chriſticidij advertenter ad hanc circumſtantiam perpetrato. Alij pro quocumque mortali.

47 Eiuſmodi infinitatem ſimpliciter ſibi nullatenùs perſuadent. Et primò quidem à mul-

Digitized by Google

à multiplici auctoritate Sanctorum Patrum, apud Bernal, & Godoy. Præsertim autem ex S. Thoma infinitam peccati gravitatem agnoscentes. At loquitur clarè de infinitudine non simpliciter dictâ, sed secundum quid. Idquod Sanctus ipse Doctor explicuit conceptissimè *in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 2.* dicens: *Peccatum habet quamdam infinitatẽ.* *S. Thom.* Pende, *quamdam*: & confer cum eo, quod alibi similiter dicit Visionem beatificam, & dignitatem Matris Dei esse res *quodammodo* infinitas: quod exponi non patitur, nisi de infinitate secundum quid: insinuatam nimirum per limitationem, *quodammodo*, sicut per limitationem *quamdam*. Nec obest, quòd S. Thom. ex infinitate illa, quam concedit offensæ, inferat eius incompensabilitatem à pura creatura. Non enim id infert ex eo quod ea infinitudo offensæ sit simpliciter; sed quia ea gravitas secundum quid quodammodo infinita summitur à Persona Dei offensi simpliciter infinitâ: à qua nimirum infinitudine simpliciter Dei offensi, non verò ab infinitudine simpliciter offensæ Dei, sumitur ea incompensabilitas, ut pro nostra sententia exponemus *sect. 10.* Similem habent interpretationem veram, & facilem aliorum SS. Patrum testimonia; de infinitate scilicet gravitatis divinæ offensæ secundum quid; non de simpliciter. Desideras hic explicationem harum infinitatum, quam, & ipse quoque desidero. Nondum tamen do: quia vix circa earum explicationem, & discrimen, habent quidquam firmum ij Auctores inter se, ut oportebat ad soliditatem suæ doctrinæ. Singulorum sensus expiscandi sunt ex singulorum discursibus expendendis in sequentibus probationibus. Meum proferam opportunius *sec 9.*

48 Suadent secundò à ratione, instando contra doctrinam à nobis datam in expositione S. Thomæ. Iniuria, & offensa peccati est contra Personam simpliciter infinitam, nempè Deum: ergo moraliter est simpliciter infinita, saltem in ratione offensæ: quidquid sit de ratione malitiæ. Probatur consequentia ex Aristotelis regula morali, quòd offensa *Arist.* crescit pro dignitate Personæ offensæ: unde maior æstimatur in ratione iniuriæ alapa inflicta Principi, quàm privato, cæteris paribus, ut est naturali lumine notum: ergo cùm Persona Dei sit dignitatis simpliciter infinitæ, offensa contra Deum, qua scilicet tota Dei dignitas quanta est contemnitur, evadit simpliciter infinita in æstimatione morali.

49 Confirmatur vis huius consequentiæ dupliciter. Primò, comparando offensam hominis contra Deum, cum offensa hominis contra alium hominem. Illa namque tot gradibus istam excellit, quot Deus excellit hominem offensum: sed Deus excellit hominem simpliciter infinitè: ergo sic etiam offensa contra Deum offensam contra hominem: undè necesse sit, illam esse simpliciter infinitam. Secundò, calculando pensiculatiùs. Quemadmodum enim inter hominem, & Deum interiacent possibiles infinitæ creaturæ offendibiles se se gradatim excedentes dignitate; sic similiter inter offensam contra hominem & offensam contra Deum interiacent possibiles offensæ numero infinitæ contra possibiles illas creaturas infinitas: quę offensæ eâdem gradatione se excedunt cæteris paribus. Atqui omnes istas offensas interiectas superat gravitate sua offensa contra Deum: necesse igitur est, quod habeat infinitos gradus gravitatis moralis: Ergo, & quod sit moraliter simpliciter infinita.

50 Devolvitur tota vis ad istam calculationem in Scholis famosam; sed multorum iudicio fallacissimam. Cui equidem non solùm enitar ad satietatem respondere; sed eius etiam nullitatem positivè patefacere: quòd in sequentibus etiam huius sententiæ suasionibus præstare studui: ut inde potissimùm reiecta maneat offensæ infinitudo, unde fundamenta quibus nititur, quibusque; & ipse nimis olim fidebam, re maturè perpensâ, nec firma, nec vera comperiuntur.

51 In primis si per eiusmodi calculationem pensanda est gravitas offensæ divinæ, aut intentum non concluditur, aut certè concluditur, offensę gravitatem esse tãtam, quanta est dignitas Dei, & peccatum in esse divinæ iniuriæ tam malum, ac Deus bonus est. Quòdsi hoc ab omnibus negatur, respondeant sic arguentes calculationi suæ, & viam aperient responsioni nostræ: per eamdem enim viam, qua offensæ gravitas deflectit ab æqualitate cum dignitate Dei, deflectere pariter dicemus ab infinitate simpliciter, quamvis tendat contra infinitissimam Dei dignitatem.

52 Deinde patitur instantiam manifestissimam in actibus creatis amoris, & visionis Dei. Qui quidem ex simili calculatione evaderent contra omnes simpliciter infiniti in perfectione sivè physicâ, sive moralî. Amor enim, & visio cæteris paribus est eò perfectior, quò perfectius est obiectum. Inter hominem autem, & Deum visum, vel amatum interiacent possibilia infinita numero obiecta bona sese gradatim excedentia visibilia, & amabilia: quorum proinde visiones, aut amores sese gradatim excederent: quin exinde visio, aut amor Dei creatus evadat simpli-

pliciter infinitus: quòd si sic evaderet, exæquare posset gravitatem divinæ offensæ, quantumvis simpliciter infinitæ: & per eamdem viam, qu â occurrit his Auctoribus modus infinitandi gravitatem peccati, ne posset per actus creatos ex æquo compensari, occurret pari passu modus illam compensandi per actus bonos puræ creaturæ simpliciter infinitos. Si dicant, istos visionis, & amoris actus creatos non evadere simpliciter infinitos in ratione boni, quia ex multis capitibus limitantur; similiter dicemus à multis etiam capitibus limitari gravitatem offensæ, quominus evadat simpliciter infinita, nihil omninò jam obstante prædictâ calculatione, propterea prorsus evanida, & nihil per se ad intentum concludente.

53 Parem etiam instantiam patitur ad homines in peccato veniali: quod quidem iniuria quoque, & inobedientia contra Deũ est; & infinitum simpliciter non est: ideóque apud hos Authores condignè compensabile per satisfactionem puræ creaturæ: pro quo tamen, iterando similem calculationem per comparationem iniuriarum venialium numero infinitarum sese gradatim excedentium, posset idem argumentum fieri, & æquè inferri ejus infinitudo, cùm contra Deum infinitum sit. Dicunt, Veniale non esse proprié & absolutè offensam, & iniuriam. Contra tamen. Nam, quidquid de ijs sit, certum tamen est, veniale esse malum, & inobedientiam contra Deum lege suâ prohibentem mendacia, & furta etiam minutiora. In ijs autem terminis iuri potest eadem calculatio, & deduci simpliciter infinitudo in ratione malitiæ, & inobedientiæ contra Deum. Occurrunt Hurt. & Godoy *num. 70*, ex ipso conceptu malitiæ, & inobedientiæ levis, repugnare peccato veniali infinitudinem. Benè: sed quid ad calculationem? Ex qua quidem, si quid valet, probabitur infinitudo in rebus, quibus ex conceptibus suis repugnat infinitudo. Aut certè, si stet in peccato veniali malitiam, & inobedientiam esse contra Deum, & esse levem; faciliùs stare poterit in mortali esse contra Deum, & non esse simpliciter infinitam, quamtumvis gravem.

54 Ratio disparitatis ad has instantias, quam magni faciunt Thomistæ, est, peccatum gravificari infinitè simpliciter in ratione offensæ ab infinita dignitate Dei; quia moraliter Deus infinitè offensus, non solum est terminus, sed subiectum morale offensæ propterea quòd offensa est Dei, Deusque illam recipit, ac patiturus respectu actuum illorum visionis, & amoris aliorumque obsequiorum quibus honoratur Deus, est purus terminus, & non subiectum morale. Iactantque in id Aristotelicum illud: *Honor est in honorante, & offensa in offenso.* Verba sunt; præterea nihil. In primis enim quid hoc ad calculationem? Deinde ad instantiam de peccato veniali nihil facit: quia etiam illam iniuriam, aut inobedientiam recipit, & moraliter patitur Deus, ac proinde erit morale subiectum minoris habitum à peccantibus venialiter, quàm ab omninò non peccantibus, & in cunctis perfectiùs obsequentibus. Deinde, quia similiter actus creatus amoris Dei valdè honorificus, & obsequiosus, quamvis in ratione amoris habeat pro puro termino Deum, in ratione tamen obsequij habet Deum quasi subiectum morale: homo enim est qui exhibet, & Deus qui sibi acceptat, & recipit obsequium: & sicut offensa peccati est offensa Dei, id est facta erga Deum: sic obsequium amoris est obsequium Dei, id est factum erga Deum. Nec quidem aliter Deus dici potest subiectum morale offensæ sibi factæ: ergo ex prædictâ ratione subiecti moralis nulla paratur apta disparitas ad calculationes supra positas, & oppositas: proinde pro neutro valituras, cùm pro utroque non valeant ad infinitudinem simpliciter evincendam.

55 At quid ad Aristotelicum illud? Ficta planissimè est quo ad posteriorem partem, quæ præsens erat negotium. Dixit Arist. 1. Ethic 3. *Est enim honor in ijs potiùs, qui honorem deferunt, quàm in eo, qui honore afficitur.* Et quidem optimè: quia honor est actus honorantis ipsi intrinsecus; extrinsecè tantùm afficiens, & denominans honoratum. De offensâ sive iniuriâ non dixit oppositum, ut affingitur: & ibi nihil dixit: idem abs dubio dicturus, si opus esset, ob identitatem rationis: cum certè sit actus intrinsecus offendentis extrinsecè afficiens, & denominans offensum. Dicere autem, hoc ita esse physicè; secùs in consideratione morali; est consideratio potè fictitia, & iam ut vidimus nullum habens fundamentum discriminis in Aristotele, ut vulgò iactant. Addiderim, quòd quãvis in humanis permitteremus hoc discrimen eo quod offensa infert in offenso tristitiam, & dolorem, qui sunt actus intrinsecè recepti in offenso. At non sic in Deo: cui potiùs obsequia, & honores afferunt gaudium intrinsecum; offensæ verò nihil doloris, aut tristitiæ. Unde faciliùs foret cuique considerare discrimen aliquod in oppositum, ut diceret, Deum moraliter potiùs esse subiectum honorationis, quàm offensæ. Constet saltem, discrimen assignatum pro eo quod Deus sit potiùs subiectum morale offensæ, quàm honoris, esse imaginarium, & authoritati Aristo-

Arist.

telis

celis non nisi falsò subnixum. Ut miseris, viros alioquin doctos, ac diligentes, præsertim Illustrissimum Godoy, tantam doctrinæ molem struere potuisse ita præsidentes supra fundamentum adeò ruinosum.

56 Respondetur ism pro omnibus ad rationem initam *num 41.* concesso antecedente, negando consequentiam. Ad probationem, trita est distinctio: offensa crescit geometricè cum proportione accommodâ pro dignitate Personæ offensæ, concedo: & hic est sensus Aristotelis, expendendus pro nostra sententia *sec.* 10. crescit arithmeticè, hoc est, cum æqualitate ad dignitatem Personæ offensæ, nego antecedens. Nec enim inter homines quælibet offensa contra hominem est tanta in genere mali, aut iniuriæ, ac homo offensus bonus est: quamvis proportionaliter commensuretur per dignitatem offensi: quatenùs nempé cæteris paribus servata proportione, gravior sit offensa contra Personam digniorem, quàm contra minùs dignam. Unde nulla est consequentia. Quia, quamvis tota illa Dei dignitas infinitissima contemnatur à peccatore, contenitur modo finito, & ex multis capitibus limitato; sicut quamvis amor noster amet totã Dei bonitatem infinitissimam; & obsequatur Deo infinitissimo; amat tamen, & obsequitur modo simpliciter limitato. Ex antecedente prout à nobis distincto, & concesso, solùm infertur iuxta regulam Aristotelis benè intellectam, & applicatam, offensam contra Deum esse, cæteris paribus multò graviorem alijs, quod verissimum est: ad æqualitatem autem cum Deo, nec Adversarij id probant, nec volunt: sic ergo nec volumus nos, nec ipsi probant, futuram esse simpliciter infinitam & eâdem ipsa ratione, qua apud ipsos crescit infra æqualitatem cum Deo offenso, crescit apud nos, & gravificatur infra infinitudinem simpliciter. Quo evanescit inanis illa calculatio.

57 Ad primam confirmationem, negatur maior: quæ tamé non ita proferri debuit, aut gratis assumi ab arguentibus minimé cõcessuris offensæ tot, tantosque gradus gravitatis, quot, quantique sunt gradus dignitatis in Deo offenso. Hoc enim probaret illa comparatio, si teneret. Alioquin solùm probat, quod ultrò concedimus, offensam Dei esse multò graviorem, quàm sit offensa hominis, & esse infinitam secundum quid, & terminativè ratione infinitatis Dei offensi. Si verò superaret offensam hominis tot gradibus gravitatis, quot hominem superat dignitate Deus, tot gradus haberet gravitatis, quot dignitatis habet Deus; quod ab omnibus negatur. Ubinam ergo incrementum arithmeticum offensæ ad mensuram offensi? Semel autem disturbato incremento arithmetico, corruit intentata exinde infinitudo.

58 Ad secundam, fateor in maiori, quòd interiacent ibi infra Deum offensæ possibiles numero infinitæ se gradatim excedentes; non verò se gradatim excedentes eo ipso excessu, quo se gradatim excedunt in dignitate personæ illæ offensæ numero etiam infinitæ: cùm, ut vidimus, gravitas offensæ nõ commensuretur æqualiter, sed proportionaliter dignitati Personæ offensæ. Unde distinguo minorem: omnes illas offensas interiectas superat gravitate offensa contra Deum, eo excessu, quo Deus dignitate superat omnes alias Personas offensas, nego; infra eum excessum cum aliqua proportione geometricà, concedo minorem. Et concessâ consequentiâ, nego subsillationem.

59 Aliud enim est offensam Dei habere gradus gravitatis quasi numero infinitos, quatenus excedit alias offensas numero infinitas, se gradatim excedentes: & hoc verum est: eo modo, quo similiter est verum, visionem, & amorem creatum Dei excedentem perfectione, sive physicà, sive morali alios amores numero infinitos se gradatim excedentes, habere suos gradus quasi numero infinitos perfectionis: & sicut eos haberet amor creatus infinitè intensus, si possibilis est. Aliud est, offensam Dei esse simpliciter infinitam: hoc enim falsum est; sicut apud omnes est falsum, prædictum amorem esse simpliciter infinitum. Illud prius probat in offensa sicut in amore infinitudinem secundum quid; illud posterius requirit infinitudinem simpliciter, quæ non probatur. Si quæris: quid ergo necesse fuerit ad hanc infinitudinem simpliciter. Huic quæstioni respondebo pro me *sect. 10.* Nunc satis mihi fuerit, ostendisse infinitudinem simpliciter offensæ non probari argumento isto calculatorio: cùm simillima calculatio fiat pro rebus solùm secundum quid infinitis, quales apud omnes sunt prædicti actus visionis, & amoris Dei.

SECTIO VII.

Aliæ suasiones infinitudinis divinæ offensæ; præsertim à forma offensæ constitutiva, dissuadentur.

60 PErsuadent sibi alij infinitudinem offensæ à forma ipsius constitutivâ sic. Forma gravificans, à qua nempé de-

Digitized by Google

ſumit offenſa Dei denominationem, ſeu quãtitatem ſuæ gravitatis, eſt ſimpliciter infinita: ergo & gravitas divinæ offenſæ: nam denominatio eſt ipſa forma communicata ſubiecto, aut ſaltem includit eſſentialiter, & conſtitutivè formam. Antecedens probant. Quia forma conſtituens, & gravificans offenſam, vel eſt ipſa dignitas Dei offenſi, ut volunt aliqui cum Bernal loquente de forma phyſicâ, pro infinitate phyſicâ; & cum Lumbier, loquente de forma ſolum morali pro infinitate morali: vel eſt, ut alij malunt, vilitas creaturæ offendentis: ad eum nempè modum, quo dignitas Perſonæ merentis eſt forma dignificans meritã. Sed utralibet iſtarum eſt forma ſimpliciter infinita: ergo forma gravificans, & conſtituens offenſam eſt forma ſimpliciter infinita. Minor quo ad priorem partem de dignitate Dei offenſi certa eſt, cùm certum ſit dignitatem Dei eſſe ſimpliciter infinitam. Quoad poſteriorem verò partem de vilitate creaturæ offendentis probatur. Nam ea vilitas creaturæ comparativè ad Deum eſt diſtantia creaturæ offendentis à Deo offenſo: ſed iſta diſtantia eſt ſimpliciter infinita, ut patet ex terminis: ergo & illa vilitas comparata ad Deum. Maior probatur: quia vilitas illa eo modo comparata ad Deũ nihil eſt aliud quàm ipſum eſſe creaturæ, quatenus infinitè ſimpliciter inferioris Deo: ergo eſt diſtantia creaturæ offendentis à Deo offenſo.

Bernal. Lumb. P. Boxaſa.

61 Sic quoque ſibi videntur ij Auctores reddere diſparitatem inter actum amoris Dei infiniti, ne evadat ſimpliciter infinitus in ratione obſequij & actum peccati, ut evadat ſimpliciter infinitus in ratione offenſæ. Quia nempè actus amoris in ratione obſequij reſpicit Deum, ut purum terminum; peccatum verò in ratione offenſæ dicit conſtitutivè Deum quaſi formam offenſæ ſaltem moraliter.

62 Iſta ſuaſſio, cui magis olim fidebam, torpior eſt quàm præcedens. Iam verò non ſatis mihi perſuadet infinitatem offenſæ. Primò namque patitur etiam inſtantiam in malitia inobedientiæ peccati venialis: quæ quidem ſimpliciter infinita non eſt; & tamen exceſſum ſuum ſupra leves etiam inobedientias factas hominibus deſumit ab iiſdem formis, ſeu quaſi formis gravificantibus, ſeu conſtituentibus offenſam peccati mortalis: ſcilicet, vel ab ipſa Maieſtate Dei, cui inobeditur, vel à vilitate creaturæ inobedientis. Nec recurrere licet ad levitatem peccati venialis: nam, ut hoc etiam utar Adverſariorum exemplo, dignitas infinita Perſonæ Chriſti quamcumque actionem Chriſti meritoriam alioquin phyſicè minimam dignificat infinitè: ergo ſi ad hunc modum gravificaret offenſas vilitas, quæ aſſeritur ſimpliciter infinita creaturæ offendentis, quãcumque actionem, etiam alioquin levem, inobedientiæ contra Deum infinitaret. Quo poſſet aliquis abſurdiùs intendere nullam dari levem inobedientiam contra Deum.

63 Inſuper. Si forma gravificans, & conſtituens offenſam infinitam eſt vilitas creaturæ, & vilitas eſt diſtantia, & diſtantia tanta eſt creaturæ à Deo, quanta Dei à creatura; tam inferior eſt creatura Deo, quàm eſt ſuperior Deus creaturæ. Unde iuxta prædictum modum diſcurrendi tanta erit vilitas creaturæ, quanta eſt dignitas Dei, ac proinde, & Chriſti: ergo tanta eſſet gravitas cuiuſcumque peccati in ratione offenſæ, quantus valor cuiuſcumque meriti Chriſti in ratione obſequij; cùm tamen ſit certum eſſe multò minorem: alioquin non ſuperabundaret meritum, aut ſatisfactio Chriſti præ gravitate peccatorum noſtrorum. Videant igitur Adverſarij unde proveniat iſta minoritas, & indidem dicemus provenire limitationem, quominùs evadat infinita ſimpliciter gravitas offenſæ: & pateſiet nullitas argumenti deſumpti à forma, vel quaſi forma offenſæ, prout ab ipſis explicatâ, & applicatâ.

64 Præterea, ſi verum eſt quod ait Godoy *num. 15.* adhuc fore ſimpliciter infinitam gravitatem offenſæ, quam per impoſſibile una Perſona Divina inferret contra aliam Perſonam Divinam; certè in eo caſu aliunde quàm à vilitate, ſeu diſtantia illa perſonali offendentis, petenda eſſet forma, & norma gravitatis infinitæ; nam ea diſtantia non daretur. Si autem id non ſit verum; ſed potiùs in eo caſu offenſa illa Dei in Deum finita foret; corruit argumentum calculatorium ex infinitate Dei offenſi ductum *ſect. præcedenti.* *Godoy.*

65 Tandem, ut ad veritatis trutinam veniamus, diſtinguere oportet doctrinam illam de vilitate creaturæ offendentis. Vel enim eſt ſermo de vilitate ſpeciali morali contractâ à peccatore per peccatum poſitivè vilificans peccatorem iuxta illud Hieremiæ: *Conſidera, quoniam facta ſum vilis.* Vel de vilitate generali, phyſicâ, & quaſi negativâ, qua creatura quælibet ex conceptu ſuo eſt inferior Deo. Prior illa vilitas ſpecialis, infinita non eſt, ſi peccatum non eſt infinitum: de quo eſt præſens quæſtio. Poſterior iſta generalis ineſt cuilibet creaturæ quantumvis ſanctiſſimæ, imò & Humanitati, & actibus meritorijs Chriſti: quia nempè Deus non ſum. Hæc autem vilitas non facit Animam B. Virginis, *Thren. 1.*

Hu-

Humanitatem, aut actus Christi absolutè positivè viles infinitè moraliter; sed physicè non habentes secum identificatam dignitatem, & perfectionem Dei simpliciter infinitam: à quo certè desumi nequit moralis offensæ infinitudo, ut rectè ponderat Amicus *disput.6. num. 83.* lege infra *n.105*

66 Respondetur tam ad argumentum *num. 60.* dupliciter. Primò negando antecedens, & maiorem probationis. Quamvis enim ex maiestate Dei, & ex vilitate creaturæ arguatur, & pensetur offensæ gravitas; non tamen ex illis arithmeticè tanquam ex formis constituentibus offensam, sed geometricè, & proportionaliter, tanquam ex terminis, quos inter est offensa: quemadmodum etiam arguitur, & pensatur in esse obsequij perfectio amoris Dei, ut dicebamus *sect. precedenti.* Atque hinc corruit disparitas quam tentabant Adversarij *num. 61.* Potiùs ergo offensæ forma diceretur libertas offendentis cum advertentia ad Deum offensum, quàm Deus ipse secundum se: advertentia namque nostra est quæ magis attenditur in æstimatione morali, quàm Dei dignitas in se quoad malitiam, & gravitatem offensæ: aut, si attenditur dignitas Dei offensi, est prout representata ab advertentia offendentis: quamvis ea dignitas det Deo offenso speciale ius ad indignationem contra vilissimos sui contemptores, ut expendit Aldrete *disp.10. sect.2. num. 11.* Cùm autem ea hominum advertentia ad infinitam Dei dignitatem finita sit; inde est, quòd infinitudo Dei non refundatur infinitè simpliciter in gravitatem offensæ, ut pro sententia nostra adstruemus ex Cardin. de Lugo *sect.9 & 10.*

Aldret.

Lugo.

67 Nego etiam, quòd vilitas creaturæ habeat se tamquam forma ad gravificandam offensam, sicut sanctitas meritis ad dignificanda obsequia: sanctitas enim est dignitas positivè reddēs personam dignam; vilitas autem creaturæ, modo quo sine suppositione falsâ asseri potest ab Adversarijs simpliciter infinita comparativè ad Deum, non est formalis indignitas, quæ positivè vilificet opera, cùm insit etiam essentialiter operibus dignissimis, ut distinximus *num. 65.* sed est vilitas ratione cuius opera non sint tam bona, ac perfecta, sicut bonus, & perfectus est Deus. Unde, concessâ minori, negatur consequentia. Est etiam sedulò discernendum, quòd eiusmodi personæ creatæ vilitas seorsim à peccato non est Deo infinitè displicens, seu tam displicens ac est Deo placens, seorsim etiam à quocumque merito, dignitas Personæ increatæ Christi. Unde est disparitas, quam prosequemur disputantes de Merito Christi, cur hoc evadat simpliciter infinitum, in quo sibi Deus infinitè complaceat; & non ita peccatum creaturæ simpliciter infinitum in ratione offensæ, in quo Deus sibi displiceat simpliciter infinitè.

68 Respondetur secundò, dato quòd forma gravificans, & constituens offensam esset, aut infinita dignitas Dei, aut infinita vilitas creaturæ, aut etiam utraque simul; distingui posse primum antecedens: forma gravificans offensam est simpliciter infinita physicè in essendo, concedo; moraliter in gravificando, & denominando offensam, nego antecedens, & consequentiam. Nec obest quod denominatio sit ipsa forma communicata subiecto. Hoc enim intelligi, & limitari debet iuxta capacitatem subiecti: à cuius scilicet incapacitate, seu limitatione limitari sæpè, aut impediri solet effectus formæ, cùm in physicis, tùm in moralibus. Aut dicant, precor Adversantes, undenam impeditur, quominùs eadem infinita Dei dignitas & vilitas creaturæ non præstent suum effectum formalem infinitudinis malitiæ, & inobediētiæ peccati venialis vilissimæ creaturæ contra Deum infinitum? Dicunt, à levitate ipsa peccati venialis. At putent, similiter nos dictutos, ab imperfectione advertentiæ nostræ ad infinitudinem vilitatis nostræ, & dignitatis Dei impediri, quominùs hæ formæ, vel quasi formæ infinitissimæ præstēt effectum formalem infinitudinis offensæ, quantumvis gravis sicque non evadit simpliciter infinita. Iuxta hæc ad probationem antecedentis, permissâ maiori, distinguatur minor, sicut ipsum antecedens: & cum eadem distinctione concedenda, & neganda est consequentia.

69 Addo: quòd, quamvis omnes offensæ gravificentur iuxta Adversarios ab eadem hac forma simpliciter infinita, omnes enim sunt à creaturâ infinitè vili, & plures ab eādem; & omnes sunt contra eumdem Deum; tamen non omnes sunt æquè graves; sed aliæ alijs inæquales in malitia, & in gravitate, ut multi ex Adversarijs concedunt, & contra alios ostendemus *sect.9.* Undenam ergo provenit inæqualitas ista? Profectò, unde dicant provenire eiusmodi inæqualitates, stante eadem formâ infinitâ, proinde inæqualiter gravificante; indidem dicemus provenire moralem omnium limitationem in gravitate, non obstante infinitudine formę gravificantis. Quod posset hic nobis opponi ex infinitudine meritorum Christi solvetur opportunius dum de Merito Christi disputabimus.

70 Suadent sibi aliter alij offensæ infinitudinem. Quia illud censetur malum simpliciter infinitum, quod habet infinitam in-

eli-

eligibilitatem: hoc eſt, quod numquam poſſet eligi licitè, etiam ſi per impoſſibile eſſet utile, vel neceſſarium ad bonum infinitum conſequendum: ſed tale eſt malum peccati: ergo eſt malum ſimpliciter infinitum.

71 Nihil tamen exinde perſuadent; ut patet in inſtantia manifeſta peccati venialis, omninó etiam ineligibili: quin tamen aſſeratur malum ſimpliciter infinitum. Hinc patet falſitas maioris. Ineligibilitas ergo non provenit ex infinitate, imó nec ex gravitate malitiæ: ſed ex oppoſitione cum voluntate legislativa Dei, quæ eſt regula omnis licitæ electionis.

SECTIO VIII.

Suaſſio poſtrema infinitudinis offenſæ ab effectibus, præſertim æterna pœna, diluitur.

72 SUadent poſtremò alij infinitatem offenſæ ab effectibus, quos inducit. Inducit enim, cauſatque moraliter ratione ſuæ gravitatis effectus ſimpliciter infinitos: ergo habet gravitatem, & malitiam moralem ſimpliciter infinitam. Antecedens probatur ſeptupliciter. Primò. Peccatum quantum eſt ex ſe eſt deſtructivum Dei: deſtructio autem Dei eſſet malum infinitiſſimum. Secundò. Privat peccatorem infinito bono, nempé Deo ultimo fine: hæc autem privatio malum infinitum eſt. Tertiò. Præfert creaturam Deo: quæ prælatio infinita deordinatio eſt ob infinitam diſtantiam creaturæ, quę præfertur, à Deo cui præfertur. Quartó. Meretur odium Dei infinitum. Quintò. Meretur alia mala ſine fine: quacumque enim pœnâ taxatâ pro peccato, poſſet peccator iuſtè à Deo puniri plús in infinitũ. Sextò Meretur inſuper privationem Unionis Hypoſtaticæ: ſiquidem, ſi per impoſſibile humanitas Chriſti peccaret, iuſtè privaretur in pœnam Unione Hypoſtaticâ. Septimó. Meretur tandem pœnam æternam; imò, & ipſam æternitatem pœnæ: quæ quidem æternitas infinita eſt.

73 Hic formatur ſequens ratiocinatio. Quæ æquivalent uni tertio æquivalent inter ſe: ſed gravitas divinæ offenſæ, & pœna ſimpliciter infinita æquivalent uni tertio: ergo & inter ſe. Maior videtur ex terminis nota, imitata principium illud: *quæ ſunt eadem uni tertio ſunt idem inter ſe*: & valet in quantitativis: nequeunt enim duæ quantitates eſſe æquales ſeorſim tertiæ cuidam quantitati, quin eo ipſo ſint æquales inter ſe. Minor probatur: nam gravitas offenſæ æquivalet pœnæ æternæ finitè intenſæ, quam condigniſſimè meretur: ſed pœna æterna finitè intenſa æquivalet pœnæ temporali infinitè intenſæ ſimpliciter infinitæ: cùm eligibilior videatur pœna temporalis infinitæ intenſionis, & ſi poſſibilis eſſet, infinita ſimpliciter, præ pœnâ æternâ intenſionis finitæ: ergo gravitas offenſæ, & pœna infinitè intenſa æquivalent uni tertio, ſcilicet pœnæ ſimpliciter infinitæ: ac proinde ſibi æquivalent inter ſe. Non autem ſibi æquivalerent inter ſe, ſi gravitas offenſæ non eſſet ſimpliciter infinita: quia ſimpliciter finitum nequit æquivalere ſimpliciter infinito. Eſt igitur ſimpliciter infinita gravitas divinæ offenſæ.

74 Propter hæc P. Aldretè concedit infinitatem offenſæ in ratione demeriti, quamvis neget in ratione malitiæ. Ego autem, nec per hæc mihi perſuadeo infinitatem ullam ſimpliciter offenſæ. Quoad multos ex effectibus conglobatis *num.* 72. patiuntur etiam claras inſtantias ſic arguentes in peccato veniali. Meretur enim divinam diſplicentiam, quæ infinita eſt: privaret humanitatem Unione Hypoſtatica cum ipſo incompoſibili: privat hominem ultimo fine: cùm nequeat compati peccatum veniale cum viſione beatificâ: & forté punitur in inferno pœnâ æternâ ſimul cum mortali. Quin tamen malitia venialis infinita ſit apud hos Auctores. *Aldret.*

76 Reſpondetur deinde ad argumentum. Primó, concedi, vel permitti, poſſe antecedens, & negari conſequentiam cum Oviedo pro ſe afferente Patrẽ Suarez. Nam benè poteſt cauſa finita habere effectus infinitos. Ut cernere eſt in hac ipſa materia ad homines iuxta Adverſarios: nam voluntas finita peccatoris cauſat peccatum infinitæ apud ipſos gravitatis. Et in alijs finita ſolis virtus poteſt cauſare infinitos calores: merita finita noſtra cauſant meritoriè præmium æternum: & merita puræ creaturæ poſſent mereri de congruo præmium Unionis Hypoſtaticæ, ut diximus *diſp* 1. *ſec.* 2. Si dicant, ad hos, & ſimiles effectus infinitos iuvari cauſam finitam ab aliquo infinito; dicam ſimiliter, nullos effectus poſſe cauſam finitam cauſare ſine aliquo infinito concurrente: & ſpecialiter ut in genere demeriti cauſet peccatum finitum effectus illos infinitos requiri infinitatem Dei offenſi, manente tamen peccato in eſſe ſuo finito. Sic corruit tota probatio antecedentis, conceſſis omnibus illis effectibus peccato, non propter ſuam infinitatem, ſed propter infinitatem Dei: & negando conſequentiam. *Ovied. Suar.* *Supra diſp.* 5.

76 Reſpondetur tamen ſecundò ſigillatim propter utilitatem doctrinæ, negando antecedens,

tecedens. Ad probàtionem ut utilius respondeatur, discurrere oportet, per singulos illos effectus, qui conglobantur *num. 72.* pro infinitate offensæ suadendâ.

77 Ad primum negatur, omne peccatum quantum est ex te,& affectivè, esse destructivum Dei: neque enim quælibet offensa gravis contra hominem vult, hominem de medio tollere. Dices: peccans tollit saltem à Deo rationem ultimi finis. Respondetur tamen, non id tollere absolutè & in se;semper enim manet in Deo ratio ultimi finis;sed tollit in exercitio respectu sui deordinatè tunc operantis: quod exercitium finitum est, cùm sit actus ipsius creaturæ,ordinatè uti debet ad finem suum ultimum operantis. Hoc,inquâ, exercitium, quod quidem infinitum non est, tollit peccator quando avertitur à Deo summo bono,& fine ultimo, propter creaturam. Dices iterùm : quid de peccato, quo vellet homo destruere Deum, si posset, aut facere, vt esset in se ultimus finis? Respondetur,eiusmodi peccata fore destructiva Dei: non effectivè,sed affectivè : non tamen perinde infinitè mala, aut infinitè offensiva Dei: sicut è converso non esset infinitè bonus, nec infinitè obsequiosus Deo effectus, quo vellet homo dare Deo, si posset, suum divinum esse, & infinitissimas suas perfectiones,& rationem increatam ultimi finis. Et ratio pro utroquè sit: quia ij, & similes actus creati, quamvis tendant ad obiectum infinitum,non crescunt ex obiecto arithmeticè, ut exposuimus affatim *sect. 6.* imò limitantur, ac deprimuntur ex multis capitibus,præsertim ex limitatione aduertentiæ peccatoris ad Deum, ut exponemus uberiùs *sec. seq.* Atque hinc quoquè infert cõtra Prudentium, nec peccatum Christicidij esse simpliciter infinitum. Quò pertinet illud Apostoli 1. *Corinth.* 2. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Prud.
1. Cor. 2.

78 Ad secundum dico, quòd peccatum privat peccatorem infinito bono, nempè Deo: non quidem absolutè,& in se: cùm non faciat, aut meteatur, ne sit Deus: sed privat Deo,ut à se possesso per visionem; vel ut sibi amico per gratiam : quod est privare hominem demeritoriè visione, & gratiâ Dei: quæ quidem bona sunt simpliciter finita : ac proinde non arguunt eorum privationem esse malum simpliciter infinitum. Notetur, quòd ex adversarijs Gonetus *disp. 9. de pecc. art. 8.* ratus repugnanter, offensam in Deum esse simpliciter infinitam, quamvis malitia peccati sit simpliciter finita, hoc postremum, quod indiligenter ait esse omnium Theologorum, probat ex illâ eâdem doctrina ; tantum est malum, quantum est bonum, quo privat: sed bonum,quo privat peccatum, est bonum finitum, nempè rectitudo opposita; Gratia, Charitas, aliaque dona simpliciter finita : ergo peccatum in ratione mali, seu malitia peccati simpliciter finita est. Cæterùm maior quàm sit falsa videbimus *nu. 85.* Minor nequit esse vera, si ex ratione malitiæ sequitur in peccato ratio offensæ simpliciter,ut aiunt, Infinita. Si autè vera est,oppugnat, quod nunc assumunt ad probandam infinitatem offensæ. Unde consequentia est inconsequentissima.

Gonet.

79 Ad tertium dico,ex illa iniquissima prælatione creaturæ ad Deum argui quidem enormem offensæ diuinæ gravitatem; sed nõ simpliciter infinitam, ut ex ipsis Adversarijs notat rectè Godoy *num. 14.* Nam illa infinitudo terminorum, quamvis arguat inordinatissimam deordinationem actûs dictæ prælationis affectivæ, non refundit in illum infinitudinem ad amussim arithmeticam; sed cum proportione geometrica infra infinitatem: ut etiam patet è converso in actu bono creaturæ præferente infinitam Dei bonitatem omnibus bonis creatis.

Godoy.

80 Ad quartum dico.odium Dei contra peccatorem propter peccatum esse quidem simpliciter infinitum, sicut Deus, in se, & quasi materialiter : per quam infinitatem, si vellent arguentes emetiri arithmeticè infinitatem peccati, inferrent infinitatem, quam ipsimet negant: non enim concedent peccato infinitatem parem infinitati odij Dei sic sumpti: cùm peccatum non sit tam malum, ac Deus est bonus. Alioquin nec satisfactio Christi esset superabundans pro offensa peccati. Pensari ergo debet odium Dei formaliter,& in æstimatione morali, ut malum pœnæ peccatori;& sic æstimatur iuxta mala,quæ infert peccatori; ac proinde non ut simpliciter infinitum formaliter,& æstimativè ex merito peccati. Retorsio est manifesta in displicentia Dei, similiter infinitissima in se, correspondente peccato veniali : & in amore amicabili Dei in se pariter infinitissimo correspondente actui charitatis creato: quin certè argui perinde liceat infinitudo culpæ venialis in ratione mali, nec infinitudo actûs charitatis creati in ratione boni. Cuius ratio pro omnibus est : quia similes actus divini id sè infinitissimi, eo quòd Deus nequeat habere nisi actus infinitos, quâ vergunt in pœnã, vel præmium operum nostrorum, eatenûs habentur respectu nostri proportionatè,quatenus nobis inferunt mala, uel bona, supplicij, vel præmij : hæc autem mala, vel bona simpliciter finita sunt.

Ad

87 Ad ſeptimum, inſtatur etiam in actibus meritorijs juſti ſimpliciter finitis, cauſantibus tamen moraliter in ut præmium *æternum gloriæ ponãs*. Torquet adversarios hęc inſtantia. Pro quibus reſpondet Bernal *ſec.5.* negans, actus meritorios juſti mereri condignè gloriam, ut æternam; ſed ſupererogatur illis, ait, æternitas ultra condignum juxta axioma decantatiſſimum: *Deus præmiat ultra condignum*. Poſſemus illi opponere Lugum, & Salas apud Oviedum inſinuantes, nec peccatum mereri condignè ex ſe determinatè pœnam, ut æternam; ſed æternitatem pœnæ decerni à Deo juſtiſſimè, loco intenſionis ſupplicij temporalis propter commune bonum, & regimen Univerſi. Quo meret ex hac parte æternitatis pœnæ argumentum pro infinitate offenſæ.

2.Cor. 4. *Bernal.* *Lugus*

88 Sed mihi quidem neutrum placere poteſt. Neque enim audeo dubitare, nedùm negare, deberi condignè peccato æternitatem pœnæ contra Scripturas, & ſanctos PP. id cõclamantes; neque deberi condigné meritis juſtorum æternitatem gloriæ, docente pariter Tridentino *ſeſſ.6. cap. 16.* juſtos per bona opera promereri vitam æternam, & *Canon.30.* reatum æternæ pœnæ comitari culpam peccatoris. Id quod utrinque concluſit Auguſtinus *epiſt.105.* ſcribens: *Sicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors; ita merito juſtitiæ tanquam ſtipendium vita æterna.* Pro merito juſti inſinuat cationem Conine *diſp.3.num.188.* quia opera juſti ſunt opera Filij: quem non ita decet aliud præmium condignè taxari pro ſuo labore à Patre infinitè locupleté, niſi præmium hæreditatis Paternæ: Dei autem hæreditas eſt vita æterna: ex illo Pauli ad Hæbr. *qui vocati ſunt æterna hæreditatis.*

Trident. *Auguſt.* *Conine.* *Hæbr. 9.*

89 Nec veroſimile, mihi eſt, illud *ultra condignum*, axiomatis Theologici eſſe æternitatem præmij. Nam ultracondignitas illa ſonat aliquantum ſupererogationis ſupra gradum condigni præmij; non autem venire poteſt in ſenſum aliquantuli additamenti põdus immenſum æternitatis, ut in ſimili dicebam pariter de pœna citra condignum *num.82.*

90 Aliam diſparitatis rationem meditantur alij ad inſtantiam noſtram de merito: quia, inquiunt, merita juſti non merentur gloriam æternam abſolutè, ſed conditionatè: ſi nempé deceſſerit in gratia: quam conditionem condigné non merentur. Fruſtra tamen: quia, quamvis juxta præſentem Dei legem exæquet Deus totam condignitatem meriti juſtorum intenſione gratiæ, & gloriæ ſub illa conditione, quam propterea condignè non merentur; cæterùm juxta aliam Dei legem, poſſet juſtus cum ligné mereri illam ipſam conditionem loco alicuius intenſionis gratiæ, & gloriæ ita nempe, ut mereretur condignè decedere in gratia, minùs tamen intenſâ & gloriam æternam minùs tamen intenſam: in hoc enim nulla eſt repugnantia, ut cum Ripalda, & alijs teneo in Diſputationibus de Merito. Quo in caſu tenet omnino paritas inſtantiæ noſtræ validiſſimæ ſine veſtigio ſolidæ diſparitatis. *Ripald.*

91 Reſpondetur iam directè ad argumentum ex ſeptimo effectu, concedendo planiſſimè, peccatorem per offenſam Dei mereri condignè pœnam æternam, eiuſque æternitatem: & quidem rationabiliter: quia peccans contempſit vitam æternam ſibi à Deo promiſſam, ſi non peccaſſet: & quia cõdigné meretur æternitatem culpæ merens utique nunquam à Deo condonari: nihil autem mirum, quòd merens æternitatem culpæ, mereatur æternitatem pœnæ. Nego tamen, pœnam æternam eſſe ſimpliciter infinitam; ſolùm enim eſt infinita ſecundum quid, nempè ſecundum durationem interminabilem; ſicut pariter gloria æterna: ad pœnã autem ſecundum quid infinitam, ſufficit gravitas culpæ ſecundum quid infinita, qualis eſt malitia peccati contra Deum infinitiſſimum. Ut autem mihi perſuadeam, pœnam æternam non eſſe ſimpliciter infinitam, ſufficit, inter pœnas æternas dari alias alijs maiores, ſicut ſufficit inter offenſas Dei dari alias maiores alijs, ut nulla ſit ſimpliciter infinita ex dicendis *ſect. ſeqq.* Addit Eſparza, pœnam æternam, quam meretur peccans, ſolum eſſe infinitam ſyncathegorematicè: nam quâ parte exiſtet actu, ſemper erit finita; quâ verò parte ſemper, & ſemper reſtabit ſine fine, nunquam tota perveniet, ac proinde abſolutè non habebit rationem pœnæ ſimpliciter infinitæ. Videndus etiam Uvadingus *diſp.1.* *Eſparza.* *Uvandi.*

92 Addo inſuper, quòd ex hac infinitate pœnæ penes æternitatem, quæcumque iſta ſit, non ſatis inferrent Adverſarij incompenſabilitatem offenſæ à pura creatura ſanctiſſima ab æternò merente, & ſatisfaciente. Nam ſatisfactio infinita penes durationem à parte ante, exæquaret pœnam æternã à parte poſt, niſi aliud obſtaret. Aut cur non ita?

93 Jam denique ad ratiocinationem comparativam acutè formatam *num 73.* reſpondetur, diſtinguendo maiorem: quæ æquivalent uni tertio in eodem genere, ſibi æquivalent inter ſe, concedo: & hoc ſolùm probant principium illud metaphyſicum, et paritas quantitatum mathematicarum. Nego

tamen maiorem, si fiat transitus ab uno genere æquivalentiæ in aliud: & monstro in eodem exemplo quantitatum: nam ex eo quòd in extensione æquivaleat palmus ligni, & palmus auri uni tertio, nempè palmo argenti, malè inferretur sibi æquivalere inter se in valore. Item in alijsmâ ex eo quod calor in ratione obiecti adæquet potentiam visivam, & pretium iustum coloris adæquet colorem in valore, non sequitur pretium coloris edæquare potentiam visivam, nec in ratione valoris, nec in ratione obiecti. Sic distinctâ, & expositâ maiori, distinguo minorem: gravitas offensæ, & pœna simpliciter infinita (transmitto, quòd hæc sit possibilis) æquivalent uni tertio nempé pœnæ æternæ in eodem genere æquivalentiæ, nego; in diverso, concedo minorem. Nam pœna simpliciter infinita æquivalet pœnæ æternæ in genere pœnæ ad pœnam, exæquando numero graduum intensionis numerum durationum pœnæ æternæ; at gravitas offensæ non sic æquivalet pœnæ æternæ, sed in genere demeriti, seu culpæ ad supplicium: in hoc autem genere non attenditur ad numeros graduum, cùm actus meritorius iusti numero graduum finitus mereatur gloriam æternam numero durationum infinitam. Unde nulla est consequentia, nullumque quod exinde subinfertur.

SECTIO IX.

Ratio incompensabilitatis offensa divina ex eius infinitate petita, ut mimimé vera multipliciter impetitur, & positivé impugnatur.

94 VEra igitur non est ratio illa celebris incompensabilitatis offensæ divinæ per satisfactionem condignam puræ creaturæ, petita ex gravitate offensæ simpliciter infinitâ. Quia falsis, ut vidimus, innititur fundamentis, à nobis superiùs facili negotio comminutis. Quapropter ejusmodi infinitatem offensæ divinæ negant melius cum communiori sententia S. Thom. Scotus, Suarez, Vasquez, Card. Delugo, Card. Pallavicinus, Esparza, Haunoldus *lib. 4. tract. 1. c. 1. contr. 1.* Thyrsus *tom. 3. disp. 2.* & rigidissimus Thomista Cabrera *disp. 4. de Incarn. num. 81.* hunc sensum vocans communem inter Discipulos S. Thomæ. Esse saltem S. Thomæ mihi persuadeo, cùm ex ipsius modo loquèndi, quem expendimus *sec. 6. num 47.* tùm ex eo quòd sit *1. 2. q. 73. art. 5.* ubi quærens: *Utrum omnia peccata sint paria*; resolvit quod non: ex qua inæqualitate peccatorum formatur urgens ratio, ne peccatum ullum sit simpliciter infinitum, ut expendemus statim.

S. Thom. Scot. Suar. Vasq. Lug. Pallavi. Esparz. Haunol. Thyrs. Cabrer.

95 Prima ratio sumitur ex vera intelligentia infiniti simpliciter, quam hucusque consultò distuli, ne videretur illam mihi gratis præsumpsisse ad respondendum contrarijs. Benè ergo docet Oviedus cum Lugo, & ex illis Haunold. *n. 10.* quibus præluxit Fasolus *to. 1. q. 7. art. 3. dub. 5.* ex S. Thom. *3 p. q. 10. art. 3. ad 3.* quod quamvis infinitum secundum quid, v. g. multitudinis, extensionis, aut durationis, possit esse unum maius alio, eo quòd terminum patiatur saltem extrinsecum; idest, ad quem non pertingat, dummodo careat intrinseco, id est in quo finiatur; at infinitum simpliciter, neque intrinsecum, neque extrinsecum terminum patitur: hoc est, nec habet terminum intrinsecum, in quo finiatur; nec extrinsecum, ad quem in genere suæ infinitudinis non pertingat. Unde est quod ex infinitis simpliciter in eodem genere nequeat unum esse maius alio: eo enim ipso quód unum esset maius, hoc maius esset terminus extrinsecus, ad quem illud minus non pertingeret: sicque illud minus esset, & non esset simpliciter infinitum. Ad hunc modum explicatur Dei infinitudo in perfectione, sive in omni, sive in aliquo genere, ut ex doctissimis Lessio & Raynaudo tradidi *disp. 3. de Attributis, sec. 1.* Ita videlicet, ut omnem perfectionem excogitabilem continere debeat: nam eo ipso quod supra Deum esset aliquid perfectius, iam Deus non esset simpliciter infinitè perfectus: sicut infra Deum nihil est simpliciter infinitè sapiens, aut potens, aut sanctum, quia infra Deum nihil est quod, sapientiâ, potentiâ, & sanctitate non superetur à Deo, imò & quod non possit superari ab alio.

Ovied. Lug. Haunol. Fasol. S. Thom.

Lessius. Raynaud. Tom. 1. disp. 3.

96 Hinc formatur ratio. Peccata mortalia non sunt æqualia, imò unum est certissimé maius alio: quinimó & nullum est, quo non sit aliud possibile maius: ergo nullum est simpliciter infinitum. Antecedens videtur innegabile ex Christi dicto *Ioan. 19. Qui me tradidit tibi maius peccatum habet.* Et *Hierem. 17. Peius operati sunt, quàm Patres eorum.* Et *Thren. 4. Maior est effecta iniquitas Populi mei peccato Sodomorum.* Pilatus quidem graviter peccavit: gravius tamen Iudæi cesse ipso Christo. Illi, quos coarguebat Hieremias, gravissimé peccarunt, utpotè homicidæ, sacrilegi, & idolatræ; at alij gravius, teste Hieremia. *Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis*, ex *Gen. 13.* at peiores alij, teste iterum Hieremia. Unde supponunt Theologi cum S. Thom. *1. 2. q. 73.*

Ioan 19. Hier. 17. Thren. 4.

Gen. 13.

S. Thom.

Thyrs. qu.73. peccata non esse æqualia, & meritò id iudicat de Fide Thyrsus *num* 41. & oppositum fuit error Stoicorum. Id quod, & ratione quoque naturali patet: cùm ergà Deum dentur aliæ iniuriæ aliis gravibus graviores, non secùs ac ergà hominem eumdem. Unde mirum est, quòd nonnulli Theologi formidantes nostram consequentiam, in illo nostro antecedente cespitent.

Godoy. 97 Respondent multi, & cum illis Illustrissimus Godoy: peccata esse quidem inæqualia ex obiecto, quod negabant Stoici; æqualia verò ex parte Dei offensi. Idquod alij aliter distinguunt, esse inæqualia in ratione malitiæ, quàm scilicet tribuunt versùs obiectum magis, vel minùs malum; æqualia verò in ratione offensæ, quàm utique tribuunt versus Deum semper eumdem & summè bonum, semperque morale subiectum offensæ. In primis hoc postremum de subiecto morali offensæ potius quàm obsequij, quàm sit ruinosum, ac libere confictum vidimus *sect.6.num.54.&55.* De cætero inutilis hæc, & fallissima responsio multipliciter infringitur.

98 Primò. Quia quidquid sub illis suis verbis dixerunt Stoici nequit esse magis paradoxum, quàm dicere, ex parte Dei non graviùs offendi, contemni, aut iniuriari Deum ab homine, qui ex odio, & ex formali contemptu in Deum diceret blasphemè, & hæreticè, Deum esse mendacem, iniustum, & crudelem; quàm ab homine, qui Deum offendit ex fragilitate furando decem, aut frangendo ieiunium: cùm naturali lumine sit omnibus notum graviùs offendi eumdem Regem etiam ex parte Regis ab eodem homine per formalem ipsius cõtemptũ, per cõvitia in ipsum, aut per machinationem mortis ipsius, quam per transgressionem suarum legum spectantium ad bonum subditorum. Quis, precor, dicat illud prius esse quidem maius malum in ratione mali; non verò in ratione offensæ Regis ex parte Regis?

99 Secundò. Quia, si huius paritatis ex humano Rege petitæ prætenditur aliqua disparitas ex eo quod, cùm Dei Maiestas sit summa, quælibet ipsius offensa est summa in ratione offensæ, & supra summum non est maius; inciditur in aliud paradoxum, & quidem maius, si superiùs dictum non fuit summum. Sequitur enim, nec per plurima peccata, quantumvis enormia fieri unum peccatorem, magis Deo iniuriosum, peiorem, deteriorem, odiosiorem, detestabiliorem, & abominabiliorem, in ratione offensæ Dei, quã alius per unicum, absolutè loquendo; sed secundum quid dumtaxat, & extensivè. Nam per quodlibet peccatum fieret absolutè, & simpliciter summè offensor, summequè injuriosus. Quo præcluditur evasiua aliquorum interpretatio ad loquutiones Scripturæ adductas *nu.96.* quasi solum velit Scriptura, alios esse alij peiores non propter majores, sed propter plures offensas. Si enim solùm secũdum quid, & extensivè tantum essent pejores, cùm absolutè, & simpliciter sint pares; non rectè Scriptura absolutè, & simpliciter loquens alios alijs pejores, majores, & iniquiores pronuntiaret. Addo, testimonium illud Christi *Ioan.* 19. de eodem peccato objectivo Christicidij intelligi debere, & tamen in eo uno peccatum formale Iudæ, aut Iudæorum absolutè majus pronuntiat præ peccato Pilati.

100 Tertiò: Quia, si hoc ipsum eludi præsumitur per distinctionem in ratione malitiæ, vel in ratione offensæ, hæc ipsa distinctio efficaciter retunditur. Nam implicat peccatum mortale Theologicum esse simpliciter infinitum in ratione offensæ Dei, & non in ratione malitiæ: ergo frustranea prorsus est ea distinctio, ut ex Adversarijs ipsis verè iudicat, & probat P. Bernal. Antecedens probatur. Peccatum enim Theologicum in ratione malitiæ Theologicæ, qua fit homo dignus inimicitiâ Dei, & pœnâ æternâ, & privatus gratiâ Dei, est aversio à Deo, & conversio ad creaturam: per contemptum scilicet Dei, & transgressionem gravem divinæ legis advertenter ad legem, & ad Deum: alioquin non incurritur malitia mortalis Theologica: sed hic ipse contemptus divinæ legis cognitus, hæc ipsa antelatio inordinatissima, Deoque injuriosa creaturæ ad Deum cum advertentia ad suos terminos creaturæ, scilicet, & Dei, est formaliter ipsa ratio injuriæ, & offensæ Dei sic posthabiti creaturæ: ergo implicat, peccatum mortale Theologicum esse simpliciter infinitum in ratione offensæ Dei, quin eo ipso sit simillimè infinitum in ratione malitiæ formalis, & moralis Theologicæ, in qua stat ratio formalis peccati mortalis. *Bernal.*

101 Nec est excogitabilis ratio, quâ deprimatur, & limitetur ea gravitas in ratione malitiæ mortalis, quæ similiter non deprimatur, & limitetur in ratione offensæ Dei. Nec prodest, quod Deus, qui offenditur per contemptum peccatoris, semper sit summus. Nã etiam Deus, à quo per malitiam peccati avertitur peccator, semper est summus, summèque superior creaturæ ad quam convertitur, & cui Deum postponit. Quòdsi ea Dei summitas faceret omnes offensas summas, ac proinde non inæquales in ratione offensæ; cur non in ratione malitiæ essentialiter involuentia

cis in ſuo conceptu contemptum Dei, à quo avertitur, divinæque legis, quam violat? Aut cur non etiam omnes Beatorum viſiones non erunt ſimiliter æquales in ratione præmij, & poſſeſſionis ſummi boni, ex eo quod Deus per omnes illas, quamvis inæqualiter intenſas, viſus, & poſſeſſus, unus eſt, & ſummum bonum eſt. Undecumque penſetur hæc inæqualitas, penſanda eſt limitatio tàm in viſionibus, quàm in offenſis, quàm in malitijs.

102 Confirmatur. Malitia, quam peccatum contrahit præcisè ex objecto creato malo, malitia philoſophica eſt, niſi aliquomodo advertatur ad Deum prohibentem: quæ præciſè malitia, ſi dabilis ſit, ut bene Cardin. Delugo *d ſp. 5. ſect. 5.* quantumvis phyloſophicè gravis, non eſſet immortalis, id eſt digna cruciatibus æternis, ad quos damnantur contemptores divinæ legis æternæ per malitiam Theologicè gravem advertenter ad Deum almiſſim cum contemptu ſuæ legis ſummique boni. Hæc autem eſt malitia gravis Theogica, cui correſpondet æterna pœna: & hæc ipſa eſt ipſiſſima ratio formalis injuriæ, ac offenſæ Dei, juſtè propterea indignantis contra peccatorem, illumque à ſui amicitia repellentis. Si igitur in hac ratione injuriæ, & offenſæ divinæ omnes peccatores pares eſſent, pares ſimiliter eſſent in ratione malitiæ Theologicæ: ad ſummum diſpares in malitia philoſophica, penes objectum amatum magis, vel minùs malum. Sicque diſparitas pœnarum æternarum majorum, & minorum, quæ variis peccatis, & peccatoribus correſpondent, ſummenda eſſet præcisè penes conceptum malitiæ philoſophicæ, quæ præciſè finita eſt, & digna non eſt æternâ pœnâ. Quo quid abſurdius, & iniquius? *Lugus.*

103 Quartò: Quia odium formale Dei, divinæque legis æternæ pro objecto reſpicit Deum ipſum, æternamque Dei legem, quam cum Deo ipſo odio habet, & ſpecialiter contemnit per enormem injuriam. In peccatis ergo odij formalis Dei, divinæque legis, nec ex parte Dei offenſi, nec ex parte objecti datur diſparitas: ergo omnia peccata formalis odij Dei erunt ſumma, & æqualia tam ex parte Dei offenſi, quam ex parte objecti, ac proinde tam in ratione malitiæ, quam in ratione offenſæ: cùm tamen certiſſimum ſit, alia eſſe alijs graviora, aut propter majorem, & minorem intenſionem, aut advertentiam, aut ingratitudinem, aut alio ex capite. Undecumque ergò ſumatur, ita inæqualitas in ejuſmodi peccatis, ſumitur tàm in ratione offenſæ, quàm in ratione malitiæ: & ex illo eodem capite deſumitur eorum limitatio, & finitudo: ac proinde nec in ratione malitiæ, nec in ratione offenſæ erunt ſumma, nec ſimpliciter infinita. Si autem offenſæ, ſeu peccata formalis odij Dei non ſunt gravitatis ſimpliciter infinitæ; quibus peccatis ea infinitudo tribuetur?

104 Quintò: Quia gravitas peccati in ratione offenſæ eſt gravitas peccati, in quantum Deum offendit: ſed gravitas peccati, in quantum Deum offendit, non eſt in omnibus peccatis mortalibus æqualis ex parte Dei: ergo non eſt in omnibus ſumma; ac proinde, nec ſimpliciter infinita in ratione offenſæ. Major eſt ex terminis nota, minor probatur: nam tanta eſt ea gravitas in quantum Deum offendit, quanta eſt gravitas in quantum Deus offenditur: non enim aliter quis offendit, niſi in quantum Deus ab ipſo offenditur, ut per ſe patet: ſed gravitas peccati, in quantum Deus offenditur, non eſt in omnibus peccatis ſumma, nec ſimpliciter infinita: ergo. Probatur iſta minor: nam in tantum Deus offenditur, in quantum intuitu peccati habet offenſionem, & indignationem erga peccatorem: ſed Deus non habet in æſtimatione morali æqualem indignationem, & offenſionem, ac proinde, nec ſummam erga peccatores propter quælibet peccata, ſeu offenſas: ergo non æqualiter offenditur: ac proinde, nec ſummè, nec ſimpliciter infinitè per quælibet peccata, ſeu offenſas. Probatur minor: nam aliquin quatum eſt ex parte Dei, & in ratione offenſæ æquè diceretur Deus offenſus, & indignatus contra hominem, furantem decem, aut conſentientem ſemel cogitationi veneræ ex fragilitate, quàm contra homicidam, aut ſacrilegum, aut hæreticum: quod etiam in ratione offenſæ, & ex parte Dei concedere pluſquam abſurdum eſt: & æquè paradoxum, ac Stoicorum inſania.

105 Sextò tandem: Quia, ſi gravitas in ratione offenſæ ex parte Dei offenſi eſſet ſimpliciter infinita, meretur condigne ſupplicium ſimpliciter infinitum, & omnem omninò pœnam poſſibilem: ſed hoc eſt falſum. Primò: quia non quælibet offenſa meretur omnẽ Dei indignationem: nec omnium hominum mortem, & damnationem. Secundò, quia ſequeretur, quod Deus, de facto non puniret damnatos pœnâ proportionatâ. Dices, non infligeret omnem, quia juxta axioma, *punit citra condignum*. Sed contra eſt quod circa veram intelligentiam axiomatis diximus *ſec prac.* Et ulteriùs pondero, Deum punire ad æqualitatem ſaltem moralem, & proportionatam: id enim ſaltem ſonat illud *Deuter. 25. Pro menſura peccati erit,* *Deuter. 25.*

erit, & plagarum modus. Quod autem puniat citra condignum, sonat aliquam partem pœnæ minuendam, v. g. tenuissimam, aut maximam: at mereri omnem pœnam possibilem, & ita remitti de debito, ut infinities sit majus quod remittitur, quàm quod exigitur, est prorsùs incongruum sensui axiomatis, & Scripturæ verbis. Hæc autem enormis incõgruitas sequitur absurdissimè ex doctrinis cõtrarijs. Nam juxta illas pœna, quæ infligitur, non est simpliciter infinita, aut saltem non est omnis possibilis; & pœna quam meretur offensa, aut est simpliciter infinita, aut fortè est omnis pœna possibilis: pœna autem simpliciter finita, infinitè minor est, quàm pœna simpliciter infinita; & pœna quæ re ipsa à Deo infligitur plusquam millies minor, quã omnis pœna possibilis. Stat ergo, non posse quamlibet offensam mereri hominem pœnam omnem possibilem: ac proinde non esse in ratione offensæ, imò nec in ratione demeriti, aut mali meriti simpliciter infinitam.

Bernal. 106 Propter hæc P. Bernal, qui solidiùs offensæ infinitatem adstruxit, si quâ via id fieri potest, infinitatem concedit tàm in ratione malitiæ, quàm in ratione offensæ. Ad nostrum autem argumentum ait, non esse contra rationem simpliciter infiniti unum esse majus alio etiam simpliciter infinito. Quod probat primò, quia quælibet divina Relatio est simpliciter infinitè perfecta; & tamen formaliter pares non sunt in perfectione, & minùs perfectæ sunt quàm Dei essentia. Secundò: quia quælibet terminat Naturam Dei simpliciter infinitè; tres tamen magis terminant, quàm una. Tertiò, quia Personalitas Verbi complet, & sanctificat humanitatem Christi simpliciter infinitè, minùs tamen quàm compleret, & sanctificaret subsistentia absoluta. Quartò: quia distantia inter Deum, & Angelum est simpliciter infinita; minor tamen, quàm inter Deum, & lapidem.

107 Cæterum in primis difficillimè dabit rationem simpliciter infiniti, si recedens à nostra explicatione data *num.95.* admittat unum majus alio in eodẽ genere. Deinde ejus probationes non sunt solutu difficiles. Prima falsò supponit inæqualitatem formalem divinarum perfectionum: contra quod egi ex profess. *disp.3. de Attrib. sect.7.* Ad secundam dico, Naturam Dei sic terminari per unam Relationem, ut per aliam nec magis, nec melius terminetur. Per tres autem non terminatur melius, nec magis intensivè; sed extensivè, & numeraliter. Ex quo non sequitur, unum simpliciter infinitum esse majus alio; sed multa simpliciter infinita esse plura quam unum: nec inferret P. Bernal intentum suum, quòd una offensa esset intensivè major alia; sed quòd multæ essent plures offensæ quam una: quod nec Stoici negarent. Ad tertiam negatur totum id, quod dicitur de subsistentia absoluta: quæ & falsò supponitur, & ea admissa nec magis compleret, nec sanctificaret, quàm Relativa Verbi. Ad quartam dico, quòd distantia Angeli, & Dei, aut sumitur pro extremis sic distantibus; & sic ex parte Dei est simpliciter infinita, & ex hac parte nulli minor; ex parte verò Angeli finita est, & ex hac parte eò minor, quò magis accedit Angelus ad Deum. Aut sumitur pro numero infinitarum creaturarum possibilium in illa intercapedine ab Angelo, sivé à lapide, usque ad Deum: & sic non est simpliciter infinita, sed secundum quid, nempè secundum numerum. In infinitis autem secundum quid, cum non careant terminis extrinsecis, non repugnat unum alio majus, ut diximus *num.95.* ex P. Fasolo qui plura erudité *t. p. q.7.*

Tom.1 disp.3

Godoy. 108 Salmanticenses sui apud Godoy *disp.1. §.5.* considerant in peccato duas offensas: unam causalem, sive activam, quæ est ipsum peccatum: & de hac fatentur esse finitam, sicut de malitia peccati. Aliam vocant formalem, quæ est quid inductum à malitia peccati, & in Deo tanquam subjecto morali receptum: & hanc dicunt esse simpliciter infinitam, & in omnibus æqualem ratione subjecti. Eos tamen refutat meritò Godoy: quia sine fundamento confingunt formalem rationem offensæ realiter distinctam à malitia peccati, ut oppositã Deo prohibentiæ quo scilicet formaliter intellecto, in hoc ipso intelligi necesse est rationem formalem offensæ, & offensam formalem: ad quam certè nihil subsequitur nisi indignatio divina cõtra offensorem. Quid enim est illud aliud, quod recipitur in Deo, nisi pura chimera? Insuper diverticulum illud de subjecto morali jam occlusimus, & contempsimus *num. 54. & 55.* Denique, ex identitate subjecti finiti, sive infiniti non arguitur æqualitas diversarum formarum, cùm in eodem subjecto recipi possint formæ inæquales, ut est per se certum. Frustra ergo confingitur doctrina illa de subjecto morali ad exæquandas offensas in ratione offensæ formalis, sicut & ad illas in entitate simpliciter infinitandas.

109 Secunda nostra ratio formatur à priori ex Cardin. de Lugo, & continet positivum fundamentum doctrinæ negantis divinæ offensæ gravitatem simpliciter infinitam. Quia dignitas Personæ offensæ non gra-

Lugus

vi-

vificat moraliter offenſam, niſi ut cognita ab offendente. Si enim quis inhonorat Regem neſciens eſſe Regem, imò putans illum unum de plebe, non cenſetur moraliter inhonorare Regem: ſicut non eſt formaliter, & moraliter homicida qui omninò ignorans, & & inadvertens hominem occidit putans eſſe feram. Id quod à fortiori valet in Deo intuente cor. Unde dicitur, quòd ſi quis omninò inadvertens ad Deum, & ad ejus legem faceret malum, nec peccaret, nec Deum formaliter offenderet; ſi verò ſemiplenè id adverteret, non peccaret graviter, ſed leviter. Igitur quò magis, aut minùs perfectè cognoſcitur ab offendente dignitas offenſi, eò creſcit, aut minuitur gravitas offenſæ. Eſt enim cognitio quaſi regula, qua applicatur operanti dignitas perſonæ ad gravificandam offenſam.

110 Ex quo tria deduco. Primum: ergo, cũ ea Dei cognitio non in omnibus peccantibus ſit æqualis, quamvis ſufficiens ad mortale, poteſt inde tumi inæqualitas gravitatis peccatorum, & offenſarũ etiam ſumptæ ex parte Dei offenſi, quatenùs inæqualiter applicati per inæquales cognitiones tantæ dignitatis, Quò reſpexit dictum Chriſti: *qui me tradidit tibi maius peccatum habet*: ſcilicet, quia traditor majorem habebat notitiam de Chriſto, & Deo, quàm Pilatus: & illud *Luc. 23. Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Ubi Chriſtus ex modicâ cognitione offendentium, quamvis ſufficiente ad peccatum mortale, minuebat apud Patrem gravitatem offenſæ. Secundum ergo quamvis dignitas Perſonæ offenſæ ſit infinita, non refundit moraliter, & æſtimativè infinitudinem in offenſam, quando offenſor limitatè illam cognoſcit. Quæ ratio valet etiã in offenſa Chriſticidij contra Prudentium; & prævalet, quamvis concedamus Patri Bernal infinitudinem phyſicam offenſæ conſtitutæ in eſſe talis phyſicè per Deum offenſum, ut benè proſequitur Thyrſus *diſp. 2. ſect. 11.* Et ipſe Bernal fateri tenetur in malitia inobedientiæ peccati venialis. Tertium: ergo offenſa hominis contra Deum, quamvis ex hac Perſonarum diſparitate gravificetur, non perinde evadit ſimpliciter infinita, ſed finita: quia limitatur pro limitatione cognitionis, ſeu advertentiæ ad divinam dignitatem infinitam illam applicantis ad voluntatem offenſoris: quæ quidem dignitas Dei, ſi perfectiſſimè cognoſceretur, non poſſet offendi, ut patet in beatis, quamvis eorum viſio non pertingat ad infinitatem. Et idem dicendum venit de vilitate offendentis, & de diſtantia ipſius à Deo: quia hæc diſtantia eò minùs perfectè cognoſcitur quò minùs perfectè cognoſcitur Deus, in ordine ad quem penſatur, & infinitatur.

Joan. 19.

Luc. 23.

Prud.

Bernal.

Thyrſ.

111 Quod noli ſic intelligere, ut arithmeticè limitetur, & minuatur gravitas offenſæ pro limitatione cognitionis & advertentiæ ad infinitam Dei dignitatem, ut ſimiliter opponit, aut imponit huic doctrinæ Godoy. Non enim id contendimus; ſed quod geometricè in certa proportione limitetur, & minuatur gravitas offenſæ ex capite limitationis, & diminutionis cognitionis, & advertentiæ offenſoris ad dignitatem infinitam Dei offenſi; ad eum nempè modum, quo diximus creſcere geometricè gravitatem offenſæ ex alio capite dignitatis Perſonæ offenſæ. Sic ergo omnibus undequaque perpenſis, nec gravitas offenſæ extollitur ad eumdem gradum incrementi, in quo eſt dignitas offenſi; nec deprimitur ad eumdem gradum diminutionis, in quo eſt cognitio offenſoris; ſed cõſtituitur moraliter in certâ, & debitâ proportione ad utrumque, penſatis etiam aliis circumſtantiis. Sufficit autem ea quæcumque ſit limitatio ex parte advertentiæ & cognitionis, ne abſolutè evadat moraliter ſimpliciter infinita. Inſtantiæ, quæ poſſent fieri à paritate gravitatis ordinis ſupremi omnino incompenſabilis per obſequia puræ creaturæ juxta noſtram ſententiam ſolventur *ſect. ſeq. poſt medũ.* Quæ verò poſſet fieri à paritate valoris ſimpliciter infiniti meritorum Chriſti, ſolvetur opportunius *diſp. 17.*

Godoy

Infra. diſp. 11

112 At inquis nunc. Si nec pœna, nec culpa peccati eſt gravitatis ſimpliciter infinitæ, adhuc in ratione offenſæ; cur non poterit peccator ſatispati condignè, aut alter purus homo juſtus ſatisfacere condignè, & ad æqualitatem pro peccato? Reſpondeo pro inſufficientia ſatispaſſionis rationem eſſe: quia offenſa meretur pœnam æternam, ad cuius finem patiendo ultra, & ultrà non poteſt veniri. Et quamvis dicatur, quòd poſſet Deus, augendo intenſius, & intenſiùs pœnas temporales maiores, & majores, exæquare æternitatem minoris pœnæ; hoc intelligi ad ſummum poſſet de pœnis ſenſùs; non ita de pœna damni: & juxta aliam Dei providentiam; non juxta præſentem, quâ ſtatuta eſt pœna æterna pro peccato mortali. Addendum, quòd purè ſatispatiendo poſſet ad ſummum compenſari pro reatu pœnæ; non pro culpâ, qua manente, maneret adhuc peccatum. Ratio verò pro inſufficientia ſatisfactionis cujuſcumque creaturæ erit negotium *ſect. ſequent.* ſine recurſu ad infinitudinem offenſæ.

SEC.

Digitized by Google

SECTIO X.

Vera ratio, cur ad condignè satisfaciendum pro peccato sit insufficiens pura creatura, & necessaria Incarnatio iuxta mentem Patris Suarez.

Suar.

113 RAtio communior, & vera pro conclusione statutâ *sect.3.* est; quia gravitas peccati, quamvis simpliciter finita sit, est abs dubio contra Deum simpliciter infinitum; ideòque constituta in genere supremo offensæ: quam genericam supremitatem, quamvis sub eodem genere continentem species inæquales, exæquare non valent in æstimatione morali obsequia ulla satisfactoria puræ creaturæ: quia semper sunt, & erũt respectivè inferioris ordinis, quantumvis essent in se præstantissima, intensissima, & numero, aut duratione infinita, & á creaturis sanctissimis numero etiam infinitis in honorem Dei exhibita. Ad modum, quo plures homines puri, quantumvis numero infiniti, quia tamen sunt semper ordinis inferioris, nunquam valent exæquare perfectione Angelum finitum, & limitatum, quia est de ordine superiori. Nec omnia peccata venialia possibilia constituere unum mortale: nec infinitæ visiones possibiles constituere hominem intelligentem, aut volentem. Ita Doctor Eximius certissimè cum Angelico, aliique communiter graves Theologi Veteres, & Recentiores. Quorum sententiam, explicatione potiús, quàm robore indigentem, exponendam, & propugnandam suscipimus.

Suar. S.Tho.

Arist.

114 Eximiæ huius rationis fundamentum est celebre proloquium Aristotelis *5. Ethic.8.* ibi: *Quòdsi is, qui Magistratum gerit, alium percutiat, non est repercutiendus: at si quis piam eum percusserit, non solùm est repercutiendus, verùm etiam supplicio afficiendus.* Quæ pœnarum, seu satisfactionum disparitas pro injuriosâ percussione physicé pari æquissimè desumitur à disparitate Personarum Magistratus, & privati: quæ Personarum disparitas facit etiam injurias illas, seu offensas moraliter dispares cum proportione ad Personas. Sic scilicet, vt quia prior illa percussio est Personæ dignioris cõtra minús dignam, minor moraliter æstimetur in ratione offensæ, & minori pœnâ, seu satisfactione justè compensetur; quia verò posterior é diverso est personæ minus dignæ cõtra digniorem, major moraliter in ratione offensæ æstimanda est; & non nisi maiori etiam pœnâ, seu satisfactione compensanda. Crescit ergo in æstimatione morali gravitas, & malitia offensæ pro dignitate offensi; si minùs arithmeticè ad æqualitatem, saltem geometricè ad certam proportionem moralem.

115 E converso rés evenit in obsequijs, & honoribus, crescentibus scilicet à dignitate personæ obsequentis, & honorantis. Nam eadem actio physica obsequiosa, & honorifica pluris, aut minoris æstimatur pro majori, vel minori dignitate obsequentis, seu honorantis. Unde est, quód in æstimatione morali eadem actio physica. V.g. submittendi, vel detegendi caput, minùs moraliter æstimetur in ratione obsequij, & honoris, si fiat à privato erga Principem; & multó plus, si fiat à Principe erga privatum.

116 Atque hinc, utrinque rem considerando, est, quòd offensa creaturę contrá Deum, quamvis simpliciter infinita non sit, est moraliter in supremo ordine generico offensæ: quia est à Persona finita contra Personam infinitè supremam, & multis ex titulis infinitè simpliciter dignam; obsequia verò quæcumque sint creaturæ infinitè inferioris erga Deum, non solùm finita simpliciter sunt in ratione obsequij, & honorationis; sed in inferiori ordine obsequij, ac proinde, & satisfactionis obsequiosæ. Cùm autem nulla huiusmodi obsequia ordinis inferioris, quomodocumque crescant, exæquare moraliter possint in ratione obsequij gravitatem peccati in ratione offensæ ordinis multò superioris, inde est, quòd ait Suarez, nulla purarum creaturarum obsequia compensare satis posse, aut condignè satisfacere Deo pro gravitate offensæ: & consequenter, ad hunc condignam satisfactionem pro peccato offensivo summi Dei, necessariam fuisse Incarnationem, aut certè Deum Hypostaticè uniri alicui Naturæ creatæ condignè satisfacturæ.

117 Insurgunt nihilominús multi contra solidam istam doctrinam. Quia, quamvis in aliquo genere injuriarum veré procedat; vera tamen in omnibus non est. Nam injuria furti ejusdem quanticatis injuria moraliter etiam æqualis censetur, sive quis furetur pecuniam Principis, sive privati: & per æqualem omninó pecuniariam satisfactionem cõpensatur. Solùm ergo vera manet in injurijs contra honorem, & factis in contemptum personæ offensæ. Atqui non omnia peccata mortalia sunt contra honorem, & in contemptum Maiestatis Dei: ergo nõ valet generaliter ea doctrina pro omnibus peccatis mortalibus. Minor probatur: nam frangens jejunium ex fragilitate, & non in contemptum

Digitized by Google

legis non peccat in contemptum Dei, & contra honorem Dei. Et ſic in alijs multis ſpeciebus peccatorum.

118 Reſpondetur, verum eſſe id quod in antecedente affertur ex humanis: ideòque concedo totum enthimema. Nego verò minorem ſubiunctam. Quamvis enim non omnia peccata ſint in contemptum formalem Dei, nec ſpecialiter contra ipſius honorem: omnia tamen involvunt generalem circumſtantiam divini contemptûs, & fiunt cum cõtemptu, quamvis non in contemptum: & omnia inhonorant Deum, quatenus parvi pendunt amicitiam Dei, & anteponunt appretiatiuè creaturam Deo ſummo bono, & ultimo omnium fine ſuper omnia diligendo, & minoris faciunt æternam Dei poſſeſſionem, non obſtantibus eiuſdem Dei minis, & promiſſionibus: & hoc quidem in oculis ipſius Dei omniſcij, & prohibentis: quæ circumſtantia magni etiam habetur in humanis: ut ſi perpetraretur furtum, aut homicidium ante oculos Legiſlatoris illud ſeverißimè prohibentis: in cuius propterea contemptum, & inhonorationem verteretur facinus illud, alioquin minùs moraliter æſtimandum: ut nemini prudentum debet eſſe dubium. Undé eſt iuſtiſsima illa querimonia Dei offenſi ad omnes aptanda peccatores, *Malach. 1. Si ergo Pater Ego ſum, ubi eſt honor meus? Et ſi Dominus Ego ſum, ubi eſt timor meus?* Et pro materia huius querimoniæ recenſentur ibi multa peccata ex illis, quæ non fiunt in formalem contemptum, & in ſpecialem inhonorationem Dei, ut legere eſt in contextu. Quò pertinent quæ ſcripſi *diſp. 10. de Attrib. ſect. 5.* circa ſtrictam iniuſtitiam Deo illatam per quodcumque peccatum.

Malach. 1.

Tom. 1. diſp. 10.

119 Inſurgit vehementiùs Cardin. de Lugo *diſp. 5. ſect. 2.* Quidquid ſit, inquit, in eſſe phyſico de illo noſtro exemplo multorum hominum non exæquantium perfectionem unius Angeli, quia iſte eſt ordinis ſuperioris, & illi inferioris; at certè in eſſe moralis æſtimationis multa, quæ ſunt ordinis inferioris exæquant ſæpè ex variis circumſtantijs alia, quæ ſunt ordinis ſuperioris: ergo loquendo in eſſe morali prout in præſenti, quòd obſequia ſatisfactoria puræ creaturæ ſint ex ſe ordinis inferioris, non eſt apta ratio cur offenſa Dei, quæ ex ſe eſt ordinis ſuperioris, non valeat ex circumſtantijs exæquari per obſequia ſatisfactoria puræ creaturæ, aut multarum creaturarum ſanctiſsimarum, nimis intenſa, & numero ſaltem infinita, quæ ſunt circumſtantiæ magni valoris in æſtimatione morali. Antecedens probat: quia, quamvis argentum multiplicatum nequeat exæquare phyſicam perfectionem auri, vel adamantis, quæ ſunt ordinis ſuperioris in eſſe phyſico; at in valore, & in æſtimatione morali poteſt quantitas argenti, imò, & cupri, aut plumbi, uſquaquè multiplicari, & augeri, ut exæquet, imò & excedat valorem, & æſtimationem moralem unciæ auri, aut adamantis.

Lugus.

120 Reſpondent aliqui, id eſſe verum, & innegabile: quia reſiſtæ, quamvis in eſſe phyſico ſint diverſi ordinis, in valore tamen æſtimantur eiuſdem ordinis moralis: & ſolùm differunt penes magis, & minus. At offenſa contra Deum, & obſequia puræ creaturæ ſunt in eſſe etiam, & in æſtimatione morali diverſi ordinis.

121 Inſtauratur tamen contra reſponſionem iſtam argumentum pro Cardinali de Lugo. Quamvis actus Charitatis Dei ſit non ſolùm in eſſe phyſico, quin etiam in eſſe valoris, & æſtimationis moralis in ordine ad præmium, diverſi, & ſuperioris ordinis, ac actus miſericordiæ; poſſunt nihilominus actus miſericordiæ intenſione, & numero uſquaquè adeò excreſcere, ut exæquent valorem actûs remiſsi charitatis Dei, & moraliter in ordine ad maius præmium pluris æſtimentur. Similiter, quamvis peccatum odij Dei ſit in ſuperiori ordine malitiæ moralis in ordine etiam ad pœnam; tamen alia peccata inferioris ordinis contra proximum poſſunt uſquaquè excreſcere, & multiplicari numero, & intenſione, ut exæquent moraliter malitiam odij Dei in ordine ad pœnam. Nec dicas, nec iſta eſſe diverſi ordinis moralis, ſed eiuſdem cum ſolo diſcrimine penes magis, & minus. Cur enim idem eâ lege facilitate votum non dicatur de offenſis Dei, & obſequijs puræ creaturæ? Inſuper, & fortiùs in terminis ipſis noſtræ doctrinæ. Quamvis ſecundum ſe, & cæteris paribus gravior ſit, & ſuperioris ordinis offenſa privati contra Principem, ideoque ea ſatisfactio reddatur valde difficilis homini privato; non tamen uſquaquè, ut reddatur prorſus impoſsibilis: tot enim obſequia, tot merita, tot preces poſſet exhibere Principi privatus ille, tot ſubire labores, toties vitam exponere pro Principe alias morituro, tot aliorum etiam privatorum merita pro ſe offerre in honorem, & commodum Principis, ut ſine dubio cenſeretur æqualiter per ſe, vel per alios ſatisfeciſſe: cur ergo ſimiliter non diſcurrimus inter Deum, & creaturam, non obſtante ex ſe diverſitate ordinis inter obſequia creaturæ ordinis inferioris, & offenſam Dei ordinis ſuperioris?

122 Dicat aliquis, hoc in ijs exemplis eſſe verum; at in peccatis venialibus verum è con-

contra eſt: cum enim ſint inferioris ordinis, quantumvis in hoc ordine inferiori intendantur, & multiplicentur, nequeunt moraliter exæquare malitiam peccati mortalis, quæ alterioris ordinis eſt: ſicque dicendum veroſimilius videtur de obſequijs inferioris ordinis reſpectivé ad gravitatem offenſæ ſuperioris ordinis. Contra tamen: nam quod ex ijs exemplis in utrâque partem adductis reſultat eſt, in aliquibus materijs res ex ſe inferioris ordinis poſſe ex circumſtantijs uſqueadeò excreſcere, ut pertingant ad æqualitatem rerum ſuperioris ordinis in eſſe morali, & æſtimativé; in alijs verò materijs non. Deſideratur autem ratio, cur diverſitas ordinis in eſſe morali ſatisfactionis puræ creaturæ reſpectu gravitatis offenſæ divinę ſit potiùs ex iſtis omninò inexæquabilibus, quam ex illis exæquabilibus per varias circumſtantias? Præſertim cùm exemplum illud de ſatisfactione hominis privati in eadem materia injuriæ, & obſequij potiùs hoc perſuadeat. Saltem certò reſultat, rationem præcisè deſumptam à diverſitate ordinis ſuperioris, & inferioris non eſſe ſufficientem ad aſſerendum, gravitatem offenſæ divinæ, eo quòd ſit ordinis ſuperioris, eſſe inexæquabilem, & condignè incompenſabilem moraliter per obſequia quæcumque ſatisfactoria poſſibilia purarum creaturarum, ex varijs circumſtantijs æſtimationem augentibus, quamvis ex ſe ſint ordinis inferioris. Deſideratur ergo ulterior doctrinæ ratio.

123 Hæc omnia difficultatem utrinque faciunt ſatis implexam: ut non demirer, aliquos exterruiſſe, & ab iſta tot Theologorum doctrina dimoviſſe. Me tamen, adhibitâ cõmodâ explicatione, minimè dimovent. Tria obſervata velim. Primum, offenſam Dei, quantumvis ſimpliciter finitam, eſſe tamen contra Perſonam ſimpliciter infinitam, nempè contra Deum infinitiſſimæ dignitatis, & majeſtatis, ut apud omnes eſt notum, & certum. Secundum non minus certum, infra Deum nullam eſſe, nec eſſe poſſe Perſonam ſatisfacientem, aut obſequentem ſimpliciter infinitam, aut dignitatis ſimpliciter infinitæ, Deo parem. Tertium, etiam ex omnibus exemplis adductis innegabile, ad hoc, ut obſequium ſatisfactorium puræ creaturæ exhibitum Deo pro offenſa divina, pertingere poſſit ad æqualitatem gravitatis offenſæ, neceſſe eſſe, quòd diſparitas hæc exceſſiva circumſtantiæ Perſonæ offenſę ad Perſonam obſequentem exæquari poſsit ex alijs circumſtantijs Perſonæ obſequentis, ſuæque ſatisfactionis: quia ſi aliunde exceſſus ille non exæquetur, ſemper ſecundum ſe, & cæteris paribus erit inæquale, & inferius obſequium in eſſe morali obſequij, gravitati offenſæ divinæ in eſſe offenſæ, ut cum Ariſtotele ſupra citato, & expenſo, neceſſe eſt omnibus eſſe in confeſſo. Quibus ob oculos ſeduló præſuppoſitis.

124 Reſpondeo, ni fallor, pleniſſimè ad argumentum Cardinalis de Lugo cum omnibus ſuis fulcimentis tanto Auctore dignis, concedendo totam doctrinam *num.* 119. propter exempla clara, quę ibi opponuntur. Unde fateor ſufficientem rationem non eſſe præciſè, & utcumque ſuperioritatem, & inferioritatem ordinum obſequij, & offenſæ: adhuc id ſummendo in eſſe morali, ut etiam convincunt exempla quibus argumenti robur inſtauratur *num.* 121. præ certim illud in eâdem offenſæ, & obſequij materiâ petitum ex obſequijs perſonæ privatæ pro offenſâ Principis. Concedo deinde per ea quæ urgentur *num.* 122. dandam eſſe à nobis rationem, cur exceſſus gravitatis divinæ offenſæ ſupra cuncta obſequia purę creaturæ ſit ex illis offenſis, ſeu rebus, quæ in eſſe morali exæquari nequeunt per obſequia inferioris ordinis: cùm non ſit ſufficiens ratio illa, quæ præciſè ſumitur ex ſuperioritate, & inferioritate ordinum in eſſe morali utcumque. Cæterùm, omnia hæc præoccupata eſſe iudico in modo, quo ſententiam Patris Suarez, & noſtram propoſuimus *à nu.* 113. quam in ſequentibus magis expono, ut omninò maneat inconcuſſa.

125 Dico ergo, rationem ad hæc omnia eſſe, quia gravitas divinæ offenſæ, quamvis finita ſit, eſt tamen contra Perſonam ſimpliciter infinitam. Hoc autem eſt offenſam eſſe ſupremi generis: quatenus nempè eſt contra ſummum Deum; nec dubium eſt offenſa contra Perſonam digniorem. Atque hinc fit liquidò, quòd ex ſe, & cæteris paribus, requireretur ad condignam, & moraliter, ac æſtimativè æqualem pro illa ſatisfactionem, Perſona aliqua obſequens ſimpliciter etiam infinita, qualis eſt Chriſtus. Quòd ſi obſequia ſatisfactoria Deo offenſo non exhibeantur à Perſona ſimpliciter infinita deberet ea circũſtantia diſparitatis Perſonarum ſuppleri æquivalenter, & moraliter exæquari ex alijs circumſtantijs obſequij, ſcilicet, vel penes intenſionem, vel penes multitudinem, vel penes durationem, vel ex alijs capitibus. Cùm autem certum ſit, per nullas omninò circumſtantias undecunque petitas obſequij ſimpliciter finiti purę creaturę, poſſe æquivalenter ſuppleri, aut moraliter exæquari diſparitatem illam Perſonarum Dei ſimpliciter infiniti offenſi, & creaturæ ſimpliciter finitæ offendentis; inde certum eſſe quoque debet,

ex nullis omninò circumſtantijs adaugentibus æſtimationem moralem poſſe pertingere obſequium ſatisfactorium ordinis inferioris puræ creaturæ adulque gravitatem divinæ offenſæ ſecundum ſe ordinis ſuperioris, & de genere ſuprемo offenſæ.

126 Hinc patet quoque clara diſparitas ad exemplum illud magis ere nobis oppoſitum ſupra de offenſa incuſsâ à privato contra Principem, compenſabili tamen à privato per obſequia ex ſuo genere inferiora adaucta tamen in eſſe morali per circumſtantias ibi appoſitas. Quia nempé, cùm dignitas Principis ſimpliciter infinita non ſit, nihil vetat, quominùs moraliter exæquari valeat ab inferiori, per varias circumſtantias finitas præſtantiſſimas adaugentes æſtimationem moralem. At quominùs id eſſe poſſit in caſu noſtræ doctrinæ, vetat dignitas ſimpliciter infinita Dei offenſi repugnans exæquari per ullas circumſtantias ſimpliciter finitas obſequij ex genere ſuo inferioris: inferioris, inquam, ſimpliciter infinitè Deo, qui ſimpliciter infinitus eſt; & valde ſemper inferioris, & inæqualis, quamvis non infinitè, gravitati offenſæ, quæ quidem contra Perſonam infinitam eſt, quāvis infinita non ſit, propter rationes ex quibus limitatur, ac deprimitur moraliter, & æſtimativè præſertim ex imperfectione cognitionis, & advertentiæ, ut ex ipſo Card. de Lugo proſequuti ſumus *ſect. præcedent.*

127 Hunc diſcurſum, quem ex meis Manuſcriptis retulit, quamvis non integrè, Magiſter Lumbier *q. 8. art. 8.* impugnat dupliciter. Primò: quia ſatisfactio condigna, non debet exæquare Perſonam offenſam, ſed gravitatem offenſæ: fruſtra ergo recurrimus ad infinitatem Perſonæ, ſi hæc non infinitat offenſam. Secundò quia data æqualitate obſequiorum ad offenſam, ſi ſolùm reſtat inæqualitas obſequiorum ad Perſonam infinitæ excedentem, vel iſte, qui reſtat, exceſſus Perſonæ ob eius infinitatem, quantus eſt refunditur infinitè in offenſam, vel non. Si refunditur, eſt reddere offenſam infinitam, quod negamus. Si non refunditur: ergo quāvis, ut in ſe infinitus eſt, non ſit moraliter exæquabilis per obſequia finita, nec per quaſcumque ipſorum circumſtantias; benè verò quātenùs finitè refunditur in offenſam: nam dignitas offenſi eatenus dumtaxàt gravificat offenſam in ordine ad incompenſabilitatem, quatenus ad offenſæ gravitatem pertinet, & in morali æſtimatione attenditur: ergo, ſi quatenus pertinet, & attenditur exceſſus ille ad gravitatem offenſæ finitam, exæquabilis eſt per obſequia finita, ipſa gravitas offenſæ, dum finita manet exæquabilis erit. Aut dicatur, quomodo infinita Dei dignitas nō refundit infinitatem in offenſam, & refundit gravitatem inexæquabilem, & incompenſabilem per obſequia finita? Has objectiones præoccupavimus, ni fallor, *ſect. prec. ad finē.*

Lumb.

128 Nunc, ut ab hoc ultimo incipiā, cuperem viciſſim ſcire à ſapientiſſimo Impugnatore, quomodo infinitudo Dei offenſi refundat infinitudem in offenſam, & non tantam quanta infinitudo Dei eſt, ſed multò minorem. Quam ipſe nobis oſtenderit viam arripiemus, in id, ut oportet intenti, quòd unde Adverſarius adinvenerit rationem minoritatis, adinveniemus nos rationem limitationis. Meam rationem iam dedi: non refundit infinitudinem ſimpliciter, quia hæc non patitur limitationem: gravitas autem offenſæ limitatur á multis capitibus, præſertim ab imperfectione cognitionis, & advertentiæ peccatoris: refundit verò gravitatem incompenſabilem, quia nec ea imperfectio cognitionis tollit, quominus advertatur ſummi Dei dignitas omnibus anteferenda; nec ulla alia offenſæ divinæ circumſtantia tollit, quominús verē ſit contra Perſonam infinitam cognitam ſub aliqua ratione ſufficiente an Theologi é peccandum in reliter: cujus Perſonæ exceſſus ſimpliciter infinitus ad perſonam quamlibet obſequentem pu ē creatā, no poteſt ulla ex parte æquivalēter cōpēſari.

129 Iam ad primam impugnationem in forma concedimus antecedens: non enim dicimus ſatisfactionem debere exæquare Perſonam offenſam, cui exhibetur; ſed Perſonam ſatisfacientem debere cæteris paribus exæquare Perſonam offenſam, ut ſatisfactio exæquet offenſam, ſi aliunde ex varijs circumſtantijs ſatisfactio non ſuppleat inferioritatem illam Perſonæ ſatisfacientis: inferioritas autem Perſonæ ſatisfacientis puræ creatæ ad Perſonam offenſam ſimpliciter infinitam ex nullis circumſtantijs ſuppleri poteſt in æſtimatione morali. Unde negō conſequentiam.

130 Ad ſecundam, nego in primis primam ſuppoſitionem æqualitatis obſequiorum puræ creaturæ ad offenſam. Deinde admiſsâ poſteriori parte dilemmatis, nego conſequentiam inde deductam. Quia exceſſus ille infinitus, quamvis non infinitè, ſed finitè refundatur in offenſam; eam gravificat in eſſe offenſæ contra Perſonam in ſe ſimpliciter infinitam: quod ſatis eſt ad reddendam offenſam inexæquabilem, & incompenſabilem per obſequia finita, ut expoſuimus. Ad probationem conſequentiæ, concedo antecedens, & concederem conſequentiam conditionam ex ſuppoſitione falsâ, quam ſubſumit:

mir: ſuppoſitionem autem,nego:quòd nempè exceſſus ille Dei offenſi, adhuc quatenus pertinet, & attenditur ad gravificandam offenſam finitam, exæquabilis ſit per obſequia finita:cùm adhuc quatenus ſic pertinet,& attenditur, gravificat offenſam finitam contrà Perſonam infinitam cognitam ſufficienter,ut graviter offendatur.

131 Dices: Dignitas infinita Dei offenſi non gravificat moraliter offenſam iuxta noſtrum diſcurſum, niſi ut advertenter cognita ab offendente: ſed cognitio,& advertentia peccatoris offendentis de infinita dignitate Dei ita finita eſt, ut in genere cognitionis non excedat ſatisfactionem puræ creaturæ in genere obſequij: ergo gravitas offenſæ, ex illo imperfectæ cognitionis capite evadens moraliter finita, quamvis contrà Perſonam infinitam; ita evadet finita, ut in genere offenſæ non excedat ſatisfactionem finitam puræ creaturæ in genere obſequij : ac proindè exæquabilis,& condignè compenſabilis eſſet per obſequia puræ creaturæ.

132 Hanc vim jam præoccupavimus *loc. cit.* Ex ibi dictis, juxta duplicem ſenſum,quem poteſt habere major, illam diſtinguo : dignitas Dei non gravificat moraliter offenſam, niſi ut advertenter cognita, id eſt, niſi advertatur & cognoſcatur, concedo : niſi ut advertenter cognita, id eſt, ad menſuram arithmeticam cognitionis,& advertentiæ,nego maiorem : neque enim dignitas Dei, ut cognita,gravificat moraliter offenſam ad menſuram arithmeticam dignitatis Dei, nam ſic evaderet tàm infinita, quàm Deus,quod negamus omnes;neque ad menſuram arithmeticam cognitionis: ſic enim evaderet tam finita,quam cognitio,huicque coæqualis:quod negamus nos,& benè; alioquin offenſæ contra perſonas inæquales æqualibus cognitionibus cognitas, æquales eſſent,quod eſt falſum. Itaque dignitas Dei, ut cognita, gravificat offenſam, omnibus hinc, & inde penſatis, ad proportionem quamdam geometricam in gradu intermedio, infinitè infra dignitatem Dei,& elevatiſſimè, quamvis finitè, ſupra cognitionem, & advertentiam peccatoris, & ſupra quælibet obſequia quotumcumque purarum creaturarum : quod ſufficit ut evadat per ea incompenſabilis.

133 Hinc, conceſsâ minori, nego conſequentiam. Nam illa cognitio ſic finita,dùmmodo ſit ſufficiens ad malitiam peccati mortalis, eſt ſufficiens, ut Dei dignitas ſatis cognita contemnatur à peccatore, & poſthabeatur bono creato antepoſito à peccatore amicitiæ divinæ cum ingenti, & enormi deformitate; ideòque ſufficiens, ut dignitas Dei ſic cognita gravificet offenſam talitèr, ut in æſtimatione morali evadat ſemper ſuperior in ratione offenſæ ad ſatisfactionem puræ creaturæ in eſſe obſequij & ad cognitionem, & advertentiam ipſam in eſſe cognitionis. Sic, quamvis Dei bonitas non moveat ad ſui amorem niſi ut cognita, tamen ſufficienter cognita movet ad ſui amorem, intenſiorem quoque, & perfectiorem ex alijs capitibus in eſſe amoris, quàm fuerit ipſa cognitio in eſſe cognitionis.

SECTIO XI.

Quid de ſatisfactione condigna pro peccato veniali? Quid pro peccato puré Philoſophico?

134 IMpugnari ſolet aliter diſcurſus noſter, quaſi ex illo ſequeretur, hoc pro peccato veniali poſſibilem fore ſatisfactionem condignam ab ulla pura creatura, quantumvis ſanctiſſimâ: ac proinde ad ſatisfactionem condignam per hominem exhibendam Deo pro venialibus neceſſariam fuiſſe Incarnationem : quod tamen negatur communiter. Sequela probatur : nam etiam peccatum veniale eſt malum aliquod contra Deum, inobedientia ad Deum, & tranſgreſſio divinæ legis obligantis ad illud evitandum: Nulla ergo creatura pura ſatisfaciens exæquare poſſet unquam ex ullis circumſtantijs dignitatem Perſonæ offenſæ per peccatum veniale: ſicque, juxta diſcurſum noſtrum, nulla ſatisfactio puræ creaturæ poſſet eſſe æqualis, & condigna pro peccato veniali. Quodſi id non probat diſcurſus ille, deficiet ſimiliter quo ad peccatum mortale.

135 Circa veritatem ſequelæ variant Auctores. Communis ſententia illam reputat falſam,nimiam,& abſurdam. Primò:quia incredibile eſt, Deum infinitè benignum ita eſſe ex natura ſua implacabilem, etiam erga amicos, qualis eſſe poteſt venialiter peccans, ut nulla hominis alioquin amici, & grati obſequia poſſent eſſe ſatisfactio condigna, adhuc pro defectibus venialibus, frequentibus etiam inter amicos. Secundò : quia id exigere videtur lex amicitiæ : quâ à propria ſuâ perfectione tenetur Deus, non obſtante infinitâ dignitate ſuæ Perſonæ: ſicut non obſtat, quominùs amicitiam ineat cum puris creaturis infinitè inferioribus. Tertiò: quia pro peccato veniali dabilis eſt à pura creatura ſatisfactio condigna : cùm enim non mereatur pœnam infinitam, nec æternam, venire poſſet patiendo ad exæquandum reatum pœnæ peccati venialis : alioquin excluderetur juſtus

ab

ab hæreditate vitæ æternæ propter peccatum veniale: quod videtur contra ius hæreditatis: ergo dabilis eſt quoque condigna ſatisfactio. Quartó: quia iuſtus mereri condignè poteſt remiſſionem culpæ venialis ſui, & alterius: ergo, & pro illo ſuo, aut alieno condignè ſatisfacere: perinde enim eſt offerre obſequium condignè meritorium remiſſionis peccati, ac condignè ſatisfacere prò peccato. Confirmatur: quamvis enim gratia ordinaria ſanctificans, quæ de facto datur iuſtis, non ſit incompoſſibilis cum peccatis venialibus, poſſibilis tamen eſt gratia habitualis perfectior, quæ cum venialibus etiam incompoſibilis eſſet: ſed hanc quoque gratiam poſſet juſtus condignè mereri: ergo, & remiſſionem, & omnimodam abolitionem peccati venialis: ergo per eadem obſequia condignè meritoria talis gratiæ, ſatisfacere poſſet condignè pro venialibus.

136 Propter hæc adhærebam olim cõmuni huic ſententiæ. Ad impugnationem autem oppoſitam *num. 134.* negabam ſequelam. Ad probationem ſequelæ de venialibus dicebam, nihil perinde infirmari noſtrum diſcurſum de mortalibus. Quippè procedit quo ad offenſas ob rationem ſpecialem contemptús Perſonæ offenſæ, cuius amicitia parvipenditur, & diſrumpitur per peccatum mortale. Quapropter venialia non ſunt abſolutè offenſæ Dei, quamvis divinam aliquam diſplicentiam concitent: non enim pes dicitur offendere ad paleam, ſed ad lapidem. Punctim S. Thom. *quæſt. 7. de Malo ar. 1. ad 2.* ibi: *Dicendum, quòd peccatum veniale, cùm non importet averſionem proprié loquendo, non habet rationem offenſæ.* Propter has, aut ſimiles rationes dicunt Propugnatores infinitudinis offenſæ, quòd quamvis ea infinitudo cadat moraliter in peccatum mortale, non tamen in veniale. Quod idem dicimus de gradu illo gravitatis finitæ à quo redditur offenſa incompenſabilis per obſequia puræ creaturæ; ſcilicet non cadere in peccatum veniale, quia ſolum cadit in offenſas, ut potè contemptivas Perſonæ infinitæ, ideòque nullâ ratione condignè compenſabiles à Perſona non infinitâ.

S. Thom.

137 Nunc verò, ſi alicui minùs placeat iſta reſponſio, eo quòd nonnihil exinde infirmari diſcurſus ille noſter fortè videatur in difficultate tanti momenti; facile patiar concedi ſequelam, dicendo, nec pro veniali poſſe puram creaturam condignè ſatisfacere. Eam citra abſurdum tenent graviſſimi Theologi Petrus Soto *lect. 18. de Pœnit.* Uvading. *diſp. 1. de Incarn. num. 65.* Theophilus Raynaudus, Antonius Perez, doctique Recentes. In ea ratione præcipuè inſiſtentes, quòd, ſive peccatum veniale ſit, ſive non ſit proprié offenſa, eſt ſaltem malum diſplicens Deo, & inobedientia ad legem Dei æternã: ac proinde eò magis malum, cæteris paribus geometricè, quò Deus dignior eſt, & omni prorsus obedientiâ etiam in minimis digniſſimus: ergo, cæteris paribus, requireretur ad ſatisfaciendum perſona obſequens æquè digna: ſed neque hæc eſt poſſibilis inter putas creaturas, ut eſt per ſe certum; nec inferioritas cuiuſcumque perſonæ creatæ ad Perſonam divinam, aut æquè dignam cum divinâ, ſuppleri, aut exæquari poteſt per circumſtantias ullas obſequij puræ creati, ut fiet quoque notum applicato huic diſcurſu noſtro, quem proſequuti ſumus *ſect. præced.* ergo non ſolùm probat inæqualitatem cuiuslibet ſatisfactionis puræ creaturæ exhibitæ Deo pro peccato mortali; quin etiam ſimiliter pro veniali: aceproinde nec pro veniali poſſibilis erit ſatisfactio condigna puræ creaturæ.

Soſur. Vvadin. Raynau. Perez. P. Gualder. Rio.

138 Occurrat aliquis ex doctrina noſtræ primæ concluſionis ſtatuæ *ſect. 2.* Maior vis ſatisfactiva requiritur ad ſatisfaciendum congruè pro mortali, quàm ad condignè pro veniali: ſed ibi diximus, poſſe puram creaturam ſatisfacere congruè pro mortali: ergo inconſequenter negatur poſſe condignè pro veniali. Negari tamen poteſt maior. Quia ad congruitatem ſufficit certa moralis proportio infra æqualitatem; ad condignitatem verò requiritur moralis æqualitas, quæ pro quolibet malo contra Perſonam infinitè dignam, nequit eſſe niſi, vel à perſona infinitâ vel ab obſequijs aliundè moraliter ſupplentibus diſparitatem Perſonarum: diſparitas autem Perſonarum, quamvis inter perſonas finitas ſuppleri, aut exæquari moraliter poſſit ex varijs circumſtantijs finitis augentibus æſtimationem moralem obſequij; at inter Perſonas finitam obſequentem, & infinitam cui debetur, & fit ſatisfactio, per nullas circumſtantias ſimpliciter finitas ſuppleri, aut exæquari poteſt.

139 Si dicas, dignitatem Maternitatis Dei, utpotè ſimpliciter infinitam, refulſam in Perſonam finitam B. Virginis facere quidem eiuſdem obſequia excellentiſſima æqualia in æſtimatione morali ſatisfactioni condignæ, ſi minùs pro peccato mortali, ſaltem pro veniali: ergo poſſibilis erit ſatisfactio puræ creaturæ condigna pro peccato veniali. Reſpondetur tamen in primis, quòd ſi perinde quidquam probaretur legitimè pro veniali, cur non ſimiliter pro mortali? De quo Lumbier *quæſt. 19. art. 3.* Deinde dico, nihil exinde inferri contra neceſsitatem Incarnationis, utpo-

Lumb.

té ſimpliciter neceſſariæ ad Maternitatem B. Virginis. Denique negandum eſt, dignitatem maternitatis eſſe ſimpliciter infinitam, quidquid ſtudiosè in id contenderit noſter Cardenas in ſpecioſo ſuo Libro de Gemino Sydere Mariano, ultra ea, quæ in id ipſum allegant alij apud Lumbier ex doctrinis Ripaldæ,& Saavedræ, mihi quoque falſis de ratione formæ ſanctificantis attributâ dignitati maternitatis. In quibus judicium meum eſto, non poſſe attribui dignitati maternitatis rationem formæ ſanctificantis, niſi detrahendo à forma ſanctificante rationem verâ ſanctificandi, ut expendo *in diſp. de Gratia*. nec eidem attribui poſſe infinitatem ſimpliciter, niſi detrahendo à ſimpliciter infinito veram rationem ſimpliciter infiniti. Certè, non obſtante hac infinitate ſimpliciter, quam attribuunt dignitati maternitatis, hanc relinquant neceſſe eſt ſimpliciter infinitè inferiorem dignitati Dei: quod & eſt contra rationem ſimpliciter infiniti, ut in ſuperioribus vidimus; & relinquit ſemper infinitam inferioritatem Perſonæ obſequentis, quantumvis ſic condignificatæ, ad Perſonam Dei: in qua diſparitate Perſonarum per nullas circumſtantias exæquabili conſiſtit ratio, & vis noſtræ doctrinæ.

Cardin.

Lumb.

Rip.

Saaved.

140 Reſtat reſpondere pro hac parte ad momenta communis ſententiæ poſita *num.* 135. Ad primum reſpondetur, id non eſſe incredibile, ſpectatâ ſummâ Maieſtate Dei. Quod autem attinet ad ejus benignitatem etiam infinitâ, eſt quòd facilè remittat creaturis ſuis fragilibus etiam impotentibus ſatisfacere ejuſmodi defectus veniales clementer, & miſericorditer, prout decet optimum Principem.

141 Ad ſecundum dico, idipſum exigere leges amicitiæ, ſcilicet facilè ignoſcere amicis ſuis frequentes illos defectus, illoſque quaſi parvifacere comparativè ad alios rumpentes amicitiam cum ingenti contemptu Perſonæ. Nullæ autem leges facere poſſunt, quòd Deus exuat dignitatem infinitam ſimpliciter ſuæ Perſonæ, ac proinde quòd ſatisfactio ſuarum creaturarum infinitè inferiorum ſit coæqualis,& condigna adhuc pro venialibus, facilè alioquin à Deo condonabilibus amicis ſuis, non attentâ condignâ ipſorum ſatisfactione, utpotè ipſis impoſſibili.

142 Ad tertium, conceſſo antecedente de ſatiſpaſſione, nego conſequentiam: quia ad ſatiſpaſſionem non ſic attenditur ad dignitatem Perſonarum, ſicut ad ſatisfactionem, quæ habet rationem obſequij hinc inde moraliter penſandam.

143 Ad quartum, nego antecedens obrationem, quam in ſimili dabimus ad negãdum puræ creaturæ meritum condignum remiſſionis peccati mortalis, ſicut & ſatisfactionem condignam pro illo. Nam implicat obſequium condignè merens remiſſionem, cujuſcumque peccati quin eo ipſo ſit condigna ſatisfactio pro illo: ſi quid enim eſt, quod obſtet condignæ ſatisfactioni pro peccato, obſtare ſimiliter neceſſe eſt merito condigno remiſſionis talis peccati, ut iterum dicemus contra Ripald *ſec. ult.*

144 Ad confirmationem, admiſsâ majori, diſtinguo minorem: eiuſmodi gratiam poſſe iuſtus condignè mereri ſibi, vel alteri non habenti peccatum veniale, concedo; ſicut nunc de facto iuſtus meretur ſibi condignè augmentum gratiæ incompoſsibilis cum mortali: ſibi vel alteri habenti peccatum veniale, nego minorem. Nam ad hoc neceſſe eſſet mereri condignè remiſſionem peccati, ac proinde ſatisfacere condignè pro peccato: quod in præſenti quæſtione negamus eſſe poſsibile per obſequia puræ creaturæ.

145 Collige: caſu quo daretur peccatum grave Philoſophicum contra rationem, abſque malitia Theologicâ, & abſque ratione offenſæ contra Deum ominò invincibiliter incogitatum; pro tali peccato ſufficientem eſſe poſſe ſatisfactionem puræ creaturæ. Quia non haberet formaliter rationem contemptûs Perſonæ infinitæ dignitatis, neque ab iſta moraliter gravificaretur in ratione offenſæ, nec malitiæ Theologicæ. Sic Lugus, & alij communiter: ſupponentes dabile eſſe ejuſmodi peccatum puré Philoſophicum. Quod tamen negant poſsibile Anton. Perez jam ſupra citatus, & alij ex eo nempè, quòd nullum eſt dabile peccatum ſine advertentia ad rationem prohibentem, & reprehenſivam talis operis. Ea autem ratio ſic apprehenſa eſt Mens aliqua ſuperior, cui omnis creatura rationalis ſubiecta eſt: & hæc Ratio, ſeu Mens ſic aprehenſa eſt jam ſub ea apprehenſione Numen aliquod ſupremum, quamvis non apprehenſum ſub nomine Dei: quòd non eſt neceſſe. De quo diſſertiſsimé P. Ioannes Cortes Oſorius *in Conſtantia Fidei lib. 3. cap. 7.*

Lug.

Perez

Oſor.

* * *

SEC-

SECTIO XII.

Obiectiones contra præcipuam noſtram concluſionem ſtatutam ſect. 3. de inſufficientia puræ creaturæ, & neceſſitate Incarnationis ad ſatisfactionem condignam.

146 HÆc fuit ſecunda noſtra concluſio ſtatuta *ſect. 3.* pro cujus ſolidâ ratione prolixè laboratum eſt. Reſtat reſpondere ad objectiones, quibus impugnari ſolet à doctiſſimis contradictoribus.

147 Objiciunt primò. Obſequium ita plenè deletivum offenſæ, ut auferat odium, iram, & ius vindictæ contra offenſorem, eſtimatur ſatisfactio par, & condigna pro offenſa: ſed tale obſequium poſſet exhibere Deo purus homo: ergo poſſet condignè ſatisfacere pro divina offenſa: ac proinde non eſſet ſimpliciter neceſſaria Incarnatio ad ſatisfactionem condignam per hominem exhibendam. Probatur minor: quia inter alia obſequia ſupernaturalia poteſt homo purus offerre Deo actum ardentiſſimæ Charitatis, aut contritionis: qui vel ex natura ſua eſt forma juſtificans, aut ſaltem diſpoſitio ultima ad formam juſtificantem eſſentialiter remiſſivam, ac deletivam peccati mortalis: ergo eo ipſo poſſet purus homo offerre Deo obſequium plenè deletivum offenſæ.

Thyrſ. Vaſq.

148 Hac ratione ducitur P. Thyrſus, ut aſſerat, juxta ſententiam Patris Vaſquez, quâ ipſe ſequitur, attribuentem actui contritionis, & charitatis ex naturâ ſuâ rationem formæ juſtificantis, poſſe purum hominem ſatisfacere Deo pro peccato ſuo condignè quoad culpam, quamvis non quoad pœnam. Sic autem videri alicui fortè poterit expeditior via ad ſatisfactionem condignam puræ creaturæ pro peccato mortali eſſentialiter incompoſibili cum contritione, quæ ſit forma juſtificans, quàm pro veniali non ſic incompoſibili: quæ non modica labes eſt hujus modi diſcurrendi.

149 Sunt qui contendant, adhuc permiſsâ eâ doctrinâ Patris Vaſquez, non ſatis per eam concludi ſatisfactionem condignam hominis pro peccato ſuo. Nam aliud eſt, inquiunt, peccatum deleri per contritionem per modum formæ phyſicæ cum illo incompoſſibilis; aliud, per modum obſequij ſatisfactorij. Illud prius infertur ex doctrina Patris Vaſquez; non iſtud poſterius: ad quod præterea requireretur qualitas moralis cõtritionis in ratione obſequij, cum gravitate offenſæ in ratione iniuriæ, quæ æqualitas reſtat probanda; adhuc dato quòd contritio ſit ex naturâ ſuâ forma juſtificans. Ea autem duo eſſe diverſiſſima, exinde probant, quia in gratiâ habituali infusâ parvulis perſtat ratio formalis deletiva peccati, quia inſit ratio formalis obſequij moralis; cùm non ſit actus liber. Requireretur inſuper, quòd homo purus, qui peccaverat, mereretur ſibi condignè elicere actum contritionis, quod negabunt qui negant poſſe ſatisfacere condignè pro peccato ſuo. His tamen non obſtantibus reſponſionem iſtam inſequitur nervosè P. D. Thyrſus. Eam ipſe defero: quia nec eâ indigeo, nec eâ utor juxta meam Theologiam.

150 Reſpondeo planiùs ad objectionem, conceſsâ maiori, negando minorem. In cuius probatione falſum mihi eſt utrumque illud, quod ibi ſupponitur. Nec enim contritio, nec actus charitatis, eſt forma juſtificans: nec eſt ex natura ſua, ſed ex Dei lege, & ex favore extrinſeco diſpoſitio ultima ad formam juſtificantem, quæ eſt gratia habitualis: de quo *in Diſput. de Gratia*, cum communiori Theologorum ſententia. Unde nulla eſt conſequentia.

151 Objiciunt ſecundò. Qui reddit quãtum abſtulit ſatisfacit ad æqualitatem, & cõdignè; ſed purus homo poteſt obſequendo reddere Deo quantum abſtulit peccando: ergo poteſt ſatisfacere ad æqualitatem, & cõdignè. Probatur minor: quia per peccatum abſtulit à Deo affectivè rationem ultimi finis, & prælationem appretiativam Dei ſuper omnia bona creata: totum autem hoc reddit Deo purus homo per contritionem perfectam, & amorem Dei ſuper omnia.

Lug.

152 Cardinalis de Lugo *d. ſp. 5.* videtur abſolutè negare maiorem, quatenus ait *num. 56.* æqualitatem, ac proinde condignitatem ſatisfactionis pro offenſa, non utcumque ſtare in eo quòd offenſor reddat quantum abſtulit, ſed in eo quod exhibeat quantum obſequij neceſſe eſt, ut offenſus condignè placatus deponat indignationem: ſæpè autem non placatur condignè per redditionem totius ablati, ut patet in fure, qui non cenſetur plenè ſatisfeciſſe per reſtitutionem furti; cùm poſt reſtitutionem adhuc iuſtiſſimè puniatur. Alias ſolutiones afferunt Eſparza *queſt. 9.* Conine *diſput. 2. dub. 4.* & Amicus *diſp. 5. ſect 5.*

Eſpar. Conine. Amic.

153 Reſpondetur ex horum doctrinis, diſtinguendo maiorem: qui reddit quantum abſtulit ſatisfacit ad æqualitatem, ſi per ablationem nihil ultra ſpecialis iniuriæ, aut contemptûs intulit, concedo, vel permitto: ſi intulit,

tulit, nego: tunc enim ad æqualem, & condignam satisfactionem, ultra redditionem ablati, opus erit offensorem auferre, seu cõpensare per obsequia æquivalentia gravitatem injuriæ, quàm intulit. Distinguo autem minorem: homo purus potest obsequendo reddere Deo quantum abstulit per peccatum, per obsequia æquivalentia injuriæ Deo illatæ, nego; per obsequia multò inferiora, concedo minorem: & nego consequentiam. Probatio minoris nihil convincit contra partem à nobis negatam: quia contritio, quantumvis intensa, hominis puri non est obsequium moraliter æquale gravitati injuriæ illatæ per peccatum contra Deum offensum, ob rationem disparitatis Personarum supra à nobis explicatam.

154 Objiciunt tertiò. Qui reddit pro offensa quantum potest, nihil debet amplius: nemo enim obligatur ad impossibile: sed purus homo potest reddere Deo pro offensa quantum potest, ut ex terminis patet: ergo potest reddere, & satisfacere Deo pro offensa, ita ut nihil debeat amplius, nec Deus possit amplius ab illo exigere, cùm exigere nequeat impossibilia: ergo poterit per omnia obsequia sibi possibilia extinguere totum debitum peccati sui erga Deum: ergo ea obsequia puro homini possibilia, cum sint extinctiva totius debiti offensæ, erunt condigna satisfactio puri hominis pro offensa. Confirmatur. Quamvis pro beneficijs divinis nequeat purus homo æquales gratias Deo rependere, rependens tamen quas pro viribus potest, ita satisfacit obligationi gratitudinis, ut illam expleat adæquatè & condignè: ergo satisfaciens pro offensis quantum potest, ita satisfacit pro debito offensæ, ut illud expleat adæquatè, & condignè. Hoc autem esset condignè satisfacere.

155 Nimis probat, & ultra intentum arguentium, hæc objectio: probaret enim pari formâ, hominem gratiâ prorsus destitutum, per obsequia tantùm naturalia, ut ajebat Pelagius, posse quoque Deo condignè satisfacere pro peccatis omnibus, sicque disponi ad justificationem salutariter: quod nemò Theologorum admittet.

156 Respondetur, distinguendo majorem: qui reddit quantum potest, nihil debet amplius reddere, aut facere, concedo: quia ad impossibile nemo tenetur: nihil debet amplius pati, si hoc potest, nego majorem. Et concessa minori sub illis suis terminis evidentibus, nego consequentiam: quia ultra id quod purus ille homo potest Deo reddere, & facere pro offensa, potest Deus ab illo exigere, ut amplius patiatur Dei offensi justissimam indignationem; aut alias pœnas quas etiam ipse pati debet pro peccato suo. Nego similiter secundam, & tertiam consequentiam: quia ad extinguendum totum debitum necesse erat, quòd sic operans extingueret totum omninò debitum tam quoad id quod debet facere, quàm quoad id quod debet pati pro offensa: quod quidem per nulla obsequia præstaret: atque adeò non extingueret totum debitum peccati sui, nec adæquatè condignè satisfaceret pro offensa. Dices: quid ergo criminis est, quòd amplius non quidquam faciat homo purus; si nihil amplius facere potest? Aut quid in hoc culpæ? Respondetur, id nihil esse criminis, nihil culpæ. Si autem ultra id pœna ab ipso exigitur, non est propter hanc culpam non condignè satisfaciendi, cùm certè non possit; sed propter crimen, & culpam offensæ, contra Deum nondum extinctæ, quam potuit, & debuit pro viribus evitasse.

157 Ad confirmationem, aio, non esse omninò idem ibi in antecedente, *adæquatè*, & *condignè*. Quod *condignè* satisfaciat rependens gratias, quas potest, si pares non potest, negabo; nam impares gratiæ non sunt condignæ, cùm sint inæquales infra beneficia. Quod *adæquatè* satisfaciat obligationi concedam; quia non obligatur nisi ad gratias, quas potest: quòd *adæquatè* ab beneficia, negabo: quia gratiæ illæ inferiores, quas rependere tunc potest, non exæquant æstimationem beneficiorum. Sic explicato, & evoluto antecedente, nego consequentiam: quia satisfactio illa puri hominis facientis quidquid potest facere, nequit exæquare debitum faciendi, & patiendi contractum ex offensa Dei infiniti.

158 Objiciunt quartò. Valor meritorius operum supernaturalium puri hominis justi habet condignitatem cum præmio gratiæ, & gloriæ pro se: & posset habere juxta aliam legem pro altero, saltem justo, non obstante finitate personæ merentis: ergo pariter valor satisfactorius cum remissione offensæ pro altero. Probatur consequentia. Quia quodlibet obsequium creatum oblatum Deo tanti valet quanti acceptatur à Deo. posset autem obsequium illud dirigi à justo, & acceptari à Deo in satisfactionem condignam pro offensa alterius: ergo, & sic fieri condignè satisfactorius pro offensâ.

159 Respondetur, negando consequentiam. Quia valor meritorius augmenti gratiæ, & gloriæ non invenit impedimentum peccati, quod vincere in ratione obsequij debeat, ideóque solum commensuratur cum præmio gratiæ, & gloriæ. At valor satisfacto-

rius debet vincere in ratione obſequij gravitatem offenſæ, quam ſatisfactoriè tollit, cum qua tamen eſt incommenſurabilis valor operis puræ creaturæ, quando offenſa eſt contra Perſonam infinitam, ob rationem datam *ſec. 10.*

160 Ad probationem, diſtinguo antecedens: quanti acceptatur à Deo, ut condignum, & moraliter æquale, concedo: ut congruum dumtaxat, & inæquale, nego. Non autem poſſet, aut prudenter dirigi obſequium illud à juſto, aut acceptari à Deo, ut condignum, & æquale gravitati offenſæ divinæ, cùm veré tale non ſit; ſed dumtaxat, ut congruũ, juxta primam noſtram concluſionem *ſect. 2.* & ſic benignè intuitu illius, ſupplendo per favorem extrinſecum defectum condignitatis etiam in actu primo, poſſet Deus remittere offenſam.

161 Objicitur quintó ex, & pro. P. Conine. Poſſet purus homo, vel Angelus obſequi Deo actu charitatis, infinitè intenſo, procedente etiam, & condignificato à gratia infinitè intensâ: ſed talis actus eſſet condignè ſatisfactorius pro alterius offenſa: ergo poſſibilis eſt condigna ſatisfactio puræ creaturæ pro offenſa: ac proinde ad id Incarnatio minimè neceſſaria. Major aliunde ſupponitur. Minor probatur: nam ejuſmodi actus infinitè intenſus, & infinitè condignificatus, eſſet æquè placens, gratuſque Deo, ac eſt actus Chriſti finitè intenſus, & infinitè condignificatus: ſed hic actus Chriſti eſſet ſatisfactio condigna pro offenſa: ergo, & ille puri Angeli, vel hominis. Confirmatur: nam actus ille non poteſt remunerari præmio augmenti gratiæ in proprio ſubjecto, utpote jam habenti infinitam gratiam cum jure ad infinitam gloriam: ergo poſſet remunerari præmio gratiæ in altero: ergo, & præmio remiſſionis peccati alterius. Probatur hæc ſubillatio. Nam quodcumque præmium gratiæ in altero eſſet exiguum reſpectu iſtius merentis: quippè melius ipſi eſſet, ac jucundius minimum gratiæ, & gloriæ ſibi, quàm quodcumque augmentum gratiæ, & gloriæ alterius: nam per illam, & non per iſtam fieret fœlix, ac verè beatus; ſed minimum gratiæ ſibi eſſet exiguum præmium tanti meriti: ergo à fortiori quodcumque augmentum gratiæ alterius. Ergo poſſet habere pro præmio condigno ſatisfactionem, ſeu remiſſionem offenſæ alienæ.

162 Reſpondetur, non eſſe nobis hic examinandam veritatem majoris, quoad poſſibilitatem, vel impoſſibilitatem actûs, & gratiæ infinitæ intenſionis. Eam doctrinæ causâ permitto, & nego minorem. Ad probationem, nego majorem. Cùm enim actus Chriſti, quantumvis entitativè finitus involuat, ut obſequioſus, & taliter condignificatus, dignitatem ipſam increatam divinæ Perſonæ, in qua ſibi Deus complacet infinitè magis, quàm in omnibus infinitis creatis; non poſſet ille actus puræ creaturæ quantumvis infinitè intenſus, & à gratia infinitè intenſa condignificatus, eſſe æquè Deo placens, & obſequioſus, ac actus Chriſti entitativè finitus: ac proinde, nec æquè meritorius, nec æquè ſatisfactorius; ſed infinitiſſimè minùs. Unde, conceſſa minori, negatur conſequentia. Ad confirmationem, permiſſo antecedente, & non conceſſo, quia forté illis infinitatibus ſecundum quid non repugnat magis, & magis augeri; conceditur etiam conſequentia; & negatur ſubillatio: quia nec omnes illæ infinitates ſupplent diſparitatem ſimpliciter infinitam perſonæ divinæ offenſæ, & perſonæ offendentis, ut expendimus *ſect. 10.* Ad probationem ſubillationis, permiſſo toto ſyllogiſmo, in quo ſunt multa digna examine non huc pertinente, nego ultimam conſequentiam: ob rationem nuper datam, & confirmandam *ſec. ſequ.* Nec equidem credo, defuturos Deo è thetauro ſuæ providentiæ modos alios præmiandi condignè prædictum meritum.

SECTIO XIII.

Ultima objectio. Vbi: an pura creatura ſancta poſſet condignè mereri gratiam juſtificantem hominis peccatori.

163 OBjiciunt ſextó. Poteſt homo purus, tàm pro ſe, quàm pro alio peccatore, exhibere obſequium condignè reconciliativum hominis cum Deo, & reſtaurativum divinæ amicitiæ, ac proinde condignè meritorium remiſſionis peccati, offenſæque Dei: ergo, & plenè delectivum offenſæ: ergo, & condignè ſatisfactorium pro offenſa. Nam, quamvis ſtare benè poſſit deletio offenſæ ſine ſatisfactione, caſu ſcilicet quo Deus omninó gratis extrinſecè peccatum condonaret, aut ſine diſpoſitione meritoriâ peccatoris gratiam infunderet, ut fit in parvulis; deleri tamen plenè offenſam intuitu obſequij exhibiti offenſo eo ipſo eſt ſatisfactio. Probatur autem primum antecedens. Nam purus homo poteſt ſibi juxta præſentem Dei legem, & alteri juxta legem aliam poſſibilem, mereri condignè gratiam ſanctificantem: ſed tale meritum eſſet condignè reconciliativum, & reſtaurativum divinæ amicitiæ,

citiæ, utpotè condignè meritorium gratiæ, quæ est reconciliatio cum Deo, & ipsa amicitia Dei, & remissio intrinseca peccati: ergo esset condignè reconciliativum hominis cum Deo.

Ripal.

164 Pat. Martinez de Ripalda *disp. 96. de Ent. Supern.* concedit absolutè primum antecedens cum prima consequentia: negat verò secundam. Docet itaque ex Granado, plaudentibus acutis Recentioribus, posse purum hominem justum juxta alium Dei legem condignè mereri alteri, etiam peccatori gratiam justificantem, quæ sit remissio peccati. Negat autem posse condignè satisfacere pro peccato. Quia, inquit, ut mereatur condignè gratiam, & remissionem peccati sufficit, quod obsequium meritorium sit tam bonum in genere obsequij, aut meriti, ac est bona gratia, & remissio peccati in genere præmij: quod ultrò concedit. Ut autem satisfaceret condignè pro peccato, deberet obsequium esse tam bonum in genere obsequij, ac est malum peccatum in genere injuriæ: quòd negat. Negans etiam, quòd gratia, aut remissio peccati sit tam bona, quàm peccatum sit malum penes moralem æstimationem: eo quòd peccatum facit hominem summè infœlicem; gratia verò, aut remissio peccati non facit summè fœlicem: quippè fœlicior esset qui nunquam peccasset, aut qui non solùm obtineret gratiam, & remissionem, sed simul etiam gloriâ inamissibilem.

Granad.

165 In primis displicet in hac responsione concessio antecedentis. Re namque verâ non minùs adversatur doctrinis Sanctorum Patrum congestis *sect. 3.* pro nostra ipsiusque Ripaldæ conclusione, dicere, puram creaturam posse mereri condignè peccatori remissionem peccati, ac dicere, posse condignè satisfacere pro peccato, ut rectè ponderant Lugus *num.* 144. Aldrete *disp. 6.* & Prudent. *disp 3. dub. 6.* cum Suar. *disp. 2.* & Vasq. *disp. 4. cap. 5.* Quamvis enim intelligi, darique possit remissio peccati sine satisfactione, & sine merito, ut benè probat objectio; dari tamen remissionem peccati ex merito condigno, & non dari eo ipso obsequium condignè satisfactorium pro peccato; non ita facilè intelligitur: cùm penes æstimationem moralem perinde sit, undecumque pensetur, satisfacere condignè pro peccato, & mereri condignè remissionem peccati: nam ad utrumque necesse est, obsequijs Deo exhibitis extrahere hominem à miseria peccati: quod nullo modo præstari condignè possit à pura creatura, fuit mens Sanctorum Patrum, ut arguerent necessitatem Incarnationis ad reparationem generis humani post peccatum. Quid etiam ad mentem, & doctrinam Sanctorum, sivè reparatio hæc per obsequia puræ creaturæ dicatur per modum meriti condigni, sive per modum condignæ satisfactionis? Videndi præterea super hoc P. Valentia *disp. 1. quæst. 1. punct. 5.* & eruditissimus Petavius *lib. 2. cap. 13.* & S. Anselm. *in duobus libris: Cur Deus homo?*

Lugus. Aldret. Prud.

Valent. Petav. Anselm.

166 Deinde à ratione argumentor sic. Implicat, purum hominem mereri condignè peccatori remissionem peccati, quin obsequium exhibeat æquè saltem Deo placens, ac displicuit peccatum: ergo qui nequit satisfacere condignè pro peccato, nequit mereri condignè remissionem. Probatur antecedens: si enim Deus displicet in peccato, plusquam complacet in obsequio, fortiùs movet peccatum ad vindictam, & non remissionem, quàm obsequium ad veniam, & remissionem: ergo implicat hominem cõdignè mereri remissionem, quin obsequium æquè saltem sit placens Deo, ac displicet peccatum.

167 Explico. Peccatum præexistens magis displicens movet Deum rationabiliter secundum se, ne pro tunc, nec in posterum infundat gratiam remissivam; obsequium autem superveniens minùs placens Deo, quamvis secundum se habeat vim inclinandi Deũ, ut infundat gratiam remissivam, nihilominus in præsentia contrarij validioris prævalere nequit in ratione obsequij; ideóque, si Deus ad utrumque respiciens tunc infundat gratiam remissivam, erit ultra vim, & condignitatem meritorium talis obsequij minùs placentis. Quomodo enim peccatum obsistens præ nimiâ gravitate plus Deo displicente remissioni, vinci meritorié potest, nisi à bono in genere obsequij magis, aut saltem æquè placente? Sic in physicis, ut agens introducat formam, debet superare resistentiam cõtrarij: quam si nequeat vincere, nequit formam introducere, quamvis alioquin posset: Itaque, quamvis justus posset sibi, aut alteri non peccatori gratiam condignè mereri; non tamen peccatori, in quo peccatum magis displicens Deo, obsistit invincibiliter obsequio minus placenti.

168 Profectò Deum infundere gratiam, & remittere peccatum est cedere juri, quod habuit contra peccatorem exigendi ab illo satisfactionem, ipsumve puniendi. Inintelligibile autem videtur, hominem posse obsequijs meritorié de condigno movere Deum ad eam cessionem, nisi obsequia talia sint, ut plus, aut saltè nõ minùs placeant Deo, quã peccatũ displiceat. Dum enim minùs placent,

ut dicere neceſſe eſt de quibuſcumque puri hominis obſequijs, meritiſſimè poterit adhuc Deus ea parvipendere, & digniora ſibique placentiora exigere, ut condignè placatus cenſeatur.

169 Reſpondetur ergo aliter ad objectionem *num. 163.* ex Lugo, Aldrete, Hurtado, Arriaga, & alijs, negando abſolutiſſimè antecedens contra Ripaldam, & alios. Ad probationem, diſtinguo majorem: purus homo poteſt ſibi, vel alteri non peccatori condignè mereri gratiam ſanctificantem, concedo; peccatori, nego: nam ex circumſtantia obſiſtentis peccati ita creſcit in ratione præmij infuſio gratiæ remiſſivæ peccati, ut non poſſit illi condignè æquivalere in ratione meriti obſequium non exæquans, aut excedens gravitatem peccati, obſiſtentis ex adverſo per modum poſitivæ indignitatis, ac demeriti, ne in tale ſubjectum introducatur gratia, & amicitia Dei: quam quidem Deus benè poſſet gratis infundere vincendo bonitate, & miſericordia ſua infinitâ indignitatem, & reſiſtentiam peccati; non tamen in præmium condignum obſequij puræ creaturæ.

Lug. Aldret. Hurt. Arriag.

170 Ad minorem dico, quòd meritum condignum gratiæ eſſet condignè reconciliativum, & reſtaurativum divinæ amicitiæ, ſi mereretur condignè gratiam homini peccatori, quod negamus; non verò ſi dumtaxat homini non peccatori, quod concedimus. Quia reſpectu hominis non peccatoris non cauſat meritoriè gratiam, in circumſtantia peccati præexiſtentis, & demeritoriè reſiſtentis: ac proinde non cauſat gratiam, quæ ſit, aut prout eſt in actu ſecundo remiſsio peccati moraliter, & exercitè. Quinimò nec gratia intrinſecè ſanctificativa continet in ſe intrinſecè moraliter ejuſmodi remiſſionem; ſed pro caſu contingenti expellendi peccatum: cùm ex ſe gratia indifferens ſit, ut infundatur homini, aut præhabenti, aut non præhabenti peccatum. Unde, quamvis gratia phyſicè ex intrinſecis ſuis, utpotè puritas eſſentialiter incompoſibilis cum peccato mortali, talis ſit, ut deleat, expellat, extinguat, ac remittat peccatum, ſi infunditur à Deo in occaſione peccati præexiſtentis, nec antea jam remiſſi; at infundi in ea occaſione nõ eſt gratiæ natura, nec poteſt eſſe ex merito condigno puræ creaturæ, ſed, vel ex Dei voluntate, vel ex merito condigno Perſonæ infinitæ, vel ex merito congruo puræ creaturæ. Portò infundi in ea occaſione peccati graviter obſiſtentis eſt circumſtantia vehementer extollens gratiã in ratione prẽmij penes moralem æſtimationem. Sic medicamentum curativum peſtis ſemper magni fit, ſed multò pluris graſſante peſte, & plurimi, jam contractâ peſte. Hinc negatâ ultima conſequentia, evaneſcit objectio tota.

171 Adverſùs hanc tamen reſponſionem occurrunt tria. Primum: Majus beneficium eſt in ratione boni perſeverantiæ finalis juſti in gratia habens ſibi conjunctam gloriam, quâ ſit impeccabilis homo, quàm remiſsio peccati per gratiam facile amiſsibilem: ſed poteſt purus homo ſibi, vel alteri juſto condignè mereri perſeverantiam: ergo à fortiori gratiam, & remiſsionem peccatori. Secundum: Majus bonum, ac beneficium eligibilius eſt præſervatio ab omni peccato, quàm remiſsio peccati jam contracti, ut dici ſolet de B. Virgine: cui utique melius fuit præſervari, nè laberetur, quàm fuiſſet, lapſam reparari: ſed pura creatura poſſet condignè mereri beneficium illud præſervationis: ergo à fortiori poſterius iſtud remiſsionis. Tertium: Purus homo poſſet à Deo conſtitui morale caput aliorum etiam peccatorum, eâ lege, ut merente gratiam capite, membra gratiam etiam reciperent, & remiſſionem ad modum quo conſtitutus fuit Adamus caput poſterorum, in quo peccante peccarent: Sic ergo condignè ſibi merens gratiam purus ille homo juſtus, mereretur condignè gratiam, & remiſsionem alijs peccatoribus.

172 Reſpondetur tamen ad primum, conceſsâ majori, & admiſsâ minori, negando conſequentiam. Nam hoc non eſt pendendum pro majoritate beneficij utcumque; ſed ſimul cum alijs circumſtantijs illud afficientibus moraliter, illudque adaugentibus in ratione præmij reſpectu meriti. Ratio autem beneficij, ſeu boni, & ratio præmij diverſiſsimæ ſunt. Una autem ex circumſtantijs beneficij remiſsionis eſt poſitiva indignitas peccati obſiſtentis, non aliter exæquanda meritoriè niſi per obſequium æquè ſaltem placens, & bonum, ac eſt diſplicens, & malum peccatum obſiſtens. In humanis certè obſequium, quo quis poſſet condignè mereri ſibi, vel alteri benevolentiam Principis, non eo ipſo illam condignè mereretur homini poſitivè indigno per offenſas graves contra Principem, cuius dignitatem, & amicitiam impudenter contempſiſſet, & vili mancipio appretiativè poſtpoſuiſſet.

173 Ad ſecundum: concedo ſimiliter majorem cum ſua probatione; & admiſsâ minore, nego conſequentiam, ob eamdem rationem. Quia beneficio remiſsionis, quamvis ſecundum ſe ſit minus, ne tamen concedatur peccatori, obſtat moraliter indignitas po-

positiva sui peccati : cui indignitati præponderare, aut saltem æquiparari moraliter debet obsequium meritorié nanciscens illud, ut dicatur illud condignè mereri, sicut ut dicatur pro gravitate peccati remittendi condignè satisfacere.

174 Ad tertium, distinguo antecedens: eâ lege, ut merente gratiam tali capite, membra etiam constituta in peccato, gratiam reciperent ex merito condigno talis capitis, nego antecedens : impossibilis est enim talis lex ob impossibilitatem condignitatis obsequij meritorij talis puri hominis cum præmio gratiæ remittentis peccatum : ea lege, ut merente gratiam tali capite, membra etiam constituta in peccato gratiam reciperent ex pacto, vel alio titulo circa meritum condignum talis capitis, concedo antecedens : hoc enim non est cur negemus possibile divinæ liberalitati. Sicque nulla est consequentia.

* * *

DE

DE PERFECTIONIBVS CHRISTI.

1 EGIMVS hactenus de ijs, quæ pertinent ad Incarnationem Divini Verbi, quasi in fieri, quæ solet esse prior Pars huius Tractatûs. Agendum iam est de Incarnatione, quasi in facto esse, quæ solet esse Pars posterior: scilicet de Christo per Incarnationem resultante, & de ipsius Perfectionibus, Proprietatibus, Dotibus, Gratijs, Virtutibus, & Operibus. Aliqua de Christo, ut de termino totali Incarnationis, quæ huc pertinerent, necesse fuit præmittere *disp.* 2. præsertim *sect.* 1. 2. *&* 8. Nunc ordine suo de reliquis.

Supra disp. 2.

DISPUTATIO IX.

DE FILIATIONE, ET PRÆDESTINATIONE Christi.

2 ET primò quidem de ipsius Filiatione, & Prædestinatione. Quæ duo simul in unam Disputationem conjeci: quia Paulus *Roman.* 1. ea duo simul edocuit de Christo: *Qui prædestinatus est Filius Dei.* *Rom. 1.*

SECTIO I.

Fides Catholica de Filiatione Christi: contra varios Hæreticorum errores.

3 DE Fide est primò, Christum esse Filium naturalem Dei verum, & proprium. Hæc fuit solemnis illa, & à Christo laudatissima confessio Principis Apostolorum suo, & aliorum nomine, Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Hæc vox illa de nube ex ore Altissimi, scilicet Æterni Patris, Matt. 17: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Unde Symbolum Nizenum adversùs Arium huius veri- *Matt. 16 & 17.* *Symb.*

Digitized by Google

veritatis hostem infensissimum, Divinitatem, naturalemque Dei Filiationem Christi denegantem, credere nos instruit: *in Iesum Christum Filium eius Unigenitum. Eius*, id est, Patris omnipotentis: ut non sic intelligamus, Christum esse Filium naturalem totius Trinitatis, sed solius Patris.

4 De Fide est secundò, Christum esse Filium naturalem, & proprium Sanctissimæ Mariæ Virginis. Luc. 2. *Peperit filium suum primogenitum*: do quo mox Angelus ad Pastores: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus.* Et Ioann. 5: *Erat Mater Iesu ibi.* In hoc fuit hæresis Manichæorum, & Marcionistarum: qui negantes Christum fuisse verum hominem, negabant, fuisse verum Filium Mariæ: & alia Hæresis Apollinaristarum, qui, quamvis crederent Christum fuisse verum hominem, negabant tamen ex Mariæ substantia conceptum dicentes, per eam, non aliter, ac per canalem ad nos è cœlo missum: ac proinde, non fuisse veré Filium Mariæ. Contra quod stat Nicena Fides: *Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine.*

5 De Fide est tertiò, Christum, quamvis nominetur interdum in Evangelij Filius Ioseph, & Ioseph Pater Christi. Ioann. 6. Luc. 2. *Nonne hic est Filius Ioseph?* & Luc. 2. *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*: Et iterum: *erant Pater, & Mater eius mirantes*; non tamen fuisse Patrem Christi proprium, & naturalem, ut errarunt turpiter, Ebionitæ, apud Suar. *tom. 2. in 3. p. disp. 5. sect. 1.* sed existimatum, & putativum: ut explicatur Luc. 3. *Putabatur Filius Ioseph.* & modo singularissimo, quem significavit eximiè Suarez *disp. 8. sec. 1.* ibi: *Non solùm, Patris Christi nomen, sed etiam rem, quæ huic nomini subest, participasse, quantum, exceptâ carnali generatione, ab homine participari potest.* Quatenus scilicet Christus fuit veré Filius naturalis, & legitimus Virginis Ioseph desponsatæ, & rato matrimonio conjunctæ. Pertinet hoc ad articulum Virginitatis Deiparæ Mariæ, nullius virtute viri, sed virtute Spiritûs Sancti divinitûs Christum enixæ: ut est in Symbolo: *Qui cõceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.* Virginoe, inquam, ex Fide ante, in, & post partum, ut contra impuros Ebionitarum, & Helvidij errores definierunt jam olim Concilia Ephesinum, Chalcedonense, & præter Synodos quintam, & sextam generales, primum, sextum, & undecimum Toletanum apud Suarez *disp. 5. sec. 1.*

6 De Fide est quartò, Christum fuisse Filium quoque Davidis, Abrahami, & aliorum Progenitorum Mariæ Virginis: ut est Matt. 1. *Iesu Christi, Filij David, Filij Abraham.* Non immediatè, sed mediatè: in eo nempè sensu, quo in litteris divinis, etiam, & in humanis, veniunt perlæpè sub Filiorum vocabulo nepotes, pronepotes, & deinceps series continuata posterorum.

7 De Fide est quintò, Christum non esse Filium Dei purè adoptivum: in sensu scilicet Arianorum, & Nestorianorum. Non in sensu Arianorum: quippè Christum puram creaturam asserebant, ac proinde non Deum, nec Filium naturalem Dei, Deoquè consubstantialem: ideòque adoptabilem, & re ipsa adoptatum à Deo in Filium per gratiam habitualem, sicut cæteri homines sancti, quamvis minus sancti. Non in sensu Nestorianorum: quippè, quamvis Christum verum Deum, ac Filium Dei naturalem asserent in duplicitate Naturæ, divinæ scilicet, & humanæ; erraverunt tamen in eo quòd insuper asserebant, esse quoque in duplicitate Personæ: talitèr, ut essent in Christo duæ Personæ divina, & humana: & in illo Personam divinam non esse intrinsecè physicè unitam naturæ humanæ; sed extrinsecè, & moraliter per affectum, & amorem eximium, quo Persona divina humanam sibi affiliavit adoptans singulariter in Filium illum hominem repertum in Christo, quem propterea dicebant Filium Dei adoptivum, quasi extrinsecè tantùm, & moraliter à Persona divina sibi affiliatum. Hujus Nestoriani erroris fuisse in Hispania Felicem, & Elipandum, illum Urgelitanatum, istum Toletanum Antistites, probant eruditè Suarez *disp. 49. sect. 3.* & locupletiùs Bernal *disp. 64.* contra Vasquez, & Hurtadum.

8 Quoad primum sensum, dicere Christum esse Filium Dei purè adoptivum, est error damnatus contra Arium post Concilium Nizenum à Synodis Generalibus quartâ, quintâ, & sextâ ex Scripturis Sanctis, ut vidimus *num.* 4. quia hoc est negare Christo naturalem Filiationem Dei.

9 Quoad secundum sensum, est etiam error damnatus contra Nestorium in Concilijs Alexandrino, & Ephesino, & in quarta, & sextâ Synodo Generali: & deinde contra Felicem, & Elipandum in Concilio Francofurtensi, & ab Adriano Papa in Epistola decretali ad Episcopos Hispaniæ: quia hoc erat negare veram, & intrinsecam assumptionem naturæ humanæ in unitatem Personæ divini Verbi: de quo egimus *disp. 2 sec. 1.*

10 His ex certâ Fide contra tot subortos errores præsuppositis, supersunt non pauca inter Catholicos disputanda, ut in re dogmati-

Luc. 2. *Joan. 7.* *Manich.* *Marcio.* *Apollin.* *Symb.* *Joan. 6.* *Luc. 2.* *Ebion.* *Suar.* *Luc. 3.* *Suar.* *Suar.* *Symb.* *Ebion.* *Concil. Ephesin* *Chalced.* *Toletan.* *Suar.* *Matt. 1.* *Felix.* *Elip.* *Suar.* *Bern.* *Vasq.* *Hurt.* *Conc. Alex. Ephes. Syn. 4. & 6. Francof. Adrian* *Supra disp. 2.*

Digitized by Google

matica priorem veritatem, Fideique cùm in re, tùm in modo loquendi conformiorem, assequamur.

SECTIO II.

An, & quâ ratione, Christus, ut homo, seu in quantum homo, sit Filius naturalis Dei.

11 EA reduplicatio, *ut homo*, seu, *in quantum homo*, hanc difficultatem movit, & obscuravit. Nam specificativè hominem in Christo verè dici, ac esse Filium Dei naturalem, Fide constans est *ex num. 4.* saltem per idiomatum communicationem, eâ videlicet veritate, qua dicitur etiam ex Fide in Christo: *Homo est Deus*, ut vidimus *disp. 2. sec. 7.* Sic enim citra dubium etiam est, quòd specificativè, & absolutè Christus, & in Christo Homo, est Filius Dei: quia non quodcumque est Persona, quę est Deus; sed est secunda Trinitatis Persona, quæ est Filius Dei. Quo etiam modo si Prima incarnaretur, homo ille esset Pater; & similiter si Tertia, homo ille esset Spiritus Sanctus.

Supra disp. 2.

12 Iam verò de Christo, *ut homine*, reduplicativè, ratio dubitandi est. Quia, quamvis in Christo verè dicatur: *Homo est Deus*; non tamen verè dicitur reduplicativè: *homo, ut homo*, seu *Christus, in quantum homo, est Deus*, ut monuimus *disp. 2 sect. 7. num. 109.* quandoquidem reduplicatio cadit supra humanitatem, quæ nec est Deitas, nec Deus. Similiter ergo, quamvis verè dicatur in Christo: *Homo est Filius naturalis Dei*; non tamen verè dicetur: *Homo, ut homo*: seu; *Christus, ut homo, est Filius naturalis Dei*: quia eadem etiam reduplicatio cadit supra humanitatem: quæ sicut, nec est Deitas, nec Deus; sic nec est Filiatio Dei, nec est filia naturalis Dei.

Supra disp. 2.

13 Propter hoc est aliquorum sententia negantium, Christum, ut hominem reduplicativè esse Filium naturalem Dei. Sed diversimodè id negant. Durandus, & Scotus cum Sectatoribus non pauci; quos inter Rada, apud Conine *disp. 24. dub. 2.* & è Recentioribus Scotistis Franciscus Felix, *cap. 19 diff. 1.* eatenus negant, Christum ut hominem esse filium naturalem Dei, quatenus affirmant, Christum, ut hominem esse Filium Dei adoptivum. Sed contra hoc agemus specialiùs *sect 4.* Alij eatenus negant Christum ut hominem, esse Filium naturalem Dei, quatenus, negando etiam, esse Filium adoptivũ, affirmant, ut hominem, esse Filium proprium Dei: quod est tertium quoddam genus Filiationis, nec naturalis, nec adoptivæ; sed quasi mediæ infra naturalem & supra adoptivam. Sic laté, & eruditè P. Bernal *disp. 61. & 66.* cui magna ex parte adhæret Magister Lumbier *quæst. 38. art. 3.* citans *num. 2151.* pro Bernalis sententia, nescio quo jure, Incognitum *super Psalm. 136.*

Durand. Scotus. Rada. Conine. Felix.

Bernal. Lumb. Incog.

14 Alij taliter negant Christum, ut hominem esse Filium naturalem Dei, ut eũ negent esse adoptivum, nullâ facta mentione de alia Filiatione: sicque sentire videntur, quòd, quamvis Christus absolutè, & specificativè sit Filius naturalis Dei; reduplicativè tamen, *ut homo*, seu, *in quantum homo*, nõ ita,

15 Conclusio nihilominus communior, & omninó tenenda est, Christum, ut hominem, esse Filium naturalem Dei. Sic S. Tho. Suarez, Vasquez, Lugus, Conine, Granadus, Bonæspei, & passim alij. Hurtadus *disp. 83. sect. 5.* censuit nimis rigidè id sub prædictis terminis esse de fide. Ego saltem non audeo rem id subtristis terminis negare: quamvis non negaverim, ejusmodi reduplicationem posse trahi, extra rem tamen, in aliquem sensum dialecticum, in quo negari id posset, ut explorabitur *sec. 3. & 4.*

S. Thom. Suar. Vasq. Lug. Conine. Gran. Bonæsp. Hurt.

16 Probatur primò ab Auctoritate in ijs de Filiatione Christi punctis celeberrimâ Adriani Papæ in Concilio Francofurtensi contra Fœlicem, & Elipandum ad Episcopos Hispaniæ. Statuerant ex variis Scripturæ locis Papa, & Concilium, Christum esse proprium, seu, quod idem sine dubio est, Filium naturalem Dei. Quoniam verò Fœlix, & Elipandus assertores Filiationis adoptivæ Christi, ut hominis, tergiversabantur dicentes; illud dogma Filiationis naturalis intelligi debere de Christo, ut Deo; non de Christo, ut homine, instat Pontifex pro Christo, ut homine, ex Verbis Apostoli ad Romanos 8. sic scribens: *Hinc Paulus electionis vas ait: Proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum: scimus enim, quia non est traditus secundum divinitatem; sed secundum quod homo verus erat, illum nimirum, qui traditus est, id est hominem ipsum, Apostolus proprium Dei Filium profitetur.* Profectó, aut nihil concludit Adrianus ex verbis Pauli contra effugium Fœlicis, & Elipandi, quos perstringebat; aut liquidò cõcludit, non utcumque Christum, verùm etiam Christum, *ut hominem*, esse Filium Dei naturalem. Discurrit enim Pontifex ex Apostolo, Christum fuisse à Deo pro nobis traditũ, *secundum quod homo verus erat*: inferetque, sub ea ipsa reduplicatione fuisse Filium Dei: *qui proprio Filio suo non pepercit; sed pro*

Adrian. Francof. Rom. 8.

no-

nobis omnibus tradidit illum: Filium scilicet, non adoptivum, ut dicebant Fœlix, & Elipandus, sed *proprium*: quod in Apostolo, & in Concilio pro Filio naturali sumi citra dubium mihi, est ut mox expendo contra P. Bernal. Concluditur ergo ex verbis Pauli, & ex Conciliari Adriani expositione, Christum etiam reduplicativé, *ut hominem*, seu, *secundum id quod homo verus erat*, esse Filium naturalem Dei.

17 Hinc secundò probatur à ratione. Quia Christum Deum hominem amplectentem Verbum verum, & verum hominem, quantumvis in dualitate Personæ, & sine unione physicâ, ut errabant Nestoriani, esse Filium naturalem Dei, adhuc admissis supradictis erroribus salvaretur: siquidem complexum illud dicit ex uno extremo Personam Verbi quomodolibet unitam humanitati: quæ persona verè Filius naturalis est. Nos ergo, ut in hoc puncto filiationis naturalis Dei in Christo aliquid dicamus, quod in suo errore salvare non possent Nestoriani; sentire & dicere debemus, non modò Christum specificativé sumptum, sed sumptum etiam reduplicativè, *ut hominem*, esse Filium naturalem Dei. Quo physicam, & intrinsecam assumptionem humanitatis in unitatem Personæ Filij naturalis Dei, prout oportet, contra Nestorianos proficeamur.

18 Probatur tertiò. Christus, *ut homo*, est Filius Dei sed ut homo non est Filius Dei adoptivus: ergo sub hac eâdem reduplicatione, *ut homo*, est Filius Dei naturalis. Major habetur ut dogma Fidei à Patre Bernal, & alijs. Minor est ita certa, ut post Adrianum, & Concilium Francofurtense, Vasquez *disp. 20. cap. 12.* & Bernal *disp. 65. sect. 4.* iudicent etiam esse de Fide. Absolutè saltem, & sine explicatione nequit absque censurâ negari: de quo nos *sect. 5.* Idcircò consequentiam, quæ est nostra, & communis conclusio, judicavit Petrus Hurtadis esse quoque de fide: quam nec ipse propterea auderem negare, ut fassus sum *num. 15.*

Bernal. *Vasq.* *Bernal.*

19 Illam tamen negat. P. Bernal concessis, uti de fide præmissis, aliam meditatus rationem Filij, nec adoptivi, nec naturalis; scilicet Proprij, sicque ait, quòd quamvis certum sit, Christum, ut hominem, esse Filium Dei; & certum quoque sit, ut hominem non esse Filium Dei adoptivum; non infertur, ut hominem, esse Filium Dei naturalem; sed aut naturalem, ut nos defendimus; aut proprium, ut ipse meditatur.

Bernal.

20 Pro quo suo cogitatu multa congerit eruditè. Primò, testimonium Apostoli: *Proprio Filio suo non pepercit.* Secundò, eamdem phrasim idemtidem repetitam ab Adriano Papa in Epistola Conciliari citatâ, ubi sæpesæpiùs vocatur Christus, *ut homo*, Filius *proprius* cõtrapositè ad adoptivum, quin fiat mentio de Filiatione naturali. Tertiò, eamdem phrasim usurpatam à S. Hilario *lib. 6. de Fide ad finem*, & ab eodem Concilio Francofurtens. *in Sacrosyllabo, columna. 4.* Non ergo recusari debet vocabulum Filij proprij, seu Filiationis propriæ contrapositè ad adoptivam.

Roma. *Adrian.* *Hilar.* *Francof.*

21 Ego quidem non recuso vocabulum Filij proprij, sanctissimè toties usurpatum à Papa, à Concilio, ab Ecclesiæ Patribus, & ab ipso Apostolo. Recuso tamen, quod est mihi prorsus incredibile, nomine Filij proprij contrapositè ad adoptivum, venisse unquam illis Patribus, aut Apostolo in mentem aliud, nisi Filium naturalem. Mirum profectò esset, quòd in controversia illa celebri de Filiatione Christi hinc, & inde ventilatâ à Papa, & à Concilio, contra Fœlicem, & Elipandum, non fieret saltem mentio filiationis naturalis; sed semper sit sermo de filio proprio contrapositè ad adoptivum. Quare mihi indubium est, Papam, & Concilium ex verbis Apostoli usurpasse aptissimè nomen filij proprij pro Filio naturali. Contra quod debebat probare Bernal, filium proprium in eorum usitatissimâ phrasi, quam ultrò amplectimur, non esse idem, ac filium naturalem contrapositè ad adoptivum; sed esse tertium quoddam genus filiationis propriæ contrapositè ad adoptivum, & naturalem: quod nec leviter probatur, nec in re tanti ponderis debet, aut potest liberè supponi.

22 Propterea duo mihi maximè displicent in hac mediâ sententia Patris Bernal. Primum, quod ait, rationem specialem prædictæ mediæ filiationis propriæ esse gratiam substantialem unionis hypostaticæ, quâ Christus non utcumque sanctificatur sicut nos per gratiam accidentalem facientem nos filios adoptivos, & hæredes Dei; sed intimiùs multò, & conjunctius faciendo Christum hæredem universorum, & intrinsecè uniendo humanitatem Deo in unitatem Personæ; ac proinde non faciendo filium adoptivum, sed proprium. Secundum, quod inde deducit, per ejusmodi filiationem, non solùm esse Christum, ut hominem, filium proprium Patris Æterni, sed æquè totius Trinitatis: ad modum quo per gratiam ordinariam simus nos filij adoptivi non solius Patris Æterni, sed Filij etiam, ac Spiritûs Sancti.

23 Displicet, inquam, primum. Quia non quælibet conjunctio, seu intrinsecus cum Deo est ratio filij proprij Dei: ut patet in

intimitate summâ Spiritûs Sancti ad Patrem, & Filiũ, multò strictiore sine dubio quàm sit gratia habitualis nostra, aut unio hypostatica Christi: ergo ex intimitate, seu conjunctione substantiali unionis hypostaticæ ad Deum non ritè infertur apta ratio proprij Filij Dei. Certé, si semel deflectimus à rigore definitionis filij naturalis, & infra istam admittimus rationem filiationis propriæ, qualem adinvenit P. Bernal; nescio equidem, quâ ratione negabitur Spiritui Sancti ratio hæc filiationis propriæ. Unde datur ansa dicẽdi à fortiori, Spiritum Sanctum esse Filium Patris, & Filij: non quidem filium naturalem, sed proprium contrapositè ad adoptivum, ad quem requiritur extraneitas Personæ. Quod est absurditissimum inconveniens huius tententiæ, dignè ponderatum à Cardinali de Lugo *nu 9.* *Lug.*

24 Displicet secundum. Quia Christũ, ut hominem, dici Filium trium Personarum Trinitatis, nisi in ea dumtaxat abusivâ generalitate, qua totus Deus dicitur Pater pluviæ, Solis, aliarumque rerum, videtur parùm consonum Scripturæ, Conciliis, Patribus, & communi Fidelium sensui. Francofurtensè impensè differens de Filiatione Christi, ne verbum quidem habet, unde Christus existimari possit filius naturalis, aut proprius Spiritûs Sancti, aut totius Trinitatis, sed solius Patris Æterni per generationem æternam, & solius B. Virginis per generationem temporalem. Et Scripturæ, quibus utitur ad stabiliendum, Christum Filium Dei non adoptivum, sed naturalem, & proprium; sunt illæ ipsę, quibus probatur Divinum Verbum esse filium: ac proinde solùm faciunt ad probandum Christum esse filium Æterni Patris. Velle autem, ex ipsis Scripturis adstruere genus aliud filiationis, quà quælibet trium Personarum sit verè, & propriè Pater Christi, quisquè Spiritus Sanctus æquè, ac Pater Æternus sit veré, & propriè Pater Christi, ut hominis, & consequenter per communicationem idiomatum sit, dicique valeat Pater Verbi; mihi quidem durissimum est, & genuino sensui Scripturarum repugnantissimum. Hinc Concilium Toletanum 11. ait, Christum nullo modo Spiritûs Sancti Filium credi, vel intelligi posse, ex Augustino scilicet dicente *cap. 35. Enchirid. Natus est Christus de Spiritu Sancto non sicut Filius: & de Maria Virgine sicut Filius.* Unde S. Thom. *3. p. quæst. 32. ar. 3.* differtè docet, Christum non debere dici filium Dei, nisi solùm *ratione generationis æternæ, secundum quam est Filius Patris: & ideo nullo modo debet dici Filius Spiritûs Sancti, aut totius Trinitatis.* Quibus *Francof.* *Toletan.* *August.* *S. Tho.*

multa subjungit eruditè Petavius, ex SS. Patribus in Dogmatibus de Incarnation. *lib. 7. cap. 5.* *Petav.*

25 Ex ijs firma manet consequentia syllogismi valdè Theologici à nobis formati *num. 18.* & repulsa media illa cogitatio Patris Bernal de filio proprio, nec adoptivo, nec naturali: ac proinde constabilita nostra conclusio, quòd Christus, *ut homo*, est verè filius naturalis Dei.

26 Repellenda indidem est aliorum sententia, qui nobiscum docent, Christum, ut hominem, esse filium naturalem Dei; & cum Bernal docent, esse filium totius Trinitatis, Patris, Verbi, ac Spiritûs Sancti. Quippè putant, formam istius filiationis naturalis, qua Christus, ut homo, est filius naturalis Dei, non esse generationem æternam; sed gratiam singularem creatam Unionis hypostaticæ: quæ, cùm respectu humanitatis sit gratia non accidentalis ficut nostra habitualis ordinaria; sed substantialis, intrinsecè, & physicè conjungens humanitatem cum Deo, facienſque Christum hæredem universorum; non facit Christum, ut hominem, filium adoptivum Dei, sicut nos Deo extraneos facit filios adoptivos gratia accidentalis; ac proinde facit Christum, ut hominem, filium naturalem Dei. Ita Suarez Vasquez, Conine, Martin. Perez, quibus acquiescere videtur P. Thyrsus *tom. 2. select. disp. 28. sec. 3.* *Suar.* *Vasq.* *Conine.* *Perez.* *Thyrs.*

27 Ego tamen acquiescere non possum. Solùm enim differunt à P. Bernal in modo loquendi, quo nobiscum dicunt, Christum, ut hominem, esse filium naturalem Dei. De cœtero autem volunt primò cum Bernal, Christum esse filium trium Personarum: quod satis repulimus ex Scripturis, Conciliis, & Patribus *num. 24.* Volunt secundò cum eodem, filiationem istam, quam Bernal vocat propriam, & ipsi vocant naturalem, esse gratiam creatam substantialem Unionis hypostaticæ: quod est contra S. Thomam ibidem citatum, dissertissimè, & verissimè asserentem, Christum esse solum filium Æterni Patris *ratione generationis æternæ*; Spiritûs autem Sancti, *nullo modo.* Et contra rationem: quia unio hypostatica non est forma, qua Christus, *ut homo*, procedit similis in natura Deo; sed, qua humanitas unitur Deo in unitatem Personæ: hoc autem est omninò extra conceptum Filiationis naturalis. Nec refert, quòd substantialiter; & multò eminentiùs, quàm gratia accidentalis fundet ius hæreditatis. Quamvis enim istud ius pertineat ad rationem filiationis; non tamen sufficit ad rationem Filiationis: nam multi non filij habent jus ad hæreditatem. *S. Thom.*

SEC-

SECTIO III.

Secunda noſtra concluſio: & reſponſio ad rationem dubitandi.

28 CONcluſio 2. *Chriſtus, ut homo,* eſt Filius naturalis Dei: nō triū Perſonarū Divinarum, ſed Patris divini: & quidem per generationem æternam, qua Verbum procedit à Patre. Tripartitam iſtam concluſionem tradunt S. Thom. ſupra citatus, S. Bonav. & utriuſque Magiſter Alexander Alenſis, Gabriel, Albertus Magnus, & alij, quos citant, & ſequuntur Baſil. Legionenſis *tom. 1 variar. relect. 4.* Curiel *lib. 2. contr.* 2. Cardinal. de Lugo *diſp. 31.* & Aldret. *diſp. 86.*

S. Thom. Bonav. Alenſ. Gabriel. Albert. Legion. Curiel. Lugus. Aldret.

29 Primam partem probavimus *à num.* 16. Secundam *num.* 24. Tertiam vidimus expreſſam in S. Thom. in eodem *num.* 24. & 27. Et ulteriùs eam probo. Quia *Chriſtus, ut homo,* eſt Perſona: ſed non alia perſona, niſi Filius naturalis Dei, qui per generationem æternam procedit à Patre: ergo *Chriſtus, ut homo,* eſt Filius naturalis Dei per generationem æternam, qua Verbum procedit à Patre.

30 Hinc clariùs. Chriſtus, *ut homo,* cōcretè, dicit formaliter conſtitutivè aliquam ſubſiſtentiam: non creatam, ut eſt de fide: ergo increatam: non increatam Patris Æterni, aut Spiritūs Sancti: ergo ſubſiſtentiam, ſeu Perſonalitatem increatam ſolius Verbi, quæ formaliter eſt *Filiatio* ipſa naturalis, qua nēpē Verbum, & ſolum Verbum eſt Filius Patris ſolius per generationem æternam, quæ eſt ipſa Filiatio, ipſa Perſonalitas, ipſa Relatio Divini Verbi, ut ſuppono cum probatiſſimis Auctoribus *ex Diſputationibus de Trinitate*: ergo Chriſtus, ut homo, concretè ſumptus juxta præſentem conſtitutionem hujus hominis Chriſti, dicit formaliter conſtitutivè Filiationem naturalem, & generationem æternam Dei: & non ſic dicit Paternitatē, nec Spirationem paſſivam. En igitur quomodo, *ut homo,* ſic conſtituitus, eſt Filius naturalis Dei per æternam generationem, utpotè ſic concretè conſtitutus, & ſignificatus, dicens formaliter Filiationem Dei æternè per ipſam generantis Filium, qua formaliter conſtituitur Chriſtus concretè homo in tempore, aſſumptâ de novo hypoſtaticè humanitate à Perſonalitate Filij Dei.

31 Qua eâdem ratione alius Chriſtus conſtitutus ex Perſonalitate Patris, aſſumente humanitatem, non eſſet Filius Dei, ſed Pater Dei; &, *ut homo,* Pater Dei; & alius conſtitutus ex Perſonalitate Spiritūs Sancti aſſumente humanitatem, non eſſet Filius Dei, nec Pater Dei; ſed eſſet Spiritus Sanctus, & *ut homo,* Spiritus Sanctus.

32 Major illa propoſitio, unde ſumpſit exordium noſtra probatio *num* 29. traditur communiter à Theologis cum S. Thom. *qu. 16. art. 1.* & ibi in Commentario à Suar. & ibidem à P. Vaſquez *diſp. 69.* ita aſſeverantes, ut dicat *num. 7.* hanc propoſitionem: *Chriſtus, in quantum homo, eſt Perſona*: in nullo ſenſu, quem verba propriè reddere poſſunt, eſſe falſam: ac proinde eſſe ſimpliciter veram, & concedendam. Sic etiam Cardin. de Lugo *diſp. 23. ſect. 6.* & reliqui communiter. Quòd ſi veteres aliqui illam negarunt, explicabant ſe in ſenſu, quem propoſitio abſolutè prolata non reddit: ſcilicet reduplicando ſupra humanitatem, quaſi ſupra formā conſtituentem Perſonam: quo ſenſu, nec Petrus, ut homo, eſt perſona.

S. Thom. Suar. Vaſq.

Lug.

33 Nihilominus P. Thyrſus *tom. 2. ſelect. diſp. 28. ſect 2.* illam negat: non ſolum in ſenſu Durandi, eatenus intelligentis, Chriſtum, ut hominem, non eſſe Perſonam, quatenus reduplicatio fit ſupra humanitatem, à qua non ſumitur ratio formalis Perſonæ; ſed cadente etiam reduplicatione ſupra concretum ex humanitate, & Perſonalitate Verbi. Contra quem tamen abundè probata manet illa noſtra major *diſp. 2. ſec. 8.*

Thyrſ.

34 Pro reſponſione ad rationem dubitandi poſitam *ſec. 2. nu. 13.* obſervandum eſt, quòd jam tetigimus *loc. cit.* ex doctrina S. Thom. apud Cardin. de Lugo *diſp.* 31. & latiùs *diſp. 28. ſec. 6.* reduplicationem illam, *ut homo,* ſeu, *in quantum homo,* in Chriſto, interdum cadere ſupra abſtractum humanitatis contradiſtinctim à Natura, & à Perſonalitate divinâ, ut cum dicimus; *Chriſtus, ut homo, moritur*, ſignificando, mori ratione humanitatis. Interdum verò cadere ſupra concretum Perſonæ, ſeu ſuppoſiti, conſtitutum ex humanitate, & Perſonalitate contradiſtinctim à Natura divinâ: ut cum dicimus, *Chriſtus, ut homo, eſt ſubſiſtens*: non quidem ſignificando Chriſtum eſſe ſubſiſtentem per humanitatem, ſeu ratione humanitatis: hoc enim eſſet omninò falſum, ut ſuppoſuimus *ſect. precedenti*; ſed ſignificando, eſſe ſubſiſtentem ratione involutâ in concretō conſtituto ex humanitate, & ex Perſonalitate Verbi; prout virtualiter condiſtinctâ à Naturâ divina: quam Naturam ſimul cum Perſonalitate, & cum humanitate complectitur, & ſignificat ſpecificativè *Chriſtus.*

Supra diſp. 2.

S. Thom. Delug.

35 Hinc ad rationem dubitandi, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens: non verè dicetur: *Chriſtus, ut homo, eſt Filius naturalis Dei*, in ſenſu ſimiliter reduplicante ſupra abſtractum humanitatis, concedo: ſic autem procedit paritas argumenti: in ſenſu alitèr reduplicante ſupra concretum ex humanitate, & ex Perſonalitate Verbi, quæ eſt ipſa Filiatio naturalis Dei, nego conſequentiam: in hoc enim ſenſu veriſſimè dicitur: *Chriſtus, ut homo, eſt Filius naturalis Dei*: quia involvit reduplicatio ipſa formaliter Filiationem naturalem Dei, nempè ſubſiſtentiam Verbi, ex qua, & ex humanitate conſurgit conſtitutivè homo, qui eſt in Chriſto. Quemadmodum in eodem ſenſu dicebamus *diſp. 2. ſect. 8.* Chriſtum, ut hominem, eſſe ſubſiſtentem, ſuppoſitum, & Perſonam. Atque hic eſt planiſſimus ſenſus illius propoſitionis: *Chriſtus, ut homo, eſt Filius naturalis Dei*: id eſt: *ut homo*, eſt ſuppoſitum, ſeu Perſona, quæ eſt Filius naturalis Dei: Dei ſcilicet Patris per generationem æternam, non verò ſic Filius Filij, nec Spiritûs Sancti.

Supra diſp. 2.

36 Dices: juxta huiuſmodi ſenſum ſimiliter eſſet verum dicere reduplicativè: *Chriſtus, ut homo, eſt Deus*: contra quod diximus *diſp. 2. ſect 7.* ſic ergo non ſalvamus, eſſe verum in aliquo ſenſu, *Chriſtus, ut homo, eſt Filius naturalis Dei*: potiùs quàm, *Chriſtus, ut homo, eſt Deus*. Antecedens probatur: quia juxta noſtram explicationem Chriſtus, ut homo, eſt ſuppoſitum quod eſt Deus, ſicut eſt ſuppoſitum, quod eſt Filius naturalis Dei. Reſpondetur dupliciter.

Supra diſp. 2.

37 Primò, concedendo antecedens, & negando, id eſſe contra quod diximus *loc. cit.* Nam præſens ſenſus eſt reduplicando ſupra concretum hominis, quod eſt conſtitutum ex humanitate, & ex ſuppoſito Verbi ſeorſim virtualiter à Naturâ divinâ: at quando ibi negavimus illam reduplicativam: *Chriſtus, ut homo, eſt Deus*: ſenſus erat reduplicando ſupra abſtractum humanitatis ſeorſim, ſeu præciſim ex vi illius modi reduplicandi, & ſignificandi à Perſonalitate, & à Naturâ divinâ: quod eſt dicere, non habere eſſe Deum ratione humanitatis: in quo ſenſu ſimiliter dicimus, non habere eſſe Filium naturalem Dei ratione humanitatis.

38 Secundò, negando antecedens de omnimodâ ſimilitudine: adhuc enim juxta illum ſenſum reduplicationis ſupra concretum hominis ex humanitate, & Perſonalitate Verbi, quæ eſt Filiatio Dei naturalis, diverſimodè ſe habent Perſonalitas, & Deitas: Perſonalitas nimirum, & Filiatio formaliter; Deitas verò diſtincta virtualiter à Perſonalitate, & à Filiatione, identicè propter realem identitatem cum Perſonalitate. Unde eſt, quòd reduplicatio illa, *ut homo*, adhuc cadens ſupra hominem concretè ſumptum, formalius dicat Perſonalitatem Verbi, quæ eſt ipſiſſima Filiatio, quàm Naturam, quæ eſt Deitas: ſicque in aliquo ſenſu formaliori dicatur: *Chriſtus, ut homo, eſt Filius naturalis Dei* quo non ita ſimiliter dicitur: *Chriſtus, ut homo, eſt Deus*: adhuc ſervato eodem modo reduplicandi. Sic ergo falſa eſt conſequentia.

39 Opponi ſolet hic ſyllogiſmus: *Chriſtus, ut homo, non eſt Deus: ſed qui non eſt Deus, non eſt Filius naturalis Dei: ergo Chriſtus, ut homo, non eſt Filius naturalis Dei.* Reſpondetur primò, conceſſis præmiſſis, negando conſequentiam ob defectum formæ ſyllogiſticæ: ad quam utique opus eſſet hac minori: *ſed qui, ut homo, non eſt Deus, non eſt Filius naturalis Dei.* Deficit itaque ſyllogiſmus in eo quòd medium Verbum, quod eſt prædicatum in majori, & ſubjectum in minori, ponitur in majori reduplicativè, & in minori ſpecificativè: ſicque variatur ſuppoſitio ejuſdem termini: ſicut in hoc ſyllogiſmo ſimiliter vitioſo. *Petrus, ut homo, non eſt admirativus: ſed qui non eſt admirativus non eſt rationalis: ergo Petrus, ut homo, non eſt rationalis.* Quemadmodum ergo aliud eſt, quòd qui non eſt admirativus non ſit rationalis, quod eſt abſolutè verum; aliud eſt, quòd, qui, *ut homo*, non eſt admirativus, non ſit rationalis, quod eſt reduplicativè falſum: ita ſimiliter aliud eſt, quòd qui non eſt Deus non ſit Filius naturalis Dei, quod eſt, abſolutè verum; aliud eſt quòd qui, *ut homo*, non eſt Deus, non ſit Filius naturalis Dei, quod in eo ſenſu reduplicativo dicimus eſſe falſum: nam ut quis, ut homo, ſit Filius naturalis Dei, ſufficit quòd, ut homo, ſit ſuppoſitum, quòd eſt Filius naturalis Dei. Ex ijs, ſi mavis, ad ſyllogiſmum nobis oppoſitum, conceſsâ majori, diſtinguo minorem: qui abſolutè non eſt Deus non eſt Filius naturalis Dei, verum: qui in aliquo ſenſu reduplicativo, *ut homo*, non eſt Deus, non eſt Filius naturalis Dei, falſum. Hanc autem minorem reduplicativam exigebat ſyllogiſmus ille, ut ritè procederet: quam tamen negaremus cum conſequentia.

40 Dices: qui abſolutè non eſt Deus abſolutè non eſt Filius naturalis Dei: ergo qui in ſenſu reduplicativo non eſt Deus in ſenſu reduplicativo non eſt Filius naturalis Dei. Si ergo Chriſtus reduplicativè, *ut homo*, non eſt Deus, reduplicativè, *ut homo*, non eſt

Filius

Filius naturalis Dei. Reſpondetur diſtinguendo primum conſequens: ſi ſenſus reduplicativus ſit unus,& idem,concedo; ſi duplex,& anceps,nego conſequentiam. Quamvis ergo in eodem ſenſu reduplicante ſupra abſtractũ humanitatis, in quo verum eſt: *Chriſtus, vt homo, non eſt Deus*, verum quoque poſſet eſſe: *Chriſtus,vt homo, non eſt Filius naturalis Dei*, ut obſervabam *num.34*: cum hoc tamen ſtat,quod in alio ſenſu aliter reduplicante ſupra concretum hominis, & à Theologis uſurpatiſſimo, dicatur etiam veriſſimè: *Chriſtus,vt homo,eſt Filius naturalis Dei*: quia nempe reduplicatiõ hæc denotat non nudum abſtractum humanitatis, ſed concretum ex humanitate,& ex Perſonalitate, quæ eſt Filiatio naturalis Dei præciſſim à Deitate. Unde nego ſecundam conſequentiam.

41 Inſiſtes firmiús. Adhuc in ſenſu huius ſecundæ reduplicationis præſcinditur à Deitate: ergo neque in hoc ſecundo ſenſu reduplicativo verum eſt, quód Chriſtus, *vt homo*,ſit Filius naturalis Dei. Antecedens eſt noſtrum. Probatur autem conſequentia. Filius naturalis, ut talis, dicit eſſentialiter ſimilitudinem in natura cum Patre; cùm ſit formaliter terminus generationis quæ eſt: *origo viventis à vivente à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ*: ſed Chriſtus,*vt homo*, adhuc in ſenſu reduplicante ſupra concretum ex humanitate,& Perſonalitate Verbi,non dicit,ut talis, ſimilitudinem in natura cum Patre: ſiquidem præſcinditur à Deitate,quæ eſt natura Patris, virtualiter diſtincta à Perſonalitate Verbi: ergo Chriſtus, *vt homo*, non eſt Filius naturalis Dei,adhuc in eo ſenſu ſic reduplicante.

Hurt. 42 Petrus Hurtadus *diſp.82.ſect.5.ſub ſect.11.* reſpondet, conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Ad cuius probationem ait, ſimilitudinem in natura Filij cum Patre requiſitam in definitione generationis naturalis non debere eſſe in natura numericâ,nec in ſpecificâ;ſed ſufficere generică. Sic autem, quamvis Chriſtus,*ut homo*,non dicat naturam Divinam Patris; dicit tamen cum Perſonalitate Verbi naturam humanam Chriſti: quæ generícé convenit,ſeu aſſimilatur naturæ divinæ Patris, in ratione naturæ intellectualis:quæ ſimilitudo genetica in natura ſufficit iuxta Hurtadum,ad hoc ut Chriſtus,*ut homo*, ſit ſimilis in natura Patri, prout requiritur in definitione generationis. Hæc reſponſio patitur difficultates,quas vide apud

Bernal. Bernal *diſp.66 ſect.2.§.6.*

43 Reſpondetur aliter ad probationem primæ conſequentiæ, conceſſâ maiori de contractiori,quam velis, ſimilitudine, negando minorem. Quamvis enim illa reduplicatio, *ut homo*, veluti præſcindat ex modo ſuo ſic reduplicandi á Deitate, non præſcindit à Perſonalitate Chriſti: quæ quidem realiter eſt non ſolum ſimilis, ſed eiuſdem etiam naturæ cum Patre: & facit quòd Chriſtus, *ut homo*, ſit ſuppoſitum, quod realiter eſt eiuſdem naturæ cum Patre: nam in ipſa Perſonalitate, quantũvis per rationẽ præciſsâ,aut virtualiter diſtinctâ à Natura Patris, involvitur realis identitas cum Natura Patris:quæ realis identitas cum natura eſt pluſquam ſimilitudo in natura,maiorque multò, quàm ut filij creati dicant cum ſuis Parentibus. Unde, quamvis Chriſtus, *ut homo*, non reduplicet ſupra naturam Patris, reduplicat ſupra concretum humanitatis,& Perſonalitatis, ſeu Filiationis Verbi, quod concretum eſt realiter ſuppoſitum eiuſdem naturæ Divinæ cum Patre. Nec eſt unde ad rationem Filij naturalis requiratur ulterior ſimilitudo.

44 Dices. Sic etiam Spiritus Sanctus eſſet Filius, & eius proceſſio generatio,contra Fidem: nam etiam eſt ſuppoſitum procedens à ſuo principio coniunctiſſimo in ſimilitudinem naturæ,cùm ſit eiuſdem naturæ cum Spiratore. Reſpondeo,me nunquam intelligere ſatis potuiſſe,in Spiritu Sancto deeſſe rationem Filij ex defectu ſimilitudinis in natura,nec ex defectu intentionis,ſeu propenſionis Spiratoris aſſimilandi ſibi in natura Spiritum Sanctum; nec quòd Spiritus Sanctus ex vi formalis proceſſionis non evadat Deus, & idem Deus, ut expendi *diſp.8.de Attrib. ſect.3.* Ubi dixi,requiri quidem in procedente ſimilitudinem in natura ad rationem Filij; minimé tamen id ſufficere; ſed ulteriùs requiri virtutem ulteriùs propagativam naturæ, ut ibi ex Magno Baſilio ſufficienter explicui. Unde, quamvis Spiritus Sanctus procedat ſimilis in natura, ſeu in ſimilitudinem naturæ, non exinde Filius eſt: quia non eſt ulterius propagativus naturæ in aliud ſuppoſitum. At Chriſtus,*ut homo*,cum formaliter dicat ſuppoſitum,quod realiter,eſt eiuſdem naturæ cum Patre,& ulteriús propagativum eiuſdem naturæ in aliud ſuppoſitũ Spiritûs Sancti,dicit quidquid opus eſt ad rationem filij naturalis Dei.

Tom.1. Diſp.8.

Baſil.

45 Nec ẽ re Theologicâ eſt quod dicat forſan aliquis, totum id non exprimi in conceptu formali Chriſti, *ut hominis*: inde inferens,quód Chriſtus,*ut homo*,præciſé ſub hoc conceptu non dicit rationem ſimilitudinis in natura,nec virtutis propagativæ,ac proinde nec Filij naturalis Dei. Hoc enim eſt extra præſentem Scopum: ſic namque nec, Chriſtus, *ut Deus*, eſt Filius naturalis Dei:

nam

ut dicere neceſſe eſt de quibuſcumque puri hominis obſequijs. meritiſſimé poterit adhuc Deus ea parvipendere, & digniora ſibique placentiora exigere, ut condigné placatus cenſeatur.

169 Reſpondetur ergo aliter ad objectionem *num. 163.* ex Lugo, Aldrete, Hurtado, Arriaga, & alijs, negando abſolutiſſimè antecedens contra Ripaldam, & alios. Ad probationem, diſtinguo majorem: purus homo poteſt ſibi, vel alteri non peccatori condigné mereri gratiam ſanctificantem, concedo; peccatori, nego: nam ex circumſtantia obſiſtentis peccati ita creſcit in ratione præmij infuſio gratiæ remiſſivæ peccati, ut non poſſit illi condigné æquivalere in ratione meriti obſequium non exæquans, aut excedens gravitatem peccati, obſiſtentis ex adverſo per modum poſitivæ indignitatis, ac demeriti, ne in tale ſubjectum introducatur gratia, & amicitia Dei: quam quidem Deus benè poſſet gratis infundere vincendo bonitate, & miſericordia ſua infinitâ indignitatem, & reſiſtentiam peccati; non tamen in præmium condignum obſequij puræ creaturæ.

Lug. Aldret. Hurt. Arriag.

170 Ad minorem dico, quód meritum condignum gratiæ eſſet condigné reconciliativum, & reſtaurativum divinæ amicitiæ, ſi mereretur condigné gratiam homini peccatori, quod negamus; non vero ſi dumtaxat homini non peccatori, quod concedimus. Quia reſpectu hominis non peccatoris non cauſat meritoriè gratiam, in circumſtantia peccati præexiſtentis, & demeritoriè reſiſtentis: ac proinde non cauſat gratiam, quæ ſit, aut prout eſt in actu ſecundo remiſsio peccati moraliter, & exercitè. Quinimó nec gratia intrinſecè ſanctificativa continet in ſe intrinſecé moraliter ejuſmodi remiſſionem; ſed pro caſu contingenti expellendi peccatum: cùm ex ſe gratia indifferens ſit, ut infundatur homini, aut præhabenti, aut non præhabenti peccatum. Unde, quamvis gratia phyſicé ex intrinſecis ſuis, utpotè puritas eſſentialiter incompoſibilis cum peccato mortali, talis ſit, ut deleat, expellat, extinguat, ac remittat peccatum, ſi infunditur à Deo in occaſione peccati præexiſtentis, nec antea jam remiſsi; at infundi in ea occaſione nõ eſt gratiæ natura, nec poteſt eſſe ex merito condigno puræ creaturæ, ſed, vel ex Dei voluntate, vel ex merito condigno Perſonæ infinitæ, vel ex merito congruo puræ creaturæ. Porró infundi in ea occaſione peccati graviter obſiſtentis eſt circumſtantia vehementer excellens gratiã in ratione præmij penes moralem æſtimationem. Sic medicamentum curativum peſtis ſemper magni fit, ſed multó pluris graſſante peſte, & plurimi, jam contractâ peſte. Hinc negatâ ultima conſequentia, evaneſcit objectio tota.

171 Adverſús hanc tamen reſponſionem occurrunt tria. Primum: Majus beneficium eſt in ratione boni perſeverantiæ finalis juſti in gratia habens ſibi conjunctam gloriam, quâ fit impeccabilis homo, quàm remiſsio peccati per gratiam facile amiſsibilem: ſed poteſt purus homo ſibi, vel alteri juſto condignè mereri perſeverantiam; ergo à fortiori gratiam, & remiſsionem peccatori. Secundum: Majus bonum, ac beneficium eligibilius eſt præſervatio ab omni peccato, quàm remiſsio peccati jam contracti, ut dici ſolet de B. Virgine: cui utique melius fuit præſervari, nè laberetur, quàm fuiſſet, lapſam reparari: ſed pura creatura poſſet condigné mereri beneficium illud præſervationis: ergo à fortiori poſterius iſtud remiſsionis. Tertium: Purus homo poſſet à Deo conſtitui morale caput aliorum etiam peccatorum, eâ lege, ut merente gratiam capite, membra gratiam etiam reciperent, & remiſſionem: ad modum quo conſtitutus fuit Adamus caput poſterorum, in quo peccante peccarent: Sic ergo condignè ſibi merens gratiam purus ille homo juſtus; mereretur condigné gratiam, & remiſsionem alijs peccatoribus.

172 Reſpondetur tamen ad primum, conceſsâ majori, & admiſsâ minori, negando conſequentiam. Nam hoc non eſt pendendum pro majoritate beneficij utcumque; ſed ſimul cum alijs circumſtantijs illud afficientibus moraliter, illúdque adaugentibus in ratione præmij reſpectu meriti. Ratio autem beneficij, ſeu boni, & ratio præmij diverſiſsimæ ſunt. Una autem ex circumſtantijs beneficij remiſsionis eſt poſitiva indignitas peccati obſiſtentis, non aliter exæquanda meritoriè niſi per obſequium æqué ſaltem placens, & bonum, ac eſt diſplicens, & malum peccatum obſiſtens. In humanis certé obſequium, quo quis poſſet condignè mereri ſibi, vel alteri benevolentiam Principis, non eo ipſo illam condigné mereretur homini poſitivè indigno per offenſas graves contra Principem, cuius dignitatem, & amicitiam impudenter contempſiſſet, & vili mancipio appretiativé poſtpoſuiſſet.

173 Ad ſecundum: concedo ſimiliter majorem cum ſua probatione: & admiſsâ minore, nego conſequentiam, ob eamdem rationem. Quia beneficio remiſsionis, quamvis ſecundum ſe ſit minus, ne tamen concedatur peccatori, obſtat moraliter indignitas po-

positiva sui peccati : cui indignitati præponderare, aut saltem æquiparari moraliter debet obsequium meritorié nanciscens illud, ut dicatur illud condignè mereri, sicut ut dicatur pro gravitate peccati remittendi condignè satisfacere.

174 Ad tertium, distinguo antecedens: eâ lege, ut merente gratiam tali capite, membra etiam constituta in peccato, gratiam reciperent ex merito condigno talis capitis, nego antecedens : impossibilis est enim talis lex ob impossibilitatem condignitatis obsequij meritorij talis puri hominis cum præmio gratiæ remittentis peccatum : ea lege, ut merente gratiam tali capite, membra etiam constituta in peccato gratiam reciperent ex pacto, vel alio titulo citra meritum condignum talis capitis, concedo antecedens : hoc enim non est cur negemus possibile divinæ liberalitati. Sicque nulla est consequentia.

***

DE PERFECTIONIBVS CHRISTI.

EGIMVS hactenus de ijs, quæ pertinent ad Incarnationem Divini Verbi, quasi in fieri, quæ solet esse prior Pars huius Tractatûs. Agendum iam est de Incarnatione, quasi in facto esse, quæ solet esse Pars posterior: scilicet de Christo per Incarnationem resultante, & de ipsius Perfectionibus, Proprietatibus, Dotibus, Gratijs, Virtutibus, & Operibus. Aliqua de Christo, ut de termino totali Incarnationis, quæ huc pertinerent, necesse fuit præmittere *disp.* 2. præsertim *sect.* 1. 2. & 8. Nunc ordine suo de reliquis.

Supra disp. 2.

DISPUTATIO IX.

DE FILIATIONE, ET PRÆDESTINATIONE Christi.

2 ET primò quidem de ipsius Filiatione, & Prædestinatione. Quæ duo simul in unam Disputationem conjeci: quia Paulus *Roman.* 1. ea duo simul edocuit de Christo: *Qui prædestinatus est Filius Dei.* *Rom. 1.*

SECTIO I.

Fides Catholica de Filiatione Christi: contra varios Hæreticorum errores.

3 DE Fide est primò, Christum esse Filium naturalem Dei verum, & proprium. Hæc fuit solemnis illa, & à Christo laudatissima confessio Principis Apostolorum suo, & aliorum nomine, Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Hæc vox illa de nube ex ore Altissimi, scilicet Æterni Patris, Matt. 17: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Unde Symbolum Nizenum adversùs Arium huius veri- *Matt. 16 & 17.* *Symb.*

Digitized by Google

veritatis hostem infensissimum, Divinitatem, naturalemque Dei Filiationem Christi denegantem, credere nos instruit: *in Iesum Christum Filium eius Unigenitum. Eius*, id est, Patris omnipotentis: ut non sic intelligamus, Christum esse Filium naturalem totius Trinitatis, sed solius Patris.

4 De Fide est secundò, Christum esse Filium naturalem, & proprium Sanctissimæ Mariæ Virginis. Luc. 2. *Peperit filium suum primogenitum*: do quo mox Angelus ad Pastores: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus.* Et Ioann. 5: *Erat Mater Iesu ibi.* In hoc fuit hæresis Manicheorum, & Marcionistarum: qui negantes Christum fuisse verum hominem, negabant, fuisse verum Filium Mariæ: & alia Hæresis Apollinaristarum, qui, quamvis crederent Christum fuisse verum hominem, negabant tamen ex Mariæ substantia conceptum dicentes, per eam, non aliter, ac per canalem ad nos è cœlo missum: ac proinde, non fuisse veré Filium Mariæ. Contra quod stat Nicena Fides: *Incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine.*

Luc. 2. Ioan. 7. Manich. Marcio. Apollin. Symb.

5 De Fide est tertiò, Christum, quamvis nominetur interdum in Evangelijs Filius Ioseph, & Ioseph Pater Christi. Ioann. 6. *Nonne hic est Filius Ioseph?* & Luc. 2. *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*: Et iterum: *erant Pater, & Mater eius mirantes*; non tamen fuisse Patrem Christi proprium, & naturalem, ut erraverunt turpiter, Ebionitæ, apud Suar. *tom. 2. in 3. p. disp. 5. sect. 1.* sed existimatum, & putativum: ut explicatur Luc. 3. *Putabatur Filius Ioseph.* & modo singularissimo, quem significavit eximiè Suarez *disp. 8. sect. 1.* ibi: *Non solùm, Patris Christi nomen, sed etiam rem, quæ huic nomini subest, participasse, quantum, exceptâ carnali generatione, ab homine participari potest.* Quatenus scilicet Christus fuit veré Filius naturalis, & legitimus Virginis Iosepho desponsatæ, & rato matrimonio conjunctæ. Pertinet hoc ad articulum Virginitatis Deiparæ Mariæ, nullius virtute viri, sed virtute Spiritûs Sancti divinitûs Christum enixæ: ut est in Symbolo: *Qui cõceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.* Virgine, inquam, ex Fide ante, in, & post partum, ut contra impuros Ebionitarum, & Helvidij errores definierunt jam olim Concilia Ephesinum, Chalcedonense, & præter Synodos quintam, & sextam generales, primum, sextum, & undecimum Toletanum apud Suarez *disp. 5. sect. 1.*

Ioan. 6. Luc. 2. Ebion. Suar. Luc. 3. Suar. Suar. Symb. Ebion. Concil. Ephesin Chalced. Toletan. Suar.

6 De Fide est quartò, Christum fuisse Filium quoque Davidis, Abrahami, & aliorum Progenitorum Mariæ Virginis: ut est Matt. 1. *Iesu Christi, Filij David, Filij Abraham.* Non immediatè, sed mediatè: in eo nempè sensu, quo in litteris divinis, etiam, & in humanis, veniunt perlæpè sub Filiorum vocabulo nepotes, pronepotes, & deinceps series continuata posterorum.

Matt. 1.

7 De Fide est quintò, Christum non esse Filium Dei purè adoptivum: in sensu scilicet Arianorum, & Nestorianorum. Non in sensu Arianorum: quippè Christum puram creaturam asserebant, ac proinde non Deum, nec Filium naturalem Dei, Deoquè consubstantialem: ideòque adoptabilem, & re ipsa adoptatum à Deo in Filium per gratiam habitualem, sicut cæteri homines sancti, quamvis minus sancti. Non in sensu Nestorianorum: quippè, quamvis Christum verum Deum, ac Filium Dei naturalem asserent in duplicitate Naturæ, divinæ scilicet, & humanæ; erraverunt tamen in eo quòd insuper asserebant, esse quoque in duplicitate Personæ: talitèr, ut essent in Christo duæ Personæ divina, & humana: & in illo Personam divinam non esse intrinsecè physicè unitam naturæ humanæ; sed extrinsecè, & moraliter per affectum, & amorem eximium, quo Persona divina humanam sibi affiliavit adoptans singulariter in Filium illum hominem repertum in Christo, quem propterea dicebant Filium Dei adoptivum, quasi extrinsecè tantùm, & moraliter à Persona divina sibi affiliatum. Hujus Nestoriani erroris fuisse in Hispania Felicem, & Elipandum, illum Urgelitanatum, istum Toletanum Antistites, probant eruditè Suarez *disp. 49. sect. 3.* & locupletiùs Bernal *disp. 64.* contra Vasquez, & Hurtadum.

Felix. Elip. Suar. Bern. Vasq. Hurt.

8 Quoad primum sensum, dicere Christum esse Filium Dei purè adoptivum, est error damnatus contra Arium post Concilium Nizenum à Synodis Generalibus quartâ, quintâ, & sextâ ex Scripturis Sanctis, ut vidimus *num.* 4. quia hoc est negare Christo naturalem Filiationem Dei.

9 Quoad secundum sensum, est etiam error damnatus contra Nestorium in Concilijs Alexandrino, & Ephesino, & in quarta, & sextâ Synodo Generali: & deinde contra Felicem, & Elipandum in Concilio Francofurtensi, & ab Adriano Papa in Epistola decretali ad Episcopos Hispaniæ: quia hoc erat negare veram, & intrinsecam assumptionem naturæ humanæ in unitatem Personæ divini Verbi: de quo egimus *disp. 2 sect. 1.*

Cone. Alex. Ephes. Syn. 4. & 6. Francof. Adrian Supra disp. 2.

10 His ex certâ Fide contra tot subortos errores præsuppositis, superstant non pauca inter Catholicos disputanda, ut in re dogmati-

matice̅ puriorem veritatem, Fideique cùm in re, tùm in modo loquendi conformiorem, assequamur.

SECTIO II.

An, & quâ ratione, Christus, ut homo, seu in quantum homo, sit Filius naturalis Dei.

11 EA reduplicatio, *ut homo*, seu, *in quantum homo*, hanc difficultatem movit, & obscuravit. Nam specificativé hominem in Christo verè dici, ac esse Filium Dei naturalem, Fide constans est *ex num. 4.* saltem per idiomatum communicationem, eâ videlicet veritate, qua dicitur etiam ex Fide in Christo: *Homo est Deus*, ut vidimus *disp. 2. sec. 7.* Sic enim citra dubium etiam est, quòd specificativé, & absolutè Christus, & in Christo Homo, est Filius Dei: quia non quodcumque est Persona, quę est Deus; sed est secunda Trinitatis Persona, quæ est Filius Dei. Quo etiam modo si Prima incarnaretur, homo ille esset Pater; & similiter si Tertia, homo ille esset Spiritus Sanctus.

Supra disp. 2.

12 Iam verò de Christo, *ut homine*, reduplicativé, ratio dubitandi est. Quia, quamvis in Christo verè dicatur: *Homo est Deus*; non tamen verè dicitur reduplicativé: *homo, ut homo*, seu *Christus, in quantum homo, est Deus*, ut monuimus *disp. 2 sect. 7. num. 109.* quandoquidem reduplicatio cadit supra humanitatem, quæ nec est Deitas, nec Deus. Similiter ergo, quamvis verè dicatur in Christo: *Homo est Filius naturalis Dei*; non tamen verè dicetur: *Homo, ut homo*: seu; *Christus, ut homo, est Filius naturalis Dei*: quia eadem etiam reduplicatio cadit supra humanitatem: quæ sicut, nec est Deitas, nec Deus; sic nec est Filiatio Dei, nec est filia naturalis Dei.

Supra disp. 2.

13 Propter hoc est aliquorum sententia negantium, Christum, ut hominem reduplicativè esse Filium naturalem Dei. Sed diversimodè id negant. Durandus, & Scotus cum Sectatoribus non paucis, quos inter Rada, apud Coninc *disp. 24. dub. 2.* & è Recentioribus Scotistis Franciscus Felix, *cap. 19 diffi. 1.* eatenus negant, Christum ut hominem esse filium naturalem Dei, quatenus affirmant, Christum, ut hominem esse Filium Dei adoptivum. Sed contra hoc agemus specialiùs *sect 4.* Alij eatenus negant Christum ut hominem, esse Filium naturalem Dei, quatenus, negando etiam, esse Filium adoptivũ, affirmant, ut hominem, esse Filium proprium Dei: quod est tertium quoddam genus Filiationis, nec naturalis, nec adoptivæ; sed quasi mediæ inter utrumlibet, & supra adoptivam. Sic latè, & eruditè P. Bernal *disp. 65. & 66.* cui magna ex parte adhæret Magister Lumbier *quæst. 38. art. 3.* citans *num. 215.* pro Bernalis sententia, nescio quo jure, Incognitum *super Psalm. 136.*

Durand. Scotus. Rada. Coninc. Felix.

Bernal. Lumb. Incog.

14 Alij taliter negant Christum, ut hominem esse Filium naturalem Dei, ut eũ negent esse adoptivum, nullâ facta mentione de alia Filiatione: ficque sentire videntur, quòd, quamvis Christus absolutè, & specificativé sit Filius naturalis Dei; reduplicativè tamen, *ut homo*, seu, *in quantum homo*, nõ ita,

15 Conclusio nihilominus communior, & omninò tenenda est, Christum, ut hominem, esse Filium naturalem Dei. Sic S. Tho. Suarez, Vasquez, Lugus, Coninc, Granadus, Bonæspei, & passim alij. Hurtadus *disp. 85. sect. 5.* censuit nimis rigidè id sub prædictis terminis esse de Fide. Ego saltem non audeam id subtristis terminis negare: quamvis non negavérim, ejusmodi reduplicationem posse trahi, extra rem tamen, in aliquem sensum dialecticum, in quo negari id posset, ut explorabitur *sec. 3. & 4.*

S. Thom. Suar. Vasq. Lug. Conine. Gran. Bonæsp. Hurt.

16 Probatur primò ab Auctoritate in ijs de Filiatione Christi punctis celeberrimâ Adriani Papæ in Concilio Francofurtensi contra Fœlicem, & Elipandum ad Episcopos Hispaniæ. Statuerant ex variis Scripturæ locis Papa, & Concilium, Christum esse proprium, seu, quod idem sine dubio est, Filium naturalem Dei. Quoniam verò Fœlix, & Elipandus assertores Filiationis adoptivæ Christi, ut hominis, tergiversabantur dicentes, illud dogma Filiationis naturalis intelligi debere de Christo, ut Deo; non de Christo, ut homine, instat Pontifex pro Christo, ut homine, ex Verbis Apostoli ad Romanos 8. sic scribens: *Hinc Paulus electionis vas ait: Proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum: scimus enim, quia non est traditus secundum divinitatem; sed secundum quod homo verus erat, illum nimirum, qui traditus est, id est hominem ipsum, Apostolus proprium Dei Filium protestatur.* Profectò, aut nihil concludit Adrianus ex verbis Pauli contra effugium Fœlicis, & Elipandi, quos perstringebat; aut liquidò cõcludit, non utcumque Christum, verùm etiam Christum, *ut hominem*, esse Filium Dei naturalem. Discurrit enim Pontifex ex Apostolo, Christum fuisse à Deo pro nobis traditũ, *secundum quod homo verus erat*: infertque, sub ea ipsa reduplicatione fuisse Filium Dei: *qui proprio Filio suo non pepercit; sed pro*

Adrian. Francof. Rom. 8.

no-

nobis omnibus tradidit illum: Filium scilicet, non adoptivum, ut dicebant Fœlix, & Elipandus, sed *proprium* : quod in Apostolo, & in Concilio pro Filio naturali sumi citra dubium mihi, est ut mox expendo contra P. Bernal. Concluditur ergo ex verbis Pauli, & ex Conciliari Adriani expositione, Christum etiam reduplicativé, *ut hominem*, seu, *secundum id quod homo verus erat*, esse Filium naturalem Dei.

17 Hinc secundò probatur à ratione. Quia Christum Deum hominem amplectentem Verbum verum, & verum hominem, quantumvis in dualitate Personæ, & sine unione physicâ, ut errabant Nestoriani, esse Filium naturalem Dei, adhuc admissis supradictis erroribus salvaretur: siquidem complexum illud dicit ex uno extremo Personam Verbi quomodolibet unitam humanitati: quæ persona verè Filius naturalis est. Nos ergo, ut in hoc puncto Filiationis naturalis Dei in Christo aliquid dicamus, quod in suo errore salvare non possent Nestoriani; sentire & dicere debemus, non modò Christum specificativé sumptum, sed sumptum etiam reduplicativè, *ut hominem*, esse Filium naturalem Dei. Quo physicam, & intrinsecam assumptionem humanitatis in unitatem Personæ Filij naturalis Dei, prout oportet, contra Nestorianos proficeamur.

18 Probatur tertiò. Christus, *ut homo*, est Filius Dei: sed ut homo non est Filius Dei adoptivus: ergo sub hac eâdem reduplicatione, *ut homo*, est Filius Dei naturalis. Major habetur ut dogma Fidei à Patre Bernal, & alijs. Minor est ita certa, ut post Adrianum, & Concilium Francofurtense, Vasquez *disp. 80. cap. 12.* & Bernal *disp. 65. sect. 4.* iudicent etiam esse de Fide. Absolutè saltem, & sine explicatione nequit absque censurâ negari: de quo nos *sect. 5.* Idcircò consequentiam, quæ est nostra, & communis conclusio, judicavit Petrus Hurtadus esse quoque de fide: quam nec ipse propterea auderem negare, ut fassus sum *num. 15.*

Bernal. *Vasq.* *Bernal.*

19 Illam tamen negat. P. Bernal concessis, uti de Fide præmissis, aliam meditatus rationem Filij, nec adoptivi, nec naturalis; scilicet Proprij, sicque ait, quòd quamvis certum sit, Christum, ut hominem, esse Filium Dei; & certum quoque sit, ut hominem non esse Filium Dei adoptivum; non inferri, ut hominem, esse Filium Dei naturalem; sed aut naturalem, ut nos defendimus; aut proprium, ut ipse meditatur.

Bernal.

20 Pro quo suo cogitatu multa congessit eruditè. Primò, testimonium Apostoli: *Proprio Filio suo non pepercit.* Secundò, eamdem phrasim idemtidem repetitam ab Adriano Papa in Epistola Conciliari citatâ, ubi sæpesæpiùs vocatur Christus, *ut homo*, Filius *proprius* cõtrapositè ad adoptivum, quin fiat mentio de Filiatione naturali. Tertiò, eamdem phrasim usurpatam à S. Hilario *lib. 6. de Fide ad finem*, & ab eodem Concilio Francofurten. *in Sacrosyllabo, column. 4.* Non, ergo recusari debet vocabulum Filij proprij, seu Filiationis propriæ contrapositè ad adoptivam.

Roma. *Adrian.* *Hilar.* *Francof.*

21 Ego quidem non recuso vocabulum Filij proprij, sanctissimè toties usurpatum à Papa, à Concilio, ab Ecclesiæ Patribus, & ab ipso Apostolo. Recuso tamen, quod est mihi prorsus incredibile, nomine Filij proprij contrapositè ad adoptivum, venisse unquam illis Patribus, aut Apostolo in mentem aliud, nisi Filium naturalem. Mirum profectò esset, quòd in controversia illa celebri de Filiatione Christi hinc, & inde ventilatâ à Papa, & à Concilio, contra Fœlicem, & Elipandum, non fieret saltem mentio filiationis naturalis; sed semper sit sermo de filio proprio contrapositè ad adoptivum. Quare mihi indubium est, Papam, & Concilium ex verbis Apostoli usurpasse aptissimè nomen filij proprij pro Filio naturali. Contra quod debebat probare Bernal, filium proprium in eorum utatissimâ phrasi, quam ultrò amplectimur, non esse idem, ac filium naturalem contrapositè ad adoptivum; sed esse tertium quoddam genus filiationis propriæ contrapositè ad adoptivum, & naturalem: quod nec leviter probatur, nec in re tanti ponderis debet, aut potest liberè supponi.

22 Propterea duo mihi maximè displicent in hac mediâ sententia Patris Bernal. Primum, quod ait, rationem specialem prædictæ mediæ filiationis propriæ esse gratiam substantialem unionis hypostaticæ, quâ Christus non utcumque sanctificatur sicut nos per gratiam accidentalem facientem nos filios adoptivos, & hæredes Dei; sed intimiùs multò, & conjunctiùs faciendo Christum hæredem universorum, & intrinsecè uniendo humanitatem Deo in unitatem Personæ; ac proinde non faciendo filium adoptivum, sed proprium. Secundum, quod inde deducit, per ejusmodi filiationem, non solùm esse Christum, ut hominem, filium proprium Patris Æterni, sed æquè totius Trinitatis: ad modum quo per gratiam ordinariam simus nos filij adoptivi non solius Patris Æterni, sed Filij etiam, ac Spiritûs Sancti.

23 Displicet, inquam, primum. Quia non quælibet conjunctio, seu intimitas cum Deo est ratio filij proprij Dei: ut patet in

intimitate summâ Spiritûs Sancti ad Patrem, & Filiũ, multò strictiore sine dubio quàm sit gratia habitualis nostra, aut unio hypostatica Christi: ergo ex intimitate, seu conjunctione substantiali unionis hypostaticæ ad Deum non ritè infertur apta ratio proprij filij Dei. Certè, si semel deflectimus à rigore definitionis filij naturalis, & infra istam admittimus rationem filiationis propriæ, qualem adinvenit P. Bernal; nescio equidem, quâ ratione negabitur Spiritui Sancti ratio hæc filiationis propriæ. Unde datur ansa dicẽdi à fortiori, Spiritum Sanctum esse Filium Patris, & Filij: non quidem filium naturalem, sed proprium contrapositè ad adoptivum, ad quem requiritur extraneitas Personæ. Quod est absurditissimum inconveniens huius tententiæ, dignè ponderatum à Cardinali de Lugo *nu 9.* *Lug.*

24 Displicet secundum. Quia Christũ, ut hominem, dici Filium trium Personarum Trinitatis, nisi in ea dumtaxat abusivâ generalitate, qua totus Deus dicitur Pater pluviæ, Solis, aliarumque rerum, videtur parùm consonum Scripturæ, Conciliis, Patribus, & communi Fidelium sensui. Francofurtensè impensè differens de Filiatione Christi, ne verbum quidem habet, unde Christus existimari possit filius naturalis, aut proprius Spiritûs Sancti, aut totius Trinitatis, sed solius Patris Æterni per generationem æternam, & solius B. Virginis per generationem temporalem. Et Scripturæ, quibus utitur ad stabiliendum, Christum Filium Dei non adoptivum, sed naturalem, & proprium; sunt illæ ipsę, quibus probatur Divinum Verbum esse filium: ac proinde solùm faciunt ad probandum Christum esse filium Æterni Patris. Velle autem, ex ipsis Scripturis adstruere genus aliud filiationis, quà quælibet trium Personarum sit verè & propriè Pater Christi, quaquè Spiritus Sanctus æquè, ac Pater Æternus sit verè, & propriè Pater Christi, ut hominis, & consequenter per communicationem idiomatum sit, dicique valeat Pater Verbi; mihi quidem durissimum est, & genuino sensui Scripturarum repugnantissimum. Hinc Concilium Toletanum 11. ait, Christum nullo modo Spiritûs Sancti Filium credi, vel intelligi posse, ex Augustino scilicet dicente *cap. 18. Enchirid. Natus est Christus de Spiritu Sancto non sicut Filius: & de Maria Virgine sicut Filius.* Unde S. Thom. *3. p. quæst. 32. ar. 3.* differtè docet, Christum non debere dici filium Dei, nisi solùm *ratione generationis æternæ, secundum quam est Filius Patris: & ideo nullo modo debet dici Filius Spiritûs Sancti, aut totius Trinitatis.* Quibus *Francof.* *Toletan.* *August.* *S. Tho.*

multa subjungit eruditè Petavius, ex SS. Patribus in Dogmatibus de Incarnation. *lib. 7. cap. 5.* *Petav.*

25 Ex ijs firma manet consequentia syllogismi valdè Theologici à nobis formati *num. 18.* & repulsa media illa cogitatio Patris Bernal de filio proprio, nec adoptivo, nec naturali: ac proinde constabilita nostra conclusio, quòd Christus, *ut homo*, est verè filius naturalis Dei.

26 Repellenda indidem est aliorum sententia, qui nobiscum docent, Christum, ut hominem, esse filium naturalem Dei; & cum Bernal docent, esse filium totius Trinitatis, Patris, Verbi, ac Spiritûs Sancti. Quippè putant, formam istius filiationis naturalis, qua Christus, ut homo, est filius naturalis Dei, non esse generationem æternam; sed gratiam singularem creatam Unionis hypostaticæ: quæ, cùm respectu humanitatis sit gratia non accidentalis ficut nostra habitualis ordinaria; sed substantialis, intrinsecè, & physicè conjungens humanitatem cum Deo, facienſque Christum hæredem universorum; non facit Christum, ut hominem, filium adoptivum Dei, sicut nos Deo extraneos facit filios adoptivos gratia accidentalis; ac proinde facit Christum, ut hominem, filium naturalem Dei. Ita Suarez Vasquez, Conine, Martin. Perez, quibus acquiescere videtur P. Thyrsus *tom. 2. select. disp. 21. sec. 3.* *Suar.* *Vasq.* *Conine.* *Perez.* *Thyrs.*

27 Ego tamen acquiescere non possum. Solùm enim differunt à P. Bernal in modo loquendi, quo nobiscum dicunt, Christum, ut hominem, esse filium naturalem Dei. De cœterò autem volunt primò cum Bernal, Christum esse filium trium Personarum: quod satis repulimus ex Scripturis, Conciliis, & Patribus *num. 14.* Volunt secundò cum eodem, filiationem istam, quam Bernal vocat propriam, & ipsi vocant naturalem, esse gratiam creatam substantialem Unionis hypostaticæ: quod est contra S. Thomam ibidem citatum, differtissimè, & verissimè asserentem, Christum esse solum filium Æterni Patris *ratione generationis æternæ*; Spiritûs autem Sancti, *nullo modo.* Et contra rationem: quia unio hypostatica non est forma, qua Christus, *ut homo*, procedit similis in natura Deo; sed, qua humanitas unitur Deo in unitatem Personæ: hoc autem est omninò extra conceptum Filiationis naturalis. Nec refert, quòd substantialiter, & multò eminentiùs, quàm gratia accidentalis fundet ius hæreditatis. Quamvis enim istud ius pertineat ad rationem filiationis; non tamen sufficit ad rationem filiationis: nam multi non filij habent jus ad hæreditatem. *S. Thom.*

SEC-

SECTIO III.

Secunda nostra conclusio: & responsio ad rationem dubitandi.

28 Conclusio 2. Christus, *ut homo*, est Filius naturalis Dei: nō triū Personarū Divinarum, sed Patris divini: & quidem per generationem æternam, qua Verbum procedit à Patre. Tripartitam istam conclusionem tradunt S. Thom. supra citatus, S. Bonav. & utriusque Magister Alexander Alensis, Gabriel, Albertus Magnus, & alij, quos citant, & sequuntur Basil. Legionensis *tom. 1 variar. relect. 4.* Curiel *lib. 2. contr.* 2. Cardinal. de Lugo *disp. 31.* & Aldret. *disp. 86.*

S. Thom. Bonav. Alens. Gabriel. Albert. Legion. Curiel. Lugus. Aldret.

29 Primam partem probavimus *à num.* 16. Secundam *num.* 24. Tertiam vidimus expressam in S. Thom. in eodem *num.* 24. & 27. Et ulteriùs eam probo. Quia Christus, *ut homo*, est Persona: sed non alia persona, nisi Filius naturalis Dei, qui per generationem æternam procedit à Patre: ergo Christus, *ut homo*, est Filius naturalis Dei per generationem æternam, qua Verbum procedit à Patre.

30 Hinc clariùs. Christus, *ut homo*, cōcretè, dicit formaliter constitutivè aliquam subsistentiam: non creatam, ut est de fide: ergo increatam: non increatam Patris Æterni, aut Spiritûs Sancti: ergo subsistentiam, seu Personalitatem increatam solius Verbi, quæ formaliter est Filiatio ipsa naturalis, qua nempe Verbum, & solum Verbum est Filius Patris solius per generationem æternam, quæ est ipsa Filiatio, ipsa Personalitas, ipsa Relatio Divini Verbi, ut suppono cum probatissimis Auctoribus *ex Disputationibus de Trinitate*: ergo Christus, ut homo, concretè sumptus juxta præsentem constitutionem hujus hominis Christi, dicit formaliter constitutivè Filiationem naturalem, & generationem æternam Dei: & non sic dicit Paternitatem, nec Spirationem passivam. Ergo igitur quomodo, *ut homo*, sic constitutus, est Filius naturalis Dei per æternam generationem, utpotè sic concretè constitutus, & significatus, dicens formaliter Filiationem Dei æternè per ipsam generantis filium, qua formaliter constituitur Christus concretè homo in tempore assumptâ de novo hypostaticè humanitate à Personalitate Filij Dei.

31 Qua eâdem ratione alius Christus constitutus ex Personalitate Patris, assumente humanitatem, non esset Filius Dei, sed Pater Dei; &, *ut homo*, Pater Dei; & alius constitutus ex Personalitate Spiritûs Sancti assumente humanitatem, non esset Filius Dei, nec Pater Dei; sed esset Spiritus Sanctus, & *ut homo*, Spiritus Sanctus.

32 Major illa propositio, unde sumpsit exordium nostra probatio *num* 29. traditur communiter à Theologis cum S. Thom. *qu. 16. art. 1.* & ibi in Commentario à Suar. & ibidem à P. Vasquez *disp. 69.* ita asseverantes, ut dicat *num. 7.* hanc propositionem: *Christus, in quantum homo, est Persona*: in nullo sensu, quem verba propriè reddere possunt, esse falsam: ac proinde esse simpliciter veram, & concedendam. Sic etiam Cardin. de Lugo *disp. 23. sect. 6.* & reliqui communiter. Quòdsi veteres aliqui illam negarunt, explicabant se in sensu, quem propositio absolutè prolata non reddit: scilicet reduplicando supra humanitatem, quasi supra formā constituentem Personam: quo sensu, nec Petrus, ut homo, est persona.

S. Thom. Suar. Vasq. *Lug.*

33 Nihilominus P. Thyrsus *tom. 2. select. disp. 28. sect. 2.* illam negat: non solùm in sensu Durandi, eatenus intelligentis, Christum, ut hominem, non esse Personam, quatenus reduplicatio fit supra humanitatem, à qua non sumitur ratio formalis Personæ; sed cadente etiam reduplicatione supra concretum ex humanitate, & Personalitate Verbi. Contra quem tamen abundè probata manet illa nostra major *disp. 2. sect. 8.*

Thyrs.

34 Pro responsione ad rationem dubitandi positam *sec. 2. nu. 13.* observandum est, quòd jam tetigimus *loc. cit.* ex doctrina S. Thom. apud Cardin. de Lugo *disp.* 31. & latiùs *disp. 28. sect. 6.* reduplicationem illam, *ut homo, seu, in quantum homo*, in Christo, interdum cadere supra abstractum humanitatis contradistinctim à Natura, & à Personalitate divinâ, ut cum dicimus; *Christus, ut homo, moritur*, significando, mori ratione humanitatis. Interdum verò cadere supra concretum Personæ, seu suppositi, constitutum ex humanitate, & Personalitate contradistinctim à Natura divinâ: ut cum dicimus, *Christus, ut homo, est subsistens*: non quidem significando Christum esse subsistentem per humanitatem, seu ratione humanitatis: hoc enim esset omninò falsum, ut supposuimus *sect. precedenti*; sed significando, esse subsistentem ratione involutâ in concretò constituto ex humanitate, & ex personalitate Verbi; prout virtualiter condistinctâ à Naturâ divinâ: quam Naturam simul cum Personalitate, & cum humanitate complectitur, & significat specificativè *Christus*.

Suprà disp. 2. *S. Thom. Delug.*

35 Hinc ad rationem dubitandi, concedo antecedens, & distinguo consequens: non verè dicetur: *Christus, ut homo, est Filius naturalis Dei*, in sensu similiter reduplicante supra abstractum humanitatis, concedo: sic autem procedit paritas argumenti: in sensu aliter reduplicante supra concretum ex humanitate, & ex Personalitate Verbi, quæ est ipsa Filiatio naturalis Dei, nego consequentiam: in hoc enim sensu verissimè dicitur: *Christus, ut homo, est Filius naturalis Dei*: quia involvit reduplicatio ipsa formaliter Filiationem naturalem Dei, nempè subsistentiam Verbi, ex qua, & ex humanitate consurgit constitutivè homo, qui est in Christo. Quemadmodum in eodem sensu dicebamus *disp. 2. sect. 8.* Christum, ut hominem, esse subsistentem, suppositum, & Personam. Atque hic est planissimus sensus illius propositionis: *Christus, ut homo, est Filius naturalis Dei*: id est: *ut homo*, est suppositum, seu Persona, quæ est Filius naturalis Dei: Dei scilicet Patris per generationem æternam; non verò sic Filius Filij, nec Spiritûs Sancti.

Supra disp. 2.

36 Dices: juxta huiusmodi sensum similiter est verum dicere reduplicativè: *Christus, ut homo, est Deus*: contra quod diximus *disp. 2. sec 7.* sic ergo non salvamus, esse verum, in aliquo sensu, *Christus, ut homo, est Filius naturalis Dei* potiùs quàm, *Christus, ut homo, est Deus*. Antecedens probatur: quia juxta nostram explicationem Christus, ut homo, est suppositum quod est Deus, sicut est suppositum, quod est Filius naturalis Dei. Respondetur dupliciter.

Supra disp. 2.

37 Primò, concedendo antecedens, & negando, id esse contra quod diximus *loc cit.* Nam præsens sensus est reduplicando supra concretum hominis, quod est constitutum ex humanitate, & ex supposito Verbi seorsim virtualiter à Naturâ divinâ: at quando ibi negavimus illam reduplicativam: *Christus, ut homo, est Deus*: sensus erat reduplicando supra abstractum humanitatis seorsim, seu præcisim ex vi illius modi reduplicandi, & significandi à Personalitate, & à Naturâ divinâ: quod est dicere, non habere esse Deum ratione humanitatis: in quo sensu similiter dicimus, non habere esse Filium naturalem Dei ratione humanitatis.

38 Secundò, negando antecedens de omnimodâ similitudine: adhuc enim juxta illum sensum reduplicationis supra concretum hominis ex humanitate, & Personalitate Verbi, quæ est Filiatio Dei naturalis, diversimodè se habent Personalitas & Deitas: Personalitas nimirum, & Filiatio formaliter; Deitas verò distincta virtualiter à Personalitate, & à Filiatione, identicè propter realem identitatem cum Personalitate. Unde est, quòd reduplicatio illa, *ut homo*, adhuc cadens supra hominem concretè sumptum, formalius dicat Personalitatem Verbi, quæ est ipsissima Filiatio, quàm Naturam, quæ est Deitas: sicque in aliquo sensu formaliori dicatur: *Christus, ut homo, est Filius naturalis Dei* quo non ita similiter dicitur: *Christus, ut homo, est Deus*: adhuc servato eodem modo reduplicandi. Sic ergo falsa est consequentia.

39 Opponi solet hic syllogismus: *Christus, ut homo, non est Deus: sed qui non est Deus, non est Filius naturalis Dei: ergo Christus, ut homo, non est Filius naturalis Dei.* Respondetur primò, concessis præmissis, negando consequentiam ob defectum formæ syllogisticæ: ad quam utique opus esset hac minori: *sed qui, ut homo, non est Deus, non est Filius naturalis Dei.* Deficit itaque syllogismus in eo quòd medium Verbum, quod est prædicatum in maiori, & subjectum in minori, ponitur in majori reduplicativè, & in minori specificativè: sicque variatur suppositio ejusdem termini: sicut in hoc syllogismo similiter vitioso. *Petrus, ut homo, non est admirativus: sed qui non est admirativus non est rationalis: ergo Petrus, ut homo, non est rationalis.* Quemadmodum ergo aliud est, quòd qui non est admirativus non sit rationalis, quod est absolutè verum; aliud est, quòd, qui, *ut homo*, non est admirativus, non sit rationalis, quod est reduplicativè falsum: ita similiter aliud est, quòd qui non est Deus non sit Filius naturalis Dei, quod est, absolutè verum; aliud est quòd qui, *ut homo*, non est Deus, non sit Filius naturalis Dei, quod in eo sensu reduplicativo dicimus esse falsum: nam ut quis, ut homo, sit Filius naturalis Dei, sufficit quòd, ut homo, sit suppositum, quòd est Filius naturalis Dei. Ex ijs, si mavis, ad syllogismum nobis oppositum, concessâ majori, distingue minorem: qui absolutè non est Deus non est Filius naturalis Dei, verum: qui in aliquo sensu reduplicativo, *ut homo*, non est Deus, non est Filius naturalis Dei, falsum. Hanc autem minorem reduplicativam exigebat syllogismus ille, ut ritè procederet: quam tamen negaremus cum consequentia.

40 Dices: qui absolutè non est Deus absolutè non est Filius naturalis Dei: ergo qui in sensu reduplicativo non est Deus in sensu reduplicativo non est Filius naturalis Dei. Si ergo Christus reduplicativè, *ut homo*, non est Deus, reduplicativè, *ut homo*, non est

Filius

Filius naturalis Dei. Reſpondetur diſtinguendo primum conſequens: ſi ſenſus reduplicativus ſit unus,& idem,concedo; ſi duplex,& anceps,nego conſequentiam. Quamvis ergo in eodem ſenſu reduplicante ſupra abſtractũ humanitatis, in quo verum eſt: *Chriſtus, vt homo, non eſt Deus*, verum quoque poſſet eſſe: *Chriſtus,vt homo, non eſt Filius naturalis Dei*, ut obſervabam *num.34.*cum hoc tamen ſtat,quod in alio ſenſu aliter reduplicante ſupra concretum hominis, & à Theologis uſurpatiſſimo, dicatur etiam veriſſimè: *Chriſtus,vt homo,eſt Filius naturalis Dei*: quia nempe reduplicatio hæc denotat non nudum abſtractum humanitatis, ſed concretum ex humanitate,& Perſonalitate, quæ eſt Filiatio naturalis Dei præciſſim à Deitate. Unde nego ſecundam conſequentiam.

41 Inſiſtes firmiús. Adhuc in ſenſu huius ſecundæ reduplicationis præſcinditur à Deitate: ergo neque in hoc ſecundo ſenſu reduplicativo verum eſt, quód Chriſtus, *vt homo*,ſit Filius naturalis Dei. Antecedens eſt noſtrum. Probatur autem conſequentia. Filius naturalis, ut talis, dicit eſſentialiter ſimilitudinem in natura cum Patre; cùm ſit formaliter terminus generationis quæ eſt: *origo viventis à vivente à principio coniuncto in ſimilitudinem naturæ*: ſed Chriſtus,*vt homo*, adhuc in ſenſu reduplicante ſupra concretum ex humanitate,& Perſonalitate Verbi,non dicit,ut talis, ſimilitudinem in natura cum Patre: ſiquidem præſcinditur à Deitate,quæ eſt natura Patris, virtualiter diſtincta à Perſonalitate Verbi: ergo Chriſtus, *ut homo*, non eſt Filius naturalis Dei,adhuc in eo ſenſu ſic reduplicante.

Hurt. 42 Petrus Hurtadus *diſp.82.ſect.5.ſub ſect.11.* reſpondet, conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Ad cuius probationem ait, ſimilitudinem in natura Filij cum Patre requiſitam in definitione generationis naturalis non debere eſſe in natura numericâ,nec in ſpecificâ;ſed ſufficere genericâ. Sic autem, quamvis Chriſtus,*ut homo*,non dicat naturam Divinam Patris; dicit tamen cum Perſonalitate Verbi naturam humanam Chriſti: quæ genericé convenit,ſeu aſſimilatur naturæ divinæ Patris, in ratione naturæ intellectualis:quæ ſimilitudo generica in natura ſufficit iuxta Hurtadum,ad hoc ut Chriſtus,*ut homo*, ſit ſimilis in natura Patri, prout requiritur in definitione generationis. Hæc reſponſio patitur difficultates,quas vide apud *Bernal.* Bernal *diſp.66 ſect.2.§.6.*

43 Reſpondetur aliter ad probationem primæ conſequentiæ, conceſſâ maiori de contractiori,quam velis, ſimilitudine, negando minorem. Quamvis enim illa reduplicatio, *ut homo*, veluti præſcindat ex modo ſuo ſic reduplicandi á Deitate, non præſcindit à Perſonalitate Chriſti: quæ quidem realiter eſt non ſolum ſimilis, ſed eiuſdem etiam naturæ cum Patre: & facit quòd Chriſtus, *ut homo*, ſit ſuppoſitum, quod realiter eſt eiuſdem naturæ cum Patre: nam in ipſa Perſonalitate, quantũvis per rationẽ præciſâ,aut virtualiter diſtinctâ à Natura Patris, involvitur realis identitas cum Natura Patris:quæ realis identitas cum natura eſt pluſquam ſimilitudo in natura,maiorque multò, quàm ut filij creati dicant cum ſuis Parentibus. Unde, quamvis Chriſtus, *ut homo*, non reduplicet ſupra naturam Patris, reduplicat ſupra concretum humanitatis,& Perſonalitatis, ſeu Filiationis Verbi, quod concretum eſt realiter ſuppoſitum eiuſdem naturæ Divinæ cum Patre. Nec eſt unde ad rationem Filij naturalis requiratur ulterior ſimilitudo.

44 Dices. Sic etiam Spiritus Sanctus eſſet Filius, & eius proceſſio generatio,contra Fidem: nam etiam eſt ſuppoſitum procedens à ſuo principio coniunctiſſimo in ſimilitudinem naturæ,cùm ſit eiuſdem naturæ cum Spiratore. Reſpondeo,me nunquam intelligere ſatis potuiſſe,in Spiritu Sancto deeſſe rationem Filij ex defectu ſimilitudinis in natura,nec ex defectu intentionis,ſeu propenſionis Spiratoris aſſimilandi ſibi in natura Spiritum Sanctum; nec quòd Spiritus Sanctus ex vi formalis proceſſionis non evadat Deus, & idem Deus, ut expendi *diſp.8.de Attrib. ſect.3.* Ubi dixi,requiri quidem in procedente ſimilitudinem in natura ad rationem Filij; minimé tamen id ſufficere; ſed ulteriùs requiri virtutem ulteriùs propagativam naturæ, ut ibi ex Magno Baſilio ſufficienter explicui. Unde, quamvis Spiritus Sanctus procedat ſimilis in natura, ſeu in ſimilitudinem naturæ, non exinde Filius eſt: quia non eſt ulterius propagativus naturæ in aliud ſuppoſitum. At Chriſtus,*ut homo*,cum formaliter dicat ſuppoſitum,quod realiter,eſt eiuſdem naturæ cum Patre,& ulteriús propagativum eiuſdem naturæ in aliud ſuppoſitũ Spiritùs Sancti,dicit quidquid opus eſt ad rationem filij naturalis Dei.

Tom. 1. Diſp.8.

Baſil.

45 Nec ẽ re Theologicâ eſt quod dicat forſan aliquis, totum id non exprimi in conceptu formali Chriſti, *ut hominis*: inde infereus,quód Chriſtus,*ut homo*,præciſé ſub hoc conceptu non dicit rationem ſimilitudinis in natura,nec virtutis propagativæ,ac proinde nec Filij naturalis Dei. Hoc enim eſt extra præſentem Scopum: ſic namque nec, Chriſtus, *ut Deus*, eſt Filius naturalis Dei:

nam

nam etiam conceptus Dei præscindit logicè ex hoc modo dicendi, seu concipiendi, à ratione Filij; cùm sit conceptus communis tribus Personis. Non ergo loquimur in præsenti de Christo, *ut homine*, secundum eiusmodi præcisiunculas logicas; sed de Christo, *ut homine*, secundum reduplicationem cadentem supra concretum ex humanitate, & ex Personalitate, quam re ipsâ dicit Christus; quæ non est alia nisi Filiatio ipsa Divini Verbi. De Christo autem, *ut homine*, secundum hanc reduplicationem Theologicam dicimus esse Filium naturalem Dei: quippe sub ea reduplicatione, etiam præcisim à Deitate, involvitur suppositum Christi, quod est concretum ex humanitate, & ex Personalitate divini Verbi, quæ indistinctim etiam virtualiter est Filiatio naturalis Dei, & Generatio ipsa æterna Filij, realiter eiusdem Naturæ cũ Patre æterno & ulteriùs propagativa eiusdem Naturæ ad aliud suppositum. Id quod Spiritui Sancto nec realiter competit: nec competeret homini constituto in unitatem suppositi per Personalitatem Patris, aut Spiritûs Sancti. En paucis sensum absolutissimum, & planissimum, quo Christus, *ut homo*, est Filius naturalis Dei, quamvis in bono quoque sensu Christus, *ut homo*, non sit Deus: quia nempe, *ut homo*, est unicè suppositum divinũ vivens à vivente à principio coniuncto in similitudinem, & propagationem naturæ.

SECTIO IIII.

An Christus, ut homo, sit Filius Adoptivus Dei.

46 VIdimus *sec.* 1. de Fide esse nec Christum hominem, nec Christum, ut hominem, nec Christum secundum humanitatem, esse Filium adoptivum Dei in sensu Nestorij, Felicis, & Elipandi: quia esset hæreticè negare physicam, & intrinsecam assumptionem humanitatis à Verbo in unitatem Personæ.

47 Manet controversia cum doctissimis Scotistis. Quippe, admittentes Catholicè physicam, & intrinsecam assumptionem humanitatis á Verbo in unitatem Personæ, & Christum esse unicam personam, & veré Filius naturalem Dei, docent, Christum, *ut hominem*, reduplicando scilicet supra abstractum humanitatis, esse Filium adoptivum Dei: quatenus nempé humanitas illa veré adoptata fuit per gratiam creatam eximiam in Filium Dei: cùm autem per gratiam non constituatur Filius naturalis, constituitur Filius adoptivus: non quidem solius Patris æterni, sed totius Trinitatis. Sic Scotus, Durandus, & Rada apud Conine *disp.* 24. *dub.* 2. Franciscus Felix Franciscanus apud Lumbier *qu.* 38. dicens circa mentem Scoti eam fuisse dubiam in Sententijs; at in Reportalis *in* 3. *dist.* 10. adhæsisse adoptioni Christi, ut hominis. Alter autem Scotista celebris Eminentissimus Cardin. de Lauræa *to.* 1. *in* 3. *disp.* 6. *art.* 4. negans adoptionem Christi, ut hominis, dubiam semper fatetur mentem Scoti; sed inclinantem in hãc sententiam negativam, quam ipse sequitur contra Scotistas suos, communiter iam, palamque defendentes adoptionem Christi, ut hominis, tanquàm doctrinam Scoti subtilissimi.

Scot. *Duran.* *Rada* *Conine.* *Felix.* *Lumbier* *Laurea.*

48 Conclusio tamen est omnino tenenda cùm communi sensu, & modo loquendi Theologorum. Christus, *ut homo*, nullatenus est Filius adoptivus Dei. Ratio. Quia adoptio est *extraneæ personæ in Filiũ assumptio*: ut colligitur ex multis, quæ affert Sanchez *lib.* 7. *de Matr. disp.* 63. iuxta communem morem sentiendi, & loquendi utriusque Iuris peritorum, à quo discedere nefas est in re dogmatica, in qua vel usurpatio vocum in sensu alieno à communi more solet offendere, & turbare veritatem. Atqui nec Christus, nec Christus, *ut homo*, adhuc reduplicando supra humanitatem, est persona Deo extranea, cum ipsa humanitas coniungatur intrinsecé Deo in unitatem eiusdem Personæ divinæ: ergo Christus, ut homo, nullatenus est Filius adoptivus Dei.

Sanchez.

49 Non satis fidit huic communi rationi Lauræa *num.* 89. sicut nec Scotus. Quia, inquiunt, ut quis dicatur filius adoptivus per gratiam non opus est esse Personam distinctam, nedum extraneam ab adoptante: ergo ex eo, quòd Christus, *ut homo*, non sit Persona extranea, nec distincta à Deo non infertur non esse Filium adoptivum Dei. Antecedens patet: nam anima separata iusti, cùm non sit persona, sed substantia incompleta, nõ est persona extranea, nec intranea Deo, nec eadem, nec distincta persona à Deo; & tamẽ per gratiam est Filia adoptiva, & hæres Dei: ergo, ut quis dicatur filius adoptivus Dei per gratiam, non opus est extraneitas illa personæ. Atque hinc etiam patet, falsum esse quod dici solet, denominationem Filij adoptivi nõ cadere nisi supra suppositum, seu personam, ut inde inferatur cadere non posse supra abstractum humanitatis Christi. Quandoquidẽ cadit verissimé supra animam separatam iusti: quæ nec persona, nec suppositum est. Nisi negare velit aliquis, animas iustas separatas esse filias adoptivas Dei: quod nemo audebit.

Lauræa. *Scot.*

Ex-

Digitized by Google

50 Cæterùm,ut hæc evaſio, quæ doctrinam veram ex parte continet,locum non habeat, intro picienda eſt communis illa ratio, & aliter diſponenda, ut recidat in rationem ſolidam, quam ex Scoto approbat ipſe Laurea *à num.*101. Sic nimirum,ut extraneitas illa perſonæ requiſita ad adoptionem capiatur potiùs in ſenſu negativo, quam in poſitivo: quòd nempe adoptatus non ſit ipſa perſona, nec quid intrinſecè intraneum Perſonæ adoptanti. Hunc eſſe debere ſenſum legitimũ cõmunitſimæ definitionis patet: quia poſſet Pater eodem, & maiori affectu ſibi affectivè coniungere *Filium* alioquin naturalem, in ſui amorem ſtrictiſſimum,& in hæreditatem; quin tamen hæc moralis, & affectiva coniunctio ſive aſſumptio Filij naturalis à Patre illum conſtituat Filium adoptivum: non aliâ certè de causâ, niſi quia eſt ſimul Filius naturalis,ac proinde non extraneus Patri ſuo naturaliter.ergo quia extraneitas adoptati requiſita ad adoptionem intelligenda eſt in ſenſu negativo pro excluſione intraneitatis intrinſecæ adoptati ad adoptantem: quòd ſcilicet, nec ſit perſona, nec ſubſtantia aliunde intranea adoptanti:& à fortiori quod non ſit quid phyſicé, & intrinſecé unitum adoptanti in unitatem phyſicam perſonæ.

Laurea.

51 Hinc formo paulò aliter rationem concluſionis præoccupans datam reſponſionem. Adoptio eſt, *extraneæ Perſonæ in Filium aſſumptio*: hoc eſt aſſumptio alterius, qui quamvis ſit diſtincta Perſona,tamen non ſit intranea,ut eſt reſpectu Patris creati Filius naturalis creatus, ideo à Patre naturali inadoptabilis. Atqui Chriſtus, ut homo,non eſt Perſona Deo extranea; nec humanitas Chriſti eſt quid Deo extraneũ,cùm ſit phyſicé,& intrinſecé Deo coniuncta in unitatem Perſonæ divinæ:ergo nec Chriſtus, *ut homo*,nec eius humanitas eſt,nec dici poteſt adoptari à Deo:ac proinde Chriſtus,*ut homo*,adhuc reduplicando ſupra abſtractum humanitatis hypoſtaticè Deo unitæ, nec eſt nec dici poteſt Filius adoptivus Dei.

52 Hic ſenſus, diſcurſus, & modus loquendi cò mihi eſt gratior, quò ſolidùs nititur authoritate concilij Francofordienſis, & Adriani Papæ,ita in terminis ipſis noſtræ cõcluſionis, & rationis expreſsâ, ut aliquos reſponſores adegerit ad negandam, tam prædicto concilio utpotè non univerſali, quàm Pontificijs Adriani Epiſtolis, utpotè eidem concilio ſubnixis, infallibilem authoritatem.

Francof. Adrian

53 Cæterùm hoc iam videri poſſet nõ tam reſpondere, quàm ineptire, poſtquam mandato Sedis Apoſtolicæ Epiſtola illa Adriani ad Epiſcopos Hiſpaniæ inſerta eſt tanquam authentica inter Decretales: & concilium illud recognitum, inter alia Eccleſiæ concilia collocatum eſt in tomo tertio Conciliorum: quamvis enim non fuerit concilĩ Generale; fuit tamen Nationale celeberrimum trecentorũ Epiſcoporum,teſte Cardin. de Laurea *num* 84. & quod caput eſt,à Papa confirmatum, ut legere eſt apud Baronĩ *ad annum Chriſti* 594. Unde merito Magiſter Lumbier *num.* 2154. cenſet, non poſſe iam ſine ingenti temeritate negari Concilij Francofordiẽſis,& Epiſtolæ Decretalis Adriani authoritatem. Nec obeſt quòd in eo Concilio reprehendantur Eugenius, Julianus, & Ildephonſus Archiepiſcopi Toletani. Reſpondetur enim, eos dignos rephrehenſione iudicatos à Concilio,ſi dixiſſent quod ab illis dictum eſſe allegabat, ut ſe tantorum Antiſtium authoritate tueretur Elipandus, contra quem agebant Concilium,& Papa Eos tamẽ id minimé dixiſſe videbimus *ſec ſeq.*

Laurea. Baron. Lumbier

54 Reſponſio prudentiorum Scotiſtarum eſt,Concilium,&Papam damnaſſe adoptionem Chriſti in ſenſu Neſtorianorum, ponentium in Chriſto duo ſuppoſita, quorum unum,nempe divinum eſſet Filius Dei naturalis; alterum, nempe humanum, eſſet Filius adoptivus; non autem in ſenſu Durandi, & aliorum, unicum in Chriſto ſuppoſitum agnoſcentium,quod ſecundum diverſas naturas ſit Filius Dei naturalis, & adoptivus; naturalis,ut Deus,ſeu ſecundum Deitatem; adoptivus, ut homo, ſeu ſecundum humanitatem; Sic Franciſcus Felix *cap. 19 diffic. 1.* & alij apud Uvandignum *diſp.11. §.2.* & apud Aldret.*diſp.86.*

Felix. Uvadin. Aldret.

55 Ut hæc reſponſio convellatur,ſcire oporet,nunquam ſatis exploratam fuiſſe hereſim Fœlicis,& Elipandi:an ſcilicet duas perſonas ponerent in Chriſto more Neſtorij,ut de illis ſentit Bernal *diſp.*64.cum P.Suar. *diſ.* 49 *ſec.*3.ati verò unicam: & illam quidem divinam agnoſcentes,de illa,ut homine,dixerint eſſe *Filium* adoptivum Dei, ut ſentit Hurt. *diſp.*83.cum Vaſquez,& alijs.Certum ſaltem eſt, doctrinam illorum fuiſſe,quòd Chriſtus, *ut homo*, ſit *Filius* adoptivus Dei. Quocirca Concilium *Francofordienſe*, & cum ipſo Adrianus Papa tria contra illos damnarunt. Primum, quód erat præcipuum,& certò ab illis aſſertum:Chriſtum,ut hominem,eſſe *Filium* Dei adoptivum. Secundum:Chriſtum, ut hominem eſſe Dei ſervum in ſenſu diſcutiendo, & explicando *diſp. ſequen.* Tertium: dualitatem *Perſonarum* in Chriſto, de qua erant valdè ſuſpecti: quamvis id valdè ſimularent,ne planè Neſtorianos ſe proderent.

Bern. Suar. Hurt. Vaſq:

Ita-

56 Itaque, ut damnatio Concilij eos certissimé feriret, & compesceret in eo de quo clarè convicti fuerunt, cùm palam defenderent Christum, ut hominem, esse *Filiũ* adoptivum Dei; præcipuus scopus Concilij, & Papæ fuit, hanc illorum propositionem damnare, seorsim etiam ab aperto Nestorianismo; sive admitterent, sive non admitterent duas Personas in Christo. Fit igitur apertè contra responsionem Scotistarum, adoptivã Christi Filiationem fuisse damnatam á Concilio, & Papa, non solum in sensu Nestorianorum admittentium in Christo dualitatem Personarũ; verũtiã in sensu abstrahente à sensu Nestorianorũ: specialiter nimirum contra Fœlicem & Elipandum, sive essent, sive non essent verè Nestoriani: de quo non erant plenè convicti propter subdolas eorum tergiversationes. Ergo utrolibet ex illis modis dicere, Christum, ut hominem, esse Filium Dei adoptivum, est doctrina à Concilio, & Papa expressé, & præcipuè damnata.

57 Patet hoc ex ipsa Adriani Epistola ad Episcopos Hispaniæ *colum. 2.* ibi: *Materia autem causalis perfidiæ inter cætera rejicienda de adoptione Iesu Christi Filij Dei secundum carnẽ.* Et deinceps adhoc sic probandum scilicet, adoptionem Christi *secundum carnem*: quæ est clarissima reduplicatio Christi, *ut hominis*, seu *secundum humanitatem*; esse doctrinam rejiciendam, congerit Pontifex ingentem Scripturarũ, eruditionem utens ijsdem Scripturæ locis, quibus probant Theologi, Christum, ut hominem, esse Filium naturalem Dei, ut legere est in longà contexturà dictæ Epistolæ decretalis: & signanter Loco Pauli ad *Rom. 8. Proprio Filio suo non pepercit Deus; sed pro nobis omnibus tradidit illum*: ex quo Concilium: ibi: *scimus enim, quia non est traditus secundum divinitatem, sed secũdum id quod homo verus est*: illum *nimirum, qui traditus est, id est hominem ipsum, Apostolus proprium Dei Filium protestatur.* Perinde etiam reduplicationẽ illam, *secundum id quod homo verus est*; ut scilicet inferat, quód etiam, ut homo est, *Filius* naturalis, ac proinde, nec *ut homo*, adoptivus: prout se clarius explicat idem Concilium in subsequẽtibus ex verbis Petri *Matth. 16.* ibi: *Numquidnam dixit Petrus: Tu es Christus, qui propter nos factus es Filius hominis, & per adoptionem factus es Filius Dei? absit; Hoc nec Petrus confessus est nec sancta confitetur Ecclesia.* Hæc, & alia plura ibi Pontifex ex decreto concilium Franfordiensi, nõ lum fa&ã mentione dualitatis Personarum, prout asserebatur à Nestorianis; & præcisse loquendo contra adoptionẽ christi, expressi sacis reduplicatione, *ut hominis*, & *secũdũ humanitatem*, prout certe asserebatur à Fœlice, & Elipando, in terminis, ni fallor, ipsis, quos usurpant Durandus, & aliqui Scotistæ.

Adrian.

Roma. 8.

Francof.

Mat. 16.

58 Nec obest, quód postea fiat aliqualis mentio dualitatis Personarum Nestorianæ: ibi: *si quis adversus scripturas docet, alium dicens Filium Dei, & alium, qui ex Maria Virgine, hominem secundum gratiam adoptatum, sicut nos, quasi essent duo Filij, unus secundum naturam, qui ex Deo est, & unus secundum gratiam qui ex Maria, &c. hunc anatematizat Ecclesia.* Hæc Adrianus ex Athanasio. Et addit contra Felicianam hæresim ex Nazianzeno: ibidem: *Si quis introducit duos Filios unum quidem qui ex Deo, & Patre; secundum verò, qui ex Matre; & non eundem, ut adoptionis gratiam excedat, quæ promissa est his, qui credunt; alienum eum à nostro consortio iudicamus.* Ergo adoptio, quam damnavit Concilium, & Pontifex contra Fœlicem, & Elipandum, est adoptio in sensu Nestoriano, scilicet cum dualitate Personarum, & Filiorum in Christo.

Adrian. Athan. Nazian.

59. Respondetur enim, hæc omnia esse vera, damnatam ibi quoque ab Adriano fuisse adoptionem in sensu Nestorij, ut sic etiam fortè percelleret damnatio Felicem, & Elipandum, qui de Nestorianismo vehementer erant suspecti. Quoniam verò circa Nestorianismum tergiversabantur, nec erant plenè convicti, damnata quoque fuit ibidem adoptio seorsim ab aperto Nestorianismo: ut in eo etiam, quod palam, & sine tergiversatione docebant, inexcusabiliter percellerentur. Ex quo deduximus, damnatam in Te manssisse adoptionem Christi, ut hominis, etiam abstrahendo à Nestoriana dualitate Personatum.

60 Aliorum evasio est, damnatam ibi fuisse adoptionem Christi, *ut hominis*, reduplicativè supra concretum hominis ex humanitate, & Personalitate Filij naturalis Dei: in quo sensu defendimus, & explicuimus Christum, *ut hominem*, esse *Filium* naturalẽ Dei. At non damnatã esse adoptionẽ Christi, *ut hominis*, reduplicativé supra abstractum humanitatis: nam hoc solùm est dicere, naturam humanam Christi, quæ quidem non est *Filia* naturalis Dei, esse adoptatam à Deo. Huic tamen evasioni præcluśit aditum Pontifex, loquens signanter contra doctrinam *de adoptione Iesu Christi Filij Dei secundum carnem*, ut expendimus *num. 57.* Accedit, quod Concilium in proemio Sacrosyllabi, ad Episcopos plurium Regiònum directi,

cti, intentum sui decreti conciliaris explicãs, ait: *cum suspicantur adoptatum, quod dici nefas est: quia de B. Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptavit, carnem.* Quid clariùs contra modum omnem defendendi adoptivam Christi Filiationem?

61 Propter hæc propositio illa, quam impugnamus: *Christus,ut homo,est Filius adoptivus Dei*; censuratur graviter à gravibus Theologis. Vasquez *disp.* 80. censet hæreticam, nec aliam fuisse hæresim Felicis, & Elipandi. Bernal *disp.65. sec.4. num. 37.* ait, opponi Catholicæ Fidei pronunciatô,nempé definitioni Concilij,authoritate Adriani Papæ confirmatæ: quod est illam saltem erroneam censere. Alij censent hæresi proximam; quia valde accedit ad Nestorianissmum. Suarez censet hæreticam in sensu Nestoriano,in quo certò damnata est à Concilio; in alio autem sensu de adoptione humanitatis coniunctæ alioquin physicè Verbo in unitatem Personæ;ceniet improbabilẽ. Lorca,& Lumbier *quæst. 31. art.1. §. 4.* illam, ut ab Scotistis assertam, absolvunt à censura Theologica: in quo non discrepant à Suarez.

Vasq. *Bernal.* *Suar.* *Lorca.* *Lumbier*

62 Aegré fert Franciscus Felix supradictas consuras, expendens, quód ab errore Felicis, & Elipandi scãdalizata sic fuit Ecclesia, ut coacto ad id Concilio, eorum doctrinam severé damnaverit: cûm tamen doctrina Scotistarum de adoptione humanitatis Christi palam evulgetur in libris catholicis, & in publicis Thæsibus defendatur sine Ecclesiæ scandalo,& cõtradictione. Ergo quia valde diversa est,& à supradictis censuris absoluta.

Felix.

63 Responderi fortè posset, eam propositionem per se sub illis terminis *Christus, ut homo,est Filius adoptivus Dei*, esse saltem male sonantem, & sapientem hæresim. Quia sub ijsdem terminis latet sensus aliquis quicumque ille fuerit,damnatus à Concilio, & Papa contra illos hæreticos: à quorum modis loquendi protestativis suorum errorum cavere debemus. Quod autem Scotistis sic loqui permittatur, ideo esse potest, quia se iam satis explicuerunt iuxta terminos doctissimæ, & Catholicissimæ suæ Scholæ: quo purgati satis sunt à qualibet suspitione sensûs erronei, cuius erant vehementer saltem suspecti Felix, & Elipandus. Ideó Theologus non Scotista indigeret præsentissimâ explicatione, ut tutus ab omni censura sic loqui posset. Laudo prudentiam sapientissimi Scotistæ Cardinalis de Lauræa, qui ijs non obstantibus,ait *num.101.* sibi sufficere allegatam Adriani definitionem ut omnino neget filiationem Christi adoptivam: & *num.102.* concludit, quòd quomodocumque defendatur hoc dogma,Christum, ut hominem,non esse Filium Dei adoptivum, parùm refert, dummodo defendatur.

Lauræa.

SECTIO V.

Obiectiones Durandi,& Scotistarum.

64 OBijciunt primò loquutiones aliquorũ Ecclesiæ Patrũ.Hilarij *2.de Trinit.* ibi: *potestatis dignitas non amittitur,dum carnis humilitas adoptatur.* Eugenij,Juliani,& Ildephonsi in Missa de Ascensione, prout allegabant Felix, & Elipandus: *Salvator noster post adoptionem carnis.* Ergo carnem, seu humanitatem Christi dici adoptatam, ac proinde in eodem sensu, Christum, ut hominem, Filium Dei adoptivum,loquutio est obvia in Patribus Ecclesiæ: atqueadeó minimè repellenda.

Hilar. *Ildeph.*

65 Respondetur primò ex Vasquez verba Hilarij esse corrupta: nam pro,*adoptatur* legi debet, *adoratur*, ut legitur in editione Parisiensi anni 1544.teste Conine *nu. 17.* Minori cum fundamento coniectatur Bernal *sect.3.nu.30.*legi debere:*adaptatur*: iuxta illud Pauli: *corpus autem adaptasti mihi.*Sed quid ad alios Patres Toletanos? Ideo generaliùs respondent secundó alij ex Alensi, in ijs loquutionibus non tam esse sermonem de singulari carne, seu humanitate Christi physicé à Verbo assumptâ in unitatem personæ Filij naturalis Dei; quàm de carne, seu natura humana in genere,valde condecoratâ, & elevatâ ad gratiam adoptionis,in alijs, ex eo quòd in Christo hominum Redemptore humanitas aliqua fuerit hypostaticè assumpta,& verè Deus factus homo. Tertió respondent alij sinceriùs cum Sancto Thoma *qu. 23.art.4.ad 1.* eos Patres tunc temporis minús curasse de proprietate sermonis, & improprié loquutos sumentes largé, *adoptare*, pro,*assumere*, & *adoptionem*,pro, *assumptionem*. Post Felicem autem, & Elipandum, qui eorum authoritatibus abutebantur, accuratiús debemus loqui, né, vel in vocibus,illis favere videamur: quas propterea reprehendit Concilium Francfordiense, & in Epistolis suis Adrianus.

Conin. *Bernal.* *Habreor. 10.* *Alen.* *S.Thom.*

66 Obijciunt secundò.Christus,ut homo,habet gratiam habitualem: sed unus ex effectibus formalibus gratiæ habitualis est facere Filium adoptivum Dei:ergo Christus,ut homo,seu secundum humanitatem, est Filius adoptivus Dei. Respondetur,concessâ maiori,distinguẽdo minorem: facere Filium adoptivum subiectum capax huius denominatio-

nis,& huius effectûs formalis, concedo: ſubiectum incapax, nego minorem, & conſequentiam. Nam Chriſtus, ut homo, cùm ſit perſona Deo intrane ; iuſque humanitas, cũ ſit quid Deo intrinſecé coniunctum in unitatem Perſonæ diuinæ, eſt ſubiectum in eo ſtatu incapax denominationis,& effectûs formalis Filij adoptiui. Filiatio enim adoptiua, ut denominatiué cadat in aliquod ſubiectum, dicit, tale ſubiectum eſſe puré moraliter, extrinſecè,& affectiuè affiliatum adoptanti,ut expendimus *ſect. præced* & ſupponit concilium Francfordienſe *in Sacroſyllabo*: ibi: *Porrò adoptivus dici non poteſt niſi is qui alienus eſt ab eo, à quo dicitur adoptatus.* Sic gratia ipſamet habitualis,quamvis ſit iuſtitia nõ dicitur iuſtificare animam,in qua non præceſſit peccatum,quamvis illam formaliter ſanctificet:quia ſtrictè iuſtificare,præter præciſè ſanctificare, dicit transferre ab ſtatu peccati in ſtatum gratiæ, & adoptionis Filiorum Dei,ex Trident. *ſeſſ 6. cap. 4.*

Francf.

Trid.

67 Urgent. Quamvis in Chriſto Perſona non ſit extranea Deo ; at ſaltem humanitas, ſeu anima, cui formaliter ineſt gratia habitualis, eſt natura Deo extranea : ergo hæc ſaltem denominari poteſt Filia adoptiva, ſeu adoptata à Deo per gratiam habitualem,imò & per gratiam Unionis: ad quam pro priori naturæ præceſſit ſubſtantia animæ præcindens à gratia, & unione. Non eſt ergo cur in hoc ſenſu Chriſtus,*ut homo*,hoc eſt, *ſecundũ humanitatem*, non ſit, aptéque dicatur Filius adoptivus Dei.Probatur hæc ſubillatio: nam eſſe filium Dei adoptivum eſt magna dignitas,& perfectio, & proprium hominum ſanctificatorum:ergo non eſt cur Chriſto,ut homini ſanctiſſimo,denegetur.

68 Nec obſtat, quód nec humanitas, nec anima Chriſti ſit ſuppoſitum. Nam neque anima iuſti ſuppoſitum eſt;& tamen per gratiam denominatur Filia adoptiva Dei, ut vidimus eſt *ſect præcid.* Nec item obeſt,quód anima Chriſti non præceſſerit tempore ad gratiam,nec unionem. Ea enim temporis præcedentia non requiritur ad denominationem Filij adoptivi, ut patet in Angelis,& in anima Sanctiſſimæ Virginis in primo inſtanti ſui eſſe facta per gratiam Fil à adoptivã Dei abſque præcedentia temporis ad ſtatũ Filiationis adoptivæ.

69 Reſpondetur, negando antecedens in ſenſu completo,& negativo expoſito *num.* 50.& uſurpato á Concil Francford.in verbis allegatis *num.66.* ac proinde omnino retinẽdo, niſi vocibus abuti velimus,non ſatis, ac par eſt,recedentes à modo loquendi *Felicis*, & Elipandi. Nam & humanitas, & anima Chriſti ſunt intrinſecé phyſicé unitæ Deo in unitatem Perſonæ divinæ: quæ intraneitas non ſtat cum extraneitate requiſita in adoptato reſpectu adoptantis. Certé multo minor intraneitas eſt quam dicit Filius naturalis creatus reſpectu Patris creati ; quæ tamen obſtat, né ſit aut denominari valeat Filius adoptivus à qualicumque affectu Paterno.

70 Nego deinde primam conſequentiam. Nec prodeſt illud de prioritate naturæ animæ ad Unionem, & ad Gratiam. Aliud enim eſt, quòd pro illo priori non ſint unio, & gratia,ac proinde non ſit intraneitas; quod eſt verũ;aliud ẽ,quód pro illo priori ſit extraneitas, aut negatio, ſeu exclusio intraneitatis; quod eſt falſum:nam pro illo priori præſcinditur ab utrâque : & quod eſt pro illo priori, nempe ſubſtantia animæ,diſtinguitur realiter ab intraneitate, & ab extraneitate: ad excludendam autem intraneitatem impeditivam denominationis Filij adoptivi, requireretur, quód pro illo inſtanti reali non daretur aſſumptio intrinſeca illius animæ in unitatem Perſonæ divinæ : ſicut ad excludendam extraneitatem requiſitam ad filiationem adoptivam ſufficit, quòd pro illo inſtanti reali ſit; ut veré realiter eſt; intraneitas animæ per aſſumptionem intrinſecam in unitatem Perſonæ divinæ : quemadmodum ad excludendam formã á toto inſtanti reali, ita ut nec ut pro priori, nec pro poſteriori in eo inſtanti, ſufficit ſi pro eo inſtanti reali datur forma oppoſita ; modò detur pro priori, modò pro poſteriori naturæ. Alioquin in idem inſtans reale coincidere poſſent forma, & negatio formæ,contra totam Philoſophiam.

71 Hinc falſa eſt etiam ſubillatio. Stat enim efficax ratio, cur in eo etiam ſenſu, *ſecundum humanitatem*, Chriſtus,*ut homo*,non ſit Filius adoptivus Dei. Quia nempe nec *ut homo*, nec ſecundum humanitatem dicit extraneitatem requiſitam ad adoptionem: cùm nec pro priori, nec pro poſteriori naturæ dicat quidquam excludens à toto illo inſtanti realẽ aſſumptionem phyſicam in unitatem Perſonæ divinæ : quæ aſſumptio eſt intraneitas impediens pro toto illo inſtanti extraneitatem, quam requirit adoptio, & facit humanitatem in ſui conſortio incapacem denominationis Filij adoptivi.

72 Ad probationem ſubillationis,conceſſo antecedente,negatur conſequentia. Nã etiam habere fidem eſt magna perfectio,non tamen eo ipſo Chriſto concedenda:quia opponitur maiori perfectioni, nempe evidenti rerum omnium intuitioni ; in cuius defectũ datur nobis Fides quaſi ſupplementum. Sic

ergo,

ergo, quamvis esse Filium adoptivũ sit magna perfectio, non verò sine imperfectione, nec compatibllis cũ maiori perfectione assumptionis intrinsecæ humanitatis in unitatem Personæ divinæ, cuius assumptionis exclusionem dicit extraneitas requisita ad denominationem Filij adoptivi. Ob quam rationem nec Spiritus Sanctus est Filius adoptivus, quamvis nec sit Filius naturalis. Idemque esset de homine resultante ex humanitate assumptâ ab Spiritu Sancto.

73 Objciunt tertió. Christus, *ut homo*, seu *secundum humanitatem*, iuxta reduplicationem, in qua nunc loquimur, non est Filius naturalis Dei: nam humanitas non est Filia naturalis Dei: sic ergo Christus, *ut homo*, est Filius Dei adoptivus; per adoptionem scilicet humanitatis: cui adoptioni non adversatur Ecclesiæ definitio, damnans utique adoptionem Christi, ut hominis sic concretè constituti in ratione Personæ humanæ adoptatæ distinctæ à Persona divina adoptante.

74 Respondetur, concesso antecedente, negando consequentiam: non enim ex eo quòd humanitas non sit Filia naturalis Dei infertur bene, esse Filiam adoptivam: sicut ex eo quòd Spiritus Sanctus non sit Filius naturalis Dei non infertur, esse adoptivum: nec ex eo quòd homo non sit filius naturalis angeli sequitur esse adoptivum. Hi enim termini, *adoptivus*, & *naturalis*, quamvis repugnantes inter se sint eo quòd *adoptivus* dicat extraneitatem à natura Patris, quam negat *naturalis*; non sunt immediatè oppositi taliter ut non detur medium inter illos, quod neutrum illorum sit. Sic opponuntur gratia, & peccatum, oppositione scilicet incompatibilitatis essentialis; non tamen ita, ut nequeat dari subiectum, in quo nec gratia nec peccatum sit: & multa alia, tam in physicis, quàm in Theologicis. Itaque Christus, *ut homo*, sic reduplicatus, secundum humanitatem, nec est Filius Dei naturalis, quia abstractum humanitatis non oritur per generationem Dei æternam vivens à Deo vivente in similitudinem, & propagationem naturæ divinæ, ut vidimus agentes, de Filiatione naturali; nec est Filius Dei adoptivus, quia huic denominationi obstat assumptio intrinseca, & physica humanitatis Deo in unitatem Personæ Divinæ: huiusmodi autẽ assumptio est intraneitas essentialiter opposita extraneitati essentialiter requisitæ ad rationem Filij adoptivi, ut ex iuridico, & Theologico modo loquendi, & ex authoritate Concilij, & Papæ accepimus. Nec licet in re dogmatica inordinatè loqui. Unde nego, eiusmodi adoptionem humanitatis assertam ab Scotistis non advertari definitioni Ecclesiæ, ut satis evicimus supra.

75 Propter hæc, si Persona Patris assumpsisset hypostaticè humanitatem, Deus homo inde constitutus, nec esset Filius Dei naturalis, nec adoptivus. Neque hoc est, aut esset imperfectio, ut patet in Spiritu Sancto: non enim impeditur ibi ratio Filij adoptivi Dei nisi ex maiori perfectione, scilicet ex maiori coniunctione ad Deum, quæcum incompatibilis est minor perfectio adoptionis, Similiter, casu, nobis possibili ex dictis *disp. 3. sec. 1.* quo humanitas retinens propriam personalitatem assumeretur à Personâ Divinâ in dualitate personæ; Deus homo inde resultans non esset Filius Dei apdoptivus: quia quamvis in hoc casu essent ibi duo suppositа, essent tamen non extrinsecè tantum, affectivè, & moraliter; sed physicè, & intrinsecè mutuó coniuncta: ac proinde suppositum illud humanum non esset divino extraneum, pro ut requiritur ad rationem Filij adoptivi. Profectó multò minor intimitas, seu intraneitas Filij naturalis, creati ad patrem creatum reddit illum incapacem adoptionis ab eodem. *Supra disp. 3.*

76 Objciunr quattó. Christus est *prædestinatus Filius Dei*, & *ut homo*, sive secundum humanitatem, veré prædestinatus per gratiam ad gloriam. Itemque, *ut homo*, est veré Dei servus: ergo, *ut homo*, veré quoque Filius Dei adoptivus. Consequentia falsa est ob rationes datas. Veritas antecedentis, quoad priorem partem de prædestinatione, examinabitur *sec. seq.* quoad posteriorem de servitute, *disp. sequ.* unde constabit ratio disparitatis, quæ hic desiderari posset. *Infrà disp. 10.*

SECTIO VI.

An, & quomodo Christus, aut Christus, ut homo, sit, vereque dicatur prædestinatus.

77 QUi *prædestinatus est Filius Dei in virtute*; scribit Apostolus de Christo *ad Roman. 1.* Quæ verba faciunt de Fide, Christum fuisse à Deo prędestinatum. At in quo sensu dicitur à Paulo prędestinatus? Ad quem terminũ prædestinatus? Quâ sermonis proprietate prædestinatus? Multa Expositores Sacri apud Cornelium super illum locum. Multa quoque, & varia Scholastici cum S. Tho. & Scoto apud Suarez *disp. 50.* supponentes ut plurimum, prædestinationem in rigore scholastico esse transmissionem, seu ordinationem, qua Deus ordinat, dirigit, & evehit naturam rationalem *Rom. 1.* *Alapid.* *S. Thom.* *Scot.* *Suar.*

ad ſtatum aliquem ſublimiorem ſupra ſe, utpote ſibi indebitum, & ad quem in ligeat elevari.

Felix. Scot. Duran. Faber. Becan. Lorca.

78 Hinc Franciſcus Felix cum Scoto *cap. 11. d ff. 2.* ſequutus etiam Durandum Lorcam, Becanum, & Fabrum, negat eam propoſitionem, *Chriſtus eſt prædeſtinatus*, eſſe veram in ſenſu ſtricto de tali ſubiecto: nempe de hoc homine Chriſto. Quia terminus prædeſtinationis debet non includi in ſubiecto ipſo prædeſtinationis, utpotè ſaltem in mente prædeſtinantis præſuppoſito ad terminum: nemo enim prædeſtinatur ad id, quod eſt ſibi intrinſecum: v. g. homo ad rationale in ipſo incluſum, aut ad riſibile intrinſecè ſubſequutum. Atqui terminus prædeſtinationis Chriſti, ſi eſt ſtatus hypoſtaticus Filij naturalis Dei, eſt quid iam intrinſecè incluſum in ipſo Chriſto dicente iam unionem hypoſtaticam; Si verò eſt gloria viſionis beatificæ, eſt quid Chriſto connaturale, & ab intrinſeco debitiſſimum: ergo nulla ratione dici poteſt Chriſtus proprié prædeſtinatus. Confirmatur. Terminus, ad quem ſubiectum per prædeſtinationem ordinatur debet convenire ſubiecto ex gratia, & non ex debito intrinſeco, & eſſentiali: ſed Chriſto, & homini, qui eſt Chriſtus, involuens iam unionem hypoſtaticam, & Hipoſtaſin Verbi, non ex gratia, quæ reſpectu talis ſubiecti gratia ſit, ſed ex debito intrinſeco, & eſſentiali convenit, eſſe Filium naturalem Dei, & eſſe beatum: ergo, nec Chriſtus, nec homo, qui eſt Chriſtus, dici poteſt proprié prædeſtinatus ad Filiationem Dei, nec ad beatitudinem.

Lumbier Gonet.

79 Mihi quidem difficultas iſta non tanta videtur, quanta exaggeratur à Lumbier *qu. 38. art. 5.* & à Goneto *d ſp. 24. art. 1.* Non enim exiſtimo, opus eſſe ad ſincerum, ac genuinum ſenſum Scripturarum appellantium Chriſtum prædeſtinatum, quód maiori proprietate ſermonis ſit, & dicatur prædeſtinatus, quàm eſt, & dicitur paſſus, mortuus, & ad cœleſtem gloriam ex hominibus aſſumptus, vereque ſurſum evectus, ac exaltatus, ſcilicet ſecundum naturam humanam, & per communicationem idiomatum. Quo pacto ſeſe explicuit planiſſimè S. Tho. *quæſt. 24. art. 1. ad 2.* ibi: *Relinquitur ergo, quòd prædeſtinatio attribuatur Perſonæ Chriſti, non quidem ſecundum ſe, vel ſecundum quod ſubſiſtit in divina Natura, ſed ſecundum quod ſubſiſtit in humana natura.* Atque hunc ſenſum eruit ex contextu Pauli, ibi: *Unde, cùm prædixiſſet Apoſtolus: qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem, ſubiunxit: qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute, ut daret intelligere, quód ſecundum hoc quod eſt factus ex ſemine David ſecundum carnem, eſt prædeſtinatus Filius Dei.*

S. Thom.

80 Nec obſtat quod nuper dixerat reijciēs aliquorum ſenſum, qui dixerunt: *prædeſtinationem intelligendam eſſe de Natura non de Perſona*: ſic enim, ait, *loquutio Apoſtoli eſſet impropria.* Non enim id ex eo reijcit, quód aliter, dicatur Chriſtus prædeſtinatus niſi ſecundum naturam; cùm ſic, & non aliter dicendus aſſeratur mox ab eodem S. Thoma; ſed quia illi, quos reijcit, dicebant; id non ſufficere ad hoc ut verè, & abſolutè dicatur Chriſtus prædeſtinatus, & Perſona Chriſti prædeſtinata, ſed ſolum natura humana, quod fortè nunc aiunt Scotiſtæ; cùm tamen id ſufficere dicendum ſit, ut abſolutiſſimè, & proprie dicatur Chriſtus prædeſtinatus, ut loquitur Paulus, & Perſona Chriſti prædeſtinata, ut exponit S. Thom. ſic ſalvans proprietatem verborum Pauli, cadentium ſcilicet ſupra Perſonam; ratione tamen naturæ humanæ per communicationem idiomatum: ut ipſe repetit ibidem *ad 3. & artic. 2. in corpore.*

S. Thom.

81 Juxta hæc ergo dicendum eſt, Chriſtum eſſe abſolutiſſime prædeſtinatum, tam ad gratiam unionis, mediâ quâ conſtituitur ſuppoſitū Homo Deus Filius naturalis Dei, quàm ad gloriam divinæ viſionis. Sic ſalvamus abſolutam propoſitionem Apoſtoli. Cuius ratio eſt, quam generaliter dedimus *diſp. 2 ſect. 7.* pro communicationibus idiomatum in Chriſto ratione naturæ divinæ, & humanæ, quas cōplectitur: quia nempe de Chriſto, & à fortiori de Chriſto, ut homine, rectè, & abſolutè prædicatur concretè quod illi competit ratione naturæ humanæ in Verbi ſuppoſitum aſſumptæ. Cùm ergo natura humana Chriſti ſit gratis aſſumpta, & ſupra debitum elevata ad gratiam unionis in unitatem ſuppoſiti Filij naturalis Dei, & ad gloriam beatificæ viſionis, inde Chriſtus rectè dicitur prædeſtinatus ad Filiationem Dei naturalē, & ad gloriam divinæ viſionis, eâdem proprietate, qua veriſſimè dicitur Chriſtus, & à fortiori Chriſtus, ut homo, paſſus, & mortuus: imò, & cum maiori proprietate, quàm per communicationem idiomatum dicitur Deus paſſus, & mortuus. Hinc Auguſtinus *l. de Prædeſt. Sanct. cit. à S. Thom. art. 2.* dixit in noſtris terminis: *ipſum Dominum gloriæ, in quantum homo factus eſt Dei Filius, prædeſtinatum eſſe dicimus.*

Supra diſp. 2.

Auguſt. S. Thom.

82 Nec nobis obeſt noſtra doctrina dicentibus *diſp. 1 ſect. 7.* ipſam unionem humanam Chriſti, qua conſtituitur natura illa humana, eſſe unionem hypoſtaticam: unde videtur

Supra diſp. 1.

detur, quòd nec illi naturæ humanæ dici poterit indebita gratia unionis, & gloria visionis. Huic enim obstaculo iam occurrimus ibi *sect. 1.* vox enim *humanitas*, *& natura humana*, significat in recto partes, nempe corpus, & animam; unionem autē consignificat in obliquo: sufficit autem quòd illis partibus, unitis sit indebitus, & gratuitus modus ille taliter ipsas uniens invicem, ut simul illas uniat Hypostasi filij Dei. Vide ibi *à num. 118. sect. 10.*

83 Nec item obest, quod sibi opponit S. Thom. *art. 1.* terminum prædestinationis debere esse adoptionem filiorum iuxta illud: *prædestinavit nos in adoptionem Filiorum.* Cum ergo Christus, ut vidimus, nequeat ullatenus dici Filius adoptivus Dei, eadem ratione non poterit dici prædestinatus. Respondetur enim ex eodem S. Thom. *ad 1.* antecedens intelligi de prædestinatione communi nostrâ. *Christus autem sicut singulari modo pra aliis est Dei Filius naturalis, ita quodã singulari modo est prædestinatus*: scilcet ad gratiam unionis intrinsecæ cum Filio naturali Dei, & ad gloriam excellentissimam coniunctam etiam cum gratia accidentali, quæ à maiori perfectione filiationis naturalis impeditur, ne ipsum, faciat Filium adoptivum, ut diximus in superioribus. Quod non tollit, verum, & propriam rationem prædestinationis: sed illam attollit ad terminum sublimiorem.

S. Thom.

Ephes. 1.

84 Iam ad rationem oppositam *num. 78.* distingo maiorem terminus prædestinationis debet non includi in subiecto formali *quo* prædestinationis, concedo: in subiecto *quod*, totaliter sic denominato, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nam, ut Christus totaliter sumptus sit, & absolutè, ac proprié dicatur prædestinatus, necesse non est, quòd unio hypostatica, aut Filiatio Dei non includatur in Christo; neque quòd gloria visionis sit quid Christo indebitum; sed sufficit quòd Unio, Filiatio, & Gloria non sit quid inclusum, aut connaturaliter debitum naturæ humanæ Christi, quæ est subiectum *quo* prædestinationis: inde enim Christus absolutè, & à fortiori Christus, *ut homo*, dicitur verissimè prædestinatus, & sit subiectum *quod* prædestinationis. Sic homo totaliter sumptus, est, & dicitur calidus, & candidus à candore, & calore recepto in materiâ prima tanquam in subiecto *quo*, & in homine tanquam in subiecto *quod*: & Christus ipse est materialis, cadente hac denominatione in Christum totaliter, quæ tamen quasi pro subiecto *quo* habet solum corpus.

85 Ad confirmationem distingo similiter maiorem: terminus, ad quem subiectum per prædestinationem ordinatur, debet convenire ex gratia subiecto *quod* prædestinationis, nego: subiecto *quo*, concedo maiorem: & concessâ minori de Christo, qui est subiectum *quod*; nego consequentiam: nam, ut diximus, sufficit quòd Filiatio naturalis Dei, & beatitudo sint indebitæ subiecto *quo*, nempé naturæ humanæ, ad hoc ut Christus fiat subiectum *quod* prædestinationis, dicaturque verè, & absolutè prædestinatus ad illas.

86 Dices, hac ratione similiter dici posset Deus prædestinatus, sicut dicitur passus, & mortuus in Christo: scilicet per communicationem idiomatum. Eâdemque ratione dicendus esset Christus prædestinans derivatâ similiter denominationè prædestinantis à Deo habente illam *ut quo*, in Christum tanquam in subiectum *quod*: sicque Christus esset prædestinans, & prædestinatus. Respondetur, primum fore verum secundum regulas communicationis idiomatum: quæ tamen, ut animadvertimus *disp. 2. sec. 7.* patiuntur aliquas exceptiones ob insolentiam, & pericula terminorum: quapropter á multis loquutionibus alioquin veris abstinemus. At, ut iam superiùs insinuavimus ea nostra loquutio, *Christus, aut Christus, ut homo, est prædestinatus*, proprior est, quam aliæ purè communicationis idiomatum: ut sunt illæ. *Deus est passus mortuus, &c.* ad quas pertineret illa, *Deus est prædestinatus*: in illa enim subiectum est *Christus*; in ista, *Deus*: quæ voces non eodem modo significant, ut facile est discernere. Secundum verò non est inconveniens ratione diversorum: unde sicut dicitur Christus mortalis, & immortalis, cur non, similiter prædestinans, & prædestinatus? genitus, & natus temporaliter, & æternè; servus, & dominus, &c.

Supra disp. 2.

87 Per hunc modum solidè explicandi, & defendendi Christi prædestinationem evadimus alios modos, eò minus ad rem pertinentes, quò magis recurrunt ad modos nostros concipiendi. Talis est eorum, qui putant Christum, utpote suppositum involvens Filiationem Dei, non posse dici prædestinatum, ut esset Filius Dei; benè verò Christum, ut hominem, seu hunc hominem in Christo: quia *homo* ex isto modo concipiendi abstrahit ab hoc vel illo modo subsistendi, sive per subsistentiam quæ sit Filiatio Dei, sive per subsistentiam, quæ esset purè humana: cum autem sub conceptu hominis non includat formaliter esse Filium Dei, potuit sic conceptus prædestinari ad esse Filium Dei.

intimitate summâ Spiritûs Sancti ad Patrem, & Filiũ, multò strictiore sine dubio quàm sit gratia habitualis nostra, aut unio hypostatica Christi: ergo ex intimitate, seu conjunctione substantiali unionis hypostaticæ ad Deum non ritè infertur apta ratio proprij Filij Dei. Certé, si semel deflectimus à rigore definitionis filij naturalis, & infra istam admittimus rationem filiationis propriæ, qualem adinvenit P. Bernal; nescio equidem, quâ ratione negabitur Spiritui Sancti ratio hæc filiationis propriæ. Unde datur ansa dicẽdi à fortiori, Spiritum Sanctum esse Filium Patris, & Filij: non quidem filium naturalem, sed proprium contrapositè ad adoptivum, ad quem requiritur extraneitas Personæ. Quod est absurditissimum inconveniens huius sententiæ, dignè ponderatum à Cardinali de Lugo *nu 9.* *Lug.*

24 Displicet secundum. Quia Christũ, ut hominem, dici Filium trium Personarum Trinitatis, nisi in ea dumtaxat abusivâ generalitate, qua totus Deus dicitur Pater pluviæ, Solis, aliarumque rerum, videtur parùm consonum Scripturæ, Concilijs, Patribus, & communi Fidelium sensui. Francofurtensè impensè differens de Filiatione Christi, ne verbum quidem habet, unde Christus existimari possit filius naturalis, aut proprius Spiritûs Sancti, aut totius Trinitatis, sed solius Patris Æterni per generationem æternam, & solius B. Virginis per generationem temporalem. Et Scripturæ, quibus utitur ad stabiliendum, Christum Filium Dei non adoptivum, sed naturalem, & proprium; sunt illæ ipsę, quibus probatur Divinum Verbum esse filium: ac proinde solùm faciunt ad probandũ Christum esse filium Æterni Patris. Velle autem, ex ipsis Scripturis adstruere genus aliud filiationis, quâ quælibet trium Personarum sit verè, & propriè Pater Christi, quâquè Spiritus Sanctus æquè, ac Pater Æternus sit veré, & propriè Pater Christi, ut hominis, & consequenter per communicationem idiomatum sit, dicique valeat Pater Verbi; mihi quidem durissimum est, & genuino sensui Scripturarum repugnantissimum. Hinc Concilium Toletanum 11. ait, Christum nullo modo Spiritûs Sancti Filium credi, vel intelligi posse, ex Augustino scilicet dicente *cap. 11. Enchirid. Natus est Christus de Spiritu Sancto non sicut Filius: & de Maria Virgine sicut Filius.* Unde S. Thom. *3. p. quæst. 32. ar. 1.* differtè docet, Christum non debere dici filium Dei, nisi solùm *ratione generationis æternæ, secundum quam est Filius Patris: & ideo nullo modo debet dici Filius Spiritûs Sancti, aut totius Trinitatis.* Quibus *Francof.* *Toletan.* *August.* *S. Tho.*

multa subjungit erudité Petavius, ex SS. Patribus in Dogmatibus de Incarnation. *lib. 7. cap. 5.* *Petav.*

25 Ex ijs firma manet consequentia syllogismi valdé Theologici à nobis formati *num. 18.* & repulsa media illa cogitatio Patris Bernal de filio proprio, nec adoptivo, nec naturali: ac proinde constabilita nostra conclusio, quód Christus, *ut homo*, est verè filius naturalis Dei.

26 Repellenda indidem est aliorum sententia, qui nobiscum docent, Christum, ut hominem, esse filium naturalem Dei; & cum Bernal dicunt, esse filium totius Trinitatis, Patris, Verbi, ac Spiritûs Sancti. Quippé putant, formam istius filiationis naturalis, qua Christus, ut homo, est filius naturalis Dei, non esse generationem æternam; sed gratiam singularem creatam Unionis hypostaticæ: quæ, cùm respectu humanitatis sit gratia non accidentalis ficut nostra habitualis ordinaria; sed substantialis, intrinsecé, & physicé conjungens humanitatem cum Deo, facienſque Christum hæredem universorum; non facit Christum, ut hominem, filium adoptivum Dei, ficut nos Deo extraneos facit filios adoptivos gratia accidentalis; ac proinde facit Christum, ut hominem, filiũm naturalem Dei. Ita Suarez Vasquez, Conine, Martin. Perez, quibus acquiescere videtur P. Thyrsus *tom. 2. select. disp. 28. sect. 3.* *Suar.* *Vasq.* *Conine.* *Perez.* *Thyrs.*

27 Ego tamen acquiescere non possum. Solùm enim differunt à P. Bernal in modo loquendi, quo nobiscum dicunt, Christum, ut hominem, esse filium naturalem Dei. Decoerero autem volunt primò cum Bernal, Christum esse filium trium Personarum: quod satis repulimus ex Scripturis, Concilijs, & Patribus *num. 24.* Volunt secundò cum eodem, filiationem istam, quam Bernal vocat propriam, & ipsi vocant naturalem, esse gratiam creatam substantialem Unionis hypostaticæ: quod est contra S. Thomam ibidem citatum, differtissimè, & veritissimè asserentem, Christum esse solum filium Æterni Patris *ratione generationis æternæ*; Spiritûs autem Sancti, *nullo modo.* Et contra rationem: quia unio hypostatica non est forma, qua Christus, *ut homo*, procedit similis in natura Deo; sed, qua humanitas unitur Deo in unitatem Personæ: hoc autem est omninò extra conceptum Filiationis naturalis. Nec refert, quòd substantialiter; & multò eminentiùs, quàm gratia accidentalis fundet ius hæreditatis. Quamvis enim istud ius pertineat ad rationem filiationis; non tamen sufficit ad rationem Filiationis: nam multi non filij habent jus ad hæreditatem. *S. Thom.*

SEC-

SECTIO III.

Secunda nostra conclusio: & responsio ad rationem dubitandi.

28 CONclusio 2. Christus, *ut homo*, est Filius naturalis Dei: nō triū Personarū Divinarum, sed Patris divini: & quidem per generationem æternam, qua Verbum procedit à Patre. Tripartitam illam conclusionem tradunt S. Thom. supra citatus, S. Bonav. & utriusque Magister Alexander Alensis, Gabriel, Albertus Magnus, & alij, quos citant, & sequuntur Basil. Legionensis *tom.* 1 *variar. relect.* 4. Curiel *lib.* 2. *contr.* 2. Cardinal. de Lugo *disp.* 31. & Aldret. *disp.* 16.

S.Thom. Bonav. Alens. Gabriel. Albert. Legion. Curiel. Lugus. Aldret.

29 Primam partem probavimus *à num.* 16. Secundam *num.* 24. Tertiam vidimus expressam in S.Thom. in eodem *num.* 24. & 27. Et ulteriùs eam probo. Quia Christus, *ut homo*, est Persona: sed non alia persona, nisi, Filius naturalis Dei, qui per generationem æternam procedit à Patre: ergo Christus, *ut homo*, est Filius naturalis Dei per generationem æternam, qua Verbum procedit à Patre.

30 Hinc clariùs. Christus, *ut homo*, cōcretè, dicit formaliter constitutivè aliquam subsistentiam: non creatam, ut est de fide: ergo increatam: non increatam Patris Æterni, aut Spiritūs Sancti: ergo subsistentiam, seu Personalitatem increatam solius Verbi; quæ formaliter est Filiatio ipsa naturalis, qua nēpe Verbum, & solum Verbum est Filius Patris solius per generationem æternam, quæ est ipsa Filiatio, ipsa Personalitas, ipsa Relatio Divini Verbi, ut suppono cum probatissimis Auctoribus *ex Disputationibus de Trinitate*: ergo Christus, ut homo, concretè sumptus juxta præsentem constitutionem hujus hominis Christi, dicit formaliter constitutivè filiationem naturalem, & generationem æternam Dei: & non sic dicit Paternitatē, nec Spirationem passivam. En igitur quomodo, *ut homo*, sic constitutus, est Filius naturalis Dei per æternam generationem, utpotè sic concretè constitutus, & significatus, dicens formaliter Filiationem Dei æternè per ipsam generantis filium, qua formaliter constituitur Christus concretè homo in tempore, assumptâ de novo hypostaticè humanitate à Personalitate Filij Dei.

31 Qua eâdem ratione alius Christus constitutus ex Personalitate Patris, assumente humanitatem, non esset Filius Dei, sed Pater Dei; &, *ut homo*, Pater Dei; & alius constitutus ex Personalitate Spiritūs Sancti assumente humanitatem, non esset Filius Dei, nec Pater Dei; sed esset Spiritus Sanctus, & *ut homo*, Spiritus Sanctus.

32 Major illa propositio, unde sumpsit exordium nostra probatio *num* 29. traditur communiter à Theologis cum S.Thom. *qu.* 16. *art.* 1. & ibi in Commentario à Suar. & ibidem à P. Vasquez *disp.* 69. ita asseverantes, ut dicat *num.* 7. hanc propositionem: *Christus, in quantum homo, est Persona*: in nullo sensu, quem verba propriè reddere possunt, esse falsam: ac proinde esse simpliciter veram, & concedendam. Sic etiam Cardin. de Lugo *disp.* 23. *sect.* 6. & reliqui communiter. Quódsi veteres aliqui illam negarunt, explicabant se in sensu, quem propositio absolutè prolata non reddit: scilicet reduplicando supra humanitatem, quasi supra formā constituentem Personam: quo sensu, nec Petrus, ut homo, est persona.

S.Thom. Suar. Vasq.

Lug.

33 Nihilominus P. Thyrsus *tom.* 2. *select. disp.* 28. *sect.* 2. illam negat: non solùm in sensu Durandi, eatenus intelligenti, Christum, ut hominem, non esse Personam, quatenus reduplicatio fit supra humanitatem, à qua non sumitur ratio formalis Personæ; sed cadente etiam reduplicatione supra concretum ex humanitate, & Personalitate Verbi. Contra quem tamen abundè probata manet illa nostra major *disp.* 2. *sec.* 1.

Thyrs.

34 Pro responsione ad rationem dubitandi positam *sec.* 2. *nu.* 13. observandum est, quòd jam tetigimus *loc. cit.* ex doctrina S. Thom. apud Cardin. de Lugo *disp.* 31. & latiùs: *disp.* 28. *sec.* 6. reduplicationem illam, *ut homo*, seu, *in quantum homo*, in Christo, interdum cadere supra abstractum humanitatis contradistinctim à Natura, & à Personalitate divinâ, ut cum dicimus; *Christus, ut homo, moritur*, significando, mori ratione humanitatis. Interdum verò cadere supra cōcretum Personæ, seu suppositi, constitutum ex humanitate, & Personalitate contradistinctim à Natura divinâ: ut cum dicimus, *Christus, ut homo, est subsistens*: non quidem significando Christum esse subsistentem per humanitatem, seu ratione humanitatis: hoc enim esset omnino falsum, ut suppositum *sect. precedenti*; sed significando, esse subsistentem ratione involutâ in concretō constituto ex humanitate, & ex personalitate Verbi; prout virtualiter condistinctâ à Naturâ divina: quam Naturam simul cum Personalitate, & cum humanitate complectitur, & significat specificativè *Christus*.

Supra disp. 2.

S.Thom. Delug.

35 Hinc ad rationem dubitandi, concedo antecedens, & diſtinguo conſequens: non verè dicetur: *Chriſtus, ut homo, eſt Filius naturalis Dei*, in ſenſu ſimiliter reduplicante ſupra abſtractum humanitatis, concedo: ſic autem procedit paritas argumenti: in ſenſu alitet reduplicante ſupra concretum ex humanitate, & ex Perſonalitate Verbi, quæ eſt ipſa Filiatio naturalis Dei, nego conſequentiam: in hoc enim ſenſu veriſſimè dicitur: *Chriſtus, ut homo, eſt Filius naturalis Dei*: quia involvit reduplicatio ipſa formaliter Filiationem naturalem Dei, nempè ſubſiſtentiam Verbi, ex qua, & ex humanitate conſurgit conſtitutivè homo, qui eſt in Chriſto. Quemadmodum in eodem ſenſu dicebamus *diſp. 2. ſect. 8.* Chriſtum, ut hominem, eſſe ſubſiſtentem, ſuppoſitum, & Perſonam. Atque hic eſt planiſſimus ſenſus illius propoſitionis: *Chriſtus, ut homo, eſt Filius naturalis Dei*: id eſt: *ut homo*, eſt ſuppoſitum, ſeu Perſona, quæ eſt Filius naturalis Dei: Dei ſcilicet Patris per generationem æternam, non verò ſic Filius Filij, nec Spiritûs Sancti.

Supra diſp. 2.

36 Dices: juxta huiuſmodi ſenſum ſimiliter eſt verum dicere reduplicativè: *Chriſtus, ut homo, eſt Deus*: contra quod diximus *diſp. 2. ſect 7.* ſic ergo non ſalvamus, eſſe verum in aliquo ſenſu, *Chriſtus, ut homo, eſt Filius naturalis Dei*: potiùs quàm, *Chriſtus, ut homo, eſt Deus*. Antecedens probatur: quia juxta noſtram explicationem Chriſtus, ut homo, eſt ſuppoſitum quod eſt Deus, ſicut eſt ſuppoſitum quod eſt Filius naturalis Dei. Reſpondetur dupliciter.

Supra diſp. 2.

37 Primò, concedendo antecedens, & negando, id eſſe contra quod diximus *loc cit.* Nam præſens ſenſus eſt reduplicando ſupra concretum hominis, quod eſt conſtitutum ex humanitate, & ex ſuppoſito Verbi ſeorſim virtualiter à Naturâ divinâ: at quando ibi negavimus illam reduplicativam: *Chriſtus, ut homo, eſt Deus*: ſenſus erat reduplicando ſupra abſtractum humanitatis ſeorſim, ſeu præciſſim ex vi illius modi reduplicandi, & ſignificandi à Perſonalitate, & à Naturâ divinâ: quod eſt dicere, non habere eſſe Deum ratione humanitatis: in quo ſenſu ſimiliter dicimus, non habere eſſe Filium naturalem Dei ratione humanitatis.

38 Secundò, negando antecedens de omnimodâ ſimilitudine: adhuc enim juxta illum ſenſum reduplicationis ſupra concretum hominis ex humanitate, & Perſonalitate Verbi, quæ eſt Filiatio Dei naturalis, diverſimodè ſe habent Perſonalitas, & Deitas: Perſonalitas nimirum, & Filiatio formaliter; Deitas verò diſtincta virtualiter à Perſonalitate, & à Filiatione, identicè propter realem identitatem cum Perſonalitate. Unde eſt, quòd reduplicatio illa, *ut homo*, adhuc eadem ſupra hominem concretè ſumptum, formaliùs dicat Perſonalitatem Verbi, quæ eſt ipſiſſima Filiatio, quàm Naturam, quæ eſt Deitas: ſicque in aliquo ſenſu formaliori dicitur: *Chriſtus, ut homo, eſt Filius naturalis Dei* quo non ita ſimiliter dicitur: *Chriſtus, ut homo, eſt Deus*: adhuc ſervato eodem modo reduplicandi. Sic ergo falſa eſt conſequentia.

39 Opponi ſolet hic ſyllogiſmus: *Chriſtus, ut homo, non eſt Deus: ſed qui non eſt Deus, non eſt Filius naturalis Dei: ergo Chriſtus, ut homo, non eſt Filius naturalis Dei.* Reſpondetur primò, conceſſis præmiſſis, negando conſequentiam ob defectum formæ ſyllogiſticæ: ad quam utique opus eſſet hac minori: *ſed qui, ut homo, non eſt Deus, non eſt Filius naturalis Dei.* Deficit itaque ſyllogiſmus in eo quòd medium Verbum, quod eſt prædicatum in majori, & ſubjectum in minori, ponitur in majori reduplicativè, & in minori ſpecificativè: ſicque variatur ſuppoſitio ejuſdem termini: ſicut in hoc ſyllogiſmo ſimiliter vitioſo. *Petrus, ut homo, non eſt admirativus: ſed qui non eſt admirativus non eſt rationalis: ergo Petrus, ut homo, non eſt rationalis.* Quemadmodum ergo aliud eſt, quòd qui non eſt admirativus non ſit rationalis, quod eſt abſolutè verum; aliud eſt, quòd, qui, *ut homo*, non eſt admirativus, non ſit rationalis, quod eſt reduplicativè falſum: ita ſimiliter aliud eſt, quòd qui non eſt Deus non ſit Filius naturalis Dei, quod eſt, abſolutè verum; aliud eſt quòd qui, *ut homo*, non eſt Deus, non ſit Filius naturalis Dei, quod in eo ſenſu reduplicativo dicimus eſſe falſum: nam ut quis, ut homo, ſit Filius naturalis Dei, ſufficit quòd, ut homo, ſit ſuppoſitum, quòd eſt Filius naturalis Dei. Ex ijs, ſi mavis, ad ſyllogiſmum nobis oppoſitum, conceſſâ majori, diſtinguo minorem: qui abſolutè non eſt Deus non eſt Filius naturalis Dei, verum: qui in aliquo ſenſu reduplicativo, *ut homo*, non eſt Deus, non eſt Filius naturalis Dei, falſum. Hanc autem minorem reduplicativam exigebat ſyllogiſmus ille, ut ritè procederet: quam tamen negaremus cum conſequentia.

40 Dices: qui abſolutè non eſt Deus abſolutè non eſt Filius naturalis Dei: ergo qui in ſenſu reduplicativo non eſt Deus in ſenſu reduplicativo non eſt Filius naturalis Dei. Si ergo Chriſtus reduplicativè, *ut homo*, non eſt Deus, reduplicativè, *ut homo*, non eſt

Filius

Filius naturalis Dei. Respondetur distinguendo primum consequens: si sensus reduplicativus sit unus,& idem,concedo; si duplex,& anceps,nego consequentiam. Quamvis ergo in eodem sensu reduplicante supra abstractũ humanitatis, in quo verum est: *Christus, vt homo, non est Deus*, verum quoque posset esse: *Christus,vt homo, non est Filius naturalis Dei*, ut observabam *num.34*: cum hoc tamen stat,quod in alio sensu aliter reduplicante supra concretum hominis, & à Theologis usurpatissimo, dicatur etiam verissimè: *Christus,vt homo,est Filius naturalis Dei*: quia nempe reduplicatio hæc denotat non nudum abstractum humanitatis, sed concretum ex humanitate,& ex Personalitate, quæ est Filiatio naturalis Dei præcissim à Deitate. Unde nego secundam consequentiam.

41 Instes firmiùs. Adhuc in sensu huius secundæ reduplicationis præscinditur à Deitate: ergo neque in hoc secundo sensu reduplicativo verum est, quòd Christus, *vt homo*, sit Filius naturalis Dei. Antecedens est nostrum. Probatur autem consequentia. Filius naturalis, ut talis, dicit essentialiter similitudinem in natura cum Patre; cùm sit formaliter terminus generationis quæ est: *origo viventis à vivente à principio coniuncto in similitudinem naturæ*: sed Christus,*vt homo*, adhuc in sensu reduplicante supra concretum ex humanitate,& Personalitate Verbi,non dicit,ut talis, similitudinem in natura cum Patre: siquidem præscinditur à Deitate,quæ est natura Patris, virtualiter distincta à Personalitate Verbi: ergo Christus, *ut homo*, non est Filius naturalis Dei,adhuc in eo sensu sic reduplicante.

42 Petrus Hurtadus *disp.82.sect.5.sub sect.11.* respondet, concesso antecedente, negando consequentiam. Ad cuius probationem ait, similitudinem in natura Filij cum Patre requisitam in definitione generationis naturalis non debere esse in natura numericà,nec in specificà;sed sufficere genericà. Sic autem, quamvis Christus,*ut homo*,non dicat naturam Divinam Patris; dicit tamen cum Personalitate Verbi naturam humanam Christi: quæ genericé convenit,seu assimilatur naturæ divinæ Patris, in ratione naturæ intellectualis:quæ similitudo genetica in natura sufficit iuxta Hurtadum,ad hoc ut Christus,*ut homo*, sit similis in natura Patri, prout requiritur in definitione generationis. Hæc responsio patitur difficultates,quas vide apud Bernal *disp.66 sect.2.§.6.*

Hurt.

Bernal.

43 Respondetur aliter ad probationem primæ consequentiæ, concessâ maiori de contractiori,quam velis, similitudine, negando minorem. Quamvis enim illa reduplicatio, *ut homo*, veluti præscindat ex modo suo sic reduplicandi á Deitate, non præscindit à Personalitate Christi: quæ quidem realiter est non solum similis, sed eiusdem etiam naturæ cum Patre: & facit quòd Christus, *ut homo*, sit suppositum, quod realiter est eiusdem naturæ cum Patre: nam in ipsa Personalitate, quantũvis per rationẽ præcissâ,aut virtualiter distinctâ à Natura Patris, involvitur realis identitas cum Natura Patris:quæ realis identitas cum natura est plusquam similitudo in natura,maiorque multò, quàm ut filij creati dicant cum suis Parentibus. Unde, quamvis Christus, *ut homo*, non reduplicet supra naturam Patris, reduplicat supra concretum humanitatis,& Personalitatis, seu Filiationis Verbi, quod concretum est realiter suppositum eiusdem naturæ Divinæ cum Patre. Nec est unde ad rationem Filij naturalis requiratur ulterior similitudo.

44 Dices. Sic etiam Spiritus Sanctus esset Filius, & eius processio generatio,contra Fidem: nam etiam est suppositum procedens à suo principio coniunctissimo in similitudinem naturæ,cùm sit eiusdem naturæ cum Spiratore. Respondeo,me nunquam intelligere satis potuisse,in Spiritu Sancto deesse rationem Filij ex defectu similitudinis in natura,nec ex defectu intentionis,seu propensionis Spiratoris assimilandi sibi in natura Spiritum Sanctum; nec quòd Spiritus Sanctus ex vi formalis processionis non evadat Deus, & idem Deus, ut expendi *disp.8.de Attrib. sect.3.* Ubi dixi,requiri quidem in procedente similitudinem in natura ad rationem Filij; minimé tamen id sufficere; sed ulteriùs requiri virtutem ulteriùs propagativam naturæ, ut ibi ex Magno Basilio sufficienter explicui. Unde, quamvis Spiritus Sanctus precedat similis in natura, seu in similitudinem naturæ, non exinde Filius est: quia non est ulterius propagativus naturæ in aliud suppositum. At Christus,*ut homo*,cum formaliter dicat suppositum,quod realiter,est eiusdem naturæ cum Patre,& ulteriùs propagativum eiusdem naturæ in aliud suppositũ Spiritùs Sancti,dicit quidquid opus est ad rationem filij naturalis Dei.

Tom.1. Disp.8.

Basil.

45 Nec ẽ re Theologicâ est quod dicat forsan aliquis, totum id non exprimi in conceptu formali Christi, *ut hominis*: inde infereus,quòd Christus,*ut homo*,præcisé sub hoc conceptu non dicit rationem similitudinis in natura,nec virtutis propagativæ,ac proinde nec Filij naturalis Dei. Hoc enim est extra præsentem Scopum: sic namque nec, Christus, *ut Deus*, est Filius naturalis Dei:

nam

nam etiam conceptus Dei præſcindit logicé ex hoc modo dicendi, ſeu concipiendi, à ratione Filij; cùm ſit conceptus communis tribus Perſonis. Non ergo loquimur in præſenti de Chriſto, *ut homine*, ſecundum eiuſmodi præciſiunculas logicas; ſed de Chriſto, *ut homine*, ſecundum reduplicationem cadentem ſupra concretum ex humanitate, & ex Perſonalitate, quam re ipsâ dicit Chriſtus; quæ non eſt alia niſi Filiatio ipſa Divini Verbi. De Chriſto autem, *ut homine*, ſecundum hanc reduplicationem Theologicam dicimus eſſe Filium naturalem Dei: quippe ſub ea reduplicatione, etiam præciſim à Deitate, inuolvitur ſuppoſitum Chriſti, quod eſt concretum ex humanitate, & ex Perſonalitate divini Verbi, quæ indiſtinctim etiam virtualiter eſt Filiatio naturalis Dei, & Generatio ipſa æterna Filij, realiter eiuſdem Naturæ cũ Patre æterno & ulteriús propagativa eiuſdem Naturæ ad aliud ſuppoſitum. Id quod Spiritui Sancto nec realiter competit: nec competeret homini conſtituto in unitatem ſuppoſiti per Perſonalitatem Patris, aut Spiritûs Sancti. En paucis ſenſum abſolutiſimum, & planiſsimum, quo Chriſtus, *ut homo*, eſt Filius naturalis Dei, quamvis in bono quoque ſenſu Chriſtus, *ut homo*, non ſit Deus: quia nempe, *ut homo*, eſt unicè ſuppoſitum divinũ vivens à vivente à principio coniuncto in ſimilitudinem, & propagationem naturæ.

SECTIO IIII.

An Chriſtus, ut homo, ſit Filius Adoptivus Dei.

46 VIdimus *ſec.*1. de Fide eſſe nec Chriſtum hominem, nec Chriſtum, ut hominem, nec Chriſtum ſecundum humanitatem, eſſe Filium adoptivum Dei in ſenſu Neſtorij, Feſcis, & Elipandi: quia eſſet hæreticè negare phyſicam, & intrinſecam aſſumptionem humanitatis à Verbo in unitatem Perſonæ.

47 Manet controverſia cum doctiſſimis Scotiſtis. Quippe, admittentes Catholicè phyſicam, & intrinſecam aſſumptionem humanitatis á Verbo in unitatem Perſonæ, & Chriſtum eſſe unicam perſonam, & veré Filium naturalem Dei, docent, Chriſtum, *ut hominem*, reduplicando ſcilicet ſupra abſtractum humanitatis, eſſe Filium adoptivum Dei: quatenus nempé humanitas illa veré adoptata fuit per gratiam creatam eximiam in Filium Dei: cùm autem per gratiam non conſtituatur Filius naturalis, conſtituitur Filius adoptivus: non quidem ſolius Patris æterni, ſed totius Trinitatis. Sic Scotus, Durandus, & Rada apud Conine *diſp.*24. *dub.* 2. Franciſcus Felix Franciſcanus apud Lumbier *qu.* 38. dicens circa mentem Scoti eam fuiſſe dubiam in Sententijs; at in Reportalis *in* 3. *diſt.*10. adhæſiſſe adoptioni Chriſti, ut hominis. Alter autem Scotiſta celebris Eminentiſſimus Cardin. de Lauræa *to.* 1. *in* 3. *diſp.*6. *art.*4. negans adoptionem Chriſti, ut hominis, dubiam ſemper fatétur mentem Scoti; ſed inclinantem in hãc ſententiam negativam, quam ipſe ſequitur contra Scotiſtas ſuos, communiter iam, palamque defendentes adoptionem Chriſti, ut hominis, tanquàm doctrinam Scoti ſubtiliſſimi.

Scot. *Duran.* *Rada* *Conine.* *Felix.* *Lumbier* *Laurea.*

48 Concluſio tamen eſt omnino tenenda cùm communi ſenſu, & modo loquendi Theologorum. Chriſtus, *ut homo*, nullatenus eſt Filius adoptivus Dei. Ratio. Quia adoptio eſt *extraneæ perſonæ in Filiũ aſſumptio*: ut colligitur ex multis, quæ affert Sanchez *lib.* 7. *de Matr. diſp.* 63. iuxta communem morem ſentiendi, & loquendi utriuſque Iuris peritorum, à quo diſcedere nefas eſt in re dogmatica, in qua vel uſurpatio vocum in ſenſu alieno à communi more ſolet offendere, & turbare veritatem. Atqui nec Chriſtus, nec Chriſtus, *ut homo*, adhuc reduplicando ſupra humanitatem, eſt perſona Deo extranea, cum ipſa humanitas coniungatur intrinſecé Deo in unitatem eiuſdem Perſonæ divinæ: ergo Chriſtus, ut homo, nullatenus eſt Filius adoptivus Dei.

Sanchez.

49 Non ſatis fidit huic communi rationi Lauræa *num.*89. ſicut nec Scotus. Quia, inquiunt, ut quis dicatur filius adoptivus per gratiam non opus eſt eſſe Perſonam diſtinctam, nedum extraneam ab adoptante: ergo ex eo, quòd Chriſtus, *ut homo*, nõn ſit Perſona extranea, nec diſtincta à Deo non infertur non eſſe Filium adoptivum Dei. Antecedens patet: nam anima ſeparata iuſti, cùm non ſit perſona, ſed ſubſtantia incompleta, nõ eſt perſona extranea, nec intranea Deo, nec eadem, nec diſtincta perſona à Deo; & tamẽ per gratiam eſt Filia adoptiva, & hæres Dei: ergo, ut quis dicatur filius adoptivus Dei per gratiam, non opus eſt extraneitas illa perſonæ. Atque hinc etiam patet, falſum eſſe quod dici ſolet, denominationem Filij adoptivi nõ cadere niſi ſupra ſuppoſitum, ſeu perſonam, ut inde inferatur cadere non poſſe ſupra abſtractum humanitatis Chriſti. Quandoquidẽ cadit veriſſimé ſupra animam ſeparatam iuſti: quæ nec perſona, nec ſuppoſitum eſt. Niſi negare velit aliquis, animas iuſtas ſeparatas eſſe filias adoptivas Dei: quod nemo audebit.

Lauræa. *Scot.*

Ex-

Digitized by Google

50 Cæterùm,ut hæc evaſio, quæ doctrinam veram ex parte continet,locum non habeat, intro picienda eſt communis illa ratio, & aliter diſponenda, ut recidat in rationem ſolidam, quam ex Scoto approbat ipſe Laurea *à num.101.* Sic nimirum,ut extraneitas illa perſonæ requiſita ad adoptionem capiatur potiùs in ſenſu negativo, quam in poſitivo: quòd nempe adoptatus non ſit ipſa perſona, nec quid intrinſecè intraneum Perſonæ adoptanti. Hunc eſſe debere ſenſum legitimũ cõmuniſſimæ definitionis patet: quia poſſet Pater eodem, & maiori affectu ſibi affectivè coniungere Filium alioquin naturalem, in ſui amorem ſtrictiſſimum,& in hæreditatem; quin tamen hæc moralis, & affectiva coniunctio ſive aſſumptio Filij naturalis à Patre illum conſtituat Filium adoptivum: non aliâ certè de causâ, niſi quia eſt ſimul Filius naturalis,ac proinde non extraneus Patri ſuo naturaliter ergo quia extraneitas adoptati requiſita ad adoptionem intelligenda eſt in ſenſu negativo pro excluſione intraneitatis intrinſecæ adoptati ad adoptantem: quòd ſcilicet, nec ſit perſona, nec ſubſtantia aliunde intranea adoptanti:& à fortiori quod non ſit quid phyſicè, & intrinſecè unitum adoptanti in unitatem phyſicam perſonæ.

Laurea.

51 Hinc formo paulò aliter rationem concluſionis præoccupans datam reſponſionem. Adoptio eſt, *extranea Perſonæ in Filium aſſumptio*: hoc eſt aſſumptio alterius, quæ quamvis ſit diſtincta Perſona,tamen non ſit intranea,ut eſt reſpectu Patris creati Filius naturalis creatus, ideo à Patre naturali inadoptabilis. Atqui Chriſtus, ut homo,non eſt Perſona Deo extranea; nec humanitas Chriſti eſt quid Deo extraneũ, cùm ſit phyſicè,& intrinſecè Deo coniuncta in unitatem Perſonæ divinæ:ergo nec Chriſtus, *ut homo*,nec eius humanitas eſt,nec dici poteſt adoptari à Deo:ac proinde Chriſtus,*ut homo*,adhuc reduplicando ſupra abſtractum humanitatis hypoſtaticè Deo unitæ, nec eſt nec dici poteſt Filius adoptivus Dei.

52 Hic ſenſus, diſcurſus, & modus loquendi eò mihi eſt gratior, quò ſolidùs nititur authoritate Concilij Francofordienſis, & Adriani Papæ,ita in terminis ipſis noſtræ cõcluſionis, & rationis expreſsâ, ut aliquos reſponſores adegerit ad negandam, tam prædicto concilio utpotè non univerſali, quàm Pontificijs Adriani Epiſtolis, utpotè eidem concilio ſubnixis, infallibilem authoritatem.

Francof. Adrian

53 Cæterùm hoc iam videri poſſet nõ tam reſpondere, quàm ineptire, poſtquam mandato Sedis Apoſtolicæ Epiſtola illa Adriani ad Epiſcopos Hiſpaniæ inſerta eſt tanquam authentica inter Decretales: & concilium illud recognitum, inter alia Eccleſiæ concilia collocatum eſt in tomo tertio Conciliorum: quamvis enim non fuerit concilũ Generale; fuit tamen Nationale celeberrimum trecentorũ Epiſcoporum,teſte Cardin. de Laurea *num 84.* & quod caput eſt,à Papa confirmatum, ut legere eſt apud Baronĩ *ad annum Chriſti 594.* Unde meritò Magiſter Lumbier *num. 2154.* cenſet, non poſſe iam ſine ingenti temeritate negari concilij Francofordiẽſis,& Epiſtolæ Decretalis Adriani authoritatem. Nec obeſt quòd in eo concilio reprehendantur Eugenius, Julianus, & Ildephonſus Archiepiſcopi Toletani. Reſpondetur enim, eos dignos rephenſione iudicatos à concilio,ſi dixiſſent quod ab illis dictum eſſe allegabat, ut ſe tantorum Antiſtium authoritate tueretur Elipandus, contra quem agebant concilium,& Papa. Eos tamẽ id minimé dixiſſe videbimus *ſtè ſeq.*

Laurea. Baron. Lumbier

54 Reſponſio prudentiorum Scotiſtarum eſt,concilium,& Papam damnaſſe adoptionem Chriſti in ſenſu Neſtorianorum, ponentium in Chriſto duo ſuppoſita, quorum unum,nempe divinum eſſet Filius Dei naturalis; alterum, nempe humanum, eſſet Filius adoptivus; non autem in ſenſu Durandi, & aliorum, unicum in Chriſto ſuppoſitum agnoſcentium,quod ſecundum diverſas naturas ſit Filius Dei naturalis, & adoptivus; naturalis,ut Deus,ſeu ſecundum Deitatem; adoptivus, ut homo, ſeu ſecundum humanitatem; Sic Franciſcus Felix *cap. 19 diffic. 1.* & alij apud Uvandignum *diſp.11. §.2.* & apud Aldret.*diſp.86.*

Felix. Uvadin. Aldret.

55 Ut hæc reſponſio convellatur,ſcire oporet,nunquam ſatis exploratam fuiſſe hæreſim Fœlicis,& Elipandian ſcilicet duas perſonas ponerent in Chriſto more Neſtorij,ut de illis ſentit Bernal *diſp.64.*cum P.Suar. *diſ. 49 ſec.3.* ali verò unicam: & illam quidem divinam agnoſcentes,de illa,ut homine,dixerint eſſe Filium adoptivum Dei, ut ſentit Hurt. *diſp.83.*cum Vaſquez,& alijs.Certum ſaltem eſt, doctrinam illorum fuiſſe,quòd Chriſtus, *ut homo*, ſit Filius adoptivus Dei. Quocirca Concilium Francofordienſe, & cum ipſo Adrianus Papa tria contra illos damnarunt. Primum, quòd erat præcipuum,& certò ab illis aſſertum:Chriſtum,ut hominem,eſſe Filium Dei adoptivum. Secundum:Chriſtum, ut hominem eſſe Dei ſervum in ſenſu diſcutiendo,& explicando *diſp. ſequen.* Tertium: dualitatem Perſonarum in Chriſto, de qua erant valdè ſuſpecti: quamvis id valdè ſimularent,ne planè Neſtorianos ſe proderent.

Bern. Suar. Hurt. Vaſq.

Ita-

56 Itaque, ut damnatio Concilij eos certissimè feriret, & compesceret in eo de quo clarè convicti fuerunt, cùm palàm defenderent Christum, ut hominem, esse *Filiũ* adoptivum Dei; præcipuus scopus Concilij, & Papæ fuit, hanc illorum propositionem damnare, seorsim etiam ab aperto Nestorianismo, sive admitterent, sive non admitterent duas Personas in Christo. Fit igitur apertè contra responsionem Scotistarum, adoptivã Christi Filiationem fuisse damnatam á Concilio, & Papa, non solum in sensu Nestorianorum admittentium in Christo dualitatem Personarũ; verũctiã in sensu abstrahente à sensu Nestorianorũ: specialiter nimirum contra Fœlicem, & Elipandum, sive essent, sive non essent verè Nestoriani: de quo non erant plenè convicti propter subdolas eorum tergiversationes. Ergo utrolibet ex illis modis dicere, Christum, ut hominem, esse Filium Dei adoptivum, est doctrina à Concilio, & Papa expressè, & præcipuè damnata.

57 Patet hoc ex ipsa Adriani Epistola ad Episcopos Hispaniæ *colum. 2.* ibi: *Materia autem causalis perfidiæ inter cætera rejicienda de adoptione Iesu Christi Filij Dei secundum carnẽ.* Et deinceps adhoc sic probandum scilicet, adoptionem Christi *secundum carnem*: quæ est clarissima reduplicatio Christi, *ut hominis*, seu *secundum humanitatem*; esse doctrinam reijciendam, congerit Pontifex ingentem Scripturarũ, eruditionem utens ijsdem Scripturæ locis, quibus probant Theologi, Christum, ut hominem, esse filium naturalem Dei, ut legere est in longâ contexturâ dictæ Epistolæ decretalis: & signanter Loco Pauli ad *Rom. 8. Proprio Filio suo non pepercit Deus; sed pro nobis omnibus tradidit illum*: ex quo Concilium: ibi: *scimus enim, quia non est traditus secundum divinitatem, sed secũdum id quod homo verus est*: illum *nimirum, qui traditus est, id est hominem ipsum, Apostolus proprium Dei Filium protestatur.* Perinde etiam reduplicationẽ illam, *secundum id quod homo verus est*, ut scilicet inferat, quód etiam, ut homo est, Filius naturalis, ac proinde, nec *ut homo*, adoptivus: prout se clariùs explicat idem Concilium in subsequentibus ex verbis Petri *Matth. 16.* ibi: *Numquidnam dixit Petrus: Tu es Christus, qui propter nos factus es Filius hominis, & per adoptionem factus es Filius Dei? absit. Hoc nec Petrus confessus est nec sancta confitetur Ecclesia.* Hæc, & alia plura ibi Pontifex ex decreto conciliari Francfordiensi, nõdum factâ mentione dualitatis Personarum, prout asserebatur à Nestorianis; & præcisè loquendo contra adoptionẽ christi, expressâ satis reduplicatione, *ut hominis*, & *secũdũ humanitatem*, prout certe asserebatur à Fœlice, & Elipando, in terminis, ni fallor, ipsis, quos usurpant Durandus, & aliqui Scotistæ.

Adrian. *Roma. 8.* *Francof.* *Mat. 16.*

58 Nec obest, quód postea fiat aliqualis mentio dualitatis Personarum Nestorianæ: ibi: *si quis adversus scripturas dicat, alium dicens Filium Dei, & alium, qui ex Maria Virgine, hominem secundum gratiam adoptatum, sicut nos, quasi essent duo Filij, unus secundum naturam, qui ex Deo est, & unus secundum gratiam, qui ex Maria, &c. hunc anatematizat Ecclesia.* Hæc Adrianus ex Athanasio. Et addit contra Felicianam hæresim ex Nazianzeno: ibidem: *Si quis introducit duos Filios unum quidem qui ex Deo, & Patre; secundum verò, qui ex Matre; & non eundem, ut adoptionis gratiam excedat, quæ promissa est his, qui credunt; alienum eum à nostro consortio indicamus.* Ergo adoptio, quam damnavit Concilium, & Pontifex contra Fœlicem, & Elipandum, est adoptio in sensu Nestoriano, scilicet cum dualitate Personarum, & Filiorum in Christo.

Adrian. *Athan.* *Nazian.*

59. Respondetur enim, hæc omnia esse vera, damnatam ibi quoque ab Adriano fuisse adoptionem in sensu Nestorij, ut sic etiam fortè percelleret damnatio Felicem, & Elipandum, qui de Nestorianismo vehementer erant suspecti. Quoniam verò circa Nestorianismum tergiversabantur, nec erant plenè convicti, damnata quoque fuit ibidem adoptio seorsim ab aperto Nestorianismo: ut in eo etiam, quod palam, & sine tergiversatione docebant, inexcusabiliter percellerentur. Ex quo deduximus, damnatam in Ie manssisse adoptionem Christi, ut hominis, etiam abstrahendo à Nestoriana dualitate Personarum.

60 Aliorum evasio est, damnatam ibi fuisse adoptionem Christi, *ut hominis*, reduplicativè supra concretum hominis ex humanitate, & Personalitate Filij naturalis Dei: in quo sensu defendimus, & explicuimus Christum, *ut hominem*, esse Filium naturalẽ Dei. At non damnatã esse adoptionẽ Christi, *ut hominis*, reduplicativé supra abstractum humanitatis: nam hoc solùm est dicere, naturam humanam Christi, quæ quidem non est Filia naturalis Dei, esse adoptatam à Deo. Huic tamen evasioni præclusit aditum Pontifex, loquens signanter contra doctrinam *de adoptione Iesu Christi Filij Dei secundum carnem*, ut expenditmus *num. 57.* Accedit, quod Concilium in proemio Sacrosyllabi, ad Episcopos plurium Regiònum diresi,

cti, intentum sui decreti conciliaris explicãs, ait: *cum suspicantur adoptatum, quod dici nefas est: quia de B. Virgine inenarrabiliter sumpsit, non adoptavit, carnem.* Quid clariùs contra modum omnem defendendi adoptivam Christi Filiationem?

61 Propter hæc propositio illa, quam impugnamus: *Christus, ut homo, est Filius adoptivus Dei*; censuratur graviter à gravibus Theologis. Vasquez *disp.* 80. censet hæreticam, nec aliam fuisse hæresim Felicis, & Elipandi. Bernal *disp.* 65. *sec.* 4. *num.* 37. ait, opponi Catholicæ Fidei pronunciatõ, nempé definitioni Concilij, authoritate Adriani Papæ confirmatæ: quod est illam saltem erroneam censere. Alij censent hæresi proximam; quia valde accedit ad Nestorianismum. Suarez censet hæreticam in sensu Nestoriano, in quo certò damnata est à Concilio; in alio autem sensu de adoptione humanitatis coniunctæ alioquin physicè Verbo in unitatem Personæ; censet improbabilẽ. Lorca, & Lumbier *quæst.* 38. *art.* 1. §. 4. illam, ut ab Scotistis assertam, absolvunt à censura Theologica: in quo non discrepant à Suarez.

Vasq. *Bernal.* *Suar.* *Lorca.* *Lumbier*

62 Aegré fert Franciscus Felix suprà dictas censuras, expendens, quód ab errore Felicis, & Elipandi scãdalizata sic fuit Ecclesia, ut coacto ad id Concilio, eorum doctrinam severé damnaverit: cùm tamen doctrina Scotistarum de adoptione humanitatis Christi palam evulgetur in libris catholicis, & in publicis Thæsibus defendatur sine Ecclesiæ scandalo, & cõtradictione. Ergo quia valde diversa est, & à suprà dictis censuris absoluta.

Felix.

63 Responderi fortè posset, eam propositionem per se sub illis terminis. *Christus, ut homo, est Filius adoptivus Dei*, esse saltem male sonantem, & sapientem hæresim. Quia sub ijsdem terminis latet sensus aliquis quicumque ille fuerit, damnatus à Concilio, & Papa contra illos hæreticos: à quorum modis loquendi protestativis suorum errorum cavere debemus. Quod autem Scotistis sic loqui permittatur, ideo esse potest, quia se iam satis explicuerunt iuxta terminos doctissimæ, & Catholicissimæ suæ Scholæ: quo purgati satis sunt à qualibet suspitione sensûs erronei, cuius erant vehementer saltem suspecti Felix, & Elipandus. Ideó Theologus non Scotista indigeret præsentissimà explicatione, ut tutus ab omni censura sic loqui posset. Laudo prudentiam sapientissimi Scotistæ Cardinalis de Laurea, qui ijs non obstantibus, ait *num.* 10. sibi sufficere allegatam Adriani definitionem, ut omnino neget filiationem Christi adoptivam: & *num.* 108. concludit, quòd quomodocumque defendatur hoc dogma, Christum, ut hominem, non esse Filium Dei adoptivum, parùm refert, dummodo defendatur.

Laurea.

SECTIO V.

Obiectiones Durandi, & Scotistarum.

64 Obijciunt primò loquutiones aliquorũ Ecclesiæ Patrũ. Hilarij *2. de Trinit.* ibi: *potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.* Eugenij, Juliani, & Ildephonsi in Missa de Ascensione, prout allegabant Felix, & Elipandus: *Salvator noster post adoptionem carnis.* Ergo carnem, seu humanitatem Christi dici adoptatam, ac proinde in eodem sensu, Christum, ut hominem, Filium Dei adoptivum, loquutio est obvia in Patribus Ecclesiæ: atqueadeó minimè repellenda.

Hilar. *Ildeph.*

65 Respondetur primò ex Vasquez verba Hilarij esse corrupta: nam pro, *adoptatur* legi debet, *adoratur*, ut legitur in editione Parisiensi anni 1544. teste Coninc. *nu.* 17. Minori cum fundamento coniectatur Bernal *sect.* 3. *nu.* 30. legi debere: *adaptatur*: iuxta illud Pauli: *corpus autem adaptasti mihi.* Sed quid ad alios Patres Toletanos? Ideo generaliùs respondent secundó alij ex Alensi, in ijs loquutionibus non tam esse sermonem de singulari carne, seu humanitate Christi physicé à Verbo assumptâ in unitatem personæ Filij naturalis Dei; quàm de carne, seu natura humana in genere, valde condecoratâ, & elevatâ ad gratiam adoptionis, in alijs, ex eo quòd in Christo hominum Redemptore humanitas aliqua fuerit hypostaticè assumpta, & verè Deus factus homo. Tertió respondent alij sinceriùs cum Sancto Thoma *qu.* 23. *art.* 4. *ad* 1. eos Patres tunc temporis minús curasse de proprietate sermonis, & impropriè loquutos sumentes largé, *adoptare*, pro, *assumere*. & *adoptionem*, pro, *assumptione*. Post Felicem autem, & Elipandum, qui eorum authoritatibus abutebantur, accuratiús debemus loqui, né, vel in vocibus, illis favere videamur: quas propterea reprehendit Concilium Francfordiense, & in Epistolis suis Adrianus.

Conin. *Bernal.* *Habreor.* 10. *Alen.* *S. Thom.*

66 Obijciunt secundò. Christus, ut homo, habet gratiam habitualem: sed unus ex effectibus formalibus gratiæ habitualis est facere Filium adoptivum Dei: ergo Christus, ut homo, seu secundum humanitatem, est Filius adoptivus Dei. Respondetur, concesâ maiori, distinguẽdo minorem: facere Filium adoptivum subiectum capax huius denominatio-

nis,& huius effectûs formalis, concedo: ſubiectum incapax, nego minorem, & conſequentiam. Nam Chriſtus, ut homo, cùm ſit perſona Deo intrane; iuſque humanitas,cũ ſit quid Deo intrinſecé coniunctum in unitatem Perſonæ divinæ, eſt ſubiectum in eo ſtatu incapax denominationis,& effectûs formalis Filij adoptivi. Filiatio enim adoptiva, ut denominativé cadat in aliquod ſubiectum, dicit, tale ſubiectum eſſe puré moraliter,extrinſecé,& affectivè affiliatum adoptanti,ut expendimus *ſect. praced* & ſupponit concilium Francfordienſe *in Sacroſyllabo*: ibi: *Francf.* *Porrò adoptivus dici non poteſt niſi is qui alienus eſt ab eo, à quo dicitur adoptatus.* Sic gratia ipſamet habitualis,quamvis ſit iuſtitia nõ dicitur iuſtificare animam,in qua non præceſſit peccatum,quamvis illam formaliter ſanctificet:quia ſtrictè iuſtificare,præter præciſé ſanctificare, dicit transferre ab ſtatu peccati in ſtatum gratiæ, & adoptionis Filiorum Dei,ex Trident. *Trid.* *ſeſſ 6.cap.4.*

67 Urgent. Quamvis in Chriſto Perſona non ſit extranea Deo; at ſaltem humanitas, ſeu anima, cui formaliter ineſt gratia habitualis, eſt natura Deo extranea: ergo hæc ſaltem denominari poteſt Filia adoptiva, ſeu adoptata à Deo per gratiam habitualem:imò & per gratiam Unionis: ad quam pro priori naturæ præceſſit ſubſtantia animæ præcindens à gratia, & unione. Non eſt ergo cur in hoc ſenſu Chriſtus,*ut homo*,hoc eſt, *ſecundũ humanitatem*, non ſit, aptéque dicatur Filius adoptivus Dei.Probatur hæc ſubillatio: nam eſſe filium Dei adoptivum eſt magna dignitas,& perfectio, & proprium hominum ſanctificatorum:ergo non eſt cur Chriſto,ut homini ſanctiſſimo,denegetur.

68 Nec obſtat, quód nec humanitas, nec anima Chriſti ſit ſuppoſitum. Nam neque anima iuſti ſuppoſitum eſt;& tamen per gratiam denominatur Filia adoptiva Dei, ut vifum eſt *ſect praced.* Nec item obeſt,quód anima Chriſti non præceſſerit tempore ad gratiam,nec unionem. Ea enim temporis præcedentia non requiritur ad denominationem Filij adoptivi, ut patet in Angelis,& in anima Sanctiſſimæ Virginis in primo inſtanti ſui eſſe facta per gratiam Fil à adoptivã Dei abſque præcedentia temporis ad ſtatũ Filiationis adoptivæ.

69 Reſpondetur, negando antecedens in ſenſu completo,& negativo expoſito *num.* 50.& uſurpato á Concil Francfordi,in verbis allegatis *num.66.* ac proinde omnino retinẽdo, niſi vocibus abuti velimus,non ſatis, ac par eſt,recedentes à modo loquendi Felicis, & Elipandi. Nam & humanitas, & anima Chriſti ſunt intrinſecé phyſicé unitæ Deo in unitatem Perſonæ divinæ: quæ intraneitas non ſtat cum extraneitate requiſita in adoptato reſpectu adoptantis. Certé multo minor intraneitas eſt quam dicit Filius naturalis creatus reſpectu Patris creati; quæ tamen obſtat, né ſit aut denominari valeat Filius adoptivus à qualicumque affectu Paterno.

70 Nego deinde primam conſequentiam. Nec prodeſt illud de prioritate naturæ animæ ad Unionem, & ad Gratiam. Aliud enim eſt, quòd pro illo priori non ſint unio, & gratia,ac proinde non ſit intraneitas; quod eſt verũ;aliud ẽ,quód pro illo priori ſit extraneitas, aut negatio, ſeu excluſio intraneitatis; quod eſt falſum:nam pro illo priori præſcinditur ab utráque: & quod eſt pro illo priori, nempe ſubſtantia animæ,diſtinguitur realiter ab intraneitate, & ab extraneitate: ad excludendam autem intraneitatem impeditivam denominationis Filij adoptivi, requireretur, quód pro illo inſtanti reali non daretur aſſumptio intrinſeca illius animæ in unitatem Perſonæ divinæ: ſicut ad excludendam extraneitatem requiſitam ad filiationem adoptivam ſufficit, quòd pro illo inſtanti reali ſit, ut veré realiter eſt, intraneitas animæ per aſſumptionem intrinſecam in unitatem Perſonæ divinæ: quemadmodum ad excludendam formã á toto inſtanti reali, ita ut nec ſit pro priori, nec pro poſteriori in eo inſtanti, ſufficit ſi pro eo inſtanti reali datur forma oppoſita; modò detur pro priori, modò pro poſteriori naturæ. Alioquin in idem inſtans reale coincidere poſſent forma, & negatio formæ,contrà totam Philoſophiam.

71 Hinc falſa eſt etiam ſubillatio. Stat enim efficax ratio, cur in eo etiam ſenſu, *ſecundum humanitatem*, Chriſtus,*ut homo*,non ſit *Filius* adoptivus Dei. Quia nempe nec *ut homo*, nec ſecundum humanitatem dicit extraneitatem requiſitam ad adoptionem: cùm nec pro priori, nec pro poſteriori naturã dicat quidquam excludens à toto illo inſtanti reali aſſumptionem phyſicam in unitatem Perſonæ divinæ: quæ aſſumptio eſt intraneitas impediens pro toto illo inſtanti extraneitatem, quam requirit adoptio, & facit humanitatem in ſui conſertio incapacem denominationis Filij adoptivi.

72 Ad probationem ſubillationis,conceſſo antecedente,negatur conſequentia. Nã etiam habere fidem eſt magna perfectio,non tamen eo ipſo Chriſto concedenda:quia opponitur maiori perfectioni, nempe evidenti rerum omnium intuitioni, in cuius defectũ datur nobis Fides quaſi ſupplementum. Sic

ergo,

ergo, quamvis esse Filium adoptivũ sit magna perfectio, non verò sine imperfectione, nec compatibllis cũ maiori perfectione assumptionis intrinsecæ humanitatis in unitatem personæ divinæ, cuius assumptionis exclusionem dicit extraneitas requisita ad denominationem Filij adoptivi. Ob quam rationem nec Spiritus Sanctus est Filius adoptivus, quamvis nec sit Filius naturalis. Idemque esset de homine resultante ex humanitate assumptâ ab Spiritu Sancto.

73 Objciunt tertió. Christus, *ut homo*, seu *secundum humanitatem*, iuxta reduplicationem, in qua nunc loquimur, non est Filius naturalis Dei: nam humanitas non est Filia naturalis Dei: sic ergo Christus, *ut homo*, est Filius Dei adoptivus; per adoptionem scilicet humanitatis: cui adoptioni non adversatur Ecclesiæ definitio, damnans utique adoptionem Christi, ut hominis sic concretè constituti in ratione Personæ humanæ adoptatæ distinctæ à Persona divina adoptante.

74 Respondetur, concesso antecedente, negando consequentiam: non enim ex eo quód humanitas non sit Filia naturalis Dei infertur bene, esse Filiam adoptivam: sicut ex eo quòd Spiritus Sanctus non sit Filius naturalis Dei non infertur, esse adoptivum: nec ex eo quòd homo non sit filius naturalis angeli sequitur esse adoptivum. Hi enim termini, *adoptivus*, & *naturalis*, quamvis repugnantes inter se sint eo quòd *adoptivus* dicat extraneitatem à natura Patris, quam negat *naturalis*; non sunt immediatè oppositi taliter ut non detur medium inter illos, quod neutrum illorum sit. Sic opponuntur gratia, & peccatum, oppositione scilicet incompatibilitatis essentialis; non tamen ita, ut nequeat dari subiectum, in quo nec gratia nec peccatum sit: & multa alia, tam in physicis, quàm in Theologicis. Itaque Christus, *ut homo*, sic reduplicatus, secundum humanitatem, nec est Filius Dei naturalis, quia abstractum humanitatis non oritur per generationem Dei æternam vivens à Deo vivente in similitudinem, & propagationem naturæ divinæ, ut vidimus agentes, de Filiatione naturali; nec est Filius Dei adoptivus, quia huic denominationi obstat assumptio intrinseca, & physica humanitatis Deo in unitatem Personæ Divinæ: huiusmodi autẽ assumptio est intraneitas essentialiter opposita extraneitati essentialiter requisitæ ad rationem Filij adoptivi, ut ex iuridico, & Theologico modo loquendi, & ex authoritate Concilij, & Papæ accepimus. Nec licet in re dogmatica inordinatè loqui. Unde nego, eiusmodi adoptionem humanitatis assertam ab Scotistis non advertari definitioni Ecclesiæ, ut satis evicimus supra.

75 Propter hæc, si Persona Patris assumpsisset hypostaticè humanitatem, Deus homo inde constitutus, nec esset Filius Dei naturalis, nec adoptivus. Neque hoc est, aut esset imperfectio, ut patet in Spiritu Sancto: non enim impeditur ibi ratio Filij adoptivi Dei nisi ex maiori perfectione, scilicet ex maiori coniunctione ad Deum, quacum incompatibilis est minor perfectio adoptionis, Similiter, casu, nobis possibili ex dictis *disp. 3. sec. 1.* quo humanitas retinens propriam personalitatem assumeretur à Personâ Divinâ in dualitate personæ; Deus homo inde resultans non esset Filius Dei apdoptivus: quia quamvis in hoc casu essent ibi duo suppositа, essent tamen non extrinsecè tantum, affectivè, & moraliter; sed physicè, & intrinsecè mutuó coniuncta: ac proinde suppositum illud humanum non esset divino extraneum, pro ut requiritur ad rationem Filij adoptivi. Profectó multò minor intimitas, seu intraneitas filij naturalis, creati ad patrem creatum reddit illum incapacem adoptionis ab eodem. *Supra disp. 3.*

76 Objciunt quartó. Christus est *prædestinatus Filius Dei*, & *ut homo*, sive secundum humanitatem, veré prædestinatus per gratiam ad gloriam. Itemque, *ut homo*, est veré Dei servus: ergo, *ut homo*, veré quoque Filius Dei adoptivus. Consequentia falsa est ob rationes datas. Veritas antecedentis, quoad priorem partem de prædestinatione, examinabitur *sec. seq.* quoad posteriorem de servitute, *disp. seqn.* unde constabit ratio disparitatis, quæ hic desiderari posset. *Infrà disp. 10.*

SECTIO VI.

An, & quomodo Christus, aut Christus, ut homo, sit, vereque dicatur prædestinatus.

77 *QUi prædestinatus est Filius Dei in virtute*; scribit Apostolus de Christo *ad Roman. 1.* Quæ verba faciunt de Fide, Christum fuisse à Deo prędestinatum. At in quo sensu dicitur à Paulo prędestinatus? Ad quem terminũ prædestinatus? Quâ sermonis proprietate prædestinatus? Multa Expositores Sacri apud Cornelium super illum locum. Multa quoque, & varia Scholastici cum S. Tho. & Scoto apud Suarez *disp.* 50. supponentes ut plurimum, prædestinationem in rigore scholastico esse transmissionem, seu ordinationem, qua Deus ordinat, dirigit, & evehit naturam rationalem *Rom. 1. Alapid. S. Thom. Scot. Suar.*

detur, quòd nec illi naturæ humanæ dici poterit indebita gratia unionis, & gloria viſionis. Huic enim obſtaculo iam occurrimus ibi *ſect. 8.* vox enim *humanitas*, *& natura humana*, ſignificat in recto partes, nempe corpus, & animam; unionem autè conſignificat in obliquo: ſufficit autem quòd illis partibus, unitis ſit indebitus, & gratuitus modus ille taliter ipſas uniens invicem, ut ſimul illas uniat Hypoſtaſi Filij Dei. Vide ibi *à num. 118. ſect. 10.*

83 Nec item obeſt, quod ſibi opponit S. Thom. *art. 1.* terminum prædeſtinationis debere eſſe adoptionem filiorum iuxta illud: *prædeſtinavit nos in adoptionem Filiorum.* Ephes. 1. Cum ergo Chriſtus, ut vidimus, nequeat ullatenus dici Filius adoptivus Dei, eadem ratione non poterit dici prædeſtinatus. Reſpondetur enim ex eodem S. Thom. *ad 1.* antecedens intelligi de prædeſtinatione communi noſtrâ. *Chriſtus autem ſicut ſingulari modo præ aliis eſt Dei Filius naturalis, ita quodã ſingulari modo eſt prædeſtinatus*: ſcilcet ad gratiam unionis intrinſecæ cum Filio naturali Dei, & ad gloriam excellentiſſimam coniunctam etiam cum gratia accidentali, quæ à maiori perfectione filiationis naturalis impeditur, ne ipſum, faciat Filium adoptivum, ut diximus in ſuperioribus. Quod non tollit, veram, & propriam rationem prædeſtinationis; ſed illam attollit ad terminum ſublimiorem. S. Thom.

84 Iam ad rationem oppoſitam *num. 78.* diſtingo maiorem: terminus prædeſtinationis debet non includi in ſubiecto formali *quo* prædeſtinationis, concedo: in ſubiecto *quod*, totaliter ſic denominato, nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam. Nam, ut Chriſtus totaliter ſumptus ſit, & abſolutè, ac propriè dicatur prædeſtinatus, neceſſe non eſt, quòd unio hypoſtatica, aut Filiatio Dei non includatur in Chriſto; neque quòd gloria viſionis ſit quid Chriſto indebitum; ſed ſufficit quòd Unio, Filiatio, & Gloria non ſit quid incluſum, aut connaturaliter debitum naturæ humanæ Chriſti, quæ eſt ſubiectum *quo* prædeſtinationis: inde enim Chriſtus abſolutè, & à fortiori Chriſtus, *ut homo*, dicitur veriſimè prædeſtinatus, & ſit ſubiectum *quod* prædeſtinationis. Sic homo totaliter ſumptus, eſt, & dicitur calidus, & candidus à candore, & calore recepto in materiâ prima tanquam in ſubiecto *quo*, & in homine tanquam in ſubiecto *quod*: & Chriſtus ipſe eſt materialis, cadente hac denominatione in Chriſtum totaliter, quæ tamen quaſi pro ſubiecto *quo* habet ſolum corpus.

85 Ad confirmationem diſtingo ſimiliter maiorem: terminus, ad quem ſubiectum per prædeſtinationem ordinatur, debet convenire ex gratia ſubiecto *quod* prædeſtinationis, nego: ſubiecto *quo*, concedo maiorem: & conceſſâ minori de Chriſto, qui eſt ſubiectum *quod*; nego conſequentiam: nam, ut diximus, ſufficit quòd Filiatio naturalis Dei, & beatitudo ſint indebitæ ſubiecto *quo*, nempè naturæ humanæ, ad hoc ut Chriſtus fiat ſubiectum *quod* prædeſtinationis, dicaturque verè, & abſolutè prædeſtinatus ad illas.

86 Dices, hac ratione ſimiliter dici poſſet Deus prædeſtinatus, ſicut dicitur paſſus, & mortuus in Chriſto: ſcilicet per communicationem idiomatum. Eâdemque ratione dicendus eſſet Chriſtus prædeſtinans derivatâ ſimiliter denominatione prædeſtinantis à Deo habente illam, *ut quo*, in Chriſtum tanquam in ſubiectum *quod*: ſicque Chriſtus eſſet prædeſtinans, & prædeſtinatus. Reſpondetur, primum fore verum ſecundum regulas communicationis idiomatum: quæ tamen, ut animadvertimus *diſp. 2. ſec. 7.* patiuntur aliquas exceptiones ob inſolentiam, & pericula terminorum: quapropter à multis loquutionibus alioquin veris abſtinemus. At, ut iam ſuperiùs inſinuavimus ea noſtra loquutio, *Chriſtus, aut Chriſtus, ut homo, eſt prædeſtinatus*, proprior eſt, quam aliæ puræ communicationis idiomatum: ut ſunt illæ. *Deus eſt paſſus mortuus, &c.* ad quas pertineret illa, *Deus eſt prædeſtinatus*: in illa enim ſubiectum eſt *Chriſtus*; in iſta, *Deus*: quæ voces non eodem modo ſignificant, ut facile eſt diſcernere. Secundum verò non eſt inconveniens ratione diverſorum: unde ſicut dicitur Chriſtus mortalis, & immortalis, cùm non, ſimiliter prædeſtinans, & prædeſtinatus? genitus, & natus temporaliter, & æternè; ſervus, & dominus, &c. *Supra diſp. 24.*

87 Per hunc modum ſolidè explicandi, & defendendi Chriſti prædeſtinationem evadimus alios modos, eò minus ad rem pertinentes, quò magis recurrunt ad modos noſtros concipiendi. Talis eſt eorum, qui putant Chriſtum, utpote ſuppoſitum involvens Filiationem Dei, non poſſe dici prædeſtinatum, ut eſſet Filius Dei; benè verò Chriſtum, ut hominem, ſeu hunc hominem in Chriſto: quia *homo* ex iſto modo concipiendi abſtrahit ab hoc vel illo modo ſubſiſtendi, ſive per ſubſiſtentiam quæ ſit Filiatio Dei, ſive per ſubſiſtentiam, quæ eſſet purè humana: cum autem ſub conceptu hominis non includat formaliter eſſe Filium Dei, potuit ſic conceptus prædeſtinari ad eſſe Filium

Dei.

Dei. Talis est etiam aliorum paulò aliter præcindentium in Filiatione rationem Filiationis, & rationem subsistentiæ; sicque dicentium, Christum conceptum ut subsistentem etiam increatè, prædestinatum esse, ut esset Filius Dei. Talis est denique, multóque deterior modus dicendi Caietani: qui ait, quòd *hic homo* significat verbum incarnatum præcisim à modo Incarnationis, siuè vero, qui nunc est per hanc unionem ad Verbum; sive ficto per unionē accidentalem, seu moralē fictam, quam imaginabatur Nestorius: sicque de Verbo Incarnato præcisse, ut tali, dici posse prædestinatum fuisse ad substantialem Incarnationem. Hi, inquam, modi dicendi insubsistentes sunt: Quippe, ut rectè observat Lumbier *num.* 2245. ad rem præsentem non sufficit præcisiò nostri modi concipiendi; sed necesse esset, quòd Deus in modo suo prædestinandi similiter mente suâ præscinderet. Deus autem non sic præscindit: nec prædestinat hominem ut sic, nec disiunctive hunc vel illum hominem, nec hunc hominem constitutum per subsistentiam Verbi mente sua omniū comprehensivâ præcisam à Filiatione; sed prædestinat hunc hominem, prout reipsa constitutum per Filiationem Dei naturalem.

Caiet.

Lumbier

88 Hæc dixerim retinendo vocem prædestinationis, & prædestinati in totâ proprietate sua Scholasticâ: ad quam fortè non ita pressè respexit Apostolus, dicens de Christo: *qui prædestinatus est Filius Dei*: quasi dixerit *præordinatus*, & *prædecretus*, ut in tempore poneretur à parte rei Homo factus Filius Dei, & Filius Dei æternus factus homo. Quod totum cadit plenè, & planè in Christum, sive secundum naturam humanam, sive etiam secūdum subsistentiam, & Filiationem divinam, quamvis æternam: quia quamvis non fuerit sic præordinata, & prædecreta ut esset; benè verò ut incarnata esset.

Rom. 1.

89 Ex iis pro responsione ad obiectionem positam *in fine sec. præced.* Dico antecedens quoad priorem partem de Prædestinatione verum esse: Negatur vero consequentia. Quia nec humanitas ipsa Christi adhuc abstractè dici potest adoptata in consortio intrinsecæ assumptionis, quam excludit essentialiter adoptio, utpotè requirens extraneitatem: Unde non mirum, quod Christus concretè sumptus non dicatur adoptatus, seu Filius adoptivus ratione humanitatis, sicut ratione humanitatis mortuæ dicitur mortuus. At humanitas Christi sumpta pro recto naturæ humanæ adæquatè distinctæ á terminis prædestinationis, nihil includit oppositum prædestinationis: sicque est proprissimè prædestinata tanquam subiectum *quo* prædestinationis: & exinde derivatur denominatio prædestinati, sicut, & mortui, in Christum totaliter, & concretè sumptum tanquam in subiectum *quód*. Quòd autem denominatio prædestinati non excludat à subiecto terminum prædestinationis, sicut denominatio adoptivi extraneitatem, exinde etiam patet, quód Beati omnes sunt, & dicuntur prædestinati, tunc etiam, cum terminum prædestinationis possi-

dent.

DIS-

Digitized by Google

DISPUTATIO X.

DE

SERVITUTE CHRISTI.

1 SERVITUS, Subiectio, & Minoritas Christi affines invicem sunt, earumque doctrina affinis quoque doctrinæ de Filiatione Christi: ideoque rectâ methodo hîc subnectuntur: Servitus nimirum in præsenti Disputatione; Minoritas, & Subiectio in sequenti. Conveniunt in eo quód tria hæc dicuntur respectu alicuius Superioris. Differunt in eo, quòd Minoritas præcisè respicit in Superiore maioritatem perfectionis, seu excellentiæ; qualem habet angelus ad hominem, & Rex ad hominem privatum, quamvis non sibi subditum, nec vassallum. Subiectio autem respicit in Superiore iurisdictionem, qualem habent Principes in subditos. Servitus verò respicit ulteriùs in Superiore circa creaturam rationalem dominium, & suitatem, qualem habent Domini in res suas. Dogmata de Christi Servitute illiustrat eruditè Petavius *lib. 7. à cap. 7.* *Petav.*

SECTIO I.

An, & quatenùs Christus sit verè, & propriè Servus Dei.

2 NOn est sermo de Christo, ut Deo: cùm certum sit, ut Deum nec esse servum, nec subiectum, nec minorem Patre: cum sit consubstantialis Patri secundum naturam divinam; & secundum Personam coæqualis Patri.

3 Ubi duo errores præcavendi sunt. Unum Arianorum: qui ceteros Christum servum appellabant, quatenus Personam Verbi negabant Patri consubstantialem, existimantes esse Personam Patri inferiorem, & Verbum esse creaturam. Alterum Nestorianorum: qui, in eo errantes, quòd agnoscerent in Christo duas Personas, divinam scilicet, & humanam; Christum non solùm secundum naturam humanam, sed etiam secundum personam humanam aiebant servum Dei, & Personæ divinæ, simul cum humanâ existentis in Christo.

4 Est ergo Catholicis sermo de Christo, ut homine: hoc est secundum humanitatem constituentem in Christo cum Persona Verbi physicè sibi unità unicam Personam, & quidem divinam: an scilicet sic constitutus, *ut homo*, hoc est, secundum naturam humanam, sit, propterque dici possit Servus Dei.

5 Divisi sunt Scholastici, nec unâ voce loquuntur Sancti Patres hinc & inde certatim citari soliti. Negat Vásquez *disp. 89.* & cum illo uterque Hurtad. Cardin. de Lugo, Martinon, Torres, quos citant, & sequuntur Aldrete *disp. 87.* & Amicus *disp. 28.* item reducens ad nomina, sicut etiam sub brevibus Haunoldus *lib. 4. Tract. 1. cap. 11. contr. 11.* Affirmant è diverso S. Tho. Suar. *disp. 44.* & Valentia, quos citat sequiturque Bernal. *disp. 28. sect. 2.* Itemque Bellarmin. *lib. 3. de Christo cap. 6.* Meratus *disp. 48.* Uvadingi *disp. 19.* Godoy *disp. 13.* Lumbier *quæst. 37.* & latè Conine *disp. 21. dub. 3.* ijsque videtur tandem accedere Cardin. de Lauræa *disp. 28. num. 2.* *Vasq. Hurt. Lug. Martin. Torres. Aldrete. Amic. Haunol. S. Thom. Suar. Valent. Bernal. Bellarm. Merat. Uvadin. Lumbier Laurea. Rip. supra disp. 8. 8. num.*

6 Discernere oportet claritatis, & peccatitatis gratiâ triplicem servitutem. Unam moralem, turpem, infamem, & vilem, quam contrahit homo per peccatum, ratione cuius habet speciale ius Dominus Deus contra ipsum, ut agat cum ipso tanquam cum mancipio nequam, ut ex Ripalda explicuimus *disp.*

8 num. 42. Aliam legalem: quæ per humanas leges introducta eſt, & fundatur in aliquibus titulis, quibus, non à natúra ipsâ, ſed ab humanis legibus homo ſit, non utcumque ſubditus, ſed etiam res alterius hominis. Aliam naturalem, ingenuam, & inculpabilem: qua ſubditur quælibet creatura rationalis Deo, ut ſtrictè Domino potenti iure creationis de illa diſponere tanquam de re ſua ſine ullius iniuria. Hæc autem non eſt minùs propria ſervitus, quàm legalis; quinimo legalis ad ſimilitudinem naturalis introducta eſt per leges, ut benè notat Bernal, eruditè de ijs diſſerens ſect 1.

Bernal.

7 Convenimus in eo quód prius illud genus ſervitutis ignominioſæ procul abeſt à Chriſto, etiam ut homine, utpote ſegregato à peccatoribus, & omninó impeccabili. Similiter & ſecundum, Servitutis legalis: quia Chriſtus Dominus nullo iure humano factus fuit ſervus alterius. Diſſidium eſt de tertio alio genere ſervitutis inculpabilis, & ingenuę. In quo ſenſu ſubſcripſi olim, & ſubſcribo ſententiæ affirmativæ in re, & in modo loquendi ob reverentiam Scripturarum idemtidem Chriſtum nomine ſervi compellantiũ: quod de Chriſto, ut homine, & de ſervitute ingenuâ, & inculpabili neceſſe eſt intelligi.

8 Iſaiæ 42. *ecce Servus meus, ſuſcipiã eum.* Ubi Interlinealis: *Servum Filium ſecundum humanitatem.* Et cap. 52. *intelligebit ipſe iuſtus Servus meus multos.* Ubi Interlinealis: *Filius meus formam ſervi accipiens.* Zachariæ 3. *adducam ſervum meum orientem.* Quod eadem Gloſſa, alijque Interpretes intelligunt de Meſſia. Philip. 2. *formam ſervi accipiens.* Quod Gloſſa Interlinealis, & Ordinaria non de ſimilitudine, ſed de humanitate aſſumpta intelligunt, quæ eſt id, ratione cuius Chriſtus eſt verè, & proprié Servus. Pſalm. 115 *Ego ſervus tuus:* & iterum: *ego ſervus tuus, & Filius ancillæ tuæ.* Quod in perſonâ Chriſti dictum à Davide interpretatur Auguſt ibi, & alij communiter.

Iſai. 42. *Gloſſ.* *Zachar. 3.* *Gloſſ. Philip. 2.* *Gloſſa.* *Pſal. 115.* *Auguſt.*

9 Auguſtinus ipſe idem habet *ſerm. 5. de Tempore.* Ambroſius *cap. 6. de Fide:* ibi: *non igitur præiudicat quòd ſubiectus dicitur, cui non præiudicat, quòd Servus legitur.* Et rationem dat *ſuper Pſalm. 108.* ad illa verba *audiuva me Domine* ibi: *ſecundum formam Servi loquutus, Dominum appellavit, quem Patrem noverat: Servitus enim carnis, Dominatus, Divinitatis eſt.* Hieronymus *ad cap. 1. Epiſt. ad Titum*: ibi: *per Iſaiam Pater loquitur ad Filium magnum ubi eſt vocari ſervum meum.* Fulgentius *cap. 2. de Fide ad Petrum*: ibi: *formam ſervi accepit, ut fieret ſervus.* Cyrillus Alexand. *ad Eutropium*, propoſita ſibi obiectione, quòd Chriſtus in Scripturis vocetur ſervus; confeſſus eſt, & non negavit; ſed dixit: *Si quis dicat, Servum eum appellari propter voces Sanctorum Pprophetarum nullo modo offendi autem: cognoverunt enim revelantem Spiritum Sanctum, quod Verbum fieret homo.* Athanaſius 4 *contra Arianos*: ibi: *quatenus in confeſſo eſt eum hominem eſſe, nihil differimini attulerit, ſive ſervus, ſive hominis filius appelletur: omnes enim iſtæ voculæ in rationem humanitatis VERE, ET PROPRIE ei competunt.* Nota *verè, & propriè*: & quòd eâdem proprietate vult res tineri, & ſine offenſione dici, Chriſtum eſſe ſervum, ac Filium hominis. Et valdè quoque notandum, quòd adhuc agens cum Arianis, qui exinde Verbi divinitatem negare aggrediebantur; ait, eiuſmodi loquutiones nullatenus offendere. Chriſoſt. *ſerm. 7 ſuper Philip.* ibi: *Sicut in forma Dei perfectus eſt Deus; ita in forma ſervi perfectus eſt ſervus* Vigilius Papa *lib 3 contra Eutyc.* ibi: *Cùm ſit Deus ſervus factus eſt Patris.* Et lib. 5. *quis ita ſtolidus, ut non intelligat, formari ex utero ſervum, & mereri ſervum fieri, & tẽpore opportuno exaudiri, atque auxilium expectare Paternum, & confortari in Domino ad naturam carnis Chriſti PROPRIE pertineret?*

Athan. *Chriſoſt.* *Vigil.*

10 Alios lege apud Authores pro hac ſententia citatos *num. 5.* Mihi certè hi ſunt ſatis ſuperque, ut negare, nec dubitare auſim de hac noſtra ſententia contra tot loquutiones Scripturarum, & Sanctorum. Nec decet effugium vulgare eas interpretandi in ſenſu improprio, & metaphorico, ut rectè expendunt Coni. & Bern. Tũ quia aliqui é Patribus citatis præſertim Athanaſius, & Vigil. ſignatiſſimé præoccupant hanc interpretationem. Tum quia nec eam patitur ſinceritas Sacræ Scripturæ iuxta regulam Auguſtini, niſi ubi proprié intelligi nequit ſine inconvenienti. In hac autem propriâ intelligentia nullum adeſſe inconveniens conſtabit in ſequentibus.

Coninc. *Bernal.*

11 Diſputo deinde ratione à priori. Servus, ut ex Ariſtotele, & S. Thom. colligit ſtudioſé Bernal, eſt *vivens intellectuale, proprie, & ſimpliciter alicuius*: ſcilicet alterius habentis ipſum ſub dominio ſuo proprietatis, tanquam rem ſuam. Atqui totum hoc convenit proprie Chriſto, ut homini, reſpectu Dei: ergo eſt verè, & proprie ſervus Dei. Probatur minor: nam ut homo, eſt vivens intellectuale, proprié, & ſimpliciter res Dei: non minus, ac alię creaturæ rationales

Ariſt. *S. Thom.* *Bernal.*

quæ

quæ propterea iure creationis,& ſupremi dominij divini ſunt res Dei,& ſervi Dei.

12 Inſuper. Si Chriſtus, *ut homo*, non eſſet propriè, & abſolutè prædicto modo res Dei;maximé vel ex defectu dominij Dei ſuper Chriſtum, ut hominem, vel ex defectu ſubiectionis Chriſti, ut hominis,erga Deum, vel ex defectu alteritatis, aut diſtinctionis Chriſti à Deo requiſitæ ad rationem ſervi. Atqui non ex defectu dominij:hoc enim dominium Dei in alios puros homines in eo ſtat, quód pro libito ſuo illos produxerit, pro libito conſervet,& pro libito de illis,& de ipſorum rebus diſponere poſſit,multó independentiús, & perfectiùs, quàm Domini creati de ſuis rebus, ac ſervis: quæ omnia rectè cõpetunt Deo reſpectu Chriſti, ut hominis. Non ex defectu ſubiectionis Chriſti ad Deũm à quo ſcilicet pendet in eſſe, fieri, & conſervari: & cuius præcepta ſervavit, illumque, ut ſuum principium agnovit. Non denique ex defectu alteritatis,& diſtinctionis.

13 Probatur hæc tertia pars,in qua magis hærent Adverſarij. Non enim maior hic requiri poteſt alteritas, ſeu diſtinctio, quàm quæ requiritur, & ſufficit ad relationem realem:ſed hæc datur inter Deum,& Chriſtum, ut hominem: ergo & quantum diſtinctionis, & alteritatis ſufficit. Maior patet:nam ſive alteritas, & diſtinctio illa ſervi, & domini ſit ſecundum naturam, & ſecundum perſonam, ut eſt in purè creatis; ſive ſit ſecundum naturam, & non ſecundum Perſonam, ut eſt in Chriſto reſpectu Verbi,dũmodò ſit diſtinctio ſufficiens,ut Chriſtus,in quantũ homo,hoc eſt ſecundum humanitatem, dicatur alter, & diſtinctus à Deo, ſeu à Verbo ſecundum ſe ſumpto, fruſtra requireretur alia alteritas, ſeu diſtinctio ſecundum omnia, ad fundandam veram, & propriem relationem ſervi, & domini inter Deum, & Chriſtum, ut hominem, quæ ad alias relationes reales non requiritur: ergo illa debet ſufficere.

14 Probatur autem minor. Primò ex verbis Apoſtoli. 1. Corinth. 2. *Volo autem vos ſcire, quod omnis viri caput Chriſtus eſt; caput autem mulieris, vir; caput verò Chriſti, Deus.* Caput autem, ut res ipſa loquitur, & docuit Ariſtoteles *cap. de Relatione*, non dicitur niſi per relationem realem ad membra. Secundó: quia Chriſtus, *ut homo*, hoc eſt, ſecundum humanitatem, eſt creatura: ſed creatura dicitur per relationem realem ad Deum: ergo dicit tantum alteritatis, & diſtinctionis, quantum ſufficit ad relationem realem inter Deum, & Chriſtum ut hominem. Tertiò: quia non magis ſervus, non niſi alterius dicitur ſervus, quàm Filius non niſi alterius dicitur Filius: atqui iuxtà doctrinam Adverſariorum, & noſtram Chriſtus,ut homo, ſufficientem habet diſtinctionẽ, & alteritatem,ut ſit,& dicatur propriè in quàntũ homo,Filius Dei: ergo ſimiliter, ut ſit, & dicatur propriè,in quantum homo, ſervus Dei.

1.Corint. 2. — Ariſt.

15 Confirmatur *ex 1. Corinth.*3.dicente Paulo: *omnia enim veſtra ſunt; vos autem Chriſti; Chriſtus autem Dei.* Dei ſcilicet per relationem realem ſufficientem, ut Chriſtus dicatur res Dei, & Deus dominus Chriſti, ut hominis. Salvâ autem ſemel ratione relationis realis inter Chriſtum, ut rem, quæ ſit ſub dominio Dei; & inter Deum, ut dominum, qui ſit Chriſti, non deerit ſufficiens ratio realis diſtinctionis, & alteritatis ad conceptum ſervi, & domini. Ergo ex hoc capite diſtinctionis, & alteritatis non deſinet Chriſtus, ut homo, eſſe propiè Dei ſervus: ergo ſi cætera adſint, ut verè adeſſe vidimus, non eſt unde negari debeat, aut poſſit propria ſervitus Chriſti,ut hominis,ad Deum. 1.Cor.3.

16 Confirmatur ſecundò. Chriſtus, ut homo, eſt propriè Filius ancillæ Dei: ergo, & ſervus Dei. Quam conſequentiam videtur intuliſſe Chriſtus ipſe Davidis ore: *Ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Eam probant aliqui, *ex l. Pactum Cod. de rei vindic.* ubi dicitur, *explorati iuris eſſe, partum ancillæ matris ſequi conditionem.* Quoniam verò reſponderi poteſt, hoc procedere ex iure humano,cui non ſubiacebat Chriſtus, probo aliter conſequentiam. Maria eſt propriè ancilla Dei, quamvis verè Mater: ergo, & Chriſtus, quamvis verè Filius. Ratio illationis eſt: quia idemtitas phyſica Patris, & Matris cum Filio facit ut Filius iure naturali non ſit ſervus Patris aut Matris: & à fortiori, nè Mater, aut Pater ſit ſervus Filij. Hoc tamen non obſtante, Maria verè, & propriè Mater Dei, eſt verè, & propriè ancilla Dei,& habet ad hanc relationem realem ſufficientem alteritatem,& diſtinctionem à Filio,Deo quia nempe quamvis ſit vere, & proprie Mater Dei, ſcilicet Chriſti, ut hominis; eſt verè & propriè creatura Dei, ipſiuſque Chriſti ut Dei, pendens ab ipſius liberâ effectione, & conſervatione: Quamvis ergo Chriſtus ſit vere Filius Dei, erit verè, & proprie ſervus Dei ſecundum humanitatem,habebitque ad hoc ſufficientem alteritatem: quia ſecundum humanitatem eſt propriè creatura rationalis Dei à Deo pendens in eſſe, fieri, & conſervari. Pſal.115.

17 Infertur, ſervitutem naturalem non omnino metiendam eſſe ex legali, quam naturales Philoſophi declararunt.Non enim ex iuribus humanis concederent, Regis, ma-

trem, ſicut neque ſponſam eſſe veram Regis ancillam; ſed ex eſſentiali dependentia creaturæ à Creatore: quæ dependentia, ſicut facit quòd quælibet creatura ſit proprié res Dei, ſic facit quód quælibet creatura rationalis ſit proprie ſerva Dei: & quidem ſtrictiús, & multò magis propriè, quàm à iqui homines ſint ſervi aliorum hominum ſervitute legali. Quare non poteſt non diſſonare, in eiſdem verbis Chriſti dicentis per Davidem, ſe
Pſal. 115. ſervum, & Matrem ancillam Dei, ſumſi *ancillam* ſtrictè, & *ſervum* latè ac impropriè.

SECTIO II.

Obiectiones contra propriam Chriſti, ut hominis, ſervitutem.

18 OBijcies primò quód Ariſtoteles *1. Polit. 3.* ubi egit de
Ariſt. ſervitute, dixit inter alia, ſervum debere eſſe *alterius*: & addidit: *eſſe omninò alterius*: ergo requiſivit omnimodam alteritatem, & diſtinctionem inter ſervum, & dominum: ac proinde talem etiam, ut ſervus, & dominus nõ coeant in unum: At Chriſti humanitas, & Deus coeunt in unum ſuppoſitum: ergo Chriſtus, adhuc ſecundum humanitatem, non habet ſufficientem alteritatem, & diſtinctionem, ut ſit, dicique propriè poſſit ſervus Dei. Confirmatur. Nam idcircò idem Philoſophus vocat ibi ſervum inſtrumentum ſeparabile, & partem Domini ſeparatam: nè ſervi definitio conveniret manui, & pedi cuiuſcumque homini. Unde confirmatur ſecundó. Manus, Filius, & Uxor, ideó non dicuntur ſervi hominis illa habentis, quiâ non propterea ſunt abſolutè, & omninò alterius: cum homo non ſit omninó, & adæquatè alter à ſua manu; nec omninò alter à Filio, qui eſt pars ſubſtantiæ Patris; nec, omninò alter ab uxore, quæ unum corpus, unâ caro reputatur: atqui Chriſtus, ut homo, multò ſtrictus, quám hæc omnia, pertinet ad Deum, quocum facit unum ſuppoſitum per phyſicam unionem: ergo multó minùs Chriſtum inter, & Deum datur alteritas, & diſtinctio requiſita ad relationem ſervi, & Domini.

19 Reſpondetur, Ariſtotelem, quem prorſus latuit Myſterium Dei hominis, ſolummodò reſpexiſſe iuxta ſuũ inſtitutum, ad ſervitutem legalem inter putos homines ſecundum humana iura: per quæ non eſt metienda ſervitus naturalis creaturæ cuiuſcumque ad Deum, ut intulimus *num.* 17. Quinimó homines ad inſtar ſervitutis naturalis inſtituerunt legalem: ideoque *ſervum* dixerunt à *ſervando*: quatenus ſervant vitam illius, quem iure belli poterant occidere: ideoque, quaſi victoribus deberent ſuum eſſe, vitamque ſervatam, manebant ſub ſervitute victoris, in hoc quodammodo imitantis prærogativam Dei, veri datoris, & conſervatoris creaturarum pro ſuo libito. Nihilominus definitio ſervitutis collecta ex Ariſtotele *num.* 11. tota aptatur ſtrictiſſimé ſervituti Chriſti, ut hominis, ut ibi expendimus. Nec obſtat quod addidit: *eſſe omninò alterius*: quaſi requirens omnimodam alteritatem: nam fortè vox *omninó*, non afficit pronomen ſubſequens *alterius*, ſed verbum antecedens, *eſſe*: requirens utique omnimodam dependentiam, ſervi à Domino, omninó eſſentis alterius: quin hæc alteritas debeat eſſe omnimoda, ut ex Ariſtotele inferebat obiectio, ut propriam Chriſti ſervitutem impugnaret: cùm potius inferre deberet omnimodam dependentiam, quà ſtrictiús quæcumque creatura eſt Dei, & creatura rationalis ſerva Dei ſervitute naturali, quàm ſervitute legali unus homo ſit res alterius, & ſervus alterius. Unde neganda omnino eſt prima, & ſecunda conſequentia cum ſua explicatione.

20 Ad primam confirmationem dico, Ariſtotelem id dixiſſe explicationis metaphoricæ cauſa; ſicut quando S. Tho. id ipſum explicavit vocans ſervum organum Domini, quæ proprié dici non poſſunt. Diſcrimen autem inter manum, pedemvé reſpectu hominis, & ſervi reſpectu Domini, & Chriſti, ut hominis ſervi reſpectu Dei, eſt aliunde palmare: nam pes, & manus non ſunt alterius, qui ſine ipſis ſit omnino idem, cùm manus, & pes ſint partes ſubſtantiales hominis: nec ſeorſim à reliquo hominis ſint rationales. At ſervus ſeorſim à Domino debet eſſe ſubditus rationalis, ut eſt etiam Chriſtus ſecundum humanitatem ſumptam ſeorſim à Deo: & Dominus ſeorſim à ſervo debet manere phyſicè idem eſſentialiter, & ſubſtantialiter: ut maneret Deus omnino idem eſſentialiter, & ſubſtantialiter, ſeparatâ, aut deſtructâ humanitate.

21 Ad ſecundam confirmationem, quo ad manum, cur non ſit ſerva hominis, iam eſt data ratio. Quoad Filium, & Uxorem dico, id eſſe, quia reſiſtunt leges humanæ, à quibus pendet inſtitutio ſervitutis legalis. Quæ tamen non reſiſtunt, nec reſiſtere poſſunt ſervituti naturali, & eſſentiali cuiuſlibet creaturæ rationalis ad Deum potentem de illo, & de illius actibus diſponere licite ſine ullius iniuria, tanquam de re omnino ſuâ. Unde gratis ſibi confinxit Hurt *diſp. 78. §. 11.* *Hurt.*
& *12.* ad alteritatem Domini à ſervo non ſuffi-

sufficere distinctionem, sed requiri negationem unionis physicæ, ideo negans, Christum, ut hominem, posse esse Dei servum, quia habet sibi Deus physicè unitam humanitatem. Profectò eiusmodi unio, sicut non tollit ab humanitate rationem creaturæ rationalis, ita nec à Christo, ut homine, rationem servi: & simili libertate posset sine probatione, & sine veritate dici, ad rationem creaturæ requiri negationem unionis physicæ cum Deo.

22 Objicies secundò quod dixit idem Aristoteles, servi esse, non habere sibi communia bona Domini; sed Christus etiam ut homo, communicat in bonis Dei; ergo neque, ut homo, est propriè servus Dei. Probatur minor; nam Christus, ut homo, habet totam plenitudinem Deitatis, adoratur cultu latriæ, & habet eumdem thronum, & nomẽ regnantis cum Deo, ut colligunt Interpretes ex *Apocalyp.* 4. & 5.

Apoc. 4 & 5.

23 Respondetur primò, maiorem non esse tam exploratam, ac supponunt Adversarij: qui saltem deberent statuere, quota bonorum Domini communicatio repugnet servituti. Certè namque iusti propriè sunt servi Dei; quibus tamen, cùm eo ipso sint consortes divinæ naturæ, competit aliqua communicatio in bonis cum Deo: perfectiùs Beati; & multò perfectiùs Beatissima Virgo; propriè tamen ancilla Domini. Quod autem dixit Aristoteles, servum non communicare in bonis Domini; non dixit pro conceptu definitivo servi, quasi de ratione, & essentia servitutis ut sic. Quippe servum definivit per hoc quod est, *ipsum esse alterius*: quod salvatur præcisim à communicatione bonorum per suitatem, & potestatem plenã unius in alterum, quam habet Dominus legalis in servum legalem, potens exigere cunctas illius operas, præcipere has, illasve actiones, & quòd nihil nisi Domino lucretur: & multò magis Deus in servum naturalem, creans, & conservans eum pro libito, cum iure disponendi de illo, quin audire possit, *cur ita facis?* habensque plenum ius, ut servus naturalis ad ipsum, ut ad finem ultimum, se suaque omnia referat. Quænam, precor, rigorosior servitus, adhuc stando definitioni Aristotelicæ? Ad huiusmodi autem conceptum definitivum, & essentialem servitutis in genere accessoria, extraessentialiter, & de peraccidens esse videtur decantatissima illa incommunicatio bonorum, quam de suo addunt Adversarij conceptui servitutis.

24 At, inquis, illam addidit Aristoteles, dicens 8. Ethic. 11. inter servum, & Dominum nihil esse commune. Fateor; sed ad sũmum loquitur specificè de servo legali secundũ humana iura vili; non de naturali, cuius servitutem minimè vilem, sed nobilem, & ingenuam, aut prætermisit ibi Aristoteles, ut alienam à suo instituto; aut non agnovit, iuxta suum errorem de Deo, non tam pro libito, quam ex necessitate naturæ operante: sicque non est Judex competens Aristoteles in hac causâ. Nec dubito, quòd ex ipsius iudicio, seorsim etiam à proprietate servitutis non admitteretur communicatio bonorum inter Deum, & creaturam, interquos propterea amicitiam esse posse negavit cùm tamen Deo, & humanitati, quæ certò creatura est Deo amicissima commune sit bonum Personalitas divini Verbi: nec Aristotelico suffragio adiudicaretur utrique idem honor, & thronus in Cœlo. Ergò, & nega Aristotelicè, Christum, ut hominem, esse creaturam; sicut per Aristotelem negas esse servum. Præstat in ijs sapere cum Sanctis Ecclesiæ Patribus, quàm cum Aristotele, interdum consequutivè ad errores suos philosophante.

Aristot.

25 Respondetur secundò ad obiectionem ex Suar. *sect.* 2. distinguendo maiorem: si ea communicatio bonorum faceret servum parem Domino, concedo; si non faceret parem, nego: iam enim relinqueret minoritatem, & inferioritatem sufficientem ad rationem servitutis, si cætera adsunt. Ad minorem, eiusque probationem dico, quòd ea bonorum communicatio, quæcumque sit, semper relinquit humanitatem, ac proinde Christũ, ut hominem, minorem, & infinitè inferiorem Deo. Quamvis enim in humanitate inhabitet plenitudo divinitatis; non tamen essentialiter, & per identitatem, sicut in Deo; sed contingenter, & per unionem. Quamvis humanitas sic per unionem Deificata digna sit coli, & adorari eàdem cum Deo Latriâ; non tamen ratione sui, sicut Deus; sed ratione Deitas, ut explicabitur *disp.* 19. *à sect.* 4. Quamvis eadem sit Cœlo sedes Dei, & Agni; Deo competit ratione sui; Agno, seu Christo, ut homini, ratione Dei. Et quamvis Nomen Dei competat Christo; non tamen competit Christo, ut homini, seu secundum humanitatem, nec Christus est Deus ratione humanitatis, sed ratione Deitas. Unde ea communicatio bonorum humanitatem inter, & Deum, non facit humanitatem parem cum Deo, ac proinde non tollit, quominùs Christus, ut homo, sit propriè servus Dei.

Suar.

Infra disp. 19.

26 Respondetur solidùs tertiò pauló aliter, distinguendo maiorem. Servi est non habere communia bona Domini, si ea communitas bonorum minuit subiectionem ad Dominum, concedo: si non minuit subiectionem

nem ad Dominum, nec istius Dominatum, nego. Cùm enim servitus stet in omnimoda subiectione unius, & dominatu alterius, nulla bonorum communicatio, quæ nec unius subiectionem, nec alterius dominatum minuit, detrahit quidquam de conceptu servitutis, aut obest propriæ servituti essentialiter sumptæ. Sit supremus Princeps legibus humanæ servitutis superior, qui ancillam sibi desponsaret, eique proinde tribueret ius eiusdem thalami, nominis, & honoris regij; sibi tamen facultate retentâ eam pro libito occupandi in quibusvis muneribus, eam dandi, & vendendi: sic certè per matrimonialem illam communicationem bonorum non diceretur illa servitutem exuisse, siquidem nihil exuisset subiectionis, nihilque Princeps amisisset potestatis dominativæ. Quodsi de facto sic non evenit, est quia resistunt leges, quibus subiacet servitus legalis. Sic ergo considerare licet servitutem naturalem, quæ legibus eiusmodi non subiacet. Unde, sic distinctâ, & explicatâ maiori, distinguo minorem, eiusque probationem: Christus, ut homo, communicat in bonis cum Deo, in plenitudine scilicet Deitatis, adoratione, nomine, & throno, non imminutâ perinde subiectione humanitatis ad Deum, & potestate Dei supra humanitatem, quantumvis physicè sibi unitam, concedo; imminutâ, nego minorem, & consequentiam. Implicat enim non esse servitutem, ubi adest tota ratio constitutiva servitutis: quæ stat in prædictâ omnimodâ subiectione unius rationalis ad plenam potestatem alterius: quòd, sicut imbibitur in conceptu cuiuslibet creaturæ rationalis, sic absque dubio in Christo, ut homine, seu secundum humanitatem, quæ sine dubio creatura rationalis est, & á Deo omninò dependens, non obstante, unione physicâ cum Deo.

Damas.

27 Objicies tertiò, quòd dicitur communiter ex Damasceno, nomina, *Servitus*, & *Dominium*, esse nomina suppositorum, nõ naturarum: sunt enim nomina relativa, quæ in Deo sunt personalia: ergo si Christus esset aliquomodo servus, esset & diceretur servus secundum suppositum: quod tamen omnes negamus. Respondetur, doctrinam antecedentis admitti communiter de servitute legali; de naturali verò vera non est in universum. Nam servitus naturalis est etiam nomẽ naturæ, & concreti ratione naturæ, seu secundum naturam: fundatur enim in iure creationis proprissimè convenientis Christo, ut homini, seu secundum naturam humanam: sicut convenit esse creaturam. Similiter dixi de nomine Filij ex Cardin. de Lauræa *disp. præc. num. 49.* Nec omnia relativa necesse est esse inter personas distinctas, ubi locum habet distinctio naturarum, ut in Christo: quamvis verissimum sit, quòd in Deo ad intra non cadunt nomina relativa nisi de Persona ad Personam: quia ibi non est distinctio realis naturarũ, sed Personarum. Hinc falsa, & nulla est consequentia.

Laurea. Supra disp. 9. sect. 4.

28 Objicies quartò, quod diximus *disp. præced. sect. 4.* Christum, ut hominem, nec esse, nec dici posse Filium Dei adoptivum, adhuc secundum humanitatem: ergo similiter nec, ut homo, potest dici servus Dei. Aut si, ut homo, est servus Dei, cur non, ut homo, Filius adoptivus? Respondeo, quã promissimus ibi *num. 76.* & hucusque distulimus, est rationem esse manifestè disparem, à vero antecedente ad falsam consequentiam. Quia esse, ut hominem, seu secundum humanitatem, Filium adoptivum dicit, humanitatem esse Deo extraneam: non autem est extranea quæ est Dei intranea per unionem physicè, & intrinsecè illam Deo unientem, & unum ex illa supositum cum Deo faciente, ut ex ipsa definitione adoptionis explicuimus *disp. 9. sect. 4.* At ad conceptum servitutis naturalis non requiritur extraneitas, sed sufficit alteritas servi subiecti à Domino: quæ alteritas rectè stat in humanitate Christi: nam unio intrinseca illius ad Deum, non tollit, nec minuit alteritatem, seu distinctionem illius à Deo, sicut tollit extraneitatem: ac proinde, nec tollit, nec minuit rationem servi naturalis, sicut nec rationem creaturæ rationalis summè pendentis à Deo potente plenè disponere de illa, quantumvis sibi intrinsecè copulatâ.

Supra disp. 9.

Supra disp 4.

SECTIO III.

Obiectiones ex Sanctis Patribus.

Lug. Athan.

29 OBijcit Lugus Athanasium, *Orat. 3. contra Arianos*, sic fantem: *Quamvis speciem servi acceperit Verbum, quod in forma Dei subsistebat; non tamen assumptio illa carnis Verbum servum, aut mancipium reddidit.* Respondetur, loqui Athanasium contra Arianos, qui Verbum in propria etiam persona, & natura dicebant esse creaturam, inæqualem Patri, & minorem Patre, & sic servum Patris. Neque ergo loquitur contra nos, neque in terminis nostræ disputationis de Christo, ut homine, seu secundum naturam humanam, quæ creatura est. Imò ibidem habet nobiscum Athanasius, vocem *servus*, benè, & propriè cõpetere Christo ratione humanitatis, subiungens, convenientis fuisse, quòd Christus Patrem suum Dominum vocaret.

Obij-

Vasq. Chrisost.

30 Objicit Vasquez Chrisostomum *Homil.13.in* Epist.*ad Hebreos* dicentem de Christo : *sicut servus factus non mansit servus; sic & minister factus non mansit minister : non enim ministri est sedere, sed stare.* Respondetur, sensum genuinum esse, aut de ratione constitutiva servi, & ministri, aut de exercicio ministerij, & servitij inter homines in negotio Redemptionis. Si de primo, est quasi dixerit, Christum non mansisse in esse puri servi, sed servi, qui sit simul Dñs; sicut nõ fuit purus homo, sed homo simul Deus. Si de secundo, est quasi dixerit, non sẽper mansisse inter homines in exercitio ministrandi, & serviendi laboriosè in eo negotio; sed intrasse tandem plenè in gloriam suam, & sedisse ad dexteram Patris. Priorem sensum habent

Isidor.

etiam Verba Isidori *lib.1.de summo bono.cap. 16.* dicentis : *Christus, & in forma servi servus, & in forma servi non servus* : id est in ea forma retinens simul Dominatum : ut postmodum se explicat sic : *in forma quippe servi, Domini servus, & in forma servi hominum Dominus.*

Augustin.

Similia habet Augustinus *homil.39.*

Emiss.

31 Objiciunt insuper Eusebium Emissenum *Homil.6.de Pasch.* ibi: *Nec poterat, intervenire pro servis adstrictus legibus servitutis.* Respondetur, verba immediatè præcedentia fuisse : *non subvenire peccato poterat simili peccato obnoxius.* Quo satis se explicat, se ibi agere pro sanctitate, & impeccabilitate Christi contra nonnullos blasphemos, quos imitantur aliqui nostri temporis hæretici : & consequenter loquutum fuisse de vili servitute peccati : quam omnes negamus Christo. Vrget Vasquez, Emissenum de

Vasq.

utrâque servitute loquutũ : prius de una per priora verba nomine peccati ; mox de alia, quam etiam negat, nomine ipso servitutis. Sed responsio plena est, de eâdem servitute utrobique loquutũ, licét diversis nominibus, ut est fræquens synonimia, præsertim in concionibus, seu Homilijs.

Cyril.

32 Objiciunt rursus Cyrillum *in Expositione Symboli Nizeni* dicentem : *accepit autem formam servi, ut liberi : non servus existens ad libertatis rediit gloriam.* Respõdetur, Cyrillum ne sibi, pro ut à nobis citato *num.9* adverteretur, sic intelligi debere quasi dixerit : ut liberi à servitute ignobili, & ingloriũ, quam præseferebat, factus in similitudinem carnis peccatis non utique factus re ipsa servus hac peccati servitute, quam representabat, rediit ad gloriam libertatis oppositæ ejusmodi servituti.

Leo.

33 Objiciunt præterea Sancti Leonis verba *serm.3. de Nativit.* prout referuntur à Concilio Francofurtensi : *Assumpta est de Matre Domini hominis natura, non culpa, creata est forma servi sine conditione servili.* Respondetur per priora verba ad posteriora, sermonem esse clarè de servilitate per culpam ; inassumptam nimirum, assumptâ humanitate : in quem sensu clarissimum subiungit: *quia novus homo sic contemperatus est veteri, ut, & veritatem susciperet generis, & vitium excluderet vetustatis.* Quid explicatius?

Damasc.

34 Objiciunt tandem, & fidentiùs Damascenum 3. *de Fide 21.* sic protestarem: *Quin illud quoque sciendum est, eum ne servum quidem dicere nobis licere.* Et *lib. 4. cap. 19 nisi caro Dei Verbo copulata fuisset, serva proculdubio, & ignorans exstitisset. Verùm ob personalem cum Dei Verbo unionem id habuit, ut nec servus esset, nec in ignotatione versaretur.*

35 Fundamentum ipsius est duplex. Primum : quia Christus nec est servus sui ipsius, cûm ratio servi relativa sit, ita ut nemo sit servus nisi alterius. Nec est servus Patris: quia si non omnia, quæ sunt Patris essent Filij ; siquidem Filius ipse, qui servus non potest esse Filij, esset servus Patris. Secundum: quia si Christus esset servus: *quomodo*, inquit, *nobis ait Apostolus : itaque iam non est servus, sed Filius; verum scilicet unus, qui per eum adoptati sunt?* Ex eo nempe, quòd nemo potest alium liberare à miserâ conditione, qua ipse premitur : ut ergo nos à servitute liberaret Christus in adoptionẽ Filiorum Dei, debuit ipse non esse servus.

36 Respondetur in primis, propter Damascenum non fore deserendam communem loquutionem aliorum Sanctorum Patrum: præsertim cûm mirum esse non debeat, Damascenum negasse Christum servum, qui Patri subiectum recusavit concedere. At quo id etiam sensu conciliabili cum alijs Sanctis Doctoribus dixerit, dabimus reverentiæ causâ *disp. seq. sec.2.*

Infra disp. 11.

37 Deinde respondetur, duplicem mihi esse coniecturam, quòd Damascenus non negaverit Christo ; ut homini servitutem naturalem, quam nos defendimus. Prima est, quòd ipse subdit Damascenus post priora verba : *Hi autem, qui servum Dei dicunt, unum Christum instar Nesterij in duos dividunt.* Agebat ergo contra servitutem Christi, prout eo tempore asserebatur à Nestorianis ponentibus in Christo duas Personas: unam divinam Dominam; aliam humanam servam : à quo errore ut cautissimè discederet, recusabat modum loquendi, absolutè vocantem Christum servum, utique tunc

tem-

temporis periculosum ob pravitatem Nestorianorum: ideoque dixit, *cum ne servum quidem dicere nobis licere*: ob periculum scilicet illâ tempestate præsens pravæ intelligentiæ Nestorianorum: à quo periculo nunc longe distamus: ac proinde cessat ratio, cur nobis non liceat, Christum servum appellare, cùm satis iam innotuerit sensus nostet servitutis naturalis Christi, ut hominis, omnino discretus à sensu Nestorianorum: quod & studio Theologorum, & beneficio etiam tẽporum tribui potest.

37 Idque firmo per exemplum apportissimum é re natum. Certum est, Sanctissimam Mariam esse Christiparam, seu Matrem Christisic olim in primitivis Ecclesiæ sæculis appellabatur ex Evangelio: *de qua natus est Iesvs, qui vocatur Christus*: & nunc absolutissimé in sacris precibus eam invocamus: *Mater Christi*. Nihilo tamen minùs in quinto, sexto, & septimo Ecclesiæ sæculis debacchante Nestorianismo, cavebant Catholici ab eiusmodi loquutione, quam uti caracteristicam sui erroris usurpabant hæretici negantes esse Matrem Dei, ut significarent non esse Matrem Dei, sed Christi hominis affectivè tantum copulati Deo in dualitate Personæ, ut legere est in Epist. Cyrilli, quam recitat Concilium Ephesinum *cap.* 17. & in Damasceno 3. *de Fide* 12. Non certé, quia verissimum semper non fuerit, Mariam esse Christiparam; sed quia primò eam sic licuit appellare citra inconveniens, deinde nõ licuit ob hæreticam pravitatem eo vocabulo ausam obnubilare gloriam Deiparæ, & tandem cessante periculo, & depulso per Ecclesiam, & Sanctorum Patrum studium inconvenienti, iterum licuit, licet, & licebit, eam ore pleno Christiparam, & Christi Matrem invocare. Sic etiam Arianorum tempore nefas erat, Christum vocare creaturam, quis apud illos, Verbum quoque ipsum creatum esse dicentes, sonabat puram creaturam. Sic insuper, gliscente Monothelismo, prohibuit Honorius primus, ut in Christo nec una, nec plures voluntates discerentur: quia, si dicebatur una, calumniabantur hæretici, unam tantum esse Christi naturam; si plures, calumniabantur duas Personas. Sic initio nascentis Ecclesiæ, ut liquet ex Areopagita *cap.* 3 *de divin. Nomin.* vox, *Hypostasis*, Personam significabat; ideoque admittebantur, sicut nunc, inoffenso pede tres Dei Hypostases; postea verò in aliquibus regionibus, referente Nizephoro *lib.* 10. *Histor. cap.* 15. prohibita fuit ea loquutio ob periculum tunc præsens significandi tres Substantias, sive Naturas: quo periculo cessante, & statutâ pro omnibus significatione vocis, tutò restituta fuit antiquâ loquutio trium Hypostasum: ut præmonui *disp.* 6. *de Attrib. num.* 1. & 6. & deinceps *sect.* 6. Ut verè de vocabulorum notionibus dixerim quod olim de vocabulis ipsis Horatius in Arte Poet. *Multa renascentur, quæ iam cecidere; cadentque quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus.*

Matt. 1. *Ephesin. Damasc.* *Honor.* *Dionys.* *Niseph.* *Tom.* 1. *disp.* 6. *Horat.*

38 Sic ergo mihi videtur evenisse in usurpatione vocabulorum, *Servus*, & *Servitus*, propter circumstantias temporum. Sicque dicendum, quòd Damascenus in ea versabatur hæresum tunc vigentium tempestate, ut putaret, non licere Christum servum appellare: ne vel in modo loquendi videretur coincidere in loquutiones Hæreticorum tunc debacchantium, id finistrè intelligentium, aut de servitute purâ Personæ humanæ Christi ad alteram Christi Personam divinam, qui erat Nestorianismus; aut de servitute ignominiosâ per peccatum ab ipso Christo contractum, qui erat error aliorum, suscitatus nuper à Calvinistis. Quin tamen perinde negaverit, Christum esse servum servitute naturali, quam, exploratis iam vocibus, depulsoque illarum hæresum periculo, nos adstruimus cum antiquioribus Ecclesiæ Patribus.

39 Altera coniectura est: quòd in posterioribus Damasceni verbis contra nos productis *num.* 34. sermonem Damasceno fuisse contra servitutem ignominiosam peccati, satis perspicitur ex alijs ipsius verbis adductis *num.* 35. pro suo secundo fundamento, ut in simili expendimus *num.* 31. Servitus enim, quæ obstaculo esse posset Christo, quominus posset nos servos peccati redimere in filiationem adoptivam Dei; esset servitus peccati, qua premeretur ipse Christus: à qua necesse fuit ipsum esse liberum, ut nos eâ servitute liberaret. Quod est negare Christo servitutẽ vilem peccati; non verò naturalem absque peccato consistentem in omnimodâ subiectione humanitatis suæ, utpotè creaturæ rationalis, ad Creatorem Dominumque suum, absolutissimum. Per hæc est satis expedita interpretatio utriusque loci Damasceni in sensu aptissimo nostræ doctrinæ de servitute Christi minimé contrario.

40 Ad primum fundamentum Damasceni positum *num.* 35. respondetur, Christum, ut hominem, seu secundum humanitatem, esse servum sui ipsius, ut Dei, & secundum divinitatem. Quid inde? Nonne, & secundum eam naturarum distinctionem est creatura, & creator? Distinctio ergo naturarum divinæ, & humanæ sufficiens in Christo ad relationem realem creaturæ, & creatoris, sufficit eâdem ipsissimâ ratione ad relationem rea-

realem Servi, & Domini: & ad hoc ut sit, & dicatur Christus, ut homo, res proprié sui ipsius, ut Dei. Relatio realis Personæ ad Personam necessaria est ad rationem servi, & Domini iuxta leges servitutis legalis inter homines, qualem esse dicebant Ariani in Christo per dualitatem Personarum: & hanc quidem negavit Damascenus, & nos negamus. At ad servitutem naturalem Christi, ut hominis ad Deum, & ad ipsum Christum, ut Deũ, negari nequit sufficere relationem fundatam in distinctione naturarum, quam omnes profitemur; nisi negetur sufficere ad rationem creaturæ, & creatoris innegabilem sub eadem distinctione.

41 Ad secundum iam responsum est *num. 39.* inde potius fieri argumentum pro nobis exinde coniectantibus, sermonem ibi non fuisse Damasceno contra servitutem Christi naturalem inculpabilem, quam asserimus; sed contra servitutem ignominiosam peccati, quam Christo tribuere blasphemia esset ab omnibus detestanda.

42 Incautè nonnulli opponunt nobis quemdam Theodoretum: Cæterum Theodoretus iste erat tunc temporis Nestorianus: ideoque nulla illius ratio habenda nobis est.

SECTIO IIII.

Obiectio potissima, & ardua ab authoritate Concilij Francofurtensis, & Adriani Papæ.

43 HUius Concilij, & Pontificis authoritatem innegabilem, stabilitam inconcussè reliquimus *disp. prec. num. 53.* quæ tamen in hac quæstione præcipuum nobis negotium facessit propter acrimoniam, quâ concilium, & Pontifex invehuntur contra Fœlicem, & Elipandum, qui Christum filium adoptivum, & servum Dei appellabant. Usi sumus hac authoritate *disp. prec.* ad negandam filiationem adoptivam Christo: Cum autem Concilium, & Pontifex eodem modo invehi videantur contra servitutem, & adoptionem, facile non est tueri nos à Concilio, & Papa, dum asserimus servitutem, qui eâdem ipsorum authoritate usi sumus, ut negaremus adoptionem.

Supra disp. 9 sect. 4.

44 Hæc summa difficultatis. Quam ut fideliùs dissolvat Magister Lumbier *qu. 37. art. 2.* nobiscum sentiens in hoc puncto, eam expendit exscriptis verbis ipsis P. Philippi Aranda, insignis Magistri Collegij nostri Cæsaraugustani, multis mihi nominibus coniunctissimi: qui cum Vasquez nobis acriter adversatur. Agit autem ingeniosè, nervosè, ac dilucidè in suis doctissimis Manuscriptis, ut ostendat ex authoritate Adriani, & Concilij, Christus nec esse, nec posse dici servum, in hunc modum.

Lumbier

P. Philip Aranda.

45 Tria, inquit, quoad rem præsentem præstat Adrianus in Decretali sua contra Elipandum. Primum reprehendit, & damnat, quòd Christus vocetur servus: verba sunt: *Servum eum, impij, & ingrati tantis beneficijs, Liberatorem nostrum non pertimescitis venenosâ fauce susurrare. Cur non veremini, quæ ut plurimùm detractatores Dei odibiles, illum servum nuncupare, qui vos de servitute diaboli nuncupavit?* Alterum: comparat servitutem cum adoptione, & utramque ait à Christo repellendam; imò potiore iure servitutem: verba sunt: *adoptivum eum Filium, quasi purum hominem calamitatis humanæ subiectum: & (quod pudet dicere) servum &c.* Tertium: percurrit omnes Scripturas, & ait, in novo Testamento nunquam à Patre dictum Christum servum; in veteri autem loquutos Prophetas tropicè, & improprié, dum Christo appellationem servi dedere. Deinde exurgit multipliciter contra appellationem servi. Et hæc Adrianus.

Adrian

46 Synodus verò Francofordiensis inter alia præstat duo. Primò: excludit a Christo omne genus servitutis, factâ inductione respectu angelorum, respectu hominum, & respectu Patris æterni: Idque habet expressè *in Epist. ad Episc. Hispaniæ columna. 3.* Alterum, excludit servitutem, quasi antecedens, ex quo Elipandus firmabat, & colligebat errorem suum Adoptionis: verba sunt: *quomodo amplioris gloriæ si servus sicut, & Moyses, vel ex servo adoptivus?*

Concil. Franc.

47 Ex eijs arguitur sic. Primò: quia Synodus, & Adrianus sine ulla limitatione passim inculcant, appellationem servi esse Christo iniuriosam, & omninò repellendam: ergo planè definiunt, Christum Dominum nec esse, nec proprié posse dici servum. Secundò: quia, si aliquomodo posset dici Christus servus, inconsiderate processisset Adrianus reprehendens tam aspere Elipandum, & omninò pronuncians, nunquam in Scripturis appellatum fuisse Christum servum, nisi tropicè & improprié: at dicere, Adrianũ inconsideratè processisse, temerarium est. Tertiò: quia, ut ex contextu Adriani, & Synodi patet, Elipandus fovebat, & firmabat errorem suũ de adoptione Christi ex appellatione servi, quam pro antecedente ponebat, quasi de fide ex textibus veteris Testamenti, quos nunc asserores servitutis allegant. Id esse verissimũ constat ex discursu Adriani: qui omninò curat repellere existimatum præsidium Elipandi

nis,& huius effectûs formalis, concedo: ſubiectum incapax, nego minorem, & conſequentiam. Nam Chriſtus, ut homo, cùm ſit perſona Deo intrane; iuſque humanitas,cũ ſit quid Deo intrinſecé coniunctum in unitatem Perſonæ diuinæ, eſt ſubiectum in eo ſtatu incapax denominationis,& effectûs formalis Filij adoptiui. Filiatio enim adoptiua, ut denominatiué cadat in aliquod ſubiectum, dicit, tale ſubiectum eſſe putè moraliter, extrinſecè,& affectiuè affiliatum adoptanti,ut expendimus *ſect. praced* & ſupponit concilium Francfordienſe *in Sacroſyllabo*: ibi: *Francf.* *Porrò adoptivus dici non poteſt niſi is qui alienus eſt ab eo, à quo dicitur adoptatus.* Sic gratia ipſamet habitualis,quamvis ſit iuſtitia nõ dicitur iuſtificare animam,in qua non præceſſit peccatum,quamvis illam formaliter ſanctificet:quia ſtrictè iuſtificare,præter præciſè ſanctificare, dicit transferre ab ſtatu peccati in ſtatum gratiæ, & adoptionis Filiorum Dei,ex *Trid.* Trident.*ſeſſ 6. cap.* 4.

67 Urgent Quamvis in Chriſto Perſona non ſit extranea Deo; at ſaltem humanitas, ſeu anima, cui formaliter ineſt gratia habitualis, eſt natura Deo extranea: ergo hæc ſaltem denominari poteſt Filia adoptiva, ſeu adoptata à Deo per gratiam habitualem:imò & per gratiam Unionis: ad quam pro priori naturæ præceſſit ſubſtantia animæ præcindens à gratia, & unione. Non eſt ergo cur in hoc ſenſu Chriſtus,*ut homo*,hoc eſt, *ſecundũ humanitatem*, non ſit, aptéque dicatur Filius adoptivus Dei.Probatur hæc ſubillatio: nam eſſe filium Dei adoptivum eſt magna dignitas,& perfectio, & proprium hominum ſanctificatorum:ergo non eſt cur Chriſto,ut homini ſanctiſſimo,denegetur.

68 Nec obſtat, quód nec humanitas, nec anima Chriſti ſit ſuppoſitum. Nam neque anima iuſti ſuppoſitum eſt;& tamen per gratiam denominatur Filia adoptiua Dei, ut vidimus eſt *ſect praced.* Nec item obeſt,quód anima Chriſti non præceſſerit tempore ad gratiam,nec unionem. Ea enim temporis præcedentia non requiritur ad denominationem Filij adoptivi, ut patet in Angelis,& in anima Sanctiſſimæ Virginis in primo inſtanti ſui eſſe facta per gratiam Fil à adoptivã Dei abſque præcedentia temporis ad ſtatũ Filiationis adoptivæ.

69 Reſpondetur, negando antecedens in ſenſu completo,& negativo expoſito *num.* 50.& uſurpato á Concil Francford.in verbis allegatis *num.* 66. ac proinde omnino retinẽdo, niſi vocibus abuti velimus,non ſatis,ac par eſt,recedentes à modo loquendi *Felicis*, & Elipandi. Nam & humanitas, & anima Chriſti ſunt intrinſecé phyſicé unitæ Deõ in unitatem Perſonæ divinæ: quæ intraneitas non ſtat cum extraneitate requiſita in adoptato reſpectu adoptantis. Certé multo minor intraneitas eſt quam dicit Filius naturalis creatus reſpectu Patris creati; quæ tamen obſtat, né ſit aut denominari valeat Filius adoptivus à qualicumque affectu Paterno.

70 Nego deinde primam conſequentiam. Nec prodeſt illud de prioritate naturæ animæ ad Unionem, & ad Gratiam. Aliud enim eſt, quòd pro illo priori non ſint unio, & gratia,ac proinde non ſit intraneitas; quod eſt verũ;aliud ẽ,quód pro illo priori ſit extraneitas, aut negatio, ſeu excluſio intraneitatis; quod eſt falſum:nam pro illo priori præſcinditur ab utrãque: & quod eſt pro illo priori, nempe ſubſtantia animæ,diſtinguitur realiter ab intraneitate, & ab extraneitate: ad excludendam autem intraneitatem impeditivam denominationis Filij adoptivi, requireretur, quód pro illo inſtanti reali non daretur aſſumptio intrinſeca illius animæ in unitatem Perſonæ divinæ: ſicut ad excludendam extraneitatem requiſitam ad filiationem adoptivam ſufficit, quòd pro illo inſtanti reali ſit; ut verè realiter eſt; intraneitas animæ per aſſumptionem intrinſecam in unitatem Perſonæ divinæ: quemadmodum ad excludendam formã á toto inſtanti reali, ita ut nec ſit pro priori, nec pro poſteriori in eo inſtanti, ſufficit ſi pro eo inſtanti reali datur forma oppoſita; modò detur pro priori, modò pro poſteriori naturæ. Alioquin in idem inſtans reale coincidere poſſent forma, & negatio formæ,contrà totam Philoſophiam.

71 Hinc falſa eſt etiam ſubillatio. Stat enim efficax ratio, cur in eo etiam ſenſu, *ſecundum humanitatem*, Chriſtus,*ut homo*,non ſit Filius adoptivus Dei. Quia nempe nec *ut homo*, nec ſecundum humanitatem dicit extraneitatem requiſitam ad adoptionem: cùm nec pro priori, nec pro poſteriori naturã dicat quidquam excludens à toto illo inſtanti reali aſſumptionem phyſicam in unitatem Perſonæ divinæ: quæ aſſumptio eſt intraneitas impediens pro toto illo inſtanti extraneitatem, quam requirit adoptio, & facit humanitatem in ſui confertio incapacem denominationis Filij adoptivi.

72 Ad probationem ſubillationis,conceſſo antecedente,negatur conſequentia. Nã etiam habere fidem eſt magna perfectio,non tamen eo ipſo Chriſto concedenda:quia opponitur maiori perfectioni, nempe evidenti rerum omnium intuitioni, in cuius defectũ datur nobis Fides quaſi ſupplementum. Sic

ergo,

ergo, quamvis esse Filium adoptivũ sit magna perfectio,non verò sine imperfectione,nec compatibilis cũ maiori perfectione assumptionis intrinsecæ humanitatis in unitatem personæ divinæ, cuius assumptionis exclusionem dicit extraneitas requisita ad denominationem Filij adoptivi. Ob quam rationem nec Spiritus Sanctus est Filius adoptivus, quamvis nec sit Filius naturalis. Ideoque esset de homine resultante ex humanitate assumptâ ab Spiritu Sancto.

73 Objciunt tertiò. Christus,*ut homo*, seu *secundum humanitatem*, iuxta reduplicationem,in qua nunc loquimur,non est Filius naturalis Dei: nam humanitas non est Filia naturalis Dei: sic ergo Christus,*ut homo*, est Filius Dei adoptivus; per adoptionem scilicet humanitatis: cui adoptioni non adversatur Ecclesiæ definitio, damnans utique adoptionem Christi, ut hominis sic concretè constituti in ratione Personæ humanæ adoptatæ distinctæ à Persona divina adoptante.

74 Respondetur,concesso antecedente, negando consequentiam:non enim ex eo quòd humanitas non sit Filia naturalis Dei infertur bene,esse Filiam adoptivam: sicut ex eo quòd Spiritus Sanctus non sit Filius naturalis Dei non infertur, esse adoptivum: nec ex eo quòd homo non sit filius naturalis angeli sequitur esse adoptivum.Hi enim termini, *adoptivus*, & *naturalis*, quamvis repugnantes inter se sint eo quòd *adoptivus* dicat extraneitatem à natura Patris, quam negat *naturalis*; non sunt immediatè oppositi taliter ut non detur medium inter illos, quod neutrum illorum sit.Sic opponuntur gratia,& peccatum, oppositione scilicet incompatibilitatis essentialis; non tamen ita, ut nequeat dari subiectum, in quo nec gratia nec peccatum sit:& multa alia, tam in physicis, quàm in Theologicis. Itaque Christus, *ut homo*,sic reduplicatus, secundum humanitatem, nec est Filius Dei naturalis, quia abstractum humanitatis non oritur per generationem Dei æternam vivens à Deo vivente in similitudinem,& propagationem naturæ divinæ, ut vidimus agentes, de Filiatione naturali; nec est Filius Dei adoptivus,quia huic denominationi obstat assumptio intrinseca, & physica humanitatis Deo in unitatem Personæ Divinæ:huiusmodi autẽ assumptio est intraneitas essentialiter opposita extraneitati essentialiter requisitæ ad rationem Filij adoptivi, ut ex iuridico, & Theologico modo loquendi, & ex authoritate Concilij, & Papæ accepimus. Nec licet in re dogmatica inordinatè loqui. Unde nego, eiusmodi adoptionem humanitatis assertam ab Scotistis non advertari definitioni Ecclesiæ, ut satis evicimus supra.

75 Propter hæc, si Persona Patris assumpsisset hypostaticè humanitatem, Deus homo inde constitutus, nec esset Filius Dei naturalis, nec adoptivus. Neque hoc est,aut esset imperfectio, ut patet in Spiritu Sancto: non enim impeditur ibi ratio Filij adoptivi Dei nisi ex maiori perfectione,scilicet ex maiori coniunctione ad Deum,quacum incompatibilis est minor perfectio adoptionis,Similiter, casu, nobis possibili ex dictis *disp. 3. sec. 1.* quo humanitas retinens propriam personalitatem assumeretur à Personâ Divinâ in dualitate personæ; Deus homo inde resultans non esset Filius Dei apdoptivus: quia quamvis in hoc casu essent ibi duo supposita, essent tamen non extrinsecè tantum, affectivè,& moraliter;sed physicè, & intrinsecè mutuò coniuncta: ac proinde suppositum illud humanum non esset divino extraneum, pro ut requiritur ad rationem Filij adoptivi. Profectò multò minor intimitas, seu intraneitas Filij naturalis, creati ad patrem creatum reddit illum incapacem adoptionis ab eodem. *Supra disp. 3.*

76 Objciunr quartò. Christus est *prædestinatus Filius Dei*, & *ut homo*, sive secundum humanitatem, verè prædestinatus per gratiam ad gloriam. Itemque, *ut homo*, est verè Dei servus: ergo, *ut homo*, verè quoque Filius Dei adoptivus. Consequentia falsa est ob rationes datas. Veritas antecedentis, quoad priorem partem de prædestinatione, examinabitur *sec. seq.* quoad posteriorem de servitute,*disp. sequ.* unde constabit ratio disparitatis,quæ hic desiderari posset. *Infrà disp. 10.*

SECTIO VI.

An, & quomodo Christus, aut Christus, ut homo, sit, vereque dicatur prædestinatus.

77 *QVi prædestinatus est Filius Dei in virtute*,scribit Apostolus de Christo *ad Roman. 1.* Quæ verba faciunt de Fide,Christum fuisse à Deo prędestinatum. At in quo sensu dicitur à Paulo prędestinatus? Ad quem terminũ prædestinatus? Quâ sermonis proprietate prædestinatus? Multa Expositores Sacri apud Cornelium super illum locum.Multa quoque,& varia Scholastici cum S.Tho.& Scoto apud Suarez *disp.* 50. supponentes ut plurimum, prædestinationem in rigore scholastico esse transmissionem, seu ordinationem, qua Deus ordinat, dirigit, & evehit naturam rationalem *Rom. 1.* *Alapid.* *S. Thom.* *Scot.* *Suar.*

detur, quòd nec illi naturæ humanæ dici poterit indebita gratia unionis, & gloria viſionis. Huic enim obſtaculo iam occurrimus ibi *ſect. 8.* vox enim *humanitas*, *& natura humana*, ſignificat in recto partes, nempe corpus, & animam; unionem autē conſignificat in obliquo: ſufficit autem quòd illis partibus, unitis ſit indebitus, & gratuitus modus ille taliter ipſas uniens invicem, ut ſimul illas uniat Hypoſtaſi Filij Dei. Vide ibi *à num. 118. ſect. 10.*

83 Nec item obeſt, quod ſibi opponit S. Thom. *art. 1.* terminum prædeſtinationis debere eſſe adoptionem filiorum iuxta illud: *prædeſtinavit nos in adoptionem Filiorum.* Cum ergo Chriſtus, ut vidimus, nequeat ullatenus dici Filius adoptivus Dei, eadem ratione non poterit dici prædeſtinatus. Reſpondetur enim ex eodem S. Thom. *ad 1.* antecedens intelligi de prædeſtinatione communi noſtrâ. *Chriſtus autem ſicut ſingulari modo præ aliis eſt Dei Filius naturalis, ita quodã ſingulari modo eſt prædeſtinatus*: ſcilicet ad gratiam unionis intrinſecæ cum Filio naturali Dei, & ad gloriam excellentiſſimam coniunctam etiam cum gratia accidentali, quæ à maiori perfectione Filiationis naturalis impeditur, ne ipſum, facias Filium adoptivum, ut diximus in ſuperioribus. Quod non tollit, veram, & propriam rationem prædeſtinationis; ſed illam attollit ad terminum ſublimiorem.

S. Thom. Epheſ. 1.

84 Iam ad rationem oppoſitam *num. 78.* diſtingo maiorem terminus prædeſtinationis debet non includi in ſubiecto formali *quo* prædeſtinationis, concedo: in ſubiecto *quod*, totaliter ſic denominato, nego maiorem: & conceſſa minori, nego conſequentiam. Nam, ut Chriſtus totaliter ſumptus ſit, & abſolutè, ac propriè dicatur prædeſtinatus, neceſſe non eſt, quòd unio hypoſtatica, aut Filiatio Dei non includatur in Chriſto; neque quòd gloria viſionis ſit quid Chriſto indebitum; ſed ſufficit quòd Unio, Filiatio, & Gloria non ſit quid incluſum, aut connaturaliter debitum naturæ humanæ Chriſti, quę eſt ſubiectum *quo* prædeſtinationis: inde enim Chriſtus abſolutè, & à fortiori Chriſtus, *ut homo*, dicitur veriſimè prædeſtinatus, & ſit ſubiectum *quod* prædeſtinationis. Sic homo totaliter ſumptus, eſt, & dicitur calidus, & candidus à candore, & calore recepto in materiâ prima tanquam in ſubiecto *quo* & in homine tanquam in ſubiecto *quod*: & Chriſtus ipſe eſt materialis, cadente hac denominatione in Chriſtum totaliter, quæ tamen quaſi pro ſubiecto *quo* habet ſolum corpus.

85 Ad confirmationem diſtingo ſimiliter maiorem: terminus, ad quem ſubiectum per prædeſtinationem ordinatur, debet convenire ex gratia ſubiecto *quod* prædeſtinationis, nego: ſubiecto *quo*, concedo maiorem: & conceſſâ minori de Chriſto, qui eſt ſubiectum *quod*; nego conſequentiam: nam, ut diximus, ſufficit quòd Filiatio naturalis Dei, & beatitudo ſint indebitæ ſubiecto *quo*, nempè naturæ humanæ, ad hoc ut Chriſtus fiat ſubiectum *quod* prædeſtinationis, dicaturque verè, & abſolutè prædeſtinatus ad illas.

86 Dices, hac ratione ſimiliter dici poſſet Deus prædeſtinatus, ſicut dicitur paſſus, & mortuus in Chriſto: ſcilicet per communicationem idiomatum. Eâdemque ratione dicendus eſſet Chriſtus prædeſtinans derivatâ ſimiliter denominatione prædeſtinantis à Deo habente illam, *ut quo*, in Chriſtum tanquam in ſubiectum *quod*: ſicque Chriſtus eſſet prædeſtinans, & prædeſtinatus. Reſpondetur, primum fore verum ſecundum regulas communicationis idiomatum: quæ tamen, ut animadvertimus *diſp. 2. ſec. 7.* patiuntur aliquas exceptiones ob inſolentiam, & pericula terminorum: quapropter á multis loquutionibus alioquin veris abſtinemus. At, ut iam ſuperiùs inſinuavimus ea noſtra loquutio, *Chriſtus, aut Chriſtus, ut homo, eſt prædeſtinatus*, proprior eſt, quam aliæ puræ communicationis idiomatum: ut ſunt illæ. *Deus eſt paſſus mortuus, &c.* ad quas pertineret iſta, *Deus eſt prædeſtinatus*: in illa enim ſubiectum eſt *Chriſtus*; in iſta, *Deus*: quæ voces non eodem modo ſignificant, ut facile eſt diſcernere. Secundum verò non eſt inconveniens ratione diverſorum: unde ſicut dicitur Chriſtus mortalis, & immortalis, cur non, ſimiliter prædeſtinans, & prædeſtinatus? genitus, & natus temporaliter, & æternè; ſervus, & dominus, &c.

Supra diſp. 2.

87 Per hunc modum ſolidè explicandi, & defendendi Chriſti prædeſtinationem evadimus alios modos, eò minus ad rem pertinentes, quò magis recurrunt ad modos noſtros concipiendi. Talis eſt eorum, qui putant Chriſtum, utpote ſuppoſitum involvens Filiationem Dei, non poſſe dici prædeſtinatum, ut eſſet Filius Dei; benè verò Chriſtum, ut hominem, ſeu hunc hominem in Chriſto: quia *homo* ex iſto modo concipiendi abſtrahit ab hoc vel illo modo ſubſiſtendi, ſive per ſubſiſtentiam quæ ſit Filiatio Dei, ſive per ſubſiſtentiam, quæ eſſet purè humana: cum autem ſub conceptu hominis non includat formaliter eſſe Filium Dei, potuit ſic conceptus prædeſtinari ad eſſe Filium

Dei.

Dei. Talis eſt etiam aliorum paulò aliter præcindentium in Filiatione rationem Filiationis, & rationem ſubſiſtentiæ ; ſicque dicentium, Chriſtum conceptum ut ſubſiſtentem etiam increatè, prædeſtinatum eſſe, ut eſſet Filius Dei. Talis eſt denique, multóque deterior modus dicendi Caietani : qui ait, quòd *hic homo* ſignificat verbum incarnatum præciſſim à modo Incarnationis, ſiuè vero, qui nunc eſt per hanc unionem ad Verbum ; ſive ficto per unionē accidentalem, ſeu moralē fictam, quam imaginabatur Neſtorius : ſicque de Verbo Incarnato præciſſè, ut tali, dici poſſe prædeſtinatum fuiſſe ad ſubſtantialem Incarnationem. Hi, inquam, modi dicendi inſubſiſtentes ſunt: Quippe, ut rectè obſervat Lumbier *num.* 2245. ad rem præſentem non ſufficit præciſſiò noſtri modi concipiendi; ſed neceſſe eſſet, quòd Deus in modo ſuo prædeſtinandi ſimiliter mente ſuâ præſcinderet. Deus autem non ſic præſcindit: nec prædeſtinat hominem ut ſic, nec diſiunctive hunc vel illum hominem, nec hunc hominem conſtitutum per ſubſiſtentiam Verbi mente ſua omniū comprehenſivâ præciſſam à Filiatione ; ſed prædeſtinat hunc hominem, prout reipſa conſtitutum per Filiationem Dei naturalem.

Caiet.

Lumbier

88 Hæc dixerim retinendo vocem prædeſtinationis, & prædeſtinati in totâ proprietate ſua Scholaſticà : ad quam forté non ita preſſè reſpexit Apoſtolus, dicens de Chriſto: *qui prædeſtinatus eſt Filius Dei* : quaſi dixerit *præordinatus*, & *prædecretus*, ut in tempore poneretur à parte rei Homo factus Filius Dei, & Filius Dei æternus factus homo. Quod totum cadit pleré, & planè in Chriſtum, ſive ſecundum naturam humanam, ſive etiam ſecūdum ſubſiſtentiam, & Filiationem divinam, quamvis æternam: quia quamvis non fuerit ſic præordinata, & prædecreta ut eſſet; benè vero ut incarnata eſſet.

Rom. 1.

89 Ex iis pro reſponſione ad obiectionem poſitam *in fine ſec. præced.* Dico antecedens quoad priorem partem de Prædeſtinatione verum eſſe: Negatur vero conſequentia. Quia nec humanitas ipſa Chriſti adhuc abſtractè dici poteſt adoptata in conſortio intrinſecæ aſſumptionis, quam excludit eſſentialiter adoptio, utpoté requirens extraneitatem : Unde non mirum, quod Chriſtus concretè ſumptus non dicatur adoptatus, ſeu Filius adoptivus ratione humanitatis, ſicut ratione humanitatis mortuæ dicitur mortuus. At humanitas Chriſti ſumpta pro recto naturæ humanæ adæquatè diſtinctæ á terminis prædeſtinationis, nihil includit oppoſitum prædeſtinationi: ſicque eſt proprijſſimè prædeſtinata tanquam ſubiectum *quo* prædeſtinationis : & exinde derivatur denominatio prædeſtinati, ſicut, & mortui, in Chriſtum totaliter, & concretè ſumptum tanquam in ſubiectum *quód*. Quòd autem denominatio prædeſtinati non excludat à ſubiecto terminum prædeſtinationis, ſicut denominatio adoptivi extraneitatem, exinde etiam patet, quód Beati omnes ſunt, & dicuntur prædeſtinati, tunc etiam, cum terminum prædeſtinationis poſſidēt.

DIS-

DISPUTATIO X.

DE

SERVITUTE CHRISTI.

1 SERVITUS, Subiectio, & Minoritas Christi affines invicem sunt, earumque doctrina affinis quoque doctrinæ de Filiatione Christi: ideoque rectâ methodo hîc subnectuntur: Servitus nimirum in præsenti Disputatione; Minoritas, & Subiectio in sequenti. Conveniunt in eo quòd tria hæc dicuntur respectu alicuius Superioris. Differunt in eo, quòd Minoritas præcisè respicit in Superiore maioritatem perfectionis, seu excellentiæ; qualem habet angelus ad hominem, & Rex ad hominem privatum, quamvis non sibi subditum, nec vassallum. Subiectio autem respicit in Superiore iurisdictionem, qualem habent Principes in subditos. Servitus verò respicit ulteriùs in Superiore circa creaturam rationalem dominium, & suitatem, qualem habent Domini in res suas. Dogmata de Christi Servitute illiustrat eruditè Petavius *lib. 7. à cap. 7.* *Petav.*

SECTIO I.

An, & quatenùs Christus sit verè, & propriè Servus Dei.

2 NOn est sermo de Christo, ut Deo: cùm certum sit, ut Deum nec esse servum, nec subiectum, nec minorem Patre: cum sit consubstantialis Patri secundum naturam divinam; & secundum Personam coæqualis Patri.

3 Ubi duo errores præcavendi sunt. Unum Arianorum: qui ereos Christum servum appellabant, quatenus Personam Verbi negabant Patri consubstantialem, existimantes esse Personam Patri inferiorem, & Verbum esse creaturam. Alterum Nestorianorum: qui, in eo errantes, quòd agnoscerent in Christo duas Personas, divinam scilicet, & humanam; Christum non solùm secundum naturam humanam, sed etiam secundum personam humanam aiebant servum Dei, & Personæ divinæ, simul cum humanâ existentis in Christo.

4 Est ergo Catholicis sermo de Christo, ut homine: hoc est secundum humanitatem constituentem in Christo cum Personâ Verbi physicè sibi unitâ unicam Personam, & quidem divinam: an scilicet sic constitutus, *ut homo*, hoc est, secundum naturam humanam, sit, propterque dici possit Servus Dei.

5 Divisi sunt Scholastici: nec unâ voce loquuntur Sancti Patres, hinc & inde certatim citari soliti. Negat Vasquez *disp. 89.* & cum illo uterque Hurtad. Cardin. de Lugo, Martinon, Torres, quos citant, & sequuntur Aldrete *disp. 81.* & Amicus *disp. 18.* litem reducunt ad nomina, sicut etiam sub brevibus Haunoldus *lib. 4. Tract. 1. cap. 11. contr. 1.* Affirmant è diverso S. Tho. Suar. *disp. 44.* & Valentia, quos citat sequiturque Bernal *disp. 28. sect. 2.* Item que Bellarmin. *lib. 3. de Christo cap. 6.* Meratius *disp. 48.* Uwading. *disp. 19.* Godoy *disp. 53.* Lumbier *quæst. 37.* & latè Conine *disp. 21. dub. 3.* ijsque videtur tandem accedere Cardin. de Lauræa *disp. 28. art. 2.* *Vasq. Hurt. Lug. Martin. Torres. Aldret. Amic. Haunol. S. Thom. Suar. Valent. Bernal. Bellarm. Merat. Uvadin. Lumbier Laurea. Rip. supra disp. 8. num.*

6 Discernere oportet claritatis, & veritatis gratiâ triplicem servitutem. Unam moralem, turpem, infamem, & vilem, quam contrahit homo per peccatum, ratione cuius habet speciale ius Dominus Deus contra ipsum, ut agat cum ipso tanquam cum mancipio nequam, ut ex Ripalda explicuimus *disp.*

8. num. 42. Aliam legalem: quæ per humanas leges introducta est, & fundatur in aliquibus titulis, quibus, non à naturâ ipsâ, sed ab humanis legibus homo fit, non utcumque subditus, sed etiam res alterius hominis. Aliam naturalem, ingenuam, & inculpabilem: qua subditur quælibet creatura rationalis Deo, ut strictè Domino potenti iure creationis de illa disponere tanquam de re sua sine ullius iniuria. Hæc autem non est minùs propria servitus, quàm legalis; quinimo legalis ad similitudinem naturalis introducta est per leges, ut benè notat Bernal, eruditè de ijs differens sect 1.

Bernal.

7 Convenimus in eo quòd prius illud genus servitutis ignominiosæ procul abest à Christo, etiam ut homine, utpote segregato à peccatoribus, & omninò impeccabili. Similiter & secundum, Servitutis legalis: quia Christus Dominus nullo iure humano factus fuit servus alterius. Dissidium est de tertio alio genere servitutis inculpabilis, & ingenuę. In quo sensu subscripsi olim, & subscribo sententiæ affirmativæ in re, & in modo loquendi ob reverentiam Scripturarum idemtidem Christum nomine servi compellantiũ: quod de Christo, ut homine, & de servitute ingenuâ, & inculpabili necesse est intelligi.

Isai. 42. 8 Isaiæ 42. *esse Servus meus, suscipiã eum.* Ubi Interlinealis: *Servum Filium secundum humanitatem.* Et cap. 52. *intelligabit ipse instus Servus meus multos.* Ubi Interlinealis: *Filius meus formam servi accipiens.* Zachariæ 3. *adducam servum meum orientem.* Quod eadem Glossa, alijque Interpretes intelligunt de Messia. Philip. 2. *formam servi accipiens.* Quod Glossa Interlinealis, & Ordinaria non de similitudine, sed de humanitate assumpta intelligunt, quæ est id, ratione cuius Christus est verè, & proprié Servus. Psalm. 115 *Ego servus tuus:* & iterum: *ego servus tuus, & Filius ancillæ tuæ.* Quod in persona Christi dictum à Davide interpretatur August ibi, & alij communiter.

Gloss. *Zachar. 3.* *Gloss.* *Philip. 2.* *Glossa.* *Psal. 115.* *August.*

9 Augustinus ipse idem habet *serm. 5. de Tempore.* Ambrosius *cap. 6. de Fede:* ibi: *non igitur præiudicat quod subiectus dicitur, cui non præiudicat, quòd Servus legitur.* Et rationem dat *super Psalm. 108.* ad illa verba *dixit Dominus mi Domino* ibi: *secundum formam Servi loquutus, Dominum appellavit, quem Patrem noverat: Servitus enim carnis; Dominatus, Divinitatis est.* Hieronymus *ad cap. 1. Epist. ad Titum:* ibi: *per Isaiam Pater loquitur ad Filium, magnum tibi est vocari servum meum.* Fulgentius *cap. 2. de Fide ad Petrum:* ibi: *formam servi accepit, ut fieret servus.* Cyrillus Alexand. *ad Eutropium*, proposita sibi obiectione, quòd Christus in Scripturis vocetur servus; confessus est, & non negavit; sed dixit: *Si quis dicat, Servum eum appellari propter voces Sanctorum Pprophetarum nullo modo offendi debet: cognoverunt enim revelantem Spiritum Sanctum, quod Verbum fieret homo.* Athanasius 4 *contra Arianos*: ibi: *quatenus in confesso est eum hominem esse, nihil differiminis attulerit, sive servus, sive hominis filius appelletur: omnes enim istæ voculæ in rationem humanitatis VERE, ET PROPRIE ei competunt.* Nota *verè, & propriè*: & quòd eâdem proprietate vult res tineri, & sine offensione dici, Christum esse servum, ac Filium hominis. Et valdè quoque notandum, quòd adhuc agens cum Arianis, qui exinde Verbi divinitatem negare aggrediebantur; ait, eiusmodi loquutiones nullatenus offendere. Chrisost. *serm. 7 super Philip.* ibi: *Sicut in forma Dei perfectus est Deus; ita in forma servi perfectus est servus* Vigilius Papa *lib 3. contra Eutych.* ibi: *Cùm sit Deus servus factus est Patris.* Et lib. 5. *quis ita stolidus, ut non intelligat, formari ex utero servum, & inveri servum fieri, & tempore oportuno exaudiri, atque auxilium expectare Paternum, & confortari in Domino, ad naturam carnis Christi PROPRIE pertinere?*

Athan. *Chrisost.* *Vigil.*

10 Alios lege apud Authores pro hac sententia citatos *num. 5.* Mihi certè hi sunt satis superque, ut negare, nec dubitare ausim de hac nostra sententia contra tot loquutiones Scripturarum, & Sanctorum. Nec decet effugium vulgare eas interpretandi in sensu improprio, & metaphorico, ut rectè expendunt Coni. & Bern. Tũ quia aliqui é Patribus citatis præsertim Athanasius, & Vigil. signatissimè præoccupant hanc interpretationem. Tum quia nec eam patitur sinceritas Sacræ Scripturæ iuxta regulam Augustini, nisi ubi proprié intelligi nequit sine inconvenienti. In hac autem propriâ intelligentia nullum adesse inconveniens constabit in sequentibus.

Conine. *Bernal.*

11 Disputo deinde ratione à priori. Servus, ut ex Aristotele, & S. Thom. colligit studiosè Bernal, est *vivens intellectuale, proprie, & simpliciter alicuius*: scilicet alterius habens ipsum sub dominio suo proprietatis, tanquam rem suam. Atqui totum hoc convenit proprie Christo, ut homini, respectu Dei: ergo est verè, & proprie servus Dei. Probatur minor: nam ut homo, est vivens intellectuale, proprié, & simpliciter res Dei: non minus, ac aliæ creaturæ rationales quæ

Arist. *S. Thom.* *Bernal.*

quæ propterea iure creationis,& ſuprẽmi dominij divini ſunt res Dei,& ſervi Dei.

12 Inſuper. Si Chriſtus, *ut homo*, non eſſet propriè, & abſolutè prædicto modo res Dei;maximè vel ex defectu dominij Dei ſuper Chriſtum, ut hominem, vel ex defectu ſubiectionis Chriſti, ut hominis,erga Deum, vel ex defectu alteritatis, aut diſtinctionis Chriſti à Deo requiſitæ ad rationem ſervi. Atqui non ex defectu dominij:hoc enim dominium Dei in alios puros homines in eo ſtat, quód pro libito ſuo illos produxerit, pro libito conſervet,& pro libito de illis,& de ipſorum rebus diſponere poſſit,multó independentiús, & perfectiùs, quàm Domini creati de ſuis rebus, ac ſervis: quæ omnia rectè cõpetunt Deo reſpectu Chriſti, ut hominis. Non ex defectu ſubiectionis Chriſti ad Deũm à quo ſcilicet pendet in eſſe, fieri, & conſervari: & cuius præcepta ſervavit, illumque, ut ſuum principium agnovit. Non denique ex defectu alteritatis,& diſtinctionis.

13 Probatur hæc tertia pars,in qua magis hærent Adverſarij. Non enim maior hìc requiri poteſt alteritas, ſeu diſtinctio, quàm quæ requiritur, & ſufficit ad relationem realem:ſed hæc datur inter Deum,& Chriſtum, ut hominem: ergo & quantum diſtinctionis, & alteritatis ſufficit. Maior patet:nam ſive alteritas, & diſtinctio illa ſervi, & domini ſit ſecundum naturam, & ſecundum perſonam, ut eſt in purè creatis; ſive ſit ſecundum naturam, & non ſecundum Perſonam, ut eſt in Chriſto reſpectu Verbi,dũmodò ſit diſtinctio ſufficiens,ut Chriſtus,in quantũ homo,hoc eſt ſecundum humanitatem, dicatur alter, & diſtinctus à Deo, ſeu à Verbo ſecundum ſe ſumpto, fruſtra requireretur alia alteritas, ſeu diſtinctio ſecundum omnia, ad fundandam veram, & propriem relationem ſervi, & domini inter Deum, & Chriſtum, ut hominem, quæ ad alias relationes reales non requiritur: ergo illa debet ſufficere.

14 Probatur autem minor. Primò ex verbis Apoſtoli. *1.* Corinth. 2. *Volo autem vos ſcire, quod omnis viri caput Chriſtus eſt; caput autem mulieris, vir; caput verò Chriſti, Deus.* Caput autem, ut res ipſa loquitur, & docuit Ariſtoteles *cap. de Relatione*, non dicitur niſi per relationem realem ad membra. Secundó: quia Chriſtus, *ut homo*, hoc eſt, ſecundum humanitatem, eſt creatura: ſed creatura dicitur per relationem realem ad Deum: ergo dicit tantum alteritatis, & diſtinctionis, quantum ſufficit ad relationem realem inter Deum, & Chriſtum ut hominem. Tertiò: quia non magis ſervus, non niſi alterius dicitur ſervus, quàm Filius non niſi alterius dicitur Filius: atqui iuxtà doctrinam Adverſariorum, & noſtram Chriſtus,ut homo, ſufficientem habet diſtinctionẽ, & alteritatem,ut ſit,& dicatur propriè in quàntũ homo,Filius Dei: ergo ſimiliter, ut ſit, & dicatur propriè,in quantum homo, ſervus Dei.

1. Corint. 2. — Ariſt.

15 Confirmatur *ex 1. Corinth.* 3.dicente Paulo: *omnia enim veſtra ſunt; vos autem Chriſti; Chriſtus autem Dei.* Dei ſcilicet per relationem realem ſufficientem, ut Chriſtus dicatur res Dei, & Deus dominus Chriſti, ut hominis. Salvâ autem ſemel ratione relationis realis inter Chriſtum, ut rem, quæ ſit ſub dominio Dei; & inter Deum, ut dominum, qui ſit Chriſti, non deerit ſufficiens ratio realis diſtinctionis, & alteritatis ad conceptum ſervi, & domini. Ergo ex hoc capite diſtinctionis, & alteritatis non deſinet Chriſtus, ut homo, eſſe propriè Dei ſervus: ergo ſi cætera adſint, ut verè adeſſe vidimus, non eſt unde negari debeat, aut poſſit propria ſervitus Chriſti,ut hominis,ad Deum. 1. Cor. 3.

16 Confirmatur ſecundò. Chriſtus, ut homo, eſt propriè Filius ancillæ Dei: ergo, & ſervus Dei. Quam conſequentiam videtur intuliſſe Chriſtus ipſe Davidis ore: *Ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Eam probant aliqui, *ex L. Pactum Cod. de rei vindic.* ubi dicitur, *explorati iuris eſſe, partum ancillæ matris ſequi conditionem.* Quoniam verò reſponderi poteſt, hoc procedere ex iure humano,cui non ſubiacebat Chriſtus, probo aliter conſequentiam. Maria eſt propriè ancilla Dei, quamvis verè Mater: ergo, & Chriſtus, quamvis verè Filius. Ratio illationis eſt: quia identitas phyſica Patris, & Matris cum Filio facit ut Filius iure naturali non ſit ſervus Patris aut Matris: & à fortiori, nè Mater, aut Pater ſit ſervus Filij. Hoc tamen non obſtante, Maria verè, & propriè Mater Dei, eſt verè, & propriè ancilla Dei,& habet ad hanc relationem realem ſufficientem alteritatem,& diſtinctionem à Filio,Deo quia nempe quamvis ſit vere, & proprie Mater Dei, ſcilicet Chriſti, ut hominis; eſt verè & propriè creatura Dei, ipſiuſque Chriſti ut Dei, pendens ab ipſius liberâ effectione, & conſervatione: Quamvis ergo Chriſtus ſit vere Filius Dei, erit verè, & proprie ſervus Dei ſecundum humanitatem,habebitque ad hoc ſufficientem alteritatem: quia ſecundum humanitatem eſt propriè creatura rationalis Dei à Deo pendens in eſſe, fieri, & conſervari. *Pſal.* 115.

17 Infertur, ſervitutem naturalem non omnino metiendam eſſe ex legali, quam naturales Philoſophi declararunt. Non enim ex iuribus humanis concederent, Regis, ma-

trem, ſicut neque ſponſam eſſe veram Regis ancillam; ſed ex eſſentiali dependentia creaturæ à Creatore: quæ dependentia, ſicut facit quòd quælibet creatura ſit proprié res Dei, ſic facit quód quælibet creatura rationalis ſit proprie ſerva Dei: & quidem ſtrictiús, & multò magis propriè, quàm aliqui homines ſint ſervi aliorum hominum ſervitute legali. Quare non poteſt non diſſonare, in eiſdem verbis Chriſti dicentis per Davidem, ſe
Pſal. 115. ſervum, & Matrem ancillam Dei, ſunt *ancillam* ſtrictè, & *ſervum* latè ac impropriè.

SECTIO II.

Obiectiones contra propriam Chriſti, ut hominis, ſervitutem.

18 OBijcies primò quód Ariſtoteles *1. Polit. 3.* ubi egit de
Ariſt. ſervitute, dixit inter alia, ſervum debere eſſe *alterius*: & addidit *eſſe omninò alterius*: ergo requiſivit omnimodam alteritatem, & diſtinctionem inter ſervum, & dominum: ac proinde talem etiam, ut ſervus, & dominus nõ coeant in unum: At Chriſti humanitas, & Deus coeunt in unum ſuppoſitum: ergo Chriſtus, adhuc ſecundum humanitatem, non habet ſufficientem alteritatem, & diſtinctionem, ut ſit, dicique propriè poſſit ſervus Dei. Confirmatur. Nam idcircò idem Philoſophus vocat ibi ſervum inſtrumentum ſeparabile, & partem Domini ſeparatam: nè ſervi definitio conveniret manui, & pedi cuiuſcumque homini. Unde confirmatur ſecundó. Manus, Filius, & Uxor, ideó non dicuntur ſervi hominis illa habentis, quiá non propterea ſunt abſolutè, & omninò alterius: cum homo non ſit omninó, & adæquatè alter à ſua manu; nec omninò alter à Filio, qui eſt pars ſubſtantiæ Patris; nec, omnino alter ab uxore, quæ unum corpus, unà caro reputatur: atqui Chriſtus, ut homo, multò ſtrictus, quàm hæc omnia, pertinet ad Deum, quocum facit unum ſuppoſitum per phyſicam unionem: ergo multó minùs Chriſtum inter, & Deum datur alteritas, & diſtinctio requiſita ad relationem ſervi, & Domini.

19 Reſpondetur, Ariſtotelem, quem prorſus latuit Myſterium Dei hominis, ſolummodò reſpexiſſe iuxta ſuũ inſtitutum, ad ſervitutem legalem inter putos homines ſecundum humana iura: per quæ non eſt metienda ſervitus naturalis creaturæ cuiuſcumque ad Deum, ut intulimus *num.* 17. Quinimó homines ad inſtar ſervitutis naturalis inſtituerunt legalem: ideoque *ſervum* dixerunt à *ſervando*: quatenus ſervant vitam illius, quem iure belli poterant occidere: ideoque, quaſi victoribus deberent ſuum eſſe, vitamque ſervatam, manebant ſub ſervitute victoris, in hoc quodammodo imitantis prærogativam Dei, veri datoris, & conſervatoris creaturarum pro ſuo libito. Nihilominus definitio ſervitutis collecta ex Ariſtotele *num.* 11. tota aptatur ſtrictiſſimé ſervituti Chriſti, ut hominis, ut ibi expendimus. Nec obſtat quod addidit *eſſe omninò alterius*: quaſi requirens omnimodam alteritatem: nam fortè vox *omninó*, non afficit pronomen ſubſequens *alterius*, ſed verbum antecedens, *eſſe*: requirens utique omnimodam dependentiam, ſervi à Domino, omninó eſſentis alterius: quin hæc alteritas debeat eſſe omnimoda, ut ex Ariſtotele inferebat obiectio, ut propriam Chriſti ſervitutem impugnaret: cùm potius inferre deberet omnimodam dependentiam, quà ſtrictiús quæcumque creatura eſt Dei, & creatura rationalis ſerva Dei ſervitute naturali, quàm ſervitute legali unus homo ſit res alterius, & ſervus alterius. Unde neganda omnino eſt prima, & ſecunda conſequentia cum ſua explicatione.

20 Ad primam confirmationem dico, Ariſtotelem id dixiſſe explicationis metaphoricæ cauſa; ſicut quando S. Tho. id ipſum explicavit vocans ſervum organum Domini, quæ proprié dici non poſſunt. Diſcrimen autem inter manum, pedemvé reſpectu hominis, & ſervi reſpectu Domini, & Chriſti, ut hominis ſervi reſpectu Dei, eſt aliunde palmare: nam pes, & manus non ſunt alterius, qui ſine ipſis ſit omnino idem, cùm manus, & pes ſint partes ſubſtantiales hominis: nec ſeorſim à reliquo hominis ſint rationales. At ſervus ſeorſim à Domino debet eſſe ſubditus rationalis, ut eſt etiam Chriſtus ſecundum humanitatem ſumptam ſeorſim à Deo: & Dominus ſeorſim à ſervo debet manere phyſicè idem eſſentialiter, & ſubſtantialiter: ut maneret Deus omnino idem eſſentialiter, & ſubſtantialiter, ſeparatá, aut deſtructá humanitate.

21 Ad ſecundam confirmationem, quo ad manum, cur non ſit ſerva hominis, iam eſt data ratio. Quoad Filium, & Uxorem dico, id eſſe; quia reſiſtunt leges humanæ, à quibus pendet inſtitutio ſervitutis legalis. Quæ tamen non reſiſtunt, nec reſiſtere poſſunt ſervituti naturali, & eſſentiali cuiuſlibet creaturæ rationalis ad Deum potentem de illo, & de illius actibus diſponere licite ſine ullius iniuria, tanquam de re omnino ſuá. Unde gratis ſibi confinxit Hurt *diſp. 78. §. 11.* *Hurt.*
& 14. ad alteritatem Domini à ſervo non ſuffi-

sufficere distinctionem, sed requiri negationem unionis physicæ, ideo negans, Christum, ut hominem, posse esse Dei servum, quia habet sibi Deus physicè unitam humanitatem. Profectò eiusmodi unio, sicut non tollit ab humanitate rationem creaturæ rationalis, ita nec à Christo, ut homine, rationem servi: & simili libertate posset sine probatione, & sine veritate dici, ad rationem creaturæ requiri negationem unionis physicæ cum Deo.

22 Objicies secundò quod dixit idem Aristoteles, servi esse, non habere sibi communia bona Domini; sed Christus etiam ut homo, communicat in bonis Dei; ergo neque, ut homo, est propriè servus Dei. Probatur minor; nam Christus, ut homo, habet totam plenitudinem Deitatis, adoratur cultu latriæ, & habet eundem thronum, & nomẽ regnantis cum Deo, ut colligunt Interpretes ex *Apocalyp.* 4. & 5.

Apoc. 4 & 5.

23 Respondetur primò, maiorem non esse tam exploratam, ac supponunt Adversarij: qui saltem deberent statuere, quota bonorum Domini communicatio repugnet servituti. Certè namque iusti propriè sunt servi Dei; quibus tamen, cùm eo ipso sint consortes divinæ naturæ, competit aliqua communicatio in bonis cum Deo: perfectiùs Beatij & multò perfectiùs Beatissima Virgo; propriè tamen ancilla Domini. Quod autem dixit Aristoteles, servum non communicare in bonis Domini; non dixit pro conceptu definitivo servi, quasi de ratione, & essentia servitutis ut sic. Quippe servum definivit per hoc quod est, *ipsum esse alterius*: quod salvatur præcisim à communicatione bonorum per suitatem, & potestatem plenã unius in alterum, quam habet Dominus legalis in servum legalem, potens exigere cunctas illius operas, præcipere has, illasve actiones, & quòd nihil nisi Domino lucretur: & multò mẽjùs Deus in servum naturalem, creatis, & conservans eum pro libito, cum iure disponendi de illo, quin audire possit, *cur ita facis?* habensque plenum ius, ut servus naturalis ad ipsum, ut ad finem ultimum, se suaque omnia referat. Quænam, precor, rigorosior servitus, adhuc stando definitioni Aristotelicæ? Ad huiusmodi autem conceptum definitivum, & essentialem servitutis in genere accessoria, extraessentialiter, & de peraccidens esse videtur decantatissima illa incommunicatio bonorum, quam de suo addunt Adversarij conceptui servitutis.

24 At, inquis, illam addidit Aristoteles, dicens 8. Ethic. 11. inter servum, & Dominum nihil esse commune. Fateor; sed ad sũmum loquitur specificè de servo legali secundũ humana iura vili; non de naturali, cuius servitutem minimè vilem, sed nobilem, & ingenuam, aut prætermisit ibi Aristoteles, ut alienam à suo instituto; aut non agnovit, iuxta suum errorem de Deo, non tam pro libito, quam ex necessitate naturæ operante: sicque non est Judex competens Aristoteles in hac causâ. Nec dubito, quòd ex ipsius iudicio, seorsim etiam à proprietate servitutis non admitteretur communicatio bonorum inter Deum, & creaturam, interquos propterea amicitiam esse posse negavit: cùm tamen Deo, & humanitati, quæ certò creatura est Deo amicissima commune sit bonum Personalitas divini Verbi: nec Aristotelico suffragio adiudicaretur utrique idem honor, & thronus in Cœlo. Ergò, & nega Aristotelicè, Christum, ut hominem, esse creaturam; sicut per Aristotelem negas esse servum. Præstat in ijs sapere cum Sanctis Ecclesiæ Patribus, quàm cum Aristotele, interdum consequutivè ad errores suos philosophante.

Ariſt.

25 Respondetur secundò ad obiectionem ex Suar. *sect.* 2. distinguendo maiorem: si ea communicatio bonorum faceret servum parem Domino, concedo; si non faceret parem, nego: iam enim relinqueret minoritatem, & inferioritatem sufficientem ad rationem servitutis, si cætera adsunt. Ad minorem, eiusque probationem dico, quòd ea bonorum communicatio, quæcumque sit, semper relinquit humanitatem, ac proinde Christũ, ut hominem, minorem, & infinitè inferiorem Deo. Quamvis enim in humanitate inhabitet plenitudo divinitatis; non tamen essentialiter, & per identitatem, sicut in Deo; sed contingenter, & per unionem. Quamvis humanitas sic per unionem Deificata digna sit coli, & adorari eàdem cum Deo Latriâ; non tamen ratione sui, sicut Deus; sed ratione Deitas, ut explicabitur *disp.19. à sect.4.* Quamvis eadem sit Cœlo sedes Dei, & Agni; Deo competit ratione sui; Agno, seu Christo, ut homini, ratione Dei. Et quamvis Nomen Dei competat Christo; non tamen competit Christo, ut homini, seu secundum humanitatem, nec Christus est Deus ratione humanitatis, sed ratione Deitas. Unde ea communicatio bonorum humanitatem inter, & Deum, non facit humanitatem parem cum Deo, ac proinde non tollit, quominùs Christus, ut homo, sit propriè servus Dei.

Suar.

Infra disp.19.

26 Respondetur solidùs tertiò pauló aliter, distinguendo maiorem. Servi est non habere communia bona Domini, si ea communitas bonorum minuit subiectionem ad Dominum, concedo: si non minuit subiectionem

nem ad Dominum, nec istius Dominatum, nego. Cùm enim servitus stet in omnimoda subiectione unius, & dominatu alterius, nulla bonorum communicatio, quæ nec unius subiectionem, nec alterius dominatum minuit, detrahit quidquam de conceptu servitutis, aut obest propriæ servituti essentialiter sumptæ. Sit supremus Princeps legibus humanæ servitutis superior, qui ancillam sibi desponsaret, eique proinde tribueret ius eiusdem thalami, nominis, & honoris regij; sibi tamen facultate retentâ eam pro libito occupandi in quibusvis muneribus, eam dandi, & vendendi: sic certè per matrimonialem illam communicationem bonorum non diceretur illa servitutem exuisse, siquidem nihil exuisset subiectionis, nihilque Princeps amisisset potestatis dominativæ. Quodsi de facto sic non evenit, est quia resistunt leges, quibus subiacet servitus legalis. Sic ergo considerare licet servitutem naturalem, quæ legibus eiusmodi non subiacet. Undè, sic distinctâ, & explicatâ maiori, distinguo minorem, eiusque probationem: Christus, ut homo, communicat in bonis cum Deo, in plenitudine scilicet Deitatis, adoratione, nomine, & throno, non imminutâ perinde subiectione humanitatis ad Deum, & potestate Dei supra humanitatem, quantumvis physicè sibi unitam, concedo, imminutâ, nego minorem, & consequentiam. Implicat enim non esse servitutem, ubi adest tota ratio constitutiva servitutis: quæ stat in prædictâ omnimodâ subiectione unius rationalis ad plenam potestatem alterius: quòd, sicut imbibitur in conceptu cuiuslibet creaturæ rationalis, sic absque dubio in Christo, ut homine, seu secundum humanitatem, quæ sine dubio creatura rationalis est, & à Deo omninò dependens, non obstante, unione physicâ cum Deo.

Damas. 27 Objicies tertiò, quòd dicitur communiter ex Damasceno, nomina, *Servitus*, & *Dominium*, esse nomina suppositorum, nõ naturarum: sunt enim nomina relativa, quæ in Deo sunt personalia: ergo si Christus esset aliquomodo servus, esset & diceretur servus secundum suppositum: quod tamen omnes negamus. Respondetur, doctrinam antecedentis admitti communiter de servitute legali; de naturali verò vera non est in universum. Nam servitus naturalis est etiam nomẽ naturæ, & concreti ratione naturæ, seu secundum naturam: fundatur enim in iure creationis proprissimè convenientis Christo, ut homini, seu secundum naturam humanam: sicut convenit esse creaturam. Similiter dixi de nomine filij ex Cardin. de Lauræa *disp. præc. num. 49.* Nec omnia relativa necesse est esse inter personas distinctas, ubi locum habet distinctio naturarum, ut in Christo: quamvis verissimum sit, quòd in Deo ad intra non cadunt nomina relativa nisi de Persona ad Personam: quia ibi non est distinctio realis naturarũ, sed Personarum. Hinc falla, & nulla est consequentia.

Laurea. Supra disp. 9. sect. 4.

28 Objicies quartò, quod diximus *disp. præced. sect. 4.* Christum, ut hominem, nec esse, nec dici posse Filium Dei adoptivum, adhuc secundum humanitatem: ergo similiter nec, ut homo, potest dici servus Dei. Aut si, ut homo, est servus Dei, cur non, ut homo, filius adoptivus? Responsio, quã promissimus ibi *num. 76.* & hucusque distulimus, est rationem esse manifestè disparem, à vero antecedente ad falsam consequentiam. Quia esse, ut hominem, seu secundum humanitatem, filium adoptivum dicit, humanitatem esse Deo extraneam: non autem est extranea quæ est Dei intranea per unionem physicè & intrinsecè illam Deo unientem, & unum ex illa supositum cum Deo faciente, ut ex ipsa definitione adoptionis explicuimus *disp. 9. sect. 4.* At ad conceptum servitutis naturalis non requiritur extraneitas, sed sufficit alteritas servi subiecti à Domino: quæ alteritas rectè stat in humanitate Christi: nam unio intrinseca illius ad Deum, non tollit, nec minuit alteritatem, seu distinctionem illius à Deo, sicut tollit extraneitatem: ac proinde, nec tollit, nec minuit rationem servi naturalis, sicut nec rationem creaturæ rationalis summè pẽdentis à Deo potente plenè disponere de illa, quantumvis sibi intrinsecè copulatâ.

Supra disp. 9.

Supra disp 4.

SECTIO III.

Objectiones ex Sanctis Patribus.

Lug. Athan. 29 OBjicit Lugus Athanasium, *Orat. 3. contra Arianos*, sic fantem: *Quamvis speciem servi acceperit Verbum, quod in forma Dei subsistebat; non tamen assumptio illa carnis Verbum servum, aut mancipium reddidit.* Respondetur, loqui Athanasium contra Arianos, qui Verbum in propria etiam persona, & natura dicebant esse creaturam, inæqualem Patri, & minorem Patre, & sic servum Patris. Neque ergo loquitur contra nos, neque in terminis nostræ disputationis de Christo, ut homine, seu secundum naturam humanam, quæ creatura est. Imò ibidem habet nobiscum Athanasius, vocem *servus*, benè, & propriè cõpetere Christo ratione humanitatis, subiungens, convenientis fuisse, quòd Christus Patrem suum Dominum vocaret.

Obij-

Vasq. Chrisost.

30 Objicit Vasquez Chrisostomum *Homil.* 3. *in* Epist. *ad Hebreos* dicentem de Christo: *sicut servus factus non mansit servus; sic & minister factus non mansit minister: non enim ministri est sedere, sed stare.* Respondetur, sensum genuinum esse, aut de ratione constitutiva servi, & ministri, aut de exercicio ministerij, & servitij inter homines in negotio Redemptionis. Si de primo, est quasi dixerit, Christum non mansisse in esse puri servi, sed servi, qui sit simul Dñs; sicut nõ fuit purus homo, sed homo simul Deus. Si de secundo, est quasi dixerit, non sẽper mansisse inter homines in exercitio ministrandi, & serviendi laboriosè in eo negotio; sed intrasse tandem plenè in gloriam suam, & sedisse ad dexteram Patris. Priorem sensum habent

Isidor.

etiam Verba Isidori *lib.* 1. *de summo bono. cap.* 16. dicentis: *Christus, & in forma servi servus, & in forma servi non servus*: id est in ea forma retinens simul Dominatum: ut postmodum se explicat sic: *in forma quippe servi, Domini servus, & in forma servi hominum Dominus.*

Augustin.

Similia habet Augustinus *homil.* 39.

Emiss.

31 Objiciunt insuper Eusebium Emissenum *Homil.* 6. *de Pasch.* ibi: *Nec poterat, intervenire pro servis adstrictus legibus servitutis.* Respondetur, verba immediatè præcedentia fuisse: *non subvenire peccato poterat simili peccato obnoxius.* Quo satis se explicat, se ibi agere pro sanctitate, & impeccabilitate Christi contra nonnullos blasphemos, quos imitantur aliqui nostri temporis hæretici: & consequenter loquutum fuisse de vili servitute peccati: quam omnes negamus Christo. Vrget Vasquez, Emissenum de

Vasq.

utrâque servitute loquutũ: prius de una per priora verba nomine peccati; mox de alia, quam etiam negat, nomine ipso servitutis. Sed responsio plena est, de eâdem servitute utrobique loquutũ, licèt diversis nominibus, ut est fræquens synonimia, præsertim in concionibus, seu Homilijs.

Cyril.

32 Objiciunt rursus Cyrillum *in Expositione Symboli Nizeni* dicentem: *accepit autem formam servi, ut liberi: non servus existens ad libertatis rediit gloriam.* Respõdetur, Cyrillum ne sibi, pro ut à nobis citato *num.* 9 adversetur, sic intelligi debere quasi dixerit: ut liberi à servitute ignobili, & inglorià, quam præseferebat, factus in similitudinem carnis peccatis; non utique factus re ipsa servus hac peccati servitute, quam representabat, rediit ad gloriam libertatis oppositæ eiusmodi servitoti.

Leo.

33 Objiciunt præterea Sancti Leonis verba *serm.* 3. *de Nativit.* prout referuntur à Concilio Francofurtensi: *Assumpta est de Matre Domini hominis natura, non culpa, creata est forma servi sine conditione servili.* Respondetur per priora verba ad posteriora, sermonem esse clarè de servilitate per culpam; inassumptam nimirum, assumptâ humanitate: in quem sensu clarissimum subiungit: *quia novus homo sic contemperatus est veteri, ut, & veritatem susciperet generis, & vitium excluderet vetustatis.* Quid explicatius?

Damas.

34 Objiciunt tandem, & fidentiùs Damascenum 3. *de Fide* 21. sic protestatem: *Quin illud quoque sciendum est, cum ne servum quidem dicere nobis licere.* Et *lib.* 4. *cap.* 19 *nisi caro Dei Verbo copulata fuisset, servum proculdubio, & ignorans exstitisset. Verùm ob personalem cum Dei Verbo unionem id habuit, ut nec servus esset, nec in ignotatione versaretur.*

35 Fundamentum ipsius est duplex. Primum: quia Christus nec est servus sui ipsius, cùm ratio servi relativa sit, ita ut nemo sit servus nisi alterius. Nec est servus Patris: quia sic non omnia, quæ sunt Patris essent Filij; siquidem Filius ipse, qui servus non potest esse Filij, esset servus Patris. Secundum: quia si Christus esset servus: *quomodo*, inquit, *nobis ait Apostolus? itaque iam non est servus, sed Filius; eorum scilicet unus, qui per eum adoptati sunt?* Ex eo nempe, quòd nemo potest alium liberare à miserâ conditione, qua ipse premitur: ut ergo nos à servitute liberaret Christus in adoptionẽ Filiorum Dei, debuit ipse non esse servus.

36 Respondetur in primis, propter Damascenum non fore deserendam communem loquutionem aliorum Sanctorum Patrum: præsertim cùm mirum esse non debeat, Damascenum negasse Christum servum, qui Patri subiectum recusavit concedere. At quo id etiam sensu conciliabili cum alijs Sanctis Doctoribus dixerit, dabimus reverentiæ causâ *disp. seq. sec.* 2.

infra disp. 11.

37 Deinde respondetur, duplicem mihi esse coniecturam, quòd Damascenus non negaverit Christo; ut homini servitutem naturalem, quam nos defendimus. Prima est, quòd ipse subdit Damascenus post priora verba: *Hi autem, qui servum Dei dicunt, unum Christum instar Nestorij in duos dividunt.* Agebat ergo contra servitutem Christi, prout eo tempore asserebatur à Nestorianis ponentibus in Christo duas Personas: unam divinam Dominam; aliam humanam servam: à quo errore ut cautissimè discederet, recusabat modum loquendi, absolutè vocantem Christum servum, utique tunc

tem-

realem Servi, & Domini: & ad hoc ut ſit, & dicatur Chriſtus, ut homo, res proprié ſui ipſius, ut Dei. Relatio realis Perſonæ ad Perſonam neceſſaria eſt ad rationem ſervi, & Domini iuxta leges ſervitutis legalis inter homines, qualem eſſe dicebant Ariani in Chriſto per dualitatem Perſonarum: & hanc quidem negavit Damaſcenus, & nos negamus. At ad ſervitutem naturalem Chriſti, ut hominis ad Deum, & ad ipſum Chriſtum, ut Deũ, negari nequit ſufficere relationem fundatam in diſtinctione naturarum, quam omnes profitemur; niſi negetur ſufficere ad rationem creaturæ, & creatoris innegabilem ſub eadem diſtinctione.

41 Ad ſecundum iam reſponſum eſt *num. 39.* inde potius fieri argumentum pro nobis exinde coniectantibus, ſermonem ibi non fuiſſe Damaſceno contra ſervitutem Chriſti naturalem inculpabilem, quam aſſerimus; ſed contra ſervitutem ignominioſam peccati, quam Chriſto tribuere blaſphemia eſſet ab omnibus deteſtanda.

42 Incautè nonnulli opponunt nobis quendam Theodoretum: Cæterum Theodoretus iſte erat tunc temporis Neſtorianus: ideoque nulla illius ratio habenda nobis eſt,

SECTIO IIII.

Obiectio potiſſima, & arduæ ab authoritate Concilij Francofurtenſis, & Adriani Papæ.

43 HUius Concilij, & Pontificis authoritatem innegabilem, ſtabilitam inconcuſsè reliquimus *diſp. præc. num. 53.* quæ tamen in hac quæſtione præcipuum nobis negotium faceſſit propter acrimoniam, quâ concilium, & Pontifex invehuntur contra Fœlicem, & Elipandum, qui Chriſtum filium adoptivum, & ſervum Dei appellabant. Uſi ſumus hac authoritate *diſp. prac.* ad negandam filiationem adoptivam Chriſto: Cum autem Concilium, & Pontifex eodem modo invehi videantur contra ſervitutem, & adoptionem, facile non eſt tuori nos à Concilio, & Papa, dum aſſerimus ſervitutem, qui eâdem ipſorum authoritate uſi ſumus, ut negaremus adoptionem.

Supra diſp. 9 ſect. 4.

44 Hæc ſumma difficultatis. Quam ut fidelitùs diſſolvat Magiſter Lumbier *qu. 37. art. 2.* nobiſcum ſentiens in hoc puncto, eam expendit exſcriptis verbis ipſis P. Philippi Aranda, inſignis Magiſtri Collegij noſtri Cæſarauguſtani, multis mihi nominibus coniunctiſſimi: qui cum Vaſquez nobis acriter adverſatur. Agit autem ingeniosè, nervosè, ac dilucidè in ſuis doctiſſimis Manuſcriptis, ut oſtendat ex authoritate Adriani, & Concilij, Chriſtus nec eſſe, nec poſſe dici ſervum, in hunc modum.

Lumbier

P. Philip Aranda.

45 Tria, inquit, quoad rem præſentem præſtat Adrianus in Decretali ſua contra Elipandum. Primum reprehendit, & damnat, quòd Chriſtus vocetur ſervus: verba ſunt: *Servum eum, impij, & ingrati tantis beneficijs, Liberatorem noſtrum non pertimeſcitis venenosâ fauce ſuſurrare. Cur non veremini, querulipobtrectatores Dei odibiles, illum ſervum nuncupare, qui vos de ſervitute diaboli nuncupavit?* Alterum: comparat ſervitutem cum adoptione, & utramque ait à Chriſto repellendam; imò potiore iure ſervitutem: verba ſunt: *adoptivum eum Filium, quaſi purum hominem calamitati humanæ ſubiectum: & (quod pudet dicere) ſervum &c.* Tertium: percurrit omnes Scripturas, & ait, in novo Teſtamento nunquam à Patre dictum Chriſtum ſervum; in veteri autem loquutos Prophetas tropicè, & improprié, dum Chriſto appellationem ſervi dedere. Deinde exurgit multipliciter contra appellationem ſervi. Et hæc Adrianus.

Adrian

46 Synodus verò Francofordienſis inter alia præſtat duo. Primò: excludit a Chriſto omne genus ſervitutis, factâ inductione reſpectu angelorum, reſpectu hominum, & reſpectu Patris æterni: Idque habet expreſſè *in Epiſt. ad Epiſc. Hiſpaniæ columna. 3.* Alterum, excludit ſervitutem, quaſi antecedens, ex quo Elipandus firmabat, & colligebat errorem ſuum Adoptionis: verba ſunt: *quomodo amplioris gloriæ ſi ſervus ſicut, & Moyſes, vel ex ſervo adoptivus?*

Concil. Franc.

47 Ex eijs arguitur ſic. Primò: quia Synodus, & Adrianus ſine ulla limitatione paſſim inculcant, appellationem ſervi eſſe Chriſto iniurioſam, & omninò repellendam: ergo planè definiunt, Chriſtum Dominum nec eſſe, nec proprié poſſe dici ſervum. Secundò: quia, ſi aliquomodo poſſet dici Chriſtus ſervus, inconſiderate proceſſiſſet Adrianus reprehendens tam aſpere Elipandum, & omninó pronuncians, nunquam in Scripturis appellatum fuiſſe Chriſtum ſervum, niſi tropicè & improprié: at dicere, Adrianũ inconſideratè proceſſiſſe, temerarium eſt. Tertiò: quia, ut ex contextu Adriani, & Synodi patet, Elipandus fovebat, & firmabat errorem ſuũ de adoptione Chriſti ex appellatione ſervi, quam pro antecedente ponebat, quaſi de fide ex tenibus veteris Teſtamenti, quos nunc aſſertores ſervitutis allegant. Id eſſe verſimũ conſtat ex diſcurſu Adriani: qui omninò curat repellere exiſtimatum præſidium Elipandi

di, interpretando loca veteris Testamenti. Ad quid autem tanta cura Adriani in repellenda servitute; nisi quia in ea nitebatur Elipãdus, malé assumens, & peius colligens, invocante abyssũ abyssо? Constat etiam ex citatis verbis Synodi: *ex servo adoptivus*: ubi manifestè declarat discursum Elipandi colligentis ex servitute adoptionem. Nunc sic: at Synodus, Adrianus simul damnant antecedens, & consequens Elipandi: nec enim, permisso antecedente, negant consequentiam adoptionis, ut faciunt qui nunc defendunt servitutem: ergo iuxta Synodum, & Adrianũ damnata manet æquè servitus, & adoptio Hic huius sententiæ Achilles. Videndum quomodo illum frangant, & exarment Assertores servitutis Christi.

48 Respondent aliqui primó, dubitando de authoritate Epistolæ Pontificiæ, & Synodi Francofordiensis. Sed ij audiendi non sunt per ea quæ congerit erudité dictus Author, & nos retulimus *disp. præc. n 53.*

Supra disp. 9. sec. 4.

49 Respondent alij secundó, Adrianum, & Synodũ dãnasse appellationem servi de Christo simpliciter, & absolutè, non verò secundum quid, & cum addito, nempe, *ut est homo*, vel, *secundum humanitatem.* Contra primòt quia Adrianus, & Synodus in eo sensu damnant, quo Elipandus asseruit: atqui Elipandus appellationem servi asseruit de Christo cum addito, nempe, *secundum humanitatem*, sicut apellationem Filij adoptivi; audiatur ipse in sua confessione: *per istum Dei simul & hominis Filium adoptivum humanitate, & non adoptivum divinitate, &c.* Ergo Pontifex, & Synodus damnant appellationem servi, etiam cum addito, *secundum naturam humanam.* Contra secundó manifestissimé: nam Adrianus etiam expressé damnat hanc appellationem servi cum addito: audiatur ipse; *nam Christus Deus, & homo erat, qui secundum Deum dicebat: ego, & Pater unum sumus; & secundum hominem: Pater maior me est: & tamen non ait: Pater dominus meus est, sed maior:* ubi manifestè refellit appellationem servi quocumque sub addito. Contra tertiò, & sit ratio præcedendum ex ipso Concilio: nam appellatio servi non est naturæ, sed Personæ: quæ ratio ex Damasceno desumpta admittitur à Concilio, dum ait: *alia est Persona Filij; alia adoptivi, & servi.* Ubi docet, in eamdem Personam cadere non posse appellationem Filij naturalis, & Servi. Videatur per otium Vasquez

Vasq. cap. 7.

50 Respondent tertiò alij, quibus applaudit Bernal, esse extra scopum Adriani, & Synodi, definire contra servitutem, de eâque obiter, & indirectè egisse; non verò per se, & ex professo: nam scopus solum erat agere contra adoptionem, in qua errabat Elipandus. Mirum, hæc dici à viris alioquin doctis, & eruditis, cùm revinci possint ostensione chartæ. Contra. 1. Vsqueadeo Pontifex ex professo contra appellationem servitutis agit, ut epistolam forè dimidiam in hoc insumpserit, arguens ab authoritate, & à ratione multiplici pro thesi, quam sibi proposuit, nempé Christum nec esse, nec dici posse proprié servum: incipit enim ab adoptione, & pergit adusque medium epistolæ; & exinde invehitur in servitutem. Et id quidem obijciendo sibi omnia fundamenta, quæ pro se, vel adduxerat, vel adducere poterat Elipandus; ut patet ex supradictis. Deinde Synodus vix de adoptione loquitur, quin simul servitutem excludat. Quis autem post hæc asserat, Adrianum, & Synodum non egisse de servitute directé, & ex professo?

51 Contra secundò, & detegitur æquivocatio ex præiactà consideratione *num. 47.* Verum est, scopum Elipandi fuisse adstruere adoptionem in Christo. At ad eam firmandam confidenter usus est appellatione servi abutendo sacris Scripturis, & Patribus in hunc sensum, ut convictum est *num. illo. 47.* Alius tamen, & idem fuit scopus Synodi, & Adriani damnantium; ac Elipandi damnati; Idem, quia damnarunt adoptionem; alius, quia damnarunt id quod pro certo ponebat quasi antecedens Elipandus, nempe servitutem, damnando simul antecedens servituris, & consequentiam adoptionis. Et quid magis apud Patres, & Concilia usitatum, quàm damnare simul errorem illatum, & principia unde infertur, si æqualis fulguris ictu digna censet Ecclesia? contra quæ pudeat viros alioquin Theologos loqui, nihil præter voces addendo.

52 Respondent quartò alij, quibus hærent confidentissimè Bernal. Prudentius, & Godoy, distinguendo multiplex genus servitutis: naturalis, quæ consistit in conditione naturæ pendentis à Deo tanquam à domino: legalis, introductæ per leges belli, pacti, vel pretij: & pœnalis, quæ contrahitur ex peccata, vel consistit in ipso peccato. Ex ijs, legalis, & pœnalis est servitus vilis; non verò naturalis; & illas excluserunt Adrianus, & Synodus; non istam: quia non istam; sed illas voluit Elipandus in christo: ut patet ex verbis ipsius Concilij sic alloquentis Elipandum: *sed & hoc volumus à vobis audire: an Adam primus humani generis Pater, qui de terrâ Virgine creatus est, liber est conditus, sive ser-*

Bern. Prud. Godoy.

servus? si servus, quomodo tunc imago Dei? Si liber, quare, & Christus quoque non ingenuus de Virgine? certum autem est, Adamum ante peccatum servum fuisse servitute naturali. Non ergo hanc, sed vilem, & quæ contrahitur ex peccato voluerunt Synodus, & Pontifex excludere à Christo. Addit Lorca, convinci idipsum ex verbis Elipandi: nam servitutem, quam attribuebat Christo, vocat captivitatem: captivitas autem in homine ex solo peccato contrahitur. Hæc verò solutio solummodo sua specie fallere poterit incautos.

Lorca.

53 Contra primò. Quia Elipandus nunquam ita desipuit, ut attribueret Christo servitutem peccati: neque id colligi unquam potest ex eius confessione, quæ apud Vasquez habetur *disp. 19. cap. 4.* Imò constat oppositum, nam in fine fideles excitat ad imitationē Christi, cui nempe debemus conformari in sanctitate, ut Sācti simus. Legantur eius verba *loco cit.* Confirmatur evidentissimè exijs quæ novissimè insinuat P. Gabriel de Henano *p. 1. de Scientia mediâ Theologicè defensatâ n. 37.* ubi ex confessione Fœlicis Urgelitani recitat hæc verba: *servus Patris, Frater electorum consimilis per omnia, excepto peccato.* Constat autem, Elipandum per omnia consensisse Fœlici. Legatur Joannes Eusebius Nierenbergius *in Epistol. ad Laurentium.* Ramirez de Prado *fol. 518. Operum Luciprandi.* Nulla ergo servitus admissa est in Christo ab Elipando, nisi quæ cum sanctitate coniungitur: non ergo est admissa ab ipso servitus ex peccato contracta.

Vasq. *Henano* *Felix* *Eusеb.* *Ramir.* *Luitpr.*

54 Contra secundò: quia fundamentum adversariorum esse omninò nullum ostenditur. Tum quia dum Elipandus captivum vocat Christum, intelligit comprehensum à Judæis tempore passionis, ut constat ex eius verbis apud Vasquez Delugo, & Aldrete. Tum etiam, quia Concilium in verbis allegatis incipit inductionem enumerando species servitutis, ut omnes excludat à Christo, nullaque sit Elipando effugij ansa. Discursus Concilij est: dicis Christum servum: at vel esset servus peccati; & id negat in verbis allegatis: vel est servus hominum; & id negat, quia est dominus: vel servus Angelorum, & id negat adductis in oppositum Scripturis: vel demùm est servus Æterni Patris; & id demum negat. Videantur verba Concilij apud Delugo *num.* 32.

Vasq. *Delug.* *Aldret.* *Francf.* *Delug.*

55 Contra tertiò: quia servitus naturalis est servitus conditionis humanæ: servitus ex peccato contracta est servitus exclusa per gratiam, & quæ non manet in Sanctis. Audiatur modo Adrianus: *Opus namque ejus est, ut sit unicus proprius, & dilectus Filius Dei; nostrum opus est, ut simus servi per conditionem, & filius per gratiam adoptionis.* Adrianus itaque fatetur, cum gratia adoptionis servitutem conditionis componi, & hanc fatetur in nobis, & excludit à Christo: ergo non solùm excludit servitutem pœnalem, seu peccati; sed aliam quæ nobis inest ex conditione naturæ. Id quod adductis exemplis Jobi, & aliorum firmat, asserens eos esse servos, non verò Christum: at illi servi non erant servitute peccati, sed conditionis: ergo præter servitutē peccati, negat illi servitutem conditionis, scilicet naturalem. Quodsi, negante Pontifice simpliciter servitutem, datur locus, ut intelligatur de una specie servitutis, & non de alia, cur similiter dici non poterit de adoptione?

Adrian.

56 Contra quartò. Vel ultra speciem servitutis ex peccato contractam, agnovit Adrianus aliam speciem propriæ servitutis; vel non? Si secundum; ergo, cum de fide sit, Christum non esse servum servitute peccati, nulla restat via, qua appelletur propriè servus. Si primum: ergo inlustè, & inconsideratè processisset Adrianus contra Elipandum, quòd Christum dixerit propriè servum. Deinde non fuit cur asseruisset Adrianus, omnes Scripturas, quæ Christo tribuunt appellationem servi, esse impropriè, tropicè, & metaphoricè intelligendas: esset enim argumentū magnæ ignorantiæ in Adriano possibilitas propriæ servitutis in Christo distinctæ à servitute peccatis. Pro quo formatur aliter argumentum. Vel est propria servitus ea, quam adversarij vocant naturalem in Christo; vel non? Si secundum; cur ergo vocant Christum propriè servum ratione impropriæ servitutis? Si primum; ergo per ipsam debuit explicare scripturas Adrianus, potius quàm per metaphoras, ne iret contra regulas interpretandi Scripturas traditas ab Ecclesia, & Sanctis Patribus. Dicere verò, Pontificem, dum definit; deviāre à communi more, & sensu Ecclesiæ, & Patrum in interpretandis Scripturis, nempè metophoricè, dum propriè possunt, est plusquam temerarium. Formatur etiam aliter. Vel dependentiā naturalis naturæ rationalis à Deo sufficit ad propriam servitutem, vel non? Si secundum: desinant adversarij vocare Christum ex eo capite propriè servum. Si primum; quomodo propria servitus est argumentum Nestorianissimi in Elipando? quomodo nota non esset Concilio Francofordiensi, nec Adriano, quibus eiusmodi dependentia ignota esse non poterat?

57 Respondent alij quintò, Concilium, & Adrianum solùm dannasse Elipandum de

ſpeciali ſervitute fundatâ in cõſuetudine ſervili, quâ qui ſervus eſt non paret ex amore, & ſponte, ſed coactè, & ex timore pœnæ. Contra primò, quia neque Elipandus in hoc erravit, ut planè convincit. P. Vaſquez. *cap.* 7. ex ipſius confeſsione: ubi ne verbum, aut umbra quidem de tali errore. Secundò quia neque verbum eſt in toto contextu Concilij, & Adriani, quo videatur velle probare, Chriſtum fuiſſe operatum ex amore, non verò ex metu, aut timore pœnæ. Quis autem credat, ſi penes id erraſſet Elipandus, id omiſſum iri à Concilio, & ab Adriano? Tertiò, quia redeunt hic dilemmata *num. præcedentis.* Quartò, quia ratio, qua Concilium, & Pontifex utitur ad excludendam ſervitutem, ea eſt: nempe, quia eadem Perſona nequit eſſe ſervi, & Domini: & quia qui gaudet adoratione, & honore Domini, nequit eſſe ſervus. At hæc ratio omnem ſervitutem excludit: & non impetit ſpecialiter diſcurſum factum prædictæ quintæ reſponſionis. Videte Vazquium *loc. cit.*

Vaſq.

Vaſq.

58 Reſpondent alij iam communiùs, & ultimò cum Suarez, Elipandum loquutum de ſervitute multiplicante ſuppoſita, & feciſſe Chriſtum purum ſervum, erat enim Neſtorianus: & in hoc ſenſu damnatur à Synodo, & à Pontifice. Duo dicit hæc ſolutio, in quibus maximè, & unicè nititur. Primum, Elipandum fuiſſe Neſtorianum. Secundum, eum proinde non admiſiſſe unam Perſonam in Chriſto; ſed duas: & admiſiſſe ſervitutem, quæ ſuo faveret errori, qua nempe Chriſtus eſſet purus ſervus, & purus adoptivus, ut homo: hoc eſt, ſecundum ſuppoſitum humanum. Primum oſtendere conatur ex hiſtorijs illorum temporum, & ex verbis Concilij, ubi dicitur error Elipandi iam damnatus in Neſtorio: id quod amplificat Pater Bernal *tota diſp. 64.* Secundum oſtendit ex filio conſequentiæ: & addit, parùm conſulere famæ Concilij, & Adriani eos, qui contendunt Elipandum tam acriter concuſſum, & habitum propter modum loquendi tam frequentem alioquin in Patribus, & Scripturis.

Suar.

Bernal.

59 Incipiendo ab hoc ultimo, quæritur: cui ſtandum in intelligentia Scripturæ? Si Scripturas, & Patres interpretatur Pontifex de appellatione ſervi metaforicâ, & impropriâ, ut verè facit, deferendumne Pontifex pro ſenſu Adverſariorum? Quoties in Hæreticis, & alijs condemnat Eccleſia voces, quas tamen in Patribus invenit alio ſenſu dictas? Si ergo Eccleſia permiſit Patribus appellationem ſervi, iam explicat, in quo ſenſu; ſcilicet in metaphorico. Jam quomodo conſulunt famæ Concilij & Papæ, qui utriuſque rationes ex ſuo diſcurſu factũ inefficaces, & non facientes ad rem? Si enim admittitur in Chriſto propria ſervitus; quænam acolachia diſputandi in Adriano? quænam veritas? Denique duo illa, in quibus nititur ſolutio, (nequicquam reſiſtentibus Suarez, Bernal, & Arriaga, qui omnium maximè gloriatur evolviſſe Concilium, & Epiſtolas eiuſdem & Adriani) convincit ut omninò falſa Vaſquez *cap* 7.

Suar. Bernal. Arriag. Vaſq.

60 Contra deinde primò: quia hæc ſolutio non occurrit ijs, quæ contra alias dicta ſunt, & ipſam æquè feriunt. Nam, vel propria ſervitus eſt argumentum Neſtorianiſmi, vel Adrianus egit inconſideratè recurrens ad metaphoricam intelligentiam Scripturarum. Secundò, quantum attinet ad hiſtoricos, patet ex eorum verbis, ſolùm affictam Elipando Neſtorij hæreſim per illationem. Tertiò: quòd Concilium, & Adrianus non eum planè cenſuerint Neſtorizare, patet ex eiſdem: nam quomodo probant hæreſim Elipandi novam, ſi Neſtorij iam pridem fuerat? Quomodo nullus factus recurſus ad Epheſinum, ubi damnatus Neſtorius? Quod autem per abſurdum id obiecerint Elipando, manifeſtè probat, Elipandum ſaltem apertè non fuiſſe in eo errore. Aliud ergo eſt quòd Neſtorianus fuerit; aliud quòd arguatur tanquam conveniens cum Neſtorio. Quartò: quia eodem modo Synodus, & Pontifex damnant adoptionem, quò ſervitutem: ſed illam damnant ſimpliciter, etiam in unitate perſonæ; ergo, & hanc. Quintò: contendendo, Elipandum non fuiſſe apertè Neſtorianum ob multas rationes.

61 Primò: quia Elipandus admiſit unam perſonam in Chriſto; negavit duas. Tum quia Concilium infert tanquam inconveniens, ex Elipandi doctrina ſequi duas in Chriſto perſonas: ad quid hoc, ſi ipſe hoc pro theſi admiſiſſet? Tum etiam: quia ex eo principio arguebant Concilium, & Pontifex adverſus Elipandum, quaſi cum unicitate perſonæ componi non poſſent ſervitus, & adoptio. Tum ex ipſius Elipandi confeſsione ſic habente: *homo interior in una eademque Dei, & hominis perſona.* Quid clarius? Tum demùm quia ipſe fatetur Elipandus *in Epiſt. ad Fulcam*, controverſiam ſibi cum Beato, & cum Hetterio, qui ipſi reſiſtebant in Hiſpania, ſolam in eo eſſe, quòd illi cenſerent, unam, eandemque perſonam dici non poſſe Filium naturalem, & adoptivum; ipſe verò contra.

62 Secundo: quia Elipandus ipſe eiurat in ſua confeſsione Bonoſum, quem ſequu-

tus

tus est Nestorius: ergo non aperte sensit, quod Nestorius. Nec refert, quòd Francofordiense reprehendat, ipsum, eiurato Bonoso, non eiurasse Nestorium, quasi conscius, & compars fuerit erroris Nestorij. Non enim id facit Francofordiense; sed cum additamento, *forte*: quod non addidisset, si plane sensisset, Elipandum fuisse Nestorianum.

63 Tertiò: quia Elipandus ipse utitur authoritate Juliani prædecessoris, qui præfuit Concilio 15. Toletano, ubi laudatur Calcedonense circa vnitatem personæ Christi admissam vna cum confessione Ephesini contra Nestorium. Quis autem credat Elipandum hebetis adeo ingenii, ut excitaret contra se testes, dum patronos allegabat?

Conc. Tolet. Calcedō. Vasq.

64 Quartò: quia Elipandus rogavit per litteras Carolum Magnum, ut coacto sapientum consessu de sua doctrina decerneretur; rescriberetque quid sensissent: quòd præsefert maximam confidentiam de securitate suæ doctrinæ, impossibilem in homine, qui se Nestorianum, & catholicam pietatem Caroli agnovisset. Adde, quod Adrianus de Nestorianâ hæresi nè verbum quidem inserit in Epistola sua contra Elipandum: neque Liber Concilii Sacrosyllabus. Epistola verò Concilij statuere videtur tanquam catholicè cognitam ab Elipando vnitatem personæ, & exinde arguit contra ipsum, quasi docentem quæ cum eo principio componi non possunt

Sacrosyl.

65 Maneant ergo tria. Primum, quòd error Elipandi, quamvis illatione fuerit idem cum Nestoriano, tamen fuit omninò diversus in sensu. Nam Elipandus in eadem persona putavit coniungi posse filiationem naturalem, servitutem, & adoptionem. In quo certè desidero curam, & diligentiam Cardinalis Baronii *ad annum 794.* nimis invecti in Elipandum, quem scire debuit catholicè resipuisse post acceptas litteras Adriani, Synodi, & Caroli, ut videre est apud Vasquez *disp. 80. cap. 12.* Secundum, quod servitus, quam admisit Elipandus, & quam damnavit cum Synodo Pontifex, non fuit, nisi propria servitus, quin contenderetur eo ipso dualitas personarum in Christo. Tertium, argumentum ex Adriano, & Synodo supra petitum manere firmissimum: & exinde iuxta mentem Adriani, & Synodi reiiciendam à Christo Domino omnem speciem propriæ servitutis, etiam cum illo addito, *secundum humanam naturam*: qui erat scopus probationis.

Baron. Vasq.

66 Hæc ex Manuscriptis supra laudati Theologi, Religione, sanguine, & amicitiâ mihi coniunctissimi, primùm in hoc Barcinonensi Collegio Discipuli, deinde in Cæsaraugustano optimæ notæ Magistri.

SECTIO V.

Solida responsio pro Christi Domini propriâ servitute.

67 CArdo præsentis difficultatis vertitur in solutione huius obiectionis, gravissimę quidem, eruditione Theologicâ, robore, ac ingenio plenæ.

68 Atque in primis circa tria illa, quæ *num. 45.* dicuntur præstari ab Adriano contra Elipandum, habeo quod animadvertam. Circa primum, est ipsa acrimonia quâ invehitur Pontifex contra Elipandum, & assectas appellantes Christum servum, indubium mihi fieri, non loqui contra appellationem servi idemtidem usurpatam in Scripturis, & Sanctis Patribus: non enim istos sic acerbè feriret Pontifex. Circa secundum, ex illis ipsis verbis Adriani manifestari sensum damnatum in Elipando: scilicet, quasi appellatio servi, sicut, & adoptivi cadat in *purum hominem*, quod sit in Christo suppositum *purè* humanum adiunctum alteri supposito purè divino: & ecce patentissimum Nestorianismum. Additur, *calamitati humanæ subiectum*, scilicet miseriæ peccati. Ecce servitutem peccati, cui, cùm Christus obnoxius minimè fuerit, subiacere purum illum hominem assumptum à Christo blasphemabant, aut saltem blasphemandi ansam præbebant. Circa tertium, negare non possum, verè totum id referri. Qua tamen de causa sic loquutus fuerit Pontifex, & quo sensu dixerit, Scripturas intelligendas esse impropriè, & metaphoricè, constabit inter respondendum.

69 Deinde, circa duo, quæ dicuntur *num. 46.* præstari à Synodo, habeo etiam quod animadvertam. Circa primum, Synodum, & Adrianum in eodem sensu, & uno velut ore loquutos esse; & in eodem servitutis sensu excluisse à Christo servitutem. Quare eadem responsio utrique satisfaciet, si alteruti satisfecerit. Circa secundum, dico, maximè mihi è re esse pro ea, quam eligam, responsione, servitutem assertam ab Elipando fuisse illi instar antecedentis, ex quo falsum inferebat adoptionis errorem: & magis è re, verba, quibus id Synodus expressit, supponens Elipandum voluisse Christum servum, *sicut, & Moysen*, qui quidem purus erat homo, & *ex servo* factus *adoptivus*: scilicet,

ſive Filiæ Pharaonis, quæ è ſervo illum adoptavit; ſeu, ſi mavis, adoptivus Dei per gratiam tranſlativam hominis puri ab ſtatu, & ſervitute peccati ad ſtatum filiorum Dei adoptivorum. En igitur ſervitutem, quam Chriſto affingebat Elipandus: en quam acriter inficiabatur Synodus. Quod ſponte nobis donat doctus objiciens in ipſis Synodi verbis.

70 Iam ad argumenta poſita *num.* 47. omiſſis reſponſionibus primâ, ſecundâ, tertiâ, & quintâ, relatis num. 48. 49. 50. & 57. rectèque impugnatis inibi à doctiſſimo obiiciente; quartam, & ſextam amplector: quas equidem ſatis ſibi cohærentes invenio quoad rem præſentem. Nam ex dualitate Perſonarum in Chriſto, prout à Neſtorianis aſſerebatur, concedenda erat in Chriſto Perſona puré humana coniunctiſſima divinæ per affectum potius quàm per phyſicam unionem. Cui errori affinis eſt alius error, quòd ille homo Chriſtus ſic unitus Deo, antequam ſic vnitetur, & extrinſecé adoptaretur, fuit ſervus peccati verè peccator, conceptus ſaltem in originali, quamvis ex Virgine: & exinde ſubiectus communi Generis humani calamitati, & miſeriæ; ut referunt apud Suarez. *Suar.* *Lindan.* *Hoſſius* *diſp. 33. ſec. 1.* Lindanus *dialog. 2.* & Hoſſius *lib. 1. de Hæreſibus noſtri temporis:* inter quas memorat ibidem Suarez execrabilem Calvini blaſphemiam, perſonalia etiam peccata attribuentis Chriſto, de quo nos *diſp. 15.* ubi de Chriſti impeccatiâ & impeccabilitate. *Infra diſp. 15.* Magni igitur intererat Elipando ad promovendum errorem de adoptione Chriſti, attripere ſervitutem peccati, è qua ſervitute tranſlatus fuerit ſervus ille, & homo purus in adoptionem Filij Dei: præſertim cùm aliquorum fuerit opinio cuius meminit Laurea *diſp. 6. art. 6. n.* 81. ad ſtrictiorem adoptionem *Laurea.* Dei in hæreditatem æternam prærequiri extraneitatem à Deo per peccatum, quo ſit homo poſitivé indignus eâ hæreditate, & ignominioſè, ac viliter ſervus. Itaque, ut adoptionē à ſe pervicaciter aſſertam adſtrueret Elipandus, ſubſtruere aggrediebatur in Chriſto ſervitutem peccati, cui ſervituti ſubſtruendæ fecerat fundamentum Neſtorius, duas admittens in Chriſto Perſonas; unam impeccabilem puri Dei; aliam puri hominis non uniti phyſicé Deo, ſed in extraneæ Perſonæ, ſubiecti communi aliorum hominum calamitati. Hinc, ſemotâ lite an re ipſâ fuerint Neſtoriani, necne; vehemens ſaltem ſuſpicio certò fuit & eſt, quòd Felix, & Elipandus fuerint Neſtoriani verſipelles, quidquid ipſi in ſuis confeſſionibus interdùm tergiverſarentur. Hæc autem vehemens ſuſpicio ſatis eſt, ut Synodus, & Adrianus in ſenſu etiam Neſtoriano adverſus Elipandum agerent, ac definirent in puncto ſervitutis, ut circa punctum adoptionis dixi ſimiliter *diſp. præc. ſec. 4.* *Supra diſp. 9.*

71 Ex ijs ad primum argumentum in forma concedimus antecedens: quia tam Synodus, quàm Adrianus tunc temporis agebant contra ſervitutem aſſertam ab Elipando, aut fundatam in Neſtorianiſmo, aut, quod extra dubium eſt, vehementer de Neſtorianiſmo ſuſpectam: ſervitutem, inquam, puram, id eſt puri hominis, ac proinde peccato ſubiectam, aut ex peccato tranſlatam in adoptionem Dei. Et in hoc eodem ſenſu concedimus conſequentiâ definitum ibi fuiſſe, nec eſſe, nec propriè poſſe dici Chriſtū ſervū. Hæc tamen definitio intactam prorſus relinquit ſervitutem naturalem, etiam propriam, quam explicuimus, & ex Scripturis, & Sanctis Patribus vidimus negari in Chriſto non poſſe. Nec opus tunc temporis fuit, quòd in præfatâ definitione limitarent doctrinam ſuam Concilium, & Pontifex: cùm per circunſtantias temporis, & controverſiæ ſufficienter ſatis ſe limitaretur ad prædictum ſenſum, nec prudenter detorqueri poſſet contra ſenſum ſervitutis naturalis, cuius nulla fiebat mentio, nec tunc oportebant mentionem fieri, ut poſtmodum expendemus.

72 Ad ſecundum in eodem *num.* 47. negamus maiorem. Quamvis enim in bono ſenſu ſervitutis naturalis ſit, dicique poſſit Chriſtus propriè ſervus, conſideratiſsimè proceſsit Adrianus aſperè reprehendens Elipandum vocantem Chriſtum ſervum. Quippe noverat, nec dubitari ab vllo poterat, Elipandum vocaſſe Chriſtum ſervum in alio ſenſu repugnante Chriſto, & dum Elipandus, & ſequaces ad genus ſervitutis naturalis, Chriſto decentiſsimè ac propriè competentis confugiebant, non fuit inconſideratio, nec inſcitia Adriani abſtrahere à ſervitute iſtâ naturali; ne, præ tempeſtatis illius iniuriâ, miniſtraretur ex ore Pontificis Elipando appellatio propria ſervi, quâ, ut mos eſt hæreticis verſipellibus, ſub cortice vocabuli obvoluere deinceps poſſet ſervitutis ſuæ errorem, eò pernicioſius, quó ſimulatius; & hoc ex indulgentia Romani Pontificis. Qui propterea optimè, ac conſultiſsimè pronunciavit adverſus Elipandum, nunquam, & nuſquam ab Scripturis appellatum fuiſſe Chriſtum ſervum, niſi tropicé, & impropriè, in eo ſcilicet ſenſu ac genere ſervitutis peccati vilis, & ignominioſæ: quam adſtruere moliebatur Elipnadus, aut re vera Neſtorianus, quod videtur eſſe inexploratum; aut

ſaltem

saltem suspectus vehementer de Nestorianismo, quod certum, & indubitatum esse debet legenti seduló Concilium, & Epistolas Adriani, & concertationes Theologorum ultrò citróque super Nestorianissimum Elipandi. In eo autem sensu non nisi metaphoricè dici potest Christus servus, utpote factus *in similitudinem carnis peccati*, cum iniquis reputatus, & formam indutus servi, imo & mali servi, ut ait S. Bernardus, usque ad vapulationem. Quæ tamen non tollunt quominus in alio sensu ignorato forte ab Elipando, & non ignorato, sed scienter, ac prudenter tunc temporis prætermisso à Concilio, & Pontifice, Christus verè, ac propriè dicatur servus; in genere scilicet, & sensu servitutis naturalis. Nec est inconveniens, aut insolitum, quòd eædem Scripturæ voces proprié, & metaphoricé loquantur, & possint intelligi secundum diversos sensus. Sic *Mat.* 11. explicuit Christus de Baptista illud Malach. 3. *Ecce ego mitto angelum meum*: nomen autem angeli sumptum pro Nuntio, propriè cadit in Baptistam; sumptum verò pro Persona angelica, non nisi metaphoricé, & improprie cadit in ipsum Baptistã: quippe non naturâ, sed moribus, & vita angelus erat.

Roman. *Bernar.* *Mat.*11. *Malac.*3

73 Ad tertium fatemur, Elipandum voluisse fovere suum errorem de adoptione ex appellatione servi, ponendo servitutem, non modò quasi antecedens logicum ad consequentiam logicam adoptionis, ut existimat objiciens, imó potiús, quasi antecedentem physicè, quam consequi deberet adoptio, ut Christus é servo fieret per gratiam filius adoptivus, ut satis innuunt illa verba Synodi: *ex servo adoptivus*. In hunc, inquam, pravum sensum servitutis peccati abutebatur Elipandus Textibus veteris Testamenti, quos allegamus nos pro servitute naturali: ideoque meritò repellitur ab Adriano, tanquam malé assumens servitutem peccati, & in sensu à sacrâ Scriptura, & à veritate alieno interpretans ea loca; peiusque inde inferens adoptionem. Nunc ad argumentum, concedo totum de servitute, & adoptione in sensu Elipandi, simul damnatis à Synodo, & ab Adriano in eodem ipsissimo sensu; ut ad mentem & sensum Elipandi in suam damnationem loquerentur. Quo tamen perinde nec discursus Elipandi, nec damnatio Synodi, aut Adriani tetigerint servitutem propriam naturalem, quam ex vero Scripturarum sensu iuxta communem Sanctorum PP. interpretationem tuemur cum maiori, & meliori Scholasticorum parte. Quo mihi videtur exarmori satis, atque contundi Adversariorum Achilles.

Francf.

74 Supereſt facere satis ulterioribus impugnationibus huius nostræ solutionis obiectis pariter contra responsionem quartam, & sextam; cùm ex utrâque se invicem coadiuvante coalescat hæc nostra responsio.

75 Iam ergo ad primam impugnationem quartæ responsionis positam *num* 53. nego, non ita desipuisse Elipandum, obcæcatum nimio conatu promovendi suadendique suum errorem de adoptione Christi: cum Hæretici alij ante, & post Elipandum eiusmodi blasphemiam aggressi sint, Christo peccatum imponentes, ut videbimus *disp.* 15. Nec momenti est confessio, quæ citatur apud Vasquez eiusdem Elipandi, quâ se purgare videtur à tanto errore. Nam confessiones hæreticorum plerumque subdolæ sunt ad evadendam damnationem: ut aliud sit quod publicé confitentur; aliud quod sentiunt, & furtim dogmatizant. Si id in sua confessione expressisset Elipandus nullum supersuisset dubium de ipsius erroribus. Quòd autem id non confessus fuerit non purgat vehementem suspicionem, quòd in illis fuerit erroribus, quibus oportuit, ut occurreret damnatio Ecclesiæ. Nec item obest, quód exhortetur Elipandus ad imitationem Christi: ad hanc enim potuit exhortari, quamvis é servo peccati factus fuisse filius adoptionis: sicut exhortamur ad imitationem Baptistæ postea sanctissimi, quamvis in utero matris é servo peccati factus fuerit filius adoptionis. Ad confirmationem ex confessione Felicis Urgelitani apud Henaum dico quod dixi nuper de confessione Elipandi, non satis convincere: quia eiusmodi confessiones, reorum in causis Fidei suspectę sunt de dolo, & vafritie, ut sexcentis Hæreticorum exemplis probare possemus. Unde nulla est consequentia primæ impugnationis.

*Infra. disp.*15.

76 Ad secundam *ex n.* 54. quidquid ex verbulo illo *captivitatis* inferat Lorca, nos non exinde arguimus servitutẽ peccati assertam ab Elipando; sed ex eo quod significavit Pontifex in verbis recitatis ab objiciente *num.* 45. in quibus reprehenditur Elipandus, quasi fecerit Christum *purum hominem calamitati humanæ subiectum*: *& (quod pudet dicere,) servum*, scilicet peccati, quod est humana calamitas. Et ex illis alijs verbis: *ex servo adoptivus*: ut expendimus *num.* 69. Quibus Pontificijs verbis standum est, potiùs quàm confessionibus Felicis, & Elipandi. Ad alteram partem impugnationis de inductione illa Concilii per omnes species servitutis, omnes, illas negando in Christo; dico; consultó prætermisisse speciem servitutis naturalis, qua propriè Christus

ser-

ſervus eſt ; quia de illa nulla fuit queſtio : & de illa, ne verbum quidem dixerat Elipandus forte ex inſcitiâ : non autem oportuit quòd Pontifex illâ Elipando ſuggereret ob rationes datas, & dandas : nè quâ datâ portâ rueret Elipandus ; & retento veræ ſervitutis vocabulo, illo celaret ſui ſenſûs falſitatem, ut ſolêt Hæretici, quò publicæ damnationis ictum ſubterfugiant.

77 Ad tertiam *ex n.55.* veteor, né æquivocatione laboret arguens: Mihi quidem non idem ſonat in verbis Adriani ibi adductis ſervitus *per conditionem*, ac ſervitus *naturalis*. Servitus per conditionem eſt mihi, & iudico quòd fuit ibi quoque Pontifici, ſervitus conditionis humanæ poſt lapſum originarium : quippe eam conditionem vocat *opus noſtrum*, quod eſt peccatum, eamque contraponit gratiæ adoptionis, quâ tollitur in actu ſecundo ſervitus, & ſtatus peccati ; manet tamen in homine peccabili, & ſpecialiter adhuc ſubiecto vitijs, & paſſionibus, qui ſunt effectus priſtinæ ſervitutis. Utramque hanc negavit Pontifex Chriſto contra Elipandum : & utramque hanc negamus nos, ac deteſtamur : retentâ verè ſervitute naturali decentiſſimâ, non ſolùm propriâ creaturæ humanæ, ſed cuiuſcumque etiam creaturæ rationalis, in ſtatu etiam gratiæ de qua ſervitute nec Elipandus, nec Pontifex ibi meminere : Elipandus forté, quia non animadvertit ; Pontifex verò, quia non expediebat, ut nova diverticula Elipando verſipelli adaperiret. Deinde non video, ex quo illorum verborum Adriani poſſit inferri, ſervitutem, quam ipſe vocat *conditionis*, & dicit eſſe ſervitutem *peccati*, componi cum gratia adoptionis. Unde ad conſequentiam dico, falsò, & gratis in ea ſupponi, ſervitutem, quæ nobis ineſt ex conditione naturæ, eſſe ibi aliam quam ſervitutem peccati ; aut ex peccato, quam recte Pontifex excluſit à Chriſto impeccabili, & nos pariter excludimus. Nec nobis obſunt exempla Iobi, & aliorum Sanctorum, quibus doctrinam ſuam firmat Adrianus. Nam, quamvis in Sanctis cum gratia adoptionis non maneat ſervitus exactior peccati ; manet tamen peccabilitas abnoxia, & ſubiecta vitijs ac paſſionibus, ac fomiti peccandi, quæ eſt aliqua minùs exacta ſervitus, & ſubiectio ex peccato, quantumvis iam remiſſo, contracta ; quæ omnia exulant à Chriſto neutro ex ijs modis ſervo peccati, aut ex peccato, cum in illo peccatum numquam fuerit, nec potuerit eſſe. Iterumque in minori ſubſumptâ, & in conſequentiâ ſuponit obijciens falſó, ſervitutem, quam Pontifex vocat *conditionis*, eſſe eamdem, quam nos vocamus *naturalem*. Unde, quamvis illam rectè Pontifex excluſerit à Chriſto ; non verò iſtam, cuius ibi nec meminit, nec meminiſſe oportuit. Ad patitatem, quæ ad calcem innitur, ſumptam ex adoptione, reſpondimus *ſic. 2. n. 28.*

78 Ad quartam *ex num. 56.* indecora mihi videtur reſponſio Magiſtri Lumbier *art. 4. §. 3.* permittentis, Pontificem, & Concilium non cogitaſſe, nec animadvertiſſe genus ſervitutis naturalis. Mira foret, mihique incredibilis tanta incogitantia, aut inſcitia Pontificis, & Synodi de re in Scripturis, & antiquioribus Patribus vulgatiſſimâ. Itaque admiſsâ priori parte dilemmatis, quòd nempe Adrianus ultra ſervitutem peccati agnovit ſpeciem ſervitutis naturalis, nego quòd iniuſtè propterea, & inconſideraté proceſſerit. Non inconſideraté : quia, quamvis benè noverat rationem ſervitutis naturalis, quam, ut propriam ſervitutem, alij Chriſto concedunt, alij negant ; noluit circa hoc quidquam definire ; ſed, ut moris eſt Pontificum, & Conciliorum, id Scholarum diſputationi relinquere, eó intentus, ut adoptionem, & ſervitutem aſſertam ab Elipando damnaret. Non iniuſtè, ex eo damnans Elipandum, quòd dixerit Chriſtum ſervum : notum enim concertantibus erat, Elipandum numquam loquutum de ſervitute naturali ; ſed de alia ſervitute Chriſto indignâ, ſive ex peccato, ſive putam puri hominis in Chriſto reperti : de quibus erroribus, ſi minus palam convictus, ſuſpectus ſaltem erat, eritque vehementer. Hinc ad argumentum aliter inibi formatum dico, ſervitutem naturalem, quam admittimus in Chriſto, eſſe propriam ſervitutem. Non tamè tunc tēporis debuit Pōtifex per ipſam, ex ponere Scripturas, quas opponebat Elipandus. Nec recurrens ad ſenſus metaphoricos, & improprios violavit regulas boni interpretis : quia iuxta ſenſum ſervitutis, pro qua allegabantur, nequeunt niſi improprie, & meraphoricé capi. Senſus autem alter proprius de ſervitute naturali, nec in quæſtionem tunc veniebat, nec erat é re præſenti. Nec temeré, ſed conſultiſſimé dicitur, Pontificem in illis circunſtantijs non negato, ſed prætermiſſo proprio Scripturatū ſenſu, qui é re non erat, reſpondiſſe per improprium, & metaphoricum ad mentem Elipandi. Demum ad ultimum dilemma, admitto priorem partem, nempe dependentiam creaturæ rationalis à Deo ſufficere ad ſervitutem naturalem. Nego tamen, ſervitutem propriam utcumque eſſe argumentum Neſtorianiſmi : argumentum erat ſervitus prout aſſerebatur ab Elipando. Et iam quoque negavi, ſervitutem propriam *Lumbier*

Digitized by Google

priam naturalè non fuiſſe notam Pontifici, & Patribus Concilij: in quos utique cadere non potuit tanta inſcitia: quamvis fortè ceciderit in Elipandum errorum nebulis obcæcatum.

79 Denique ad impugnationes ſextæ reſponſionis, quâ etiam partim uſi ſumus, conglobatas *num 60.* dico ſigillatim. Ad primam, iam eſſe ſatis, ſuperque reſponſum, propriam ſervitutem aſſertam ab Elipando eſſe argumentum Neſtorianiſmi; non verò propriam ſervitutem utſic: recte autem proceſſiſſe Pontificem, ex illa, & non ex illa arguendo contra Elipandum, qui de illa loquebatur: & iuxta eandem ſervitutis uſurpationem interpretando Scripturas metaphoricè; cùm proprie de ea ſervitute, qua de agebatur intelligi non poſſint. Ad ſecundam, dico, id mihi ſufficere ex hiſtorijs ad vehementem ſaltem ſuſpitionem Neſtorianiſmi in Elipando. Ad tertiam, dato, quòd plenè non convictus fuerit Elipandus Neſtorianiſmi à Concilio, & Papa; non perinde fit, non fuiſſe Neſtorianum: multa enim re verâ ſunt, quę probari plenè non poſſunt: & ideò fortè non factus fuit recurſus ad Epheſinum. Quòd autem hæreſis Elipandi dicatur nova, non purgat eum à veteri Neſtorianiſmo: quippè addidit de novo adoptionem iuxta proprium ſuum ſenſum erroneum. Ad quartam concedo totum. Pontifex enim, & Concilium, ne damnationem ſubterfugeret Elipandus, damnavit adoptionem, & damnavit ſervitutem peccati aſſertas ab Elipando, ſive eas aſſereret in dualitate Perſonæ iuxta Neſtorium, ſive in unitate perſonæ, negans, aut ſimulans Neſtorianiſmum iam damnatum in Epheſino: ut in ſimili monui, loquens de Adoptione *diſp. prec. à num. 55.* Ad quintam, decernere, an Felix, & Elipandus fuerint Neſtoriani, necne, viſa mihi ſemper eſt Provincia difficilis: ſi enim Pontifex, & Concilium id tunc temporis, auditis hinc inde allegationibus, & confeſſionibus, decernere non potuerunt; quid nos poſt tot ſæcula in id fruſtra conabimur? Mihi ſufficit, quod certum eſt, fuiſſe ſaltem de Neſtorianiſmo vehementiſsimè ſuſpectos apud Concilium, & Papam.

Supra diſp. 9 ſect. 4.

80 Nec ſatis eos purgat à Neſtorianiſmo doctus obijciens per quatuor illas probationes inſtitutas *à nu. 61.* Ad primam enim reſpondetur, ex confeſsione Elipandi non convinci ſatis veritatem: ſemperque manere locum ſuſpicioni; ne verbis celaret quod mente tenebat; & in iudicio recuſaret quod extra diſſeminaverat. Nec ex eo quòd Concilium inferat tanquam abſurdum contra Elipandum duas Perſonas, probatur ſatis non fuiſſe admiſſas ab Elipando; ſed quòd tunc eas ore tenus negabat, ne aperte de Neſtorianiſmo convinceretur. Nec item ex eo, quòd in ea ſuppoſitione unicitatis Perſonæ impugnaretur contra Elipandum ſervitus, & adoptio; nam id ex ipſius ore tunc accipiebant, ut ex tunc ab ipſo conceſsis fortius arguerentur. Nec convincit Elipandi confeſsio: *Homo inferior in una, eademque Dei, & hominis perſonâ.* Subijcit obiectio quod Elipandus labiorum: *adglomeratus, atque carnis veſtimento indutus.* Quid involutius? Profectò *adglomeratio* non tam ſignificat phyſicam unionem, quàm extrinſecam involutionem. Egregia confeſsio tot habens involucra, quot verba! fortè, ut verbis ipſis negantibus in ſpecie Neſtorianiſmum, id ipſum quod negabant involuerent. Non ergo nimis fidendum extortis Hæreticorum confeſsionibus. Et ſimiliter reſpondetur ad illud de Beato, & Heterio propter eandem ſuſpicionem doli.

81 Ad ſecundam probationem *ex nu. 62.* dico, nec ex illa convinci, Elipandum non fuiſſe re ipſa Neſtorianum; ſed ad ſummum non plenè convictum in iudicio de Neſtorianiſmo: quæ diverſiſsima ſunt: & certò ſufficiunt pro vehementi ſaltem ſuſpicione Neſtorianiſmi, potius quam pro eo quòd ſic ſuſpecti non eſſent re ipſa Neſtoriani.

82 Ad tertiam *ex nu. 63.* non eſt cur conſequentium dictorum, & factorum ita diſtinctè quæramus in Hæreticis, præſertim dum ſuos volunt errores excuſare. Quippe, quamvis hæbetes alioquin non ſint, in cauſa propriâ ſolent ſeſe ſtricis implicare, imò, & exquirere pro malignitate, & dolo.

83 Ad quartam *ex num. 64.* mirum haud eſſet, quòd Eccleſiam eludere cupiens, decipere vellet Imperatorem Elipandus. Nec eum recurſum ad ſapientum conſultationes, confidentia potius ſinceræ ſuæ doctrinæ, ac conſcientiæ, quàm callidæ mentis duplicitas cenſenda eſt. Similia leguntur paſsim in hiſtorijs de alijs Hæreticis. Cur autem nec Adrianus, nec Synodus eum aperte tanquam Neſtorianum tractaverint, fuit in cauſa, non forte quòd Neſtorianus non eſſet, ſed quòd non fuerit de Neſtorianiſmo plenè convictus, nec planè confeſſus.

84 Maneant ergo tria. Primum: Errorem Elipandi, ſive in re fuerit, ſive non fuerit idem cum Neſtorio quod nondum eſt ſatis explotatum; fuiſſe vehementiſsimè ſuſpectum de Neſtorianiſmo: quæ ſuſpicio Pontificij, Concilio, & nobis ſufficientiſsima eſt,

ut

ut in ipsius loquutionibus de adoptione, & servitute præsumamus, & caveamus sensũ ac virus Nestorianum. Secundum : servitutem assertam ab Elipando, & damnatam à Pontifice, non fuisse servitutem naturalem, de qua ne verbum quidem in damnato, nec in damnantibus; sed aut servitutem peccati, vel conditionis; aut servitutem puram puri hominis in dualitate personæ reperti in Christo, & per affectum coniuncti ad Personam divini Verbi. Tertium: argumentum Adriani, & Synodi firmissimum esse contra istam servitutem nullatenus admittendam in Christo adhuc: *secundum humanitatem*, iotactam tamen omninó reliquisse servitutem naturalem, quam nos defendimus, & de qua nec Elipandus cogitavit, nec Concilium, aut Pontifex verbum fecit.

SECTIO VI.

An, & quatenus præsens loquendi modus tribuere possit Christo servitutem.

Bernal 84 P. Bernal *disp. 68. sec. 2. num. 63.* sentit Christum absolutè, & sine reduplicatione, *ut homo*, esse, & posse dici servum Dei. Quoniam, ut de aliquo subiecto verè pronuncietur aliquod attributum, necesse non est, quòd exprimatur, aut reduplicetur ratio formalis, ob quam illi competit: sufficit enim quòd illi reipsâ competat: sic enim absolutè dicimus: *Homo est sentiens*: *Leo est animal*: *Christus est mortuus*. Cum igitur esse, propriè Dei servum reipsa conveniat Christo, ut ostendimus, non est cur simpliciter, & absque reduplicatione de ipso non valeat id affirmari.

85 Præterea. Vivens intellectuale, quòd simpliciter, est alicuius, absolutè est servus illius sub cuius dominio est: sed Christus absolutè est vivens intellectuale, quod verè, propriè, ac simpliciter est Dei, cuius dominio sub est: ergo vere absolutè, ac simpliciter, & dici debet servus Dei. Minorem probat: quia Christus veré, & simpliciter est creatura, ut ipse docuerat *disp. 45.* sed omnis creatura simpliciter est Dei, & sub Dei creatoris dominio: ergo etiam Christus.

Suar. S. Thom. 86 P. Suarez *disp. 42. sec. 2.* præmonens meritó, sermonem esse debere de servitute naturali sine periculo æquivocationis cum alia, supponit cum S. Thom. ut certum, convenientius semper esse, id dici cum reduplicatione, *ut homo*; ait tamen, de rigore sermonis indicari à S. Thom. id absolutè, & sine reduplicatione dici posse. Tum propter rationes nuper expositas. Tum quia Scriptura, & Sancti Patres Christum absolutè, & sæpe sine reduplicatione servum appellant, ut videre est: per ea quæ retulimus *sec. 1.* Cur ergo nobis non liceat, sic etiam absolutè loqui?

87 Nihilo tamen minús ait in primis Suar. Christum non posse dici absolutè servũ Verbi, aut Filij Dei: quia huiusmodi loquutio redolet Nestorianismũ, unam Personam Verbi, aliam hominis agnoscentem in Christo. Quamvis cum expresso addito possit dici Christus, *ut homo*, sive *secundum humanitatem*, servus Verbi, sive ejusdem Christi, *ut Dei*, & *secundum divinitatem*: quia sic iam cavetur significatio dualitatis personarum, & restringitur ad alterutram naturarum.

88 Ait secundò circa propositionem illam, *Christus est servus Dei*, sub Dei significatione venientibus etiam Patre, & Spiritu Sancto, probabilius sibi videri, non posse absolutè, & simpliciter dici; sed cum limitatione, & reduplicatione, *Christus, ut homo*, sive, *secundum humanitatem*, saltem subintellecta iam ex usu, aut ex antecedentibus, & consequentibus: ut nemini possit esse dubium, id non aliter proferri nisi in eo sensu reduplicativo, quamvis non semper vocibus expresso.

89 Placet iudicium istud Patris Suarez. Et iuxta illud consequenter ad ea, quæ in simili dixi *disp. 2. num. 110.* de propositione, *Christus est creatura*; & quæ dicam *disp. seq.* de Minoritate, & Subiectione Christi *num. 7. & 17.* dico, eam quoque propositionem, *Christus est servus Dei*, quamvis ab intrinseco verissima sit, non esse absolutè, & sine reduplicatione usurpandam, nisi ubi, & quando ex circunstantijs subintelligitur reduplicatio: ut nunc iã in nostris Disputationibus absque dubio subintelligitur. *Supra disp. 2. sec. 7. infra disp. 11. sect. 1. & 2.*

90 Nec faciunt contra hoc probationes Patris Bernal: quia quamvis benè probent iuxta rei veritatem, non id sufficit ad approbandum modum loquendi, quando obsunt extrinsecæ circumstantiæ periculi, aut mali sensús. Doctrinam Bernalis de propositione, *Christus est creatura*, non approbo; sed idem de illa dico ob easdem nostras rationes.

91 Nec item obsunt loquutiones Scripturæ, & Sanctorum Patrum: quia ex circunstantijs ferunt secum subintellectam reduplicationem, quam desideramus. Nec tenebantur ita sedulò cavere modos loquendi Hæreticorum, qui postea insurrexerunt, nosque cautiores efficere debent.

92 In calce circa propositionem istam, *Christus est servus Dei*, tria distinguo tempora.

Digitized by Google

pora. Unum primitivum, Sanctorum Patrum ante Nestorium, & Elipandum. Secundum, sæculorum Nestorij, & Elipandi. Tertium, deinceps usque ad nostrum sæculum. Tempore illo primitivo currebat illa loquutio sine offendiculo, ut legere est in Scripturis, & in S. Patribus primitivis: quia servitus nō sonabat servitutem peccati, aut puri servi in Christo. Tempore Elipandi, cavenda erat, né insultarent eius sequaces, non satis discernentes veram servitutem naturalem Christi à servitute peccati, aut ex peccato, aut à purâ puri hominis: quapropter Adrianus, & Concilium Francofurtense decertantes tunc temporis contra Elipandum, hanc servitutem non protulerunt, & quidem prudentissimé ob iniuriam temporum. Tertio tempore nostro, sepultis iam illis erroribus, non in illo periculo versamur, ideoque liberiùs possumus loqui: cùm satis iam constet de nostro bono sensu conformi sensui Scripturarū & Patrum primitivorū, & prorsus alieno à sensibus reprobis Arianorū, Nestorianorū, & Elipandistarum. Vide quæ in simili distinxi, & monui circa titulum *Christiparæ*, seu *Matris Christi*, & aliarum loquutionum iam admissarum, iam reiectarum à Patribus Ecclesiæ pro diversitate temporum *sec. 3. à nu. 37.* quia appositissima sunt, & notatu digna.

***

DISPUTATIO XI.

DE

MINORITATE, ET SVBIECTIONE Christi.

1 PRODERIT doctrina præsentis Disputationis ad intelligentiam multarum Scripturarum, vocantium Christum subiectum legi, minorem Patre, & subditum Matri: quę, quia non uno modo intelliguntur, & explicantur ab omnibus, examine Theologico dignæ censendæ sunt.

SECTIO I.

Qua ratione Christus sit, & dicatur Minor Patre, vocetque Patrem se Maiorem.

2 *Pater maior me est*, dixit Christus *Ioann. 14.* Unde de minoritate Christi est illud Symboli Athan. *æqualis Patri secundum Divinitatem; minor Patre secundum humanitatem*, & Augustinianum illud in Psal. 63. *Offerens formam servi, qua minor est Patre.* Quó respexerat prophetice David prædicens Psal. 8. *Minuisti eum paulò minus ad Angelis.*

Ioan. 14. *Athan. Symb.* *August. Psal. 63.* *Psal. 8.*

3 Unde saltem erit sine dubio verum, Christum *secundum humanitatem* esse minorem Patre: & etiam Spiritu Sancto; imò & se ipso, ut Deo: quod est refundere minoritatē in humanitatem. Eodemque modo verum erit: *Christus, ut homo, est minor Patre*: si reduplicatio illa, *ut homo*, cadat supra abstractum humanitatis: sub quo modo reduplicandi supposuimus *disp. 9. sec. 3.* Christum, ut hominem, hoc est, secundum humanitatem, non dici Filium naturalem Dei. *Supra disp. 9.*

4 Quoniam verò, ut ibidem notavimus *num. 34. Christus, ut homo*, reduplicare quoque solet concretè supra complexum ex humanitate, & Personalitate; contendere posset aliquis, loquutionē istā, *Christus, ut homo, est minor*, usurpari non posse sine ulteriore explicatione, ne sonet minoritatem Verbi, cuius Personalitatem involvit significatum eiusmodi reduplicationis. Cæterum

iam satis cõstans est inter Scholasticos sensus sanus, quo in præsenti proferimus eiusmodi reduplicationem, scilicet supra humanitatem: nec est periculum eam intelligendi reduplicativè supra Personalitatem, sicque illi attribuendo minoritatem; cùm extra suspicionem versemur, quòd quidquam sentiamus oppositum coæqualitati divinarum Personarum. Fortè coram Arianis, vel suspectis de Arianismo oporteret interdum explicatiùs loqui.

5 Maius dubium est: an sine reduplicatione possit tutò dici: *Christus est minor Patre.* Affirmant Vasquez *disp. 8. cap. 1.* Medina *quæst. 20. art. 2.* & Bernal *disp. 56. sec. 2.* ob eamdem rationem, qua nuper ex communi sententia admisimus hanc: *Christus ut homo, est minor Patre:* non obstante æquivocatione, qua vitiari fortè posset ab aliquo ea ipsa reduplicatio. Negant verò Suarez *d sp. 46.* & alij communiùs, propter adsonantiam ad errorem Arianorum asserentium, Verbum ipsum inæquale, & minus Patre. Sicut ob idem periculum & ob eamdem rationem, abstinemus ab ista: *Verbum est minus Patre:* quamvis per regulas generales communicationis idiomatum videatur sic dici posse, sicut dicitur: *Verbum est passum, & mortuum.*

Vasq. Med. Bernal. *Suar.*

6 Ego quidem non auderem æquiparare has loquutiones: *Christus est minor Patre: Christus, ut homo, est minor Patre.* Nam hæc reduplicatio, quamvis aliquâ possit à æquivocatione vitiari; multum certè minuit absonantiæ, & periculi ad Arianismum, & ex se reddit sensum sanum, nisi violenter in reprobum detorqueatur. Ideirco quamvis illa reduplicativa communiter admittatur; non sic ista absoluta sine debitâ explicatione, aut præsenter adhibitâ, aut ex circumstantijs subintellectâ: ut certè subintelligi debet cùm protulit Christus: *Pater maior me est*: & in alijs similibus: dixerat enim, *vado ad Patrem*, id est, morior: & subdit: *quia Pater maior me est*: cùm autem mori satis per se constet non posse convenire Christo, nisi secundum humanitatem, sub hac ipsa reduplicatione limitativâ, & explicativâ capi debet quod subdidit: *quia Pater maior me est.*

7 Quapropter magis approbo cautiorem modum loquendi Patris Suar. quem sequitur Card. Delugo. Addendum, ut occurram patitati, quæ fieri solet ex eo quod absolutè dixerit Christus: *Pater maior me est*: cur enim similitèr absolutè dici nequeat correlativè: *Christus est minor Patre.* Addẽdũ, inquã, pro disparitate, quòd nos eam loquutionem Christi, *Pater maior me est*, usurpamus ex ore Christi; sic proinde satis iã subintellecto sensu sano sine periculo erroris; illam autẽ aliam *Christus est minor Patre*, inferebant in sensu reprobo Arij, quasi characteristicam professionem sui erroris, Verbo, eiusque etiam Personalitati attribuentis minoritatem, & inæqualitatem infra Patrem: quod debet nos reddere quodammodo cautiores in usurpandâ loquutione redolente consequentiam hæreticam Arianorum, quãm antecedens prolatum à Christo: quamvis secundum se, & secluso Arianorum errore par esse deberet usurpatio utriusque loquutionis. Athanasius in Symbolo pariter quidem utramque cum explicativâ limitatione profert: *æqualis Patri secundum divinitatem; minor Patre secundum humanitatem.* Certè linea palmaris nequit absolutè dici minor, aut inæqualis alteri palmari; quamvis secundum sui medietatem sit, dicique possit inæqualis.

Suar. Delug. *Athan.*

SECTIO II.

Quâ proprietate, & veritate dicatur Christus subiectus Patri, subditusque Matri.

8 S. Chrisostomus, & Theodoretus. 1. *Corinth.* 15. non nisi de improprijssimâ subiectione, sumptâ nimirum pro solâ processione à Patre, potuerunt insinuare, ut memorat Bernal *disp. 57 num. 2.* Personam Verbi in suo etiam esse subijci Patri: cùm certissimum sit esse omninò coæquales. Nec sufficit ad eã Verbi subiectionem, quòd Verbum, etiam, ut Deus, velit, & faciat quæ placita sunt Patri. Nam, & Pater vult, & facit quæ placita sunt Verbo, sine subiectione tamen ad Verbum. Quidquid tamen prædicti Patres, quibus accessit Cyrillus *lib. 10. Thesau.* apud Cornelium *Luc. 2.* dixerint singulariter de subiectione Verbi ad Patrem ratione processionis; nos certè non loquimur in præsenti iuxta abusivam hãc usurpationem subiectionis; sed de subiectione propriâ minoritatis, & inferioritatis: quomodo scilicet dici possit de Christo; non quidem secundum esse Verbi; sed in alia significatione.

Chrisost. Theodor. *Bernal.* *Cyril. Alap.*

9 Faceſſit negotium locus Damasceni *lib. 4. de Fide cap. 19.* ibi: *Nec, ut Deus nec, ut homo, à Patre unquam desertus est, nec peccatum, nec maledictum factus est, nec Patri subijci necesse habuit.* Quibus verbis non solum significat, Christum adhuc reduplicativè, *ut hominem*, non fuisse subiectum Patri; verumetiam, adhuc quando di-

Damasc.

Digitized by Google

dicitur ſubiectus, non ſic dici, niſi in ea ſermonis improprietate, & quidem laxiſſimâ, quâ dicitur à Patre deſertus, ſeu derelictus in cruce, factuſque pro nobis peccatum, & maledictum: ergo nec Chriſtus, nec Chriſtus, ut homo, dici poteſt Patri ſubiectus.

10 Sed contra eſt quòd ait Apoſtolus 1. *Corinth.* 15. ibi: *Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia, tunc, & ipſe Filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia.* Unde Concilium Alexand. *in Epiſt. Cyrilli.* 10. *ad medium*: ibi: *Non ignoramus, cum hoc ipſo quod Deus eſt, hominem quoque factum eſſe: proindeque, ſecundum legem humanæ naturæ competentem, Deo ſubiectum eſſe:* & mox: *igitur, ut homo, & quantum eximanitionis menſuris convenit, ſub Deo e nobiſcum eſſe dicit: & ad hunc modum etiam ſub lege factus eſt: tametſi legem ipſe proloquutus ſit, ac Legiſlator fuerit tanquam Deus.* Ergo negari nequit, Chriſtum reduplicative ut hominem, hoc eſt, ſecundum humanitatem, eſſe Deo ſubiectum inſtar inferioris ad ſuperiorem, & ſubiacere ipſius legibus, ac præceptis: & quidem propriè: eâdem ſcilicet ratione, quâ diximus *ſec.* 1. ut hominem eſſe propriè minorem Patre. Et ſic ſentiunt, ac loquuntur ferè omnes Patres, & Theologi cum S. Thom. *quæſt.* 24. *art* 1.

11 Addit ſubiectio ad minoritatem ſpecialem reſpectum ad maiorem, tanquam ſuperiorem habentem iuriſdictionem in minorem: quem reſpectum non dicit omnis minor ad minorem; nam Vaſſallus Hiſpanus eſt minor Rege Britannico, cui tamen non eſt ſubiectus.

12 Ad locum Damaſceni oppoſitum *num.* 9. reſpondetur, à Damaſceno ſumi verbum, *ſubijci*, pro *ſubiugari*, quaſi coactè, & per aliquam vim; ac ſi ſe ſubducere contumaciter tentaſſet ab obedientiâ ſuperioris: quo modo certũ eſt, nullatenus fuiſſe Chriſtum ſubiectum Patri, cui libentiſſimè ſemper obſequutus eſt. Expreſſit hunc ſuum ſenſum Damaſcenus ipſe dans ſui dicti hanc rationem: *Etenim qua ratione Deus eſt, Patri æqualis eſt; non autem adverſarius, nec ſubiectus; quâ autem homo, nunquam Patri contumax fuit, vt ei ſubiectione ſit opus.* Quod autem aliam Chriſti ſubiectionem nõ negaverit, patet ex ipſius confeſſione *lib. de duabus Chriſti voluntatibus*: ibi poſt medium: *ſi humanam voluntatem non ſumpſit, qua voluntate legi ſubiectus fuit?* Fatetur ergo ſecundum humanitatem fuiſſe ſubiectum legi, ac proinde Deo ſummo Legislatori libentiſſimè.

13 Supereſt ſcrupulus circa verba Pauli pro nobis adducta *num.* 10. in quibus videtur indicari, Chriſtum non ſemper fuiſſe ſubiectum Patri, ſed *tunc*: poſtquam ſcilicet *ſubiecta fuerint illi omnia.* Sunt qui ex Chriſoſtomo, id exponant de Chriſto etiam ſecundum Divinitatem, ut meminimus *num.* 8. Sed hoc eſt laxiſſimè, & improprijſſimè uti vocabulo ſubiectionis, ut ibi monuimus. Sunt qui cum Origene id exponant de propriâ ſubiectione; ſed non de Chriſto in ſe ipſo; ſed in ſuo corpore myſtico, ſcilicet in Eccleſia, quam Deo per crucem ſubiecit. Non tamen neceſſe iudico recurrere ad ſenſum tam improprium, & litteræ minùs conformem. Quapropter communis omnium ſenſus, & ipſius Chriſoſtomi *tom.* 3. *Homil. ſuper prædicta verba*, ea intelligit de Chriſto, ut homine, & de propriâ ſubiectione.

14 Quo ſuppoſito, P. Suar. *tom.* 2. *diſp.* 58. *ſec. ult.* id exponit de novâ tunc temporis Chriſti ſubiectione ad Patrem, in eo ſitâ, quòd Chriſtus, ut homo, omiſſâ poſt finem mundi curâ gubernandi ulteriùs Eccleſiam militantem, ſubmittet omninò regnum Deo, ſe omneſque ſuos triumphos Patri ſubijciens, quaſi iam ceſſaturus à gubernatione, quam Pater ipſi commiſerat. P. Vaſquez *diſp.* 80. ſic exponit: ut tunc temporis manifeſtiùs patefacienda ſit omnibus Chriſti ſubiectio ad Patrem, non quia non ſemper fuerit æquè ſubiectus; ſed quia tunc id manifeſtiùs patefiet.

15 Ex ijs intelligi poſſet valdè piè, Paulum loqui potiùs de actu ſpeciali ſubiectionis, quem Chriſtus nondũ exhibuit Patri; ſed exhibebit ſolemniſſimè poſt iudicium. Tunc enim rediens à iudicio ad Patrem, in Empireo cum tota Prædeſtinatorum Curiâ ſe ipſum ut hominem, & ut talem illius coronæ Caput, illoſque tanquam coronam ſuam proſternet coram Patre, qui *omnia dedit ei in manus.*

1 Senſus tamen litteralior, & preſſior videtur eſſe; quòd Chriſtus, *ſciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*, omnia ei ſubijciens, non propterea deſinit eſſe ſubiectus Patri, ſed cum omnibus illis ſibi ſubiectis eſſe Patri ſubiectum. *Tunc*, ait Paulus, id eſt, quando omnia, *præter eum, qui ſubiecit ſibi omnia*, ſubiecerit Deus Chriſto; *tunc* Chriſtus cum omnibus illis ſibi ſubiectis ſubiectus erit Deo, non minùs, ac antea; aut non minùs, ac ſi eo modo non haberet omnia ſibi à Deo ſubiecta. Sic Bernal *d.* 57. *ſec.* 1. §. 2. *n.* 19.

17 Hoc igitur apud omnes ſtatuto, quòd Chriſtus reduplicative, *ut homo*, ſive *ſecundum humanitatem*, eſt ſubiectus Patri,

S. Thom. *Damaſc.* *Cyril.* *1. Cor. 15.* *Chriſoſt.* *Orig.* *Suar.* *Vaſq.* *Ioan. 13.* *Bernal.*

Spiritui Sancto, Sibique ipsi, ut Deo; quæritur: an absolutè, & simpliciter dici possit: *Christus est subiectus Deo.* Affirmant ex S. Tho. cit. Suarez Vasq. & Bernal *num.* 5. Qui tamen *num.* 7. monet, ne absolutè dicatur Christus subiectus Verbo, aut sibi ipsi: nè coincidamus in loquutiones Nestorianorum, quibus significabant in Christo duas Personas, unam alteri superiorem, sicque vocabant Verbum, *Deum infantis.* Notat insuper *disp.* 59 *sec.* 2. *num* 8. inconsequentiæ Patrem Suarez, admittentem absolutè Christū esse *subiectum* Patri; & non ita absolute, esse *minorem* Patre. Responderi tamen posset pro P. Suarez, illud de minoritate coincidere magis in terminis cum loquutionibus caracteristicis Arianorum, ut expendidimus *num.* 6. istud verò de subiectione, non ita in terminis; præsertim, cùm non defuerint Ecclesiæ Patres, memorati *num.* 8. qui sensum, quamvis largissimum meditantur, quo de Christo etiam secundum esse Verbi aliqualem intelligant subiectionem ad Patrem. Quæ omnia potuerunt facere Patri Suarez scrupulosiorem loquutionem illam absolutam de minoritate, quàm istā de subjectione. Circa utramque dicam duo. Primū, laudabile semper esse loqui in ijs cum debitâ limitatione. Secundum, sufficientem hanc limitationem ferè semper iam intelligi, ex usu inter Orthodoxos: ac proinde non esse necesse illam semper exprimere, nisi ubi ratio specialis periculi, aut æquivocationis postularet.

S Thom. Suar. Vasq. Bernal. Suar.

18 De subiectione Christi ad Matrem, imò & ad Josephum, scribitur Luc. 2. *& erat subditus illis*: vel, ut legitur ex Græco, apud Corn. *subiectus.* Quod certè intelligi nequit in eâ sermonis proprietate, qua dicitur *subiectus* Patri, cui videlicet *in quantum homo* inferior, & minor erat, cùm etiam, in quantum homo, fuerit maior Matre, eo excessu, quem facile est considerare inter naturam humanam intrinsecè, & hypostaticè unitam Deo, & quamcumque aliam creaturam, quantâvis dignitate fulgentem, non sic Deo unitam. Undè est illud, quod supra retulimus ex Apostolo, Christo (intellige etiam, *ut homini*) subiecta fuisse *omnia, præter eum, qui subiecit sibi omnia*: scilicet, Deum.

Luc. 2. Alap.

19 Intelligi ergo debet, ut exponit Cornelius ibi per hæc verba: *Natura humana in Christo, licèt in se præcisè sumpta subdita esset Matri; tamen quia ipsa elevata erat à Deo ad Hypostasim Verbi, ideoque unum erat cum Deo, id est, una Persona divina; hinc exempta fuit ab obedientia Matris, æquè, ac à legibus Augusti, Herodis, Pontificum, cæterorumque Principum: erat enim iam Matre, & illis omnibus longè dignior, melior, sapientior; imò Dominus, & Deus omnium: sicut Religiosus, vel Monachus, si creatur Pontifex, eximitur ab obedientia sui ordinis; imò totius Ordinis fit Superior. Christus tamen, ut nobis daret summa humilitatis & obedientiæ exemplum, ultrò, & sponte sua se subdidit Matri, imò & Iosepho, ijsque per omnia, qua domi agenda erant, verrenda, & fabricanda, &c. erant, obedivit.* Sicque *erat subditus illis*; ultrò scilicet, & manuetè faciens quod dicebant, quamvis illis esset reipsa superior, potens se pro libito ab eiusmodi obedientia honestissimè, & modestissimè eximere, & omnibus iure, & facto dominari, etiam ut homo. Sic Suarez *disp.* 43. *sect.* 2.

Alap. Suar.

SECTIO III.

Qua ratione fuerit Christus subiectus ad leges, & præcepta.

20 Sermo est de Christo, ut homine. Quæ reduplicatio adhibendo est in loco, & tempore, ubi periculum adesset Ariani sensûs, significantis inæqualitatem, & minoritatem Verbi secundum se ad Patrem, cuius legibus, ac præceptis subiaceret. Nunc tamen apud nos procul abest ille sensus, eiusque suspicio: & dum absolutè vocamus Christum subiectum, semper intelligimus de Christo, ut homine.

21 Legem definivit S. Thom. 2. 2. *qu.* 91. *art.* 4. *Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata.* Quam definitionem tuetur à communibus obiectionibus Suarez. *lib.* 1. *de leg. cap.* 12. Trita est partitio Legis in Naturalem, Divinam, & Humanam. Naturalis est indita naturæ ipsi rationali seorsim etiam à cuiuscumque libero beneplacito ad eam ferendam. Divina est à Deo per se liberè lata. Humana est lata ab hominibus iurisdictionem habentibus, sive Ecclesiasticam, sive sæcularem respectivè. Omnis lex strictè dicta dicit superioritatem aliquam Legislatoris ad subditum, pro quo lex fertur. Idemque dicit etiam præceptum strictè sumptum. Præceptum autem differt à Lege: quòd lex fertur universaliter, & in perpetuum; præceptum verò pro aliquibus etiam personis communitatis; aut, si forte aliquando pro tota communitate, non fertur permanenter. Quodsi feratur etiam permanenter: iam est lex: non tamen propterea desinit esse præceptum: nam,

S. Thom. Suar.

Digitized by Google

nam ; quamvis omne præceptum non ſit lex; omnis tamen lex eſt præceptum. Imo Suarez citatus definit ex ſe legem: *Commune præceptum juſtum, ac ſtabile ſufficienter promulgatum.* Unde, & præceptum quando generale non eſt, aut non ſtabile, vocari ſolet lex particularis. Hæc ſummatim pro uſu terminorum. Conſulendus Magnus Suarez *de Legibus.*

Suar.

22 Concluſio prima. Chriſtus non fuit ſubiectus, aut obligatus legibus puré humanis. Conſtat *ex ſect. præcedenti*, & ex *Matt. 17.* ubi dixit Chriſtus Petro, ſe liberum eſſe à lege tributi: quod tamen ſolvere voluit ad cavendum ſcandalum. Undé Marſilium, & Jandunum effatos Chriſtum ſubditum fuiſſe Regum, ac Principum terrenorum, damnavit Joan. 22. apud Haunold. *l. 4. tr. 1. c. 10. contr. 5.* Quippe fuit Chriſtus Dñs omnium, & nulli hominũ inferior: imò omnia habuit ſibi ſubiecta præter Deũ, qui ei ſubiecit omnia. Nec obeſt, quòd multas leges etiam humanas ad impleverit iuxta illud Matt. *5. non veni legẽ ſolvere ſed adimplere*: & Matt. *3. ſic decet, nos implere omnem juſtitiam.* Aliud enim eſt adimplere legem, quod fit exhibendo ſponté opus iniunctum à lege; aliud, teneri, ſeu obligari à lege. Illud prius faciebat Chriſtus ſæpeſæpius ultra obligationem, non utens exemptione, qua libet erat à lege. Hoc autem vocari ſolet non raró obedientia ad leges: in ſenſu ſcilicet laxo, quo laxiùs de Deo faciente quod volebat Joſue, dicitur: *obediente Domino voci hominis.* Concluſionem noſtram tenet Suar. *tom. 1. 3. p. d. 43. ſect. 2.* rectè diſtinguens inter obligationem naturalem colendi parentes, qua tenebatur Chriſtus erga Matrem; & inter obligationem ex præceptis humanis Matris, quam negat per rationẽ, quam dedimus *num. 19.* rectéque ſic explicans quod dicitur de Chriſto ad Galat. 4. *factum ſub lege*, ſcilicet veteri. Non enim id dicitur, quia de iure ſubiectus fuerit legi; ſed quia de facto illius pondus ſuſtinuit volens ſponte illam adimplere. Pro qua expoſitione citat Hieron, Auguſt. Ambroſ, Anſelm. & Thomam.

Matt. 17.
Marſil. Iand.
Joan. 22.
Haun.
Matt. 3. & 5.
Joſue. 10.
Suar.
Galat.
Hieron. Auguſt. Ambroſ. Anſel. S. Thom.

23 Concluſio ſecunda. Fuit ſtrictè obligatus, & ſubiectus legi naturæ, ſeu præceptis naturalibus. Quia in primis lege naturali tenebatur Chriſtus multa facere, quæ ſunt de iure naturæ, ut Deum ſui creatorem cum gratitudine agnoſcere, amare, & colere; & multa etiam omittere, quæ naturali legi repugnant, ut mentiri, peierare, &c. quæ ſi faceret eſſet periurus, & mendax, iuxta illud eiuſdem Chriſti, Joan. *8. ſi dixero, quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax.* Deinde in hoc reſpicit, *ut homo* Superiorem, nempe Deum, qui caput eſt, & author naturæ: ergo non eſt unde eximatur, à ſtricta obligatione, & ſubiectione ad leges naturæ, & præcepta naturalia, in quibus de nulla potentia poteſt Deus diſpenſare, ut ex S. Thom. habet Suar. *lib. 2. de Leg cap. 15.* cum communi Theologorum.

Joan. 8.
Suar.

24 Dices: Deus etiam tenetur amare ſe, non mentiri, non peierare, &c. quin proinde dici queat ſubiectus legi naturali: ſimiliter ergo Chriſtus, etiam ut homo. Non tenet paritas. Quia Deus non agnoſcit ſuperiorem, qui præcipiat, vel prohibeat; Chriſtus autem, *ut homo*, habet propriè Superiorem, ſcilicet Deum, à quo, ut naturæ capite, jubeatur non agere contra legem naturæ. Lex autem naturæ in ratione ſtrictæ legis completur, & conſtituitur per actum præceptivum, ſeu prohibitivum voluntatis Dei ſupremi naturæ gubernatoris: qui actus in eo differt ab actu conſtituente legem puré divinam, quòd ille ſit neceſſariò in Deo ex ſuppoſitione volendi condere creaturas rationales; iſte verò minimé, ut multis expendit Suarez *lib. 2. de Leg cap. 6.* Præciſum autem ab ciuſmodi lege Dei, ut Authoris rectique gubernatoris naturæ, illud quod aliqualiter vocari poteſt ius, ſive exigentia naturæ rationalis iuxta dictamen rationis, non eſt ſtrictè lex.

Suar.

25 Concluſio tertia. Potuit Chriſtus, *ut homo*, ſtrictè ſubijci legibus, & præceptis divinis: imò & de facto aliquibus ſtrictè, & rigoroſè ſubiectus fuit. Authores, & fundamenta huius concluſionis communiſſimæ, quamvis difficiliſſimæ, dabo *ſect. ſeq.* ubi punctum hoc dicutietur de facto, à quo ad potentiam illatio pervia cuique fiet. Si enim Deus ſtrictè præcepit aliquid Chriſto, potuit præcipere Chriſto, ut ſibi, ſuiſque præceptis ſubiecto. Si autem potuit aliqua præcipere, potuit plura, potuit omnia, quæ fecit. Non verò ex eo quod aliqua de facto præceperit infertur plura præcepiſſe: nec ex eo quòd plura præceperit, ſequitur omnia præcepiſſe; ſed hoc quoad factum rei à Dei libito pendentis, aliunde iudicandum eſt.

26 Omnes omnino actus, operationes, & ipſarum circunſtantias interiores, & exteriores, in quibus Chriſtus liberè ſe exercuit, fuiſſe ex ſtricto precepto Patris, opinatus eſt Illuſtriſſimus Alvarez *lib. 12. de Auxiliis diſp. 23. nu. 18. & diſp. 46 de Incarn. nu. 12.* ſaventque Maldonatus *ad Ioan. 12. verſ. 49.* & Cardinal. Toletus *ibid. & ad Ioan. 10. verſ. 18.*

Alvar. Tolet. Maldõ.

27 Oppoſitum ſentit S. Thom. *qu. 9. de Verit. art. 3. & in 3. diſt. 13. qu. 1. art. 2.* &

S. Thom.

& 3. par qu. 18. art. 4. quem meritò ſequitur communis ſententia cum Suar. Vaſq. Valentia, Læſio, Moncæo apud Bernal eos ſequentem diſp. 57. ſect. 5 & Hurt. diſp. 77. ſect. 6.

Suar. Vaſq. Valent. Læſi. Mönce. Bernal. Hurt.

28 Ratio congruentiſſima eſt. Quia quòd ſingula, quæ geſſit Chriſtus, fecerit ex ſtricto præcepto Patris, nō colligitur ex Scripturis, ut videbimus inter reſpondendum ad obiectiones; à Sanctis PP. ne leviter quidem inſinuatur; ad finem Redemptionis non fuit neceſſe; ad exemplar ſtrictæ obedientiæ ſatis fuit, quòd aliqua fecerit ex præcepto: ut autem nos ad opera ſupererogationis exemplo incitaret, congruum potiùs erat, quòd multa faceret ſine præcepto. Quo reſpexiſſe videtur Chriſtus dum dixit Luc. 17. *cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſervi inutiles ſumus, quod debuimus facere fecimus*: illorum ſcilicet exprobrans inutilitatem, qui modò præcepta adimplebant, nihil agunt ultra ſupererogatorié. Talis autem eſſet Chriſtus, ſi omnia ei Pater præcepiſſet: quippe nihil ſupererogaſſet ultra opera ſibi præcepta. Quod multis proſequitur Hurt. minus annuente Bernal; §. 2. Omnibus ergo his debitè perpenſis, liberè prorſus, & ſine congruo fundamento aſſeritur, omnia, quæ fecit Chriſtus, ex præcepto feciſſe; & multò congruentius, plura feciſſe ſupererogatorié citra præceptum,

Luc. 17.

29 Præterea. Dum Deus, aut homo homini præcipit actionem aliquam v. g. eleemoſinam, non ſolet præcipere cunctas circumſtantias; imò nec motivum, ac proinde nec ſpeciem actûs interni: rationabile ergo eſt, & credibile, ſic ſe geſſiſſe cum Filio naturali, aliqua ſcilicet præcipiendo, & multa citra præceptum ipſi relinquendo. Dices, id feciſſe Patrem, Filio ſic poſtulante. Contra: vel enim Chriſtus habuit, vel non habuit præceptum ſic poſtulandi. Si non habuit: ergo aliquid egit, nempe illam ſaltem poſtulationem citra præceptū. Si habuit, exinde roboratur potiùs, quàm minuitur ponderatio prædictæ incongruentiæ inuſitatiſsimæ, & abſque ſufficienti fundamento aſſertæ. Certè nec cum viliſſimis mancipijs ſic agi de more eſt, omnia omnino illis præcipiendo.

30 Nec lenitur difficultas per facultatem; quam habuit Chriſtus impetrandi facilé diſpenſationem. Ponamus enim, habuiſſe præceptum ieiunandi. Vel Chriſtus ſic iuſſus volens ieiunare, habuit libere nolitionem petendi diſpenſationem; vel libere non habuit. Utrumlibet dicas inſto: vel habuit, aut non habuit ex precepto, aut ſine præcepto habendi, nec non habendi. Si ſine præcepto; ergo aliquem actum volendi, aut nolendi exercuit non iuſſus. Si id etiam ex præcepto, inde ingraveſcit noſtrum argumentum de duriſſimo modo ſe gerendi cum Filio optimò, quò nec ſervus nequam à domino mediocriter bono tractaretur. E contra verò, vel Chriſtus habuit præterea præceptum nihil agendi præter id quod egit; vel non habuit: Si habuit, duriùs quam cum mancipio viliſſimo ſe geſſiſſet Pater per eiuſmodi anguſtias, ultro citroque præceptis obſtringens Filium optimum, hinc præcepto faciendi omnia quæ fecit; inde prohibitione, ne vel latum unguem metam illam tranſiliret, ne quidquam boni ultra præſtaret. Si non habuit, & tamen Chriſtus nihil ultra præſtitit, parum certè decore, ac generosè ſeſe geſſit cum Patre, qui omnia ei dederat in manus: nihil ſupererogans, cùm poſſet, ad ea quæ ex præcepto fecit. Igitur, quòd Pater ſic ſe geſſerit cum Chriſto, ut opinatus oppoſita ſententia, incongruum omninò eſt, minùſque decorum Patri, & Filio.

31 Fundamenta contraria leviſſima ſunt. Primum ſumitur ex Scripturis. Nam *Ioan. 6.* dixit Chriſtus: *deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſſit me.* Et Ioan. 12 *ex me ipſo loquutus ſum nihil; ſed qui miſſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit: quid dicam, & quid loquar?* ergo omnia omnino verba, & opera præſcripſerat ei Pater ex mandato. Id quòd præſignificatum videtur *Exod. 26.* iubente Deo Moyſi: *inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Moyſi autem comparatur Chriſtus, Hæbr. 3. *amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quantò ampliorē honorē habet dominus, qui fabricauit illā.* Secundum à ratione: quia Chriſtus, ut homo, fuit moraliter perfectiſſimus: ſed perfectus eſt in omnibus ſequi voluntatem divinam: ergo pertinuit ad moralem Chriſti perfectionem ſemper agere ex præcepto Dei, & ex ſtricta obedientia, quæ arctiùs conformat obedientem cum voluntate ſuperioris.

Ioan. 6. Ioan. 12. Exod. 26. Hebr. 3.

32 Ad primum ex Scripturis reſpondetur, per priora illa verba humano more vocari à Chriſto voluntatem ſuam, propriam voluntatem, nimirum in amore pròprio fitam, aut ex eo profectam; qualem, quò certius eſt non fuiſſe in Chriſto, eò clariùs eſt, cum non veniſſe ad eiuſmodi ſuam voluntatem faciendam: iuxta illud Luc. 22. *non mea voluntas, ſed tua fiat*: exinde tamen male inferri, nihil feciſſe Chriſtum niſi ex præcepto, vel ex eo patet, quòd quilibet Beatus dicere veriſſimè poteſt: *non veni in cœlum faciē voluntatem meam, ſed eius, qui huc adduxit.*

Luc. 22.

Digitized by Google

duxit me: nec tamen Beato præcipiuntur singula, quæ in æternum acturus est. Per posteriora verò verba adluſit Christus ad ſermonem, quem tunc habuerat de ſua divinitate: quem facilè concedam feciſſe ex mandato, & præcepto Patris, ut pote maxime è negotio primario Redemptionis, quod acceperat in mandatis. Ex quo non fit argumentum ad omnia; imò nec ad omnes eiuſdem ſermonis circumſtantias. Nec figura illa Exodi concludit intentum. Figura fuit Moyſes Chriſti; ſed Chriſtus infinitè dignior Moyſe, ut ex ipſa Apoſtoli comparatione perſpicitur: non ergo fuit opus, Deum ſic in omnibus agere cum Chriſto, ſicut egerat cum Moyſe. Addo, ex illis verbis Moyſi non deduci, omnes omnino circumſtantias fabricæ, etiam quoad actus internos illâ dirigendi, & procurandi; fuiſſe præceptas.

33 Ad ſecundum à ratione; conceſsâ maiori, diſtinguatur minor perfectius eſt in omnibus ſequi voluntatem divinam præcipientem, nego: ſive præcipientem, ſive non præcipientem, ſubdiſtingo: ſi id fiat ex motivo perfectiori concedo; ſi ex minùs perfecto nego. Chriſtus autem ſequebatur voluntatem divinam, modò præcipientem, modò non præcipientem ex motivo perfectiſſimæ charitatis: quo nihil perfectius. Unde nulla eſt conſequutio.

SECTIO IIII.

An ſaltem aliqua ſtrictè præceperit de ſua morte Deus Chriſto ſibi ſubiecto; præſertim Mortem.

34 *Mortem*, inquam, non quidem, quòd illam ipſe Chriſtus ſibi inferret: hoc enim nefas eſt; ſed quod illatam à perſequutoribus acceptaret ad redemptionem generis humani. Diſputabitur quæſtio de morte: quia de alijs non ita clarè loquuntur Scripturæ, ex quibus potiſſimùm colligendum eſt, quomodo ſe geſſerit Deus de facto in ijs, quæ aliter, & aliter velle, ac diſponere potuit. Tum quia quidquid difficultatis, & doctrinæ occurrit in hoc graviſſimo puncto expendetur circa præceptum moriendi: hoc eſt, prædicandi, docendi, & agendi cum hominibus pro ipſorum redemptione, quamvis propterea ſubiturus eſſet mortem.

35 Tres invenió ſententias in Scholis celebres. Primam communiorem, pro ſtricto præcepto divino moriendi pro hominibus impoſito Redemptori, obligante in conſcientia. Sic ex S. Tho. 3. *par. quæſt.* 60. *art.* 2. *S. Thom.* Suar. Vaſquez, Leſſius, Lugus, Conine. Hurt. Bernal, Lumbier *quæſt.* 33. ex profeſſo: alijque antiquiores, non tam diſputantes, quàm id ſupponentes ex Scripturis, & Sanctis Patribus. *Suar. Vaſq. Leſſi. Lug. Conin. Hurt. Bernal. Lumbier*

36 Secundam contra tale præceptum impoſitum Chriſto. Sic olim Dionyſ. Ciſterienſis *in 3. diſt* 12. *quæſt.* 3. *art.* 2. & ibidem Paludan. *quæſt.* 2 *art.* 3. Albertus *cap.* 3. *de Virtutibus*. Deinde Victoria, quem cit. t, & probabiliter loquutum ſentit Medina 3. *p. quæſt.* 47. *art.* 2. Lorca 3. *p. diſp.* 63. Velaſquez *ad cap.* 2. *Philipp. verſ.* 8 *Annotat.* 3. Ribera *ad cap.* 10. *Ioan* Petavius *lib.* 9. *c.* 8. & noviſſimè doctiſſimus Cardinalis de Lauræa *diſput.* 12. *art.* 8. *num.* 170. quam ſententiam probabilem indicant Cardin. de Lugo *diſp.* 26 *ſect.* 8. & Illuſtriſſimus Caramuel *in Theolog. fundament à num.* 286. & pro illa ſtetiſſe multos Patres Græcos teſtatur Cardin. Toletus. *Dionyſ. Albert. Palud. Victor. Medin. Lorca. Velaſq. Riber. Laurea Caramu. Tolet.*

37 Tertiam mediam, aſſerentem Chriſtum habuiſſe ſtrictum præceptum; non tamen præceptum, ſub peccato obligans in conſcientia, nec reddens eo ipſo illicitam, & peccaminoſam omiſsionem mortis; ſed merè pœnale ideſt obligans non quidem ſub peccato, aut ſub culpa; ſed ſub aliqua pœnalitate, v. g. ad carendum bono redemptionis, & gloriâ Redemptoris, ſi non paruiſſet. Sic Eſparza *q.* 32. Haunoldus *lib.* 4. *Tract.* 11 *cap.* 6. *contr* 1. §. 4. & 5. citans meritò Cardin. Pallavicinum, & immeritò Patrem Bernal: citat quoque S. Anſelmum *lib. de Meditatione Redemp. humanæ*: quamvis in eo loco Anſelmus, cuius verba refert *num.* 309. potiùs loquatur pro ſecunda ſententia, negante Chriſto ſtrictum præceptum. Tertiam hanc mediam ſententiam ſequuntur expreſsiùs in manuſcriptis doctiſsimi Theologi præſertim multo cum ingenij acumine P. Gualdericus Rio Collegij noſtri Barcinonens Primarius Antecеſſor. *Eſparza Haunol. Pallavic. Anſelm. P. Gualdericus Rio.*

38 Conveniunt ſecunda, & tertia ſententia contra primam in eo quòd Chriſto non potuerint imponi præcepta obligantia in conſcientiâ ſub peccato; aut ſaltem non fuiſſe de facto impoſitum ipſi tale præceptum moriendi. Et arguunt primò ex ſacris Litteris. Iſaiæ 53. *oblatus eſt, quia ipſe voluit.* Et Ioan. 10. *nemo tollit animam meam à me; ego pono eam à me ipſo.* Quibus indicatur, Chriſtum abſque prædicta obligatione præcepti mortem acceptaſſe, & obiiſſe. Reſpondetur, neutiquam id indicari; ſed Chriſtum liberrimè, & ſponte ſua mortuum fuiſſe, verè pro libito ſuo acceptationem mortis eligendo, quia liberè voluit mori. Quomodo autem

autem fiet, facta tecta Christi libertas in acceptanda morte cum eiusmodi præcepto strictissimo moriendi, discutietur latè *disputatione 16.* & est actior præsentis puncti difficultas.

infra disp. 16.

39 Arguunt secundò ex authoritate aliquorum Patrum, præsertim Chrisostomi, Nazianzeni, Basilij, Ambrosij, Anselmi. Respondet, & probat Bernal *disp 57. sec 3. §. 3.* negasse plerumque præceptum impositum Christo, ut Deo, propter coæqualitatem Personarum, quam defendebant contra Arianos; non verò id negasse de Christo, ut homine, secundum humanitatem, qua minor est Patre: sic enim subiectus erat Patri ut superiori. Respondet aliter Hurt *disp. 27. sec. 5. §. 46.* & forte sincerè, ut plurimum inter Sanctos Patres non fuisse discussum hoc punctum de stricto Christi præcepto iuxta præsentem rigorem Scholasticum; obiter autè super occurrentes Scripturæ locos, aliquos negasse prædictum præceptum; alios verò communiùs tale præceptum agnovisse, & sine dubio conformiùs sacris litteris, ut videbimus *sec. seq.*

Chrisost. Nazian. Basil. Ambr. Ansel. Bernal

Hurt.

40 Arguunt tertiò ab incongruenti tam ex parte Patris præcipientis, quàm ex parte Christi obedientis. Ex parte Patris; quia Patrem iniungere cum rigore præcepti rem tam arduam, ac est acerbè mori, Filio naturali sibi carissimo, & obsequentissimo, id alioquin citra præceptum libenter præstituro, videtur minùs congruere affectui verè Paterno; præsertim, cùm notum esset Patri sufficere quamlibet insinuationem divinæ suæ voluntatis, ut Christus libentissimè moreretur. Ad quid ergo præceptum? Ex parte Christi; cuius videlicet dignitas, munificentia, & observantia minui quodammodo videtur per eiusmodi præceptum. Dignitas quidem; quia, cum sit infinitè sanctus, & omnium dominus, non nisi indecorè, aut indigne per præceptum ita strictum obstringeretur ad sic moriendum. Munificentia autem, & liberalitas erga homines; quia mori pro hominibus; ex obligatione ita strictâ moriendi, non ita præfert eximiâ libertatem offerendi se pro hominibus. Observantia tandem erga Patrem; quia præceptum sic impositum indicare videtur, quòd Christus citra præceptum voluntatem Patris, aut non esset exequuturus, aut non ita prompté, & exactè. Nec prudentis Prælati videtur esse, subditos religiosissimos, illius nutui facillimè obtemperantibus, ultra nutum iniungere præceptum. Ad quid ergo præceptum Paternum rigorosum erga Christum obsequentissimum? maximè cùm vel ratione beatificæ visionis lege perfectionis, & amicitiæ erga Deum intuitivè visus, adstringatur iam velle, & exequi quidquid nosset esse Deo gratissimum, vel simpliciter volitum.

41 Respondetur, negando prædictas incongruentias. Et illa quidem ex parte Patris facilè depellitur: aut quia benè noverat, præceptum fore gratissimum Filio carissimo, & obsequentissimo; aut forte etiam, quia Filius ipse si: postulavit sibi iniungi, ut strictæ etiam obedientiæ exemplar se exhiberet hominibus per leges, & præcepta in beatitudinem dirigendis. Unde, quamvis id ipsum, nempè mori pro hominibus, præstiturus esset Christus ad nutum Patris, citra præceptum; congruum fuit, ex præcepto id ipsum præstare, ut insigne nobis per inobedientiam lapsis strictæ obedientiæ exemplum exhiberet: quatenus, ut scitè August. *in Psal. 63. parum erat Dominum hortari Martyres verbo, nisi firmaret exemplo.* *Aug.*

42 Ad alteram incongruentiam ex parte Christi, nego, proinde minui dignitatem Christi. Profectò ijdem sanctissimi fines, propter quos non fuit contra dignitatem Christi mori pro hominibus, salvant quòd nec fuerit contra ipsius dignitatem subijci præcepto sic moriendi: præsertim, si Christus ipse præceptum ultrò postulaverit. Nec item per præceptum quidquam derogatur munificentiæ, & liberalitati Christi erga homines. Quinimò sponte, aut postulans, aut acceptans præceptum, aut potius volens illud adimplere, quàm in illo dispensari, eximiæ obedientiæ exemplum exhibuit hominibus, & pro hominibus: quod citra preceptum non ita exhiberet. Nec verendum, quòd Paternum præceptum quidquam arguat inobservantiæ Christi ad Patrem: non enim impositum est, quia Christus alioquin ad nutum Patris non esset subiturus mortem libentissimè; sed, ut ipsa acceptatio mortis ex præcepto, specialem induceret honestatem strictæ obedientiæ valde profuturam hominibus in hoc iuriturus Redemptorem, quãdo præceptis obediunt. Sic prudentissimè possunt, & solent Prælati præceptum super imponere subditis alioquin etiam alacriter rem exequuturis, ut ex obedientia strictâ, magis meritorié rem ipsã exaquantur quam vis imprudenter acturũ fateamur, si à dextris, & à sinistris inconsideratè cuncta bona præciperent. Itaque non est impositum Christo præceptum moriendi, ex eo solum fine, ut mortem subiret: ad hunc enim finem sufficiebat insinuatio quælibet divinæ voluntatis; sed ex fine quoque subeundæ mortis cum exemp-

exemplo valde nobis profuturo exactissimæ obedientę ad Patrē ut sibi superiorē. En ergo, ad quid præceptum: scilicet ex una parte, ut divinus Pater supremam suam authoritatem legislativam exerceret erga subditum excellentissimum; ex alia verò parte, ut Christus vicissim exerceret honestissimè, & exemplarissimè strictam obedientiam formalem: & hoc quidem liberrimè: quia impositio præcepto circa opus, non eo ipso venit sub præcepto finis obedientiæ formalis: cùm possit adimpleri præceptum ex alijs finibus.

43 Arguunt quartò ab impossibili. Subiecto impeccabili nequit imponi præceptum strictum obligans in conscientia sub peccato: ergo Christo essentialiter impeccabili non potuit Pater quantumvis superior imponere præceptum moriendi. Antecedens probari solet multipliciter. Primò: quia tale subiectum, impositio tali præcepto, non liberè moreretur. Secundò: quia eiusmodi præceptum importat comminationem culpæ: quasi comminando dicat, *si inobedieris, peccabis*: quæ comminatio, impossibilis est Deo Legislatori prudentissimo erga subditum impeccabilem: esset enim comminatio sub conditione impossibili, ac proinde nulla, & quasi non esset: nec minus ridicula, quàm si Deus comminaretur homini: *si fias brutum, eris irrationalis*: quia nempe ea quoque conditio impossibilis est, & chimerica. Tertiò: quia sic videtur significari ad Galat. 3. *lex propter transgressiones posita est*: id est, ob imminentes transgressiones: ac proinde non potest cadere lex supra subiectum, cui transgressio non imminet: qualis est Christus omnino necessitatus ad non transgrediendum, sicut essentialiter impotens peccare: & 1. Timoth. 1. *lex iusto non est posita*: quasi solum imponibilis potenti peccare. Quartò ex Haunoldo *num.* 300. quia Christus, non potuit ex voto obligari in conscientia: ergo neque ex præcepto. Antecedens supponit ex S. Thom. 2. 2. *quæst* 88. *art.* 4. *ad* 3. Consequentia m probat: nam ratio S. Tho. de voto, æquè valet de præcepto: quia nempè Christus *habebat firmatam voluntatem in bene.*

Galat. 3.

1. Timot. 1.

S. Thom.

44 Respondetur, negando antecedens: alioquin nec præceptis legis naturæ v. g. ad non mentiendum, aut non peierandum, teneretur Christus lege naturæ sub peccato: quod, quamvis à nonnullis concedatur, est certè contra communem sensum, ut vidimus *num.* 24. præsertim, cùm ipse dixerit Christus Joan. 8. *Si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax.* In quibus verbis occurrit tota vis argumēti contra nos facti: quia Christum esse mendacem non minùs implicat, quàm esse peccatorem & transgressorem legis: & tamen id sub ea conditione pariter impossibili asseruit Christus de se: ut miretur nemo quòd à nobis asseratur, fore transgressorem præcepti, & peccaturum si inobediret præcepto moriendi, quæ inobedientiæ conditio impossibilis est.

Joan. 8.

45 Ad primam probationem antecedentis fiet satis abunde *disp. 16.* ubi Christi impeccabilitatem, & præceptum strictum moriendi componemus cum perfectissimâ libertate in acceptandâ, & subeundâ morte *quia ipse voluit.* *Infra disp. 16.*

46 Ad secundam nego absolutissimè, de ratione eiusmodi præcepti, aut legis obligantis etiam in conscientia, esse importare comminationem culpæ. Nec video quo iure potuerunt hoc sibi assumere Authores contrarij. Comminatio, ut rectè distinguit Suar. *disp. 43. sect. 1.* subsequitur ad rationem præcepti iuxta capacitatem subiecti, cui præceptum imponitur: & locum duntaxat habet pro subiecto capaci transgrediendi præceptum, ut minis seu culpæ, seu pœnæ correspondentis culpæ, coerceatur à transgressione sibi possibili. Quæ, cum cadere nequeant in Christum essentialiter impeccabilem, ac proinde incapacem transgredi legem, aut præceptum, nequit in illum cadere divina comminatio, seu præceptum sic comminatorium, aut coactivum; sed meritè obligatorium, seu, ut loquitur Suar. & ex illo Bernal, directivum, obligans tamen strictissimè in conscientia, & sub peccato, ut etiam innuit Lessius *qu.* 20. *art.* 1. Nec credo, Authores tertiæ sententiæ, admittentes præceptum Patris impositum Christo sub aliqua pœnalitate, admissuros eiusmodi comminationem pœnalitatis ad absterrendum Christum ab inobedientia. In quo ad hanc nostram doctrinam venire necesse est. *Suar.* *Bernal.* *Lessius.*

47 Nec illa veritas conditionata: *si inobedieris, peccabis*: aut, *eris mihi inimicus*; est erga Christum per modum comminationis, cùm sit sub conditione impossibili, & cuius incapax est Christus, & ad nihil necessaria, aut utilis; sed est per modum simplicis enunciationis veritatis necessariæ, quam ignorare non potest Deus, nec occultat Christo qui sicut independenter a præcepto moriendi sic est aliunde in actu exercito constitutus, ut repugnet ipsi mendacium, taliter nimirum, ut verissimè dixerit *si dixero, quia non scio eum, ero similis vobis mendax*, & peccaret mentiretur; quin verissima hæc enuntiatio redoleat comminationem; sic, inquam, per præceptum moriendi in actu exer-

cito constituitur in tali statu, ut repugnet ipsi nolle mori, quia constituitur in statu, in quo nolle omninò mori esset transgressió præcepti, ac proinde peccatum.

48 Fatemur itaque, non esse prudentis Legislatoris comminari culpam, & pœnam peccati subdito impecabili, esset enim ridicula comminatio, quasi volens abstterrere subditum á malo, cui esset obnoxius, cùm talis mali incapax sit. Cæterùm taliter pro superioritate sua se gerere cum subdito perfectissimo per leges, & præcepta, ut eo ipso exercitè subditus constituatur in statu, quocum repugnet omnissio operis præcepti, prudentissimi Legislatoris est: nec posset aliter Deus Beatis quidquam præcipere, utpotè ratione sui statús impecabilibus. Id quod ostenditur mirificé à paritate promissionis: qua se Christum obstringere potuisse negabit nemo. Quin tamen inconveniens sit, quód per illam constituatur Christus in statu cali moraliter, & in conscientia, ut peccaret contra fidelitatem, si rem promissam nõ præstaret: non obstante impossibilitate metaphysica agendi infideliter, & peccandi nã aliud est hæc repugnantia infidelitatis intrinseca Christo; aliud est constitui per promissionem in statu, in quo talis actio esset infidelitas.

49 Comminatio illa facta homini: *si fias brutum eris irrationalis*, ridicula quidem esset, Deoque, & quolibet Legislatore prudente indignanæam autem veritatem cõditionatam sub hypothesi impossibili cognoscere, & manifestare non per modum cõminationis, sed per modum certissimę, ac necessariæ veritatis; non est Deo indignum, sed divinæ Omniscientiæ perquecessarium. Quo exemplo potiús declaratur quàm infringitur veritas nostræ responsionis. Cum discrimine tamen, quód homo habet ex intrinsecis nõ posse fieri brutum; at non omnis omissio operis habet ex intrinsecis esse inobedientiam, sed ex circunstantia legis præcipientis opus: quamvis in complexo præcepti velle omittere opus iam ex intrinsecis præferat inobedientiam.

50 Ad tertiam probationem antecedentis dico, in illis Scripturæ locis nihil minús significari, quàm intentum argumenti. Sensus litteralis utriusque loci Paulo fuit de Lege veteri scriptà, & per Moysen intimatà. Dicitur autem *propter transgressiones posita* non quia nulla lex poni possit non potenti transgredi, ut nimis voluntariè inferunt sequentes; sed quia illam scripsit Deus ita solemniter inter alios fines, ut Populum suum efficaciús cohiberet à transgressionibus legis naturalis; quam multi iam parvipendebant: & hoc est, *propter transgressiones*, sive iam commissas, ut illas severiús exprobaret; sive impendentes, ut illas efficaciùs impediret. Dicitur insuper, quòd *lex iusto non est posita*: non uti sonat, quia iusti non obligentur legibus, ut erat error Libertinorum; sed vel, ut exponit Cornelius, quia lex illa scripta Moysis fuit imposita Judæis, quasi servis rebellibus, & duræ cervicis metu pœnarum legis ad legem servandem coercendis; non verò sic Christianis iustis, & sanctis, quibus pro lege successit Evangelium in spiritu lenitatis, & amoris: vel, ut alij exponũt, quia iusti non dederunt occasionem Legi scriptæ; sed peccatores per suas transgressiones. *Libert. Alap.*

51 Ad quartam, falsissimum est antecedens. Quinimò verissimum reputo cum Suarez *to. 2. disp. 28. sec. 2.* attestante sibi in hoc non esse dubium, Christum de facto aliqua vota laudabiliter emisisse. Quò vertunt aliqui illud Davidis nomine Christi Ps. 115. *vota mea domino reddam.* Sanctum verò Thomam sic intelligit ibi Suarez, ut disparem agnoverit rationem vovendi in nobis, ac in Christo: quatenus nempe nostræ voluntates in bono non firmatæ, indigeant interdum firmari voto; quo Christus in bono firmatus non indiguit: quamvis laudabiliter potuerit vovere, sicque speciali titulo religionis obligari ad obsequendum Deo. Et in hoc tenet partitas præcepti. Id ipsum tenent cum Suar. Salmeron *to. 10. tra. 2.* Raynaud. *lib. de Iuda cap. 4.* Justinian. *in Prælud. ad Pan. disp. 1. cap. 5.* Thyrsus *tom. 3. disp. 29. sect. 3. num. 23.* Et Bernal *disp. 42. sect. 1. §. 1.* *Suar.* *Psal. 115.* *Salmer. Raynau. Thyrs. Bern.*

SECTIO VI.

Sententia media de stricto præcepto moriẽdi non obligãte in conscientia discutitur, & reijcitur.

52 AUthores per docti citati pro tertia sententia *n. 38.* non audent negare Christo præceptum moriendi propter Scripturas, & Patrum loquutiones allegandas *sect. sequen.* pro conclusione nostra; dicunt tamẽ, eiusmodi præceptum non fuisse obligatorium in conscientia sub peccato; sed tantè pœnale, scilicet sub aliqua pœna, seu pœnalitate: qualis esset respectu Christi carere gloria, & dignitate Redemptoris, & in nobis, Christo secundum carnem coniunctissimis, malum carendi Redemptione, non aliter consummãdè nisi per eius mortem. Dari autem veras

leges

leges puré penales sub nulla culpa obligantes, supponunt ex humanis ij Authores iuxta communem divisionem legis in legem obligantem in conscientia, & in puré pœnalem. Et adducunt in exemplum leges ferri solitas non lignandi, seu non piscandi in certis locis sub multâ seu gravaminæ certæ pecuniæ
Haunol. contra lignantes, aut piscantes: & apud Haunoldum *n.*31. legem canonicam, quæ præcipit electis Episcopis, ut intra certum tempus petant à Sede Apostolica confirmationem sub pœna amittendi ius quæsitum per electionem: quâ lege citra culpam ullam Theologicam non adimpletâ, privatur in pœnam electus illo iure: & quidem in puram pœnam, seu pœnalitatem, seu gravamen quoddam iustè subeundum à non observante talem legem.

53 Multa involvuntur hic examine digna spectantia ad Tractatum de Legibus: de
Suar. quibus videri potest Suar. *lib. 5. cap. 3.* Qui, quamvis faveat opinioni de lege puré pœnali, animadvertit quatuor. Unum *num 2.* his verbis: *Lex autem puré pœnalis dicitur quæ solum habet unum præceptum quasi hypotheticum sustinendi talem pœnam, vel incommodum, si hoc vel illud fiat; etiamsi de actu subsirato tali conditioni præceptum non*
S. Thom. *imponatur.* Secundum *num. 5.* ex S. Tho. *2. 2. quæst. 108. art. 4. Quòd pœna interdum incurritur sine culpa, quamvis non sine causa.* Tertium *num. 4.* Huiusmodi leges purè pœnales, etiam in ratione obligandi sub pœna sive incommodo ad actionem illam, circa quam feruntur, esse plusquam consilia: nimirum propter authoritatem, & iurisdictionem Legislatorum. Quartum, quòd eiusmodi leges sic positæ possunt violari sine aliqua culpa apud Deum; *quamvis non sine aliquo defectu, vel imperfectione apud homines.*

54 Conclusio ex ijs sit. Præceptum moriendi impositum Christo à Patre, nec fuit, nec esse potuit ad instar legis purè pœnalis, non obligans sub culpa in conscientia. Sic communior Sanctorum Patrum, & Theologorum, tam veterum, quàm recentiorum sententia contra paucos supracitatos: quorum tamen acumini, & ingenio occurrere oportet, né communis Sanctorum Patrum, summorumque Theologorum doctrina à sua quasi possessione sensim deturbetur.

55 Probatur autem sic. Præceptum illud divinum non utcumque importat voluntatem, seu decretum serium Patris de eò quòd Christus acceptaret mortem pro hominibus: hoc est, ut homines prædicatione, & exemplo doceret, & instrueret, sicque in iustitia perseveraret, quamvis propter hoc damnandus esset ad crucem, & re ipsâ crucifigendus; verùmetiam hoc Christo plusquam consuluit, ex animo volens, quod fieret potiùs, quàm quòd non fieret; quatenus, interpositâ in id authoritate paternâ, & supremé legislativâ, ad id exequendum veré præceptivé obligavit: & quidem in re gravissima. Atqui cum hoc stare nequit, quòd nolitio moriendi non sit moraliter defectuosa, mala, reprehensibilis, ac proinde peccaminosa, aut saltem moraliter imperfecta: ergo neque, quòd eiusmodi præceptum sit ita puré pœnale, ut nullatenus obliget in conscientia, & sub ulla culpa, & imperfectione morali, sed solum ad subeundam puré puram pœnam, aut pœnalitatem,

56 Maior videtur expositio digna, & sincera eiusmodi præceptii divini, si quo modo præceptum æterni Patris est. Si enim Pater, Legislator supremus, non interponeret authoritatem suam legislativam, ut id potiùs fieret, sicut serió mavult fieri, irrisorium esset præceptum, Deoque Sanctissimo indignum, ac proinde repugnãs, quidquid dicatur de legislatore humano obnoxio multis imperfectionibus in modo præcipiendi, & obligandi. Dicere namque, Deum quidem id veré præcepisse Christo; taliter tamen, ut æquè sibi placitum, gratumque habeat, sive Christus voluerit, sive noluerit sic exequi, repugnantissimum ex ipsis terminis est seriæ modo præcipiendi divino: esset enim ac si diceret: seriò præcipio tibi acceptationem mortis *Ego dominus, & Pater*; mihi tamen æquè gratum facies, sive velis, sive nolis mortem à me præceptam accepare: quod quis non videat esse ludicrum, in re seriâ, & gravissimâ; ac proinde minimè decens Maiestatem divini Legislatoris?

57 Nec prodesse potest, quod in legibus humanis purè pœnalibus contingit interdum, Legislatorem fortè malle, quòd leges non observentur, & solvatur pœna, quàm quòd leges observentur: v.g. in lege non lignandi, aut piscandi in tali loco: fortè quia plus emolumenti pecuniarij percipit Respublica, vel Legislator ex solutione pœnarum, quàm ex observantia legis. Non, inquam, id prodest. Tum quia id potest non rarò tribui imperfectioni inordinatissimæ multorum Legislatorum, cuius est incapax Deus Optimus Maximus, quoniam bonorum nostrorũ
Suar. non eget. Tum quia, ut aiebat Suar. ipse recitatus *num. 14.* eiusmodi leges potiùs sunt præceptum hypotheticum solvendi pœnam, si fit lignatio, aut piscatio, quàm absoluta prohibitio lignationis, & piscationis. Juxta quem

modum diſcurrendi dicendum eſſet à fautoribus huius ſententiæ, præceptum acceptandi mortem impoſitum Chriſto à Patre non tam eſſe præceptum moriendi, quam legem ſolvendi pœnalitates illas, ſeu incommoda, v. g quòd mundus careret redemptione, & Chriſtus gloriâ Redemptoris, talique ſui corporis, & nominis clarificatione, ſi mortem non acceptaret: quaſi pœnalitates iſtæ magnum eſſent emolumentum, aut Deo, aut Chriſto, aut Reipublicæ angelorum, & hominum, ex nolitione moriendi reſultans.

58 Non ergo aptari rationabiliter poteſt ea doctrina legum purè pœnalium humanarum præcepto divino Paterno, quod habuit Chriſtus acceptandi mortem, & per eam redimendi genus humanum. Eſſet enim quaſi Pater ſic Chriſto præciperet: præcipio tibi acceptationem mortis in hominum redemptionem, taliter tamen, ut non potiùs velim quòd mortem acceptes, quàm quòd nõ acceptes; nec potiùs quod homines redimas, quàm quód non redimas: quod certé non eſſet potiùs præcipere mortem, quàm non mortem. Sed per hunc modum præcipiendi nemo dixit, Deum præcepiſſe Chriſto non mortem: ergo ſimiliter intelligi nequit præcepiſſe mortem per eumdem hunc modum præcipiendi.

59 Inſuper. Vel juxta præſentem modum præcipiendi mortem, æquè voluit Deus præceptivé mortem, ac non mortem; vel maluit non mortem præ morte; vel maluit mortem præ non morte. Primum, non ſolum Deo; verúmetiam quocumque cordato legislatore indigniſſimum eſt: nec excipi ſine riſu poſſet qui, interpoſitâ auctoritate ſua legislativâ, ſerió, ac ſeveré præciperet ſubditis actionem in re graviſſimâ, æquè volens fieri ac non fieri: eſſet enim ex illo modo præcipiendi, non potius præcipere fieri quam non fieri: ſicque præceptum Patris impoſitum Chriſto, eſſet præceptivè indifferenter acceptandi, vel non acceptandi mortem pro ſalute generis humani: quaſi præciperet: *morere, vel non morere: mihi enim æquè gratum facies:* quod inaniſſimum eſt. Secundum, dici non poteſt: niſi conſequenter dicendo, Chriſtum de facto acceptantem mortem deflexiſſe à majori beneplacito Patris, magis volentis præceptivè, quod non acceptaret: quod pluſquam falſum eſt. Et quamvis in Legislatorem creatum, in cujus modum præcipiendi cadere poſſunt multæ imperfectiones, cadere quandoque poſſit ferre legem purè pœnalem optando potius ejuſdem legis tranſgreſſionem, quam obſervantiam, ut nuper notabamus; nequaquam tamen in Deum Legislatorem optimum. In quem imperfectio cadere nequit. Si ergo dicatur tertium, venitur ad majorem primi noſtri ſyllogiſmi poſiti *nu. 55.*

60 Probatur autem minor, quòd nempè cum eo modo Divino, ac Paterno præcipiendi mortem ſtare nequeat in Chriſto nolitio moriendi, quia eſſet moraliter defectuoſa, mala, reprehenſibilis, peccaminoſa, aut ſaltem moraliter imperfecta. Probatur inquam multipliciter.

61 Primò. Quia ea nolitio eſſet tranſgreſſio libera legis Divinæ, & Paternæ certó juſtæ: nihil autem aliud eſt peccatum, quàm tranſgreſſio divinæ legis, ut ex Auguſtino reſumunt unanimiter Theologi. Dicere, id intelligi de lege divina non purè pœnali; non verò de purè pœnali; eſt in re dicere, id non intelligi de lege divina non obligante ſubditos in conſcientia: hoc eſt, cujus violatio non eſſet peccatum. Quod potius implicat, quàm explicat difficultatem: cum ex ipſis terminis repugnet lex divina cujus violatio non eſſet peccatum; non ſecùs ac ex terminis repugnat lex divina, cujus violatio non ſit tranſgreſſio legis divinæ; ac proinde aliquis contemptus, ſaltém virtualis, ſeu generalis legis, & Legiſlatoris.

62 Secundó. Ejuſmodi lex, ſeu præceptum Dei, quam purè pœnalem dicunt Adverſarij, talis eſt, ut ratione illius exhibitio operis ſic à Deo præcepti ſit ſtricta obedientia: ideòque dicunt, Chriſtum ex tali lege morientem ſtrictiſſimè obedijſſe: ergo à ſimili talis eſt, ut ratione illius omiſſio operis eſſet ſtricta inobedientia; ideòque, ſi Chriſtus, poſitâ illa Dei lege, noluiſſet mori, ſtrictiſſimè inobedijſſet: non aliter ac, ſi loqueretur contra mentem, ſtrictiſſimé mentiretur, ut ipſemet veraciſſimé teſtabatur Ioann. 8. *Si dixero, quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax.* Quemadmodum ergo implicat in terminis, quòd Chriſtum mentiri, peccatum non ſit, pariter implicat in terminis, quód inobedire Deo ſtrictè præcipienti peccatum non ſit, & quód eâdem ratione, qua dicitur repugnare Chriſto peccatum, non ſimiliter dicatur repugnare eidem Chriſto inobedire Deo præcipienti, ſicut, & mentiri. Nec dicas, hoc eſſe verum de inobedientia ad Deũ præcipientem lege obligante in conſcientia, id eſt ſub peccato; non verò lege purè pœnali. Nam, ſicut implicat Deum obligare lege, cujus tranſgreſſio non ſit inobedientia, ſub ipſiſſimis verbis probamus implicare, Deum obligare lege cujus tranſgreſſio non ſit peccatum: eodem ſcilicet modo quo prorſus implicat Deum obligare lege, quæ non

Ioan. 8.

ſit

ſit Dei lex, Deumque hujuſmodi implicantias poſſe velle.

63 Tertiò ex eadem paritate legis humanę purè pœnalis, qua ſe muniunt Adverſarij. *Suar.* Nam ex Patre ipſo Suarez citato *num.* 53. quamvis eiuſmodi leges violari poſſint abſque culpa Theologica *apud Deum*, & in conſcientia; non tamen abſque culpa civili, & iuridicâ *apud homines*: quæ ſcilicet culpa civilis dat cauſam moralem iuſtæ pœnæ: ex eo ſcilicet quod nequit non eſſe culpa aliqua, & irreverentia civilis, & apud homines contra legiſlatorem humanum tranſgreſſio legis humanæ, quamtumvis purè, ut aiunt, pœnalis. Si ergo tranſgreſſio quæcumque Legis humanæ eſt eo ipſo cupla civilis apud homines, quia eo ipſo offendit legem humanam eiuſque legiſlatorem, certè tranſgreſſio quæcumque legis divinæ erit eo ipſo culpa Theologica apud Deum, quia eo ipſo offendit legem divinam, eiuſque iuſtiſſimum Legiſlatorem, nempe Deum. Implicat ergo in ipſis terminis eiuſmodi tranſgreſſionem liberam perpetrari abſque peccato Theologico: ac proinde Deum velle ſic præcipere, & nolle obligare ad obſervantiam ſub peccato Theologico, & in conſcientia. Eſſet enim velle, inobedientiã legi ſuæ non fore inobedientiam Deo præcipienti.

64 Quarto à paritate urgentiſſimâ promiſſionis. Nemo namq; negabit nobis Chriſtum potuiſſe aliqua promittere, cum varia varijs credamus in Evangelio promiſiſſe. Quâ Chriſti promiſſione poſitâ, obligatur Chriſtus ex fidelitate adimplere rem promiſſam. Sic nimirum, ut eſſet infidelis, ſi ſtante ſua promiſſione, non adimpleret rem promiſſam; ſicut eſſet mendax, ſi loqueretur contra mentem, ipſo Chriſto ſic atteſtante *Ioan.* *Ioan.* 8. 8. ergo ſicut non obſtante phyſicâ ſua impotentia mentiendi, ſicut, & peccandi, ulteriùs à lege naturali non mentiendi conſtituitur moraliter etiam obligatus ad non mentiendũ taliter, ut ſi mentiretur peccaret, quod eſt idem ac, quòd ſi peccaret, peccaret; ita nõ obſtante phiſicâ ſua impotentia infideliter agendi, ulteriùs à promiſſione ſua conſtituitur moraliter etiam obligatus adimplere promiſſum, ad quod citra promiſſionem non ſic obligabatur; & ſtante liberâ ſua promiſſione, ſic obligatur, ut eſſet infidelis, ac proinde peccaret, ſi ſtante promiſſione non adimpleret promiſſum: quod eſt obligari in conſcientiâ, & ſub peccato infidelitatis à promiſſione ſua. Cur ergo ſimiliter non poterit obligari in conſcientia, & ſub peccato inobedientiæ à præcepto Patris? Quinimò, ſicut nequit à promiſſione ſua non obligari moraliter ſub peccato infidelitatis, quia illam poſitam non adimplere, nequit non eſſe infidelitas; ſic omnino nequit à præcepto Patris non obligari moraliter ſub peccato inobedientiæ, quia illud non adimplere nequit non eſſe inobedientia. Qua promiſſionis, & infidelitatis paritate præcluduntur omnes evaſiones Adverſariorum ad præceptum eiuſque obligationem in conſcientia. Si dixeris, poſſe quoque dari promiſſionem, ſicut, & legem, purè penalem, de qua idem forte dici poſſet; impugnaberis ratione ſequenti.

65 Quintò. Quia, quamvis demus eiuſmodi ſive leges, ſive promiſſiones pœnales, non obligare, niſi ſub pœna, ad adimplendam rem directè præceptam, ſeu promiſſam; ita nempe, ut ſubditus, ſeu promiſſor, ſi id non præſtaret, teneretur ſubire pœnam, ſive incommodum ſub hypotheſi non adimplerionis præſcriptum; at certè, ſi ſubditus, ſeu promiſſor nollet legem, aut promiſſionem adimplere; & præterea nollet acceptare pœnam, ſeu incommodum illud, peccaret ſine dubio. Ecce ergo, quomodo lex illa, ſeu præceptum Patris de morte adhuc eo modo, quo volunt adverſarij, Chriſto diſpoſitum ſub pœna, ſeu incommodo, quamvis recuſent obligare Chriſtum in conſcientia, & ſub peccato ad acceptandam mortem; negare non poſſunt, iuxta doctrina legum pœnalium; obligare Chriſtum in conſcientia, & ſub peccato ad acceptandam mortem, aut ſiminùs ad ſubeundam pœnam, ſeu incommodum præſcriptum à lege pœnali: ita videlicet, ut nolle acceptare mortem, ſimulque nolle ſubire illud incommodum, eſſet peccatum contra legem pœnalem divinam: & hoc quidem ex obligatione morali talis legis. In hac igitur obligatione innegabili, quæ à paritate obligationis promiſſionis pœnalis perurgeri poteſt, invenient prædicti Authores omnes difficultates, quas nobis obijciunt contra obligationem moralem in conſcientia, & ſub peccato reſultantem in Chriſto à præcepto Paterno moriendi obligante Chriſtum ad acceptandam mortem in conſcientia, & ſub peccato.

66 Sextò denique. Quia, dato quòd tranſgredi prædictas leges pœnales poſſet non eſſe peccatum; at ſaltem non poſſet non eſſe moralis imperfectio, ac proinde quid veré reprehenſibile. Chriſto autem non modò peccatum, quinetiam & moralis imperfectio metaphyſicè repugnat, ut cum multis, qui nobis nunc adverſantur, ſtatuemus *diſp.* 15. *ſec.* 4. Sicut ergo ſalvant præceptum *infra* *diſp.* 15. morjendi Chriſto impoſitum verè obligans ſub imperfectione morali, hoc eſt, taliter, ut illud

illud transgredi non acceptando mortē esset eo ipso imperfectio moralis, quamvis imperfectio moralis Christo metaphysicè repugnet; eadem prorsus ratione intelligitur, & salvatur præceptum moriendi obligans in conscientia, & sub peccato: hoc est taliter, ut illud transgredi esset eo ipso peccatum, quamvis alioquin repugnet etiam metaphysicé Christo peccatum. Maior, quæ præsenti tantum indiget probatione, supponitur à P. Suar. citato *num. 53.* cuius doctrinam de legibus pœnalibus humanis arripiunt avidé Doctores isti: & per se loquendo videtur innegabilis. Tum ex eo quòd eiusmodi præcepta, aut nihil omnino sunt, aut saltem vim habent consiliorum, & quidem non cuiuscumque, sed Superioris: agere autem contra consilium Superioris rectissimi imperfectio moralis est. Tum ex eo quòd subditus minùs observans leges, & præcepta pœnalia alicuius Reipublicæ, fiminùs peccator, saltem moraliter imperfectus ab omnibus reputaretur: sicut è contra perfectus, qui eas leges ad amussim observaret. Tum ex eo quòd in Religionibus iustè reprehenditur, quasi moraliter imperfectus, qui leges, aut regulas non obligantes sub peccato non observat. Tum ex eo quòd imperceptibile est, posse licitè absque peccato, & imperfectione subditum superiori rectissimo severé præcipiēti, dicere; *nolo*. Ego, quidem, quò iustiorem Patrem, & sanctiorem concipio Filium divinum, percipere numquam potero non fore irreverentiam, & imperfectionem saltem moralem Christi, ac proinde ipsi repugnantem, Patri seriò præcipienti, *fac hoc*, & quidem in re gravissima, respondere: *Pater mi, nolo.*

Suar.

67 Audio respondentes, in hoc disparitatem esse inter Superiores creatos respectu subditorum, & inter Superiorem increatum, nempe Deum Patrem respectu Christi: quòd illi non æque complacent in exequutione, ac in non exequutione suorum præceptorum, ideoque est saltem imperfectio moralis nō exequi: nō sic Deus: cùmenim Christo æquè bona foret nolitio, ac volitio acceptandi mortem, æquè placeret Patri nolens, ac volens acceptare; ideoque absque morali imperfectione posset nolle acceptare mortem. Nec esset contra consilium Patris; quia dederat Christo pro consilio quidquid vellet facere.

68 Hæc tamen responsio, præterquam quòd incidit in absurdum à nobis expensum *num. 58.* circa primam partem trilemmatis ibi propositi; non satis occurrit propositis difficultatibus. Supponit enim contra quod satis probatum est, Deum æquè complacere sibi posse in nolitione adimplendi præceptum suum, quæ nolitio est formalis inobedientia, ac in volitione adimplendi præceptum, quæ volitio est formalis obedientia: si enim illa nolitio, ut vidimus, est mala, & peccaminosa, ideoque Christo essentialiter repugnans, essentialiter displicet Deo rectissimo; ac proinde frustra, & repugnantissimé dicitur, æquè placitura Deo, ac volitio adimplendi præceptum sanctissima, & honestissima: non secus ac diceretur de mendacio, aut periurio, si per impossibile patraretur à Christo. Nec illud de consilio locum habet. Nam doctrina illa de consilio dato generaliter Christo à Patre, nequit intelligi circa mala, quę nec posśūt à Christo fieri, nec à Deo consuli. Nec perceptibile est divinū consilīū contra divinū præceptū. Redeunt ergo contra responsionē issā per quæstionē, argumenta eadem efformata ad probandum, stante Patris præcepto de morte, non posse non esse moraliter imperfectam, malam, & peccaminosā nolitionem acceptandi mortem; ideoque Christo impeccabili, nec potenti admittere imperfectiones morales, fieri repugnantem eo ipso quéd à Patre præcipitur mors: nam eo ipso ea nolitio, quæ esset formalis inobedientia, esset impotens cadere sub consilio Dei.

69 Quare, ut verum fatear, multo minùs mihi displicet sententia illa prior extrema aliquorum omnino negantium strictum præceptum moriendi Christo impositum, & utcumque exponentium Scripturas de mandato, seu commissione citra rigorem præcepti; quam ista sententia media ab aliquibus excogitata, asserentibus strictum præceptum in Patre, & negantibus in Filio obligationem obediendi strictam in conscientia, & sub peccato. Est enim, me iudice, aut nihil dicere, aut contradictoria dicere, salvā pace.

SECTIO VI.

Vera sententia de stricto præcepto moriendi obligante in conscientia, imposito Christo à Patre, Scripturis, Patribus, & rationibus comprobatur.

70 TEnenda igitur omnino est communis Patrum, & Theologorum sententia cum S. Thom. Suar. Vasquez, & alijs, utpote Scripturis sacris fine dubio conformior, scilicet Christum circa mor-

S. Thom. Suar. Vasq.

mortem pro nobis ſubeundam habuiſſe ſtrictum Patris præceptum obligans in conſcientia.

71 Fundamentum præcipuum ſumitur ex Scripturis idemtidem id conclamantibus, quatenus voluntatem illam, quam æternus Pater habuit, & Chriſto manifeſtavit, ut pro hominibus moreretur, appellant mandatum, præceptum, & legem Joan 10. *hoc mandatum accepi à Patre*: nempe ponendi animam: & cap. 14 *ſicut mandatum dedit mihi Pater*: nempe eundi per mortem ad ipſum: & cap. 15. *ſicut, & ego Patris mei præcepta ſervavi*: hoc eſt evangelizandi, & inſtruendi homines, propter quod mors iam præſtò aderat. Quò applicuit Paulus Hæbr. 10. illud Davidis Pſ 39. *Deus meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

Joan. 10. 14. & 15. *Hebr.* 10 *Pſal.* 39.

72 Duplex reſponſio. Prima id intelligentium de mandato, & præcepto proprio; non tamen obligante in conſcientia. Quę tamen, ut ſibi repugnans, ſatis explosa manet, *ſec. prac.* Secunda id intelligentium cum Lorca impropriè: non de ſtricto præcepto; ſed de mandato, ſumpto pro ſimplici quaſi commiſſione Patris manifeſtantis Chriſto, ſuam eſſe voluntatem, ſuumque decretum, quòd pro hominibus moreretur; quin tamen id præciperet, aut imperaret. Huic autem liberrimæ reſponſioni reſiſtit primò proprietas ſacrę Scripturæ: præſertim Joa. 15. ubi Chriſtus: *ſi præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea: ſicut ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in eius dilectione.* Mirum profectò eſſet, quòd in eadem brevissimâ clauſulâ uſus fuiſſet Chriſtus voce, *præcepta*, priùs in ſenſu proprio reſpectu aliorum; & mox in improprio, & abuſivo reſpectu ſui. Reſiſtit ſecundò regula ſcitiſſima Auguſtini, quòd verba Scripturæ in ſenſu proprio, & uti ſonant accipienda ſunt, ubi nõ eſt aut repugnãtia, aut inconveniens. Nihil autẽ eſſe aut repugnantiæ, aut inconvenientiæ, in eo quòd prædictæ ſacræ loquutiones capiãtur in ſenſu proprio, uti ſonant, de ſtricto præcepto Patris ſuperioris ad Chriſtum Patri inferiorem, ac ſubiectum, ſatis vidimus *ſec. 4.* ubi reſpondimus ad difficultates contra eiuſmodi præceptum, & ad alias reſpondebimus ad calcem huius Sectionis. Non eſt ergo cur prædictæ Scripturæ in ſenſu proprij præcepti non intelligantur. Reſiſtit tertiò communis intelligentia Sanctorum Patrum, & Interpretum: quorum authoritates ſubijcio.

Lorca *Auguſt.*

73 S. Dionyſ. *cap. 4. de Cæl. Hierarchia* poſt longum diſcurſum loquens de Chriſto, ait: *eumdemque per Angelos Paternis legiſlationibus, ſeu legibus ſubiectum cernimus*, & ſtatim explicat ſe, in ordine ad ſubeundam necem, dum ab Angelo confortatus eſt.

Dionyſ.

74 Athanaſius Sermone, quem refert ſexta Synodus *Actis* ſuper illu[m] Davidis: *Anima mea turbata eſt*: ait: *hominum inobedientia ſolvuntur per admirabilem obedientiam, qua Chriſtus obedivit pro nobis.* Scilicet: *factus obediens uſque ad mortem.* Super quem locum Pauli expendemus ſtatim, admirabilem illam Chriſti obedientiam ſtare non poſſe abſque ſtricto præcepto.

Athan. Pſal. *Philip. 2.*

75 Auguſt. *Tract. 79. in Ioan.* ad illud Joan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater*; clarè admittit ſtrictum moriendi præceptum. Itemque ſibi conſtans alijs in locis apud Toletum, & Hurtadum. Qui ſimilia referunt ex Ambroſio, & alijs Patribus.

Auguſt. Ioan. 14. *Tolet. Hurt. Ambroſ.*

76 Anſelmus lib. 1. *Cur Deus homo cap. 9.* diſerte ſcribit: *Poteſt etiam dici, quia præcepit illi mori Pater, cum hoc præcepit Pater, unde incurreret mortem.* Ut intelligas, quòd quando alibi negare videtur Anſelmus Chriſto præceptum moriẽdi, id intelligit de præcepto directo adciſſendi ſibi mortem: quod præceptũ omnes negamus in limine præſentis quæſtionis: nec aliter hoc Chriſti præceptum aſſerimus, niſi quatenus in præcepto habuit Chriſtus ea præſtare pro hominum ſalute, unde paranda illi erat mors, quam ſic oblatam acceptare debuit ex præcepto.

Anſel.

77 S. Tho. qu. 60. art. 2. ad 1. *Dicendum, quod Chriſtus mandatum accepit à Patre, ut moreretur.* Et ſatis ſe explicat de ſtricto mandato, ſeu præcepto, quale neceſſarium eſt, ut ex ſtricta obedientia moreretur.

S. Thom.

78 Secundum fundamentum ſumitur ex alijs Scripturis commendantibus Chriſti obedientiam in moriendo. Philipp. 2. *humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem.* Et Roman. 5. *Sicut per unius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita, & per unius obeditionem iuſti conſtituuntur multi.* Quæ verba de ſtrictâ obedientiâ intelligenda ſunt, quoad poſſunt, iuxta normam Auguſtini: ſicque intelliguntur paſſim à SS. Patribus. Unde Agatho Papa in ſexta Synodo: *Non quod ego volo, ad humanitatem eius pertinere conſignat: per quam, & obediens ſecundum doctrinam Beati Pauli Apoſtoli Gentium dicitur uſque ad mortem.* Atqui ſtricta obedientia ſupponit ſtrictum præceptum Superioris: ideoque Deus nulli dicitur propriè obedire: ergo habuit Chriſtus à Patre ſtrictum præceptum

Philip. 2. *Roman 5* *Agat.*

morien-

Juſtin. moriendi. Minor eſt communis Scholaſticorũ vox. Et ex Myſticis B. Laurentius Juſtinianus *Opuſc. de mundi contemptu*, id declarat in ipſo Chriſto: *Quæ*, inquit loquens de obedientia, *tunc mera eſt quando præceptum ex ſe obligat, & non ex alia cauſa*: & paulò poſt: *Hanc obedientiam experimento operis Chriſtus didicit, hanc conſummatus in cruce complevit.*

79 Occurri ſolet ex aliorum Patrum dictis cõmendantiũ perfectionẽ obedientiæ, quãdo obediens non expectat præceptũ Superioris; obediens prompté ad ipſius nutum, & voluntatem quomodolibet manifeſtatam. Fuſtra tamen. Aliud enim eſt perfectio obedientiæ arguitivé: aliud propria, & ſtricta obedientia. Exequi voluntatẽ ſuperioris nondum præcipientis, eſt quidem perfectio obedientis, ſeu obedientiæ arguitivè: quatenus qui ad nutum Superioris præſtò adeſt, cenſetur promptior ad præcepta: non eſt tamen formaliter ſtricta, & ptopria obedientia: hæc enim habet ſpecialem ſuam honeſtatem in obſervantia præceptorum, & legum. Sic qui Charitatem eximiè exercet circa proximos eſt eximie pius erga parentes: non quidem ex eo ipſo formaliter, cùm virtus pietatis non dicatur propriè circa extraneos; ſed arguitivé, quatenus qui charitatem exercet erga extraneos, facilé cenſetur exercituras erga ſuos. Quodſi exequi voluntatem ſuperioris quomodolibet manifeſtatam eſt propriè obedientia; cur voluntas ſuperioris quomodolibet manifeſtata non dicetur conſequenter propriũ præceptũ: quod tamẽ dixit nemo. Ut ergo iuxta rigorem Scripturæ ſalvetur propria Chriſti obedientia moriendo, admittendi eſt ſtrictum moriendi præceptum impoſitum Chriſto à Patre iuxta communem, ſinceramque Patrum, & Theologorum intelligentiam.

80 Tertium fundamentum à ratione ſumitur ex hactenus diſputatis. Quia potuiſſe Patrem imponere Chriſto præceptum obligans verè, ac ſtrictè, vidimus *ſectione 3. & 4.* Deinde *ſect. 5.* monſtravimus repugnare proprium præceptum divinum puré formale, & non eo ipſo obligans in conſcientia. Denique vidimus in præſenti ex Scripturis propriè & ſinceré intellectis, de facto impoſitum fuiſſe Chriſto præceptum divinum ſtrictum acceptandi mortem pro hominibus: ergo præceptum propriè obligans in conſcientia, quod eſt noſtra concluſio.

Lorca Joan. 10. 81 Objicit Lorca: quod *Ioan. 10.* dixit Chriſtus: *Poteſtatem habeo ponendi animam meam*: ſcilicet per mortem, *& poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*: ſcilicet per reſurrectionem: & ſubdit: *hoc mandatum accepi à Patre.* Non autem habuit ſtrictum præceptum reſurgendi, niſi dicamus egiſſe omnia ex præcepto: ergo ex Scriptura ipſa ducimur ad interpretandum id, etiam quo ad mortẽ, de mandato improprie dicto pro quacumque voluntate Patris. Reſpondetur, Chriſtum de mandato, & præcepto proprio id dixiſſe. Non autem eſt neceſſe illud mandatum referre ad reſurrectionem; ſed ad id in quo tunc Redemptor verſabatur, nempe ad ſui oblationem ſpontaneam per mortem: quaſi diceret, quod in ſua erat poteſtate mori, ut poſtea reſurgeret; dixerat enim: *pono animã meam, ut iterum ſumam eam*: tunc verò in eo verſabatur, ut moreretur iuxta mandatum Paternum ſcilicet moriendi, quod erat præſens negotium.

Lauræa 82 Objicit ſecundò Card de Lauræa *diſp. 17. art 8. num* 155. illud Chriſti Joan. 10. *animam meam nemo tollit à me: poteſtatem habeo ponendi eam.* Ubi Chr ſoſt. Homil. 59. *præcepto non indigere oſtendens. Quodſi indigeret, quomodo à ſe ipſo ponere dixiſſet: qui à ſe ipſo ponit, præcepto non indiget.* Et opponens ſibi quod ſubditur: *hoc mandatum accepi à Patre*; concludit: *non autem aliud hoc in loco præceptum ſignat, quam cum Patre concordiam.* Et paulò poſt: *ſi præcepto fuiſſet opus, quid attinebat illum dicere, à me ipſo pono: quippe qui à ſe ipſo ponit, nihil habet opus præcepto.* Ecce ergo Chriſoſtomum ex ipſa Scriptura negantem ſtrictum moriendi præceptum.

83 Reſpondetur, rectè ſtare dictum illud Chriſti cum præcepto moriendi ea ratione, qua videbimus *diſp 16.* ſtare cum præcepto moriendi, libertatem moriendi. Unde, & ex præcepto mortuus eſt, quia hoc mandatum accepit à Patre; & à ſe ipſo mortuus eſt, ipſeque ita poſuit animam ſuam, ut nemo ipſã vi tolleret niſi ipſo permittente: quia liberrimé mortuus eſt adhuc poſito præcepto. Ad Chriſoſtomum ſatius eſt fateri in oppoſita fuiſſe ſententia cum aliquibus alijs Græcis; ſed minùs genuinè. Forté, ut omnem occaſionem tolleret Arianis præceptum iſtud applicandi Verbo, indeque arguendi Verbi minoritatem, ut inferrent eſſe creaturam. Adde, Chriſoſtomum in verbis citatis ſolùm inferre, præceptum non fuiſſe neceſſarium, quod fatebimur; ex quo tamen non infertur, de facto non fuiſſe. *infra. diſp. 16.*

84 Opponunt tertiò alij. Cui impoſſibilis eſt culpa, imponi nequit obligatio ſub culpa: ſed Chriſto eſt omninò impoſſibilis culpa: ergo nequit illi imponi obligatio ſub cul-

culpa. Maior probatur: quia tale præceptum conſiſtens in voluntate Dei comminante culpam, niſi fiat res præcepta, eſſet ridiculum, quia comminaretur culpam illi, cui repugnat culpa, & ſub conditione impoſſibili, nempé tranſgreſſionis præcepti. Confirmãt: quia ob ſimilem rationem lex naturalis, quæ obligat alios ſub culpa, non comprehendit Chriſtum: quippé ratione ſuæ ſanctitatis redditur incapax ejus obligationis, & ſummè determinatus ad id, ad quod cæteros obligat lex.

85 Reſpondi iamdiu ad hoc argumentum negando maiorem. Quia ad rationem præcepti directivi ſufficit ſpecialis voluntas interpoſitiva auctoritatis Superioris intimata ſubdito aliàs libero reddens illicitam actionẽ moralem: ſivé eo ipſo hæc actio reddatur illi impoſſibilis, ut accidit in Chriſto eſſentialiter impeccabili; ſive non, ut accidit in alijs. Nam de ratione legis eſt reddere ſubditis impoſſibilem actionem oppoſitam legi: aut quidem moraliter dumtaxat impoſſibilem, & impoſſibilitate juris, quo ſenſu id ſolùm poſſumus quod jure poſſumus, id eſt, quod licitè poſſumus; aut phyſicé etiam impoſſibilem, & impoſſibilitate facti, ut eſt in ſubdito aliquin omninò incapaci illicitè agere. Quod non eſt contra rationem legis perfectiſſimæ; ſed addit eximiam perfectionem ſubditi. Quam reſponſionem innuit ſapienter P. Suarez *nu. 67.* *Suar.*

86 Illam tamen impugnat prædoctus é noſtris Magiſter: quia ea voluntas ſpecialis Superioris reddens in conſcientia illicitam actionem non poteſt eſſe alia, quàm volens ſub pœna peccati ſubditum obligare: ſed nõ poteſt ſic velle obligare eum, qui eſt incapax peccati: vellet enim aliquid ſub conditione impoſſibili: ergo. Nec effugitur, inquit, argumentum vis, dicendo, præceptum Chriſto impoſitum eſſe directivum, non coactivum. Nam quid magis coactivum, quàm id, cui reſiſti non poteſt, quamvis quis vellet. Confirmat: quia omne præceptum obligans in conſcientia eſt coactivum: nam obligat ſub pœna æterna, vel temporali, ſub odio, vel diſplicentiâ Dei. Unde ratio legis directivæ dumtaxat, & non coactivæ, aptatur unicé legi humanæ potenti aliquos obligare directivé, & non coactivé; quia non ſemper extenditur juriſdictio ad pœnas civiles infligendas illis, quos directivé obligat: hoc autem non quadrat in præceptum Dei obligans in conſcientia.

87 His tamen non obſtantibus, perſiſto in mea reſponſione. Juxta quam reſpondeo formaliùs ad objectionem, negando majorem. Quia neceſſitatus phyſicé ad non peccandum poteſt de novo ſuſcipere obligationem moralem, ut patet in ipſo Chriſto: ſi promitteret, ſe non dicturum mendacium: per eam enim promiſſionem induceretur nova obligatio fidelitatis, quâ in conſcientia ſub peccato infidelitatis teneretur non mentiri, quamvis aliunde ſupponeretur obligatus à veracitate ad non mentiendum, taliter ut ſi aliter, ac ſentit, loqueretur, eſſet mendax, ut ipſe teſtatus eſt *Joan. 8.* quamvis aliũde habeat impoſſibilitatem phyſicam non mentiendi. In probatione majoris ſupponitur falſum, quod tale præceptum conſiſtat in voluntate Dei comminativâ culpæ; cùm non ſit, nec poſſit eſſe præceptum comminativum culpæ ob rationem, quam *ſec. 4. num. 67.* dedimus ex P. Suarez; ſed ſit purè directivum, per ſe ipſum in actu exercito taliter conſtituens Chriſtum, ut ſi illud tranſgrederetur, peccaret, quamvis nec poſſit peccare, nec tranſgredi: ſicut peccaret, ſi mentiretur, quamvis nec poſſit mentiri, nec peccare: eſſet infidelis, ſi non adimpleret promiſſionem, quamvis nec poſſit violare promiſſionem, nec eſſe infidelis. *Suar.*

88 Ad confirmationem, omninò negandum eſt, Chriſtum non ſtrictiſſimè teneri lege naturali, ut ex S. Thom. & P. Suarez cum communi Theologorum viditus *num. 34.* & idem P. Suarez ibi citatus idem repetit ſibi conſtans *tom. 1. in 3 part. diſp. 43. ſec. 2.* Quinimò ex hac obligatione Chriſti in conſcientia ad legem naturalem ſumitur argumentum ad poſſibilitatem præcepti divini obligantis Chriſtum in conſcientia, quod defendimus de facto. *S. Tho.* *Suar.*

89 Ad impugnationem huius noſtræ reſponſionis poſitam *num. 86.* diſtinguatur maior: voluntas Superioris reddens illicitam actionem non poteſt eſſe alia, quàm volens ſub pœna peccati ſubditum obligare, comminando peccatum, nego: ſive comminando peccatum, quando ſubditus eſt capax peccati; ſive merè obligando directivé, & in actu exercito abſque comminatione, concedo maiorem. Et in hoc ſecundo ſenſu negatâ minori, negetur conſequentia. Hos terminos explicuimus ex Patre Suar. *num. 67.* Et addo nunc inſtantiam manifeſtiſſimam in promiſſione, cujus obligationem potuit ſibi imponere Chriſtus, quantumvis impeccabilis: non quidem ſibi comminando peccatum; ſed reddendo ſe per eam in actu exercito ſic cõſtitutum, ut ſi eſſet infidelis, eo ipſo peccaret. Nec effugitur perinde vis argumenti, ſed infringitur, niſi nomine præcepti coactivi aliud intelligat impugnator, quàm præceptum comminatorium à nobis explicatum, quod eſſet extra rem. *Suar.*

90 Hinc ad confirmationem negatur major, si nomine præcepti coactivi significetur præceptum comminatorium, à nobis explicatum ex P. Suarez. Quinimò præceptum hujusmodi comminatorium requirit in subdito potestatem; & emtingentiam inobediendi: ideóque comminatur pœnam, ut subditus alioquin capax transgrediendi absterreatur saltem formidine pœnæ. Atque inde est ex Patre Suarez, quòd erga Christum incapacem peccandi repugnet, tàm comminatio divina culpæ, quàm pœnæ: cùm esset comminatio inusta; & indigna Deo, utpotè de re impossibili. Quodsi aliud intelligit impugnator nomine præcepti coactivi, scilicet præceptum obligans sub culpa, & pœna, quamvis sit merè obligatorium, & non comminatorium; dicã, eàdem ratione, qua Christus ex Patris præcepto constituitur sic moraliter obligatus in actu exercito, ut si contra præceptum ageret, peccaret; constitui etiam taliter obligatum ut si contra faceret, fieret dignus odio Dei, & pœna peccati: sicut si per impossibile peieraret, aut graviter mentiretur, aut deesset promissis. Quid inde? Vide dicta *sect. 4.* Adde, quòd in via Adversariorũ, præsertim primæ sententiæ, abbi nobiscũ judicantiũ impossibiles esse quoq; Christe, & Beatis imperfectiones morales, non posset illis Deus non solum quidquam præcipere, sed ne quidem consulere: nã eo ipso foret imperfectio moralis, ac proinde prorsus impossibile, nõ acquiescere.

Suar.

Suar.

SECTIO VII.

An lege naturali charitatis proximi, independenter à speciali præcepto divino, teneretur Christus subire mortem pro hominibus.

91 SI Christi mors non esset medium necessarium ad hominum redemptionẽ, certum est, Christum non obligatum iri ad subeundam mortem ex lege Charitatis. Dubium est, statucâ Dei Lege relinquendi homines irredemptos, nisi pro illis moreretur Christus; nullo tamen imposito speciali præcepto de morte, sed relinquẽdo Christũ in obligatione legis naturalis.

92 Negat in tali casu, Christum obligandum ad mortem lege naturali P. Thyrsus *tom. 3. disp. 29. sect. ult.* citans Hurtadum, Uvadingum & alios. Quia præceptum naturale non obligat ad exponendabona præstantiora, & superioris ordinis pro bono inferioris ordinis: sed vita Christi est bonum superioris ordinis præstantius bono salutis totius mundi: ergo, &c. Si respondeatur cum aliquibus, id fore verum, si vitæ Christi irreparabiliter destruenda foret; non verò si ad breve duraret tempus, mox per gloriosissimam resurrectionem reparanda.

Thyrsus.

Hurt. Vvad.

93 Urget: nam vita Christi etiam per breve tempus durans, cùm sit valoris infiniti, est majoris æstimationis, quàm totius mundi salus. Deinde rogat: an lege charitatis teneretur Christus vitam corporalem exponere pro salute spirituali hominum, casu quo diutiús differenda esset resurrectio. Si id quoque affirmetur, insufficiens est illa responsio de amissione vitæ per breve tempus. Id autem debere affirmari probat paritas, qua utitur contraria sententia ex puris hominibus: non enim pro salute spirituali proximorum tenemur lege charitatis exponere vitam pro tempore diuturno, scilicet non reparandam usque ad resurrectionem generalem in fine mundi. Cur ergo non etiam Christus, si ejus obligatio ex lege naturali pensanda est ad instar nostri? Si verò id negetur pro diuturno tempore; ergo nec per breve tempus potest contedi, quia etiam per breve tempus est vita Christi valoris simpliciter infiniti; ideóque bonum præstantius salute generis humani.

94 Argumentatur aliter Hurtadus *disp. 79 sect. 4.* Quia Christus, ut homo, constitutus fuit à Deo Iudex hominum: ergo inter alia supplicia pro hominum culpis poterat statuere illorum irredemptionem: natura & hoc quoque supplicio eramus digni: nimirũm ipse tenebatur ullâ lege abstinere ab hoc supplicio: ergo, non obstante lege charitatis, poterat ut Iudex homines damnare ad hujusmodi supplicium, seque ab obligatione nos per mortem redimendi immunem facere: utique non agens nobiscum lege charitatis, sed justitiæ. Confirmat. Quia propterea Prætor potens levi suo incommodo reum eripere è manu carnificis, non ad id tenetur, sicut fortè teneretur privatus alter. Sic ergo Christus vindicaret injurias illatas Deo ab hominibus, illos puniens supplicio irredemptionis, ut potuit punire Pater, qui *non iudicat quemquam*; sed eam potestatem dedit Filio, ut homini, quem constituit Iudicem universorum.

Hurt.

Ioan. 5.

95 Nihilominus affirmant è contra P. Suarez *disp. 43. sect. 4.* & Bernal *disp. 57 sect. 4.* citans Ragusam, & alios: & rursim Magister Lumbier *quæst. 33. art. 1. & 2.* Ratio est lex ipsa charitatis proximorum, qua tenemur invicem vitam temporalem nostram postponere æternæ aliorum salutinon autem videtur rationabile, Christum in eo casu eripiendi

Suar. Bernal. Ragus. Lumb.

piendi proximos ſuos è tantâ miſeriâ æternæ, & irreparabilis damnationis, ſi temporalem ipſe mortem oppeteret, exemptum fore à tali obligatione, ut eſſet ipſi licitum, ſinere nos perire irreparabiliter.

96 Confirmatur. Si Chriſtus, ut homo, noſſet neceſſariam eſſe ejus mortem, né homines graviſſimè peccarent, quamvis non irreparabiliter, certé teneretur lege Charitatis offerre ſe morti, ne peccarent homines, ne Deus ſic offenderetur. Sic ergo, ſuppoſitâ totius mundi ruinâ, nec ſuppetente alio remedio, niſi Chriſti morte, teneretur mori, ne miſerrimè ad tartara detruſi æterna morte damnaremur.

97 Inſuper. Si noſſet Chriſtus, eſſe ſibi medium neceſſarium multa pati, ut meretetur gloriam, & reſurrectionem ad vitam immortalem; ex ipſa certé lege naturali charitatis propriæ teneretur pati propter tantum bonū humanitatis ſuæ, aliter non adepturæ finem ultimum. Ad hunc ergo modum intelligenda venit ſimilis obligatio propter æternam gloriam proximorum alioquin irreparabiliter perituorum in æternum.

98 Inclino in partem iſtam affirmantem. Ex eo maximé, quòd rationes oppoſitæ ſi quid probant, probarent certé, Chriſtum in eo caſu non ſolum non obligandum lege Charitatis proximi mortem ſubire; verúm ne leviſſimum quidem dolorem, aut incommodum ſicque poſſet ſpiritualem, & æternam ſocius mundi ruinam irreparatam, & irreparabilem relinquere, quamvis uno, ut ſic dicam ſuſpirio ſuo mundum reparare poſſet: ne ſcilicet dolorem, aut ſuſpirium infiniti valoris meritorij poſtponeret hominum ſalutī quod tamē eſt mihi incredibile, & legi naturali charitatis hominis ad homines diſſentaneum. Probarent etiam, Chriſtum in eo caſu non ſolùm non teneri, ſed nec licitè poſſe vitam ſuam corporalem pro ſalute hominum exponere: quia eſſet prodigere bonum infinitè majus pro infinitè minori cum deordinatione eorum bonorum, quæ moraliter dedecerēt Chriſtum non potentem agere, niſi ordinatiſſimé. Quod etiam abſurdum eſt à nemine dicendum?

99 Ad rationem oppoſitam *num. 92.* rejectis aliorum ſolutionibus, reſpondet tutiús Bernal *num. 115.* negans majorem, quando unum bonum in ſe ipſo majus, & æſtimabilius altero ſecundum ſe ſpectato, eſt ordinabile ad iſtud obtinendum: tunc enim non eſt abſurdum, quód in aliquibus caſibus, & circumſtantijs adſit obligatio poſtponendi majus bonum minori bono. Unio quidem Hypoſtatica, ſi ſecundum ſe ſpectetur, majus bonum eſt hominum ſalute; credibilius tamen ad hominum ſalutem: ut ſcimus de facto ſic fuiſſe ordinatam à Deo: quin ſicut pro libito poteſt illam producere, & deſtruere, ita & ad hominum ſalutem illam ordinare. Et idem dico de vita, & de actibus Chriſti. Cum igitur ad eum finem humanæ ſalutis ordinata hæc fuerint, non eſt inconveniens, quód in caſu, quo ad eum finem non modo utilis, verúmetiam neceſſaria foret eorum jactura, poſſet Chriſtus in ijs aliquam ſæturam facere horum majorum bonorum pro bono ſecundum ſe minori ſalutis æternæ proximorum. Si autem ſine deordinatione id poſſet, ex lege Charitatis teneretur, né tot hominum mala manerent irreparabilia. Contra hunc modum reſpōdendi non procedit ratio P. Thyrſi, alioquin efficax contra alias reſponſiones.

Bernal.

100 Ad argumentum Hurtadi poſitum *num. 94.* reſpondet primò Bernal, non evertere concluſionem, quam impugnat: recurrit enim ad officium Iudicis contingens Chriſto, ut homini: unde non adimitur Chriſto Deo homini obligatio illa naturalis exponendi vitam ſuam, ſi neceſſaria foret ad hominum redemptionem ſeorſim ab officio Iudicis: quòd officium delegare Deus poſſet homini puro: de quo per eamdem rationem idem dicturus eſſet Hurtadus, ſcilicet exemptum iri in ſimili caſu ab obligatione charitatis exponendi vitam ſuam pro redemptione totius mundi, alioquin in æternum perituri.

101 Reſpondet ſecundò: Eam poteſtatem judiciariam Chriſtum de facto meruiſſe per actum redimendi homines, exponendo vitam ſuam pro illorum ſalute. Unde, ſi rem ea præſenti facto conſideremus, in caſu à nobis propoſito nō eſt cur ſupponatur in Chriſto ea judiciaria poteſtas, donec per mortem ſuam homines redimeret.

102 Reſpondet tertiò: ex nulla Dei lege deferri potuiſſe Chriſto, quatenus homini huiuſmodi poteſtatem judiciariam, ut ſi vellet in eo caſu pro hominibus mori, redimeret mundum; ſi nollet, licitè relinqueret irredemptum: non enim poſſet eſſe licitum, quod eſſet intrinſecé malum contra legem naturalem charitatis proximi. Unde nullum eſt, inquit, exemplum Prætoris humani: nam hic inſtituitur aliter à Republica ad puniendā delicta tradendo reos carnifici: quare, ſive ſine incommodo, ſive cum aliquo ſuo incōmodo, peccaret eos eripiendo. Chriſtus verò, ut homo conſtitutus eſt Iudex in præmium redemptionis per ipſius mortem factæ: proinde non niſi ad puniendos reos, prævia redemptione hominum per mortem ſuam.

DISPUTATIO XII.

DE

SACERDOTIO, MEDIATIONE, ET REGNO Chriſti.

1 TRIA hæc perſtringam ſub brevibus ex multis, quæ de iſs leguntur apud Controverſiſtas, & Scripturarios. Pro Scholaſticis, plura qui velit, adeat Patrem Suarez *diſp. 46. 47. & 48. & in Comment. ad quæſt. 26.* & ſpecialiter pro Chriſti Regno Eminentiſſ. Cardinalem Capiſuccum in doctiſſimis, ac noviſſimis ſuis Selectis Theologicis *tom. 1. controverſ. 17. & 19.*

Suar.

Capiſuc.

SECTIO I.

Qua ratione conveniat Chriſto eſſe Sacerdotem: & quodnam ipſius Sacrificium?

2 TV es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, inclamat ad Chriſtum prophetice David. Unde Chriſti Sacerdotium comprobat Apoſtolus *ad Hebr. à cap. 5. ad 10.* Et habetur de Fide definitum in Epheſin. *can. 10.* & in Trid. *ſeſſ. 22. can. 1. & 2* Ratio à priori ſumitur ex definitione Sacerdotis, quam adumbravit Paulus *Hebr. 5. Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia*: & alij reducunt ad hos terminos: *Miniſter Dei per publicam auctoritatem conſtitutus ad ſacrificium offerendum.* Quæ omnia Chriſto Domino aptiſſimè conveniunt. Sacerdos ergo fuit in ordine ad veriſſimum ſacrificium: imò, & Sacerdos, ac Pontifex Summus ſupra reliquos omnes Sacerdotes.

Pſal. 109

Hebr.
Epheſ.
Trid.

Hebr. 5.

3 At cur *Sacerdos in æternum*; cùm tamen una oblatione conſummaverit omnia? Reſpondent aliqui, ex eo ſolùm, quòd effectus obtentus prædeſtinatis per ſacrificium Crucis ſit æternus. Hæc tamen reſponſio eſt inſufficiens: & ex eo deferenda, quòd ea cõtenti ſint Hæretici, ut negent Sacrificium Miſſæ. Reſpondent alij, ex eo quòd forma ſui Sacerdotij, nempé unio hypoſtatica, ſit æterna. At ad hunc modum, alij etiam poſſent dici Sacerdotes in æternum, quorum nempè caractar Sacerdotalis æternus eſt. Reſpondetur meliùs, ex eo quòd habeat Sacerdotium cum exercitio ſacrificandi tamdiu, quamdiu opus, & locus erit ſacrificio, ſcilicèt uſque ad conſummationem ſæculi: ita ut nullum ſit jam unquam verum ſacrificium offerendum, quod à Chriſto Sacerdote Summo non offeratur: Id quod nulli alteri Sacerdoti convenit. Huic explicationi, æternitatem Sacerdotij Chriſti intelligenti etiam in ordine ad ſacrificium Euchariſticum incruentum, favet Trident. *ſeſſ. 22. c. 1.* dicens: *Quia tamen per mortem Sacerdotium eius extinguendum non erat; in Cenâ noviſſimâ, quâ nocte tradebatur, ut dilecta ſponſa ſua vi ſibile relinqueret ſacrificium, quo cruentum illud repreſentaretur, Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech ſe in æternum declarans; corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ſucceſſoribus ut offerrent præcepit.* Nec eſt novum in Scriptura per æternitatem ſignificari rem diutiſſimè duraturam, ut *Gen. 17.* ubi dicitur Deus Abrahæ promiſiſſe terram Chanaan *in poſſeſſionem æternam*, id eſt, diutiſſimè duraturam: & præſertim ſi indefinitè uſque ad finem mundi: ut videre eſt apud Cornelium *ad cap. 1. Hebr. verſ.*

Trid.

Gen. 17.

Cornel.

Digitized by Google

vers.1. & ad c.7. vers.17.

4 Cur *secundum ordinem Melchisedech?* Respondetur, ex eo præcipuè, quòd Christus non ex ordine Aaronico; cùm non fuerit de Tribu Levi, nec obtulerit oves, & boves juxta ritum Legis scriptæ sed ad similitudinem Melchisedechi, qui fuit Sacerdos Legis naturæ, multò tamen excellentiùs, constitutus est Sacerdos Legis Gratiæ: in qua offertur sacrificium Eucharisticum sub speciebus panis, ac vini, typicè figuratum in sacrificio Melchisedechi Regis Salem, qui *proferens panem, & vinũ, ut Sacerdos Dei Altissimi, benedixit Abrahamo.* Non quòd Christus fuerit Sacerdos ejusdem ordinis cum Melchisedecho, aut aliorum legis naturæ; sicut nec ejusdem ordinis cum Aaron, aut aliorum legis scriptæ; nec omninò aliorum legis Gratiæ, qui ex ipsius institutione sunt ejus Ministri, ut discurrit rectè Suar. *disp 46. sec. 3.* sed quia multò omnibus excellentiori Sacerdotio functus, in oblatione sacrificij Eucharistici sub speciebus panis, ac vini speciali ordinatione, & analogico respectu imitatus est oblationem Melchisedechi. Plura Cornelius cit. Quis fuerit Melchisedechus, quomodo sine Patre, & sine Matre, præter Auctores cit. discusit eruditè Card. Capisucus *to.1. contr.18.*

Gen.14. *Suar.* *Capisuc.*

5 Circa formam Sacerdotij Christi putandum non est, eam fuisse carectetem aliquem, aut formam aliam accidentalem, ut est in alijs Sacerdotibus; sed esse ipsam unionem substantialem hypostaticam: quæ ob id etiam vocatur à SS. Patribus *unctio*, humanitatem illam substantialiter Deo sacrans: accedente tamen Dei ordinatione in munus illud Sacerdotale, ut benè advertit Bernal *disp 60. sec.1.* ubi definit Sacerdotem: *rationalis creatura per publicam auctoritatem constituta ad sacrificium offerendum.* Inde S. Clemens *lib.8. Constit. cap.46.* ait, Christum esse naturâ Pontificem; hoc est, substantialiter per unionem; tanquam per formam intrinsecam sui Sacerdotij, & Summi Pontificatus.

Bernal. *Clem.*

6 Controversia superest cum Hæreticis: an Christus, *ut homo*, an, *ut Deus*, sic verè què dicatur Sacerdos. Volunt Hæretici, Christum, ut Deum, secundum divinitatem, esse Sacerdotem; &, ut hominem, secundum humanitatem, non esse Sacerdotem, sed hostiam, victimam, & sacrificium. Calvinus, & Petrus Martyr *in Epistolis ad Polonos*, scripsere Christum secundum utramquè naturam, tam divinam, quàm humanam, fuisse, ac dici debere Sacerdotem.

Calvin.

7 Dicendum est tamen, Christum, ut *hominem*, esse Sacerdotem, sicut intercedentem, & orantem; non verò ut Deum, secundum naturam divinam. Patet: quia *ut Deus*, sivè secundum naturam divinam, non habet superiorem, cui obsequatur offerens sacrificium, ad quod ordinatur sacerdotium. Unde, sicut Christus nec orabat, nec merebatur, nec est minor Patre, nisi, *ut homo*; sic nec sacrificabat, nec est Sacerdos, nisi *ut homo*, & secundum naturam humanam: quia sacrificare est actus obsequij, & cultûs.

8 Objicies. Christus, *ut homo*, fuit Hostia, sive victima mactata in sacrificio: ergo vel ipse non fuit Sacerdos, vel saltem non fuit Sacerdos, *ut homo*. Probatur consequentia. Nam Sacerdotis est, victimam offerre, & mactare: si autem Christus victimam in eo sacrificio mactasset, mactasset, & occidisset se ipsum: cùm tamen non fuerit suicida; sed absque sua inductione interfectus à Iudæis; à quibus quasi per opprobrium audivit Ioan.8. *nunquid interficies semetipsum?*

Ioan.

9 Respondent aliqui, ad rationem Sacerdotis sufficere, quòd moraliter hostiam mactet: hoc autem fecit Christus *oblatus quia ipse voluit*, & tradens *semetipsum oblationem, & hostiam*, cùm facilè posset mortem evitare. Nec proinde fuit suicida: nam hoc sonat, se iniquè occidere: quod tamen minimè perpetravit: nec enim tenebatur, quamvis posset, modis omnibus mortem effugere. Nec dicas, sic, & Martyres se sponte morti offerentes posse dici, sacrificium strictum sui facere, velut Sacerdotes sacrificantes se ipsos, quasi victimas. Negatur enim consequutio. Nam ad rationem Sacerdotis, & sacrificij strictè dicti requiritur institutio in id muneris ex publicâ auctoritate: quod deest in Martyribus, & adfuit in Christo juxta illud Pauli: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, &c.* ut expendimus *num.2. & 5.* Dicas *strictè dicti*: loquimur enim de Sacerdote, & sacrificio rigoresè acceptis. Largo autem, & impropriſſimo modo, non solum de Martyribus, sed de multis alijs dicimus, sacrificium sui, vel suarum rerum Deo facere: juxta illud Davidis: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus*: & Apoc. 5. *fecisti nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes.*

Isai.53. *Ephes.5.* *Hab.5.* *Psal.50.* *Apoc.5.*

10 Alij verò, non satis acquiescentes huic responsioni, pressiùs, ac singulariùs explicant modum, quo Christus seſe obtulit, & sacrificavit absque turpitudine suicidij. Nam etiam post illata vulnera lethalia erat Dominus suæ vitæ, potens illam sibi conservare: quod significavit expirans clamando valide voce magnâ, quasi ostentans virtutem, qua posset adhuc non mori: in quo differt etiam

ab alijs Martyribus, non potentibus vitam conservare post vulnera lethalia. Itaque Christus, suspendens pro libito conservationem suæ vitæ ad exigentiam vulnerum, dicitur quodámodo magis propriè, quàm alij Martyres, mortem subijsse, ac se ipsum sacrificasse. Nec propterea dicendus est suicida, aut sui occisor: hoc enim ex usu vocabuli non dicitur nisi de iniquis inflictoribus vulnerum: quæ tamen Christus sibi non intulit; sed illis iniquè illatis cessit, nullo jure obligatus vitam sibi miraculosè conservare. Nec id excusavit percussores ab homicidio: nam Christus non cessit jure, quod habebat, né vulneraretur; sed jure, & potestate, quàm habebat ad conservandam vitã post vulnera. Videatur Hurt. *disp.* 80. satis præoccupans, quæ contra hanc responsionem molitur Bernal *disput. 60. sec. 2.*

Hurt. *Bernal.*

11 Ex ijs in forma ad objectionem *n.* 8. concesso antecedente, nego consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens: Sacerdotis est victimam offerre, & mactare per physicam percussionem, seu positivam interfectionem victimæ, nego: sive per physicam percussionem, ut sæpè licitè fieri consuevit; sive per alium modum immolandi eamdem victimam, concedo. Hic autem modus in Christo fuit, aut se sponte morti offerre juxta priorem responsionem, aut strictiùs juxta posteriorem licitè nolle sibi conservare vitam, ut poterat, post inflicta vulnera lethalia iniquorum interfectorum. Nec perinde dicendus est suicida, aut nefarius sui occisor, ut interfeciſſe semetipsum, hoc enim sonat, sibi injeciſſe manus: quod ipsi exprobrare volebant Iudæi *Joan 8.*

12 Sacrificium, in quo Christus exercuit suum Sacerdotium, duplex fuit. Unum cruentum in ara Crucis: & hoc quidem semel: de quo est illud Pauli Hæbr. 10. *Unâ enim oblatione consummavit in sempiternũ sanctificatos:* in Pascha te, quod erat tempus pro Agno Paschali; & extra Civitatem, & extra Castra, qui erat locus destinatus sacrificio pro peccatis. Aliud, incruentum Eucharisticum in ultimâ Cœnâ: quod tunc immolavit primó per se Christus, immolaturus deinceps per Sacerdotes Legis Gratiæ, tanquam per Ministros suos, usque ad consummationem sæculi: de quo *disp. ult. de Eucharistia.* Utrumque habet Trident. *sess. 22. cap. 1.* ibi *Is igitur Deus, & Dominus noster, etsi semel seipsum in Ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, &c. Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans; corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, &* *vini Deo Patri obtulit, &c. & successoribus, ut offerrent, præcepit.* Et cap. 2. *Idem nunc offerens Sacerdotum Ministerio, qui se ipsum tunc in Cruce obtulit.* Fructum sacrificij Eucharistici idemtidem in Ecclesia repetendi, non obstante quód in Cruce unâ oblatione dicatur consummasse in sempiternum, explicabimus contra Hæreticos *loco cit. de Eucharistia.*

Hebr. 10. *Infra disp ult.* *Trident.*

13 Præter hæc duo sacrificia exercuit etiam Christus aliud sacrificium per immolationem Agni Paschalis, ut ex Suarez expendit erudite Bernal §. 2. *à num. 47.* postquam dixerat, Sacerdotium strictum Christi in sacrificio Eucharistico esse expressiùs definitum ab Ecclesia, quàm in sacrificio Crucis. Sed utrumque certum esse supponit, & est communis, ac indubitabilis sensus Ecclesiæ.

Suar. *Bern.*

SECTIO II.

Qua ratione sit Christus verè Mediator.

14 *Unus est Deus, unus & Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus.* 1. Timoth. 2. Et Hæbr. 9. & 12. vocatur Christus: *Mediator novi Testamenti.* Et est de Fide. At quâ ratione mediator? S. Thom. id tractans *quæst. 26.* & in ejus comm. P. Suar. omissâ mediatione substantiali, qua posset dici Christus, nec purus Deus, nec purus homo; sed Deus simul, & homo, quasi medius inter illa extrema, & ex utroque substantialiter participans; supponunt, hîc nobis sermonem esse, de mediatione non tam pro substantia, quàm pro munere, & officio Christi: quamvis munus hoc fundetur in ejus substantia. Quo sensu Mediator est, qui inter personas dissidentes intercedit, ut eas invicem reconciliet: sive rogando, sive conditiones pacificationis proponendo, sive satisfaciendo parti læsæ, sive pro lædente merendo, & ipsam reconciliationẽ, & amicitiam perficiendo.

1. Tim 2. *Hebr 9.* *S. Tho.*

15 Christus ergo, cùm id absolutissimè præstiterit, verè Mediator fuit. Dissidebant enim inter se Deus, & homines, & natura humana per peccatum erat Deo invisa, ac inimica: Christus autem pro illa Deo satisfecit, apud Deum meruit, rogavit, & quantum in ipso est, inimicitias abstulit, & amicitiam sufficienter perfecit.

16 At qua ratione fuit unus Mediator? Ratio dubitandi est 1. primò, quia Spiritus etiam Sanctus, ut dicitur Rom 8. *interpellat pro nobis ad Deum gemitibus inenarrabilibus.*

Rom. 8.

libet. Secundò, quia B. etiam Virgo, Angeli, alijque Sancti, & Sacerdotes ſuis precibus, ac meritis mediant inter Deum, & peccatores, ut eos Deo reconcilient, ergo non ſolus Chriſtus *unus Mediator* eſt; ſed alij etiam ſunt Mediatores præter Chriſtum.

17 Reſpondetur tamen, rectè dici Chriſtum unum Mediatorem, loquendo de abſolutâ, & perfectiſſimâ mediatione. Quia ſolus Chriſtus potuit ſatisfacere condignè pro offenſis generis humani erga Deum: & omnes mediationes B. Virginis, & Sanctorum ſunt infinitè inferiores, & fundantur in meritis Chriſti perfectiſſimi Mediatoris. Sic dicitur Chriſtus ſingulariter *Paſtor bonus*, & *lux vera*: quamvis alij ſint etiam boni Paſtores; & Apoſtolis dixerit etiam Chriſtus ipſe: *Vos eſtis lux mundi*: cum infinita tamen inferioritate ad Chriſtum. Quâ phraſi uſus eſt etiam Chriſtus Marc. 10. *Nemo bonus, niſi unus Deus*: quamvis intra Deum ſint etiâ alij finitè boni.

Ioan. 1. & 11.

Matt. 5.

Marc. 10

18 Ad primam rationem dubitandi dicendum ex S. Thom. art. 1. *Quòd Spiritus Sanctus, cùm ſit per omnia Deo æqualis, non poteſt dici medius, vel Mediator inter Deum, & homines; ſed ſolus Chriſtus, qui, licet ſecundum divinitatem æqualis ſit Patri, tamen ſecundum humanitatem minor eſt Patre.* Hæc enim minoritas requiſita eſt, ut per orationem, ſatisfactionem, & meritum ſuum potuerit reconciliare homines cum Deo. Pergit S. Tho. *Dicitur autem Spiritus S. interpellare pro nobis, quia ipſe interpellare nos facit*: ut ex alijs etiam Patribus, præſertim Auguſtino, exponemus *diſputat. 18. ſect. 1.*

S. Tho.

Infra diſp. 18.

19 Ad ſecundam fatendum eſt, alios etiam eſſe mediatores: dependenter tamen à Mediatione Chriſti, & infinitè inferiores, ut dixi *num. 17.* Sicque non tollit, quominus per excellentiam dici queat Chriſtus abſolutiſſimè, *unus Mediator*: ſicut, *unus Magiſter*, Matth. 23. quamvis alij poſſint eſſe Magiſtri longiſſimè inferiores.

Matt. 23.

20 Ex dictis fit liquidò, Chriſtum non eſſe Mediatorem, *ut Deum*; ſed *ut hominem*, videlicet, ſecundum naturam humanam, quæ minor eſt Patre: ut diximus de Sacerdotio *ſect. præc.* ob eaſdem rationes, quas ibi poſuimus *nu. 7.*

21 Obijcit primò Calvinus Sanctos PP. dicentes, Chriſtum fuiſſe Mediatorem per operationes Theandricas: ſed hæ ſunt utriuſque naturæ, divinæ ſcilicet, & humanæ: ergo non ſolum, ut homo, ſed, ut Deus, etiâ fuit Mediator. Reſpondetur, conceſſâ majori, diſtinguendò minorem: ſunt utriuſque naturæ eodem modo, nego; diverſo, concedo: ſunt enim elicitæ à natura humana, & cõdignificatæ à Perſona Divina: ſicque operationes illæ directè ſignificatæ ſunt operationes creatæ propriè humanitatis, & Xpi, ut hominis: eas autem eſſe operationes vitales Dei ſolum dicitur per communicationem idiomatum, ſicut pati, & mori. Quod minimè prodeſſe, ut dicantur eſſe operationes, orationes, & merita Dei, *ut Dei*, conſtat ex regulis traditis *diſp. 2. ſect. 7.* præſertim *num 108.* circa Idiomatum communicationem: ſicut propterea nequit dici, *paſſus*, & *mortuus* Deus, *ut Deus*, aut ſecundum Naturam divinam.

Calvin.

Supra diſp. 2. ſec. 7.

22 Obijcit ſecundò Concilium Lateranenſ. ſub Martino 5. definiens, Theandricam operationem in Chriſto non eſſe unam tantum, ſed duas: alteram divinam, alteram humanam. Reſpondetur, ſecundum Concilij fuiſſe ibi damnare Monothelitas, unicam in Chriſto operationem agnoſcentes; & illam quidem divinam, & increatam. Contra quod definit Concilium, admittẽdam eſſe in Chriſto operationem humanam creatam, ſicut, & naturam humanam præter divinam. Quòd autem appellet utramque Theandricam, ideò eſt, quia per communicationem idiomatum utraque eſt operatio Dei, utraque hominis in idiomatico ſenſu. Quod non tollit veritatem doctrinæ noſtræ: quòd nempe operationes humanæ Chriſti obſequioſæ Deo, quæ in communiori ſenſu dicuntur Theandricæ, & conſtituunt Chriſtum Mediatorem, ſint propriæ humanitatis, & ſecundum humanitatem dicantur Chriſti, *ut hominis*, & non Chriſti, *ut Dei*, ſecundum divinitatem.

Lateran.

23 Objcit tertiò verba Chriſti Ioann. 10. *Ego pono animam meam*: at ſolius Dei, *ut Dei*, Domini vitæ, & mortis eſt ponere animam, ſeu vitam, in qua vitæ poſitione, ſcilicet in morte, ſtetit præcipuè Mediatio Chriſti: ergo Chriſtus, *ut Deus*, fuit Mediator. Reſpondetur per verba, quæ Chriſtus ipſe ſubjunxit: *propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam.* Quo clarè ſignificatur, Chriſti, *ut hominis*, fuiſſe ponere animam in obſequium Dei, propterea illum, *ut hominem*, diligentis: ea ſcilicet facultate liberâ ponendi animam, & offerendi vitam, quam accepit à ſupremo dominio Dei. Unde negandа eſt minor: nam in manu etiam Chriſti, *ut hominis*, ex conceſſione Dei, erat etiam animam ponere. Unde nulla eſt conſequentia.

Ioan. 10.

SEC-

SECTIO III.

Quo iure, & modo Christus fuerit Rex, præsertim Iudæorum.

24 *Apoc. 19.* *Ioan. 18.* *Laur.* *Et habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regũ, & Dominus dominantium.* Sic de Christo *Apoc.* 19. Et ipse Christus ad Pilatum interrogantem Ioann. 18. *Tu es Rex Iudæorum?* Respondit: *Tu dicis, quia Rex sum ego.* Qui fuit modus affirmandi, se esse Regem. Est ergo de Fide, Christum esse Regem, saltem, *ut Deum.* Sicut est etiam de Fide, apud Lauræam citandum, Christum, *ut hominem*, non fuisse in usu, & exercicio Regem temporalem, juxta illud Ioann. 18. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Dubium est circa jus Regni, & cujus Regni, Christi, *ut hominis.*

25 *Armac. Bacchõ. Azor. Moral. Abul. Fr. Luc. Alap.* Armacanus, Baconus, Azor, Morales, & alij existimarunt, Christum hæreditario jure fuisse specialiter temporalem Regẽ Iudæorum: alij, quibus favere videtur Abulensis, per Mariam; alij, ut Cornelius, & Franciscus Lucas, per Iosephum; alij per utrumque; oriundum utique de Tribu Regiâ Iuda, & è domo Davidis: Iosephum quidem per Salomonem; Mariam verò per Nathan, Filios Davidis: ut colligitur ex Genealogijs descriptis *Matt. 1. & Luc. 3.* Alij, ut Lyra, Serarius, & Sylveyra *tom. 1. lib. 1. cap. 5.* per leges speciales Iudæorum. Cùm enim cessasset jam Regnum in Familia David post Iechoniam, Senatus, ac Principes Iudæorum 1. *Machab. 14.* statuerunt Simonem Machabeum in Ducem, & Sacerdotem, *donec surgat Propheta fidelis.* Hic autem Propheta intelligendus est Christus, ad quem propterea, ubi primum fuit in rerum natura, per Legem illam pertinuit Regnum Iudeorum. Quidquid tamen sit de ijs, & alijs modis adscribendi Christo, ut homini, illud Regnum; assertum principale de speciali illo jure Christi, probant multipliciter,

Lyra. Serar. Sylv. 1. Mach. 14.

26 *Psal. 2.* Primò ex *Psal. 2.* ubi David in Persona Christi psallit: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion, montem sanctum eius.* Sion autem erat Regia Regum Iudæorum: quo indicatur, speciali jure Regio fuisse Christum Iudæorum Regem. Secundò ex illo Christi ad Pilatum: *Tu dicis*: interrogatio autem Pilati fuit de Regno Iudæorum: *Ioan. 18.* *Tu es Rex Iudæorum?* Et quidem de Regno temporali: non in actu, & in usu temporaliter regnandi, cùm benè nosset Pilatus, ab alio tunc Regnum illud possideri: ergo responsurus Christus ad mentem interrogantis, affirmavit, se jure speciali esse Regem Iudæorum, quamvis eo jure non uteretur. Tertiò ex persuasione communi illius Populi, quòd verus Messias futurus esset suus verus Rex, etiam temporalis. Quod, & ipsi Discipuli Christi existimabant: Act. 1. *Domine, si in hoc tempore restitues Regnum Israel?* Quin imò, & Christus ipse videtur annuisse: *non est vestrum nosse tempora.* Quartò ex Titulo Crucis: ubi inscripsit Pilatus: *Rex Iudæorum*: & reclamantibus Iudæis: *Noli scribere, Rex Iudæorum; sed quia ipse dixit, &c.* instititit: *quod scripsi scripsi*: in qua asseveratione videri potest, non id à se ipso dixisse, sed prophetasse, instar Caiphæ cum dixit: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo, &c.* Quintò ex S. Athanasio Serm. de S. Deipara: ubi super illud Davidis: *Dixit Dominus Domino meo*: ait: *Accepit autem ys verbis thronum Davidis corporaliter ex ratione prosapiæ, qua Pater illi David fuit.*

Act. 1. *Ioan. 19.* *Ioan. 11.* *Athan. Psal. 109.*

27 Hæc tamen non me convincunt contra communiorem sententiam id negantem cum Suar. *disp. 48.* Salmeron. *tom. 5. tract. 10.* tribusque Mendozis: Alphonso, *in Quodlib. quæst. ult.* Francisco, 1. *Reg. cap. 2.* & Hurtado *disp. 81.* Placet judicium sapientissimi Maldonati *ad cap. 27. Matth. v. 11.* his verbis: *An autem ad Christum ius Regium perveniret, si Rex esse voluisset, meo judicio non satis constat: quia nescimus, an ex Regum genere alius fuerit eo propinquior, ad quem Regnum, si ad ius hæreditarium revocandum fuisset, pertineret.* Sic etiã Eminentissimi de Lauræa *disp. 22. art. 10.* & Capisuccus *contr. 19. §. 2.*

Suar. Salm. Mend. Maldon.

28 Ad primam probationem sententiæ affirmantis oppositam *num. 26.* respondetur, ibidem subdi à Davide: *prædicans præceptum eius*: Et paulò post: *Dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quo satis declaratur, vaticinium illud fuisse, non de Regno temporali speciali Iudæorum; sed de spirituali universali totius mundi: quatenus Christus in Sion, id est, inter Iudæos constitutus fuit à Deo Rex spiritualis totius Orbis, Pontifexque Summus, cujus est Dei Legem prædicare, & exponere.

Laur. Capisuc. Psal. 2.

29 Ad secundam, fateor interrogationem Pilati ex ipsius mente fuisse de Regno temporali Iudæorum. At Christus nec debuit, nec voluit respondere ad ejus mentem, & verissimè respondit ad verba, in alio scilicet sensu, nimirum de Regno in spiritualibus: quod satis indicavit mox dicens: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Habuit, inquam, Christus justissimam causam sic respon-

Ioan. 18.

pondendi: quippè, ſi omninò negaſſet, ſe eſſe Iudæorum Regem, videretur negare, ſe eſſe Meſſiam Iudæis promiſſum, & quem ut Regem ſuum expectabant. Si verò id in ſenſu Pilati conſiſteret, Pilatus ex munere procederet contra ipſum, ut reum læſæ *Cæſareæ* Maieſtatis: cùm tamen, audità Chriſti explicatione, quòd Regnum Chriſti non eſſet de hoc mundo, dixerit, ſe nullam in Chriſto cauſam mortis reperiſſe.

30 Ad tertiam dico, eam perſuaſionem fuiſſe unum ex craſſiſſimis erroribus illius Populi: ſicut, & quòd ſabbata putarent violari curatione miraculosâ infirmi; & Ioannem, qui non erat de Tribu Iuda, nec Bethleemita, exiſtimarent Meſſiam, qui de Tribu Iuda, & in Bethleem naſciturus prædicabatur in Prophetis. Nec mirum, quòd tunc Apoſtoli, adhuc rudes, adhuc ſecundum cõmunem illum errorem loquerentur. Chriſtus autem non annuit prædicto errori, ſed prudentiſſimè ſe cum Apoſtolis geſſit, ſicut cum Pilato ob rationem dictum *num. præc.* ſubjungens etiam: *Sed accipietis virtutem ſuperveniente Spiritũ Sanctũ in vos*; ut ad Regnum ſuum ſpirituale ſermonem converteret.

31 Ad quartam, dico id dixiſſe, ac feciſſe Pilatum, non ex Spiritu Prophetico (niſi forte id per illius os dixerit Spiritus Sanctus in ſenſu Regni ſpiritualis) ſicut Caiphas, de quo id aſſerit Scriptura; ſed potiùs ut Iudæos irrideret, quòd illum hominem ſuum rum Regem ſuum pertimeſcerent; ſimulque ut Cæſari adblandiretur Cruci affigendi hominem accuſatum de ambitione Regni in Imperio ſuo.

32 Ad quintam reſpondeo, imò, & retorquo, quòd, cùm Athanaſius ibi loquatur de actuali ſeſſione, & poſſeſſione Regni, ſive Throni; nequit contra nos afferri ab Adverſarijs: qui nobiſcum ſupponunt ex Fide, in hac quæſtione ſermonem eſſe non poſſe de uſu, ſed de jure Regni temporalis. Capiendus ergo eſt Athanaſius, de Regno Spirituali Chriſti, ut hominis Davidicæ ſtirpis, in univerſum mundum. Sic etiam intelligendi veniunt Epiphanius *Hæreſi 29.* alijque fortè Patres Athanaſium imitati. *Epiph.*

33 Sic depulſis probationibus ſententiæ affirmantis, negantem ſic probo. Nam in primis non habuit Chriſtus ejuſmodi ius ſpeciale ad temporale Regnum Iudæorum per Ioſephum: quia Ioſephus, ſive fuerit filius naturalis Iacobi in Genealogia ſecundũ Matthæum *cap.* 1. & legalis Heli in Genealogia ſecundum Lucam *cap.* 3. ut cum ſententia communiori ex Baronio, & Azorio contendit erudite Cardin. Epiſcopus; ſive fuerit è contra Filius naturalis Heli in Genealogia ſecundum Lucam, & Legalis Iacobi in Genealogia ſecundum Matthæum, ut multis adſtruit ſingulariter P. Poſſinus in ſuo *Dialectico Theogenealogico, Intervallo 4. à cap. 46.* certè deſcendebat à Davide per Salomonem, & Iechoniam, ut conſtat ex utroque Evangeliſta. In poſteris autem Salomonis Filij David, non permanſit Regnum, niſi adusque Iechoniam, ut conſtat ex *Hierem. 22.* ubi de Iechonia §. 13. prædicitur: *Nec enim erit de ſemine eius vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Iudæa* ergo per Iechoniam non devenit ius Regni ad Ioſephum. Nec dici valet, id intelligi de Regno quo ad uſum, & poſſeſſionem; non verò quoad ius. Conſtat enim, exinde ceſſaſſe inter Iudæos Regnum, & ſucceſſiſſe alios in Ducatum, uſque ad Machabæos, qui non fuerunt ex Iechonia. Durum autem eſſet dicere, illos Duces, & Machabæos uſurpatum habuiſſe Principatum, & fuiſſe, aut Tyrannos Regni, aut quaſi Vicarios ſucceſſorum Iechoniæ. Dicendum ergo eſt, in ſucceſſoribus Iechoniæ extinctum à Deo fuiſſe Regnum, etiam quoad ius. Quidquod, adhuc dato quòd ius illud perveniſſet ad Ioſephũ, non ſucceſſiſſet in illud Chriſtus, qui Filius naturalis Ioſephi non fuit: & dato etiam, quod fuiſſet adoptivus, titulus adoptionis non ſufficit ad transferendum humano more ius Regium cum præiuditio conſanguineorum Stirpis Regiæ.

34 Deinde, nec per Mariam, cuius Genealogia texitur *Luc. 3.* ut monſtrat erudite Bernal *diſp. 41. ſec. 1. §. 2.* quamvis Textus incipiens apud Lucam, *Filius Ioſeph, qui fuit Heli*, per relativum, *qui*, ſignificet Ioſephũ, quaſi ſupponendo Ioſephum fuiſſe Filium Heli: ſumendo ſcilicet juxta phraſim ſatis uſitatam Filium Heli pro Genero Heli, aliàs Ioachim, qui fuit binomius, & Pater Mariæ, ut cum multis vult Cornelius videndus *ad cap. 3. Luc.* Maria namque juxta prædictam Genealogiam non deſcendebat à Davide per Salomonem, ſed per Nathan. Si ergo ius ſceptri non pervenit, ut vidimus, ad Ioſephũ per lineam Salomonicam Regiam, multò minùs ad Mariam per lineam Nathanicam excluſam à jure regni per Salomonem. Niſi dicatur ius illud à tempore Iechoniæ translatum divinitùs à linea Salamonica ad Nathanicam: quod ſufficienti caret fundamento. *Bern. Luc. 3. Corn.*

35 Nec tandem integrum eſt dicere, Chriſtum, quamvis non iure ordinario ſucceſſionis, ſpeciali tamen iure per Legem illã factam *num. 25.* conſtitutum fuiſſe à Deo Re-

Matt. 1. *Luc. 3.* *Baron.*

Azor. Capiſtr. *Poſſin.* *Hierem. 22.*

gem Iudæorum etiam temporalem. Hoc enim dicitur absque fundamento, & extra rem. Extra rem, quia præsens quæstio est de jure speciali ad Regnum Iudæorum, humanitùs devoluto per successionem in Christum. Absque fundamento: quia Lex illa 1. *Machab.* 14. per ea verba: *Donec surgat Propheta fidelis*; non eo ipso constituit talem Prophetam Regem; sed declaratorem juris Regij, ad quem pertineret. Et quamvis alioquin potuerit Deus sic facere, sicque fecerit cum Davide post Saulem; non est unde, vel leviter colligatur, sic fecisse cum Christo, *specialiter* quoad Regnum Iudæorum: quippé satis oppositum significavit dicens, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Dixi *specialiter*: nam de jure generali in omnia Regna mundi, ac proinde in Regnum etiam Iudæorum, dicam in sequentibus.

Ioan.18.

SECTIO IV.

An, & quo jure Christus fuerit Rex universæ terræ.

36 IAm verò generaliter de Regno Christi per universum Orbem, error fuit Marsilij Patavini apud Suar. *disp. 41. sec. 1.* damnatus à Ioan. 22. *in Extrav. Licèt injustè*, & impiè suscitatus à Luthero, Centuriatoribus, & aliis nostri temporis Hæreticis, de quo Macedo *in Vindicijs Rom. Pont. Vindic 4. cap. 1.* Christum tam longè abfuisse à potestate, & jure super Reges, & Regna temporalia; ut potiùs jure fuerit illis subiectus, & obligatus ad ipsorum Leges, & tributa. Pugnat hoc cum dignitate Christi, etiam ut hominis, & cum ipsius verbis Matth. 17. *Ergo liberi sunt Filij.* Nec obest, quod ibidem dicitur, solvisse tributum: id enim fecit ex dignatione; non ex obligatione, aut ex subjectione ad Leges, & Reges terræ.

Potav. *Suar.* *Extrav.* *Maced.* *Matt. 17.*

37 Supposito ergo, quòd Christus, etiã ut homo, fuerit quoad jus, quamvis non quoad usum in temporalibus Rex, & Dominus totius mundi, *Princeps Regum terræ*, *Rex Regum & Dominus dominantium*; & quòd hoc saltem verum habeat intellectum in spiritualibus; quæritur, an, & quomodo etiam quoad temporalia?

Apoc. 1. & 19.

38 Sunt qui dixerint, Christum taliter fuisse Regem totius Orbis etiam directè in temporalibus, ut à Christi Nativitate alij nõ sint verè Reges, sed quasi Proreges, ac Vicarij Christi in temporalibus. Sic indicasse videtur S. Tho. (Si Auctor est Opusc. de Regim. Princ.) *lib. 3. c. 3.* quatenus ait, Octavianum Augustum à Christi Nativitate Veterum, & substitutum Christi fuisse. Quò adducunt inscriptionem illam: *Rex Regum, & Dominus dominantium.* Cæterùm ex hoc ipso redarguuntur; cum inibi alij quoque infra Christum appellentur absolutè Reges, & Dominãtes. Non ergo taliter fuit Rex Christus, ut alios Reges sustulerit, juxta illud Sedulij ad Hærodem: *Christum venire quid times? Non eripit mortalia, qui regna dat cælestia.*

S. Thom. *Sedul.*

39 Alij communiùs dicunt, Christum, ut hominem, nullum habere in regna mundi quoad temporalia jus directum; sed tantum, indirectum, quatenus temporalia concernũt ad gubernationem spiritualem, illi directè competentem. Ad hunc modum exponi solet potestas Papæ, Christi successoris; directa scilicet in spiritualia; & tantùm indirecta in temporalia Regnorum, quatenùs concernunt ad regimen spirituale Ecclesiæ. Sic Abulensis, Uvaldensis, Soto, Victoria, Salmeron, Canisius, Maldonatus, Pineda, & alij apud Bernal *sect 3.*

Abul. *Vvald.* *Sot.* *Vict.* *Salm.* *Canis.* *Pined.* *Bernal.*

40 P. Suarez *disp. 41. sec. 2.* Vasquez *disp. 87. c. 2.* Mendoza 1. *Reg. 2. num. 10.* *Ab num. 15. sec. 3.* Salazar ad illud Prov. 8. *per me Reges regnant*, & ex illis distinctiõ. P. Bernal ait, rem hanc optimè componunt distinguendo triplex regnum, seu jus directum circa temporalia. Unum est supremum, & à se competens Deo, & consequenter Christo, ut Deo. Aliud est infimum, quod Bernal vocat Adamicum, & bassum, quod incepit in Adamo mundi Rege, ac Domino, & competit Regibus purè humanis ab illo descendentibus. Aliud est medium inter illa duo: quia non est à se, & supremum, cùm fundetur in titulo aliquo creato, & sit dependens à Deo: nec est infimum, & Adamicum, cùm nec derivetur per humanam successionem, aut electionem, nec utcumque per unctionem, aut institutionem divinam, ut in Davide & Saule, qui specialiter à Deo uncti fuerunt in Reges, similes quoad potestatem alijs Regibus purè humanis; sed est infra Deum, altius tamen, & sublimius Regno, & jure Adamico, & aliorum Principum purè terrenorum.

Suar. *Vasq.* *Mend.* *Salaz.*

41 Hoc ergo tertio, & medio modo, non primò, nec secundo; defendimus Christi Dominij, ut hominis, Regnum, & jus directum etiam in omnia temporalia mundi supra omnes Reges, & Regna, resque cunctas creatas terræ, ac Cœli: titulo videlicet, Unionis Hypostaticæ, quâ natura humana Christi elevatur ad suppositum Filij Dei: accedente voluntate Patris congruentissimè volentis, tale jus, talemque Regium potestatem conferre Filio suo, etiam ut homini, & fortè propter

sua

Bernal. ſua etiam merita, ut meditatur Bernal *num.* 55. non ſolum poſt Reſurrectionem, ut limitant aliqui; ſed à primo etiam Incarnationis inſtanti, ut eſt communius, & rationabilius. In hunc etiam ſenſum coincidunt Cardin. de Laur. Laurea *diſp.* 22. *art.* 10. & mag. Lumb. *qu.* 37. Lumb. *art.* 3. citans Orlandum, Bonæſpei, & Gone- Orlan. tum: ac noviſſimé Card. Capiſuc. *contr.* 19. Bonaſ. & olim Leſſius *q.* 22. *art.* 6 *dub.* 2. Gonet. Capiſuc. Leſſius.

42 Primò namque id de poſſibili innegabile eſt: cum cuilibet homini poſſit Deus dare ius Regium in totum mundum. Quod autem de facto ſic dederit Chriſto, congruentiſſimum videtur dignitati Chriſti, & providentiæ Dei. Idque indicant haud leviter Scripturæ. Nam *Apoc.* 1. vocatur Chriſtus: *Princeps Regum terræ*: & cap. 19. *Rex Regum.* Et Chriſtus ipſe de ſe ait Matt. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra*: *Omnis*, ſcilicet, univerſaliter amplectens Legiſlativam Iudiciariam, Dominativam, & Regiam, in ſpiritualibus & tẽporalibus, in omnia tam cœleſtia, quàm ſublunaria. Unde Bernardus 3. *de conſid.* ad illud Num. 24. *Et erit Idumæa poſſeſſio eius*, ponens pro, *Idumæa, omnis terra*; gloſſat: *Chriſtus hic eſt, qui poſſeſſionem ſibi vendicat, & iure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris.* Et ex Athan. Damaſcenus 4. *de Fide* 15. id à Chriſto extendens ad Mariam ait: *Verè Deigenitrix eſt Domina, atque omnium rerum conditarum hera, ut quæ ſimul, & Ancilla, & Mater ſummi illius Opificis extiterit.*

Apoc. 1. & 19. Mat. 28. Bernar. Numer. 24. Athan. Damaſc.

43 Sic concillantur facilé Scripturę, quæ videntur negare Chriſto Regnum temporale; cum alijs, quæ Regnum Chriſti ad temporalia quoque cuncta videntur extendere. Illę enim intelligendæ ſun de Regno iuris infimi, baſſi, & Adamici, quale competit ordinarijs titulis Regibus terræ; & de hoc dixit Chriſtus: *Regnum meum non eſt de hoc mũdo.* Iſtæ verò, de Regno iuris ſublimioris, extraordinarij, & Hypoſtatici: quod ius, quamvis non ſemper exercuerit Chriſtus in vita mortali, quoniam non venit miniſtrari, ſed miniſtrare ad humilitatis exemplum; ſemper tamen exercere potuit, ſi voluiſſet: & aliquãdo exercuit, ut cum ficulneam arefecit abſque præiudicio Domini puré humani, & eum fecit quaſi flagellum, & negotiatores eiecit é templo, abſque uſurpatione iuriſdictionis; & forté quando *Matt.* 21. iuſsit propriã auctoritate adduci ſibi aſinam, & pullum iure ſuo, quod ſignificavit verbis illis ſuperiori dominio plenis: *Dicite, quia Dominus his opus habet.*

Matt. 21

44 Nec momenti eſt quod obijciunt aliqui, inde ſequi Pontifices Eccleſiæ, Chriſti Succeſſores, habituros ſimile ius directum in omnia Regna, etiam in temporalibus. Negatur enim ſequela: non enim omnes ſuas poteſtates communes fecit Chriſtus Petro, & ſucceſſoribus iure ſucceſſionis: ut patet in poteſtate inſtituendi Sacramenta, & patrandi miracula.

45 Nec item eſt momenti quod obijcient alij, ſic ſtante prædicto iure abſolutiſſimo, & directo Chriſti in Regna cuncta, alios Reges non fore veros Reges; ſed aut Tyrannos, aut Chriſti Vicarios in tẽporalibus; aut, ut ita dicã, quaſi Proreges Chriſti. Hoc etiam negatur. Nam ſupremitas poteſtatis, veré Regiæ, qua pollent alij Reges de ordine, ac iure Adamico communi, & ordinario, intelligitur quidem privativè ad alios ſimiliter Reges eiuſdem ordinis, vel ſuperiores, aut etiam pares circa idem Regnum; neutiquam verò privativè ad Chriſtum Regem extraordinarium ſuperioris ordinis hypoſtatici: præſertim, cũ, *ut homo*, noluerit uti regulariter illo iure ſuo, ſed totum regimen temporale reliquerit Regibus ordinarijs exercendum. Sic Deum eſſe abſolutiſſimum Regem univerſorum negari nequit: cum quo tamen ſupremo Dei Regno, & iure ſublimioris ordinis in omnia Regna mundi, ſtat ius veré Regium in Principibus terræ. Quippe non dicuntur tales excluſivè, ſeu privativé ad ius Supremum Dei, nec ad Hypoſtaticum Chriſti; ſed dumtaxat ad ius Adamicum, & inferioris ordinis aliorum Regum ſibi ſimilium. Hinc ſcité Auguſtin. *trac.* 115. *in Ioan.* ait, Chriſtum poſtquam faſſus fuerat, ſe eſſe Regẽ, in illis verbis, *Regnum meum non eſt de hoc mundo tacitè dixiſſe ad omnes Reges terræ: nolite timere: non impedio dominationem veſtram.* Auguſt.

46 Dices tandem: ſi Chriſtus non erat uſurtus hoc iure Regio temporali; ſed potiùs venerat miniſtrare, & exhibere nobis humilitatis, & ſubiectionis exemplum, & operaturus erat redemptionem per improperium Crucis, potiùs quam per ſplendorem Regium; ad quid concedendum fuit Chriſto tale ius? Videtur enim ſupervacaneum, & inane, ſaltem pro vita mortali, quam pauperrimé, & humillimé tranſegit. Confirmatur ex illo Chriſti. Luc. 12. *Homo: quis me conſtituit Iudicem, aut diviſorem inter vos?* Non autem ſic diciſſet, ſi poteſtatem Regiam, aut Iudiciariam in temporalibus habuiſſet. Luc. 12.

47 Reſpondetur, ius illud neutiquam fuiſſe in Chriſto ſupervacaneum, & inane; imò congruentiſſimé illi conceſſum: ſicut à primò ſuo eſſe conceditur illi ſapientia etiam creata excellentiſſima, quin dici poſit ſu-

pervacánea, inanis, aut vitiosè otiosa, quamvis illam occultaverit per annos multos. Humilitatis, & submissionis exemplum abundè dedit, non utens iure absolutissimo Regio, quod habebat à Patre: quin huic exemplo quidquam derogaverit Potestas, & Iurisdictio Regia, qua pro libito non usus fuit, ut effugeret improperium Crucis. Ad confirmationem dico, id intelligi debère de Iudice, & judicio forensi quoad exercicium quo se sponte abdicaverat Christus inter homines, agens de cœlesti, non de terrena hæreditate: *quasi dicat*, ait Cornelius: *Hoc iudicium est Forensium, qui terrenam, non meum, qui cœlestem hæreditatem doceo, & dispertior.* *Alap.*

SECTIO V.

An, & quomodo habuerit Christus, ut homo, ius, & dominium suitatis in res omnes creatas.

48 PRæter ius altum, seu potestativũ, quod Reges habent in vassallos, & iustis de causis pro communi bono in res vassallorum; habent ius aliud, & dominium privatum, quod vocant bassum, proprietatis, ac strictæ suitatis in aliquas res specialiter suas, de quibus potest pro libito, & commodo suo disponere sine alterius injuria; ut de suo pallio, de sua domo, de suis agris, pecoribus, aut pecùnijs. Quæritur an Christus nõ solùm habuerit ius prædictum universale Regium in universum Orbem; sed ius etiam, & dominium strictæ suitatis in omnes res, itaut potuerit, etiam ut homo, de quacumque re creatâ quasi de propriè sua disponere pro libito absque ullius iniuriâ.

49 Negant multi, sicut negabant *sec. prac.* de iure potestativo Regni temporalis. Primó ex Extrav. *Cùm inter nonnullos*, & ea Extrav. *Quia quorundam de Verb. signif.* ubi definitur à Ioan. 22. Christum habuisse paucarum rerum dominium: ergo non omniũ. *Ioan. 22.* Secundó ex Luc. 9. ubi ait Christus: *Vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet*: utpotè illud verbo, & exemplo docẽs: *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse Discipulus.* *Luc. 9.* Tertiò: quia credibile est, Christum emisisse votum paupertatis in Religiosorum exemplum: id quod videtur significari à Nicolao 4. *in cap. Exiit de verb. sign. in 6.* dicente, Christũ Paupertatem exẽplo docuisse: ergo abdicavit à se temporale rerum dominium. Quartò: quia stante in Christo dominio, & iure proprietatis, & suitatis in res omnes, alij homines nullius rei haberent verum dominium: cum duo nequeant esse Domini simul in solidum eiusdem rei. Quintò: quia sequeretur, neminem destruere posse rem suam sine peccato speciali iniustitiæ contra Christum, ut hominem verè dominum talis rei: quod est contra communem intelligentiam. *Nicol. 4*

50 His tamen non obstantibus discurrendum videtur de dominio, sicut *sec. prac.* de Regno. Sicque dicendum primò, Christum, ut hominem, non habuisse tale dominiũ in omnia quo ad usum, & exercitium direscendi apud homines: quippè ut ait Hieron. Epist. 22. *Parentum paupertate contentus fuit.* Et hoc probant Scripturæ de paupertate Christi à præsepi usque ad Crucem. Et est omninò certum. *Hieron.*

51 Dicendum secundò, Christum habuisse paucarum rerum dominium suitatis ordinarium, & humano more adquisitum: scilicet in vestes, tenuemque supellectilem, quas à matre, & Ioseph accepit, & forte in alia aliorum donariola, vel eleemosynas. Hoc est etiam certum, prout hoc significatur in Extrav. supra cit. Quod aliqui limitant usque ad annum Christi trigesimũ: deinceps enim hoc etiam ius, & usum earum paucarum rerũ à se rejecit, & eleemosynas non sibi privatim, sed pro communitate Collegij Apostolici acceptabat, ut paupertati Evangelicæ normam exhiberet.

52 Dicendum tertiò, habuisse nihilominus in omnia creata ius, & dominium suitatis, & proprietatis extraordinariũm, excellens, & hypostaticum: ratione cuius posset, si vellet, de quacumque re creatâ pro libito disponere; quamvis noluerit hoc dominio, & iure utis sicut de iure Regni diximus *sec. prac.* ob rationes ibi positas: quæ, quãvis hoc nõ faciãt omninò certum, contemnendæ non sunt. Hanc enim potestatem dominativam comprehendisse Christus ipse credendus est dum dixit: *Data est mihi omnis potestas.* Sic distinctè Bernal *sec. 2.* post Mendozam allegatũ *num. 27.* quibus præivit Suar. *disp. 48 sect. 2.* quamvis non ita distinctè; & adhæsit Capicius *§. 4.* *Bern.* *Mend.* *Suar.* *Capisuc.*

53 Ad primum ex fundamentis oppositis *num. 49.* respondetur, sensum Pontificis in Extravag. esse de dominio vulgari, & humanitùs adquisito iuxta secundam nostrã conclusionem; aut cum usu, & exercicio iuxta primam: nihil curando de dominio, & iure extraordinario, & hypostatico, quod admittimus in tertia, reiecto exercitio, & usu.

54 Ad secundam respondetur, intelligendum id etiam esse iuxta secundam conclusionem: præsertim cùm id dixerit Christus

tus post annum trigesimum, quando domũculæ suæ possessionem & ius vulgare à se abdicaverat: prout ad nostrum exemplum expediebat, quòd omnibus sic renunciaret. Quod autem ius aliud hypostaticum retinuerit, non officit exemplo nostro.

55 Ad tertium respondetur, admisso in Christo voto paupertatis, satis id explicari, & intelligi per abdicationem recularum suarũ; & usũs, ac iuris humani, & vulgaris ad illam. Non autem est cur ceciderit sub prædicto voto abdicatio iuris hypostatici, & extraordinarij.

56 Ad quartum satis responsum est *sec. præc. n.* 45. Sicut enim ius Regium extraordinarium Christi non pugnat cum iure Regio ordinatio aliorum Regum; sic nec dominiũ proprietativum, & suitatis extraordinarium pugnat cum dominio vulgari, & ordinario aliorum dominorum in res suas: quippé non dicuntur Domini privativè ad dominium extraordinarium Christi; sed ad dominium ordinarium aliorum dominorum mundialium. Id quod omnes fateri debemus, admittentes dominium Dei supra res omnes aliorum dominorum. Nec officit illud de dominio duorum in solidum eiusdem rei. Nam præterquam quòd dubilis est casus, in quo inter homines admitti etiã posit, ut tenui *disp. 10. de Attrib. à n. 43.* ex dicendis susiùs in disputationibus de Iustitia, & Iure; at saltem in dominijs diversi ordinis, quale est hypostaticum Christi, & vulgare aliorum hominũ, admittitur sine inconvenienti: quin ullatenus obstet axioma Iuris civilis, loquens ad summum de dominijs ordinarijs inter homines: cum quorum tamen dominijs absolutè dicitis in res suas stat simul apud omnes dominium absolutissimæ proprietatis, & suitatis Dei in res omnes. Vide ibi præsertim *n.* 46.

Tom. 1. disp. 10.

57 Ad quintum, verùm teneret sequela, si Christus, sicut de Deo dici ab omnibus necesse est, non cessisset quoad hoc Dominis purè humanis de iure suo altiori. Neganda tamen est: quia Christus ut homo, sicut etiam ut Deus, cessit quoad hoc de altiori iure suo, erogans hominibus eiusmodi potestatem, & ius in res suas iuxta Leges.

58 Plé nonnulli extendunt ius istud extraordinarium in omnes res, sicut & Regiũ in omnia Regna mundi, ad Sanctissimam Christi Matrem, tamquam ad veram Reginam, & Dominam universorum. Pro quo citat Bernal *n.* 20. Viegam, Barradam, Moral es, & Salazar, quibus libenter addo nostrum etiam Franciscum Garau, latè, & eruditè de hac Deiparæ prærogativa differentem *Trac. prævio Principio. 11.* Præter Damascenum, cuius verba retulimus *num.* 42. extant præclara verba Athanasij *serm. de Nat. Virg.* ibi: *Quandoquidem Christus Rex est, qui natus est ex Virgine, idemque & Dominus, & Deus; eapropter & Mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina, & Deipara proprie, & verè censetur.* Concinuit idem Damascenus 4 *de Fide* 15. ibi: *Verè etenim rerum omnium conditarum Domina facta est cum Creatoris Mater extitit.* Itemque Bernardus *serm. in Signum magnum Apoc.* 12. ibi: *Maria, eo quod Mater Dei est, Regina Cœlorum, & Domina Mundi iure esse probatur.* Quod per eandem viam iuris extraordinarij defendendum est.

Bernal. Vieg. Barrad. Moral. Salaz. Garau.

Damasc. Athan.

Bernar.

DIS-

DISPUTATIO XIII.

DE

SCIENTIA CHRISTI.

1 CONFITEMVR *in Chriſto omnia duplicia, quæ ad Naturas pertinent: duas Naturas eius prædicamus: & unamquamque proprietates naturales habere confitemur: Diviná omnia, quæ Divina: Humaná omnia, quæ humana sũt, abſque ullo peccato.* Verba sũt ſextæ Synodi *Act.* 4. & 8. Ex cuius apertiſſimâ mente notat Ber. per *proprietates* intellexiſſe *operationes*: ut colligitur ex Athan. *orat.* 4. ſic inferente: *Hinc verò inſaniũt qui hanc geminã operationẽ in Chriſto ubique nõ intelligunt, &c.* Agebatur enim contra Monothelitas unius in Chriſto voluntatis, id, eſt *unius velle*, aſſertores: cũ de Fide ſit, fuiſſe in Chriſto duplex velle, unum increatum, Naturę divinæ; aliud creatum, humanæ. Igitur in Chriſto ex duplici Naturâ conſtituto, duplices etiam operationes intellectûs: & voluntatis, confitendæ ſunt adverſûs Monothelitas: qui, cùm admitterent benè contra Euthychianos Monophyſitas duas in Chriſto Naturas, malè deinde negarunt duas voluntates, unicum Chriſto velle, & illud quidem divinum attribuentes. Hanc hæreſim diſcutit eruditè Bernal, *diſp.* 48. Hinc concedi nequit Chriſto Scientia increata, negando creatam. Utraque ergo ſimul illi concedenda eſt, *in quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ, & Scientiæ.* Difficultates pertinentes ad Scientiam increatam, quatenus Dei eſt, tractantur in Diſputationibus *de Scientia Dei.* Nunc agimus de Scientijs Chriſti verſûs Naturam creatam ſuæ Humanitatis. Et accipimus nomen *Scientiæ*, latè pro quacumque notitiâ intellectivâ, quamvis habitâ ſeorſim à diſcurſu.

Sexta Syn. Bernal. Athan.

Coloſſ. 2.

SECTIO I.

An Anima Chriſti denominetur intelligens ab intellectione increatâ Verbi.

2 TRipliciter intelligi poteſt quod aliqui dixerunt pro parte affirmante: idque, ut diſtinctè loquamur in re dogmaticâ, ad triplicem propoſitionem reduco.

Hug. Neap. Rip.

3 Prima tribui ſolet Hugoni Victorino, Neapoli, Ripæ, & aliquibus Pariſienſibus apud Aldrete *diſp.* 62. quòd nempè *Anima Chriſti caruerit intellectionibus creatis, & ſolum intelligat per increatam.* A qua propoſitione non ſatis diſcedere videtur Bonæſpei *tract.* 3. *diſp.* 10. *dub.* 1. dicens animam Chriſti, quamvis alias habeat creatas ſcientias, ſcientiam tamen beatificam, ſive viſionem intuitivam Dei non habere creatam, ſed unicè videre Deum per ipſam ſcientiam increatam Verbi. Id quod nullatenus ipſe auderem dicere, quamvis Lumbier *quæſt.* 27. *art.* 7. 8. 9. & 10. enixè conetur id à cenſura Theologica liberare.

Aldret

Bonaſp.

Lumb.

Secun-

4 Secundò quòd *Anima Christi sit quidem, & denominatur intelligens per intellectionem increatam Verbi: quin perinde desinat quoque intelligere per creatas intellectiones, & scientiam creatam etiam beatificam.* Quemadmodum dei dominatur sancta per sanctitatem increatam Verbi, quin perinde desinat esse, ac denominari sancta per sanctitatem etiam creatam. Sic vetustiores aliqui apud Lessium: *quæst. 9. art. 1.* & noviter alij apprimè Docti. Quorum assertionē acriter alij de hæresi cēsurarūt, ut videre est apud Godoy *d. 31. n. 5.* qui eam propositionē reiset erroneam, vel errori proximā, & apud Amicum, qui cum Suar. *disp. 24. sec. 2* eam censuit temerariam, & parum consonam principijs Fidei. Alij verò illam à censuris vindicaverunt, ut à fortiori constituit Lumbier cit. Delata fuit non pridem ad Inquisitionem Hispanicam, quæ post longum examen à prædictis censuris absolvit. Eam saltem non esse Monotheliſmum, ut aliqui iactitabant, constat ex intelligentia terminorum: non enim negat Christo duplices operationes, aut intellectūs, aut voluntatis; nec contenta est unico velle increato Christi.

Leſſ. *Godoy* *Amic.* *Suar.* *Lumbier*

5 Tertia: quòd saltem *de possibili potuisset Anima Christi reddi formaliter intelligens per scientiam increatam Verbi formaliter sibi unitam.* Sic non pauci, nec ignobiles Theologi: ut Aegidius apud Godoy, & Hurtadus *disp. 53. sec. 3.* ex Doctrinis Nominalium apud Salas *to. 1. in. 1. 2. tract. 2. disp. 2. sec. 3.* Idque à censuris vindicat sapientissimus Lessius.

Aegid. *Hurt.* *Nomin.* *Salas* *Leſſius.*

6 Prima nostra conclusio. Prima propositio à Catholicis omnibus detestanda est. Eam Amicus *disp. 18. num. 21.* censet hæreticam, pertinentem ad Monotheliſmum, nam ut advertit Coninch *disp. 13 n. 6* quamvis Monothelitæ absolutè negaverint in Christo duas operationes voluntatis, ideoque Concilia hoc præcipue damnare intenderint; damnatio tamen evasit generalis contra negantes duas operationes: quod intellectiones, & volitiones comprehēdit: & eadem videtur ratio pro utrisque. Unde negare duas in Christo operationes intellectūs; divini scilicet, & humani, erit saltem erroneum ex sexta Synodo citatā, & ex Agathone statim citando.

Amicus *Coninch*

7 Secunda conclusio. Secunda propositio falsa est, & omnino neganda; quidquid sit de ipsius censuris. Quia, semel admisso, quòd anima Christi intelligit per scientiam increatam Verbi, ansa datur Monothelitis, ut facilè defendant suum errorem, quasi superflueret, eamdem animam intelligere per intellectionem creatam. Nec tenet paritas sanctitatum Christi ob rationem differentiæ dandum inter probationes à ratione sequentis conclusionis, quæ pro præsenti militant à fortiori. Sufficiat authoritas Agathonis Papæ *in 6. Syn. Act. 4.* dicentis: *ex eo quòd duæ Naturæ sint in Christo, necesse est, duas naturales in eo fateri voluntates, &c. nec divinam eius, quantum ad rationem naturæ pertinet humanam habuisse volitionem dicendum; nec humanam eius divinam naturaliter habuisse voluntatem, credendum est.* Negat ergo, humanam Christi naturam reduī volentem volitione Divina: ergo nec redditur intelligens intellectione Divinā. Si negetur hæc consequentia ob peculiares rationes à libertate petitas videndas apud Aldrete *disp. 62. num. 8.* viru augent verba Leonis Papæ, cum plausu relata in eadem Synodo *Act 17.* generaliter negantis, operationes divinas reddere operantem humanitatem: ibi: *Neque enim in quoquam unam dabimus operationem naturalem Dei, & creaturæ, ut neque quod creatum est in divinam educatur essentiam, neque quod eximium est divinæ Naturæ ad competentem creaturæ locum dejiciamus.* Ubi, quamvis directè agatur contra unicitatem operationis, & fortè solius voluntatis contra Monothelitas; vox tamen *operationis* ad intellectum extenditur.

Agath. *Aldrete* *Leo*

8 Tertia conclusio. Tertia propositio falsa est. Nec enim ex absolutā fieri potest, quòd intellectus creatus fiat formaliter intelligens per intellectionem divinam. Sic communiùs Theologi, & Philosophi contra alios, quos supra citavimas *num. 5.* Sic melius consulitur dogmatibus, & statutis Conciliorum, & Pontificum contra Monothelitas; quibus omnino præcluditur aditus ad suos errores. Et videtur in terminis tradi ab Agathone citato: ibi: *Neque enim poterit angelica natura voluntatem habere divinam, aut humanam; neque humana natura voluntatem Dei, vel angeli.* Ubi sermo est de possibili. Interpretatio autem Hurtadi & aliorum, per potentiam ordinariam, & non per absolutam, non est satis sincera. Et quamvis Agatho solum loquatur ibi de voluntate, seu volitione; bene fit inde argumentum pro intellectione à paritate rationis.

Agath.

9 Ratio autem est. Quia intelligere, sicut, & velle, est vivere: ergo per nullam formam, seu quasi formam potest intellectus denominari formaliter intelligens, aut voluntas volens, quin per eamdem fiat, ac denominetur formaliter vivens: Atqui Anima Christi nequit denominari formaliter vivens per

per intellectionem, seu per scientiam increatam Verbi: ergo neque formaliter intelligēs. Minor, in qua est difficultas, probatur. Quia vivere est moveri, operari, seu exercere ab intrinseco, & immanenter; sive ab intrinseco & immanenter *positivè*, hoc est, quòd operatio procedat à principio viventi, ipsique intrinsecè uniatur, ut evenit in viventibus creatis producentibus, & recipientibus suos actus vitales; sive ab intrinseco, & immanenter *negativè*, hoc est, quòd operatio non extrinsecùs adveniat aliundè omninò producta, nec ad aliud subiectum transeat, ut evenit in vivente divino purissimo, in quo actus, operationes, seu exercitia suæ vitæ purissimæ sunt formaliter à se, & non ab alio, sibique insunt per identitatem, ut explicuimus *disp. 4 de Attrib. præsertim sect. 3.* At Anima Christi nequit ullo ex ijs modis exerceri per intellectionem increatā Verbi: cùm neque illam habeat, nec habere possit ab intrinseco immanenter *positivè*, hoc est illam sibi, & in se prodocendo; neque *negativè*, hoc est illam sibi, & à se secum idemtificando; ut ex terminis patet: ergo omninò repugnat, quòd per illam formaliter vivat; atque adeò, & quod per illam formaliter intelligat.

Tom. 1. disp. 4.

10 Dices: hoc esse verum de vita physicā; non ita de purè intentionali. Unde quamvis Anima Christi per intellectionem divinam sibi unitam non viveret physicè, posset tamen vivere intentionaliter, quod esset intelligere formaliter per illam. Contra tamen: quia vita intentionalis sine vitā physicā chymera est, cùm omnis vita sit physica operatio, seu physicum exercitium vivētis. Unde, deficiente conceptu vitæ physificæ in intellectione increatā Verbi respectu Animæ Christi non illam producentis, nec secum idemtificantis, nec potentis illam producere, nec secum idemtificare; deficere necesse est conceptum vitæ intentionalis, taliter ut nec per illam intelligat, nec intelligere possit. Hæc multis prosequitur Ant. Perez *p. 2 de Perf. Chr. disp. 1. c. 2.* & Læsius *q. 9. art. 1.*

Perez. Læsii.

11 Objicitur. Intellectio increata Verbi posset uniri physice, & intrinsecè immediatè Animæ Christi: ergo, & illam denominare intelligentem. Consequentia probatur. Primò: quia forma, vel quasi forma intrinsecè communicata subiecto capaci nequit non cōmunicare subiecto denominationem, cuius subiectum est capax: sed intellectio increata Verbi est forma, vel quasi forma intelligendi: ergo intrinsecè, & immediatè communicata Animæ Christi, capaci alioquin intelligendi, nequiret non denominare animā intelligentem. Secundò: quia non aliter sanctitas increata Verbi denominat Animam Christi sanctam, nisi quia illi intrinsecè capaci communicatur. Tertiò: quia essentia, vel intellectio increata Dei præstare potest munus speciei intelligibilis respectu intellectus creati, & illi esse instar speciei impressæ ad videndum Deum, ut contingit in Beatis: ergo præstare similiter potest munus speciei expressę, & sic reddere Animam Christi formaliter intelligentem.

12 Respondetur, antecedens esse verum: & apud me non solum de possibili, verumetiam de facto ex latè dictis *disputat. 2. sect. 4.* circa terminationem immediatam unionis hypostaticæ, non solum ad Relativum; sed simul etiam ad Absolutum Verbi. Unde si de possibili posset humanitas reddi intelligens à scientia increata Verbi, de facto etiam redderetur, ut rectè Godoy §. 7. Addo, illos qui dicunt de facto existere humanitatem per existētiam Verbi, quæ absoluta est, dicere hìc debere, aut unionem terminari immediatè ad Absolutum, aut non requiri ad eiusmodi denominationes immediatam terminationem unionis. Sed quidquid de ijs sit, concesso antecedente, nego consequentiam.

Supra disp. 2.

Godoy.

13 Ad primam probationem, distingo maiorem: si forma communicatur modo habili ad talem denominationem, concedo; si inhabili, nego maiorem: & concessā minori, nego consequentiam. Quia intellectio increata, quamvis sit ratio formaliter intelligendi, & intrinsecè, ac immediatè communicetur per unionem physicā Animæ Christi; non communicatur modo habili essentialiter requisito, ut per eam Anima fiat formaliter intelligens: quia non communicatur, nec potest communicari modo habili essentialiter requisito, ut per eam fiat formaliter vivens. Cuius rationem dedimus *num. 9.* quoniam de conceptu essentiali viventis est exerceri ab intrinseco, & immanenter: hoc est, ut ibi explicuimus, per operationem, sive per exercitium à se productum, & in se susceptum, aut secum intimiùs idemtificatum. Utrumque autem hoc repugnat intellectioni increatæ respectu Animæ Christi: nec potentis illam sibi producere, nec illam secum idemtificare, ut est per se notum: ac proinde incapacis omninò habere illam modo habili essentialiter requisito, ut per illam vivat, atque adeò, nec habili, ut per illam intelligat. Unde, si per illam intelligeret, sequeretur vivere per illam, cùm omne intelligere sit vivere; simulque non vivere per illam,

lam, quia quamvis illam intrinsecè haberet, non haberet illam ab intrinseco, prout necesse essentialiter est ad conceptum vivendi, ut sic.

14 Ad secundam addo, & quia sanctitas increata communicatur intrinsecè Animæ Christi modo habili, ut denominet sanctam. Cùm enim sanctificari non sit vivere; nõ est necesse quòd sanctitas habeatur ab intrinseco, & immanenter: ut patet in sanctitatibus, & sanctificationibus creatis. Dices: nec esse omnipotentem est formaliter vivere: & tamen, nec per Omnipotentiam Verbi sibi intrinsecè, & æquè immediatè unitam, denominatur Omnipotens humanitas: ergo aliũdè petenda est ratio, seorsim etiam a conceptu viventis. Respondeo, concesso antecedente, distinguo consequens: aliunde petenda est ratio pro intellectione, nego: nam pro intellectione dedimus aptissimam, & solidam ex conceptu vitæ. Quæ ratio, quamvis pro omnibus denominationibus, nec necessaria, nec dabilis sit; pro denominatione tamen viventis, ac proinde, & intelligentis, est sufficientissima. Aliunde petenda est ratio pro Omnipotentia, concedo: quia non ibi relucet conceptus vitæ. Rationem autem, cur nec ab Omnipotentia intrinsecè sibi unitâ, & communicatâ denominetur humanitas omnipotens, dedimus solidè *disp.9. de Attributis, num.*11. Quia nempè Omnipotens dicit taliter omnia pro libito suo posse, ut à superiori libito, nec indigeat adiuvari, nec valeat cohiberi circa operationem cui denominationi resistit essaliter humanitas ex conceptu creaturæ, ut per se notũ est: ac proinde, & quòd essentialiter sit incapax denominationis, & effectûs formalis Omnipotentis. Vide alia ibi.

Tom.1. disp.9. sect.1.

15 Ad tertiam, dato antecedente, nego consequentiam. Quia concursus speciei impressæ ad intellectionem creatam, quæ est species expressa, etiam creata, & ab intellectu Beati producta, est purè effectivus, & ipsi speciei impressæ non vitalis, utpotè non intelligenti, nec viventi per illum: ideóque potest Deus id muneris per se subire: at denominatio viventis, & intelligentis per speciem expressam, sive per intellectionem, est effectus formalis vitalis intelligenti: quem Deus formàliter præstare per se non potest, nisi sibi ipsi, habenti sibi ab intrinseco suam intellectionem; non verò Animæ Christi, aut alteri creaturæ, utpotè essentialiter incapaci habendi sibi ab intrinseco sui intellectionem increatam Dei: prout necesse essentialiter est ad conceptum intelligentis, & viventis per ipsam, Thomistis, qui aiunt, Beatos reddi formaliter videntes Deum per ipsam Dei essentiam absque productione speciei expressæ creatæ, non ita facilis exit solutio. Quapropter benè notat Bernal *disp.33. num.2.* per ipsorum doctrinas præberi ansam ad alias, quas hic, ut pluspuam falsas omnes impugnamus, præsertim ad doctrinam Bonaspei relatam *num.* 3. & relictam, ut parum consonam principijs certis *n.7.*

Bernal.

SECTIO II.

An, & quando data fuerit Anima Christi Scientia Beatifica creata.

16 PRæter scientiam increatam Dei: quâ, licèt Anima Christi non reddatur formaliter intelligens, aut videns Deum; Christus tamen, verè Deus, concretè est omniscius, sicut ab Omnipotentia Omnipotens; certum est ex Fide dari in Christo aliam scientiam, qua eius Anima est intelligens, & sciens. Ea scientia multiplex asseritur à Theologis: & præcipuè est Beata, seu Visio beatifica: cognitio scilicet intuitiva Dei, qua in Patria gaudent Prædestinati. Variæ occurrunt difficultates: aliæ communes visioni beatificæ omnium Prædestinatorum, quas remittimus ad Tractatum *de Visione Dei*; aliæ speciales circa scientiam beatam creatam Christi, quæ huc pertinent,

17 De Fide certum est Animam Christi habuisse scientiam beatam, qua eius anima beatificè videat Deum, saltem post mortem. Nam, & de reliquis hominibus decedentibus in gratia, est hoc de Fide. Quinimò, & ante mortem eam habuisse est ita certum, ut oppositum censeatur à Suarez temerarium, erroneum, & hæresi proximum apud Bernal *disp.33.n.25.*

Suar. Bernal.

18 Quinctiam, & eam habuisse à primo instanti per totam vitam, docent communiter Patres, & Theologi videndi apud Laurẽtam *disp.15.art.*1. Et ratio est: quia perfectio status hypostatici id iam a primo instanti exigebat: cùm ex tunc fuerit Christus, etiam *ut homo*, Filius naturalis Dei: *quod si Filius, & Hæres*, iuxta Apost. *ad Galat. 4.* Accedit quòd in primo etiam instanti eximiè id meruit per actus suos, si per viam meriti hoc decernendum est.

Laurẽt. *Galat.4.*

19 Dices: Christus in vita mortali erat in statu viatoris: ergo non comprehensoris per claram visionem Dei: Sicque colligi videtur ex dicto Christi, Luc.24. *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Ubi indicatur, ante passionem, & mortem non intrasse in gloriam visionis

Luc.24.

Joan. 1. intuitivæ Dei. Et Joan. 1. *Deum nemo vidit*
Exod. 33. *unquam*: juxta illud Exod. 33. *non videbit me homo & vivet.*

20 Respondetur, negando consequentiam. Christus enim fuit simul viator quoad statum merendi, simulque comprehensor quoad visionem claram Dei. Hæc autem duo non pugnant ex natura rei; sed in aliis Beatis ex lege Dei, ut dicitur communiùs in *Tract. de Merito.* Pro Christo autem fuit alia Dei lex: oportuit enim, ut pro munere Redemptoris mereretur, & satisfaceret; & pro dignitate Filij Dei naturalis potiretur hæreditate gloriæ stantis essentialiter in possessione Dei per visionem beatificam. Illud Lucæ intelligitur de introitu per Passionem in gloriam accidentalem corporis quoad dotes corporis glorioſi; non verò quòd ad gloriam essentialem Animæ per Dei intuitionem expectari deberet passio, & mors. Sic communiter Expositores sacri ad illum locum. Verba Joan. & Exodi exponuntur communiter de puris hominibus: imò, & de visione Dei permanente; non ita de transitoriâ per raptum ex speciali privilegio. De quo novissimè Card. Capisuc. *Capisuc.* conir. 20. in eò mihi minùs placens quòd, §. 3. ad concedendum huiusmodi privilegium Sanctissimæ Virgini parvi faciat regulam illam cum plausu acceptam à SS. PP. & Scriptoribus Marianis, quòd nihil B. Virgini est de negatum, quod alicui Sanctorum, est concessum. De quò legendus Noster Franciscus Gran. *in sua Dei para, Princip. 5.* *Gran.*

21 Dices iterùm, Christus ante mortem erat in vita passibili: & verè sensit tristitiam in Horto: Matt. 26. *tristis est anima mea usque ad mortem.* Quæ cum summo gaudio resultante à Dei visione beatificâ, stare non possunt, nec intelligi. Responderunt aliqui, eiusmodi passiones fuisse in corpore non verò in anima gloriosâ Christi. Sed contra est, quòd tristitia est passio animæ; ut satis indicant prædicta Verba Christi. Henriquez *Matt. 26.* *Henr.* apud Lauream ait, ea componi potuisse, quæ tristitia spectat ad portionem inferiorem animæ; gloria verò ad superiorem. Sed contra est. quòd hæ portiones sunt idem realiter in ipsa anima: quomodo ergo in anima realiter eâdem staret simul summum gaudium cum *Laur.* passione, & cum tristitia Christi? Canus *lib. 12. de Loc. cap. 14.* ait, Christum, quamvis semper habuerit visionem Dei, interdum tamen cavisse divinitùs gaudio ex illa resultante: & tunc potuisse contristari: non simul, sed seorsim à gaudio beatifico. Sed contra est, quòd hoc est negare interdiu Animæ Christi plenam beatitudinem, quæ sine gaudio intelligi non potest. *Can.*

22 Respondetur communiùs. & melius per aliud miraculum, quo non privetur eo gaudio beatifico Anima Christi; se temperatiùs quo componatur cum eo gaudio illa tristitia in eâdem anima divinitùs: sicut componi posse dicuntur in eodem subiecto divinitùs intensè frigus, & calor, amaritudo, & dulcedo similesquè qualitates contrariæ. Fatemur itaque Christi mortalis passibilitatem, dolores, & lethalem tristitiam, & hæc stare non potuisse cum visione Dei, & gaudio beatifico naturaliter. Dicimus tamen, id factum esse miraculosè, & divinitùs: prout oportebat ad opus redemptionis, & ad hominum exemplum per eiusmodi passiones, & labores, à Christo Filio Dei, quantumvis beatificè fœlici, toleratos. De quibus Co- *Comin.*
mine *disp. 17. dub. 6.* & Uvading. *disp. 5.* *Uvadin.*
dub. 2.

SECTIO III.

Quàm strictè debita fuerit Anima Christi Visio beatifica creata in suppositione Unionis Hypostaticæ.

23 Similem difficultatem movit Ant. Perez *par. 1. de Perf.* *Perez.*
Christi, disp. 3. cap. 2. num. 109 circa Gratiam habitualem: & quamvis pro communiori sententia respondeat, potuisse divinitùs Christo denegari, videtur ex suis doctrinis inclinare in oppositum; & saltem ait, vehementiùs propendere Deum ad conferendam Gratiam vi unionis hypostaticæ, quàm vi naturæ ignis ad conferendum calorem.

24 Quidquid de hoc sit, dixerim equidem, non sine formidine, visionem beatam ita strictè deberi dignitati unionis hypostaticæ, ut nec de potentia absoluta potuerit denegari Animæ sic unitæ. Sic in terminis protulit incidenter, sed non insipienter P. Esparza *Espar.* *quæst. 27. de Prov. art. 7.*

25 Nec mirum id videri debet legenti apud Amicum aliquorum opinionem, *Amic.* quòd ex intrinsecis gratiæ taliter debetur gloria; ut omninò nequeat denegari decedenti in gratia. Et apud multos, non posse Deum non amare amicabiliter iustum. Et magis ad rem apud Ripaldam *disp. 100.* *Ripal.* *de ente supern. sec. 10.* tàm esse debitam humanitati sic unitæ possessionem beatificam Dei, ut ipsa hypostatica unio sit formalis beatitudo: quod ex eo dumtaxat nobis displicuit *disp. 1. num. 189.* quòd beatitudo formaliter *Supra* debeat esse possessio per visionem, & fruitionem *disp. 1.* summi boni. Ideoque fortasse alij *sec. 15.* apud Ant. Perez *disp. 2. cap. 3. num. 25.* re- *Perez.*

nit

nit in mentem,unionem ipſam hypoſtaticam eſſe viſionem ſubſtantialem ſummi boni. His tamen relictis.

Damaſc. 26 Nobis videtur in terminis faviſſe Damaſc. dum 3. de Fide 22. ait: *ſi verè caro eſt coniuncta Dei Verbo ab ipſo exiſtendi primordio, & hypoſtaticam cum ipſo identitatem habuit; qui fieri potuit, ut non perfectè omni ſapientia, & gratiâ locupletata ſit?* Pende, *omni ſapientiâ*, ut beatificam intellexiſſe quoque Damaſcenum intelligamus. Pende interrogationem illam: *qui fieri potuit?* ut omnino nullum dabilem eſſe modum ſignificaret,quo poſſet fieri,humanitatem Verbo unitam hypoſtaticè,fuiſſe unquam ſine omni perfectâ ſapientiâ,ac proinde ſine claritate,ac beatificâ viſione Dei.Pende coniunctionem illam: *ſapientiâ, & Gratia*: ut pariter de utraque loqueretur. Unde, quidquid ſit de doctrina inſinuatâ *num. 25.* circa Gratiam habitualem; at certè omninò impoſſibile eſt, humanitatem hypoſtaticè Deificatam non eſſe ſanctam per aliquam formam, vel quaſi formam, vel pluſquam formam ſanctificantem; atque adeò per gratiam habitualem dato caſu poſſibili, vel impoſſibili, quòd per gratiam ſubſtantialem non ſanctificaretur formaliter. Cùm ergo non beatificetur, reddaturque ſapiens,ac videns Deum per unionem hypoſtaticam, ut ſupponimus; nec per increatam Dei ſapientiâ, ut vidimus *ſec.1.*ita neceſſe eſt reddi formaliter ſapientem, ac beatam per creatam, ſibique vitalem viſionem Dei, à perfectione hypoſtaticæ unionis, aut divinæ Perſonalitatis inductam, ut omninò repugnet ſic non fieri ex Damaſceni ſententiâ.

Gnoſtic. 27 Quam aſtruere quoque licet authoritate aliorum Sanctorum PP. Quippe, probantes contra Gnoſticos, in Chriſto adhuc infanti nullam ignorantiam fuiſſe, arguunt ex indecentia ignorantiæ in anima à verbo, Dei Sapientiâ, in unitatem Perſonæ aſſumptâ, & infinitâ Dei maieſtate condecoratâ,ut legere eſt apud *Petav. lib.11. Dogm. de Incarn. à cap* 1. Huiuſmodi autem indecentia, utpote in Dei Sapientiam, & Maieſtatem refundenda, metaphyſica impoſsibilitas eſt,ut in terminis ignorantiæ tenet Ant. Perez. *diſp.1. de Perf. Chriſti cap.* 10. *num.* 147. & in ſimilibus diſcurrunt communiter alij Theologi circa imperfectiones morales, & nos attingemus *diſp.* 15. Ex ijs autem Doctrinis facile eſt arguere ab ignorantia ad inscitiam.

Petav. *Perez.* *Infra diſp.15.*

28 Nec ſatis eſt reſpondere, inde non probari impoſsibilitatem animæ unitæ Deo, & non beatificè videntis Deum; ſed ad ſummum, quod animæ ſic Deo unitæ deberetur ex metaphyſicâ neceſsitate ſcientia, ſeu notitia Dei, aliarumque rerum; infra beatificam tamen. Tum quia ſic non fit ſatis Damaſceno loquenti *de omni ſapientia.* Tum, quia, ſi ſemel admittenda eſt metaphyſica connexio unionis hypoſtaticæ Chriſti cum aliqua ſapientia creata: cur non cum beatificâ, quæ eſt poſſeſsio ſummi boni per adoptionem ultimi finis, & fœlicitatis æternæ, in qua ſtat formaliter beatitudo, & quâ carere, non poſſet non eſſe miſeria creaturæ rationalis? cùm, & ipſius Dei miſeria eſſet, non ſe videre,ſicut ſe videre eſt formalis ipſius beatitudo. Unde ſic urgeo: ignorantia, ſeu inſcitia oppoſita ſapientiæ, qua nequit carere anima Chriſti ex ſuppoſitione unionis hypoſtaticæ, eſt talis indecentia ſtatûs hypoſtatici, ut cum illo compati nullatenus poſsit: ergo ſimiliter miſeria oppoſitâ fœlicitati beatitudinis formalis: aut cur non ita?

Supra diſp.1. 29 Ulteriùs, ac præcipuè adſtruitur ex fundamento præiecta *diſp.* 1. *ſec.* 15. Unio hypoſtatica eſt donũ excellentiſsimum,& in ratione beneficij ſummum, ratione ſaltem infiniti boni increati, quòd communicat humanitati; ſed tale non eſſet, niſi per eſſentialem ſaltem connexionẽ impotaret ſecum beatificam viſionem: hanc igitur connexionẽ imperat, ita ut de nulla poſſellate à viſione valeat ſeiungi. Maiorem ſtabilivimus *loc. cit. à num.*177. ex communi Sanctorum PP. ac Theologorum ſenſu, & illuſtratum, denuò invenies apud Ant. Perez *Parte.1. de Perf. Chr. diſp.* 1. *cap.* 4. ita ut aſſerat *num.* 26. non poſſe ſine aperta hæreſi, aut errore negari. Conſequentiam ibidem admiſimus *à num.*178. nè cogeremur negare maiorem certiſsimam.

Perez.

30 Minorem, in qua res vertitur, probatam habes ibidem *à num.* 185. & denuò probo: Quia, ſi unio hypoſtatica non imperaret ſecum connexiſſimè viſionem beatificam, eſſet,& non eſſet ſummum beneficium implicantiſſimè: eſſet quidem, ut ſupponimus; non eſſet, quia dari poſſet aliud maius, nempè poſſeſſio fœlicior ſumi boni per viſionem beatificam, aut ſaltem complexum ex unione,& viſione, utibi expendimus. Si autem unio inſeparabiliter importet viſionẽ, quamvis inter ſe phyſicè diſtinguantur, in æſtimatione tamen doni ac beneficij perinde ſunt unio eſſentialiter impotens eſſe ſine viſione, ac unio,& viſio: non enim aliter unio æſtimatur donum, ac beneficium ſimpliciter infinitũ, niſi, quia connexiſſimè affert intrinſecè humanitati bonum ſummum Perſonalitatis increatæ.

31 Confirmatur. Si namque hypostatica humanitatis unio dari posset absque visione beatificâ, esset eo ipso homo ille, etiam *ut homo*, in omnibus primatum tenens, Dominus, & fœliciſsimus præ cunctis puris hominibus, & Angelis beatis, & à cunctis, ut maior honorandus, & adorandus; cùm tamen aliunde esset absolutiſsimè illis infœlicior, utpote possessione, ac fruitione sui ultimi finis privatus, inglorius, ac verè miser, quasi, potès ab illis sapientioribus edoceri, ac illustrari. At ponas insuper animam illam sine notitia sui status hypostatici: quo propterea nec frueretur, nec gauderet, nec unquam gaviſurus esset: nonne status ille sic compositus esset inglorius, infœlix, ac miser? Indignus ergo est sapientiſsimâ Dei Maiestate; atqueadeò non nisi chymericè confictus. Adde, quòd post illum statum humanitas illa dimitteretur à Verbo, & in proprio supposito constituta peccaret, & damnaretur ad gehennam; & expende horribiles sequelas Deo repugnantiſsimas, quia indecentiſsimas. Implicat, ergo humanitatem semel assumptam hypostaticè, beatificâ visione ullo unquam tempore destitui.

32 Ratio autem à priori est. Quia summa Dei intelligibilitas, & veritas intrinsecè unita humanitati multò intimiùs approximatur Animæ Christi per unionem hypostaticam, quàm intellectibus beatorum per lumen gloriæ: at per lumen gloriæ taliter approximatur, ut posito lumine, nequeat intellectus non videre Deum saltem connaturaliter: ergo per unionem hypostaticam taliter, ut nec divinitus. Præterea Sanctitas increata Dei sanctificat formaliter, aut pluſquâ formaliter Animam Christi, & Personalitas Dei illam suppositat; & bonitas Dei illam bonificat, & perficit per unionem: at per unionem hypostaticam non minùs intrinsecè applicantur Animæ Christi increata Dei Sapientia, ac divinus amor, quàm increata sanctitas, bonitas, & perfectio. Cùm autem Dei Sapientia, & amor nequeant formaliter per se reddere Animam Christi sapientem, videntem, & amantem, ob repugnantiam exercendi se vitaliter per eas perfectiones increatas, quantumvis intrinsecè sibi, ac immediatè unitas; necesse prorsus est, quòd id præstent causaliter, per formas creatas: atqueadeò, quòd Dei sapientia increata reddat necessariò Animam Christi sapientẽ, ac videntẽ Deum, sibi intimiſsimè, ac præsentiſsimè unitum, per visionem creatam beatificam; Deique amor increatus reddat illam amantem Deũ, ac beatificè Deo fruẽtem per amorem beatificum. Nec potest aliter concipi de amore amicabiliſsimo Dei erga animam sibi conjunctiſsimam in unitatẽ Personæ: usqueadeò, ut Deum metaphysicè ad id necessitet ex prædicta suppositione unionis: cùm amoris sit, velle bonum, & fœlicitatem amato, & eó maius bonum, maioremque fœlicitatem, quó amor maius est.

SECTIO IV.

Obiectionum solutione inseparabilitas Vnionis hypostaticæ à Visione Beatificâ firmatur.

33 OBijcitur primó, deprimi sic absolutiſsimum dominiũ Dei, nec de potentia absoluta valituri privare saltem ad tempus Animam Christi visione beatificâ. Instatur tamen hæc obiectio in multis evidentiſsimè. Primó in connexione essentialiſsima Animæ Deo unitæ cùm aliqua scientia, ne saltem dici possit omnino ignorans *ex nu.* 27. Secundó in connexione ejusdem unionis, & cujuslibet alterius cum suis extremis, sine quibus produci, aut illis privari de nulla potentia valet. Tertiò, ut alia prætermittam, in connexione prædeterminationis physicæ creatæ cum consensu juxta doctrinas Thomistarum; & in connexione materiæ primæ cum forma, sine qua, nec produci, nec existere divinitùs potest juxta ipsos; & cujuslibet substantiæ juxta alios sine subsistentia: imò, & cuiuslibet rei creatæ sine modulo alicuius ubicationis. In quibus omnibus dicendum esset in via objectionis, præjudicari supremo dominio Dei, eo quòd nequeat pro libito suo unam ex prædictis creaturis sine alijs producere, & conservare, invicem sejungere, & unas alijs privare.

34 Itaque, ut monui partim *disp. 10. sec. 4.* partim *disp. 13. num. ult. de Attribut.* nec verum dominium, nec vera potestas Dei constituitur circa chymeras. Unde prius pensandum est, quid in rebus repugnet, vel non repugnet ex suis terminis, & deinde de divino dominio dijudicandum: cui præjudicium esse non potest, non posse pro libito quod impossibile est, nec posse tale libitum habere, utpote irrationabile, & chymericum, soliusque dominij chymerici constitutivum, quale esset dominium ponendi pro libito hominem sine anima, & dealbandi parietatem sine albedine. Ver. *disp. 10. & 14.*

35 Hinc ad obiectionem negandum est, deprimi per nostram doctrinam verum dominiũ absolutiſsimũ Dei; sed negari Deo dominiũ chymericũ, quale esset posse facere pro libito quod repugnat. Quod autẽ repugnet

net in ipſis terminis humanitas unita hypoſtaticè Deo, & beatificè non videns Deum, viſum eſt ſupra: quia eſſet beneficio ſummo à Deo evecta ſupra cæteras creaturas etiam beatas, & non eſſet, dum deeſſet ipſi poſſeſſio beatificà ſummi boni & ultimus ejus finis ſic poſſeſſus: quod eſſet conjungere ſtatum miſeriæ cum ſtatu abſolutiſſimæ fœlicitatis.

36 Objicitur ſecundò. Si Unio hypoſtatica eſſet neceſſitas metaphyſica viſionis beatificæ, foret quoque neceſſitas ſuæ durationis æternæ: ſed hoc implicat, quia eſſet creatura intrinſecè, & eſſentialiter æterna, & eſſentialiter a Deo indeſtructibilis, quod ſolius Dei eſt, *qui ſolus habet immortalitatem*: ergo, & quòd ſit neceſſitas metaphyſica viſionis. Major probatur. Tum quia ratio beatitudinis ſine perpetua duratione conſiſtere non poteſt. Tum quia ea viſio videret in Deo æternam ſui, & unionis durationem: alioquin non redderet animam formaliter ſecuram de ſua fœlicitate: quod eſſet contra rationem excellentiſſimæ ſuæ beatitudinis.

37 Huic objectioni, in terminis multò difficiliotibus propoſitæ, occurrimus ſatis *diſp. 13. de Attrib. ſec. 10.* Pro nunc reſpondeo, diſtinguendo majorem: eſſet neceſſitas abſoluta ſuę durationis æternæ, nego: non enim ſtat neceſſitas abſoluta durandi cum potentia nunquam exiſtendi eſſentiali omni enti creato: eſſet neceſsitas ſuæ durationis æternæ, ex ſuppoſitione contingenti ſuæ exiſtentiæ, ſubdiſtinguo: ſuæ quoad ſpeciem durationis, concedo; quia non poſſet jam ea humanitas permanens non eſſe unita, Deo, ſive hac, ſive alia unione hypoſtaticà: ſuę quoad individuum durationis, nego; quia pat eſſet eius fœlicitas, & beatitudo, ſive per hanc numero, ſive per aliam unionem hypoſtaticè uniretur; ſicut, ſive per hanc numero, ſive per aliam viſionem bearetur. Quod à me dicendum neceſſariò eſt, qui actus omnes vitales creatos totos conſtituo in modo ſuæ actionis: quæ, cùm ſit ſui ipſius duratio inſtantanea, non durat una numero niſi per inſtans indiviſibile.

Tom. 1. diſp. 13.

38 Per hæc ad primam probationem majoris, fateor, rationem abſolutæ beatitudinis conſiſtere non poſſe ſine duratione perpetuâ, ſive ejuſdem numero formæ, vel quaſi formæ beantis, ut eſt beatitudo increata Dei, ſive eiuſdem in ſpecie per ſucceſsionem interminabilem formarum beatificantium numero diverſarum, ut eſt omnis beatitudo creata conſiſtens in actibus intentionalibus perenni fluxu decurrentibus in æternum. Ad ſecundam dico, quòd ea humanitatis Chriſti viſio beatifica vidit, & videt æternam ſui, & unionis hypoſtaticæ durationem eo modo, quo durat, & durabit: cùm autem, nec duratio ſui, quæ ipſa viſio eſt; nec duratio unionis, quæ eſt actio conſervativa unionis, ſit indiviſibilis, & permanens, quamvis unio permanens ſit; ſed ſit varia numero, ſemperque varianda pro ſingulis inſtantibus; non videt eamdem numero durationem, nec ſui, nec unionis, quamvis videat unionem permanſuram; ſed eas durationes videt variatas, & variandas ſucceſsivè pro ſingulis inſtantibus. Ad rationem autem ſuæ fœlicitatis, & ſecuritatis perinde eſt, ſive per hanc, ſive per aliam viſionem beari, dummodò perenniter beetur, videatque ſe beandam in æternum; ſicut, ſive per hanc, ſive per aliam durationem duret unio, dummodo videat duraturam in æternum: imò, & quamvis non eadem, ſed alia numero unio eſſet, & videretur duratura, dummodo aliqua duraret per æternam, & interminatam ſucceſsionem: ut eſt per ſe ſatis clarum.

39 Sic quoque componitur præſens doctrina cum ea, quam tradidimus *diſput. 11. ſect. 12. à num. 149.* de intrinſecà corruptibilitate, aut deſtructibilitate unionis hypoſtaticæ. Stat enim cum omnibus ſupranectis, quòd nulla numero unio hypoſtatica ſit eſſentialiter incorruptibilis, ſeu indeſtructibilis.

Supra diſp 1.

40 Objicitur tertiò. Si unio hypoſtatica tam arctam habet connexionem cum viſione beata, illam haberet pro ſemper; ita ut nec pro uno inſtanti poſſet eſſe humanitas unita, quin beata. Hoc autem videtur nimis. Sat enim extolleretur dignitas, & donum unionis, ſi eo ipſo humanitas deberet eſſe tandem beata, quamvis per breve tempus careret beatitudine viſionis: ſicut caruit per tempus vitæ mortalis glorificatione corporis, & alijs donibus beatorum, paſſa triſtitiam, dolores, ſitim, famem, aliaſque ærumnas, ad mortem uſque. Nam in hoc ipſo excelleret donum gratiæ habitualis, quam non ſemper ſubſequitur glorioſa viſio.

41 Videri poſſet alicui, non eſſe neceſſe ad ſubſtantiam noſtræ doctrinæ, ita ſtrictim connecti. Unionem hypoſtaticam cum Viſione beatifica pro ſęper, ut nec per breve tępus illa ſine iſta ſtare poſſet, dūmodo ſtare nō poſſet abſqve æternà tandē fœlicitate viſionis. Cæterūm fundamentum rationis noſtræ ſententiæ *à num. 29.* convincit, ſequelam eſſe omninò veram. Negatur tamen, hoc eſſe nimium reſpectu dignitatis eximiæ unionis hypoſtaticæ in eſſe doni, ac beneficij:

cij: quia non utcumque debet excedere donum gratiæ ordinariæ; sed debet eximiè excedere; ac proinde in omnimoda inseparabilitate à dono visionis; sine qua status ille hypostaticus esset, & non esset summus in ratione beneficij pro illo tempore non visionis.

42 Nec obest, quòd aliquandiu extiterit sine aliquibus dotibus gloriæ, & cum ærumnis mortalitatis. Hæc enim sunt accidentalitates beatitudinis, cuius fœlicitas essentialis, & substantialis est visio, amor, & fruitio summi boni, & ultimi finis per eos actus inamissibiliter possessi. Prædictæ autem accidentalitates compensabiles sunt per ingentia bona resultantia ex illorum ad tempus privatione, ut oportuit ad remedium, & exemplum generis humani cum mirabili manifestatione divinorum Attributorum; & ad exaltationem nominis Christi juxta illud: *Humiliavit semetipsum obediēs usque ad mortem, &c. Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen super omne nomen.* Ad quos fines non opus fuit privatione beatitudinis essentialis, quæ est bonum non ita compensabile per alia bona, utpotè inferiora. *Philip. 2.*

43 Objicitur quartò. Exinde sequi, donum unionis hypostaticæ essentialiter cōnecti cum visione beatifica, non qualicumque, sed quidem cum excellentissimâ excedente cunctas visiones dabiles cuicumque creaturæ non sic unitæ Deo hypostaticè: Atqui hoc est repugnans: ergo, & quòd unio hypostatica connectatur ita essentialiter cum visione beatificâ. Consequentia constat; aut saltem infringitur ex præmissis validitas nostrarum rationum. Minor probatur: quia sic non posset Deus munificentissimus alteri animæ, aut Angelo conferre maiorem, aut æqualem visionem, ac Animæ Christi: eo enim ipso iam visio Animæ Christi non excederet omnes.

44 Sequela verò maioris ostenditur. Primò: quia si unio hypostatica non connecteretur cum visione omnibus alijs excellentiore, jam non attingeret summum in ratione doni, ac beneficij: nam maius esset in hoc genere complexum ex unione, & ex visione excellentiori. Secundò: quia Angelus excellentiori visione Dei donatus, absolutè esset beatior, ac proinde fœlicior Animâ Christi: quod repugnat, cùm aliunde humanitas Deo unita, esse debeat eo ipso supra cæteros homines, & Angelos etiam beatos actuales, & possibiles, præsertim in fœlicitate essentiali, quæ est possessio summi boni, ac ultimi finis per visionem, amorem, & fruitionem. Nec prodesse posset recursus ad beatitudinem increatam Dei intrinsecè unitam, & conjunctam Animæ Christi: nam per illam, sicut nec per unionem hypostaticam, non redditur formaliter Anima Christi videns Deum, ut constat ex *sec. 1.* ac proinde, nec formaliter beata, nec fœlix, nec fruens Deo.

45 Respondetur, majorem esse veram, & concedendam propter ejus probationes. Negatur tamen minor, quòd hoc sit repugnans, aut absurdum. Ad probationem dico, Dei munificentiam, ut supra dicebamus de dominio, non esse ad impossibilia. Esse autem creaturis alijs etiam possibilibus non hypostaticè Deo unitis impossibilem visionem parem secundum aliquam eius perfectionem visioni creatæ, qua beatur Christus, vel exinde patet, quòd specialis perfectio visionis creatæ Christi est reddere eius animam videntem, se esse unitam hypostaticè Deo, tali modo videndi, ut dicat in sua Persona: *Ego sum Deus*; ex qua visione ingens gaudium, & fruitionem specialissimam effundi necesse est in animam sic beatam, ut expendit singulariter Anton. Perez *par. 1. de Perf. Christ. disp. 1. cap. 1.* Et, ut suum ipsorum telum convertamus in objicientes, dum quærunt à nobis repugnātiam, cur nequeat Deus donare puro Angelo beato visionem parem visioni creatę Christi; ostendant nobis repugnantiam, cur nequeat Deus pro suo supremo dominio, ac summâ munificentiâ beare Animam Christi intrinsecè deificatam visione inexæquabili à quacumque alia donabili naturæ non sic deificatæ. *Perez.*

46 Nobis ratio esse potest: quia nulla creatura non sic deificata potest videre Deū tam sibi intimè præsentem, ac propinquum, ac videt Anima Christi intrinsecè unita Deo intimius quam intellectus, aliorum beatorum lumini creato: ex qua mirabili, atque incomparabili coniunctione, intimitate, propinquitate, & præsentiâ animæ elevatissimæ cum Deo viso, qui plusquam lumen est gloriæ respectu visionis, nequit non resultare visio excellentissima beans Animam Christi supra creaturas omnes possibiles: quibus utique infra unionem hypostaticam repugnat modus æqualis communicationis Dei ad ipsas: cùm modus sese hypostaticè communicandi sit in Deo summus ad extra, & simpliciter infinitus in ratione doni, ac beneficij, ut supposuimus *sect. prec.*

***

SEC-

SECTIO V.

Quid videat in Verbo Anima Christi per Visionem beatam: & an ea visio fuerit infinitè intensa, & summa inter possibiles.

47 IAm ergo, suppositâ scientiâ Visionis beatæ creatæ in Anima Christi, videndum nobis est, quid præter essentiam Dei claré visam, viderit, & videat in Verbo; hoc est ex vi talis visionis: an infinitas res futuras? An omnes? An concta decreta Dei? An omnia etiam possibilia? cùm certùm sit non omnes beatos habere æqualem visionem, nec omnes videre omnia omninò in verbo distinctè, & claré.

48 Id dicitur videri à Beatis in Verbo, quod vident ex vi visionis, seu luminis Dei: sivè *formaliter*, ut si id videant per ipsam Dei visionem; sive *causaliter*, ut si id videant per cognitionem aliam distinctam subsecutivè debitam visioni Dei. Quod discrimen solemne est: quamvis de illo parùm curet Cardin. Delugo, eo quòd pendere videatur à connexione, vel inconnexione Dei cum creaturis: quod non est præsens negotium. *Delug.*

49 Prima conclusio. Anima Christi ex vi beatæ visionis vidit concta futura, præsentia, & præterita, quæ videt Deus per scientiam suam increatam. Sic ex S. Tho. Suarez *disp 28.* Vasq. *disp. 51.* Scotus *in 3. dist. 14. quæst. 1.* iuxta Lauræam id multis Sanctorum testimonijs illustrantem *disp. 15 num. 2.* contra Monteum, Bernal, Amicum, aliosque veteres apud ipsos, quibus accedit Hannoldus *lib. 4. tract. 1. cap. 8. contra.* Ratio sumitur ex communi doctrina Theologorum: qui, cùm ex Beatis alij plura, alij pauciora videant in Verbo, propter inæquales gradus gloriæ, & visionis; in eo conveniunt, quòd ea saltem videat quilibet Beatus in Verbo, quæ pertinuerunt ad ipsius statum, & conditionem. Cùm ergo Christus constitutus fuerit rerum omnium creatarum Caput, & Dominus, Iudexque universorum, cui omnia dedit Pater in manus, & propter quem condita sunt universa; congruentissimum est, quòd concta viderit ac videat in Verbo ex vi visionis suæ: siquidem nihil fuit, est, nec erit, quod ad prædictum suum statum non pertinuerit, & pertineat. *S. Tho. Suar. Scot. Laur. Monc. Bern. Amic. Annol.*

50 Secunda conclusio. Videt, ac videt etiã Anima Christi claré, ac distinctè per scientiam suam beatam ex vi visionis, & in Verbo concta possibilia, quæ cognoscit scientia increata simplicis intelligentiæ: ac proinde infinitas creaturas possibiles, si possibiles sunt. Hæc conclusio non est ita communis. Fuit tamen olim Magistri *in 4. dist. 4.* Alberti & Durandi ibi *quæst. 2.* Henriquij apud Suar. *disp. 20 sec. 2.* & traditur ab Henrico *disp. 51. cap. 4.* & à Bernal *disp. 34.* cum alijs. Quinimò Suar. cit. & Alurreo *disp. 8.* eandem tenent, si id alicui creaturæ possibile sit. Nec satis consequenter illum negant qui Animã Christi per eam scientiam asserunt cognoscere quidquid cognoscit Deus per scientiam visionis. Per hanc enim omnia possibilia cognoscit Deus; de alijs sciens esse futura, de alijs non esse futura: utraque enim hæc Dei scientia contingens est, Denique libera: ac proinde ad scientiam visionis revocanda. Nullum autem possibile esse extra Deum, quod non sit, aut contingenter existens, aut præteritum, aut futurum, aut contingenter non futurum, certissimum est, ut monui *disp. 17. de Attrib. num* 100. Unde aliud est animam Christi videre per scientiam suam beatam cuncta futura, quod salvatur per primã nostram conclusionem negatã secundâ: aliud est videre quidquid Deus cognoscit per scientiam visionis, quod, negatâ nostrâ secundâ conclusione, salvari non potest. Hæc tamen duo passim confunduntur. *Mag. Albert. Duran. Henrr. Heriz. Bern.* *Tom. 1. disp. 8. sec. 6.*

51 Fundamentum nostræ conclusionis est. Quia nec repugnat, ut videbimus in solutione argumentorum, nec est cum alijs Christi negetur ulla perfectio intellectualis: præsertim cùm visio omnium possibilium in Verbo non excedat condignitatem meritorum Christi, si per viam meriti, ac præmij incedendum est, nihilque creandum, nec creabile sit, quod non pertineat quantumvis ad statum ipsius, ut capitis universorum. Non est igitur neganda Animæ Christi cognitio omnium possibilium ex visionis ipsam exaltante beatificantis.

52 Accedit auctoritas S. Hieronymi, qui, apud Eusebium *in Epist. ad Damasum insertâ tom. 9. Operum Hieronymi*, nescio proximis sic Christum alloquebatur: *Tua anima statim, ac inseparabiliter fuit unita Divinitati omnia scivit, quæ ipsa scit Divinitas.* Consonat Damascenus *3. de Fide 21. & 22.* inquiens humanitatem Christi per unionem ad Verbum dictam fuisse *omni sapientiâ.* Et Glossa ad illa *Apoc. 5. Dignus est Agnus qui occisus est accipere Divinitatem*, sit: *Dignus est accipere cognitionem omnium rerum.* Nec facilè dubitationem Adversarij, cur aliquotum, & non plurium? cur plurium, & non omnium? cùm Christus cognitione beatificâ omnium signifi- *Hieron. Euseb. Damasc. Glos. Apoc. 5.*

niſsimus fuerit, & ad dignitatem Magiſtri univerſalis pertineat nihil neſcire, de quo ab aliis interrogari poſſet. Et congruentiſsimum eſt Deum præmiantem alios viſione beatifica ultra condignum, donaſſe Chriſtum viſione beatifica, qua eius Anima omnia ſcibilia videret in Verbo: cùm neque hoc eſſet ultra condignum ſuorum meritorum, ſi ex meritis dandum foret.

53 Ad viſionem hanc beatificam habuit Anima Chriſti lumen gloriæ etiam creatum. Quamvis enim potuerit ea viſio fieri ſine tali lumine, congruens eſt, quòd inſtructa habitualiter fuerit per lumen intrinſecum ſupernaturale per modum habitûs Animæ naturalis ad producendam, & conſervandam viſionem ſupernaturaliſsimam: ſicut ob eamdem rationem conceduntur eidem Animæ habitus infuſi virtutum ad exercendos connaturaliùs actûs ipſarum, ut dicemus *diſput. ſequ.* Sic latè Eminentiſ. de Laurea *art. 2.* pro hac communi doctrina explicans Scotum, & aliquos Eccleſiæ Patres. *Infra diſp. 14. Laur. Scot.*

54 Tertia concluſio: Si poſsibilis eſt qualitas infinitè & ſummè intenſa, talis aſſerenda eſt viſio debita Animæ Chriſti: ut de intenſione, ac ſummitate Gratiæ habitualis dicemus *diſp. ſeq.*

SECTIO VI.

Argumenta contra primam noſtram concluſionem de cognitione omnium futurorum.

55 CONtra primam concluſionem arguitur primò ex Mar. 13. ubi rogatus Chriſtus de die futuri judicij, reſpondit: *De die autem illo nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius*: Ergo diem Judicij verè futurum neſciebat Chriſtus: ſcilicet, *ut homo*, per ſcientiam ullam creatam animæ ſuæ: ac proinde non videbat in Verbo per illam omnia futura. Huic conſequentiæ quantùm detulerint aliqui SS. Patres vide apud Uvadingum; quantùm tamen habeat falſi, vide in Epiſtola Sophronij relata *in 6. Synodo*; ubi damnatur Themiſtius negans Chriſtum, quâ hominem, ſcivisſe diem judicij. *Mare. 13.* *Vvadin. Sophron. Synod. 6.*

56 Reſpondetur ergo, negando totam conſequentiam. Id ſcilicet ſciebat Chriſtus: qui tamen in illis circumſtantijs veriſimè dixit, ſe neſcire: non quidem per reſtrictionem purè mentalem, intelligendo apud ſe, *ut id manifeſtaret*, ne incidamus in propoſitionem 26. ex prohibitis noviter ab Innocentio 11. ſed per uſualem ſignificationem vocum in ſimilibus circumſtantijs etiam externis, ut ſolet dici de circumſtantijs muneris Inquiſitoris, vel Confeſſarij: qui rogati de re ipſis ex officio notâ, verè reſpondent: *neſcio*: quod verbum in illis circumſtantijs externis non ſignificat ignorationem rei; ſed aut ſuam obligationem non manifeſtandi, aut ineptiam interrogantis: qui ſi id non capit, ſuæ imputet inſcitiæ, & non falſiloquio ſic ſcitiſsimè loquentis. Sic Lumbier, Caſsianus, & Cardenas in explicationibus dictæ prohibitionis.

57 Porrò Chriſtus, ex Prophetia notiſsima *Malach. 3. Et Angelus Teſtamenti, quem vos vultis*, ubi Cornel. ad litteram: *Angelus, id eſt, Legatus, Interminſtins*; fungebatur inter alia munere Legati, ſive Nuncij Dei apud homines: dum autem id muneris obibat fideliſsimè, ſecundum legationem ſibi demandatam, non erat é re manifeſtare, imò celare extremum Judicij diem: ſicque veriſimè dixit ſe neſcire, id eſt, ut ex munere ſuæ legationis palam faceret: quam reſtrictionem ipſa circumſtantia externa per illa, quæ tunc protulit verba, loquebatur. Id quod in alijs Principum Legatis quotidianum eſt: quippè, dum ſuæ legationis munere funguntur, interrogati importunè de rebus alijs, quas celare fideliter oportet, veriſimè reſpondent ſe neſcire, ut dictum eſt de Inquiſitore & Confeſſario. Sic Leſsius *quæſt. 10. num. 9.* Cornel. *ad 24. Matt.* *Malac. 3. Cornel.* *Leſſius. Corn.*

58 Dices: ſic & Pater dici etiam à Chriſto poſſet neſcire diem illum: cum tamen ibi addatur: *niſi Pater*. Negat Leſſius, & meritò: quia pro Patre non ſic loquebatur ibi ea circumſtantia externa legationis. Nec enim in humanis Legatus Principis eâ ratione, qua verè poteſt, & debet dicere, ſe neſcire rem ſibi ſecretò notam, poteſt dicere neſciri etiam à ſuo Principe; ſi aliunde ea Principis notitia non fuerit Legato ſub ſimili ſecreto commiſſa. Ad illud de Angelis dico, nihil eſſe quod obliget dicere, Angelos ſcire diem Judicij: ideòque non eſt cur verè, planéque non dixerit Chriſtus, neque Angelos id ſcire: dicere autem quod Chriſtus Supremus Judex, id ignoraverit, accedit ad errorem Agnoitharum plures ignorantias Chriſto tribuentium. Nec tamen ex eo loco ſatis é contra colligitur, Angelos id neſcire: cùm poſsit ſimiliter dictum illud Chriſti intelligi de Angelis, ut internuncijs interdum Dei ad homines. Ad rem, Abulenſis cenſet Angelos id ſcire; Sotus, id planè neſcire apud Suar. *quæſt. 10. art. 2. in Comment.* *Abul. Sot. Suar.*

59 Arguitur ſecuddò. Non videt Anima Chriſti omnes actus liberos Dei circa creа-

creaturas: ergo neque omnes creaturas futuras. Antecedens probatur dupliciter. Primò: quia comprehenderet scientiam, & voluntatem liberam Dei: cùm nihil illius ignoraret. Secundò: quia saltem ea visio non videt actum scientiæ Dei ipsam videntis: sic enim illæ visiones mutuò se intuitivè viderent, seque mutuó antecederẽt: cùm obiectum antecedere debeat intuitionem sui. Respondetur, permisso antecedente, non sequi consequentiam: nam, ut notabam *n.* 50. circa creaturas nunquã futuras sunt etiã plures actus liberi divinæ scientia, & voluntatis. Nego tamen absolutissimè antecedens. Ad primam probationem, quidquid concedant Caiet. & Capreol. apud Delugo *disp. 19. num.* 10. nego sequelam: nihil enim Dei dici potest comprehendi, non comprehenso toto Deo, qui à creatura incomprehensibilis est, ut ostendi *disp. 17. de Attrib. num. 33. & seq.* Quomodò enim nihil illius perfectionis divinæ ignoraretur, cuius ignorarentur aliæ perfectiones cum illa realiter identificatæ? Ad secundam, nego antecedens, eiusque ratiunculam: nam, ut benè Aldrete *disp. 63. sec. 3. & 5.* necesse non est quòd obiectum purè terminativum, qualis est visio animæ Christi respectu scientiæ Dei videntis ipsam antecedat scientiam Dei, per quam videtur, & in quam nec per se, nec per speciem sui vicariam effectivè influit. Patet in scientia visionis, qua Pater intuetur Spiritum Sanctum nullatenus antecedentem ipsam. Antecedentia obiecti ad sui visionem admittitur, quando obiectum illam causat.

Caiet. Capre. Lug. *To. 1. disp 17. sec. 3.* *Aldrt.*

60 Arguitur tertiò. Anima Christi per suam visionem non videt ipsam visionem, nec alia obiecta subsequuta ad visionem v.g. Fidem, qua nos eam credimus, & actionem gratiarum Christi pro ipsa: ergo non videt per eam cuncta existentia, & futura. Antecedens probatur: quia visio saltem creata supponere debet obiectum suum: quod nimirum videtur, quia existit; non verò existit, quia videtur: sed visio non supponit se ipsam, neque illa obiecta, quæ ipsam subsequuntur: ergo nec se, nec illa videt. Confirmatur. Si videret se ipsam, videret suam intensionem: ita ut primus gradus videret se, & tertium; & tertius se, & secundum secum unitum, & sic de cæteris; sicque essent invicem omninó inseparabiles: & nullum supereſſet signum, nulla ratio distinctionis realis inter illos.

61 Respondetur, negando antecedens. Ad probationem iam dixi, non esse universaliter verum, quòd omnis visio debeat præsupponere obiectum: fallit enim quando obiectum non est motivum, & per se, aut per sui speciem, visionem causans: quod non reperitur in visione beatâ, nisi respectu Dei visi, à quo causatur, ut prosequitur Aldrete cit. Causalis illa: *obiectum videtur, quia existit*: sicut non semper denotat influxum obiecti in visionem, sic nec semper antecedentiam nec temporis, nec naturæ. Quid verò tunc significet sufficienter ad illius veritatem, diximus *disp. 6. num. 161.* Ad confirmationem, quam nimis commendat Lugo, respondet Aldrete, negando consequentiam, nam ex inseparabilitate non satis arguitur indistinctio. Mihi facilius est negare suppositum antecedentis quoad illud de gradibus realibus intensionis visionis. Censeo enim, actus vitales non intendi per eiusmodi additionem gradûs ad gradum, sicut multæ qualitates; sed actum intensiorem esse tendentiam actûs simplicis perfectioris, alio etiam simplici, qui erat remissior, & cui succedit intensior. Id ex alijs innuit Aldrete *sec. 5.* tenetque Lynceus, mihique non displicuit in Philosophia. Quod eó nunc libentiús approbo, quò cohærentiús est ad fluxũ successivũ actuũ creaturũ nõ nisi instantaneé existentium, utpotè cum modo suæ durationis identificatorum, ut etiam insinuavi ex Lugo *disp. 12. de Attrib. num. 37.*

Aldret. *Supra disp. 6. sec. 11.* *Aldret. Lync* *Lug. Tom. 1. disp. 12.*

62 Arguitur quartò. Visio beata Animæ Christi nõ videt suam æternã durationẽ: ergo non omnia futura. Antecedens probatur: nam esset essentialiter æterna, & intrinsecè indestructibilis: quod repugnat enti creato. Probatur sequela: quia talis visio esset essentialiter vera, utpotè supernaturalis: iudicat autem se in æternum duraturam: ergo esset essentialiter æterna, & intrinsecè indestructibilis.

63 Huic celebri argumento, quod ex professo expendi *disp. 13. de Attrib. sec. 10.* aliqui succumbunt; alij non solidè satisfaciunt. Varias solutiones afferunt Aldrete cit. Quir. *to. 1. disp. 33.* Ovied. *1. 2. contr. 3. punct. 3.* Prudentius *to. 2. trat. 2. disp 1 dub. 2.* Godoy *disp. 34.* & Borrull *disp 9. Attrib. sec. 2.* Ex ijs quæ fusè scripsi loc. cit. solidé, ac expeditè respondendum iudico, negando antecedens: quin necesse mihi videatur concedere arguenti cum Delugo æternitatem visionis non videri per ipsam visionem formaliter, sed causaliter, hoc est, per aliam notitiam inductam à visione Dei. Potiús dicerem cum Ant. Perez *to. 2. tr. 4. disp. 3. num. 24.* non esse de ratione visionis beatæ videre, se ipsam numero æternùm duraturam; sed unam, vel aliam successivé, ut iam innuimus *n. 38.*

tom 1. disp. 13. Aldret. Quir. Ovied. Prud. Godoy. Bernal. *Lug. Perez*

64 Ad probationem antecedentis nego, eam visionem essentialiter veram fore perinde essentialiter æternam; & concedo, so-

re intrinsecè indestructibilem, iuxta communiorem doctrinam de permanentia eiusdem visionis creatæ per plura instantia. Nego, inquam, fore essentialiter æternam: quia essentialis æternitas involvit necessitatem semper essendi, cum tamen ea visio, & quæcumque creatura ex conceptu suo potuerit nunquam fuisse; nec propterea esset falsa: quia si non esset, non esset falsa: est autem essentialiter vera essentialiter respectivâ, quia illi visioni ita necessaria est esse veram, ut repugnet esse, quin sit vera, quamvis non repugnet non esse, & sic nec esse veram, nec falsã. Concedo autẽ fore intrinsecè indestructibilem: quia destrui non est præcisè non esse; sed est, nõ esse postquã semel fuit: quod repugnat illi ex intrinseca sua veritate iam suppositâ existente. Unde nego ultimam consequẽtiam quoad æternitatem, & concedo sine inconvenienti quoad indestructibilitatem ob rationem datam. Hæc, & alia huc pertinentia ad satietatem explicui *loc. cit. de Attributis.*

65 Arguitur quintò. Anima Christi ex vi suæ visionis beatificæ non videbat suos actus liberos: ergo non omnia futura. Probatur antecedens: quia si eos videret, non fierent liberè: visio enim essentialiter connexa cũ illis illos antecederet. Si respondeas, quòd illos antecederet tempore, non naturâ, ut dicitur de divina scientia visionis, quæ proinde stat cum libertate actuum nostrorũ, quos certissimè videt; arguitur specialiùs: nam aliquos actus liberos Christi antecessisset visio beata animæ Christi, & tempore, & natura: ergo istorum saltem libertas stare non posset cum tali ipsorum visione. Antecedens probatur: nam videns Christus eâ suâ visione beatâ miseriam Petri movebatur ad actum misericordiæ, videns preces Chananææ movebatur ad annuendum, videnſque se visione decoratum movebatur ad gratificationem: ergo ad hos, & similes actus Christi habebat se visio, ut principium movens ad eos actus: ergo ut naturâ etiam ad illos antecedens: ergo ut omnino tollens eorum libertatem.

Lug. 66 Compulit Cardin. Delugo, & alios hoc argumentum, ut dicerent, quòd Christus eiusmodi actus liberos suos non videbat ex vi visionis beatæ formaliter, sed causaliter per aliam scientiam non beatificam, ab ipsa tamen inductam. Alios cum Hurtado, ut dicerent, quòd illos videbat formaliter per visionem beatam distinctam tamen, & subsequutam ad aliam etiam beatam, quâ dirigebatur ad illos. Alij alia dixere minùs consona. Alij omnino dissona, ut Prudentius, & Godoy: qui, non obstante vi huius argumenti, ex eo volunt, eam visionem non obesse libertati actuum Christi, quia videt esse liberos: quo ingenio dici posset, nec obesse eorum liberæ necessitati, quia videt esse libereros simul, & necessarios: quæ implicatoria sunt: & sicut eadem ratio probans non esse liberos simul, & necessarios, probaret, Christum non videre eos liberos simul, ac necessarios; sic eadem ratio probans, eos sic non esse liberos, probat eâdem vi, Christum no videre, eos esse liberos: cui rationi oportet alioquin respondere, & non per circuitionem inaniſſimam petitivam principij. *Hurt.* *Prud.* *Godoy.*

67 Respondetur ergo, negando antecedens. Ad probationem plenè responsum est ibi per exemplum divinæ scientiæ visionis, evitabilis utique pro libito voluntatis creatæ, cuius actus liberos videt, ut est communis Theologia *in Tract. de Scienti Dei.* Eiusmodi autem evitabilitatem pro libito voluntatis humanæ Christi imitatur visio beata intellectûs Christi: non magis connexa, quàm Scientia visionis Dei, cum actibus liberis, quos videt. Ad instaurationem argumenti subiunctam ibidem contra istam responsionem, concesso antecedente cum sua probatione, nego consequentiam, quòd nempe ea naturæ præcedentia visionis quantumvis essentialiter connexæ cum illis actibus voluntatis Christi naturâ posterioribus, obsit eorum libertati: nec enim ea præcedentia tollit quominus eiusmodi visio eorum actuum sit evitabilis per potestatem eliciendi oppositos. Sicut autem his oppositis elicitis, non daretur ea visio, sed opposita; sic potestas hos oppositos eliciendi est potestas faciendi, nè præcesserit ea visio, sed opposita. Nec perceptu difficilius est, esse nunc veram potestatem evitandi, ne fuerit quod naturâ, quàm quod tempore reipsa præcesserit: cùm neutrum fiat per influxum physicum posterioris in prius; & in utroque detur connexio prioris cum posteriori non nisi in genere intentionali evitativo prioris, tam tempore, quam naturâ præcedentis.

68 Id quod mihi pervium est in sententia Patris Suar. defendentis immediatam libertatem actûs imperati, non obstante connexione imperãtis naturâ præcedentis ad illum: & in doctrina pereelebri, ac inconcussâ libertatis actus supernaturalis pro instanti determinato præcepti, non obstante connexione gratiæ habitualis influentis, ac proinde naturâ præcedentis ad ipsum: & quod caput est, in doctrina iuxta viam Societatis innegabili de directione Scientiæ Mediæ ad collationem auxiliorum, quibus fiunt actus nostri *Suar.*

ſtri liberrimi; non obſtante complexo ſcientiæ mediæ dirigentis Deum, & decreti conferentis auxilium, tempore, & natura præcedente actum noſtrum liberum, & connexo cum illo, de quibus fuit in locis. Falſum ergo eſt aliquorum aſſumptum univerſaliter acceptum: quòd omne connexum cum actu, & naturâ antecedens actum, obeſt libertati actus: & quòd propterea viſio antecedens actûs Chriſti nequeat ſtare cum ipſorum libertate. Aliunde igitur libertatis incolumitas, aut iactura deſumenda eſt.

69 Dices, juxta doctrinam hujus reſponſionis non ſupereſſe rationem, cur viſio beatifica Dei neceſſitet Beatos ad amorem Dei; aut prædeterminatio phyſica prædeterminatos ad actum. Reſpondetur, ſupereſſe claram, & ſolidam. Viſio namque Dei non ideò neceſſitat Beatos ad actum amoris Dei beatificum, quia videt talem actum; ſed quia videt eius objectû, ſcilicet infinitam Dei boniratem, quæ intuitivé cognita nequit non amari, eo quòd nulla ſit in voluntate poteſtas activa ad non amandum bonum undequaq; infinitum intuitivé cognitum; nec evitaretur viſio Dei eo ipſo, quòd quoquomodò impediretur voluntas, ne proderet in amorem Dei: quamvis in eo caſu non eſſet hæc viſio Dei videns etiam amorem Dei. Phyſica prædeterminatio taliter aſſeritur non eſſe volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, in ſui exiſtentia, aut non exiſtentiâ, ut neque habeatur, neque valeat amoveri, aut impediri pro libito voluntatis creatæ id ſibi eligentis: alioquin iam non eſſet prædeterminatio. Quod à caſu argumenti nobis oppoſiti longiſſimé abeſſe, patet ex terminis.

70 Si verò difficultatem facias in eo, quòd viſio, quâ Anima Chriſti videt Deum, eſt eadem numero, quâ videt in Deo miſeriam Petri, & miſericordiam Chriſti: ergo, & viſio Dei, & viſio miſeriæ, & viſio actûs liberi miſericordiæ Chriſti dirigit, & præcedit ad illum actum: quod videtur imperceptibile: nam viſio actûs, nec præcedere, nec dirigere poteſt ad actum. Reſpondetur per ea, quæ in ſimili tetigimus de ſcientia viſionis divinâ *diſp. 6. à num. 156.* totam illam viſionem, ut poté realiter eamdem, nec virtualiter diviſibilem præcedere, ac dirigere ad actum liberum miſericordiæ Chriſti; non quia viſio talis actus eſt; ſed quia viſio miſeriæ eſt; & nihil illius viſionis præcedere, aut dirigere ad actum, quia viſio actûs eſt. Quod ſine diſtinctione, aut poſterioritate virtuali illarum formalitatum ſalvatur per reales modos tendendi talis viſionis, & talis actus miſericordiæ volentis miſereri, quia videtur miſeria, & non quia videtur actus miſericordiæ, ut explicuimus *ſec. cit.* ſine poſteriotate virtuali ſcientiæ viſionis; & reſpondimus ad difficultates occurrentes ex loquutionibus communibus non ſatis apud omnes enucleatis.

Supra diſp. 6. ſec. 11.

SECTIO VII.

Argumenta contra ſecundam concluſionem de cognitione omnium poſſibilium.

71 ARguitur primò: quod refert Eymerich *in Director. par. 2. quæſt. 11.* damnatam fuiſſe hanc Arnaldi Villanovenſis propoſitionem: *Quàm citò Anima Chriſti fuit unita divinitati, ſtatim ſcivit omnia, quæ Deitas ſcit; quia aliàs non fuiſſet cum ea una Perſona.* Propter hoc Cabrera auſus eſt, ſecundam noſtram concluſionem cenſurare. Sed immeritò: cùm ibidem legere potuiſſet, prædictam damnationem prodijſſe, inconſulto Papa. Reſpondi etiam *diſp. 17. de Attrib. num. 30.* ex Herize cit. & Delugo *diſp. 20. num. 46.* non fuiſſe damnatam priorem illam ſimplicem propoſitionem, quæ continet concluſionem noſtram, cùm ſit expreſſa S. Hieron. *citat. num. 32.* ſed complexam ex illâ, & ſuâ cauſali, utpoté indicante, aut neceſſe eſſe Chriſti Animam ſcire debuiſſe omnia, ut eſſet una Perſona cum Verbo, quo videtur foveri Neſtorianiſmus; aut ad unitatem Perſonæ requiri unicam fuiſſe ſcientiam, & illam quidem increatam, qua Chriſtus ſcivit omnia: quod redolet Monotheliſmum.

Eymer. Arnald.

Cabrer. Supra. diſp. 6. ſec. 11. Tom. 1. diſp. 17. ſec 3. Heriz. Lug. Hieron.

72 Arguitur ſecundò. Si Anima Chriſti per ſcientiam creatam omnia videret in Verbo, cognoſceret infinitas veritates, cùm poſsibiles ſint infinitæ creaturæ: ſed hoc implicat: ergo. Probatur minor: quia, ut infinitas res cognoſceret, deberet habere vim cognoſcitivam infinitam, & elicere actus, aut numero, aut perfectione infinitos: quod eſt impoſsibile animæ finitæ. Probatur ſequela: nam ad cognoſcendam unam veritatem requiritur aliqua vis cognoſcitiva, & aliqualis cognitio; maior, ad cognoſcendas duas; maior, ad tres; & ſic deinceps calculando: ergo infinita, ad infinitas. Fallaciam huius, & ſimilium calculationum patefeci *diſp. 8. à nu. 49.* agens contra infinitatem offenſæ, *& diſp. 17. de Attrib. n. 45.*

Supra diſp. 8. ſec. 6. tom. 1. diſp. 17. ſec 3.

73 Reſpondetur ex ibi dictis, conceſſâ maiori, quæ eſt expreſſa S. Thom. *quæſt. 10. art. 5.* negando minorem. Ad probationem non gravatur Bernal *diſp. 34. num. 47.* concedere Animæ Chriſti lumen, habitus, & ac-

S. Tho. Bern.

Digitized by Google

tus infinitæ intensionis. Quidquid tamen de hoc sit, censeo id non esse necesse ad cognoscenda infinita. Itaque nego sequelam. Quam non satis persuadet probatio illa calculatoria sequelæ: sicut nec, quòd nos ad cognoscendum, aut amandum Deum egeamus actibus infinitis, ex eo quòd attingamus obiectum infinitum, & actus eó sit perfectior, quò perfectius obiectum attingit. Concedo equidem, ad cognoscendam unam veritatem requiri aliquam vim cognoscitivam, & aliqualem cognitionem; non tamen tam perfectam, ac est veritas cognita, ut patet dum nos cognoscimus Deum, aut Angelum. Dato deinde, quód ad cognoscendas duas requiratur maior vis, non certè requiritur maior in numero: nam una vis, & una cognitio potest attingere duas veritates: quodsi requiritur maior saltem in perfectione; at certè non eâ maioritate, aut eo excessu, quo veritates cognitæ se excedunt in perfectione: nam perfectio cognoscitivi, & cognitionis, non æquiparatur obiecto, ut patet in cognitione creata de increato: quæ nec est æquè perfecta, ac Deus, nec excedit cognitionem de lapide eo excessu, quo lapidem Deus. Sic autem concesso toto ultimo antecedente, nego ultimam consequentiam: nam infinitudo cognoscitivi, aut cognitionis, nec arguitur ex infinitate obiecti, ut dictum est; nec ex excessu cognitionum numero infinitarum infra se, ut patet in Angelo, qui, finitus cùm sit, excedit perfectione infinitas creaturas possibiles infra ipsum; nec ex respectu ad infinitum numerum rerum, ut patet in intellectu, & voluntate finitis cum respectu ad actus possibiles numero infinitos.

74 Arguitur tertiò sequi, quòd Anima Christi comprehenderet Omnipotentiam Dei contra Dogma divinæ incomprehensibilitatis à nobis expensum *disp. 17. de Attrib.* ubi multa de hoc. Probatur sequela: quia cognosceret Omnipotentiam Dei versùs omnes terminos possibiles: ita ut nihil Omnipotentiæ, aut in se, cum illam intuivé videat; aut respectivé ad possibilia, cùm omnia etiam possibilia in Verbo videret; Animam sic cognoscentem lateret. Hoc autem esset comprehendere Omnipotentiam iuxta Augustinum *Epist. 112. ad Paulinum*, ibi: *Totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nihil eius lateat videntem.* Confirmatur ex P. Lessio *quæst. 10. de Incarn. art. 2.* Quó plures effectus cognoscuntur in causa, eò magis penetratur causa: ergo si omnes effectus Deo possibiles in eius Omnipotentia tanquam in causa viderentur ab Anima Christi, Omnipotentia Dei à creatura comprehenderetur, ac proinde totus Deus. Quemadmodum comprehenderetur causa, cuius omnes effectus in ea cognoscerentur: v.g. virtus solis ab eo, qui ita perfectè solis naturam videret, ut ex vi talis visionis effectus omnes possibiles solis discerneret. Sic etiam operosè Gonetus *disp. 5. de Visione.* Plura Nos *disp. 17. de Attributis*, tam in confirmationem, quam in plenam solutionem huius argumenti: quò Lectores meos remitto, ne actum agam.

Tom. 1. disp. 17.

Aug.

S. Thom. Lessius.

Gonet. tom. 1. disp. 17.

75 Respondetur ex ibi dictis, negando sequelam de comprehensione intensivâ: quæ negatur possibilis cuicumque creaturæ de Deo ex Dogmate divinæ incomprehensibilitatis; & ex eodem Augustino *12. de Civit. 18.* ea est: *quid res cognoscitur quantum cognoscibilis est.* hoc est, non solum quòd cognoscat quidquid in re cognoscibile est; sed cognitione, & cognoscivitate tantâ in esse cognoscitivæ, quanta est rei cognoscibilitas in esse cognoscibilis. Id quod expressit S.Th. *art. 7.* dizens: *Illud comprehenditur, quod perfectè cognoscitur; perfectè autem cognoscitur quod tantùm cognoscitur, quantùm est cognoscibile. Et quæst. 4. de verit. art. 4. Tunc Deus comprehenditur, quando intellectus tantam habet efficaciam in intelligendo, quantam habet Deus ut intelligatur.* Ei æqualitatem cognoscitivi cum cognoscibili non materialem in perfectione entitativa; sed formalem in ratione cognoscitivi, & cognoscibilis. Unde pro nobis infert *3. part. quæst. 10. art. 2. ad 3. Quantitas scientiæ non solùm attenditur secundum numerum scibilium, sed secundum claritatem cognitionis.*

Aug.

S. Tho.

76 Hinc ad probationem sequelæ, cõcedo maiorem: & nego minorem de comprehensione intensivâ. Dictum autem illud Augustini intelligendum est de extensivâ: quæ de Deo non repugnat creaturæ, nec absolutè venit nomine comprehensionis, quæ dogmaticé dicitur Deus incomprehensibilis. Et ratio summatim est: quia ut Deus, seu Dei Omnipotentia, aut quælibet divina perfectio, sic comprehendatur, debet cognosci ex Augustino, *quantum cognoscibilis est*: hoc est taliter, ut non sit magis, seu perfectiùs, clariùs, puriùs cognoscibilis, quàm sit cognoscitiva vis eum cognoscens: sicque se ipsum ipse comprehendit; quippè tam summè cognoscitivus est, quàm cognoscibilis: à nulla verò creatura comprehendi potest: quia repugnat creatura summè cognoscitiva: semper enim est infinitè minùs cognoscitiva, quàm Deus: ac proinde infinitè inferior in esse cognoscitivi summæ cognoscibi-

Aug.

cibilitati Dei non inferiori, sed pariter summæ cognoscitivitati Dei; ac proinde soli cognoscenti divino: à quo propterea unicè comprehendi potest intensivè. Unde verissimè dixit Suarez, perfectioritatem visionis *Suar.* Dei non utcumque sumi ab eo quòd Beatus plurès, aut omnes creaturas videat in Verbo; cùm possit aliunde unus pauciores videns distinctim creaturas, perfectiùs videre Deum, esseque beatior.

77 Ad confirmationem negatur antecedens ex nuper dictis, & ex alijs videndis *Tom. 1. disp. 17.* *disp. 17. de Attributis*, præsertim *sec. 6.* Unde nec est utcumque verum, quòd quò plures effectus cognoscuntur in causa, eò magis penetratur causa: nec quod intensivè comprehenderetur causa eo ipso quòd omnes eius effectus in ea cognoscerentur: nec quòd virtus solis comprehenderetur eo ipso ab illo, qui ita perfectè solis naturam videret, ut ex vi talis visionis omnes effectus possibiles solis discerneret. Ex hoc enim quamvis inferatur aliqualis comprehensio extensiva; non verò intensiva: nam erga eosdem omnes effectus distinctè visos in causa potest magis, ac magis pe fectè aliundè cognosci causa versùs eosdem omnes effectus distinctim visos in causa. Hæc breviter ex ibi latè disputatis.

78 Arguitur quartò. Anima Christi visione suâ beatificâ non comprehendit omnes creaturas possibiles: ergo neque omnes videt. Antecedens videtur communi calculo concedendum. Consequentia probatur; quia congruentiæ positæ *sect.* 5. pro visione omnium creaturarum possibilium, æquè faciunt pro earum comprehensione: cùm neque hæc excedat condignitatem meritorum Christi; nec sit cur Animæ Christi denegetur.

Nomin. Vvadin. 79 Improbabile mihi non est, quod tribui solet doctissimis Nominalibus apud Uvadingum *disp. 6. nu. 44.* scilicet, nullam creaturam posse intensivè ab alia comprehendi. Quia ut comprehendatur quælibet creatura debet comprehendi eius inferioritas, distinctio, & distantia à Deo: hæc autem comprehendi nequeunt, nisi comprehensâ magnitudine Dei: nam quò perfectius cognoscitur magnitudo Dei, eò perfectiùs cognoscitur inferioritas creaturæ, ac proinde ipsa creatura. Cùm autem nulla creatura valeat comprehendere magnitudinem Dei, cuius utique cognoscibilitas non exæquatur, nisi à cognoscitivo Divino; sic nec inferioritatem creaturæ, ac proinde, nec creaturam. Nec perinde Attributum incomprehensibilitatis Dei proproprium commune fit creaturis. Nam Deus id habet ratione suæ profundæ intelligibilitatis, creatura verò ratione intelligibilitatis infinitæ Dei infinitè imparis intellectivitati cuiuscumque creaturæ. Sicque incomprehensibilitas ista creaturæ vocari posset extrinseca; sive per locum extrinsecum; illa verò Dei, intrinseca, & per locum intrinsecum. Iuxta doctrinam istam ad argumentum, concesso antecedente, neganda esset consequentia. Ad probationem, dicendum, congruentijs illis obstare repugnantiam dictæ comprehensionis.

80 Doctissimus P. Thyrsus *to. 1. disp. 3. sect. 7.* docet, quòd, quamvis una creatura possit aliam, imò & multas, comprehendere; nulla tamen omnes. Ducitur autem hoc acumine. Quia quælibet assignatâ cognoscivitate, & cognitione creatâ, aut creabili, est possibilis alia perfectior, & sublimior, tam penes cognoscivitatem, quàm penes cognoscibilitatem: sed hanc sic perfectiorem, iuxta doctrinam nuper datam non posset comprehendere, quia illa non esset tam cognoscitiva, quàm hæc perfectior esset cognoscibilis; ergo nulla est assignabilis, quæ possit omnes comprehendere. Iuxta hunc discursum ad argumentum, concedendum etiam est antecedens, & neganda consequentia: quia in antecedente, & non in consequentia occurrit dicta specialis repugnantia. *Thyrs.*

81 In præsentiarum dico quoad nos attinet, negandum esse antecedens, si possibile est Animam Christi comprehendere omnes creaturas possibiles, ob congruentias rationis indicatas in probatione antecedentis. Non enim est cur id negetur de facto Animæ Christi, si semel illi possibile asseritur; sicut propterea P. Aldrete *disp. 62. sec. 3. nu. 9.* non negat, Animam Christi comprehendere de facto suum lumen gloriæ. Quòdsi vel quoad omnes, vel quoad aliquas creaturas id specialiter repugnet, concesso antecedente, neganda erit consequentia, & disparitas petenda ex tali ratione repugnantiæ, quâ occurrente, cessat ratio congruitatis. Definire autem, an id repugnet, necne, non est huius judicij; sed aliò spectat. *Aldret.*

82 Arguitur quintò. Scire omnia scibilia est prædicatum proprium solius Dei: quippe singulariter appellatur Omniscius ob ipsius infinitatem: ergo repugnat finitati cuiuscumq; creaturæ, ac proinde Animæ Christi, cognoscere, ac videre in Verbo per visionem creatam cuncta possibilia; esset enim Omniscia, id est, omnia tàm intra, quàm extra Deum cognoscens, ac sciens. Antecedens probatur: solius Dei proprium est omnia factibilia posse; & omni loco, ac tempori

pori præsentialiter adesse: ideòque Omnipotentia, Æternitas, & Immensitas, nulli creaturæ possunt convenire: ergo similiter, & omnia scibilia scire: unde nec Omniscientia poterit convenire creaturæ. Confirmatur ex Aldrete *num.* 4. Singularis est intellectûs divini prærogativa, tantâ claritatis perfectione cognoscere obiecta, ut eò intensionis pertingere nequeat ulla creatura: ergo similiter, & tot obiecta cognoscere, ut nec eó extensionis creatura pertingere queat: cùm non minùs hoc posterius, quàm illud prius commendet singularem divinæ mentis perfectionem infinitissimam. Eò autem extensionis pertingeret Anima Christi, cuncta etiam possibilia in Verbo videns: cùm ad nullum omninó obiectum extéderet se intellectus divinus, quod illa non nosset, clarèque sciret.

Aldr et.

83 Premit, ac solvit pro dignitate argumentum istud P. Thyrsus *sec. 5. 6. & 8.* rectè observans, aut firmum non esse, aut eos etiam ex arguentibus oppugnare, qui, quamvis negent, Animam Christi videre cuncta possibilia ex vi visionis in Verbo; non tamen negant, cuncta nosse per alias scientias creatas. Quid enim hoc est discriminis ad rem argumenti? Aut, cùm innegabile sit, intellectum creatum posse naturaliter cognoscere, & supernaturaliter videre Deum, cuius respectu creata cuncta sunt *tanquam momẽtum statera, & gutta roris*; quid mirandum, quòd videre insuper possit reliqua omnia infra Deum?

Thyrs.

Sap. 11.

84 Respondetur ergo, distinguendo antecedens: scire utcumque omnia scibilia, nego: scire omnia comprehensivè, concedo antecedens: & in hoc sensu dicitur Deus singulariter *Omniscius*: idest, non quomodocumque, omnia scieus; sed omnimodè omnia sciens, quatenus modus infinitissimus omnia comprehensivè sciendi, qui est de linea cognoscitivi, omnẽ sciendi perfectionem involvit, sive formaliter, sive supereminenter: seclusis nimirum imperfectionibus, quæ in hac ipsa lineâ sciendi immiscentur modis sciendi creaturarum. Unde distinguo, consequens: repugnat finitati cuiuscumque creaturæ, comprehensivé scire omnia, concedo; quia Deum saltem nequit comprehendere: citra omnium comprehensionem, ut dicimus de Anima Christi, nego consequentiam. Nec propterea esset Omniscia in sensu, quo Deus; sed infinitè inferiùs, & extensivè: quod nec rationi, nec dogmati Divini Omniscientiæ Attributalis repugnat.

85 Ad probationẽ antecedentis: quoad posse omnia factibilia, concedo proprium id esse solius Dei: quia repugnat aliquam creaturam posse omnia: cùm facere non possit se, ipsam, quæ factibilis est. A denominatione verò omnipotentis longè abest, quód aptari queat ulli creaturæ; ob rationem specialis repugnantiæ, quam assignavimus *sec. 1. nu. 14.* Interest etiam palmare discrimen inter omnia posse, & omnia nosse: quód illud importat continentiam quandam eminentialem omnium à se factibilium; non verò istud, cognoscibilium; sed cognitionum; quæ cognoscentis accidentia sunt, distantissima sæpé à perfectione cognoscibilium, ut patet in cognitionibus nostris de Angelo, & de Deo. Unde omnia cognoscere non est argumentum infinitatis in cognoscente, sicut omnia posse in potente: cum deberet eminenter præcontinere perfectionem omnium factibilium, ac proinde esse supra omnia factibilia: quod solius est virtutis infinitæ & ex alio etiã capite repugnans cuicumque creaturæ; cùm nulla sit, quæ supra se non habeat possibilem aliam perfectiorem, cuius nobilitatem præcontinere non possit: præsertim cùm nec affligari é contra valeat repugnantia creaturæ omninò infactibilis à creatura.

86 Quoad verò præsentialitatem omni loco, & tempori, nego id utcumque repugnare cuicumque creaturæ; cùm non repugnet cuicumq; ubiquitas, & sempiternitas accidentalis, ac defectibilis. Æternitas autem, & Immensitas Attributalis Dei præter ubiquitatem, & sempiternitatem dicit necessitatem ubique, & semper essendi; quod repugnat essentialiter omni creaturæ; de cuius conceptu est potuisse non esse, sicque nec ubique, nec semper esse, imó nullibi, & numquã: ut explicui *disp. 12. & 13. de Attr.*

To. 1. disp. 12. & 13.

87 Ad confirmationem, concesso antecedente, negatur consequentia, eiusque probatio. Nullum enim est argumentum à cognoscere infinita, in quo stat extensio, ad cognoscere infinitè, in quo stat intensio, & modus cognoscendi divinus: ut habet disertè S. Thom. legendus *quæst. 20. de Verit. art. 4.* sicut nec à cognoscere obiectũ simpliciter infinitũ valeat ad cognoscere simpliciter infinitè: ut patet in cognitione nostra de Deo: nec à cognoscere infinita possibilia, ut cum S. Tho. concedunt Animæ Christi, quãvis negẽt cognoscere omnia, multi ex Adversarijs, valet ad cognoscere infinitè. Et ratio omnium est: quia hoc præsefert modum cognoscendi, qui intrinsecè afficit, & formaliter constituit perfectam ipsam cognitionem; illud verò indicat infinitudinem obiecti, aut in perfectione, ut est Deus; aut in numero, ut sunt creaturæ possibiles. Infinitudo autem obiecti terminat extrinsecè cognitionem,

S. Thom.

nem, & nec illam perficit formaliter, nec in illam refundit totam suam perfectionem ad sui mensuram: unde est, quód rerum finitarum datur cognitio infinita, & infinitarum finita: ut patet in cognitione divinâ de creaturis; & creata de Deo.

SECTIO VIII.

An præter Scientiam Beatam danda sit in Christo alia Scientia creata per se infusa habitualis & actualis: Quando? Qualis, & Quomodo?

88 AFFIRMAT communis, & vera sententia: & quidem à primo vitæ instanti. Quia non est cur hæc etiam perfectio negetur Animæ Christi instructissimæ ad cognoscendas omnes veritates; cùm concedatur alijs Beatis. Nec obest, quód omnes veritates sciat Anima Christi per Scientiam Beatam. Per hanc enim creatas veritates non videt in se ipsis; sed in Verbo ex vi visionis Dei: congruum autem est, ut earum in se ipsis habeat scientiam per se infusam: sic dictam, quia proprio labore, & industria adquiri non solet; sed supernaturaliter erogatur, ut eas ipsas veritates cognoscat in se ipsis; & in ipsis, aut ex ipsis, Deum.

89 Eam scientiam esse in Christo habitum entitativè supernaturalem, tenet etiam communis sententia contra P. Vasquez, & *Vasq.* alios: qui, quamvis eum habitum entitativè supernaturalem concedant circa obiecta supernaturalia; non sic circa naturalia; sed tantum supernaturalem in modo: quippè putant, circa objectum purè naturale, nec habitus, nec actus versari supernaturales, ut prosequitur *Perez.* Anton. Perez *tom.2. tract. 4. disp.3. cap.5.* Ratio autem communis sententiæ ab oppositio discurrit: quia tàm actus, quàm habitus entitativè naturales aliundè, quàm ab objecto, habent sæpè conceptum suæ supernaturalitatis: unde sæpè sunt entitativè supernaturales circa objecta etiam naturalia. De quo alibi, Deo dante.

90 An sit habitus simplex, aut multi- *S.Thom.* plex, inexploratum est. Simplicem, & unicũ *Suar.* volunt in Christo S. Thom. & Suarez: mul- *Caiet.* tiplicem pro varietate notabili objectorum, *Vasq.* Caiet. Vasq. & Delugo. De posibili utro- *Lug.* que modus facilè defenditur; de facto neuter efficaciter impugnatur. Loquamur cum S. Tho. & Suar. Quia, cùm habitus per se infusi non adquirantur, sicut alij, per actus ad facilè posse; sed infundantur potentijs naturalibus instar competentiarum supernaturalium ad simpliciter posse; latiùs multò patent, quàm acquisiti. Unde non est, cur unicus non valeat ad cunctos actus scientiæ infusæ. Quodsi unicus non est, deberent esse infiniti pro varietate notabili actuum circa infinita objecta.

91 Esse tamen habitum distinctum ab habitu luminis gloriæ, tenet communis opi- *Suar.* nio cum Suarez. Nam lumen gloriæ natum est, ut elevet intellectum ad videndum Deũ beatificè: id quod ita strictè præstat, ut stante lumine, nequeat Beatus pro libito non videre Deum. Habitus autem scientiæ infusæ exercetur pro libito animæ, & datur ad cognitiones creaturarum in se, Deique, in, vel ex creaturis. Quod sufficit ad diversificandos habitus, ut patet in habitibus voluntatis: quorum habitus charitatis Theologiæ, quâ Deus amatur propter se, diversus est ab habitibus virtutum moralium, quibus amantur creaturæ propter se, & Deus propter ipsas. Nihilominus Suarez ipse *disp 29. sec.4.* *Suar.* satis fovet identitatem habitús scientiæ infusæ cum lumine gloriæ: quod ab impossibili impugnari non poterit: & pro defacto judicat probabile Læssius *q.11.art.6 dub.3.* *Lassius.*

92 Esse distinctum etiam ab speciebus impressis infusis obiectorum, ait sententia communis cum Lessio *art.6.* Quia specierũ *Lassius.* munus est concurrere vice obiecti ad cognitiones; habitus verò se tenent ex parte potentiæ. Cæterum nihil obstat, quominus utrumque munus præstare possit eadem qualitas: ideòque in Anima Christi utrũq; id confulciùs identificant Vasquez, Valentia, Ber- *Vasq.* *Valen.* nal, & alij. Iuxta sententiam etiam communiorem distinguentem species impressas ab *Bernal.* habitibus, eas datas animæ Christi universaliores, & simpliciores, quàm Angelis, affirmant meritò, Suar. & Vasquez contra *Suar.* aliquos. Eas circa obiecta naturalia sufficisse *Vasq.* naturales in entitate tenet Ripalda *disp. 44.* *Ripal.* *de Ent. Supern.* Circa quod plura Uvadin- *Vvadin.* gus.

93 Circa obiectum scientiæ per se infusæ Animæ Christi, dico, fuisse omne scibile. Nam quidquid videt per scientiam visionis, scit alio modo per scientiam infusam: scilicet creaturas omnes etiam possibiles in se, & Deum in creaturis: nam si Deum in se ipso per hanc scientiam videret, iam esset scientia beata. Nec placet limitatio Patris Vasquez Banuez, & Alvarez, qui volunt, *Vasq.* per hanc scientiam non cognosci Unionem *Banner.* hypostaticam, Gratiam habitualem, & Vi- *Alvar.* sionem beatam: quia, inquiunt, eo ipso quòd immeteretur hæc obiecta, videret

Deum,

Deum, esseque scientia Beata. Huius tamen rationis veritatem, & consequentem prædictam limitationem, negant melius Suarez & Hurt. Deus enim non involvitur in illis tribus obiectis, sed est terminus illorum: ac proinde cognoscere Deum in, aut ex illis obiectis, non est intueri Deum in se, atque adò nec beatificè. Limitant alij aliter: quia per scientiam istam infusam non cognoscitur Deus, ut trinus: ergo non omne scibile. Probant antecedens: quia non cognoscitur Deus, ut trinus in se ipso; nam eò ipso esset scientia beata: nec in, aut ex creaturis; quia, cùm Deo ut trino nulla creatura habet expressam connexionem, unde Trinitas arguatur. Respondetur tamen negando antecedens. Ad probationem dico, Deum etiam, ut trinum, cognosci in, aut ex intuitione actus Fidei credentis, & visionis beatæ videntis Trinitatem; ac proinde Deum etiam, ut trinum, esse certò cognoscibilem in vel ex aliquibus creaturis per scientiam infusam non beatam. Aliter limitant Ragusa, & Cabrera, putantes animam Christi per scientiam infusam non cognoscere futura contingentia in se ipsis: quia non habent in se determinatam veritatem. At hæc ratio si vera esset, probaret etiam nec Deum per ullam suam scientiam cognoscere in se ipsis futura contingentia. Falsa tamen est, & alibi disputanda.

Suar. Hurt. *Regnf. Cabr.*

94 Circa actus scientiæ infusæ habet, & meritò, communis sententia, illos exercuisse animam Christi à primo instanti: cùm, & de Angelis communiter sic dicatur. Addit Suar. semper exitisse, & existere in actuali eorum exercicio: quia non est cur illos Christus interruperit. Sed addunt Vasquez Lugus, & Bernal, potuisse interdum cessare pro libito ab aliquibus actibus scientiæ infusæ circa futura. Sic etiam Godoy *disp. 37. n.* 127. & Lauræa *disp. 15. art. 7.* adijcientes, de facto non semper fuisse animam Christi in actuali exercitio scientiæ infusæ circa omnia: quod tamen negat Bonespei.

Suar. *Vasq. Lug. Bern.* *Godoy* *Laur.* *Bonesp.*

95 Circa modum illos actus exercendi dubitantur tria. Primum: an discursivè? Secundum: an per compositionem, & divisionem? Tertium: an per conversionem etiam ad phantasma? De ijs ubertim Eminentissimus Delaurea *ar. 9. 10. & 11.* post Lessiū *ar. 2.* De intellectione prædictorum habituum, & actuum intellectualium discurrere licet sicut de habitibus, & actibus virtutum voluntatis *infra disp. 14. disp. sequ.*

Laur. *Lessius* *Infra disp. 14.*

96 Ad primum dubium videri posset alicui cum Lessio *art. 5.* Animam Christi non potuisse uti discursivè suâ scientiâ infusâ. Cùm enim haberet species rerum omnium, singulas veritates cognoscebat in se ipsis per species proprias: ergo non discursivè inferendo cognitionem unius ex cognitione alterius. Sed respondetur, de Deo non habuisse speciem impressam: sicque Deum saltem non cognoscebat intuitivè, & in se per scientiam infusam; sed in aut ex creaturis. Quo ad alias verò res, quamvis haberet proprias earum species, poterat pro libito ijs uti, vel non uti: sicque posset non discursivè, & etiam discursivè aliquas res ex alijs præcognitis cognocere. Quod, & in Angelis concedit similiter sententia satis communis cum Valentia, Granado, Becano, & Gaspare Hurtado, quos sequitur Godoy, §. 5.

Valent. Gran. Becan. Hurt. Godoy

97 Ad secundum affirmo consequenter ad dicta, saltē de possibili. Quamvis uno actu posset cognoscere plura, potuit etiā non uno actu; sicque posset pro usu libero speciebus per unum cognoscere inbiectum, & per alium, prædicatum, & per allum affirmare, vel negare de subiecto prædicatum. Hæc autem est compositio, & divisio logica in cognoscendo.

98 Ad tertium dico, potuisse impropriè, sed non propriè, uti conversione ad phantasmata. Impropriè quidem: quia quando per scientiam infusam cognoscebat aliquod obiectum sensibile, poterat pro libito commovere phantasiam, ut concomitantet efformaret suum phantasma de tali obiecto. Non autem propriè: quia propriè cognoscere per conversionem ad phantasmata dicit præterea, quòd cognitio intellectualis penderet à phantasmatibus: at actus scientiæ infusæ Christi, cùm neque eorum habitus, neque species, adquisitæ, aut excitatæ fuerint ab operatione phantasiæ, non pendebant à phantasmatibus. Pluta Illustrissimus Godoy §. 6.

Godoy

SECTIO IX.

An præter per se infusam habuerit scientiam per se adquiribilem, per accidens infusam? Qualem? & Quando?

99 TAlis dicitur scientia naturalis, quæ adquiri potest, & solet à nobis, labore, & industriâ per se regulariter, ut cum studemus, & proficimus in naturalibus disciplinis; interdū verò per accidens infunditur aliquibus à Deo miraculosè quoad modum, ut infusæ fuerunt scientiæ Adamo, Salomoni, & alijs: quos propterea dicimus habuisse illas per accidens infusas, quamvis alioquin essent per se adquiribiles.

Hanc

100 Hanc autem scientiam ait communis sententia, habuisse quoque Animam Christi: qui de se dixit: *ecce plusquam Salomon hic*: ut dici solet etiam communiter de virtutibus naturalibus voluntatis, præter supernaturales per se infusas. Ratio esse solet: quia decet maximè, quòd perfectiones istæ naturales habituales exornent nobilissimam humanitatem in ordine naturali: quarum speciale munus, scilicet facilitare ad actus, non competit habitibus per se infusis, qui non dantur ad facilè, sed ad simpliciter posse instar potentiarum. *Matt.12.*

101 Quâ sententiâ communi suppositâ, docent. S Thom. Suar. Bernal, & Aldrete, totam hanc scientiâ infusam fuisse animæ Christi à primo vitæ instanti. Quia sic congruebat iam ex tunc dignitati Christi. Tum quia, si deinceps vitæ decursu per partes infundenda erat: aut esset ad occurrentiam obiectorũ, prout successivè sese res offerebant; aut esset etiam præter eiusmodi occurrentias: si primum, diminuta fuisse: illa Christi scientia, & fortè minor, quàm in multis hominibus versatis naturali tractu per annos plures in rebus pluribus: si secundum, satiûs videtur dicere, totam infusam illi fuisse præter occurrentias obiectorum ab initio. *S.Tho. Suar. Bern. Aldret.*

102 Stant nihilominus é contra Vasq. Meratius, Amicus, Delugo, & Godoy *nu. 157.* dicens S. Thom. retractasse sententiam oppositam. Quippé reputant gloriosius Christo, ejusmodi scientiam naturalem vitæ decursu per partes datis occasionibus sibi comparasse: & saltem nequit non esse connaturalius. Præterea: quia huiusmodi scientia, ut condistincta ab alijs Christi scientijs, fuit, aiunt, pendenter à phantasmatibus: ergo non tota à primo instanti. Non enim habuit ex tunc Christus organa cerebri dispositia ad sensationes phantasiæ. Regulariter autem Christus exercebat operationes humanas humanitùs, juxta connaturales dispositiones sensuum, & membrorum: ideóque non ambulavit donec habuit pedes, & crura connaturaliter obfirmata; nec loquebatur infans; nec manducaba: edentulus: sic ergo, nec videtur exercuisse operationes naturales intelligendi, nisi dependenter à naturalibus cerebri dispositionibus: ac proinde non à primo vitæ instanti. *Vasq. Meral. Amic. Lug. Godoy*

103 Respondeti solet, negando ejusmodi scientiam fuisse in Christo pendenter à phantasmatibus. Quamvis enim per se loquendo sic eveniat, ministrante phantasiâ species materiales, ad quarum præsentiam, aut Deus solus, aut cum intellectu efformet spirituales impressas pro eliciendâ expressâ spirituali, & comparandâ scientiâ; at non sic, quando per accidens Deus scientias infundit: tunc enim infundit spirituales rerum species ab operatione phantasiæ minimè pendentes: & anima illis utitur cognoscens res eo modo spirituali, quo si easdem species accepisset ministerio phantasiæ, quin pendeat à phantasia in operando, sicut nec in accipiendo species. Hinc talis est consequentia. Addunt Bern. & Aldr. Christũ habuisse divinitùs corroboratã phántasiã, ut etiam à primo vitæ instanti, sicut habuit usum rationis, habuerit etiam usum phantasiæ ad sensationes internas perfectissimas Ex hoc autem, quod internum, & occultum erat, non fit argumentum ad illas alias operationes ambulandi, loquendi, & manducandi externas, & manifestas: quia non oportuit sic abinitio palam fieri omnia, quæ in Christó latebant: ideoque non nisi duodennis incepit specimen dare publicum suæ sapientiæ, mox diu taciturus usque ad annum circiter trigesimum. *Bern. Aldret.*

104 Has inter doctrinas sapientum Theologorum sese ad invicem oppugnantium, non abs re doctissimus Conine *disp.13. dub.6.* existimavit probabile, quòd præter scientias beatam, & per se infusam, per quas Anima Christi omnia tam naturalia, quàm supernaturalia, tam increata, quàm creata evidentissimè cognoscit, & intuetur; non habuit istam aliam scientiam naturalem formaliter, sed supereminentur in alijs scientijs, quibus eximiè decoratur. Id quod similiter de virtutibus naturalibus per accidens infusis docet Uvadingus prout referemus *disp. seq.sec.9.* *Conine* *infra disp 14.*

105 Quoniam ad nihil videtur nec necessaria, nec oportuna huiusmodi scientia. Non ad connaturalitatẽ: quia si à primo vitæ instanti, vel ex parte, vel ex toto infusa fuit, non connaturaliter, sed miraculosè infusa fuit. Non ad exornamentum: quia, suppositis in anima Christi scientijs alijs perfectioribus de ijsdem obiectis, nihil ornamenti superaddit ista, imo superflueret: non aliter ac si eliciens Christus actum supernaturalem alicuius virtutis deberet elicere simul naturalem ornamenti naturalis causâ. Non ad facilitatem: nam munus istud facilitandi potest iniungi habitui per se infuso supernaturali; sicut iniungitur lumini gloriæ munus non solum facilitandi, sed necessitandi ad visionem Dei: quid enim id implicat? Nec authores satis communiter dicentes, habitum istum scientiæ naturalis non fuisse infusum Christo à primo instanti, negant perinde Christo pro semper facilitatem omnia cognoscendi per

ſcientiam per ſe infuſam. Nõ eſt ergo, cur ſit neceſſarium, ne quidem congruum, ſuperaddi de ſuperfluo habitum illum naturalem, ad eadem objecta eodem modo cognoſcenda. Addo, glorioſius eſſe abs dubio Animæ Chriſti inſtructiſſimæ undequaque principijs ſupernaturalibus, nullum exercuiſſe actum intellectûs, aut voluntatis, qui non eſſet ſupernaturalis, ne quoad ejuſmodi operationes otiarentur principia illa activiſſima: Aut cur nõ ita? Ad quid ergo habitus ille naturalis? Qui, aut ſemper otiaretur, aut nõ niſi elevatus per alium habitum ſupernaturalem quidquam agere valeret?

106 His, & alijs fundamentis promoveri poſſet prædicta ſententia, mihi, ſicut nec Patri Conine *diſp. 13. dub. 6.* haud improbabilis. Quod non eſt negare Animæ Chriſti ſcientiam rerum naturalium, ſed ſcientiã entitativé naturalem rerum naturalium, cum de ijſdem rebus naturalibus habeat ſcientiam entitativè ſupernaturalem eminentiorem, in nihilo diverſam à naturali, niſi penes naturalitatem. Quinimó, & naturalis quodammodo dici poſſet eminenter, & terminativé, quatenus ad naturalia terminatur: ut de ſciẽtia Dei entitativè ſupernaturaliſſima explicabam *in Appendice de Ente ſupernat. ſect. ultim.*

Conine.

Tom 1. diſp. 18.

107 Dices. Actus, quos Chriſtus exercebat decurſu vitæ, poterant, & petebant generare habitum, ſicut noſtri in nobis: cur ergo privandi erant hoc effectu ſibi connaturali: ergo ſucceſſivè illum producebant, & intendebant juxta illud Luc. 2. *Jeſus proficiebat ſapientiâ & gratiâ apud Deum, & homines.* Huic difficultati tenentur etiam reſpondere graves Theologi, quos pro primâ & communiori ſententia citavimus *num. 101.* Cùm enim aſſerant, totam iſtam ſcientiam entitativé naturalem infuſam fuiſſe Chriſto ab initio; dicere tenentur, nullatenus auctam fuiſſe per actus, quos exercuit decurſu vitæ: ac proinde, novos iſtos actus manſiſſe ſine effectu ſibi debito generandi, & intendendi de novo habitum facilitantem ad actus ſimiles.

Luc. 2.

108 Reſpondetur ergo ex ipſorum doctrina, diſtinguendo antecedens: poterant, & petebant generare habitum, ſi illum non ſupponerent in tota intenſione, ipſis alioquin tribuenda, ex ſpeciali prærogativâ præinfuſum, concedo; ſi ita ſupponerent, ut reipſa in Chriſto ſupponebant, nego antecedens. Non ergo privabantur eo effectu ſibi debito; imó ipſis ultra debitum phyſicum ex privilegio prærogatus ſupponebatur effectus eminentiſſimè in habitu ſcientiæ per ſe infuſæ: pro quo caſu nunquam exegerunt habitum ſuperfluũ naturalem. Quemodmodum in ſimili diximus *diſp. 2. ſec. 6.* circa ſubſiſtentiam connaturalem, quâ caret humanitas Chriſti: quin propterea, aut humanitas patiatur vim, aut eius exigentia, vel appetitus maneat inexplenus. Sic etiam, nec meritis Chriſti derogatur ex eo quòd intuitu illorum non ſubſequatur novum augmentum gratiæ, ſicut noſtris. Quia nempé plenitudinem gratiæ inveniebant anticipató prærogatam: ut videbimus *diſp ſeq ſec. 3. & diſp. 17 ſec. 5.*

Supra diſp. 2.

Infra diſp. 14. & 17.

109 Hinc falſa eſt ultima conſequentia, quam negant etiam, & meritò, prædicti Theologi. Adhuc enim, admiſſo habitu per accidens infuſo ſcientiæ naturalis, dicunt ab initio fuiſſe infuſum Chriſto in tali intenſione, ut per nullos actus ſuſceperit deinceps incrementum intenſionis. Et ratio eſt: quia, vel aſſignabilis eſt intenſio habituum omnium maxima; vel non, eo quód nulla ſit poſsibilis, quâ maior eſſe non poſsit. Si primum, non eſt cur illam Deus non infuderit Animæ Chriſti ab initio; ſicque per nullos actus potuit deinceps augeri. Si ſecundum; Dei fuit aſſignare gradum intenſionis habituum, ſicut ſuo loco dicemus de Gratia, quẽ omninó vellet haberi à Chriſto: & maximé decuit, totam illam intenſionem dediſſe Chriſto à primó inſtanti ad ſatietatem uſque actuum futurorum, ſic etiam, ut deinceps non oportuerit augeri.

110 Nec obſunt verba Lucæ. Intelliguntur enim, aut de profectu experimentali, de quo *ſect. ſequenti*, aut, quod ſolidius eſt, de profectu in Sapientia, ſicut & in Gratia, cùm de utraque loquatur pariter Lucas: non certé quòd Sapientia, & Gratia habituales quoad ſe creverint in Chriſto; ſed quoad manifeſtationem ipſarum per actus: quatenus in dies Chriſtus ſe ſapientiorem, & ſanctiorem doctrinâ, & operibus oſtendebat. Quod autem addit Lucas, *apud Deum*; intelligitur ex S. Thom. & Suar. *quæſt. 7. art. 12.* de ipſis etiam operibus Sapientiæ, & Gratiæ Deo gratiſsimis, quæ Chriſtus in dies exercebat, taliter nimirum, ut Sapientia, & Gratia *apud Deum*, manifeſtior fieret in dies mundo; non verò taliter, ut fieret manifeſtior *apud Deum*. Sic ibi Cornelius ex Sanctis Patribus, & Sacris Interpretibus.

S. Tho. Suar. Cornel.

***

SEC-

SECTIO X.

An habuerit insuper Scientiam experimentalem. Vbi: an didicerit ab hominibus, vel Angelis.

111 EXperimentalis scientia illa dicitur, quam comparamus sensuum usu, aut actibus quibus cognoscimus res præsentes, quarum postea recordamur per species, quas reliquerunt, & per habitus, quos generarunt.

112 Hæc scientia aliquomodo fuit Christo. De qua exponi etiam solet illud Lucæ
Luc.2. 2. *Iesus proficiebat sapientiâ*; scilicet, experimentaliter: illudque Pauli ad Hæbr. 5.
Hebr. 5. *Didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam*; scilicet, experimento ipso patiendi, & obediendi.

113 At quonam modo? Taliter, inquiũt aliqui, ut Anima Christi, præter habitum naturalem scientiæ per accidens infusæ, habuerit circa eadem obiecta, quę semel sensibus percepit, alium habitum etiam naturalem. Hunc volunt nonnulli fuisse adquisitum, & in dies auctum per actus, quibus successivé res experiebatur. Alij, volunt fuisse totum etiam ab initio per accidens infusum. Profectò tamen, si fuit etiam ab initio per accidens infusus, ad quid distinctus ab alio similiter per accidens infuso, nisi ad multiplicandas superfluè, inaniter entitates? Si fuit in dies acquisitus, & auctus; cur hoc idem non dixerit communis sententia de habitu scientiæ per accidens infusæ? Imó, & de habitibus virtutum, voluntatis? Non enim video rationem huius discriminis, sicut nec multiplicationis.

114 Planè S. Thom. de scientia per accidens infusâ, & de experimentali tanquam de
S. Thom. una, & eâdem scientiâ loquitur. Et sic equidem sentio, esse eamdem entitativè, semel admissâ per accidens infusâ, distinctâ à per se infusâ, juxta communiorem sententiam mihi non satis firmam, propter ea, quæ ex Patre Conine expẽdi *sec. præ.* Quod si nõ detur
Conic. naturalis per accidens infusa distincta realiter à supernaturali per se infusâ; hæc eadem per se infusa erit etiam experimentalis. Et utrovis modo sit, dicendum erit, scientiam Christi experimentalem totam inditã fuisse Christo à primo vitæ instanti, nec deinceps auctam entitativé, ob rationes positas *sect. præc.* pro scientia per accidens infusâ, præsertim *numer. 101.*

115 Dixi, *entitativè*: quia eadem entitas habitûs scientiæ ab initio infusæ incepit postea decursu rerum sensibus occurrentium extrinsecé denominari scientia experimentalis: ab accessu scilicet specierum immissarum sensibus ab obiectis. Unde cognitiones, quæ post susceptionem prædictarum specierum objectorum præsentium eliciebantur à Christo per habitum ab initio infusum, erant experimentales. Cum autem dicitur Christus profeciſſe in scientia experimentali; intelligendum est quoad istam denominationem experimentalis ab actibus, quos de novo eliciebat post novam adquisitionem dictarum specierum. Et sic etiam intelligendum est, quód *didicit ex ijs, quæ passus est obedientiam*; scilicet, experimentaliter.

116 Hinc in alio sensu nihil didicit Christus ab hominibus, aut Angelis, ut erarunt fœdé quondàm Hæretici Agnoitæ, obloquuti, Christum alphabetum ab homine præceptore sub ferula didiciſſe. Absit tantus error. Non enim decebat, quidquam à creaturis ediscere Caput omniũ, & universalem mundi Magistrum: quem dedit Deus *Ducem, & Præceptorem omnibus gentibus*: *Isai.55.* Nec potuit discere, qui nihil unquã *Isai.55.* ignoravit: cum discere proprié supponat ignorantiam, aut inscitiam. *Agnoi.*

117 Opponat aliquis ipsum Christum Luc.2. *in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem*: qui autem interrogat, & *Ioan.6.* audit, dicit responsum. Similiter *Ioann. 6.* *Mar.6.* interrogavit Philippum: *unde ememus panes?* & *Mar.6.* Discipulos: *Quot panes habetis?* *Ioan.11.* Et *Ioann.11.* de Lazaro: *Vbi posuistis eum?* Respondetur tamen, interrogationem non semper supponere ignorantiam, aut animum discendi; imó interdum examinandi: Deus enim, abs dubio omniscius, & à nemine discere potens, interrogabat Cainum *Gen. 4.* *Gen 4.* *ubi est Abel?* Non ergo interrogabat Christus Doctores, ut disceret; sed ut examinaret, & inscios edoceret: & discipulos, de panibus, & alios de sepulchro Lazari, ut ipsi veritatem faterentur ad ostensionem miraculi: ut passim exponunt Interpretes.

118 Oppones secundó, quód Christo mœrenti in Horto Luc. 22. *Apparuit Angelus confortans eum*, & verè consolans: illi *Luc.22.* videlicet proponens motiva, & rationes, ut acceptaret calicem, quem a se transire postulabat: ergo didicit ab Angelo eas rationes, & motiva: alioquin, in quo steterisset vera illa confortatio, & consolatio? Respondetur negando consequentiam. In quo autem steterit vera illa consolatio, variè variij explicant.

119 P. Vasquez *disp. 56.* ex Chrisostomo, Theophilacto, & Epiphanio, sic id intel- *Vasq.* *Chrisost.* *Theoph.* *Epiph.*

ligit, ut Angelus dixerit Christo verba ex se confortativa, & consolatoria: quamvis reipsa Christus, utpote omniscius, non fuerit per ea propriè confortatus, & consolatus. Probat ex contextu, qui post narratam Angeli confortationem subjungit, quòd Christus, *factus in agonia prolixius orabat; & factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis*: quo videtur indicari, non præcessisse veram, & propriam confortationem, & consolationem.

Cornel. Consentire videtur Cornelius.

Suar. 120 P. Suarez *in Comment. quæst. 12. art. 4.* cum alijs communiter, sinceriùs id intelligit de vera, & propria confortatione, & consolatione. Ad probationem Patris Vasq. aiunt aliqui apud Pintum *lib. 3. de Christo Crucifixo, tit. 4. loc. 5.* sudorem subsequutum imo potiùs fuisse signum veræ confortationis. Sic etiam Cornelius. Alij cum Bonavent. & Burgen. negant, sudorem fuisse subsequutum in re ad confortationem, quāvis in narratione subsequatur: non enim semper historiæ verba servant ordinem rerum: præsertim acceptâ, ut passim in Scripturis, ex Hæbreo, particulâ, ☞, pro, *quia*: sic enim verba illa: *Apparuit Angelus confortans, & factus in agonia, &c.* sunt, ac si dicant: *Apparuit Angelus confortans, quia factus in agonia, &c.* qua causali indicatur, agoniam, & sudorem præcessisse ad apparitionem Angeli, & confortationem Christi. Sed per hæc nondum explicatur, quomodo steterit vera illa confortatio, & propria consolatio, quin Christus aliquid ab Angelo didicerit.

Pint. Cornel. Bonav, Burgen.

Bern. 121 P. Bernal *disp 38. sec. 3.* id, quod optamus, explicat accuratè. Tria, inquit, angebant tunc maximè Christum. Solitudo: pro qua dedit Angelus societatem. Debilitas humanarum virium: pro qua jacentem sublevavit, pulverem, & sudorem à facie extersit. Tristicia, quam voluntariè patiebatur, admittens cogitationes cum suis mœstis effectibus, & impediens miraculosè effectus lætos proprios beatificæ visionis, ut dicebamus *num* 22. pro qua Christum ipsum oravit obsequentissimè, ut pro dominio suo dignaretur mœstos illos effectus sibi temperare, & lætos admittere, attentâ divina gloriâ, & exaltatione sui nominis, hominumque redemptione promissâ passioni suæ. Hæc autem tria præstitit Angelus humillimè, verè ac propriè confortans, & consolans Christū tristem usque ad mortem; quin Christus aliquid ab illo didicerit: eo solum quòd precibus angelicis aliquatenus benignè annuerit.

Supra sec. 2.

* * *

SECTIO XI.

Procul abigunturex dictis à sapientissimâ Christi Animâ, Ignorantia, Error, Opinio, & Fides.

122 IGnorātia propriè, & absolutè dicta, aut alio nomine, *Ignorantia privationis*, est nescire res, quarum notitia pertinet ad proprium Personæ statum. Qui enim hæc ignorat dicitur probro absolutè ignarus. Alia autem, quæ sic non pertinent, nescire, inscitia quidem aliqua est; sed absolutè ignorantia probrosa non est: quamvis minùs propriè talis dici soleat: & vocatur *ignorantia negationis*: quod est præcisè non omnia scire. Et hoc non facit hominem absolutè ignarum.

123 Neutra fuit in Christo. Non prima: nè omnium Magister, & Doctor exprobaretur ignarus. Ne quidem secunda: quia non solum, quâ Deus, verum etiam, quâ homo scivit omnia Christus *plenus gratiæ, & veritatis*: ut constat ex hactenus dictis. *Ioan. 1.*

124 Præter ea, quæ objecimus, & solvimus contra hoc *sec. 6. & 7.* & deinceps *sec 9.* circa Christi interrogationes, præsertim *à num.* 55. circa diem extremi Iudicij, objicitur nūc nobis duo textus. Primus *Isai. 8.* ubi de Christo Puero prophetatur: *Antequam sciat Puer vocare Patrem, & Matrem, auferetur fortitudo Damasci.* Secundus ex Matt. 8. *miratus est Iesus:* scilicet fidem Centurionis. Admiratio autem aliquam supponit ignorantiam: tunc enim admiramur, cum rem videmus, cuius causam, & modum non scimus. Unde Philosophus 1. Rethor. 14. *In admirando discendi cupiditas est.* *Isai. 8.* *Matt. 8.* *Arist.*

125 Respondetur tamen ad primum, id intelligi, antequam id sciret Puer experimentaliter proferendo voces humanitùs. Ad secundum occurrit difficultas: an in Christo fuerit propriè admiratio. Negant Maldonatus, & Cornelius ibi, & Bernal cum alijs *disp. 41. sec. 4.* propter ea, quæ in objectione dicuntur de propriâ admiratione. Affirmant alij: quia putant, admirationem non involvere, nec supponere prædictam ignorantiam; sed solum dicere novam extraordinariæ rei notitiam: pro quo dicunt sufficere novitatem notitiæ experimentalis Christi de fide Centurionis. Utrique citant pro se August. & Thomam variis in locis. Iuxta primos negantes, intelligendus est textus ille citatus in sensu

Maldon Cornel. Bernal.

Aug. Tho.

me-

metaphorico de admiratione impropriâ: quatenus nempè videns tunc Chriſtus experimentaliter aliquid magni & novi, aliqua ſigna exteriùs præſtitit, quæ homines præſtare ſolent dum admirantur, ut alios in admirationem tantæ fidei excitaret: quod nullam importat Chriſti ignorantiam, aut inſcitiam requiſitam ad admirationem propriam. Iuxta ſecundos affirmantes, ſalvâ propriè de Scripturæ admiratione Chriſti, dici poteſt, ignorationem illam, ſive inſcitiam, ſive diſcendi cupiditatem importari communiter in nobis admirantibus; non tamen eſſe de conceptu eſſentiali veræ admirationis, ut ſic.

126 Hæc prout de facto. De poſſibili verò poſſet Deus aliquam notitiam Animæ Chriſti occultare, cum aliquali inſcitia, ſeu ignoratione negativâ. De privativâ affirmat etiam Bernal *ſec.* 1. quatenus non eſt unde teneatur omninò Deus, dare ſemper humanitati ſuæ cognitionem creatam omnium pertinentium ad ipſius ſtatum. Comin. *diſp* 10. *dub.* 5. negat aſſumptibilem à Deo humanitatem privatam notitiâ neceſſariâ ad honeſtè vivendum.

Bernal.

Conine.

127 Error judicij certum eſt, quòd in Chriſto non fuit: quia falſitas, & paſsiva deceptio, pejor eſt quàm ignorantia. Dubium eſſe poſſet de aliquo errore, & deceptione materiali ſenſuum. Id quoque negat Suarez in Chriſto: quippè, exempli gratiâ, nec oculis corporeis videbat, ſicut nos interdum a longè, obiecta magna, ut parva; nec in aqua virgam rectam, ut curvam; ſed omnia intuebatur etiam oculis ſicut erant in ſe: habens utique tentus etiam materiales ita perfectos, & conformatos, ut nihil illis aliter appareret. P. autem Bernal *diſp. 42. nu.* 20. affirmare non renuit, Chriſti oculos vidiſſe ea obiecta, ſicut vident noſtri: negat tamen, id eſſe, aut abſolutè dici poſſe errorem in Chriſto, cui non incrat periculum ſic intellectualiter iudicandi, ut eſt in nobis: quamvis appellari quodammodo poſsit ſenſuum deceptio.

Suar.

Bern.

128 De poſsibili eſt quoad errorem judicij gravior difficultas. Vaſq. Ripalda, Hurtad. Lugus, & alij affirmant, de potentia Dei abſoluta potuiſſe eſſe in Anima Chriſti aliquem errorem: non quidem practicum pro moribus, aut in rebus pertinentibus ad ſuum ſtatum; ſed ſpeculativum circa alia. Exiſtimant enim hujuſmodi erroris phyſici, & ſpeculativi poſſe Deum eſſe cauſam ſpecialem; ac proinde illum in humanitate ſibi unita poſſe permittere abſque indecentia morali ſua, aut humanitatis. Hæc tamen ſententia ſemper mihi fuit inviſa: eam ex profeſſo reijcio *in Diſputationibus de Fide*, ubi ſuum habet locum ea theſis de repugnantia ſpecialis cauſalitatis Dei primæ veritatis in errore, & falſitatem: mihi vendicans apophtegma dignum Auguſtino *c.1. de Mendacio* **Nũ** *quam errari tutiùs, quàm cum amore nimio veritatis, aut reiectione falſitatis erratur.*

Vaſq.
Ripal.
Hurt.
Lug.

Aug.

129 Quare ſemper mihi placuit, ac denuò perplacet ſententia totum id negans cum Suar. Amico, Bernal, Ragnſi, Conine, Oviedo, Otea, Lumbier, & alijs, quibus ſivent Montoya *diſp 41. de Volunt. Dei*, & Ant. Perez ibidem *diſp. 6. cap.* 2. Et ratio pro nunc ſub brevibus eſt: quia nequit Deus in humanitate ſibi unita permittere id, cujus nequit eſſe ſpecialis cauſa: ſed nullius erroris poteſt Deus eſſe ſpecialis cauſæ: ergo nec illum ullo modo permittere, nedum cauſare in humanitate ſibi unitâ. Fundamentum majoris eſt, ſpeciale regimen Dei circa actiones humanitatis ſui Suppoſiti: cui regimi deeſſet moraliter, & imputativè Deus, ut cauſa ſpecialis, ſi tale quid permitteret, ut explico *diſp. 15.* pro impeccabilitate Chriſti. Minorem remitto ad Diſputationes de Fide. Et concludo nullatenus eſſe poſsibilem in Anima Chriſti Verbo unitâ ullum errorem judicij.

Suar.
Amic.
Bern.
Ragnſ.
Conine.
Ovied.
Oxea.
Lumb.
Montoy.
Perez.
Infra diſp. 15.

130 Opinio quoque, ſive actus dumtaxat probabilis, procul abfuit ab Anima Chriſti juxta cõmunem Theologiam. Quippè ita certò, & evidenter cuncta novit, ut nec haberet, nec habere potuerit formidinem ullam de oppoſito, prout ad opinionem requiritur. De poſsibili affirmant aliqui apud Amicum *diſp. 21. à nu 57.* nam, quamvis actus ille opinativus, non niſi contingenter verus, ex imperfecto ſuo modo cognoſcendi per ſe ſubiectus eſſet falſitati; huic tamen periculo occurrebant in Chriſto alij actus ſcientiæ evidentes, & certi.

Amic.

131 Fides etiam divina denegatur Animæ Chriſti ſuffragio communi, ſatè certò Theologorum cum S. Thom. *qu. 7 art. 3.* & Suar. ibi. In quo gradu certitudinis id habeatur à Theologis, habes apud Aldrete *diſp. 52.* Ratio eſt: nam divina fides eſt aſſenſus certus, & obſcurus, nixus auctoritate Dei revelantis: & hoc ita eſſentialiter, ut ſine obſcuritate, aut circa objectum revelatum, aut circa revelationem, aut circa utrumque, verſari nullatenus poſsit actus Theologicæ Fidei, ut ſuppono ex *Diſputationibus de Fide*, ubi id explico, & propugno: ſed Animæ Chriſti beatiſsimæ & omnia, tàm intra, quàm extra Deum, aut per ſcientiam beatam, aut per infuſam evidenter intuenti, repugnat obſcuritas, inevidentia, ſeu excluſio intuitionis, tàm rei revelatæ, quàm divinæ revelationis,

S. Thom.

Aldret.

ut

ut patet ex terminis : ergo repugnat assensus fidei. Repugnante autem omni actu Fidei Animæ Christi, sic per alias notitias constitutæ, non nisi supervacanee, & prorsùs inutilitér infunderetur illi habitus fidei : de quo speciatim *disp. seq. sect. 8.* Simili etiam ratione negatur fides in Beatis juxta illud Pauli 1. Corinth. 13. *Ex parte cognoscimus* : scilicet, nunc in via per fidem : *Cum autem venerit quod perfectum est*, id est, visio beatifica in Patria, *evacuabitur quod ex parte est* : hoc est, deerit fides, ut exponunt SS. Patres, & Interpretes.

Infra disp. 14.

1. Cor. 13.

132 Nec obest, quód Christus esset veré viator. Nam simul erat etiam veré comprehensor per visionem, quæ est impedimentum Fidei. Nec item obest, quód Christus benè audivit, & novit, Deum revelare mysteria, nec est cur eis assentiri non potuerit ex motivo infallibilissimo divinæ revelationis. Respondetur enim, potuisse sic assentiri, & de facto ejusmodi assensum præstitisse. Nego tamen id fecisse per actum, & habitum fidei, sed scientiæ, aut beatæ, aut infusæ propter evidentiam, tàm mysterij, quàm revelationis. Vocari solent ij assensus, tàm in Christo, quàm in alijs Beatis, assensus cum evidentia in attestante. & spectant non ad fidem, sed ad scientiam beatificam, aut per se infusam: de quo fusiùs Lumbier *q. 22.* Et Nos *in Disputationibus de Fide.* *Lumb.*

133 Quid tandem de Fide humanâ? Negatur etiam communiter Christo. Quia auctoritas hominum non est motivum certum, & infallibile ad assentiendum. Nec obest, quòd Christus sciret optimé, homines alioquin veridicos attestari aliquas veritates. Nã sciebat etiam eorum attestationem secundùm se esse fallibilem, ideóque illi soli non posse inniti assensum infallibilem, ac certum, quales erant omnes assensus Christi. Assentiebatur ergo illis veritatibus sibi alioquin evidentibus ex alijs motivis infallibilibus, & non præcisse propter ac testationes hominum.

DIS-

DISPUTATIO XIV.

DE

SANCTITATE, GRATIA, ET VIRTVTIBVS Christi.

1 GRATIAM auxiliantem, seu auxilia gratiæ actualis fuisse in Christo, meritò suppositi Anselmus lib. *cur Deus homo, cap.* 10. ibi: *A Patre inspirante, movente, & impellente fuit voluntas, quâ Christus mori voluit.* Sic igitur etiam ad alios actus bonos habuit Christus sanctas cogitationes, & affectiones supernaturales, quæ sunt gratiæ prævenientis auxilia. Notat tamen Suarez *disp.* 18. *sec.* 4. non esse necesse, quòd ea Christi auxilia distinguerentur à visione beatifica, vel ab actibus scientiæ infusæ, & virtutum comitantium: quandoquidem eiusmodi actus sufficienter illustrant, excitant, & alliciunt humanam Christi voluntatem ad bonum. Notandum insuper, quòd eiusmodi auxilia respectu Christi non dicuntur gratia in rigore ethymologico, sicut respectu nostri: quia Christo sunt connaturalia, & debitissima: de quo Ripalda *disp.* 111. Disputamus nunc de Gratia sanctificante Christi, sive increatâ, sive creatâ, sive substantiali, sive accidentali. Sanctitas in genere, ut ex Dionisio resumpsimus *disp.* 16. *de Attributis sec.* 4. juxta dicta latiùs *in Disputationibus de Iustific.* est: *Puritas immaculata, & ab omni scelere libera*: hoc est, ut ibidem exposui, perfectio supernaturalis afficiens rationalem naturam, illamque reddens formaliter mundam à peccato gravi propter incompossibilitatem cum illo. Quòd dicimus, *à peccato gravi*, non prohibet, nè sit alia sanctitas excellentior, pugnans etiam cum levi; sed loquuti sumus in genere, ut sanctitatem etiam minus excellentem comprehendat definitio, seu eius explicatio.

Anſel.

Suar.

Ripald.

Dioniſ. Tom. 1. diſp. 16.

SECTIO I.

An sanctitas increata Verbi sanctificet formaliter humanitatem Christi?

2 CONclusio est affirmativa cum Suarez, Vasquez, & alijs communiter, quos latè citant Aldrete *disp.* 45. *sec.* 1. Bernal *disp* 49. Uvadingus *disp.* 12. & sequitur denuò Haunoldus *lib* 4. *tract.* 1. *cap.* 4. *contr.* 1. Lumbier *quæst.* 19. & Ant. Perez *par.* 1 *disp* 1. *de Perfect. Christi, cap.* 9. id reputans indubitandum.

Suar. Vaſq. Aldrete. Bernal. Vvadin. Haunol. Perez.

3 Multa in id expenduntur testimonia SS. Patrum, asserentium, unctionem, (hac phrasi significant Patres sanctificationem) quâ Christi humanitas uncta fuit, id est, sanctificata, fuisse divinitatem ipsam. Unde scripsit ad Episcopos Hispaniæ Concilium Francofurtense: *Christus unctus naturâ, nõ accidente.* Augustinus 15. *de Trin.* 26. *Istâ mysticâ & invisibili unctione tunc intelligendus est unctus, quando Verbum Dei caro*

Francof. Auguſt.

caro factum est. Anselmus ad 1. Hebr. *De Spiritu Sancto concipi, ab Spiritu Sancto unctus fuit.* Et à Nazianzeno Orat. 36. vocatur Christus, *Divinitate delibutus.* Propter hæc, & alia, inter aliquos oppositam sententiam censuratur, Martinus Perez illam censet saltem temerariam apud Lumbier *quæst. 19. art. 1.* qui meritò defendit illam à censuris: cum sit opinio sapientum Thomistarum cum Alvarez, & Capreolo; & doctissimorum Scotistarum, quos noviter sequuntur Franciscus Felix *cap. 11. difficult. 2.* & Eminentissimus de Lauræa *disp. 16. art. 1.* Cõtra quos tamen.

Anselm. Nazia. *Perez. Lumb.* *Alvar. Capreol. Felix. Laurea.*

4 Probatur ratione conclusio. Gratia creata accidentalis ex eo est sanctificans animam, quam intrinsecè afficit, quia est puritas immaculata cum peccato formaliter incompossibilis; radix, & origo, ratione cujus debentur, & tribuuntur animæ vires ad supernaturaliter operandum, in quo stat quod sit participatio, & consortium divinæ naturæ, & filiatio Dei, ut explico *in Disputationibus de Justific.* Atqui totum hoc præstat multò excellentiùs formaliter, & substantialiter humanitati Christi Sanctitas increata Verbi illi intrinsecè unita: ergo illam sanctificat formaliter, & substantialiter. Probatur minor. Nam in primis Persona Verbi est incompossibilis in humanitate cum peccato; imò, & est inexpellibilis ab illa per peccatum, ut videbimus *disp. 15.* deinde ratione talis Personæ debentur humanitati assumptæ reliqua dona inferiora gratiæ accidentalis: & tandem est participatio substantialis divinæ naturæ multò altior, & intimior, quàm habitualis gratia: & est filiatio Dei naturalis infinitè superexcedens adoptivam: ergo præstat formaliter multò excellentiùs humanitati effectus omnes nobilissimos gratiæ sanctificantis. Nõ est igitur cur non sanctificet formaliter, immediatè, & substantialiter humanitatem, quam sibi unitam intrinsecè afficit, & hypostaticè deificat multò sublimius, quàm gratia accidentalis deificet quodammodo homines: quo deificationis vocabulo significant Sancti Patres quàm Emphaticè possunt sanctificationem. Clarius hoc fiet ex responsionibus ad obiectiones, quarum occasione aliqua dubia resolventur, quæ hic suboriri solent.

Infra disp. 15.

5 Obijcitur primò. Sanctitas Verbi, nec recipitur in humanitate, nec illam informat: ergo non præstat humanitati effectum formalem sanctificandi: hic enim correspondere solet formæ sanctificanti. Ne vocibus hæreamus, jam constat ex *disp. 1. sect. 1. & 2.* Verbum non esse formam, sed purum terminum, & plusquam formam humanitatis. Unde quoties illę voces, *formaliter, effectus formalis, & forma,* tonant imperfectiones causarum formalium, quas in creaturis regulariter agnoscimus, negari debent de Verbo, & de sanctitate increatâ Christi. Admittitur tamen de communi conscientia disputantium in præsenti: quandoquidem per eas significamus præ vocabulorum penuria, sublatis imperfectionibus, denominationes aliquas, quas ad similitudinem causæ formalis communicat intrinsecè purus terminus extremo, cui unitur, vel complexo, quod constituit. Respondetur ergo, concesso antecedente juxta rigorem illum physiologicum, negando consequentiam in sensu nostro Theologico, usurpante effectum formalem sublatis imperfectionibus causæ formalis. Sic autem effectus formalis non semper correspondet formæ, ut apud Physicos usurpatæ; sed interdum puro termino à formæ sordibus immuni. Patet in effectu formali subsistendi; quem communicat intrinsecè Verbum humanitati, cui unitur ut terminus, non ut forma. Porrò totum contendi nus in præsenti, increatam Verbi sanctitatem denominare formaliter humanitatem sanctam ea puritate, qua denominat formaliter subsistentem.

Supra disp. 1.

6 Obijcitur secundò. Sapientia Verbi non denominat humanitatem sapientem, nec lumen increatum Divinitatis reddit humanitatem potentem videre Deum: ergo nec sanctitas increata Verbi humanitatem sanctam. Respondetur: quoad illud de sapientia, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia denominatio sapientis est formalis denominatio vitaliter operantis, impotens cadere nisi in subiectũ, vel quasi subjectum, cui immanet operatio: de quo satis *disp. 12. sect. 1.* Quoad illud verò de lumine, in primis supponitur falsum in antecedente: nam in Deo excludente omnem rationem imaginabilem actûs primi intellectivi, non est lumen per modum potentiæ: quia non est lumen distinctum adhuc virtualiter ab ipsa purissimâ visione sui: de quo multa *disp. 4. de Attributis.* Deinde, permissis suppositione, & antecedente, negatur consequentia: nam illud lumen increatum, si daretur, esset unicè ad videndum Deum visione increatâ, quâ nequit reddi formaliter videns humanitas, sicut nec sapiens, ut nuper dixi. Tandem si nomine luminis, seu principij elevativi ad visionem creatam Dei intelligere quispiam velit Omnipotentiam, negari posset ea pars antecedentis, ut ex Mag. Lumbier observavi *disp. 9. de Attrib. sec. 1. num. 12.*

Supra disp. 11. *Tom. 1. disp. 4.* *Lumb. Tom 1. disp. 9.*

Digitized by Google

num.22. ubi rationem etiam exposui, cur ab Omnipotentia denominari nequeat omnipotens humanitas: quam hîc quoque tetigi *disp.13.n.14.*

Supra disp.13. sec.1.

7 Objicitur tertiò. Si formaliter sanctificaretur humanitas ab increatâ sanctitate Verbi, cùm hæc sit simpliciter infinita, sanctificaretur simpliciter infinitè: sed hoc repugnat humanitati: ergo & sanctificari ab increatâ sanctitate Verbi. Probatur minor: quia repugnat humanitatem esse tam sanctâ, quàm sanctum est Verbum: esset autem tam sancta, si sanctificaretur simpliciter infinitè: nam eo ipso esset tam summè sancta, ut nihil sanctius esse possit, juxta explicationem simpliciter infiniti à nobis traditam *disp. 8. num. 95. ex nostra disputatione 3. de Attrib. sec.1.*

Supra disp.8. sec.9. Hurt.

8 Propter hæc placere nobis non potest responsio Hurtadi *disp.4. sec. 4.* concedentis, humanitatem reddi à Verbo simpliciter infinitè sanctam; non verò summè sanctam. Illi consentire videtur Martinon *disp.11. sec.1.* Idem est forte quod ait Godoy, humanitatem reddi simpliciter infinitè sanctam ad extra: nam in hoc genere sanctificationis, quo se Deus communicat creaturis, participatio per unionem hypostaticam est summa. Verùm hoc est loqui limitativè de infinitate simpliciter.

Martin. Godoy.

9 Pat. Meratius *disput. 6. sec.5.* concedere videtur, humanitatem à sanctitate Verbi esse simpliciter infinitè, & summè sanctam, & consequenter tàm sanctam, quàm ipsum Verbum ratione sui: id quod adstruere voluerunt aliqui apud Lugum *disp 18 sect. 3.* & tenuerunt denuò nonnulli Salmaticenses. Quocirca censet ibi Lugus, aliquid in his miscери de nomine. Tria sunt certa de re. Primum, quòd Christus, cùm sit verè Deus, est summè sanctus, & tàm sanctus, quàm ipse Deus. Secundum, quòd humanitas Christi habet sanctitatem simpliciter infinitam, & summam: ideóque tantam, quantam ipse Deus: cùm habeat intrinsecè sibi unitam sanctitatem Verbi. Tertium, quòd humanitas Christi non habet hanc sanctitatem eodem modo, quo illam habet Verbum; sed modo valde inferiori, & physicè finito, scilicèt contingenter, participativè, & per unionem: cùm Verbum illam habeat essentialiter, & per identitatem; qui modus habendi multò perfectior est citra dubium: & est valde attendendus in denominationibus præmaximè in denominatione sanctitatis, quę consideratur per participationem divinæ naturæ: multò autem perfectior est, & sublimior participatio, & habitio per identitatem, quàm per unionem.

Merat.

Lugus.

10 Melius respondet Aldrete *disp 48.* & Esparza *quæst. 24.* negando majorem. Quia sanctitas Verbi non communicatur humanitati modo perfectiori, & summo, qui est per identitatem; sed modo participativo multò inferiori per unionem. Unde non reddit humanitatem infinitè simpliciter sanctâ, quia non reddit summè sanctam. Non autem reddit summè sanctam, quia non reddit tàm sanctam, quàm sanctum est Verbum: cùm Verbum sit infinitè sanctius ex modo habendi sanctitatem infinitam per identitatem; qui modus è re maximè est ad effectum, & denominationem formalem sancti, stantem in participatione, & consortio divinę naturæ. Tametsi verum sit, quod reddit illam multò magis, & perfectiùs sanctâ, quàm gratia accidentalis etiam infinitè intensa redderet subiectum sanctum, propter modum substantialem nobiliorem sese communicandi humanitati Christi; quamvis uterque modus sit infra identitatem. Cur autem dignitas simpliciter infinita Verbi reddat actiones Theandricas Christi infinitè simpliciter obsequiosas, meritorias, & satisfactorias; sanctitas verò simpliciter infinita ejusdem Verbi non reddat humanitatem simpliciter infinitè sanctam; dicemus in simili *disput. 17. sect.3.*

Aldreti Esparza

11 Objicitur tertiò. Si humanitas sanctificaretur à sanctitate increata Verbi; vel sanctificaretur à Personalitate, ut virtualiter distinctâ à perfectionibus absolutis; vel ab aliqua perfectione absoluta Dei distinctâ virtualiter à Personalitatibus. Non primum: quia in Deo sanctitas est perfectio absoluta, non transcendens ad Relationes: cùm tres Personæ sint unus sanctus, sicut unus Omnipotens. Non item secundum: quia nulla perfectio absoluta Dei unitur immediatè humanitati; ac proinde, nec perfectio sanctitatis absolutæ. Ergo nullatenus sanctificatur humanitas à sanctitate increata Verbi.

12 Respondetur, varios esse Theologos circa dilema majoris; an humanitas sanctificetur à sanctitate relativâ Personalitatis Verbi; an à sanctitate absolutâ Dei; an ab utrâque. Pro sola sanctitate relativa stant Hurtadus, & Lorca. Pro sola absoluta Vasquez, Torres, & Godoy *disp. 21. sect 2.* Sto pro utraque cum Suarez, & Lugo *sect. 2.* quibus subscribit Lumbier *quæst 19. art.4.* Itaque ad objectionem amplector utramque partem majoris.

Hurt. Lorca. Vasquez. Torres. Godoy. Suarez. Lugo. Lumb. tom. 1. disp.16.

13 Ad impugnationem prioris partis dico, *ex disputatione mea 16. de Attributis Dei, sect 4.* sanctitatem moralem Dei, quæ stat in actibus divinæ voluntatis sanctè, & rec-

té operantis, eſſe quidem in Deo ſanctitatem attributalem, & abſolutam, & non prædicatum tranſcendens ad omnes perfectiones divinas; ſed immultiplicabiliter unum, ſicut eſt una Deitas: & de hoc poteſt intelligi quãdo dicitur Deus, *unus ſanctus*, ſicut, *unus Omnipotens*. Sanctitas autem phyſica, qua de nunc loquimur, pro puritate immaculatâ, & conſortio diuinæ naturæ, eſt prædicatum tranſcendens ad omnes perfectiones divinas, & multiplicabilis in relativis realiter pluribus, ſicut prædicata Boni, Veri, Entis, & Exiſtentis: omnes enim divinæ perfectiones ſunt formaliter conſortium divinæ naturæ per realem identitatem, quam formaliter dicunt cum ipſa. Sic igitur ipſa Verbi perſonalitas, ut virtualiter condiſtincta à Deitate, eſt formaliter ſanctitas: quia, ut virtualiter condiſtincta à Deitate, dicit formaliter identitatem realem cum Deitate: atqueadeó eſt potens ſanctificare non minus, quàm ſuppoſitare humanitatem.

14 Ad impugnationem poſterioris partis, nego, perfectiones abſolutas Dei, prout in Verbo, non uniri immediatiſſimé humanitati Chriſti; quod ſatis firmavi *diſp. 2. ſec. 3. & 4.* contra communiorem modum loquẽdi. Sic ergo quamvis in Verbo ſolùm daretur ſanctitas abſoluta, hæc ſanctificaret humanitatem Chriſti ratione præſentis unionis. Addit Lumbier, quód ſanctitas increata abſoluta ſanctificaret formaliter humanitatem, quamvis ſolum mediaté illi uniretur: ad modum, quo accidentia denominant formaliter materiam, & compoſitum, adhuc dato, quòd non recipiantur immediaté in materia, ſed in quantitate diſtinctâ; & actus noſtri ſubſtantiam animæ, adhuc dato, quod immediaté ſolis potentijs diſtinctis unirentur.

Supra diſp. 2.

Lumb.

SECTIO II.

An perfectio ſubſtantialis Vnionis Hypoſtaticæ per ſe formaliter ſanctificet humanitatem Chriſti?

Vaſq. Lorca Becanus Bern.. Perez Eſparza Lumbier Godoy Bernal. Bonaſp. Suar.

15 NEgant Vaſquez, Lorca, Becanus, Peſantius, alijque apud Bernal *diſp. 29. ſec. 4.* & noviter Eſparza *quæſt 25.* Lumbier *quæſt. 19. art. 2.* & Ant. Perez *diſp. 1. de Perf. Chriſti, cap. 13.* & Godoy *ſect. 3.* Affirmant meliùs Recentiores cum Bernal, Bonaſpei, & alijs favetque Suarez *diſp. 13. ſec. 2.* non ſui oblitus, nec eorum, quæ ſcripſerat *diſp. 18. ſec. 1.* ut loquitur Godoy; ſed ſibi conſtans, & utrobique ſedulò legendus, ut caveatur æquivocatio.

16 Ratio affirmandi mihi eſt. Quia unio hypoſtatica eſt ſupernaturalis, & eximia conjunctio, & conſortium cum Deo, incompoſſibilis cum peccato, & radix omnium virtutum in anima; quam Deo intimè ſubſtantialiter conjungit: ergo eſt formaliter ſanctitas ſubſtantialis, multò excellentior, quàm gratia habitualis; ac proinde ſanctificat formaliter humanitatem, quam Deo mirificé unit in unitatem ſuppoſiti, quod eſt Filius naturalis Dei. Quinimò Ripalda *diſp. 100. de Ente ſupernaturali, ſec. 10.* ſupponens nobiſcum unionem hypoſtaticam eſſe formalem ſanctitatem, adſtruere conatur eſſe quoque formalem beatitudinem. Sed hoc nihil ad nos in præſenti.

Ripal.

17 Objicitur primò. Unio hypoſtatica poteſt eſſe ad naturam non rationalem; & de facto fuit ad cadaver, quin illud redderet formaliter ſanctum: ergo quia non eſt formaliter ſanctitas. Reſpondetur ex toto antecedente permiſſo, vel conceſſo, de quo *diſp. 3. ſec 3.* ſolum ſequitur unionem hypoſtaticam, factam dumtaxat ad naturam non rationalem, non eſſe ſanctitatem: nihil tamen inferri contra formalem ſanctitatem unionis hypoſtaticæ ad naturam rationalem capacem ſanctificationis, de qua loquimur. Poſſet aliter negari conſequentia: nam quód cadaver non ita formaliter denominetur ſanctum, forte non eſt, quia unio ad ipſum non fit ſãctitas; ſed quia ipſum eſt ſubiectum incapax talis denominationis ſancti: ideoque nec à ſanctitate Verbi denominatur ita ſanctum.

Supra diſp. 3.

18 Objicitur ſecundò. Unio hypoſtatica nectens in ſententia noſtra corpus, & animam Chriſti inter ſe, & cum Verbo, eſt materialis, ut tenuimus *diſp. 1. num. 143.* Videtur autem indecorum, & abſurdum modum materialem eſſe formam ſanctificantem. Huic obiectioni iam ibi factum eſt ſatis *num. 144.* Addo nunc multa materialia eſſe perfectiora aliquibus ſpiritualibus ex ſpecialibus differentijs. Haud enim crediderim, quemlibet actulum noſtrę voluntatis, vel intellectûs eſſe tam perfectum, quàm ſint forma cæleſtis, & leonina. Unde nihil mirum, indecorum, aut abſurdum, quòd ex ſpeciali differentia nobiliſſimâ modus aliquis materialis ſit forma ſãctificans præ multis ſubſtantijs etiam ſpiritualibus.

Supra diſp. 1. ſec. 1.

19 Objicitur tertiò. Effectus formalis proprius unius formæ competere nequit alteri diverſæ ſpeciei: ſed ſanctificare eſt effectus formalis proprius gratiæ habitualis accidentalis: ergo competere nequit unioni ſubſtantiali. Addiderim, & multò minús ſanctitati

rati increatæ Divini Verbi respectu humanitatis. Respondetur cum distinctione: effectus proprius in quarto modo, & specificus, concedo; proprius in tertio modo, & generic us, nego maiorem. Sanctificare autem est effectus gratiæ habitualis in tertio modo proprij, quod nempe convenit omni, non tamen soli, & est genericus ad multas sanctitates specie diversas, quales sunt gratia habitualis, visio beatifica, unio hypostatica, & increata Dei perfectio.

20 Objicitur quartò. Causalitas formæ non præstat effectum forme, *ut quod*: sed unio hypostatica est quasi causalitas sanctitatis increatæ Verbi sanctificantis *ut quod* humanitatem per unionem, *ut quo*: ergo ea ipsa unio non præstat *ut quod*, effectum formalem sanctificandi. Confirmatur: nam id præstat, quia unio ad Verbum: ergo ratione Verbi, & non ratione sui; ac proinde non, ut distincta sanctitas à sanctitate Verbi.

21 Respondetur similiter cum distinctione: causalitas non præstat, *ut quod*, omnem effectum formæ, concedo; aliquem, nego: præstat enim illud ad quem præstandum ex proprijs prædicatis vim habet. Sic quælibet unio cuiuscumque formæ reddit subiectum actuatum non minus, quàm ipsa forma, quia ex proprijs prædicatis est actus non minus, quàm ipsa forma. Quamvis igitur hypostatica unio non habeat, nec præstet, *ut quod*, omnem effectum sanctitatis Verbi, quia nec personat, nec tam sanctificat, *ut quod*, cùm nec substantia, nec sanctitas simpliciter infinita sit; præstat tamen aliquem effectum formalem, nempe substantialiter sanctificandi, quia ex prædicatis suis habet esse formalem sanctitatem, cùm per se habeat esse formaliter participationem substantialem divinæ naturæ ad humanitatem, esse puritatem à peccato, & reliqua, quæ expendimus *num.* 16. Nihil ergo impedit, quominus unio sit id, *quo* communicatur humanitati sanctitas increata Verbi, & simul ipsa sit etiam sanctitas *ut quod* creata reddens formaliter, *ut quod* humanitatem sanctam. Hinc, cum cessâ minori, negatur consequentia. Ad confirmationem negatur etiam consequentia. Nam quòd id præstet unio ratione Verbi terminativè, non prohibet, quo minùs id etiam præstet ratione sui formaliter; quia ex prædicatis suis, & ratione sui habet esse unionem ad Verbum, & consortium divinæ naturæ, ac proinde esse vim sanctificandi.

22 Insistes. Ergo unio, quâ gratia habitualis entitativa unitur animæ, erit quoque formaliter sanctitas sanctificans animam, ut *quod*: cùm sit etiam incompossibilis cum peccato: quod tamen est falsum, sicut, & quòd unio albedinis sit albedo, & dealbet, *ut quod*. Respondet Bernal *disp. 29. sec. 4.* consequentiam nec esse falsam, nec absurdam. Dat verò disparitatem ad id de unione albedinis, quia unio albedinis nec est color, nec obiectum visûs, prout requiritur, ut esset albedo; ideoque dici nequit dealbare, *ut quod*: at unio gratiæ cum anima est perfectio supernaturalis incompossibilis formaliter cum peccato, & habet alia prædicata sanctitatis; ideoque dici potest sanctificare etiam, *ut quod*. Alij negant consequentiam: dant autem disparitatem inter unionem hypostaticam, & unionem gratiæ habitualis, ex eo quòd illa est immediatè participatio, & consortium Divinitatis; non verè sic unio gratiæ habitualis ad animam: nam gratia habitualis est participatio, & consortium Divinitatis; unio autem illius ad animam coniungit animam cum gratia habituali, quæ est Divinitatis participatio, quod non est ipsam unionem esse formaliter, & immediatè participationem divinitatis. Quòd autem ea unio Gratiæ ad animam sit essentialis incompossibilitas cum peccato, ac proinde puritas à scelere, nõ sufficit ad rationem sanctitatis; quia id non habet ratione suæ magnæ perfectionis, cùm sint entia sine dubio perfectiora id non habentia, ut actus, & habitus Fidei, & Spei perfectiores modulo illo unionis gratiæ; sed id habet ratione perfectionis sui termini, cum quo connectitur, scilicet ratione gratiæ: ut sapienter inuit Ant. Perez. *disp 1 de Perfect. Christi cap. 12.* ubi alia inculcat utilia pro conceptu sanctitatis cõstituendo, de quo nos *in Disputationibus de Gratia.*

Bern.

Perez.

SECTIO III.

An, quando, & quanta infusa fuerit Christo Gratia habitualis accidentalis.

23 CErtum est, eam dari in Christo. At quam certum? P. Suarez *disp. 18.* Coninc *disp. 11.* Cardinalis de Lauræa *disp. 26. art. 3.* & alij censent contra Vasquez, id esse de fide. Illustrissimus Godoy *disp. 22. sec. 3.* censet oppositum esse errori proximum. Acriùs id censurat Ant. Perez videndus: *disp. 3. de Perfect. Christi cap. 1.* Existimo esse ita certum, ut saltem temeritas esset id negare; quidquid alij adhuc de hac censura dubitent apud Aldrete *disp. 49.* Quia in id conveniunt Theologi gravibus nixi fundamentis Scripturæ, & Patrum videndis apud Suarez, Coninc, & Lauræam, & præsertim apud Ant. Perez cit. enumerantem, & expendentem titulos necessitatis Gratiæ accidentalis in Christo.

Suar. Coninc Vasq. Godoy Perez Aldret.

Laurea.

24 Difficultas est, ad quid concedenda sit Christo talis gratia? Quandoquidem sufficienter sanctificatur per gratiam substantialem: ergo superfluit gratia ista accidentalis: vel saltem non sanctificat Christum iam substantialiter sanctum. Hoc postremum videtur concedere Uvadingus *disp. 5. dub. 2.* negans humanitatem sanctificari à gratia accidentali, quamvis illam habeat: quod tamen non approbo. Sed respondeo ad difficultatem, & ad eius rationem dubitandi, gratiam accidentalem sanctificare humanitatem, quāvis ad id præcise non requireretur. Non tamen perinde superfluit: quia requiritur ad alios effectus. Primò, videlicet ut per ipsam, & per habitus ipsius comites constituatur anima Christi intrinsecè, & permanenter specialiter potens exercere actus supernaturales creatos virtutum. Nec est cur denegemur animæ Christi huiusmodi compraincipia connaturalia suo statui elevatissimo. Secundò, quia congruentissimum est, quód Christus caput nostrum, de cuius plenitudine accepimus omnes, esset quoque sanctus sanctitate habituali eiusdem speciei, quà nos ipsius membra sanctificamur.

Vvadin.

25 Obstaculum alicui videri posset, quòd unus ex effectibus gratiæ habitualis accidentalis est facere filios adoptivos: quod tamen repugnat Christo eiusque humanitati. Huic tamen obstaculo occurrimus *disp. 9. num 66.*

Supra disp. 9. sect. 3.

26 Alia difficultas. Quando fuerit infusa Christo gratia habitualis? Respondetur à primo suo instanti: ita nimirum, ut deinceps non susceperit augmentum. Sic Theologi communiter. Et ratio est: quia vel ea gratia fuit data Christo ex proprijs meritis; vel præcisse intuitu unionis hypostaticæ. Si dicatur hoc secundum, non est cur tota data non fuerit Christo in instanti primo unionis; cùm tota competat dignitati unionis. Si dicatur primum, cùm merita fuerint infiniti valoris, nihil gratiæ accidentalis excogitari potest, quod per primum suum actum Christus non meruerit: ergo neque sic est cur data non fuerit ei in primo instanti: Nec obest quod dicitur *Luca. 2.* de Christo: *Puer autem crescebat sapientiâ, & gratiâ apud Deū, & hominēs.* Respondetur enim ex S. Thoma, id dici, non quia gratia habitualis in Christo susceperit incrementum; sed quia in dies operabatur Christus præstantiores, & notiores gratiæ effectus, quibus promovebatur etiam apud Deum opus redemptionis nostræ gratissimum Deo. Sic etiam Conino *dub. 7.* aliam referens intelligentiam ex Bonaventura, Euthimio, & Vasquez.

Luca 2.

S. Thom.

Conine. Bonav. Euthym. Vasq.

27 Dices non videri rationi consonum, quòd tot eximia opera Christi deinceps facta manerent sine novo præmio gratiæ supervenientis. Respondetur, rationi fuisse maximè consonum; quia tam unioni hypostaticæ, quàm primo Christi merito debebatur tota gratiæ intensio, quæ deinceps danda foret: sicque incongruum esset, si tota non ei concederetur in primo instanti. Simile quid adstruit studiosè P. Joannes de Cardenas *disp. 2. Diadematis Mariani cap. 25.* de Beata Virgine ab instanti Incarnationis Verbi, ex tunc scilicet accepisse plenitudinem suæ gratiæ, usqueadeò, ut deinceps non susceperit incrementum: quod tamen non probo: quia similem propositionem referre videtur Eymericus *par. 2. quæst. 11. num. 10.* inter errores Janovesij. Fides penes ipsum. Addo pro me, dici posse eam ipsam gratiam in primo instanti collatam fuisse quoque in præmium anticipatum pro meritis subsequentibus, iuxta nostras doctrinas de genere meriti solutorij.

Carden.

Eymeric.

28 Postrema dificultas. An concessa fuerit Christo gratia habitualis infinitè intensa. Quatuor sunt sententiæ. Prima, nec fuisse in Christo, nec esse possibilem: quia repugnat intensio qualitatis actu infinita. Sic communiter Thomistæ. Secunda, non fuisse de facto in Christo, quamvis concedatur possibilis qualitas infinitè intensa. Sic Vasquez *disp. 46.* & alij. Tertia concedendam esse de facto in Christo, si semel admittatur possibilis in aliquo. Sic Suarez *disp. 22.* & plures alij cum S. Thoma. Quarta, absolutè possibilem esse, & de facto datam fuisse Christo gratiam infinitè intensam. Sic Hurtadus *disp. 41.* Arriaga *disp. 32.* & Bernal *disp. 30.* citans Almainum, Majorem, & Ariminenses; itemque Ripalda, Fasolus, Maldonatus, Albertinus, Victoria, & alij apud Cardenas, *cap. 27.* Qui addit, in Deipara quoque fuisse gratiam infinitè intensam ab instanti Incarnationis. Addit magis singulariter Mæratius *disp. 23. sec. 4.* probabile sibi videri ita datam fuisse Christo omnem gratiam habitualem possibilem infinitam in intensione, ut omnes omninò gradus possibiles formaliter habeat; illos etiam ipsos numero, quos nos habemus, reproductos scilicet in nobis, ut majori cum proprietate dicamur, quòd *de plenitudine ejus omnes accepimus.*

Vasq.

Suar.

S. Tho.

Hurt.

Arriaga

Bernal.

Almain.

Maior.

Arimin.

Ripald.

Fasolus.

Maldon.

Albert.

Victoria.

Carden.

Marat.

Ioan. 1.

29 Non est instituti nostri Theologici examinare possibilitatem, vel repugnantiam gratiæ, vel alterius qualitatis infinitè intensæ: quod Physiologorum est. Quoad præsens attinet placet tertia sententia P. Suarez. Nam si spectetur meritum Christi, est simpliciter in-

Suar.

infinitum: si spectetur dignitas Personæ, est simpliciter infinita: ergo quicumque horum titulorum attendatur, congruit Christo gratia habitualis infinita, si possibilis sit: imò, & summè intensa, si potest assignari, & actu dari summa. Nec obest limitatio Animæ Christi, quæ est subiectum gratiæ, & cui propterea non posset esse connaturalis tanta gratia. Quoniam in susceptione gratiæ non tam attenditur connaturalitas ad subiectum physicum nudè sumptum; sic enim, nec unus gradus gratiæ connaturalis est animæ; sed attenditur capacitas obedientialis animæ, & connaturalitas ad subjectum prout in statu elevatissimo præconstitutum: animæ autem Christi præconstitutæ in statu unionis nulla est gratiæ intensio quæ connaturalissima non sit, nec excogitari potest subjectum connaturalius.

SECTIO IV.

Quo sensu dicatur Christus in Scripturis: Plenus gratiâ.

30 DIcuntur Apostoli Actorum 2. *Repleti Spiritu Sancto.* Stephanus Act. 6. *Plenus gratiâ*: Beatissima Virgo Lucæ 1. *Gratiâ plena*: & Christus, seu Verbum caro factum Ioan. 1. *Plenum gratiæ, & veritatis*: de quo Baptista ibidem: *De plenitudine eius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.*

Act. 2. *Act. 6.* *Luc. 1.* *Ioan. 1.*

31 Ex hac Scripturę phrasi inferre contendunt aliqui, plenitudinem gratiæ habitualis Christi tantam fuisse, ut ad summum usque pertingeret taliter, ut intensior esse non posset adhuc de absolutâ potestate. Quidquid sit de veritate illationis, quam ad Physicos remitto, & tractat hic fusè Lumbier *quæst. 20 art. 5. & 6.* circa ipsius bonitatem videntur obstare ipsæ Scripturæ loquutiones, cùm multi alij præter Christum dicantur eadem phrasi gratiâ pleni, seu repleti, quin tamen habuerint gratiam summam. Nec momenti est quod observat Lumbier *qu. 21. art. 3.* scilicet de Christo dici neutraliter, *plenum gratiâ*; in quo nullum alium agnosco mysterium, præter idoneam convenientiam grammaticalem adjectivi *plenum*, cum substantivo *Verbum*, quod præcesserat.

Lumb. *Lumb.*

32 Ego quidem planiùs intelligo dictas plenitudines juxta Scripturæ phrasim: videlicet, sumi pro intensione gratiæ eximiâ, & abundantissimâ indefinitè, respectivè ad munera, quorum intuitu Deus illam elargitur. Hinc enim facile est intelligere, in Christo fuisse intensiorem multò quàm in alijs, qui etiam dicuntur pleni; quia munera, quorum intuitu replevit Deus Christum gratiâ, fuerunt multò nobiliora, & excellentiora.

33 Sic ferè sapientissimus Lessius *quæst. 7. art. 10. num. 26.* per hæc verba: *Vnde colligo, Christum dici plenum gratiâ quadruplici consideratione. Primò, quia habuit summam & intensivè, & extensivè, qua secundum divinam prædestinationem erat cõferenda in universum. Secundò: quia habuit omnem, quam decuit habere naturam creatam summè Deo unitam, scilicet in unitatem Personæ. Tertiò: quia habuit omnem, quam oportebat habere fontem, & universale principium glorificationis in toto genere humano*: addiderim, & in Angelico. *Quartò: quia extendebat se ad omnes effectus gratiæ: quidquid enim per aliquod donum gratiæ fieri poterat, per eius gratiam est præstitum.* Et fert Cyrillum *lib. 1. in Ioan. cap. 17.* ibi: *Sicut filius accipit à Patre totam hæreditatem, servus autem munera quædam; ita Christus totam gratiæ substantiam, reliqui particulas.* Plura nimis acutè Ant. Perez *disp. 3. c. 2. à n. 70.*

Lessi. *Cyril.* *Perez.*

34 An autem fuerit in Christo summa gratia, nec ne? Aliunde pensandum relinquo; cùm ex prædicto modo loquendi Scripturæ non satis colligatur. Dicam pro nunc de summitate gratiæ Christi, quòd de eiusdem infinitate dicebam *sec. prac.* cum Suarez: quòd nempè si dabilis actu sit summa gratiæ intensio, ea de facto datur in Christo ob eamdem rationem, qua sic dicebam de infinitate *n. 29.*

Suar.

35 Argumentum, quo aliqui eam de facto negant ex eo quòd intensior foret, si haberet gradus etiam gratiæ in omnibus justis dispersos, quos tamen non habet, me quidem non premit; quippè per gradus homogeneos non intendi qualitates opinor *in lib. de Ortu Interitu.* Nec eum premeret, qui diceret, eos ipsos gradus gratiæ iustorum esse in Christi plenitudine, ut ex Meratio meminimus *numer. 28.*

Merat.

36 Argumentum aliud iactari solitum à non paucis, ex eo quòd exhauriretur Omnipotentia Dei, si tantam gratiam produxisset in Christo, ut nihil gratiæ iam superaddere Divina Omnipotentia posset; vix, me iudice, ullius momenti est. Quippè non sic Omnipotentiam concipio, ut quasi evacuetur, aut fiat quasi effœta, quâdo suam virtutem exercet. Et à nemine dicendum puto, exhauriri, aut evacuari infinitissimam virtutem generativam Patris Æterni per generationem Filij, quamvis ita generet, ut ulterius generare possit omninò nihil.

Quod

37 Quod autem in eo casu non posset ultra quidquam gratiæ Christo infundi à Deo, non est aliud in re, nisi infudisse quantam potest: quod actu fieri nihil dicit repugnantiæ; nisi in hoc quoque repugnantia concipiatur, quod Deus potest facere quidquid potest, & non ultra: quod est nimis verum. Sic Arriaga, quamvis reiectus ab Ant. Perez *num.* 80.

Arriag. Perez.

38 Aliud argumentum meditatur Perez *num.* 74. Quòd nempé, si actu poneretur gratia summé intensa, non haberet virtutem se augendi per merita: quod est contra essentiam gratiæ: sicut contra essentiam seminum non posse novum aliquid sibi simile producere. Videtur responderi posse, non propterea exhauriri virtutem meritivam gratiæ, aut productivam seminum: quia agere possent in cõservationem fructuum iam productorum. Nec deesset Deo alius etiam modus præmiandi de novo nova merita distinctus ab augmento gratiæ.

SECTIO V.

Quænam prædestinatorum sanctitatum sit in Christo Gratia Capitis.

39 *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*, ait de Christo Paulus *Ephes.* 1. Unde fide certum est, Christum esse caput mysticum Ecclesiæ. Cur autem dicatur potiùs caput, quàm cor? Respondet S. Thomas *quæst. 8. art. 1.* rationem esse, quia caput in physicis est membrum exterius, cor autem interius. Unde est, quòd metaphora cordis aptiùs accommodetur Spiritui Sancto interius vivificanti, & regenti Ecclesiam; metaphora verò capitis, Christo exteriùs visibili.

Ephes. 1.

S. Thom.

40 Nec obest, quòd Pontifex dicatur Ecclesiæ caput. Respondetur enim, esse caput subordinatum sublimiori capiti Christo: & esse caput quoad exteriorem gubernationem Ecclesiæ: in quo sensu multa præterea sunt in Ecclesia Capita subordinata respectivé, ut habet S. Thom. *artic. 6. in corp.* Non verò quoad influxum principaliorem universaliter per sua merita, sicut est Christus, per cujus merita derivantur in Ecclesiam influxus omnes vitæ spiritualis.

41 Nec item obest quod dicitur *1. Corinth. 12. Vos estis corpus Christi, & membra de membro.* Ubi videtur Christus, ut homo, vocari membrum Ecclesiæ: ergo non est caput. Propter hoc Altisiodorensis, & Turrecremata non recusant, vocare Christum Ecclesiæ membrum: cui loquutioni favent S. Thomas, Hugo Cardinalis, & alij super dictum locum Pauli. Negant tamen, exinde sequi, Christum non esse quoque caput: quia in corpore physico caput etiam est membrũ corporis. Meliùs tamen videtur responderi cum alijs Expositoribus apud Cornelium, per ea verba Pauli non vocari nos mẽbra de membro, id est Christo; sed alterius membri, id est Pauli, cujus ministerio Corinthij accesserant ad corpus Ecclesiæ: vel alterius membri, ideſt Ecclesiæ Corinthiorum, quæ facta fuerat membrum Ecclesiæ universalis. Sic Chrisostomus, Theophilactus, & alij Græci. Aut, si mavis, sic intellige cum ipso Cornelio ex textu græco: *de membro*, id est, *ex parte*: adinvicem, seu vicissim, ut innuit Ambrosius: quasi dicantur esse commembra, seu compartes cum alijs membris Ecclesiæ sub capite Christo. Unde negatur consequentia, simulque loquutio illa, quâ dicitur Christus Ecclesiæ membrum. Nec valet paritas corporis physici, in quo caput est etiam membrum. Nam caput physicum pendet vicissim ab influxu aliarum partium; ideòque dici potest commembrum cum illis: Christus verò, Caput mysticum Ecclesiæ, non pendet, aut accipit vitam vicissim à membris Ecclesiæ.

1. Cor. 12.

Altisiod. Turrecr.

S. Thom. Hugo.

Cornel.

Chrisost. Theoph. Cornel. Ambr.

42 Occurrunt circa hoc varij modi sentiendi, & loquendi, qui videri possunt apud Suarez *disp. 23.* & Lumbier *quæst. 26.* Volunt aliqui, Christum ut hominem esse caput Ecclesiæ universalius sumptæ pro congregatione non solùm hominum, sed etiam Angelorum. Alij esse caput hominum, ut homo est; Angelorum verò, ut Deus est. Alij, esse caput prædestinatorum tantum. Alij, omnium fidelium, & beatorum; non tamen infidelium.

Suar. Lamb.

43 Dicendum videtur primó cum Suarez, & communiori sententia, Christum, ut hominem, esse caput, non solúm hominum, sed etiam Angelorum. Id quod videtur insinuasse Paulus *Coloss. 2. Estis in illo repleti, qui est caput omnis Principatús, & Potestatis*, Quæ verba Angelos quoque comprehendunt. Et constat uberiús ex locis Scripturæ, & SS. Patrum congestis *disp. 6. sec. 3.* ex quibus vidimus à Christo merente, ac proinde, ut homine, derivatas fuisse omnes gratias, & omnia dona spiritualia hominum, & Angelorum; ac proinde ab ipso tamquam à capite in genere meritorio.

Coloss. 2.

Supra disp. 6.

44 Dicendum est secundò: non eodem modo esse Christum omnium caput; sed modis longè diversis. Hoc sola explicatione indiget. Nam Angelorum, & Hominum Beatorum, utpotè Christo multo intimùs

miùs coniunctorum, est Christus caput perfectiori modo, & cum maiori influxu donorum supernaturalium in illos. Iustorum viatorum est caput modo minús perfecto, & cum minori influxu. Peccatorum fidelium etiam est caput: à quo multa dona supernaturalia in illos derivantur: modo tamen multo inferiori, & cum influxu multó minori. Infidelium etiam est aliquomodo caput: à quo videlicet aliqua adhuc auxiliorum dona derivantur in illos, ut ipsi coniungantur per fidem, & gratiam: ideoque vocari solent Christi membra, quasi in potentia, & in actu primo: ad modum quo alimentum non est in actu secundo membrum corporis, sed solum in potentia, quatenus caput influit in illud qualitates, quibus disponitur, ut fiat membrum in actu secundo. Damnatorum dici potest caput ampliativé ad tempus, quo iusti, fideles, vel viatores fuerunt. Tandem creaturarum omnium etiam irrationalium dici potest Christus, ut homo, aliquo modo laxissimo caput, quatenus est omnium supremus, & nobilissimus Dominus, & de omnibus disponere, & uti potest ratione dignitatis hypostaticæ.

41 Iam circa gratiam, quæ vocatur in Christo Gratia Capitis; quidam volunt, hanc esse gratiam habitualem: quia hæc est ejusdem rationis cum gratia membrorum. Sic cum alijs S. Thom. apud Bernal *disp. 32. sec. 1. §. 2.* Alij volunt, esse gratiam unionis, vel sanctitatem increatam Verbi: quia hæc est, quæ dignificat infinitè Christi merita ad omne omninó præmium, quod in genere meritorio derivatur in membra. Sic Bernal, *num. 11.*

S. Thom.

Bern.

46 Dicendum tamen est tertiò, utrique gratiæ id esse tribuendum, & sic ex utraque coalescere in Christo gratiam capitis. Nam opera meritoria, per quæ Christus cum distributione accomodâ influit in membra, dignificativè sunt à gratia unionis, & producti vè à gratia habituali per habitus virtutum: ergo ex utraque gratia coalescit in Christo Gratia Capitis. Sic rem componit Suarez *disp. 23. sec. 2.*

Suar.

47 Addiderim ex Bernal *num.* 13. ad rationem huiusmodi gratiæ capitis mystici, præter gratias intrinsecas creatas habitualem, & unionis, requiri extrinsecam ordinationem Dei ex pacto, vel decreto suo constituentis hunc Christum caput Angelorum, & hominum, ex cuius meritis deriventur in membra ii fluxus gratiarum. Quippè Deus aliter posset res disponere, & ordinare.

48 Addiderim rursùs ex Suarez *ver. Ex-his*, gratiam, & dignitatem capitis juxta præsentem Dei ordinationem, & legem, ita esse Christo propriam, ut nulli alteri communicata sit: imò nec puræ creaturæ communicari possit, saltem quoad perfectionem & modum influendi gratiam in alios, etiam peccatores, ex merito condigno, & ex perfecta justitia. Constat ex *disp. 1. sec. 3.* ubi vidimus, hoc esse impossibile puræ creaturæ. Hoc tamen non tollit, quo minùs Pontifex dicatur Caput Ecclesiæ; alio tamen modo longé inferiori, ut vidimus *nu* 40.

Supra disp. 8.

SECTIO VI.

Qua perfectione fuerint in Humanitate Christi Gratia gratis data: præsertim Virtus patrandi miracula.

49 TAles dicuntur contradistinctim à Gratia gratum faciente, contracto per usum vocabulo à genere ad speciem, non quidem omnia dona gratiæ, quæ gratuitò cõferuntur: sed quæ alicui conferuntur ad communem præsertim aliorum utilitatem. Sic explicant Theologi ex Magistro *in 2. dist 28.* & ex S. Thom. *1. 2. qu. 111. art. 1.* Suar. Prolog. *3 de Gra. c. 4.* quorum explicationem exhibet cumulatiús *disp. 8. de Fide à sec. 2.*

Mag. S. Thom. Suar.

50 Gratias gratis datas numeravit novem Apostolus *1. Corinth. 12.* ibi: *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ: alij autem sermo scientiæ secundum eumdem spiritum: alteri Fides in eodem spiritu: alij gratia sanitatum in uno spiritu: alij operatio virtutum; alij prophetia: alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum.* Has omnes fuisse eximié in Christo certum est: & patebit ex earum explicatione.

1. Cor. 12

51 *Sermo sapientiæ*: quod est donum noscendi, & explicandi Theologicè Mysteria per altissima Fidei principia. *Sermo scientiæ*: quod est donum sciendi, & explicandi philosophicé eadem Mysteria per media inferiora. *Fides*: quod hoc in loco est juxta aliquos donum specialis fiduciæ requisitæ à Christo, *Matt. 17.* ad patranda miracula: & juxta alios, est donum explicandi, & persuadendi faciliùs eadem Fidei Mysteria, ut in quibusdam pijs, ac simplicibus admiramur, clariús, & fructuosiús id præstantibus per hanc gratiam gratis datam, quàm Theologi aliás doctissimi. *Gratia sanitatum*: quod est donum curandi languores corporales per media forté naturalia: nam curatio miraculo-

Mat. 17.

sa,

& supernaturalis videtur spectare ad operationem virtutum. *Operatio virtutum*: quod est donum, seu virtus patrandi miracula in Fidei confirmationem. *Prophetia*: quod est donum cognoscendi, quæ ab hominum notitia, aut loco, aut tempore, aut aliter distant. *Discretio spirituum*: quod est donum dignoscendi eos, qui à Deo, qui à diabolo, qui a proprio spiritu reguntur. *Genera linguarum*: quod est donum intelligendi, & loquendi varia idiomata. *Interpretatio sermonum*: quod est donum intelligendi, & exponendi arcanos Scripturæ sensus.

Suar. Coninc. 52 Est quæstio dignè discussa à P. Suarez *tom. 1. disp. 31.* & à P. Coninc *disp. 15. dub 2.* circa *operationem* virtutum, quæ est virtus patrandi miracula; quomodo hæc gratia gratis data collata fuerit humanitati Christi.

Suar. 53 P. Suar. supponens doctrinam Philosophicam, quod in quacumque re creata, ac proinde in humanitate Christi, detur virtus obedientialis activa ad producēdos quoscumque effectus, alioquin non involuentes contradictionem; ait, humanitatem Christi de facto fuisse divinitùs elevatam, ad producenda physicè omnia miracula, quæ Christus fecit, tàm in se ipso, quàm extra se in alijs, etiam distantissimis: afferens in id præter auctoritatem S. Thom. *quæst. 13. art. 1. & 2.* aliasque congruentias, illud Christi *Luc. 6. Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* *S. Thom. Luc. 6.* Sed in primis hoc postremum non probat intentum. Quia verò potuit id à Christo dici de virtute, seu qualitate aliqua formativa exeunte à sua Omnipotentia, de quo non est quæstio, quamvis in illam physicè non influxerit humanitas. Congruentiæ autem pro de facto supponunt de possibili doctrinam Philosophicam mihi nunquam probatam, ut jam innui *disp. 4. à num. 28.* de potentia physica obediential in omnibus omninò rebus creatis ad quoscumque effectus. Quâ negatâ in quæstione de possibili, corruunt congruentiæ pro de facto. *Supra disp. 4. sec. 3.*

Coninc. Vasq. 54 P. Coninc negans melius *dub. 1.* cum P. Vasquez prædictam doctrinam Philosophicam, eamque latè, & doctè examinans, & impugnans; distinguit *dub. 2. num. 64.* duplex genus operum miraculosorum, seu supernaturalium. Unum in substantia, ut infusio gratiæ, & habituum entitativè supernaturalium, & alia huiusmodi. Aliud in modo dumtaxat, ut sedatio subita tempestatis, curatio repentina morbi, resurrectio mortui, &c. Ad opera miraculosa primi generis ait, humanitatem Christi non physicè concurrisse, nec posse concurrere. Ad secundum genus ait, potuisse elevari; sed non elevatam esse de facto. Quò adducit dictum Atanasij *Orat. 4. contra Arian.* ubi, loquens de curatione miraculosa a Christo patrata, ait: *humano more manum extendit; divinitas autem morbum compescuit*: quod est opus illud soli divinitati attribuere illud patranti ad extensionem manûs Christi. Simila allegat ex S. Leone, & ex Sophronio *in Epist. Synodicâ recitatâ à sexta Syn. action. 11.* Duo mihi minus placent. Primum, quod ait circa opera miraculosa primi generis: ubi subdistinguendum videtur inter opera illa entitativè supernaturalia, quæ fiunt in ipsa humanitate Christi; & quæ in alijs: cùm certum sit ad suos actus entitativè supernaturales in se efficiendos elevatam fuisse de facto; & mihi verum, quòd etiam ad partes aliquas unionis hypostaticæ Verbi cū partibus substantiæ per nutritionem aggeneratis, ut dictum est *disp. 1. num. 127.* & valdè verisimile quòd in Resurrectione cōcurrerit physicè Anima Christi ad effectionem suæ reunionis ad corpus, quæ est simul unio hypostatica ad Verbum, ut dixi *disp. 4. num. 16.* Secundum, quod ait circa opera secundi generis, potuisse humanitatem elevari obedientialiter ad illa; non tamen de facto sic elevatam. *Alban.* *Leo. Sophron. Syn. 6.* *Supra disp. 1. sec. 10.* *Supra disp. 4. sec. 2.*

55 Ego quidem, si ad omnia utriusque generis opera miraculosa crederem elevari potuisse humanitatem, facilè dicerem cum Suar. ad omnia fuisse de facto elevatam. Quoniam verò fuit mihi semper inverisimile elevabilem fuisse ad omnia miracula physicè efficienda, imò nec ad omnes effectus naturales, v. g. ad producendum Angelum; judico, non ad omnia fuisse de facto elevatum; sed ad illa ad quæ habuit potentiam obedientialem elevabilem. Ad quæ autem præ alijs illam habuerit, dicam me nescire: nè virtutes quidem omnes naturales rerum scimus, sed unam, vel alteram: quid mirum, si fateamur, nescire nos omnes obedientiales ad miracula? Relege dicta *disp. 4 sec. 3.* *Supra disp. 4. Coninc.*

56 Quapropter iudico verum, quod ait P. Coninc *num. 78.* non aliter Christum, ut hominem, operatum fuisse miracula, saltem plura mediâ suâ humanitate, nisi applicando pro libito suæ voluntatis humanæ ad eiusmodi effectus miraculosos Omnipotentiam Divinam, quæ ipsi erat paratissima ex decreto Dei ad eiusmodi effectus producendos ubicumque, & quotiescumque volebat. Sicque omnes alios Sanctos Thaumaturgos facilè superavit: qui non quoties vellent, & prout vellent, & iudicabant expedire; sed solum quando, & prout à Deo ad id specialiter impellebantur poterant per divinam virtu-

cutem patrare miracula.

57 Et hæc etiam est ratio, cur Christus dicatur habuisse hanc gratiam gratis datam miraculorum per modum habitûs. Non quidem quia inhæserit Christo qualitas aliqua physica superioris ordinis, quæ esset virtus generalis effectiva miraculorum, ut opinabantur Palud. Capreol. & Ferrar. apud Suar. *sec. 5.* hoc enim dicitur sine solido fundamento. Neque quia impresserit Deus quemdam artificiosum motum actionibus humanitatis Christi, quo elevarentur ad supernaturales effectus, ut volugrunt Sotus, & alij, apud eumdem Suarez: quod vis est intelligibile. Sed quia eam præparationem Omnipotentiæ ad suum libitum ad quodcumque, in huic semper Christus permanenter ex decreto Dei, alij verò Sancti solùm per modum actûs, quando specialiter ad aliquod miraculum operandum impellebantur à Deo.

Palud. Capr. Ferrar. Suar.

Sotus. Suar.

SECTIO VII.

An, & quomodo Dona Spiritûs Sanctisint specialiter de Dono Timoris.

58 Certum est, ea fuisse in Christo, ut patebit ex illorum explicatione. Et Regula *disp. 77.* & Anton. Perez *disp. 2. cap. 2. num. 63.* censent esse de Fide: sive ea dona sint entitativè aliquæ ex ipsis virtutibus per se infusis cum speciali denominatione respectu aliquorum actuum, ut existimare videtur Ant. Perez; sive sint qualitates supernaturales diversæ ab habitibus virtutum, ut videtur esse aliorum existimatio.

Regul. Perez.

59 Dona Spiritûs Sancti futura in Christo prophetavit dictatibus juris Sanctus PR. & Interpretes Isaiæ c. 11. ea enumerans septem, his verbis: *Requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiæ, & intellectûs: Spiritus consilij, & fortitudinis: Spiritus scientiæ, & pietatis: & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Tria scilicet, Pietas, Fortitudo, & Timor, pertinent ad voluntatem; quatuor alia ad intellectum. De iis Valentia, Vasquez, & Salas t. 2. q. 68. ex quibus latè Godoy *disp. 15.*

Isai. 11.

Valent. Vasq. Sal. Godoy.

60 Explicantur sic. Donum *Sapientiæ* est, quo judicatur per rationes altissimas, & æternas, divina mysteria esse divinæ sapientiæ, ac bonitati conformia, digna, quæ credâtur, & amentur. Donum *Intellectûs* est, quo eadem mysteria ex sacris Scripturis medullitùs intellecta, ac penetratis elucidantur. Donum *Scientiæ* est, quo eadem mysteria collustrantur per rationes non ita sublimes, sed humanis discursibus magis quodammodo accomodatas. Donum *Consilij* est, quo ex peculiari, & extraordinario instinctu divino judicatur practicè de re hic, & nunc agenda. Ex hoc spiritu Apollonia gratum Deo judicavit se flammis committere: alijque alia similiter egerunt. Donum *Fortitudinis* est, quo ex divino impulsu contemnuntur gravissima pericula, & superantur pro Deo arduæ difficultates. Donum *Pietatis* est, quo impellimur singulariter ad opera eximia in cultum, ac reverentiam Dei: Sanctorum etiam, ac Parentum; prout tamen ad Deum supernaturaliter referuntur. Donum, seu *Spiritus Timoris Domini* est, quo mala contra Deum cautissimè, & reverentissimè fugiuntur. Hoc autem postremum exactiorem indaginem postulat.

61 Quandoquidem Timor proprié dictus est fuga mali imminentis. Unde Timor Dei, cùm nequeat esse fuga ipsius Dei tanquam mali, debet esse aut Filialis, propter malum culpæ divinæ offensæ imminentis, aut servilis, propter malum, etiam imminens pœnæ correspondentis ad culpam, & offensam Dei. In Christo autem prorsus impecabili neutrum horum esse poterat: cui utique nec malum culpæ, nec pœnæ correspondentis imminebat. Quomodo ergo fuit in illo donum Timoris? Idcircò communiter Theologi negant actum proprij timoris in Beatis, ut pote iam constitutis extra periculum culpæ, & pœnarum, & confirmatis in charitate iuxta illud Discipuli: *Perfecta Charitas foras mittit timorem.* Quantò magis in Christo eximié beatiori?

1. Ioan. 4.

62 Propter hæc S. Tho. *quæst. 7. art. 6.* ibique Suar. & Vasquez sentire videntur, donum timoris Domini, quatenus dicit fugam mali contra Dominum, non fuisse proprié in Christo; sed quatenus dicit reverentiam erga Deum. Quo sensu *Luc. 2.* dicitur Simeon *homo timoratus*, id est, religiosus. Et *Act. 8.* dicuntur *viri timorati*, id est pij, ac religiosi qui sepelierunt Stephanum. Et Christus *Hebr. 5.* dicitur exauditus *pro sua reverentia*, quod ex Græco vertitur, *propter timorem reverentialem*: apud Bernal *disp. 31. sec. 4. n. 19.*

S. Thom. Suar. Vasq.

Luc. 2. Act. 8.

Hebr. 5.

Bern.

63 Verùm sic non videtur aptè salvari proprietas sacræ Scripturæ, absolutè tribuentis Christo timorem, non utcumque, sed cum plenitudine: *& replebit eum spiritus timoris Domini.* Ille autem alter affectus seorsim à propria fuga mali dici à nemine potest proprié timor: nec est affectus diversus à dono Pietatis supra explicato: & est

venire in sententiam aliquorum, quos meminit Cornelius super eum locum, ponentes dona Spiritus Sancti duntaxat sex, utpote Donum *Timoris* idemtificantes in re cum Dono *Pietatis*. Ad hæc Innocentius Papa II. apud Suar. *disp.* 20. *sec.* 2. ex Sandero *lib.* 7. *de Visib. Monarc.* Et Castro *de Hæres. verb. Christus, Hæresi* 9. damnavit Abailardum memoratum à S. Bern. *epist.* 194. quòd dixerit, *non fuisse in Christo timorem*. Non est autem credibile, negasse timorem istum impropriè sumptum, id est reverentiam erga Deum, ac proinde, nec damnatum à Pontifice fuisse in hoc impropriissimo sensu, quem nemo negat; sed in sensu proprij timoris juxta Scripturas allegatas: quibus propterea, sicut nec damnationi Pontificiæ, non satis videtur facere illa communis explicatio.

Alap. *Innoc.2.* *S.Bern.* *Suar.* *Sand.* *Castro,* *Abail.*

64 Si fortè dicas, damnationem Abailardi fuisse circa timorem mortis, quem in sua generali assertione etiam negabat, contra illud Marc. 14. *cœpit pavere*; non ita circa *timorem Domini*, qui est donum Spiritus Sancti; contra est: quia, si semel datur locus sensui improprio; cur etiam in eo similiter non poterit intelligi timor mortis? Confirmatur: quia circa strictum timorem mortis non occurrit minor difficultas, ut videre est apud Lugum *disp.* 22. *sec.* 3. Nam Aristoteles *2. Rhetor.* 5. ad strictum timorem requirit spem evadendi malum; quod timetur: *cujus signum est*, inquit, *quod timor ad consulendum inducit; nemo enim de re consulit, de qua non est spes*. In Christo autem certissimè conscio futuræ mortis, non erat spes illam evadendi: ergo nec strictus timor moriendi. Accedit Hilarius *10. de Trin. col.* 6. apud S. Tho. hic, negans in Christo timorem. Itemque Augustinus *enarr.* 2. ad illa verba *Psal.* 21. *Deus meus, clamabo per diem, &c.* probare videtur, in Christo non fuisse timorem mortis ex eo quòd Paulus illam non timuerit, ibi: *Non est fortior miles, quàm Imperator*: & mox: *ille optat mortem, ut sit cum Christo: & ipse Christus timeret mortem?* Et fortè videri posset alicui *Timor* in Christo esse contra virtutem, Spiritum, seu Donum Fortitudinis.

Marc.14 *Lug.* *Arist.* *Hilar.* *S. Tho.* *Psal. 21.* *August.*

65 Ut ab hoc ultimo incipiam, extra dubium nobis esse debet, in Christo verè fuisse timorem mortis. Sic communiter intelligunt SS. Patres illud Marci 14. *cœpit pavere*. Leo 1. *serm* 7. *de Pass.* Chrisost. *Homil.* 24. *in Matt.* Cyrill. *lib.* 4. *in Joann. c.* 1. Nyssen. *lib. contra Apollin.* Fulgen. *lib.* 3. *ad Trasimund. cap.* 11. *&* 12. & apud Cypr. *lib. de Passione*, Auctor Operis *de Operibus Cardinalibus Christi*. Alijque passim cum Scholasticis. Et hoc saltem constare videtur ex damnatione Abailardi, negantis inter suos articulos Christo timorem.

Leo. *Chrisost.* *Cyril.* *Nyssen.* *Fulgent.* *Cypr.*

66 Ad Aristotelem huic doctrinæ oppositum *num.* 64. respondent multi multi apud Lugum cit. qui ex versione Trapesuntij novam dat lucem Textui Aristotelico. Placet Læssius *quæst. 15. art.* 7. dicens, doctrinam Aristotelis in eo loco non esse generalem pro conceptu constitutivo timoris ut sic; sed specialem juxta subjectam ibi materiam pro Rhetoribus, suasione suâ incutientibus timorem animis auditorum, ut efficaciter effugiant, & evadant malum cujus timorem incutit Orator: ad hujusmodi autem timorem certum est, requiri spem evadendi malum, quod timetur: quam spem subsequitur consilium circa modum evadendi. At de conceptu generali timoris, ut sic, non est quòd sit incerti mali; sicut nec, spei quòd sit incerti boni, ut patet in animabus Purgatorij strictè sperantibus beatitudinem sibi certissimã. Sufficit ergo ad strictum timorem, quòd sit recessus, seu fuga à malo apprehenso abiente, movens ex se ad præcautionem aliquam, ne fiat præsens: est enim contractio quædam appetitûs à tali malo abhorrentis. Unde quãtò malum est certius, eò magis timor fundat tristitiam, quatenus reputatur jam quodammodo præsens. Ideóque tunc Christus verè timens dixit: *tristis est anima mea*: non quod timor ipse sit tristitia; sed quia timor ille certi mali eam causabat. Quod autem ait S. Thom. ex Aristotele, apprehensionem mali certò futuri non inducere timorem, intelligitur similiter de timore efficaciter procurativo evasionis.

Lug. *Lassi.* *Mar.14.* *S.Thom.*

67 Ad Hilarium, sunt qui eum in sententia nobis cõtraria fuisse patiantur: addunt alij, eam retractasse. Quia tamen Hilarius ibi eodem modo, quo de timore, loquitur de dolore, quem negasse in Christo credendus non est; respondeti potest, ac debet, tam dolorem, quàm timorem alium esse voluntarium, alium involuntarium, & necessariò incussum à vi extrinsecâ. Illum priorem, quem verè habuit Christus, facilè potens, si vellet, se à timore, & dolore liberare, utpotè *oblatus, quia ipse voluit*; non negabat Hilarius: sed illum posteriorem. Quod satis significavit Hilarius ipse negans in Christo, modò *naturam*, modò *necessitatem* doloris, aut timoris; idest timorem, & dolorem ex necessitate naturæ suæ incussum, ipsique involuntarium. In quo etiam sensu ait, infirmitates nostras fuisse Christo non *naturales*, sed *assumptas*. Atque hinc datur lux alijs verbis S. Fulgentij

Isai.53.

Fulgen. tij *l. 3. ad Transim. c. 6.* ibi: *Verè passus passioni non subiacens, mortuus mortem non sentiens.* Nisi dicatur loqui secundum duas Christi Naturas: ratione quarum dicuntur de Christo prædicata contraria, ut esse mortalem, & immortalem; passibilem, & impassibilem.

Les. Lug. 68 Ad Augustinum respondetur, aut ex Læsio, loquutum de timore involuntario; aut ex Delugo, de timore efficaci: quo scilicet re ipsâ effugeret, & evitaret mala, quæ inefficaciter pertimescebat. Hunc non habuit Christus, eoque non omninó caruit Paulus, ut rectè supponit Augustinus.

69 Nec timor iste opponitur fortitudini. Quandoquidem non vincit sic timentem, illum cum effectu inducens, ne viriliter patiatur malum, quod expedit sustinere, & posset effugere. Et hæc de verò timore mortis in Christo.

70 Iam circa donum, seu spiritum *Timoris Domini*, quo repletus fuit, dicendum omninó est, illum proprié in Christo requievisse juxta sincerum sensum vaticinij Isaiæ, non est facile definire propter rationem dubitandi positam *num. 61.* cui non plenè satisfieri videtur per solutionem communem positam *num. 62.* Duæ sese offerunt viæ satis tutæ, ut donum istud Timoris Domini propriè reperiatur tàm in Christo, quàm in Beatis. Unam tenuit P. Bernal; alteram P. Antonius Perez.

Bernal. 71 Bernal *disp. 31. sec. 1. num. 21.* docet, in Christo fuisse strictè, & proprié filialem timorem Domini, etiam prout timor dicit fugam mali culpæ imminentis: non quidem sibi, sed nobis contra Deum summé reverendum. Quemadmodum enim dicemus de virtute Spei *sec. seq.* non solùm amare, & desiderare beatitudinem, aliaque bona suo subjecto; sed etiam alijs; similiter donum timoris, non solùm refugit, & cavet propria timentis peccata; sed etiam aliorum, quæ sunt offensio Dei. Hinc ad obstaculum positum *num. 61.* dicendum est, quód, quamvis in Christo, & in Beatis impeccabilibus stare nequeat timor, prout est fuga propriorum peccatorum imminentium sibi; benè verò prout est fuga alienorum imminentium ãlijs. Atque hunc timorem filialem non mittit foras Charitas; sed servilem.

Perez. 72 Ant. Perez duos distinguit timores mali. Unum trepidationis, & anxietatis profectum ex cognitione mali imminentis: & hunc ait non posse dari circa peccata propria in Christo, nec in Beatis securis de sua impeccabilitate. Alium præcautionis: & hunc ait dari in Christo, & in Beatis circa propria etiam peccata remotè possibilia suis naturis creatis, utpotè non intrinsecè, & ex se impeccabilibus; quia, quamvis securi sint de sua impeccabilitate in illis statibus, possunt ex cognitione suæ naturæ ex se subiectæ peccatis, & ex motivo reverentiæ, & subiectionis ad Deum potentissimum, & iustissimum, ulteriora impedimenta culparum, & pœnarum ponere per actus suos fugæ ulteriùs evitativos peccati. Et hoc ait esse in illis Donum stricti timoris Domini. Sicque docet obiectum materiale timoris esse omne malum, sive culpæ, sive pœnæ potentis permitti, aut infligi à Deo supremo Domino; obiectum verò formale esse reverentiam creaturæ Deo subiectæ ad potentissimam iustitiam Domini. Id quod iam videtur insinuasse sapientissimus Lessius *qu. 7. art. 6.* quatenus ait *Less.* hûc Domini timorem dicere affectum erga Deum, tamquam eminentiorem, & fugam, qua quis ex hoc affectu refugit se comparare cum Deo, & seiparari à Deo per culpam. Atque hinc ad obstaculum positum *nu 61.* negandum est, timorem esse præcisè, & utcumque fugam mali imminentis; sed fugam mali naturæ secundum se subiectæ tali malo, ex motivo reverentiæ, & subiectionis ad Dominum iustissimum avertentem à tali malo. Hoc autem nec in Beatis, nec in Christo repugnat.

SECTIO VIII.

An, & quomodo fuerint in Christo Virtutes Theologicæ comitantes Gratiam habitualem.

73 VIrtutem Theologicam Charitatis, qua Deus amatur propter se, fuisse eximiè in Christo patentissimum est. Dubium esse potest de virtutibus Spei, & Fidei.

74 Circa Spem, communis est, & vera sententia, fuisse, & esse in Christo, sicut est etiam in Beatis, ut habet Suar. *in Comment. ad art. 4 q. 7.* contra Durandum *in 3. d. 26 q. 3.* quamvis circa propriam beatitudinem non elicuerit Christus actum expectationis, à quo virtus Spei sumit hanc denominationẽ, & ethimologiam. *Suar. Durand.*

75 Quo circa observandum venit, in Spe, & in aliquibus etiam alijs virtutibus, aliud esse, quod in re, & entitativè sunt; aliud, à quo tales, ethimologicè denominantur: ut aliò intentus animadvertit scitè S. Tho. 1. *p. quæst. 13. art. 8* à me laudatus *disp. 5. de Attrib. num. 41.* Sæpè namque ducunt ethimon ab exercitio alicuius actûs præcipui; quo *S. Tho. Tom. 1. disp. 5. sec. 4.*

tamen deficiente, aut etiam inexercibili, non propterea deficit in re, & entitativé virtus illa; cùm maneat pro exercitio aliorum multorum actuum ad ipſam ratione ſui obiecti pertinentium. Sic dicemus *ſect. ſeq.* de virtute Pœnitentiæ.

76 Et ſic dicimus nunc de virtute Spei, veré eſſe in Chriſto, & in Beatis. Non quidem ethimologicé denominata ab actu expectationis propriæ beatitudinis eſſentialis: hæc enim jam ab illis non ſperatur, ſed habetur. Benè verò in re eſſentialiter, & entitativé, pro exercendis alijs actibus circa ipſam beatitudinem, ut poſſeſſam, quales ſunt amor, & gaudium de Deo ſic poſſeſſo, ut ipſis bono: cùm ad eamdem virtutem, cujus eſt deſiderare bonum abſens, ſpectet illud amare, & de illo gaudere ſub ratione ſui obiecti formalis. Ad hos igitur affectus virtuoſos exercendos fuit in Chriſto, & eſt in Beatis virtus Theologica Spei, quamvis non ethymologicè ſumpta ad actum expectationis propriæ beatitudinis.

77 Addò, eſſe mihi valdé veriſimile, quòd per eamdem virtutem Spei Theologicæ, qua ſperamus beatificam poſſeſſionem Dei, ut boni nobis; ſperamus etiam ut boni alijs beatificandis: alioquin darentur in nobis quatuor virtutes Theologales, ſcilicet præter Fidem, Charitatem, & Spem, qua Deum diligimus, ut bonum nobis, illam aliam virtutem, qua diligeremus Deum, ut bonum alijs, æquè ſine dubio Theologicam, quia æquè immediatè verſantem circa Deum. Videndus P. Oxea *diſp. 2. de Spe, ſec. 5.* Itaque quoad hunc etiam actum deſiderij, ſeu expectationis Dei, ut boni alijs, poſſent Chriſtus, & Beati exercere habitum Spei etiam Ethymologicè ſumptæ, ut de timore diximus *n. 71.* ex Bernâ. *Bern.*

78 Addendum inſuper, Chriſtum viatorem in vita mortali circa futuram glorificationem ſui corporis, & exaltationem Nominis ſui exercuiſſe Spem, etiam quoad actum ſtrictæ expectationis. Qui actus, ut benè Coninc *diſp. 11. num. 39.* quamvis non tenderit deſiderando, & expectando poſſeſſionem Dei per viſionem, quam ſcilicet jam habebat, reſpiciebat Deum etiam, ut bonum humanitati, poſſidendum plenius per illam etiam glorificationem accidentalem, quæ pertinet etiam ad fœlicitatem æternam, & eſt ſuo quoque modo communicatio ſummi boni ſic cumulatiùs à creatura poſſeſſi. Quod ſufficit ad rationem motivi, & objecti formalis Spei Theologicæ. Quamvis enim inter materialia eius objecta præcipuum ſit eſſentialis beatitudo, non propterea excluduntur alia bona Dei auxilio comparanda, ut juſtificatio, præſervatio à peccatis, perſeverantia, & alia hujuſmodi, in quibus computanda venit glorificatio corporis. *Coninc.*

79 Quodſi interdum SS. Patres negant, in Beatis dari Spem, loquuntur de Spe ethymologicè ſumptâ pro actu deſiderandi, & expectandi beatitudinem.

80 Circa Fidem, communis etiam, & vera ſententia negat illam in Chriſto, ſicut in Beatis ex S. Thom. 3. *par. quæſt. 7. art. 3.* ut latè Aldrete *diſp. 52.* Quia Fides non eſt in ijs, qui habent claram viſionem ex Auguſt. 14. *de Trinit. 2.* Id quo ad actum Fidei probatum manet ex Apoſt. & à ratione *diſput. prac. à num. 131.* ubi evidentiam in Deo atteſtante à certitudine fidei diſcrevimus. Nec obeſt Textus ſacer *Iſai. 11.* de Chriſto: *Et erit Fides cinctorium renum eius.* Sumitur enim ibi *Fides*, non pro Fide, quæ eſt aſſenſus intellectus; ſed pro fidelitate, quæ eſt virtus voluntatis. *S. Thom. Aldret. Auguſ. Supra diſp. 13. ſec. 11. Iſai. 11.*

81 Quoad habitum verò Fidei, probatur. Quia fruſtra poneretur habitus in Chriſto, & in Beatis, pro quorum ſtatu beatifico, nequit haberi actus ullus ſpectans ad talem habitum. Itaque ſicut loco actuum Fidei habuit Chriſtus viſionem beatificam, & actus ſcientiæ infuſæ; ita loco habitus Fidei habuit lumen gloriæ, & habitus ſupernaturales ſcientiæ infuſæ. Quibus certè Fides adderet de ſuo dumtaxat obſcuritatem; ſicque fruſtra poneretur in Chriſto, & in Beatis. Quò redit illud Apoſtoli, tàm de habitu, quàm de actu intelligendum: *cùm venerit quod perfectum eſt*, ideſt, viſio; *evacuabitur quod ex parte eſt*; ideſt, deerit Fides. Non quòd viſio beata, & habitus Fidei, quidquid ſit de actu, phyſicè opponantur; ſed quia tàm actus, quàm habitus Fidei ſuperfluerent pro ſtatu viſionis, & ſupperadderent dumtaxat obſcuritatem, ut expendit benè Coninc *diſp. 11. de Fid. num. 13.* Plura Lumbier *quæſt. 22. de Incarn.* Plurima Aldrete *diſp. 52.* aliquos citans pro parte contraria: quibus addo P. Thyrſum *tom. 3 diſp. 32. nu. 61.* non invenientem rationem efficacem negandi in Chriſto habitum Fidei; ſicut nec Spei. *1. Cor. 13* *Coninc. Lumb. Aldret. Thyr.*

82 Habitum nihilominus infuſum virtutis piæ affectionis Fidei, ſpectantem ad voluntatem, habuit Chriſtus, ſicut dicitur etiam manere in Beatis, quamvis in illis non maneat habitus Fidei. Sic Suarez, & alij communiter contra Vaſquez, & Aldrete *diſp. 52. ſec. 5.* ex S. Tho. *quæſt. 7. art. 7.* dicente, fuiſſe in Chriſto ex parte voluntatis quidquid nobis confertur ad meritum Fidei. Confertur autem *Suar. Vaſq. Aldret. S. Thom.*

tem ex parte voluntatis habitus piæ affectionis. Sicque, negatâ Christo Fide, non propterea Christo viatori negatur meritum fidei in multis actibus voluntatis ortis ab habitu piæ affectionis. Talis est actus honestissimus, quo velle potuit, credere ad sanguinem usque Mysteria Fidei propter Dei revelantis auctoritatem, etiamsi ea mysteria eatumque revelationem non intueretur, sed obscurè proponerentur ipsi, sicut nobis. Desiderabat etiam, & gaudebat, & etiamnum desiderat, & gaudet, quòd alij firmiter, & obsequiosè credant qui affectus spectant ad habitum virtutis piæ affectionis: ut in simili diximus nuper de virtute Spei. Non est ergo, cur Christus ad ejusmodi affectus honestissimè exercendos non fuerit, ac sit instructus habitu virtutis piæ affectionis, ut dici etiam solet de Beatis. Sic etiam Coninc *disp 19. de Spe, dub.* 11 Delugo *disput.* 17. *de Fide*, & P. Oxea *disput. 9. sec. 4.*

Coninc. *Lug.* *Oxea.*

83 Nec pares in hoc esse oportet habitum Fidei, & habitum piæ affectionis: nam illius nullum actum exercent, nec pro eo statu exercere possunt Christus, aut Beati; istius verò, multos, & honestissimos, ac minimè supervacaneos. Unde habitus iste non ponitur frustra; sed utilissimè, & congruentissimè.

84 Circa intensionem, plenitudinem, aut summitatem, qua ejusmodi habitus virtutum fuerunt in Christo, discurrendum est sicut de Gratia habituali *sec. 3.* Et idem dicendum erit de habitibus virtutum moralium. Hi enim habitus commitantur Gratiam tanquam ejus proprietates, & ad ejus mensuram infunduntur, aut augentur.

SECTIO IX.

Quid tandem de Virtutibus Moralibus, sivè per se, sivè per accidens infusis: præsertim de habitu Virtutis Pœnitentiæ.

85 Virtutes morales contradistinctim à Theologalibus dicuntur, quæ non ita immediatè habent pro objecto formali Deum ipsum; sed honestatem alicujus boni creati, quamvis cum aliquo respectu ad Deum.

86 Habitus per se infusos virtutum moralium, nisi in aliquibus obstet proprius ipsarum conceptus, ut obstare vidimus in virtute Theologali Fidei, reperiri in Christo comitantes Gratiam habitualem, à primo etiam instanti sui esse cum intensione qua de Theologalibus diximus; supponimus, ut certum. Quia non est cur Christus non exercuerit honestissimè multos actus virtutum moralium, Religionis, paupertatis, obedientiæ, humilitatis, patientiæ, misericordiæ, charitatis proximi, &c. Ergo habuit ad illos connaturaliùs exercendos habitus earum virtutum.

87 Dices. Quidquid egit Christus, utpote perfectissimè semper operans, egit ex motivo perfectiori Charitatis divinæ, ac Theologicæ: non est ergo cur habuerit habitus virtutum moralium inferiorum. Respondetur, ex antecedente mihi vero, illationem esse nullam. Nam simul cum motivo divinæ charitatis potuerunt actus Christi habere motiva specialia virtutum moralium: ita scilicet, ut idem actus esset formaliter actus, v.g. Religionis, simulque etiam formaliter actus Charitatis Theologicæ, ut de actibus increatis Dei insinuavi *disp. 16. de Attributum* 40. *Tom. 1. disp 16. sec. 4.*

88 Specialis difficultas est de aliquibus virtutibus moralibus v. g. fortitudinis temperantiæ, castitatis: quorum exercitium præcipuum videtur defuisse in Christo, cui scilicet omnia erant facilia, nullique motus intemperantiæ insiliebant. Et specialiter de de virtute Pœnitentiæ; cùm peccata non habuerit de quibus pœniteret. Quapropter multi negant in Christo habitum virtutis pœnitentiæ ut S.Tho. Vasq. Valentia, & alij apud Amicum, quos sequitur P. D. Thyrsus *to. 3. disp. 32. sec. 7.* Resolutio pendet à modo constituendi habitum virtutis pœnitentiæ. *S.Thom.* *Vasq.* *Valen.* *Thyrs.* *Amic.*

89 P. D. Thyrsus *sec. 4.* citatus pro se S.Tho. Canum, Valentiam, Vasquez, & cum alijs Antonium Perez *in manuscriptis de Pœnit.* ponit inter habitus virtutũ infusarum habitum specialem virtutis pœnitentiæ, qui ut prosequitur *sec. 5.* ex speciali suo motivo, scilicet dolendi, & expiandi per proprios actus propria peccata, sicque Deum iratum sibi placandi, nullum actum exercere potest non supponentem peccatum à suo subiecto comissum. Sic etiam Godoy *tom. 2. in 3. par. disp. 24. nu. 14.* Id si verum est, consequens est certissimum, in Christo, qui peccatum non fecit, non fuisse habitum virtutis pœnitentiæ, cùm eo ipso repugneret in Christo omnis actus talis virtutis. Id tamen verum esse non potest. Quia, dato quod possibilis sit ejusmodi habitus virtuosus ita contractus, ut valeat dumtaxat pro affectibus sub circumstantijs proprij subjecti, aut certi status sui objecti, quin eo ipso valeat pro varijs alijs affectibus circa simile objectum sub simili ratione formali honestatis variato subjecto, & statu; at certè sic constituere de facto habitum *Thyrs.* *Amic.* *S.Tho.* *Can.* *Valent.* *Vasq.* *Perez.* *Godoy.*

tum virtutis pœnitentiæ, præsertim per se infusum, qui non ex actibus generatur ad facilé, sed latiús ad instar potentiæ infunditur ad simpliciter; voluntariè, & incongruè videtur dici. Nec ad hoc sic constituendum sufficit quælibet specialis honestas cum aliquali speciali difficultate. Præterquam enim quòd habitus per se infusi non dantur ad facilé, sicut adquisiti; non multiplicantur pro quacumque speciali honestate, & difficultate objectorum: si enim sic essent particulatim multiplicandi, in sola castitate, in sola etiam obedientia, aut humilitate, & sic in quacumque virtute morali seorsim cõstituendi essent plurimi habitus infusi, ut vel mediocriter consideranti fiet pervium.

90 Doctor Eximius, Delugo, Amicus, Hurt. Mart. Perez, Dicastillus, & Martinon, apud eumdem Thyrsum *num.* 17. itemque Lessius *quæst.7. art.2. dub.1.* Conine *disp.* 11. *dub.* 3. & plerique alij docent, motivum, ac proinde & habitum virtutis pœnitentiæ extendi ad cuncta peccata, tàm commissa, quàm non commissa: addunt aliqui tàm proprij, quàm alieni subjecti: atqueadeò, quamvis nomen pœnitentiæ impositum fuerit tali habitui à præcipuo ejus actu, qui est circa peccata propria commissa; multos tamen alios actus exerceri per eumdem illum habitum, qui peccatum commissum non supponunt. Ad instar scilicet Medicinæ curativæ morbi contracti, simulque præservativæ, né contrahatur. Quis autem sit ejusmodi habitus, variant ij Auctores. Suarez vult, esse habitum virtutis justitiæ, contra quem est omne peccatum, cùm stricté sit injustitia contra Deum: ideòque habet pro munere, & motivo servare ius Dei illæsum, aut reparatum. Delugo vult, esse habitum pacis cum Deo, cujus motivum est honestas pacis cum Deo; & munus, placare Deum offensum, vel Deum in offensum servare. Alij aliter: de quo dissidio non ad nos pertinet in præsenti.

Suar. *Lug.*

91 Altisiodorensis, alijque veteres apud Amicum *disp.1. de Pœnit.* dixere, Pœnitentiam non esse habitum, seu virtutem specialem, cuius sit peccata cuncta dolere, aut præcavere, cùm non sit unius virtutis specialis opponi cunctis vitijs; sed esse aggregatum ex omnibus habitibus virtutum, prout unaquæque infert dolorem de peccatis sibi oppositis. Nam fugere, aut tollere malum aliquod ad eumdem spectat habitum, ad quem spectat prosequi bonum cui malum illud opponitur: ergo ad singulas virtutes, quarum est prosequi suum bonum, spectat fugere peccatum contra illud, & de tali malo dolere. Hanc sententiam relinquit, ut antiquatam P. Thyr. sus *sec.* 2. Scio tamen à Recentibus Iesuitis benè doctis denuò defendi. Nec me convincit quod objicitur, cum, qui plura peccata commisit contra omnes Virtutes, Castitatis, Iustitiæ, Religionis, &c. posse de omnibus dolere, ac pœnitere ex motivo generali turpitudinis, quin attendat ad specialia motiva singularum virtutum: alioquin non posset de omnibus dolere, nisi exercendo simul actus omnium virtutum, quod falsum est; & ferè impossibile: Ergo danda est specialis virtus, quæ se exercens ex motivo illo generali, doleat de omnibus peccatis, cùm illud non sit motivum speciale singularum, extra quod non se exercent. Videtur enim posse responderi, concedendo antecedens, & negando consequentiam. Et rogo: an detur, necnè, specialis habitus virtutis ad amandum bonum sub generali ratione honesti, nullà attentâ ratione speciali honestatis. Si datur; ad habitum huius virtutis spectabit dolere, ac pœnitere de omni malo sub ratione generali turpitudinis: si enim esset ex motivo similiter generali offensæ Dei, jam spectaret ad habitum charitatis; sicut ad habitum Spei, si ex motivo mali impeditivi beatitudinis; & ad habitum obedientiæ, si ex motivo inobedientiæ; & ad habitum iustitiæ, si ex motivo injustitiæ, &c. Si non datur; eo modo, quo sine habitu specialis virtutis, & sine exercitio omnium virtutum, est exercibilis talis amor ex motivo illo generali honestatis; erit exercibilis talis dolor, & pœnitentia ex motivo generali turpitudinis, scilicet per actualia gratiæ auxilia, ut in homine peccatore dicere necesse est. Mihi quidem valde probabile est, inter habitus virtutum dari quemdam specialem ad amandum bonum sub ratione honesti, ut sic ita Suarez *to.4.in 3.par sec. 4. num.7.* Guillelmius, & alij apud Raynaudũ *tom.4.lib.1. sec.4.cap.2. à num.* 256. laté de hoc differentem, nec omninó dissentientem. Quo posito habemus consequenter habitum virtutis specialem, ad quem spectet fugere, dolere, ac pœnitere de cunctis peccatis sub ratione generali turpitudinis, utpoté oppositæ rationi honestatis. Nisi malis dicere, utrũque id spectare in justis ad Gratiam ipsam habitualem, quæ taliter est rectitudo universalis, ut in omnes omninó actus virtutum supernaturales, quos exercet iustus, per se physicé influat, ut legere est apud Suarez *tom. 3. de Gra lib.6.cap.15.n.4.*

Thyrs. *Suar.* *Guill.* *Rayn.* *Suar.*

92 Quidquid sit de dissidio harum duarum sententiarum, convenio cum illis in eo, quo inter se conveniunt contra primam expositam *num.* 85. quòd nempe, quamvis ethymologicé, ac denominativè acceptus habitus

Altisiod. *Amic.*

Digitized by Google

bitus Pœnitentiæ dicatur respectivè ad actũ, quo pœnitet nos peccati proprij commissi; entitativè tamen, & essentialiter sumptus in tota sua latitudine plurimos alios exercet actus ex eodem motivo formali suę honestatis; sive speciali singularum virtutum iuxta sententiam Alcisiodorensis; sive generali specialis virtutis Deum placatum habendi iuxta communiorem: quales sunt gaudere de hac ipsa pace cum Deo, averti à malo pacis divinæ destructivo: displicere in eo quod alij tali se pace privent, & desiderare quód eam amissam dolentes reparent, ex eodem scilicet motivo formali: ut circa virtutem Spei animadvertimus *sect. præced. num. 75. & 76.*

93 Ex ijs ergo difficultatem præsentem circa Christum trimembri conclusione resolvo. Absolutè proferendum non est, dari in Christó habitum Pœnitentiæ: nec verè datur ethymologicè, & denominativè secundùm actus præcipuos, & in nobis ordinarios non exercibiles nisi supponendo peccatum proprij subiecti: datur tamen in Christo inter virtutes morales per se infusas talis habitus, virtusque Pœnitentiæ entitativè, & essentialiter acceptus ad multos alios actus eiusdem virtutis. Ita Suar. Delugo, & videtur esse commune inter Auctores relatos *num.* 86. & 87. contra Aldret. & alios relatos, *num.* 85. *Suar. Lug. Aldret.*

94 Prima pars, quæ pertinet ad modum loquendi, probatur: quia admittere absolutè pœnitentiam in Christo, juxta vulgarem modum loquendi, posset alicui male sonare contra dogmata impeccabilitatis, & impeccantiæ Christi.

95 Secunda pars, à qua Catholicorum nemo discedit, probatur, & explicatur per ea, quæ circa Spem ethymologicè sumptam diximus *n.* 76. Certè enim à Christo, qui peccatum non fecit, longè abfuit dolor de proprio peccato à se commisso.

96 Tertia pars probatur ex ibidem dictis circa Spem. Quia, sive virtus pœnitentiæ sit habitus specialis, ut habet cõmunis sententia; sive sit complexum ex habitibus omnium virtutum, ut retulimus *num.* 87. non est cur circa suum obiectum sub suo motivo non valeat exercere se per varios affectus honestissimos non supponentes peccatum, ut expendimus *num 85. & 88. & sec. prec.* circa habitum Spei *nu.* 76. Et ex ibi dictis *nu.* 77. addo, ad eumdem etiam habitum infusum virtutis pœnitentiæ, quo dolemus de peccatis proprijs, spectare dolere de alienis ex eodem motivo: in simili diximus etiam de timore *sec. 7. num. 71.* ex Bernal. Ergo ad hos *Bern.* varios actus honestissimè exercendos tam erga se, quàm erga alios, debuit per se infundi Christo habitus quicũq; is sit, unus, vel multiplex, virtutis pœnitentiæ entitativè, & essentialiter dictus. Quod à fortiori procedit pro B. Virgine, angelis, & hominibus Beatis in Patria.

97 Hoc statuto circa virtutem Pœnitentiæ, in proclivi est, idem eodem modo dicere de alijs virtutibus moralibus, castitatis fortitudinis, temperantiæ, patientiæ, &c. Sicque omnes sunt in Christo, omnes in omnibus Sanctis, tanquam proprietates accidentales comitantes Gratiam, quæ respectu illarum est instar naturæ, seu Supernaturæ: omnes insuper suo modo increato, & substantiali in Deo. Nec propterea Deus dicendus erit obediens humilis, religiosus, aut patiens; quamvis entitativè habeat virtutes obedientiæ, humilitatis, patientiæ, & religionis. Nam ad illas denominationes deberet habere superiorem, quo essentialiter careat; ad habendas autẽ entitative has, & alias similes virtutes, sufficit, quod desideret in inferioribus actus obedientiæ, patientiæ, humilitatis, & religionis ex motivo honestatis harum virtutum: quod Deo non repugnat; imò perfectissimè convenit. Sic Raynaudus *lib. 3. de Virtut. sec. 1. cap. 6. num.* 78 quatenus ait, esse actum meæ virtutis justitiæ commutativæ velle, desiderare, & gaudere, quòd alius solvat alteri quod debet: post Gandevensen, Aureolum, Ferrariam, & Reverendissimum Machin. *1. p. disp. 43. sec. 1.* *Rayn.* *Gandav. Aureol. Machin Ferrar.*

98 Superest quod dixit Arist. *4. Ethic. 9. Pudor probi viri esse non potest, cùm obmalas res exoriatur*: unde infert, verecundiam non esse virtutem. Et videtur subinferri, quòd nec pœnitentia: cuius præcipuus in nobis actus supponit peccatum: sicque nec adnumerari debere virtutibus Christi. Ait Vasquez, Aristotelem erasse, negando verecundiæ rationem virtutis eo quód supponat peccatum. S. Tho. *3. par. quæst. 85. art. 1. ad 2.* admissâ illatione, negat subillationem: quia, inquit *verecundia respicit turpe factum, ut præsens; pœnitentia verò, ut præteritum; est autem contra perfectionem virtutis, quòd quis habeat de præsenti turpe factum.* Quod sic intelloxit Cajet. *2. 2. quæst. 144. art. 1.* non quód verecundia versetur semper circa præsens, cùm de præterito etiam facto soleamus verecundari; sed quia versatur etiam compatibiliter circa præsens. Cæterùm neque hoc videtur esse contra rationem virtutis: actus enim honesti unius virtutis fiunt compatibiliter cum alijs turpibus contra aliam, ut quando castus mentitur. Dictum autem illud Philoso- *Vasq.* *S. Thom.* *Cajet*

Digitized by Google

Ioſophi: *Pudor probi viri eſſe non poteſt*; ſic poſſet intelligi, ut eſſe non poſſit viri, qui ſemper fuit probus: cum quo ſtat benè, verecundiam, ſicut & pœnitentiam ſubſequutam eſſe actum virtutis. Alia vide apud Card. de Lugo *diſp. 1. de Pœnit.* *Lug.*

99 Ratio firmior, cur Pœnitentia ſit virtus, non verò verecundia, ſumi poteſt ex eo quòd pœnitere, & dolere de peccatis cadit ſub electionem, & tollit peccatum præteritum; ſecus verò verecundari coram alijs de turpi facto, ſive præſenti, ſive præterito. Verecundi namque detecto ſcelere indeliberatè rubeſcunt: quod per ſe loquendo nihil magis habet veræ virtutis, quam pallere ad præſens periculum. Et quamvis interdum caderet ſub electionem, ex alio ſolet capite à virtute deflectere verecundia: eſt enim fuga non tam facti turpis, quàm infamiæ de facto turpi, ipſi iuſtiſſimè debitæ; proveniens utplurimum ab affectu propriæ æſtimationis: quod eſt motivum ex ſe indifferens non tribuens actui laudabilitatem, niſi ametur ſecundum regulam alicuius virtutis: ut ſiquis propriam æſtimationem amet, & ignominiam fugiat, ut fructuoſiùs incumbat publicæ utilitati.

100 Circa habitus denique perfe adquiſitos virtutum naturalium, nihil ſeſe offert dicendum, niſi quod in ſimili dictum eſt *diſp. prac. ſec. 9.* circa habitus naturales ſcientiæ per ſe adquiſitæ. Iuxta doctrinas ibi relegendas communis ſententia admittit in Chriſto, præter habitus per ſe infuſos ſupernaturales virtutum, habitus earumdem naturales per ſe adquiſitos. Cum diſſidio tamen, quòd plures volunt, huiuſmodi habitus ſuſcepiſſe in dies intenſionem per actus virtutum, quos vitæ decurſu Chriſtus laudabiliter exercebat. Plures alij malunt, non ſuſſepiſſe in dies intenſionem; ſed in tota ſuâ intenſione fuiſſe Chriſto per accidens præinfuſos à primo ſuæ animationis inſtanti. Fundamenta utrinque poſuimus in ſimili *loc. cit.* *Supra diſp. 13.*

101 P. Uvadingus *diſp. 5. dub. 4.* ut de Patre Coninc retulimus ibidem circa habitus per ſe adquiſitos virtutum intellectùs, ſimilem doctrinam ſtudiosè promovet circa ſimiles habitus virtutum voluntatis, eos uti ſupervacaneos negans in Chriſto: de quo meliùs mihi verſimilius eſt quod de omnibus iuſtis docuit Coninc *diſp. 6. de Habit. ſupern. dub. 5.* Chriſtum nullum elicuiſſe voluntatis actum, qui non eſſet entitativè ſupernaturalis, quia operaturo in quolibet genere virtutis præſtò aderat habitus infuſus, ut opus evaderet ſupernaturale. *Uvadin. Coninc* *Coninc*

102 Dices. Habitus virtutum naturalium ſunt in nobis veræ perfectiones: ergo concedendi ſunt Chriſto: iuxta commune pronuntiatum, quod Verbum aſſumpſit naturam noſtram cum omnibus, quæ in ea plantavit. Reſpondetur, & habitum Fidei eſſe in nobis veram perfectionem; non tamen propterea concedendum Chriſto, qui eius perfectionem habet eminentiùs per viſionē, cuiq; eſſet ſuperfluus pro tali ſtatu. Sic ergo, conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Habitus enim naturales, facilitantes virtutum, qui in nobis reſpectu ſtatûs, in quo verſamur propenſionis in malum, difficultatis ad bonum, cæcitatis mentis, & luctę paſſionum, ſunt perfectiones utiliſſimæ, in Chriſto ſuperfluerent inutiliter.

103 Nec ad id nobis ſufficiunt habitus ſupernaturales virtutum moralium per ſe infuſi. Tum quia non ſunt ad facilè, ſed ad poſſe. Tum quia facilè amittuntur per peccatum. Tum quia non opponuntur cum habitibus vitioſis. Ideóque relinquunt in nobis, etiam iuſtis, neceſſitatem habituum adquiſitorum. In Chriſto autem habitus ſupernaturales fuerunt ſtabiles, & inamiſſibiles, non ſolùm ad poſſe, ſed etiam ad facilè, deorſaque ibi lucta cum vitijs, & paſſionibus inordinatis. Nihil ergo utilitatis afferre poſſent Chriſto pro ſuo ſtatu habitus naturales per ſe adquiſiti, quod excellentiùs non præſtent per ſe infuſi.

104 Sic etiam intelligitur quòd aſſumpſit Verbum in natura noſtra bona cuncta, quę in ipſa plantaverat: quatenus nempè habuit in illa facilitatem ad actus virtutum, quamvis non per habitus naturales, ſed meliùs per ſupernaturales; ſicut habuit in humanitate virtutem cognoſcendi bonum, per alterius ſcilicet principia virtutum mentis ſupernaturalium, ut ex P. Coninc retulimus *diſp prac. ſec. 9.* ubi relegi poſſunt ſoluta, quæ huic doctrinæ obſtare poſſent. *Coninc*

DIS

DISPUTATIO XV.

DE

IMPECCABILITATE CHRISTI.

QVEMADMODVN ſcientia pertinet ad intellectum; impeccabilitas, & libertas pertinent ad voluntatem Chriſti. Qui, juxta duas Naturas Divinam, & humanam, duplicem dicit intellectum, divinum, & humanum, ſcientiaſque increatas, & creatas, de quibus *diſp.13.* ſic duas quoque voluntates, & operationes volendi divinam, & humanam: contra errorem Monothelitarum, inde ſic dictorum, quia unam tantum voluntatem admittebant in Chriſto: ſive voluntatem acceperint pro potentia volendi, ut vult S. Thom. *quæſt.18.& 19.art.1.* ſive pro volitione in actu ſecundo, ut malunt Caiet. *quæſt.* 18. *art.4.* Vaſquez *diſp.* 73. *cap.* 1. & latè Bernal *diſp.* 48. id contrahens ad ſolas volitiones liberas; ſive utramque, ut contendunt Suarez *diſp.*37. & Hurtadus *diſp.* 45. Huius diverſitatis cauſa fuit obſcuritas Monotheliſmi: qui fuit hæreſis, ut loquitur Baronius ad annum 654. *flexuoſis anfractibus gradiens, ſinuoſis receſſibus latens, né quò pergat intelligi poſsit, aliud agens, loquens aliud: ut ſecundum quod de Behemot ſcriptum eſt, de ea dicendum ſit: quis revelabit faciem indumenti eius?* Contra eam egerunt Agatho Papa, & ſexta, ac ſeptima Synodus, ſub Martino. 1. & Concilum Florent. ſub Eugen.4. De ea eruditè Bernal citatus.

Supra diſp.13.
Monoth.
S. Thom. Caiet. Vaſq. Bern. Suar. Hurt. Baron. Agat. Syn 6. Florent. Bern.

SECTIO I.

Quid de Fide circa Chriſti voluntates, impeccantiam, & impeccabilitatem.

2 DE fide eſt primò, duas fuiſſe in Chriſto voluntates, tàm pro potentia, quàm pro actu volendi ſumptas. Sic definitur in prædictis Concilij ex variis Scripturis. Ioan. 5. *Non quæro voluntatem meam, ſed eius qui miſsit me.* En voluntatẽ, quam Chriſtus vocat *meam*: ſcilicet humanam, diſtinctam à voluntate Patris, quæ eſt divina, Verbo in Chriſto, & Spiritui Sancto communis. Matt.26. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Ubi orans ad Patrem diſcernit iterum Chriſtus voluntatem, ſeu volitionem, aut placitum ſuum à voluntate Patris. Sermo nobis eſt in hac Diſputatione de Chriſto ſecundum voluntatem humanam: nam divinam eſſe prorsus impeccabilem, aliunde ſupponimus juxta illud Davidis ad Deum: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

Ioan.5.
Matt.26
Pſal.5.

3 De fide eſt ſecundò, Chriſtum Dominum nunquam peccaſſe. Ex Ioan.8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Hæbr. 4. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſsit compati infirmitatibus noſtris: tentatum per omnia abſque peccato*: & c.7. *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* Et 1. Pet. 2. *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore eius.* Hinc Conc. Epheſinum *in Epiſt. Cyrilli ad Regin.* hæreſim notat cõtra Chriſti ſanctita-

Ioan.8. Hæbr.4. & 7.
1.Pet.2. Epheſ. Cyrill.

tem, & impeccantiam, aliquod, vel minimum peccatum Christo attribuere, aut mortale, aut veniale, aut originale. Idem definitū est *in Lateranensi sub Mart. 1.* Ratio Theologica dabitur infra pro impeccabilitate Christi, à fortiori faciens pro impeccantiâ. *Lateran.*

4 Multi fuerunt contra hoc Hæreticorum errores. Nestorianorum aliqui peccatum saltem originale suppositum fuerunt in Christo: quippé gratiam non cum ipso natam asserebant, sed illapsam posteriùs tempore ad ejus *sub lege* conceptionem: ut ex multis refert eruditè Petavius *in Dogmatibus de Incarnatione* præsertim *lib. 11. cap. 9. & deinceps.* Refutat hoc ex S. Thom. Suar. *disp. 33. sec. 1.* ex eo specialiter, quòd Christus sit conceptus de Spiritu S. & non ex Adamo per cōmunē seminalem rationem. Alij Hæretici, quorum meminit ibi Suarez, peccata etiam personalia Christo imponere ausi sunt. Quos inter ex hæreticis nostri temporis impius Calvinus eamdem fovit blasphemiam, apud Bellarm. *tom. 3. lib. 4. de Christo, cap. 5. & 8.* ut omittam Augustinum de Roma memoratum in Concil. Basileen. Longé alio sensu obloquutum, Christum quotidiæ peccare: nimirum in membris suis quotidiè peccantibus. *Peta. S. Tho. Suar. Calvin. Bellerm. Basileen.*

5 Objiciunt autem nobis primò, quod dicitur *2. Corinth. 5.* de Christo: *Pro nobis peccatum fecit.* Respondetur, locum integrum legi sic: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Quo in contextu priora verba satis asseverant, longé à Christo fuisse peccatum, & aperiunt viam ad sanum sensum posteriorum, ut exponunt passim SS. Patres. Dicitur ergo, quòd Christus *peccatum fecit*: hoc est, hostiam, & victimam pro peccato, juxta phrasim sacræ Scripturæ ponentis interdum *peccatum* pro *hostia peccati*: ut Osee 4. *peccata populi mei comedent*: idest, oblationes pro peccatis. Sic ex Ambrosio S. Thom. *quæst. 15. art. 2.* Vel sic intellige cum alijs, ut dicatur Christus peccatum fecisse: hoc est, induisse *similitudinem carnis peccati*; pro quo passus est, ut fidejussor pro peccatoribus: qui, ut prosequitur sacer Textus Roman. 8. *de peccato damnavit peccatum in carne.* Sic August. *lib. 14. contra Faustum, cap. 4 & 5.* *2. Cor. 5.* *Os. 4.* *Ambros. S. Thom.* *Roman. 8. S. Thom.*

6 Similiter respondet S. Thom. *quæst. 15. art. 1.* ad Verba *Psal 21.* ubi dicitur in Persona Christi: *Longè à salute mea verba delictorum meorum.* Scilicet, id dicit à Christo per Davidem in persona suorum membrorum, quorum peccata substinebat: ad eum modum, quo dixit Saulo Act. 9. *cur me persequeris?* Me, idest, membra mea. Vel sic intellige, ut delicta sua dicat, quæ sibi à calumniantibus imputabantur. Quemadmodum illud Psal. 68. *Tu scis insipientiam meā: & delicta mea à te non sunt abscondita*: interpretantur aliqui ex August. & Hilario apud Suar. videndum *in Comment. ad prædictum Articulum*: quasi id dixerit de Passione sua, quæ ab hominibus insipientia reputata est; & de delictis, quorum accusabatur. His tamen expositionibus non obstantibus, meritò damnata est in Concil. Basilensi loquutio relata *num. 4.* Augustini de Roma, qui exinde dicebat, Christum quotidie peccare in suis membris. Est enim loquutio saltem scandalosa: præsertim, cùm homines non peccent, ut membra Christi, nec ex consilio Christi, sed potius seiungendo se Christo, ut benè Suar. *ad finem sec. 1.* *Psal 21.* *Matt 26* *Psal 21.* *Act. 9.* *Psal 68.* *August.* *Hilar.* *Suar.* *Conc. Basil.* *Suar.*

7 Objiciunt secundò verba Christi in Horto Matt. 26. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Quæ posteriora verba sunt, ait Calvinus, correctio præcedentium, in quibus tentatione exagitatus, & turbatus Christus deliquerat, inordinatè orans, & quasi subterfugere volens præceptum Paternum. Respondetur, varias esse expositiones tanas prædictæ orationis Christi, videndas per etium apud Cornelium. Geminior, & sacris Interpretibus familiarior ea est: quòd in prioribus illis verbis non erravit, aut deliquit Christus, nec inordinatè oravit; sed manifestavit naturalem carnis suæ horrorem ad tormenta: & hoc quidem submississimè, & ordinatissimè, adhibitâ illa conditione: *si possibile est*: vel juxta Lucam: *Pater, si vis.* Unde verba posteriora non accipienda sunt, ut correctio prioris erati, imò potiùs, ut perfectissima subiectio voluntatis Christi ad præceptum Patris, quamvis arduum, non obstante naturali horrore carnis ad cruciatus immanissimos, & terribiles: à quibus quāvis liberari appeteret naturaliter caro, prævaluit tamen voluntas obediendi. Rectè Iustinus Martyr *in Dial. contra Triphonem* dixit, in ea Christi oratione impletum illud Davidis: *Clamabo per diem, & nō exaudies; & nocte, & non ad insipientiam mihi.* Quippé, quamvis Christus sic tunc oraverit, ut prior illa orationis pars non fuerit exaudita, quia non efficaciter volebat quod orabat; non tamen insipientia, non error, non inordinatio fuit illa oratio, quæ secundum summam potiùs sapientiam, & rationem perfectissimam processit. Quò applicat figuram Iephte, & Filiæ ab ipso immolatæ S. Propter *lib. de Promissionib. Dei par. 2. cap. 20.* *Alapid* *Luc. 22.* *Iustin.* *Prosp.*

Obij-

Digitized by Google

8 Objiciunt tertiò verba Christi in Cruce Matt.27. *Deus, Deus meus,ut quid dereliquisti me*: per quæ blasphemant post alios Calvinistæ, Christum, in aliquos impatientiæ, usqueadeò & desperationis motus incidisse. Quam stultissimam blasphemiam confutat optimè Bellarminus citatus. Duas responsiones affert Suarez *sec.* 1. Unam ex Sanctis August. Leone,& Damasceno: quòd Christus ea verba protulerit in Persona suorum membrorum, sæpè derelictorum à Deo permittente eorum peccata etiam finalia. Alteram, & mihi gratiorem, ex eodem Leone, Origene,& Cyrillo: quod in propria etiam Persona id dixerit Christus, exclamans tenero dolore ad Patrem, quòd eum pro tùc privaverit consolatione quoad inferiorem partem: ita, ut sicut peccator derelinquitur quoad culpam, quando privatur auxilio, quo culpam evitaret; ad hunc modum Christus derelictus dicatur quoad pœnam, quasi ope multa tunc destitutus ad illam leniendam. Sic ergo non exciderunt verba illa ex aliqua inordinatâ,vel indeliberatâ affectione, desperationis, aut impatientiæ; sed ex summa potiùs sapientiâ, & virtute, qua permisit ipse naturæ suæ inferiori, ut dolorem, quem fortissimè tolerabat, ostenderet, ad manifestandam naturæ suæ humanæ veritatem, & acerbitatem cruciatuum. Nec exclamatio illa interrogativa: *Ut quid?* Fuit ignorantis,aut dubitantis; sed dolentis, & afflicti: sicut Exodi 32. *quare iraſceris, Domine?* Et Psalm. 42. *Quare me repulisti?* Ut monuit rectè Cyrillus 1.*de Fide ad Reginas.*

Mat.27. *Bellarm.* *Suarez.* *August.* *Leo.* *Damasc.* *Leo.* *Orig.* *Cyrill.* *Cyrill.*

9 De Fide est tertiò, Christum fuisse, & esse absolutè,& simpliciter impeccabilem, undecumque proveniat ea impeccabilitas,de quo erit lis cum Scoto. Sic celebris Scotista Eminentissimus de Lauræa *disp. 16. art. 2. num. 31.* Quamvis Suarez *sec.* 2. eo videatur contentus, ut Christum esse peccabilem nequeat dici sine temeritate, & impietatis specie. Idque probat ex Actis sextæ Synodi. Et S. Augustinus 2.*de pecc.mer.*13. ait: *in cuius non tantum divinitate; sed nec in anima,nec in carne ullum potuit esse peccatum:*& cap. 14. id probat ex Hæbr. 4. *Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, impollutus, segregatus à peccatoribus*, id est nullatenus peccator; additur: *& excelsior cœlis factus*: id est, longiùs distans à peccato,quàm cœlum à terra;utpotè nec peccator,nec peccabilis. Plura Suarez,& Lauræa citati. Rationes à fortiori pro hac impeccabilitate dabit sectio sequens.

Laur. *Syn.6.* *August.* *Hebr.4.* *Suar.* *Laur.*

10 Hinc procul absit error Arij;qui,cùm asseruerit, Verbum esse creaturam, facilè potuit,& consequenter errare, faciendo Christum capacem peccati, etiam secundum naturam Verbi, ut refert Nizephorus *lib.* 4. *Hist. cap.* 5. *Nizeph.*

Arius.

SECTIO II.

An, & quâ ratione sit Christus omninò impeccabilis in consortio Vnionis Hypostaticæ.

11 NOn est quæstio de peccabilitate remota: quæ est potentia illa radicalis, quam habet humanitas, sive animæ Christi, ad non esse unitam hypostaticè Verbo, sicque essendi in statu, in quo peccare proximè posset, sicut peccant aliæ humanitates. Hæc enim est natura ipsius humanitatis, non ex essentia sua,sed ultra essentiam & exigentiam, assumptæ à Verbo. Ejusmodi enim potentia remota, impedita tamen de facto in Christo, manet sine dubio in,& cum humanitate Christi. Non quidem ad peccandum in consortio unionis: ad hoc enim,quod impossibile prorsus est, non est dabilis potentia proxima, nec remota; sed ad peccandum pro statu sibi possibili non unionis ad Verbum.

12 Potrò loquendo de peccabilitate proximâ certum est, absolutè non dari in Christo, aut in ejus humanitate de lege ordinaria, pro statu connaturali unionis hypostaticę cõstitutâ: qui status connaturalis dicit alia multa dona comitantia unionem. In hoc conveniunt etiã Scotistæ. Explicatur, & probatur. Nam status unionis secum fert saltè connaturaliter, ut proprietates sibi debitas dona Gratiæ habitualis, & Visionis beatificæ: Gratia autem est inconjungibilis cum peccato mortali; & Visio etiam cum veniali, imò,& cum potestate proximâ peccandi, redditque Beatos absolutè impeccabiles. Ergo,& Christum status unionis acceptus cum visione beatificâ Dei.

13 Controversia manet: an præcisim, aut seorsim etiam à visione beatificâ, & ab speciali manutenentiâ extrinsecâ Dei, reddatur humanitas Christi impeccabilis ratione unionis hypostaticæ: sive peccato conjungibili cum ipsa unione hypostaticâ, de quo in præsenti sectione contra Scotistas: sive peccato dissolutivo unionis,de quo in sequenti contra alios.

14 Conclusio affirmativa est omninò tenenda cum S. Tho. Suar. & Vasquez,alijsque Theologis communiter, contra Scotum, Durandum, Marsilium,multosque Scotistas, quos in re defendit noviter Lauræa *disp* 16. *art.* 2. quatenus, licét *concl.* 2. dicat Christum esse impeccabilem ratione unionis hy-

S.Thom. *Suar.* *Vasq.* *Scot.* *Duran.* *Marsil.* *Laur.*

positaticæ; *conclusione tamen tertiâ*, id explicat pro Scoto ratione unionis, non ut formæ proximæ impeccabilitatis; sed ut radicis, seu dispositionis, quam consequitur visio beatifica, ut ratio formalis impeccabilitatis. Et quamvis in hunc suum sensuum Scotisticum exponat satis apparenter Sanctorum Auctoritates tribuentes unioni ad Verbum impeccabilitatem Christi, videndas apud ipsum, & apud Vasquez *disp.51.cap.3.* & apud Bernal *disp.43 sect.1.* & apud Aldrete *disp. 69.* non tamen satis solidè, & ad mentem Patrũ: quos aliud est eludere disputandi gratia, aliud in rei veritate ad sensum istum Scotisticum adduci posse.

Vasq. *Bern.* *Aldret.*

15 Formatur ratio sic. Vel seclusis realiter ab humanitate Christi Gratiâ habituali, & visione beatificâ, posset in consortio solius unionis ea humanitas peccare; vel non posset. Si posset, derogatur auctoritatibus Sanctorum Patrum inde agnoscentium impeccabilitatem humanitatis, quòd sit unita Verbo hypostaticè: siquidem in eo casu, juxta Adversarios possibili unita maneret, & tamen peccare posset. Si non posset: ergo non solùm beatifica visio; quin etiam seorsim unio hypostatica est ratio formalis impeccabilitatis humanitatis sic unitæ: quod est intentum nostræ conclusionis.

16 Quam ulteriùs sic adstruo. Unio hypostatica est formaliter sanctitas, & quidem inter formas creatas sanctificantes perfectissima: ergo, seclusis etiam Gratiâ habituali, & visione, maneret humanitas sic unita cum forma sanctificante essentialiter inconiungibili cum peccato etiam veniali, non minus, imò magis, quàm si maneret cum visione seorsim. Scio negari antecedens à Scotistis. Sed contra illos probatum à nobis est *disp prec. sec. 2.*

Supra. disp. 14.

17 Præterea. Seclusis etiam Gratia habituali, & Visione, ex humanitate, & Verbo hypostaticè unitis fieret suppositum Deus, & Filius Dei: ergo eo ipso, & omni alio seclusо, impeccabile: alioquin, si peccaret, esset ille homo Deus, inimicus Dei, simulque Filius naturalis Dei: quod non minùs, imò à fortiori magis repugnat, quàm esse inimicum Dei, & Filium adoptivum Dei per Gratiam, aut Beatum per Visionem.

18 Confirmatur. Quamvis in sententia Scotistarum dignitas Verbi non sanctificet formaliter humanitatem; confert tamen aliquem valorem actibus humanitatis sibi unitæ: ratione cujus valoris acceptantur à Deo in satisfactionem condignam pro peccatis. Quia inimicum in morali æstimatione reputantur actiones Divini Verbi actus illi physici humanitatis. Ergo similiter in morali æstimatione actus peccaminosi humanitatis Deo unitæ reputarentur actiones Divini Verbi: quibus utique, aut Verbum moraliter peccaret, aut propter dignitatem Verbi humanitas mereretur: utrumque autem hoc pacto absonat & implicat.

19 Rursus. Cum Filiatione divinâ naturali illius suppositi stare nequeat ratio filiationis adoptivæ, adhuc in Christo, ut homine, & secundum humanitatem, ut ex Regulis Fidei intulimus *disp. 9. sec. 4.* annuente nobis ibi contra Scotistas suos Eminentissimo Laurea: ergo multò minùs peccatum, & ratio, ac denominatio inimici Dei, ac peccatoris. Quis enim non abhorreat ab ijs propositionibus, ne dicam blasphemijs: *Deus peccat: Filius naturalis Dei est servus peccati: & verè in statu peccatis mortalis:* quas posse esse veras, & inter doctos admitti, defendit sententia contraria, gravissimis propterea notata censuris à multis Theologis videndis apud Aldrete *num. 2.* Conine *disp. 17. num. 7.* & Bernal *disp. 43. sect. 1. num. 2.* quos inter Capreolus blasphemiam; Medina proximam errori; Suarez saltem temerariam; Vasquez gravi notâ dignam; & alij minùs consonam Sanctis Patribus, appellant.

Supra. *Laur.* *Aldret.* *Conine.* *Bern* *Capreol.* *Medin.* *Suar.* *Vasq.*

20 Respondent: hæc repugnare Deo in propria natura, & per voluntatem increatam: non verò in natura humana per creatam Christi voluntatem ejusdem speciei cum nostra: quæ, non obstante unione humanitatis ad Verbum, manet in Christo cum suis intrinsecis proprietatibus, ac defectibus physicis; ac proinde cum peccabilitate. Contra tamen primò: quia paritas de filiatione adoptiva etiam in natura humana hanc responsionem præoccupat.

21 Contra sint secundò severissima Verba Cyrilli Alexandrini contra Anthropomorphitas cap. 23. *Stolidi verò, ac dementes prorsus sunt, qui ipsum etiam Christum nescio quo pacto peccare posse affirmant, ea de causa, quòd in eadem, atque nos, specie fuerit, quodque, formâ servi acceptâ, cum hominibus in terra egerit. Si enim desijt esse quod erat, aut ex divina natura in humanam tantum, ac nostri similem naturã abijt, humanam imbecillitatem ei obyciant. Si verò idcircò humanam naturam gestavit, ut eam, quam ab Adam acceperat imbecillitatem in se validam, ac peccato superiorem declararet; cur frustra id anxiè inquirunt, quod invenire non possunt?* Scilicet peccabilitatem.

Cyril.

22 Nec prodest ratio illa, qua se in responsione sua muniunt Scotistæ. Solùm enim pro-

probat potentiam remotam peccandi, quam ultrò suppoſuimus *num.* 11. utpote proprietatem humanitatis in Beatis quoque cum viſione repertam cum abſoluta impeccabilitate: ad proximâ enim requiruntur multa, quæ non inſunt intrinſecè humanitati, quia ea excludit unio ad Verbum multò potiùs, quàm beatifica viſio. Quidquod ad peccatum in conſortio unionis, coniungendum, ſcilicet cum unione hypoſtatica, nec potentia remota ineſt humanitati, nec Deo, nec ulli alteri agenti; quia ad impoſſibile nulla datur, nec dari poteſt vera potentia, ut monſtravi *Tom.* 1. *diſp.* 9. *de Attrib. ſec.* 3. impoſſibile autem *diſp.* 9. eſt metaphyſicè conſortium peccati mortalis cum gratia faciente filium adoptivum, ut ſuppono ex diſputationibus de Gratia: & à fortiori cum unione hypoſtaticâ conſtituente humanitatem in Suppoſito Filij naturalis Dei.

23 Obijciunt Scotiſtæ. Deo in ſe non minùs repugnat imperfectio phyſica, quàm moralis, qualis eſt peccatum: atqui non obſtante perfectione divinâ Verbi, ſunt, in humanitate unita Verbo plures imperfectiones phyſicæ, ut eſurire, pati, mori; quin ſit incõveniens, quòd per idiomatum communicationem dicatur Deus pati., Verbum mori, ut *Supra.* diximus *diſp.* 2. *ſec.* 7. quia nempe hæc fiunt *diſp* 2. in aliena natura: ergo ſimiliter dici poſſet peccare in natura humana retinente unionem, niſi obſtarent Gratia, aut Viſio incompoſsibiles cum peccato. Reſpondetur conceſſis præmiſſis, negando conſequentiam. Ratio ſolida diſparitatis, ſimulque noſtræ concluſionis, eſt duplex.

24 Una: quia, cùm unio hypoſtatica afficiens formaliter humanitatem ſit non minùs, quàm Gratia, & Viſio, forma ſanctificans, ac proinde incompoſſibilis cum peccato in eodem ſubiecto; importat ex intrinſecis ſuis humanitati aliquid per ſe formaliter, & eſſentialiter oppoſitum peccato humanitatis; non verò ſic aliquid oppoſitum paſſioni, morti, alijs que imperfectionibus phyſicis humanitatis, quæ cum ſanctitate non pugnant.

25 Altera, & magis univerſalis pro concluſione noſtra: quia ſi humanitas unita ſuppoſito Verbi peccaret, Verbum ipſum non ſolùm per communicationem idiomatum; ſed in propria etiam natura peccaret propter ſpecialem obligationem regendi iuxta rectam rationem actiones morales naturæ pertinentis intrinſecè ad ſuum ſuppoſitum. Quẽ admodum voluntas noſtra in ſe formaliter peccat, quando liberè ſinit potentias ſui ſuppoſiti ſibi ſubditas agere contra rationem, propter obligationem, qui tenetur, illas moderari. Id quod in humanis extenditur ſæpè ad Superiores quo ad ſubditos, quos ſinere peccare, eſt quandoque peccatum proprium Superioris. Ea obligatio in Verbo non eſt lex à Superiori impoſita; ſed ſibi ex ipſius natura, & perfectione indita, ſicut obligatio, ſeu neceſſitas non mentiendi, aut non peierandi, *Supra* ut diximus *diſp.* 11. *ſec.* 3. *diſp.* 11.

26 Hanc rationem proſequemur ſec. ſeq. ex S. Tho. & Suar. quos alij ſequuntur, *S. Tho.* & noviter Bonæſpei *queſt.* 12. *dub.* 1. Videatur *Suar.* Coninc. ſimilem obligationem extendens in *Boneſpei* eodem caſu ad tres Divinas Perſonas, & illu- *Conin.c* ſtrans exemplij ſationem noſtræ diſparitatis inter defectus phyſicos, ac morales humanitatis: defectus enim phyſicus ſubditi, ut cæcitas, non facit cæcum Superiorem, à peccato autem ſubditi non impẽdito fit Superior, plerumque in ſe ipſo peccator.

27 Urgent. Noſtra voluntas tenetur præcavere motus inordinatos appetitûs etiã non plenè deliberatos: ſed Verbum ad id non tenetur: quippe poſſet illos permittere in humanitate ſua, ſicut & fomitem peccati: ergo non benè adſtruximus prædictam rationem à regimine Verbi. Confiemant; quia voluntas noſtra peccaret, ſi liberè ſineret, pedem eſſe offendiculum, ut alter caderet in foveam; Verbum autem poſſet id permittere humanitati ſuæ. Reſpondetur, datâ maiori, negando totam minorem, eiuſque ratio- *infra* nem ex dicendis *ſec.* 4. Ad confirmatio- *ſec.* 4. nem fateor Verbum poſſe ſimile quid permittere humanitati, ſicut, & intendere, pro ſupremo dominio, quod habet in hominum vitas, quos poſſet pro libito licitè occidere. Unde nullum ſit argumentum.

28 Infero, eamdem fore rationem impeccabilitatis pro humanitate, quæ retinens propriam ſubſtantiam aſſumeretur hypoſtaticè à Verbo in dualitate ſuppoſiti iuxta dicta *diſp.* 3. *ſec.* 1. Nam propria ſubſiſtentia *Supra* non tolleret, quominus ſanctificaretur ea na- *diſp.* 3. tura ab unione ad ſuppoſitum Verbi, aut conſtitueretur ex illa, & ex Verbo unũ ſuppoſitum; quamvis in eo caſu aliud etiam ſuppoſitum conſtitueret cum ſua ſubſiſtentia *Delug.* creata. Sic Lugus *diſp.* 26. *ſec.* 3. & Prudent. *Prud.* *tr.* 3. *diſp.* 2. *dub.* 6. *num.* 213. referens ſe ad *to.* 2. *tr.* 1. *diſp* 3 *dub* 2.

29 Oppoſitum tenuit immeritò Ber- *Bernal* nal *diſp.* 44. cum Raguſa *diſp.* 114. § 7. P. Al- *Raguſ.* drete varius eſt: videndus tamen *diſp.* 71. *Aldret.* Vim facit Bernal in verbis Damaſceni, di- *Damaſ.* centis, Verbum non aſſumpſiſſe perſonalitatem, *ne humana voluntas propriâ gaudens hypoſtaſi à divina voluntatis præſcriptione* dice-

discederet: quasi diceret, potuisse humanitatem discederet, scilicet peccando, à divina voluntate, si retentâ suâ subsistentiâ assumeretur. Cæterum agebat Damascenus contra Nestorianos asserentes Personam Verbi assumpsisse personam humanam, non per unionem intrinsecam physicam; sed per moralem, extrinsecam, & affectivam: quæ unio non illam formaliter sanctificavisset, nec reddidisset impeccabilem: benè verò unio intrinseca, & physica hypostatica, quam nos dicimus possibilem personæ creatæ ad Personam divinam.

SECTIO III.

An Christus sit impeccabilis, peccato etiam, quo dissolveretur unio ad Verbum.

30 RAtio specialiter dubitandi est ardua, & speciosa. Quoniam quamvis Gratia iusti sit inconiungibilis cum mortali, potest iustus peccare peccato expulsivo Gratiæ: ergo similiter humanitas, sive anima Christi, peccato destructivo, seu dissolutivo unionis ad Verbum, quantumvis inconiungibilis cum peccato. Sic enim nullitenus diceretur Verbum peccare, adhuc per communicationem idiomatum: cùm in instanti realis commissionis peccatriam Verbum non sustentaret humanitatem unitam suo supposito: sicut ob eamdem rationem posset Deus dissolvere unionem hypostaticam in hoc instanti, & humanitas peccare in sequenti. Probatur consequentia, &

31 Confirmatur argumentum, supponendo primò ex *disp.5. sec.2.* humanitatem, seu animam Christi potuisse mereri Unionem hypostaticam per opera liberè facta pro priori naturæ independenter ab unione, Deo videlicet decernente assumere humanitatem, si talia merita præexerceret in eodem instanti reali, & non aliter. Secundò: voluntatem talis humanitatis pro illo priori indifferentiæ ad merendum, vel non merendum, posse esse eodem modo indifferentem ad peccandum, vel non peccandum; maximè si meritum esset actus præceptus pro illo instanti. Nam pro illo priori non est unio hypostatica; imò nec esset pro instanti reali, si pro posteriori naturæ fieret peccatum, ut pote inconiungibile cum unione hypostatica, sicut & cum Gratia in instanti reali temporis. Terriòr idem posse dici de conservatione unionis: quòd nempe taliter potuerit à Deo decerni eius conservatio dependenter à meritis, ut in quolibet instanti conservaretur, si Christus exerceret talia merita, & non aliter. *supra disp.5.*

32 Ex quibus disputatur sic. Postquam humanitas fuit unita Verbo potuit esse indifferens ad merendum, vel non merendum conservationem unionis: ergo etiam ad peccandum, & non peccandum. Probatur consequentia: quia nihil est pro priori illo indifferentiæ libertatis, quod excludat potestatem peccandi; præscinditur enim in illo priori libertatis ab existentia, vel non existentia unioni hypostaticæ, destruendæ nimirum in eo instanti, si humanitas non meretur, aut peccat; & conservandæ, si non peccat, & meretur: sicut præscinditur à merito, vel non merito, & à peccato, vel non peccato. Similiter ergo postquam humanitas fuit unita Verbo, quin ea unio intelligatur destructa, intellectâ solùm indifferentiâ, ut conservetur, vel non conservetur, poterit humanitas intelligi, & esse cum facultate proxima ad peccatum, quo destrueretur unio, utpote inconiungibilis essentialiter cum peccato: ergo intelligi, & fieri potest, quòd cum unione hypostatica detur in humanitate Verbo unitâ proxima potestas ad peccatum: non quidem coniungibile cum unione, sed destructivum unionis.

33 Confirmatur secundò. Non est de essentia unionis hypostaticæ excludere pro instanti reali suæ existentiæ potentiam proximam humanitatis ad peccandum: ergo quâvis præexiterit, posset in hoc instanti reali, in quo conservatur, coniungere sibi potentiam antecedentem proximam humanitatis ad peccandum: ergo simul cum unione dari posset in Christo potentia proxima ad peccatum, per quod, si committeretur, dissolveretur unio cum ipso incoexistibilis: ad modum nempe, quo potestas ad peccandum datur in iusto simul cum gratia incoexistibili simul cum peccato,

34 Confirmatur tertiò. Formam præterisse est quid extrinsecum respectu præsentis instantis, sicut & formam esse futuram. Atqui Unionem hypostaticam esse futuram in instanti. C. non obstat quominus præcesserit humanitas peccans in instanti. B. ergo quòd unio præcesserit in instanti. A. non obstat quominus peccet humanitas in instanti. B. Subinfero: ergo nihil obstat per unionem, quominus humanitas unita Verbo committat peccatum, quo in eo instanti reali peccati dissolvatur unio, quæ præcessit in instantibus antecedentibus. Minor probatur: nam, ut est multorum sententia contra aliquos apud Aldrete *disp. 72.* potuit Verbum assumere humanitatem, quæ ante unionem præcessis- *Aldret.*

set

set in peccato, remittendo per unionem hypostaticam; sicut modò peccatori remittitur per intrinsecam infusionem Gratiæ: voluntas enim Dei assumendi sibi humanitatem, sicut & infundendi gratiam, esset essentialiter voluntas remissiva peccati. Probatur autem prima consequentia: quia peius, & odibilius est peccasse, quam posse peccare: & eligibilius cuique est istud, quam illud: ergo, si non repugnat sanctitati verbi uniri humanitati, quæ peccasset; multò minus humanitati, quæ posset peccare; sicque dissolvere se à Verbo.

Hurt. 35 Propter hæc Hurtadus *disp.* 70. tenuit sententiam istam affirmantè, loquens de Christo ex vi præcisè Unionis hypostaticæ, & de absolutâ Dei potentiâ. Adhæsit Arriaga *disp.* 35. & succubuerunt gravissimi Recentiores.

Arriag.

36 Conclusio tamen omninò sit negativa cum Suar. *disp.* 34. Vasq. *disp* 61. Delugo *disp.* 26. Bernal *disp* 43. Martinon *disp.* 13. Aldrete *disp.* 72. Haunoldo *lib.* 4. *tra.* 1. *cap.* 5. *cont.* 2. Lumbier *qu.* 32. *art.* 5. Bonæspei, & alijs communiter.

Suar. Vasq. Delug. Bern. Martin Aldrete Haunol Lumb. Bonæs.

37 Probatur primò ex Delugo. Possibilis est sanctitas, quæ semel informans subiectum non solum pugnet essentialiter cum peccato, quin etiam cum potestate proxima peccâdi. Non est ergo cur talis non asseratur sanctitas substantialis Unionis hypostaticæ: cui nimirum talis insit vis restitiva peccati, quæ superari de nulla potentiâ possit à viribus voluntatis alioquin peccatricis. Ad eum fortè modum quo agens frigidum non habet virtutem proximam producendi frigus in subiecto potentissimè calido: neque agentia alia naturalia virtutem introducendi suas dispositiones in materiam adamantis, aut Cœli, propter formas potentissimè affixas suæ materiæ, & invincibiliter restitivas contrarijs impressionibus. Firmatur: nam visio beatifica, quæ est forma sanctificans perfectior quâ gratia habitualis, incompossibilis est non solum cum mortali sicut gratia; verum etiam cum veniali, quocum stat gratia, & insuper cum potestate peccandi: ergo vnio hypostatica, quæ est forma sanctificans utrâque perfectior, & substantialis; multò meliùs, quàm visio, incompossibilis esse debet cum potestate peccandi: ac proinde, & reddere humanitatem impeccabilem peccato etiam dissolutivo unionis.

38 Probatur secundò ex Aldrete, & alijs. Spectat etenim ad Verbum taliter regere humanitatem intrinsecè unitam suo supposito, ut non sinat eam peccare, adhuc peccato dissolutivo unionis, quo se in posterum substraheret humanitas ab speciali illo regimine Verbi: ergo ratione præcisi regiminis nequit à Deo permitti peccatum humanitati: Deo autem non solum non permitente, sed etiam non potente permittere humanitati peccatum, nequit inesse voluntati potestas ulla proxima peccandi: quæ necessariò dicit potestatem divinam permittendi peccatum: nam voluntatem posse peccare, non potente Deo permittere peccatum, implicantissimum est: non minus, quàm voluntatem peccare, Deo non permittente peccatum. Quæ ratio probat in voluntate verbo unitâ impotentiam peccandi non solum moralem, ut videtur asseruisse Coninc. *disp.* 17. *dub.* 2. allegans pro se Molinam, & Suarez apud Amicum *disp.* 24. *sect.* 3. immeritò tamen, ut probat Aldrete videndus *disp.* 70. verumetiam impotentiam physicam, & metaphysicam: cùm metaphysicè impossibile sit, Deum deesse muneri perfecti gubernatoris humanitatis suæ: nam hoc esset in se ipso peccare.

Coninc Molina Amic Aldrete

39 Declaratur, & probatur primum antecedens, prosequendo, & ampliando rationem impeccabilitatis Christi institutam *sect. præc.* Nam eo ipso peccaret Verbum in se ipso, & in propriâ naturâ. Quippe Superior plerumquæ non solum peccat non impediens peccatum subditi manentis sub eius potestate, & iurisdictione; quin etiam, & non impediens peccatum, quo se subditus subtraheret, & existeret culpabiliter ab illa per suicidium, turpem fugam, aut aliter, & Pater non impediens peccatum Filij, quo se illicitè, quamvis validè, eximeret à Patriâ potestate. Sic ergo Verbum in se ipso peccaret contra bonum regimen humanitatis in suum suppositum assumptæ, non solum non impediens peccatum in consortio assumptionis; quin etiam, & quo se subtraheret humanitas malo suo merito à suppositatione Verbi. Inque quandiu est suppositatio Verbi adsciscentis humanitatem in suam hypostasim, eandiu est impedimentum peccati humanitatis, & permissionis cuiuscumque peccati, etiâ quo dissolveretur unio taliter nimirum, quòd priùs tolli debeat suppositatio Verbi, quàm detur permissio talis peccati, ac proinde potestas proxima peccandi. Sicut necesse est, prius tolli à Beato beatificam visionem, quàm detur potestas proxima peccandi in eo, qui Deum vidit: alioquin nec visio redderet Beatum impeccabilem peccato destructivo visionis, contra ipsos adversarios: qui hoc visionis exemplo semper urgentur.

40 Iam ad rationem dubitandi initam *num.* 30. concesso antecedente, negatur consequentia. Ad eius probationem dico, ra-

tio-

tionem noſtram non eſſe, quia Verbum in eo caſu diceretur peccare per cõmunicationem idiomatum; ſed, quia peccaret in naturâ propria, & propter alias rationes noſtræ ſentẽtiæ: quæ non militant pro Gratia ordinariâ ſanctificante nos. Nec enim gratia inferioris ordinis habet tantam vim reſtitivam peccato, & poteſtati peccandi, quantam habet unio hypoſtatica ſuperioris ordinis; nec illi incumbit ſtricta illa obligatio moralis regendi actiones ſui ſuppoſiti. Uſqueadeo, ut dicant aliqui, Deum eo ipſo, quòd velit unire ſuppoſito ſuo humanitatem, teneri habere decretum non præparandi humanitati concurſum ad peccatum, etiam quo ſe culpabiliter à ſuppoſito divino diſſolveret: quod tamen neceſſe non putat Aldrete *ſec.* 3. cùm ad id non opus ſit decreto, ſicut neque ad negandum lapidi concurſum ad peccandum: ſed potius ait, ineſſe Deo neceſſitatem eſſentialem non præparandi talem concurſum, ſicut & non peccandi. Utrovis modo id dicatur, ſatis eſt, ut intelligatur, manere talem humanitatem ſine poteſtate proximâ peccandi, ſeque culpabiliter diſſolvendi. Hæc autem culpabilis diſſolutio non reperiretur in alio caſu, quo Deus pro libito ſuo alijs de cauſis ſibi benè viſis diſſolveret unionem hypoſtaticam pro priori inſtanti, ſive etiam ſigno; & humanitas peccaret pro poſteriori: quia peccatum non eſſet cauſa diſſolutionis: ideoque hoc non repugnare concedimus arguentibus. *Aldret.*

41 Ad primam confirmationem, admiſſis tribus ſuppoſitionibus *numero 41.* admitto etiam antecedens argumenti, iuxta *nu.* 32. Et diſtinguo conſequens: ad peccandum, peccato ſupponente diſſolutionem unionis, concedo; peccato culpabiliter diſſolutivo unionis; nego conſequentiam: nam ad hoc nec antea, nec poſt, nec pro priori, nec pro poſteriori eſt, nec eſſe poteſt indifferens humanitas. Unde ad probationem conſequentiæ nego antecedens, aut potius eius ſuppoſitionem: quòd nempe detur aut dari poſſit pro ullo priori in ea humanitate talis libertas ad ſic peccandum: & dico, excludit tunc in ea humanitate poteſtatem ſic peccandi, tum ab impoſſibilitate metaphyſicâ, quam ex propria perfectione habet Deus præparandi concurſum ſum humanitati ſibi præunitæ ad tale peccatum culpabiliter diſſolvens unionem: tum ab ipſa perfectione ſanctitatis ſubſtantialis hypoſtaticæ unionis invincibilis à quacumque facultate peccatrice, ut ex pendimus ſupra. In probatiuncula antecedentis falsò quoque ſupponitur, ſignum libertatis, quæ nunquam datur, nec dabilis eſt. Quorſum ergo præcilio niſi chymerica pro ſigno libertatis Chymericæ? Unde nullæ ſunt duæ conſequentiæ: quia facultas proxima ad peccatum, quo deſtrueretur unio ex culpa humanitatis, dicit præparationem divini concurſus ad peccatum, & poteſtatem in Deo permittendi tale peccatum, quam negamus ut Deo repugnantiſſimam ex propria impeccabilitate.

42 Ad ſecundam *ex num. 33.* negat antecedens Delugo *ſec.* 5 ratus, nec in primo inſtanti ſuæ aſſumptionis potuiſſe humanitatem demereri per peccatum unionem: quod tamen benè refutat Aldrete *ſec. 4. num. 6.* è contra ratus, potuiſſe Deum ex alia lege pro primo inſtanti decernere aſſumptionem humanitatis, ſi mereatur, & non peccet humanitas; & inaſſumptionem, ſi peccet, & non mereatur. Quocirca diſtinguendum eſt antecedens: non eſt de eſſentia unionis excludere pro inſtanti reali ſuæ exiſtentiæ potentiam proximam humanitatis ad peccandum, peccato quo impediretur unio, ne unquam extitiſſet, concedo; peccato quo ſemel exiſtens eſſet diſſolvenda, nego antecedens: nam ad id, utpote repugnans ob rationes datas, in nullo inſtanti dabilis eſt potentia; ſicut neque ad coniungendum peccatuum cum unione hypoſtatica. Hinc falſæ ſunt duæ conſequentiæ: de quo ſatis dedimus rationem, ſicut & apertam diſparitatẽ ad illud de gratia hominis juſti. Quocirca aliam rationem meditatur Ant. Per. *d.* 1. *c.* 14. *n.* 182. quòd nempe deſtructio unionis per peccatum non tam eſſet ex vi phyſicâ effectiva peccati, quàm ex vi morali demeritoriâ: in hoc autem eſt ſpecialis repugnantia: eſſet enim maior indignitas peccati ad reddendam eam humanitatem indignam retentione unionis, quàm dignitas Perſonæ divinæ refuſa iam in illam ſuam humanitatem ad reddendam illam dignam retinendi ſtatum unionis in quocumque caſu poſſibili; cùm præſertim illã faciat dignã omni bono. Id autẽ manifeſtã involvit implicantiã. *Lug.*

43 Ad tertiam *ex num. 34.* concedo maiorem. Circa minorem eſt diſſidium inter Authores. Illam negant nonnulli apud Aldrete *diſp. 22. ſec. 6.* quos ſequitur Eſparza 2a *quæſt. 30.* exiſtimantes indecorum, ac proinde repugnans, aſſumi in divinam hypoſtaſim humanitatem, quæ peccaſſet. Concedunt illam alij communius cum ſua probatione, exiſtimantes, nec impoſſibile eſſe, nec indecorum, aſſumi à Deo humanitatem, quæ peccaviſſet, remiſſo peccato in inſtanti aſsũptionis. Quin propterea dici poſſet, poſſet, humanitate ſic aſsumptâ: *hic homo peccavit*: ne, ſignato concretè illo ſuppoſito, videretur tribui Verbõ peccatum: in quo minùs benè loquitur Conink. *num.* 40. An verò, retento reatu pœnæ? Negat Vaſquez; affirmat Suar. *Eſparza*

diſp

disp. 33. Distinguit Coninc *disp. 17. dub. 3.* negans de reatu pœnæ proprie sumpto pro dignitate pœnæ: non enim stat hæc dignitas pœnæ cum eo quod per sanctitatem substantialem unionis reddita jam esset humanitas illa digna omni bono: affirmans verò de reatu pœnæ latè sumpto pro obligatione sponte suscepta luendi pœnas peccati illius humanitatis.

44 Concessâ ergo etiam minori cum communiori sententia, distinguo consequens: quòd unio præcesserit in instanti. A. non obstat quominus peccet humanitas in instanti B. peccato supponente destructionem unionis; concedo: peccato quod culpabiliter inferat destructionem unionis; nego consequentiam: nec forma, aut paritas argumenti probat hoc quod negamus, ob speciales rationes repugnantiæ iam dictas; sed illud, quod ultro concedimus; in quo similes rationes non militant. Unde nulla est subsumptio. Obstant enim, ut vidimus invincibilitas unionis à quacumque facultate peccatrice, & impossibilitas divinæ permissionis: quæ in alio minoris casu non obstant: quia non præsupponitur in humanitate suppositio divinæ Personæ, aut unio hypostatica, quæ illam, ejusque actiones posuerit sub dicto speciali regimine Verbi.

45 Tandem ad probationem primæ consequentiæ, concesso antecedente, negatur consequentia. Quia, quamvis illud sit pejus, & ex natura sua prorsus ineligibile; ex illo non sequitur, Verbum peccare; quod tamen sequitur ex isto secundo. Si mavis, distingue antecedens: humanitatem peccasse est pejus, & odibilius, quàm posse peccare, ipsi voluntati concedo; Christo, nego antecedens, & consequentiam. Sic majus malum est, & odibilius, alterum peccare mortaliter, quàm me peccare venialiter; mihi verò hoc pejus est: & omninò ineligibile: nec enim ad tollenda cuncta peccata mundi possē eligere me peccare venialiter, nec approbare alterius peccata: quia hæc aliorum approbatio esset peccatum meum: sicut diximus fore peccatum Verbi sinere humanitatem peccare.

SECTIO IV.

An saltem imperfectionem moralem suæ humanitatis posset admittere Christus in consortio unionis.

46 BEnè notat Ripalda *disp. 74. de Ent. supern. num. 35.* aliud esse minorem perfectionem moralem; aliud imperfectionem moralem. Ad illud sufficit, si unus non operetur tàm perfectè, quàm alius, aut quàm ipse posset: Et sic B. Virgo, in quam non cecidit absolutè moralis imperfectio, minùs perfectè operata est, quàm Christus. Ad istud verò requiritur ulteriùs, operari non quidem contra præceptum, nam hoc esset peccare saltem venialiter; sed contra consilium, aut constitutionem superioris, quamvis non obligantis sub peccato: quapropter redditur sic operans dignus reprehensione, & positivè moraliter imperfectus: quod longè abesse debet à Christo, à Maria, imò & à Beatis. *Ripal.*

47 Cardin. de Lugo *disp. 26. num. 131.* latiùs patere putat imperfectionem moralem. Ait enim, præcisim etiam à Superioris voluntate, seu consilio, illum dici moraliter imperfectum, qui omisso liberè actu perfectiori, facit minùs perfectum, nisi Deus positivè aliter contuleret, aut vellet: ut qui potens fervidè, & intensè amare Deum, amaret tepidè, & remissè: eo enim ipso dignus esset reprehensione. Unde est quod addit ex Suarez. B. Virginem semper exercuisse opera, & actus suos bonos, in maiori gradu intensionis, quem tūc poterat: quod a fortiori procedit in Christo. Et idem judico de Beatis semper exercere actus suos bonos cum omni intensione sibi possibili secundum præsentes, quas habent vires juxta suæ beatitudinis gradum. Ideòque non sunt moraliter imperfecti, quamvis alij alijs minus perfecti sint: nec tristantur, aut dolent de minori sua perfectione: quia sciunt, se facere quidquid possunt. *Lug.* *Suar.*

48 P. Aldrete *disp. 77. sec. ult.* sit, ad imperfectionem moralem non sufficere id quod ponit Lugus; nisi accedat, quòd operās actū minus bonum faciat propterea aliquam jacturam gratiæ, & gloriæ, quæ est unio nostra cum Deo, & accessus ad ultimum finem: per quam unionem metiendā est, inquit, perfectio moralis nostra. Unde infert, quòd in Christo, & Beatis, cùm in nullo jam sint discrimine amittendæ, vel minuendæ gratiæ, & gloriæ, facere actus minùs perfectos, ac possent, non esset moralis imperfectio; secùs in nobis, qui actibus minùs perfectis minorem accessum facimus ad Deum finem ultimum possidendum. Distinguit ergo imperfectionem moralem a peccato veniali: nam hoc impedit accessum nostrum ad possessionem Dei, cùm nemo cum peccato veniali glorificetur; illa verò non impedit, sed minuit. Sic ferè etiam Esparza *quæst. 34.* Nec videtur dissentire Haunoldus *l. 4. tra. 1. c. 6. num. 315.* *Aldret.* *Esparz.* *Haun.*

Bern. 49 P. Bernal *disp. 54. sec. 5.* ait tria. Primum: mensuram perfectionis moralis esse voluntatem Dei: sicque electionem illius, quod ex se minus bonum est, si à Deo potiùs consuleretur, spectare ad majorem perfectionem moralem creaturæ. Secundum: Deum segessisse cum Christo Filio optimo taliter, ut ei dederit generaliter pro consilio, in rebus non præceptis, quidquid ipse Christus facere mallet. Idque probat eruditè: tum ex Scripturis, & Sanctis Patribus: tum etiam à ratione: quia sic decebat Patrem Divinum agere cum Filio quacumque honoris prærogativâ dignissimo. Tertium: propterea Christum, eo ipso quòd eligeret aliquem actum ex se minus bonum, omisso alio, quamvis ex se meliori, operatum fuisse sine moralis imperfectionis umbra: nam eius voluntas humana constituta fuerat à Deo, & quasi delegata, regula perfectionis moralis: sicque quodcúque velle Christi fuit, & est moraliter perfectissimum, quamvis non fuerit obiecti perfectissimi.

Lug. 50 Ex ijs circa difficultatem propositam sentit Lugus *sec. 2.* præsertim *num. 163.* moraliter fuisse impossibile, non verò physicé, Christum admittere imperfectionem moralem. *Aldret.* Sentit Aldrete *à sec. 4.* potuisse Christum physicé, non verò moraliter, recedere à divinis consilijs; admittere enim imperfectionem moralem, nec physicé potuisse: quippè nullam proinde gloriæ jacturam fecisset. Non assentior: in qualibet enim voluntate subordinata, qualis sine dubio est voluntas humana Christi, seorsim etiam à cuiuscumque commodi jactura, est reprehensibile recedere à consilio, & directione Superioris ordinatissimi, qualis est Deus: implicat ergo, dari in Christo potentiam physicam ad recedendum à divinis consilijs, quin detur eo ipso ad imperfectionem moralem, ut vult Aldrete. Præterea tàm ipse, quàm Lugus, in eo minùs placent, quòd discriminant quoad rem præsentem inter potentiam physicam, & moralem. Quandoquidem, admittere re ipsa morales imperfectiones, & recedere à divinis consilijs, vel est quid indecorum, & probrosum Christo, verèque in esse moris reprehensibile; vel non. *Si* primum, nec potentia physica concedi decenter ad id potest Christo. *Si* secundum, cur neganda potentia etiam moralis?

51 Conclusio. Christus, nec physicam habuit potentiam admittendi morales imperfectiones, nec recedendi à divinis consilijs. *Hurt. Bernal. Mance. Suar.* Sic Hurt. *disp. 61 sec. 5.* Bernal citatus, allegans Monceum, & Patrem Suarez, quasi primum, qui hanc controversiam disputavit, dignam planè tanto Auctore: & videntur consentire Ripalda ubi supra, & Lumbier *qu.* 33. *ar. 6. §. 2.* *Ripald. Lumb.*

52 Ratio. Quia non est unde repugnet sanctitas creata ita excellens, ut physicè pugnet, atque etiam metaphysicè, cum imperfectione morali; imò, & cum potestate proxima ad ipsam; non minus quam gratia habitualis cum peccato mortali, & visio beata cum veniali, & etiam cum imperfectione morali: dandum igitur id est sanctitati substantialiunionis hypostaticæ, ratione cuius, & ipsa quoque sanctitas increata Verbi sanctificat humanitatem. Præterea: quia id maximè congruit dignitati Christi, quem nullus est fidelium, qui non suspiciat, ut regulam suarum actionum, cui quó se magis conformat, eò magis recedità moralibus imperfectionibus. Incongruum autem esset, si eiusmodi exemplar incontaminatissimum posset ullo modo moralibus imperfectionibus fœdari: penes quas reprehensione potius, quàm imitatione dignum inveniretur.

53 Objicies. Deus non tenetur facere ea, quæ sunt meliora: cùm neque ex infinita sua perfectione necessitetur ad optimum, ut defendimus *disp. 7. sec. 2.* ergo neque Christus potuit ergo Christus, omissis interdum actibus perfectioribus, exercere minus perfectos: ergo, & esse moraliter imperfectus; saltem juxta explicationem moralis imperfectionis adhibitam ex Lugo *num.* 47. Confirmatur: nam alioquin Christus numquam esset liber ad actus minùs perfectos moraliter ijs quos exercuit: ac proinde non stetit eius libertas, nisi inter actus æquè moraliter bonos, & perfectos: Hæc autem libertas inter actus æquales ex communi sententia non sufficit ad meritum, quod in Christo defendere debemus. *Supra disp. 7.*

54 Respondetur, distinguendo antecedens, eiusque rationem: Deus non tenetur ad meliora, nec est necessitatus ad optimum, ex parte bonorum à se factorum, & volitorum, concedo: ex parte modi volendi, seu actuum suorũ diligentium quodcumque bonum extrinsecum, sive majus, sive minus; nego antecedens. ut ibidem explicui *à num. 17.* ex Antonio Perez. Distinguo etiam primum consequens: neque Christus tenetur facere meliora, aut optima secundum se physicé spectata, concedo: spectata moraliter quoad eligi hic, & nunc juxta Dei beneplacitum, nego consequentiam. Quamvis enim unum obiectum sit fortè secundum se melius alio, Deusque plus fortè amet amore necessario quod melius est; cùm ex amore necessario boni creati non necessitetur ad volen- *Perez.*

dum

dum illud ponere; potest volitione libera velle, & consulere, ut, omisso objecto creato meliori, ponatur minús bonum, ut ibidem diximus: hoc autem divinum beneplacitum est regula practica perfectionis moralis: à qua Christus, nec deficit, nec deficere potest, adhuc quando eligit minus bonum objectivum: sicque eius electio, utpote conformissima semper beneplacito Divino, quod est regula moralis perfectionis; numquam evadit, nec evadere potest moraliter imperfecta, præsertim juxta explicationem magis plausibilem Patris Bernal: quidquid sit juxta explicationem Cardinalis Delugo. Hinc distinguo secundum cõsequens: potuit Christus exercere interdum actus physicè, & secundum se minús perfectos, concedo: minus perfectos in morali consideratione ad divinum beneplacitum, nego: quia semper exercuit, quos maluit Deus, ut exerceret: quippé maluit semper Deus quod Christus vellet, dans ipsi pro regula divini beneplaciti humanũ suũ beneplacitũ, ut expendit Bernal citatus. Ultimam consequentiam absolutè, nego: quia ut esset moraliter imperfectus, deberet recedere à beneplacito divino, á quo non potuit.

Bernal. Delug.

55 Ad confirmationem, cõcedo sequelam: & nego minorem: quòd nempè ea libertas non sufficiat ad meritum: cùm similis libertas sufficiat in Deo libertimo ad laudabilitatem moralem inter actus suos increatos omnes æquè summè bonos physicè, & moraliter, ut tetigi *disp.* 16. *de Attrib. sec.* 4. ex latè dicendis in Disputationibus *de Merito.*

Tom. 1. *disp.* 16.

SECTIO V.

Quid de habitibus vitiosis? De fomite peccati? Et de tentationibus?

56 NOnnulli cum Vasquez, nec impossibile, nec indecens judicant, in Christo simul cum unione retinerí habitus vitiosos humanitatis, quæ ante assumptionem peccavisset.

Vasq.

57 Primò: quia habitus vitiosi, nec sunt peccatum, cùm perseverent in homine justo post remissum peccatum; nec Christum, utpotè impeccabilem, inclinarent, aut facilitarent ad peccatum, utpote ipsi impossibiliter, go non est cur repugnent in consortio unionis hypostaticæ.

58 Secundó: quia in consortio unionis stat in humanitate appetitus sensitivus: cur ergo stare non posset habitus vitiosus?

59 Tertió: quia exclusio habituum vitiosorum non consequitur ad majorem sanctitatem: cùm sæpé in ijs, qui post multa peccata facti sunt magni sancti, perseverent plures, & intensiores habitus vitiosi, quàm in alijs, qui minùs in peccatis versati manent in mediocri sanctitate: ergo ex maiori sanctitate Christi non arguitur repugnantia cum habitibus vitiosis: ac proinde stare possent in consortio unionis.

60 Dicendum tamen est cum Suarez *disp.* 33. & communiori sententia, nec habitus vitiosos possibiles fuisse humanitati in consortio unionis hypostaticæ. Ratio. Quia non est unde censeatur repugnare species sanctitatis essentialiter oppositæ habitibus vitiosis, sicut Gratia nostra ordinaria opponitur peccatis. Cur ergo talis non asseratur sanctitas substantialis hypostaticæ unionis? Aliam rationem dant alij. Quia connaturaliter, fatentibus Adversarijs, stare nequit habitus vitiosus in consortio unionis hypostaticæ: ergo neque divinitús de potentiâ Dei absolutâ. Nam, si connaturaliter sibi repugnant habitus vitiosus, & unio; & divinitús conservarentur simul, Deus esset specialis causa conservationis habitùs vitiosi, utpoté ex natura sua defecturi ad præsentiam unionis sicut ad præsentiam virtutis oppositæ. Deum autem esse specialem causam habitûs vitiosi repugnat divinæ sanctitati. Hac arguendi forma utitur Esparza *quæst.* 29. contra Scotistas, ut probet, stare divinitûs non posse in Christo cum unione peccatum, eo ipso quód naturaliter esse non possit. Quod tamen nihil concludere quoad peccatum habituale ostendo *in Disputationib. de Gratia.*

Suar.

Esparz.

61 Ad primam rationem oppositam, concesso antecedente, negatur consequentia: supereſt enim specialis ratio repugnantiæ ex perfectione sanctitatis unionis essentialiter oppositæ habitibus vitiosis, non minùs, quàm peccatis sanctitas ordinaria nostræ Gratiæ accidentalis.

62 Ad secundam concesso etiam antecedenti; dico ad consequentiam, rationem disparitatis esse planam: nam appetitus sensitivus, ex una parte est proprietas naturæ humanæ; & ex alia parte, non est propensio determinatè ad malum; sed ad delectabile: quæ delectabilitas indifferenter se habet ad bonum, & ad malum: sæpé enim reperitur conjuncta cum objecto bono: v. g. cum comestione, & deambulatione honestâ, ideòque de per se non est inhonestus. At habitus vitiosus, nec est proprietas, sed accidentalis defectus naturæ humanæ in peccatis exercitæ: nec se habet indifferenter ad honestum, &

inhonestum; sed determinatè, & de perse est ad peccatum, & ex peccato.

63 Ad tertium, concesso antecedente de maiori sanctitate utcumque, negatur consequentia. Non enim arguimus ex maiori sanctitate Christi utcumque, scilicet ex intensiori Gratia habituali; sed ex sanctitate altioris ordinis, qualis est sanctitas substantialis unionis: ratione cuius sanctitas etiam increata Verbi sanctificat, ac depulchrat humanitatem, deputans utique illam non solum à peccato, sed à semine illo peccati, quod esset ex natura sua habitus vitiosus.

64 Circa fomitem peccati sciendum est: quid sit? Et distinguendum juxta communem explicationem, vel in actu primo, vel in actu secundo. Fomes peccati in actu primo dici solet, appetitus ipse sensitivus expeditus ad motus etiam pravos, utpote circa delectabilia etiam inhonesta, prævenientes rationem. In actu secundo dicitur, motus, sive actus ipse appetitûs sensitiui contra rationem præventam. Hoc sic supposito, conveniunt Theologi in eo quòd in Christo de facto non fuerit fomes peccati, nec in actu primo, nec in actu secundo. Quæstio est de possibili.

Vvadin. Vasq. Lug. Haunol.

65 P. Uvadingus latè de ijs differens *disp. 8. dub. 3.* affirmat cum Vatquez stare potuisse in Christo cum unione hypostatica, seclusâ visione beatificâ, fomitem peccati. Sic etiam Lugus, & alij. Videndus Haunoldus *lib. 4. tract. 1. cap. 4. contr. 3.*

Suar. Bernal. Conine.

66 Dicendum tamen est secundò cum Suar. Bernal, & Conine *disp. 17. dub. 4.* nequaquam potuisse. Ratio est eadem, quam dedimus pro dicto præcedenti: sumpta videlicet ex perfectione altioris ordinis sanctitatis substantialis Christi, essentialiter incompatilis ex natura sua cum huiusmodi sordibus, & peccati seminibus, quamvis peccatum non sint, ut diximus de habitibus vitiosis. Nec decens esset, & consequenter, nec est possibile, deesse in Christo perfectissimam subjectionem appetitûs sensitivi ad rationem, etiam quo ad primos motus, propriam statûs innocentiæ, & justitiæ originalis, stante speciali regimine divini Verbi: cui utique imputari posset, non solum malus consensus deliberatus voluntatis humanæ suæ humanitatis in motus illos inordinetos appetitûs; sed etiam talium motuum inordinata prævention in Supposito suo: ea enim inordinatio præferet in se specialem inhonestatem, & turpitudinem obiectivam sufficientem, ut id velle, & permittere in circumstantijs, in quibus ratione specialis regiminis debet non permitti, esset formaliter malum.

67 Objcies recusationem illam mortis Christi in horto; quam tamen mortem amplectebatur ratio, ut à Patre præceptam: ergo sensit tunc humanitas motus aliquos primos appetitus sensitivi prævenientes rationem: qui sunt fomes ipse peccati. Objectio procedit de facto: quod nec Adversarij supra citati concedunt: & est iaculum é pharetra Hæreticorum, ex facto Christi in horto, & ex alijs alibi arguentium, Christum non solum sensisse inordinatos illos motus appetitûs; sed interdum culpabiliter illis acquievisse: ut vidimus, & jam respondimus *sec. 1.* contra quos videndus insuper Conine *disp. 17. dub. 1.* *Conine.*

68 Ex quibus respondetur, negando consequentiam. Nam illa recusatio mortis non fuit motus inordinatus, prævenions rationem; imò motus ordinatissimus ex ratione deliberatissimè proveniens: verèquè actus voluntatis spiritualis Christi secundum portionem, ut ajunt, inferiorem. Sic vocatur voluntas ipsa, quatenus ex plenâ etiam directione intellectuali vult aliquid juxta commodum naturæ: sicut vocatur portio superior eadem voluntas, quatenus intendit ad spiritualia, & ad rationes æternas. Haberi autem à Christo secundum portionem inferiorem aliquem affectum ineficacem, & conditionatum non moriendi, aut non sic moriendi, si possibile esset, hoc est, dummodo Pater sic vellet subijciendo se tamen efficaciter, & absolutè ad voluntatem Patris, non est contra rationem; sed ordinatissimum, ut ostenderet Christus, se non fuisse insensibilem, sicque veritatem carnis suæ manifestaret contra Hæreticos Manichæos, & alios, veram Christi carnem negaturos. Videatur Martinus Perez *disp. 29 sect. 1.* *Perez.*

69 Quid tandem de tentationibus? De his Lugus *disp. 22.* & Bernal *disp. 41.* Qui conveniunt primò in eo quòd Christus non habuerit tentationes internas: hæ enim sunt motus appetitûs prævenientes rationem hostiliter in animum immissi: quibus caruisse Christum constat ex dictis de fomite. Conveniunt secundò in eo quòd habuerit Christus aliquomodo tentationes externas: ex illo Matth. 4. *Ductus est Iesus in desertum, ut tentaretur à diabolo.* Unde S. Greg. utrumque id complectens *Homil. 16. in Evang.* ait: *Omnis diabolica illa tentatio foris, non intùs fuit.* *Lug. Bernal.* *Matt. 4.* *S. Greg.*

70 Disconveniunt autem in eo quòd Bernal, nec externè vult Christum fuisse tentatum propriè, utpotè alienum prorsus à periculo peccandi; sed impropriè dumtaxat: quatenus diabolus explorabat Christi mentem

tem

tem ex animo illum tentandi, & inducendi ad peccatum. Lugus verò vult, propriè fuisse cæteris tentatum: nam ad hoc, inquit, non obest impeccabilitas; sed sufficit constitui aliquem in occasione, quæ solet esse peccandi, animo hostili, hoc est, intendente ruinam peccati. Quod si quis dicitur etiam tentari *à concupiscentia sua abstractus, & illectus* Iacobi 1. ideò est, quia concupiscentia ipsa, sive fomes, hostis in nobis est bellum gerens contra rationem: non sic in Christo, in quo, ut scripsit Leo 1 Epist. 11. *Sensus corporei vigebant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine Deitatis, & mentis.* Facilius defenditur loquutio Patris Bernal. Lugus verò rigoriosius salvat proprietatem Scripturæ de tentationibus Christi à diabolo.

Iac.1.

Leo.

71 Illud notatum velim ex utroque: quòd, quamvis spiritus etiam bonus duxerit Christum in desertũ, ut tentaretur, hominesq; Deus permittat, aut etiam constituat in occasionibus peccandi, non dicitur propriè tentare: juxta illud Iacobi 1. *Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat.* Quippè non id facit Deus animo hostili, & ex intentione nostræ ruinæ; imopotiùs animo benevolo ex intentione, ut vincamus, & glorioſiùs coronemur, juxta illud *Sapien* 1. *Certamen fortè dedit illi, ut vinceret.* Quodsi pluribi in Scripturis dicitur Deus tentare, ut Gen. 22. *Tentavit Deus Abraham*: sumitur, *tentare*, latiùs pro, *experientiam facere, & in examen vocare.*

Iacob.

Sapien.1.

Gene.22.

72 De Passionibus animi, quas de facto assumpsit Verbum in Christo, scribit dilucidè, ac eruditè Bernal *disp. 41.* Ubi de Amore, Odio, Desiderio, Fugâ, Gaudio, Tristitiâ, Spe, Desperatione, Timore, Audaciâ, Irâ, & Admiratione. Circa quæ nihil speciale occurrit, quod addam. Aliqua tetigimus sparsim in superioribus: præsertim de Tristitia & Timore *disp. 14. sect 7.* de Spe, *ibi sec.8.* de Admiratione *disp.13. sec.11.*

Bernal.

* *
*

DISPUTATIO XVI.

DE

LIBERTATE CHRISTI.

1 CHRISTVM Dominum fuiſſe verè liberum, eſt de Fide, ſicut, & meruiſſe, ac ſatisfeciſſe: ut videre eſt apud Suarez *diſp 37.* ex S.Thom. *quæſt.*28.ubi pro hoc dogmate explicat illud Iſaiæ 7. *Butyrum & mel comedet, ut ſciat reprobare, malum, & eligere bonum*: electio enim importat libertatis uſum. Et ſignanter de libertate in ſubeunda morte eſt illud Iſai 53. *Oblatus eſt; quia ipſe voluit*: & Ioann.10. *Ego pono animam meam*: id eſt, vitam: *Nemo tollit eam à me; ſed ego pono eam à me ipſo*: id eſt pro mea libertate, ut exponunt Interpretes Sacri: præſertim S. Cyrillus *lib. & cap. 7.* hæc Chriſti verba conferens cum illis Iſaiæ ſupra citatis. Unde Hieronymus ſuper Iſaiæ verba ait: *Non neceſſitate, ſed voluntate crucem ſubijt.* Quomodo hoc ſtet in Chriſto impeccabili cum præcepto moriendi, controverſia eſt è gravioribus Theologiæ.

Suar. S.Thom. *Iſai.7.* *Iſai.53.* *Ioan 10.* *Cyrill. Hieron.*

SECTIO I.

Proponitur difficultas ardua circa Chriſti libertatem ex eius impeccabilitate, & præcepto Patris de morte.

2 DIſputatur ſic. Chriſtus erat eſſentialiter impeccabilis, aut ex vi unionis, ut tenuimus; aut ex vi viſionis beatificæ, ut maluit Scotiſtæ: ergo eſſentialiter impotens inobedire præcepto Patris: nã inobedire præcepto Dei, peccatum eſt: ergo impotens tranſgredi præceptum: nam tranſgredi præceptum, eſt formaliter inobedire: ergo eodem ipſo modo impotens omittere opus injunctum ſub præcepto: nam ea operis omiſſio eſſet reipſa præcepti tranſgreſſio. Ergo neſſitatus, ac minimè liber ad exercendum tale opus ſibi injunctum ſub præcepto. V.g. mortem, Quomodo ergo liberè mortem ſubijt neceſſitatus ex præcepto ad illam acceptandam, & ſubeundam? Aut quomodo meritoriè & ſatisfactoriè moriendo redemit nos, ſi ex neceſſitate moriendi mortuus eſt? Actus enim meritorius & ſatisfactorius dicit eſſentialiter libertatem à neceſſitate: nec ſufficit quod ſit liber à coactione, ut adverſus Ianſeniſtas definivit Innocentius Decimus. En nodum ſolutu difficilem.

Inno. 10.

3 Solvit Lorca negans in Chriſto præceptum moriendi. Hanc tamen evaſionem ſatis præluſimus *diſp.10 ſect.4 & 6.* auctoritate, & ratione probantes ſtrictum præceptum impoſitum Chriſto à Patre de ſubeunda morte pro hominibus. Alioquin quomodo redemiſſet nos, & liberè redemiſſet nos per mortem ex obedientia ſuſceptam? Vide ibi.

Lorca. Supra. diſp.10.

4 Solvit cum alijs Eſparza, admiſſo in Chriſto præcepto moriendi; negando tamen, fuiſſe præceptum obligans in conſcientia, & ſub peccato. Unde, non obſtante præcepto, poſſet Chriſtus nolle mori, quin proinde peccaret. Verùm hanc quoque doctrinam repulimus ibidẽ *ſect.5*, atqueadeò nequit nobis inſervire ad ſolutionẽ præſentis difficultatis.

Eſpar.

5 Præterea difficillimum eſt, quód, manifeſtatà Chriſto voluntate Patris de eo, quód

Digitized by Google

quód pro hominibus moreretur, ſive ſtrictè præceptiva, ſive non præceptivâ; ſive præceptivâ ſub peccato, ſive citra peccatum; nõ eſſet ſaltem imperfectio moralis ab illa clarè recedere, & nolle ſe illi conformare. Chriſto autem non minús repugnat moralis imperfectio, qua certé fieret reprehenſione legitimi Superioris dignus, quàm peccatum, ut vidimus, & expendimus *diſp prec. ſec. 3.* Reſponſioni ad hanc inſtantiam occurrimus oportunè *diſp. 10. à n. 67.*

Supra diſp. 15. diſp. 10. ſec. 3.

6 Aliæ ergo ſolutiones tentandæ, & explicandæ ſunt, ut Scripturis, & Sanctis Patribus ſecuriús inhærentes, veritatem veritate defendamus, noſque ab arctiſſimo nodo decentiús expediamus. Varias variorum ſolutiones affert, doctéque refutat ſapientiſſimus Vaſquez videndus per otium *diſp. 74.* In illis dumtaxat immorabor, quæ, aut celebriores ſunt; aut occaſionem dant utilioris doctrinæ, aut noviús ſunt excogitatæ.

SECTIO II.

Solutio Thomiſtarum

7 Dicunt, præceptum moriendi ſtare in Chriſto impeccabili cum libertate moriendi: quippe poterat Chriſtus nolle mori in ſenſu diviſo præcepti, quãvis non in ſenſu compoſito. Ad hunc modum compaginare ſolent cum ſuis prædeterminationibus noſtram libertatem. Sic poſt Alvarez *diſp. 46. de Incarn.* & alios antiquiores Cipullus 3. *par. quæſt. 19. art. 3.*

Alvar. Cipullus

8 Faciunt contra ſolutionem iſtam quę alibi ſcribimus contra Prædeterminationes phyſicas, ut everſivas libertatis, fruſtra adhibitâ pro illis tritâ diſtinctione ſenſús compoſiti, & diviſi, ut ſuo in loco probamus.

9 Pro nunc argumentor ſic. Vel, impoſito præcepto mortis Chriſto eſſentialiter impeccabili, manet in Chriſto libertas, & poteſtas ad nolle mori in ſenſu diviſo: vel non manet. Si non manet; ergo neceſſitatus omnino eſt ad acceptandam mortem; quandoquidem nec in ſenſu compoſito, nec in ſenſu diviſo manet illi poteſtas ad nolle mori. Si manet; ergo manet poteſtas ad inobediendum, ac proinde ad peccandum: eo ipſo modo quo in homine iuſto prædeterminato ad obediendum præcepto manet iuxta Thomiſtas poteſtas ad inobediendum, & ad peccandum, ſcilicet non niſi in ſenſu diviſo. Sic ergo Chriſtus nõ eſſet magis impeccabilis, ſeu impotẽs inobedire, quàm quilibet homo iuſtus prædeterminatus ad obediendũ. Ruat ergo neceſſe eſt, aut libertas, aut impeccabilitas Chriſti iuxta hunc modum Theologizandi.

10 Præterea, Chriſtus conſtitutus ſub præcepto moriendi poteſt modo aliquo ſufficienti ad libertatem, ſive in ſenſu compoſito, ſive in diviſo, ponere nolitionem mortis. At nolitio mortis nequit eſſe à parte rei niſi coexiſtendo, aut non coexiſtendo cũ præcepto mortis, ut per ſe eſt non minús evidens, ac evidens eſt, poſita nolitione mortis, eſſe vel non eſſe aparte rei præceptum mortis iuxta principium metaphyſicum: *quodlibet eſt, vel non eſt.* Ergo Chriſtus conſtitutus ſub præcepto, & potens modo aliquo ſufficienti ad libertatem ponere aparte rei nolitionẽ mortis, non poteſt eamdem nolitionem ponere, niſi, vel coexiſtentem cum præcepto, vel non coexiſtentem cum præcepto mortis: quia, ut ex principio metaphyſico vidimus non poteſt ea nolitio poni à parte rei, niſi eo modo quo ponibilis eſt: ſcilicet aut coexiſtens præcepto, aut non coexiſtens præcepto mortis: nam ponere mortem neque coexiſtentem, neque non coexiſtentem præcepto mortis, ſive à parte rei præciſſam à coexiſtente, vel non coexiſtente cum præcepto mortis, eſſet ponere mortem coexiſtentem cum chymera: ad quod nulla datur vera libertas, nec poteſtas in ſenſu compoſito, nec inſenſu diviſo.

11 Nunc ſic. Vel ergo ea poteſtas Chriſti ad nolle mori, aut in ſenſu compoſito, aut in diviſo ſufficiens ad veram libertatem moriendi, eſt ad ponendam á parte rei nolitionem mortis coexiſtentem cum præcepto mortis, vel non coexiſtentem cum præcepto mortis, vel præciſſam à coexiſtente, & non coexiſtente cum præcepto mortis. Si dicatur primum, hoc ipſiſſimum eſt poteſtas ad peccandum, quam nec in ſenſu compoſito, nec in ſenſu diviſo habet, nec habuit Chriſtus: ſi enim nolitio libera mortis coexiſtens præcepto mortis, eſt ipſiſſimum peccatum, cúm ſit ipſiſſima inobedientia; poteſtas quæcumque ſit ad ponendam nolitionem mortis coexiſtentem præcepto mortis, eſt eo ipſo modo poteſtas ad peccandum. Si dicatur ſecundum: ergo poteſtas, quæcumque illa ſit, libera, & electiva ad ponendam à parte rei nolitionem mortis non coexiſtentem cum præcepto mortis; eſt eodem prorſus modo poteſtas electiva ad tollendum præceptum mortis, aut quoquo faciendum ne tale præceptum detur à parte rei, quod negant Thomiſtæ: nolitio enim mortis nõ coexiſtẽs præcepto mortis nihil eſt aliud, quàm nolitionem exiſtere à parte rei, & præceptum mortis non exiſtere á parte rei, ut ex terminis clarè. Si verò dicatur tertium: ergo poteſtas, quęcumque illa ſit, libera, & electiva ad ponendam à parte rei nolitionem mortis præciſſam

ciſſim à coexiſtente, & à non coexiſtente cum præcepto mortis, eſt poteſtas ad ponendam nolitionem mortis neque coexiſtentem, neque non coexiſtentem cum præcepto mortis: quæ eſt poſitio nolitionis mortis chymerica; cum à parte rei chymera ſit poſito nolitionis mortis, quæ neque aparte rei ſit coexiſtens, neque aparte rei non ſit coexiſtens cum præcepto mortis. Ad chymeram autem, nec in ſenſu compoſito, neque in diviſo poteſt dari poteſtas neque libertas, niſi chymerica.

12 Hoc argumento præcluditur effugium noviorum Thomiſtarum, ingeni ſé conantium ſenſum ſuum compoſitum, & diviſum adſtruere. Supponunt benè, poteſtatem nolendi mori in ſenſu diviſo non eſſe poteſtatem diviſam à præcepto moriendi: hoc enim eſſet dicere, cum præcepto non manere eam poteſtatem, ac proinde nec libertatem. Aiunt deinde, eam poteſtatem nolendi mori in ſenſu diviſo, non eſſe poteſtatem dividendi à ſe præceptum, quaſi humanitas potuerit impedire, aut evitare exiſtentiam præcepti. Unde ſenſum ſuum diviſum, & compoſitum non conſiderant ex parte ſubiecti, quaſi non poſſe in ſenſu compoſito, ſonet, in ſenſu cõpoſito præcepti, id eſt habere poteſtatem nolendi mori compoſitam cum præcepto; & poſſe in ſenſu diviſo ſonet habere eam poteſtatem diviſam à præcepto; ſed conſiderant ex parte terminiſnon quidem adhuc ex parte termini eodem modo cõpoſitionẽ ac diviſionem; ſed cõpoſitionem poſitivé, diviſionẽ verò ſolùm præciſivè. Sic nimirũ, ut idem ſit non habere poteſtatem nolendi mortem in ſenſu compoſito præcepti, ac non poſſe componere nolitionem mortis cum præcepto mortis. At habere poteſtatem nolendi mortem in ſenſu diviſo, non ita intelligunt, ut ſit idem ac poſſe dividere à ſe præceptum per nolitionem mortis; ſed ita ut ſit poſſe ponere nolitionem mortis præciſim, & ſecundum ſe, ex cuius poſitione, ſi eſſet inferretur, præceptum non eſſe, ac proinde eſſe diviſam à præcepto.

13 Dicunt itaque Moderniores, Chriſtum habuiſſe poteſtatem ad nolitionem mortis, non ad nolitionem, ut coniungendam cum præcepto; ſed præciſivè ſumptam à præcepto: ſic autem præciſivè ſumpta nolitio mortis, peccatum non eſſet. Sub alijs terminis dicunt paulò aliter alij, Chriſtum habuiſſe poteſtatem antecedentem ad nolitionem mortis purè negativé ſumptam; non ad privativè ſumptam: quia nolitio mortis privativè ſumpta eſt peccatum; cùm ſit nolitio mortis coexiſtens cum præcepto mortis; nolitio verò mortis negativè ſumpta eſt nolitio mortis ſecundum ſe præſcindens à coexiſtentia cum præcepto: & ſic non eſt peccatum. Idem explicant, aut implicant alij ſub alijs terminis, dicentes, Chriſtum habuiſſe poteſtatem ad nolitionem mortis præceptæ ſpecificativè; non reduplicative, ut præceptæ; nam hoc eſſet habere poteſtatem ad componendam nolitionem cum præcepto; illud verò non eſt niſi habere cum præcepto poteſtatem ad nolitionem mortis: quæ poteſtas non pugnat cum præcepto, cum quo pugnat incoexiſtibiliter nolitio mortis.

14 Verba ſunt, quantum capio, aut ſibi contradicentia, aut vero, ac ſolido ſenſu vacua. Mitto impugnationes aliò pertinentes, quæ generaliter faciunt contra diſtinctiones, & explicationes iſtas applicatas ad prædeterminationes. Et ſpecialiter ego contra ipſas applicatas difficultati præſenti: in qua, præter prædeterminationem non ſentientem, ut aiunt, ex parte actûs primi, adeſt præceptum Patris de morte cognitum à Chriſto cognitione ſe tenente inevitabiliter ex parte actûs primi libertatis volendi, aut nolendi obedire præcepto eſſentialiter connexa cum volitione obediendi: & inſuper obſtat intrinſeca impeccabilitas Chriſti ratione unionis, undecumque ſe teneat, non impedibilis, nec pro libitò evitabilis ab humanitate. Et arguo ſic:

15 Quæcumque Chriſti poteſtas, ſive antecedens, ſive conſequens, ponendi nolitionem mortis coniuncta inevitabiliter cum præcepto mortis, ſive ſit ad nolitionem ſpecificativé præceptam; ſive reduplicative, ut præceptam; ſive negativè, ſive privativè, ſive præciſivè conſideratam, ſive in ſenſu compoſito, ſive in ſenſu diviſo quomodolibet explicato; eſſet eo ipſo modo poteſtas Chriſti, habentis, & cognoſcentis præceptum, vel ad ponendum peccatum, vel ad ponendam chymeram: ſed ad neutrum horum poteſt dari vera poteſtas, neque libertas in Chriſto: ergo quocumque ex illis modis explicetur à Thomiſtis, poteſtas illa ad ponendam nolitionem mortis, non eſt vera poteſtas, nec vera libertas, ſed chymerica, implicatoria, & fictitia. Reliqua patent ex terminis. Oſtenditur autem maior. Nolitio mortis poſita à Chriſto habente, & advertente præceptum mortis, ſive nolitio mortis ſpecificativè præceptæ, quomodocumque mente concipiatur, & conſideretur, eſt re ipſa nolitio mortis realiter à parte rei coexiſtens cum præcepto mortis cognito. Sed nolitio mortis realiter à parte rei coexiſtens cum præcepto mortis cognito, eſt in Chriſto aut chymera, aut peccatum

tum: ergo quæcumque Christi potestas, quocumque ex illis modis distincta, & considerata, ponendi nolitionem mortis coniunctam inevitabiliter cum præcepto mortis, esset eo ipso modo potestas Christi habentis, & cognoscentis præceptum, vel ad ponendum peccatum, vel ad ponendam chymeram. Syllogissimus est in forma: Consequentia legitima: Maior ex terminis manifesta: implicatorium enim esset, à Christo habente, & cognoscente præceptum poni nolitionem mortis realiter à parte rei non coexistentem præcepto mortis, eiusque cognitioni, sicut & ipsi Christo: nam eo ipso quod coexisteret ea nolitio Christo, coexisteret præcepto, cui coexisteret Christus: per regulam, quòd, quæ coexistunt uni tertio, coexistunt inter se. Minor est evidens: quia nolitio mortis realiter á parte rei coexistens cum præcepto mortis cognito est realissima transgressio præcepti mortis, ut per se patet: quæ transgressio est realisimé peccatum, & in Christo realiter impeccabili, esset chymera: nam esset peccatum impeccabilis, & peccatum non peccatum: quo quid implicãtius? Frustra ergo adlaborãt hi Auctores suo sensui composito, & diviso juxta trita sua principia, ut salvent Christi libertatem in subeundâ morte cum impeccabilitate Christi, & cum præcepto moriendi.

SECTIO III.

Solutio Patris Suarez.

16 EA est: Christum liberè observasse præceptum mortis, quia observavit vi auxiliorum suapte natura indifferentium: impotentiam autem nolendi mortem provenire ab Unione hypostaticâ, & à præcepto, quæ non sunt principia exercitij liberi; nec determinant physicè ad illud, nec per se immutant modum operandi. Fuisse tamen impeccabilem simpliciter, & absolutè: quia Suppositum Verbi sustentans vi unionis illam humanitatem est incompossibile cũ talis nolitione moriẽdi humanitatis sui suppositi, & impotens permittere ipsi peccatum: non physicè determinando ad mortem; sed elargiendo auxilia prævisa per scientiam mediam efficacia, quantumvis ex se indifferentia, ad observationem præcepti; atque adeò ad nunquam peccandum. Sic *disp. 37. sect.3.* Sic etiam Molina *1. p. quæst. 14. disp. 18. membro 4.* Raynaudus de nova libert. *part.2.cap.5.* De Bugis *lib.10 c.7.* cum Albertino, & Tannero.

Suar. *Molin.* *Rayn.* *Bugis.* *Albert.* *Tannero.*

17 Habeo difficultatem mihi præ ingenij imbecillitate invincibilem in istâ solutione. Sive namque unio hypostatica, & præceptum moriendi essentialiter incompossibilia cum nolitione mortis, sint principia proxima libertatis, sive remota; sive nullo modo sint principia physica; sive se habeant antecedenter, sive consequenter ad operationem; sive per se immutent, sive non per se immutent modum physicum operandi, sive physicé determinent, sive non physicè determinent; ita ex intrinsecis suis pugnant cũ nolitione moriendi, utpote peccaminosà, ut conjungi nullatenus possint in Christo cum eiusmodi nolitione, nec eiusmodi nolitio cum ipsis propter essentialem repugnantiam mutuam: sed nec per auxilia indifferentia, nec per quidquam aliud, potest dari in humanitate Christi libertas, nec potestas ulla vera ad id quod essentialiter repugnat: esset enim absoluta potestas ad impossibile, & ad chymeram, ac proinde non nisi chymerica: ergo, nec per auxilia indifferentia, nec per quidquam aliud dari, nec intelligi potest in humanitate Christi habentis præceptum mortis, vera libertas, nec potestas antecedens proxima, imó, nec remota ad coniungendam secum, & cum præcepto nolitionem mortis.

18 Aliter. Complexum ex unione hypostaticâ, & ex præcepto mortis est in Christo essentialissimum impedimentum nolitionis mortis, sive antecedens, sive consequens, sive comitans: alioquin posset ea nolitio mortis, ac proinde peccatum componi cum illo: quod omninó repugnat, aut corruit Christi impeccabilitas. Vel ergo potestas ea proxima, & immediata humanitatis Christi ad eam nolitionem, est ad eam nolitionem componendam cum eo complexo; vel seiungendam ab eo complexo, illud scilicet evitando. Si primum: ergo esset potestas ad impossibile, ac proinde non nisi chymerica, & frustra excogitata ad constituendam, & salvandam veram, & absolutam libertatem. Si secundum: ergo ea potestas est potestas ad ponendam eam nolitionem mortis, evitando, seu amovendo per ipsam nolitionem illud complexum: nequit enim poni nolitio seiunctim à complexo, nisi non stante complexo, ut per se patet. Atqui potestas proxima ad ponendam nolitionem mortis evitando, seu amovendo per ipsam nolitionem illud complexum, nequit esse, neque intelligi, nisi sit simul potestas faciendi prolibito, ne stet, aut unio hypostatica, aut præceptum obligans, aut neutrum illorum: ergo esset eo ipso potestas pro libito humanitatis evitativa, ne stet, aut unio hypostatica,

aut præceptum mortis obligans, aut neutrũ. Minor subiuncta patet: quia evitari, seu amoveri illud complexum nequit esse, neque intelligi, nisi amoto alterutro, aut utroque extremo talis complexi. Consequentia est liquida.

19 Quæ tamen si concedatur, deseritur doctrina Patris Suarez, omninò negantis, unionem hypostaticam pendere in sui existentia, & non existentia à libito humanitatis Christi; nec conficentis, præceptum, aut eius obligationẽ stare pro libito eiusdem humanitatis. Et utrumque id est, relictâ ut insufficiente data solutione, venire sensim ad alias infra proponendas.

20 Nec ullum habet præsidium hæc solutio à Scientia media, cuius notitia dirigatur Deus ad danda humanitati Christi semper auxilia, quę viderit efficacia ad obediendum, & non peccandum. Nam scientia media, sicut nec simplicis intelligentiæ, non constituit formaliter libertatem humanitatis Christi, sicut nec nostram; sed sub sua hypothesi illam cognoscit si est, & cognoscit non esse si non est: non enim voluntas, si ponatur in hac, vel illa hypothesi consentiret, sive obediret; quia Deus præscit liberè obedituram sub ea hypothesi; imò Deus sic conditionatè præscit, quia voluntas, si constituatur in ea hypothesi, obediet: ut in Auctoribus Societatis est tritum. Rogo autem quid prænovit Deus per scientiam mediam, aut per quamcumque aliam de obedientia Christi sub hypothesi quorumcumque auxiliorum indifferentiam? Dices; quòd obediet. Rogo ulterius: an liberè, an necessario. Pater Suarez dicet, quòd liberè: quia senserit, per ea auxilia constitui libertatem non obstante impedimento inevitabili unionis, & præcepti. Alij dicent, quòd necessariò: quia cum impedimento essentiali, & pro libito voluntatis inevitabili stare nequit constituta libertas: & nec scientia media, nec alia scientia Dei potest cognoscere res aliter ac sunt. Seorsim ergo, aut præcisim à scientia conditionata cõstituenda est in statu conditionato libertas, ut à scientia conditionatâ cognoscatur, an sit futura, necne libertas, si voluntas constituatur in eo statu. Quodnam ergo præsidium à scientia media ad defendendam libertatem Christi juxta solutionem Patris Suarez?

21 Quapropter Reverendus Admodum Pater Noster Generalis Salmaticensis Doctor, ac Primarius Antecessor THYRSUS GONZALEZ, de cuius hodie solicitissimâ electione gratulamur *tóm. 3. doctissimarum suarum Selectarum, disp. 30.* ingenuè, verèque fatetur, salvari non posse in Christo principia proxima libertatis ad omittendum actum obedientiæ à Patre præceptũ iuxta solutionem istam Patris Suarez, cum in humanitate detur potentia proxima antecedens ad impediendam, seu evitandam unionem hypostaticam; cùm tamen hoc negent iuxta sua principia huius solutionis Patroni. Nam humanitatem peccare, est apponere impedimentum essentiale unionis hypostaticæ, siquidem peccatum, ut vidimus *disp prec. sect. 2.* cum his ipsis Auctoribus, est quid omninò incoexistibile cum unione hypostatica: ergo quæcumque sit potestas humanitatis ad peccandum, sive, quod idem est, ad inobediendum, est pariter potestas ad apponendum impedimentum essentiale unionis hypostaticæ: sicut quælibet potestas ad ponendum dissensum est pariter potestas ad impediendum consensum, & é contra: quia nempè dissensus est impedimentum essentiale dissensûs, & é contra: cum sint mutuò incoexistibiles omninò. In intelligibile ergo est, quòd in humanitate detur potestas, quæcumque illa sit, ad inobediendum, sivè ad peccandum, quin eodem modo sit potestas ad impediendam hoc ipso unionem hypostaticam: & similiter quòd, istâ impeditivitate omninò negatâ, detur in humanitate potestas ad peccandum, seu ad omittendam mortem præceptam: neque quòd ad hoc opitulari possit scientia media. Quæ omnia mihi videntur solida, & facile demonstrabilia: quidquid frustra moliatur in oppositum Magister Lumbier *quæst. 33. artic. 3. & 4.* ex doctrinis, hinc inde congestis, à quibus in puncto libertatis abhorremus.

Supra disp. 15.

Lumb.

22 Aliter. Humanitas Christi ab intrinseco sui, & omninò antecedenter ad omne suum exercitium liberum est necessitata ad non habendam in se chymeram: non minus, ac ad non esse chymeram: quod enim in se chymeram haberet, chymera esset, utpote involuens, aut inducens contradictoria. Atqui humanitatem pro aliquo priori naturæ habere unionem cum Verbo, & præceptum obligans ad volitionem mortis habendam pro posteriori, & non habere pro eo posteriori eam volitionem, sed imò habere nolitionem pro posteriori in eodem instanti reali temporis, est chymera, quia est compositio essentialiter incompossibilium in instanti reali temporis. Ergo eâdem necessitate esset antecedenter necessitata ab habendam pro eo posteriori volitionem mortis. Cum eiusmodi autem necessitate antecedenti nequit stare libertas per hanc viam, acceptandi, seu volendi mortem. Nec prodest respon-

R. P. N. G. Thyrſ.

re-

re, humanitatem, attentis principijs proximis, potuiſſe componere nolitionem mortis præceptæ, ſeu peccatum, cum unione hypoſtatica, quamvis abſolutè, & ſimpliciter ea conjunctio ſit impoſſibilis, eo quòd ipſa unio petat ne fiat: quò in re collimat doctrina Magiſtri Lumbier ſub alijs vocibus. Certè enim, quibuslibet id terminis obvolvatur, ad conjunctionem reipsà chymericam implicat dari poteſtatem proximam per ulla principia: implicat enim, per quæcumque velis attendere principia, fieri veram, & realem poteſtatem ad chymeram. Eo igitur ipſo quòd unio hypoſtatica eſſentialiter petat non conjungi cum peccato, redditur impoſſibilis, & non niſi chymerica quæcumque poteſtas proxima ad talem conjunctionem, undecumque talis conjunctio chymera ſit.

R.P.N. G.Thyrſ. 23 Quapropter R. P. N. G. Thyrſus *ſec.3.* non niſi cum novo additamento defendendam ſuſcipit ſolutionem Patris Suarez: additâ nempe impedibilitate unionis hypoſtaticæ pro libito humanitatis potentis proximè nolle mortem præceptam, quod eſt idem ac peccare, impediendo per illam ipſam nolitionem peccaminoſam unionem hypoſtaticam ſui ad Verbum.

24 Neque tamen huic doctrinæ adhærere poſſumus. Quippè, quamvis ſalvet punctum libertatis; non tamen punctum impeccabilitatis humanitatis ſemel unitæ Verbo: quandoquidem concedit humanitati poteſtatem proximam peccandi: non quidem peccato admiſſibili in conſortio unionis; ſed peccato, quo diſſolveretur, aut impediretur unio. Quod tamen etiam repugnare, nec ſatis abſolutè reddere Chriſtum, eiuſve humanitatem impeccabilem vidimus *diſp.præ. ſect.3.* cum meliori parte Theologorum. Et coincidere mihi videtur magna ex parte cum ſolutione impugnanda *ſec ſeq.*

Supra diſp.15.

SECTIO IV.

P. Caren nius. *Solutio præſtantiſſimi Theologi Recentioris Romani.*

25 SUpponit primò, difficultatem eſſe de libertate Chriſti cõponẽdâ cũ eius impeccabilitate ex capite unionis hypoſtaticæ, præciſſim à viſione beatificâ, & alijs.

26 Supponit ſecundò, decretum Dei efficax de operatione creaturæ prævisâ conditionatè, ut ponendâ ſub auxilio intrinſecè indifferenti, dummodò tale decretum pendeat penitùs à ſcientia media eiuſdem operationis, non lædere libertatem illius. Quamvis enim eiuſmodi decretum præfinitivum, utpotè intrinſecè efficax, infallibile, & infruſtrabile, componi non poſſit cum emiſſione operationis; tamen eius infallibilitas, ſeu infruſtrabilitas eſt ſimpliciter impedibilis, ſeu evitabilis à voluntate pro libito creaturæ, ut exiſtentis cum ejuſmodi auxilio indifferenti: quatenus videlicet in data hypotheſi eſt ſimpliciter impedibilis à voluntate creaturæ per omiſſionem talis operationis ſcientia illa cõditionata Dei, à qua decretum pendet eſſentialiter.

27 Supponit tertiò, poſſibilem eſſe humanitatem tàm religioſæ indolis, ut poſita ſub præcepto cum auxilio ſufficienti ad obediendum, eſſet ſemper obeditura, ſicque nunquam peccatura contra præceptum. Cur enim hoc implicet? Quinimò commendatur inde tùm ratione humanitatis, tùm ratione auxiliorum, potentia, beneficentia & bonitas Dei. Cuius humanitatis poſſibilitatem defendunt Theologi quotquot docent cum Suar. *lib.1. de Prædeſt. cap.7.* Herice *Tract. 3. diſp 22.* & Arriaga *diſp.35. ſec 1.* poſſibilem creaturam liberam, quæ à Deo per ſciẽtiam mediam videatur conſenſura omni auxilio ſufficienti: in hac enim poſſibilitate includi ait evidenter poſſibilitatem dictæ humanitatis. *Suar. Herice. Arriag.*

28 Supponit quartò, poſſibilem eſſe Unionem hypoſtaticam, quæ eſſentiali connexione præſupponat ſcientiam mediam, qua Deus præſciat perpetuam obedientiam dictæ humanitatis ſub conditione præcepti, & cuiuſcumque auxilij indifferentis. Quia, inquit, nulla eſt contradictio in eo quòd unio aliqua poſſibilis ad Deum habeat aliquod prædicatum decreti divini præfinitivi, non proprium ſolius decreti, nec repugnans unioni hypoſtaticæ. At eſſentialis illa connexio cum ſcientia Dei mediâ præſciente perpetuam obedientiam talis humanitatis ſub hypotheſi præcepti, & cuiuſcumque auxilij, eſt prædicatum decreti efficacis, quo Deus præfiniret perpetuam talis humanitatis obedientiam; non tamẽ proprium ſolius decreti, cùm non ſit cur repugnet alicui unioni hypoſtaticæ: poſſibilis ergo eſt unio cum tali prædicato, & connexione.

29 Supponit quintò, talem eſſe de facto humanitatem Chriſti, & talem unionem hypoſtaticam preſentem: non quidem probans exiſtentiam ex præciſſa poſſibilitate; ſed ſuppoſità poſsibilitate, probans exiſtentiam. Primò: quia talis humanitas, & talis unio maximè decet, ac congruit dignitati Chriſti. Secundò: quia ſic aperitur via ad

conciliandam libertatem Chriſti cum eius impeccabilitate,& præcepto etiam indiſpenſabili, & inevitabili, per eadem principia cõmunia, quibus conciliari ſolet libertas operationis humanæ cum præfinitione divinâ.

30 Confirmat ejuſmodi dependentiam unionis hypoſtaticæ à ſcientia media ex Auguſt. *1. de Prædeſt. 15.* ubi ait, unionem non datam humanitati ex merito præcedente, totamque cauſam refert ad liberalem prædeſtinationem. Præterea prædeſtinationem humanitatis ad unionẽ expertem peccati æquiparat prædeſtinationi iuſtorum ; utramque ponens dependenter à ſcientia Dei : & ſubdit : *Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ homo quicumque Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus: de ipſo ſpiritu eſt hic renatus, de quo eſt ille natus: eodem ſpiritu fit in nobis remiſſio peccatorum, quo ſpiritu factum eſt, quód nullum haberet ille peccatum. Hæc ſe Deus eſſe ſanctorum profectò præſcivit: ipſa eſt igitur prædeſtinatio Sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maximè clarnit.* Atqui, ex mẽte Theologorum Societatis apud Ruizium *diſp. 66. de Scient. ſec* 5. dum Auguſtinus ait, electionem, ſeu prædeſtinationem fieri dependenter à *Præſcientia*, intelligit Scientiam mediam: ergo ex mente Auguſtini unio, & impeccabilitas collata à Deo liberaliter humanitati Chriſti pendet à ſcientia media, ſicut prædeſtinatio Sanctorum: ſed hæc pendet à ſcientia mediâ, quâ Deus præſcivit fore, ut ij homines obediant præceptis ſub conditione auxilij indifferentis dati ad obediendum: ſic ergo à ſimili ſcientiâ mediâ impeccabilitas data cum unione humanitati Chriſti, ad mentem Auguſtini.

Auguſt.

Montoy.

31 Item ex Patre Suarez. Quippè *diſp. 37. de Incarn. ſect 3. §. ſupereſt, concludit: Et iuxta hanc doctrinam expedienda eſt ſimilis difficultas, quæ de confirmatis in gratia verſari ſolet & in univerſum de gratia præveniente & efficaci: nam quoad hoc eadem eſt ratio de Chriſto, & de aliis ut rectè D. Thom.* Itaque P. Suar. cum S. Tho. conciliat impeccabilitatem humanitatis Chriſti, conſiſtentem in unione hypoſtatica, cum eius libertate, ad modum quo confirmationem in gratia aliquorum iuſtorum & efficaciam auxilij cum humanâ libertate : quatenus nempè ſunt liberalia Dei dona data dependenter à ſcientia media, & impedibilia ab humanâ voluntate pro impedibilitate talis ſcientiæ Sic ergo, iuxta Doctores Angelicum, & Eximium, impeccabilitas humanitatis Chriſti ex unione hypoſtatica conciliatur cũ Chriſti libertate, quatenus ea unio eſt liberale donũ habitum pendenter à ſcientia media: ſicque impedibile pro libito humanitatis, cum ſcientiam potentis impedire.

Suar.

S. Thom.

32 His præmiſſis aſſerit ſapientiſſimus hic, Magiſter mihi perquam gratus Chriſtum ut hominem ſub præcepto, nihil libertatis amittere per impeccabilitatem, conſiſtentem in præciſâ unione hypoſtatica. Quia neceſſitas non peccandi fundata in hac unione eſt neceſſitas merè conſequens, ac proinde non oppoſita abſolutè libertati. Quod probat dupliciter. Primo, quia infallibilitas, ſeu neceſſitas impecibilis à voluntate per omiſſionem operationis, eſt conſequens: ſed talis eſt ea infallibilitas, ſeu neceſſitas obedientiæ Chriſti: ergo. Maior eſt nota : ſi enim neceſſitas operationis eſt ſimpliciter impedibilis à voluntate per omiſſionem operationis, præſupponit in voluntate expeditam potentiam ad operandum, & non operandum : ac proinde libertatem, quam dum præſupponit non lædit. Minorem aſſumit ex ſuppoſitionibus 4. & 5. Unio namque humanitatis ad Verbum pendet eſſet tialiter à ſcientia media de perpetua obedientia ſub auxilijs indifferentibus. Unde voluntas humanitatis, potens ſimpliciter impedire per omiſſionem obedientiæ, ſcientiam obedientiæ, poteſt eo ipſo impedire unionem ſui ad Verbũ & neceſſitatẽ obediẽdi conſiſtentẽ in ea unione: nequit enim poſſe impediri exiſtẽtia ſcientiæ, à qua pẽdet eſſentialiter unio, quin conſequenter poſſit impediri unio : ſicut nequit ab aliquo impediri exiſtentia extremorum quin eo ipſo poſſit ab eodem impediri exiſtentia unionis pendentis eſſentialiter ab extremis : alioquin fieri poſſet, quòd à contradictorio conſequentis non valeret conſequentia ad contradictorium antecedentis. Probat ſecundò: quia neceſſitas obediendi conſiſtens in unione, ſupponit hanc, vel ſimilẽ Dei ſcientiam: *ſi produxero hanc humanitatem, & dedero ſemper illi auxilium ſufficiens ad obediendum liberé, liberè obediet.* Rursùs : ipſa unio petit purificationem conditionis, nempe, donationem auxilij ſufficientis ad liberè obediendum : ergo unio per ſe non lædit libertatem obedientiæ : implicat enim lædi libertatem à petente omnia conſtitutiva libertatis

33 Explicat Impeccabilitas ſita in Unione, ſalvatur eo ipſo quód ratione unionis debeantur humanitati auxilia efficacia ad perpetuam obedientiam, & ad evitationem peccati: ſed ex eo quód ratione unionis debeantur hæc auxilia, non ſequitur, quód unio lædat libertatem obedientiæ & evitationis peccati: ergo. Maiorem ſupponit : quia nequit

non

non eſſe aliqua ratio impeccabilitatis, titulus ille exigēdi perpetua auxilia efficacia, quibus humanitas infallibiliter ſit ſemper immunis à peccato. Minorem aſſumit quia; ſi humanitati productæ promitteret Deus perpetuam aſſiſtentiam auxilij ſufficientis, ſub quo prævisa eſt ſemper obeditura, & evitatura liberè peccatum, ea promiſſio eſſet titulus ratione cuius deberentur humanitati auxilia efficacia ad perpetuò obediendum, & impeccandum; quin tamen ea promiſſio læderet libertatem. Eamdem rationem tituli non lædentis libertatem habet divinum decretum dandi omnia ea auxilia: ergo unionem hypoſtaticam eſſe ſimilem titulum, non faciet illam obeſſe libertati.

34 Colligit, non eſſe magis difficilem concordiam libertatis cum impeccabilitate humanitatis conſiſtente in unione hypoſtatica ſic poſitâ; quàm ſit concordia libertatis creatæ cum decreto Dei præfinitivo operationis liberæ creaturæ. Sola videtur eſſe differentia, quod unio eſt intrinſeca humanitati, & decretum, extrinſecum. Hæc autem differentia difficultatem non auget: quia tota difficultas verſatur in componenda libertate voluntatis creatæ cum alia entitate, non ab ipſa voluntate, ſed à Deo liberè poſitâ, & inferente infallibilem voluntatis operationem: in quo conveniunt decretum extrinſecum, & unio intrinſeca humanitati.

35 Colligit præterea facilem ſolutionem difficultatis præſentis: concedendo, Chriſtum, ut hominem, ſeu humanitatem Chriſti habere neceſſitatem conſequentem, & ſimpliciter impedibilem pro libito ſuæ voluntatis; & negando habere neceſſitatem antecedentem, aut ſimpliciter à voluntate humanitatis inimpedibilem. Unde minimè infertur, non fuiſſe ſimpliciter liberam, & meritoriam obedientiam Chriſti, ſeu evitationem peccati inobedientiæ. Hæc ſumma huius perdoctæ ſolutionis, quam à multis deinde impugnationibus defendit ingeniosè laudatus Author.

SECTIO V.

Noſtrum indicium circa præcedentem doctrinam

36 NEgotium præſens eſt, iter medium tenere inter duos ſcopulos inoffenſos: unum ex capite libertatis; alterum ex capite impeccabilitatis humanitatis Chriſti ex præcepto morientis.

37 Diſputavi publicè Romæ ex capite libertatis contra prædictam doctrinam, quam defendebat egregiè citatus Author: ex cuius ore multa didici, & multò plura edifcere potuiſſem; niſi principia alioquin mihi veriſſima, & familiaria obſtitiſſent.

38 Admiſſi, & admitto primam, & ſecundam ſuppoſitionem. Permitto tertiam: quam admittere non poſſum per ea quæ alibi cum fundamento in Scripturis, & Patribus dico de nullo homine imprædeſtinabili, & quod nemo ſit inter omnes poſſibiles, quem Deus non præſcisè alicui auxilio diſſenſurum: & è contra inter omnes poſſibiles nemo, qui nulli auxilio conſenſurus eſſet. Unde qui omnibus auxilijs ſufficientibus conſenſurus eſſet, non debet eſſe de numero poſſibilium, ac proinde impoſſibilis eſt. Permitto etiam quartam, & quintam ſuppoſitionem, quas non ſatis cerno fundatas in Auguſtino, nec in Patre Suarez. Non in Auguſtino: nam ex eo, quód dixerit, Deum contuliſſe humanitati donum unionis liberaliter ex directione ſuæ præſcientiæ, aut ſcientiæ mediæ, quod libenter fatemur, cùm decretum de exiſtentia Chriſti Redemptoris pendeat eſſentialiter à ſcientia media; non ſequitur, id fuiſſe ex ſcientia media, qua præſcierit Deus illam humanitatem ſub quacumque hypotheſi auxilij ſufficientis conſenſuram fuiſſe: ut per ſe patet. Non in Patre Suarez, nec ex S. Thoma: quia neque id ipſum ſequitur ex eo, quòd ad hunc modum explicent donum confirmationis in gratia: ad hoc enim nemo dixit, opus eſſe, quód quilibet confirmatus in gratia debeat eſſe tam religioſæ indolis, ut ſub quacumque hypotheſi auxilij ſufficientis conſenſurus eſſet; ſed quod non conſtituatur à Deo in hypotheſi, ſub qua præſcivit illum minimè conſenſurum.

39 Sed his omniſſis, & partim admiſſis, partim permiſſis quinque illis ſuppoſitionibus, argumentor ſic. Vel reliqua omnia, quæ pro dictâ doctrina ſupponuntur, ſeclusâ de poſſibili, vel impoſſibili ſcientiâ mediâ, ſalvarent illæſam libertatem humanitatis Chriſti in acceptatione mortis præceptæ; vel non ſalvarent. Si ſalvarent: ergo per illas ſuppoſitiones citra recurſum ad præſidium ſcientiæ mediæ ſalvatur illæſa libertas. Si non ſalvarent, ut mihi reſponſum fuit? ergo neque illam ſalvarent cum adminiculo ſcientiæ mediæ utpoté non ſe habentis conſtitutivé, & per locum intrinſecum ad libertatem creatam: *Heri. Vaſq.* urget Herize *diſp. 23. cap. 9.* ex ſolidiſſimo Vaſquez.

40 Probo hanc conſequentiam. Vel illa ſcientia media attingeret, & includeret ex parte ſuæ hypotheſis, præter auxilium indifferens, & alia, unionem hypoſtaticam; vel illam excluderet; vel ab illa præſcinderet. Si dica-

dicatur primum, esset huiusmodi: *si dedero huic humanitati auxilium sufficiens ad obediendum, simulque unionem hypostaticam; liberè obediet*: Si dicatur secundum, esset huiusmodi: *si dedero huic humanitati auxilium sufficiens ad obediendum, seclusâ etiam unione hypostaticâ; liberè obediet*. Si dicatur tertium esset huiusmodi præcisim ab unione hypostatica: *si dedero huic humanitati auxilium sufficiens ad obediendum, liberè obediet*. Nunc sic.

41 Si primo modo; in primis eiusmodi scientia non esset media, sed scientia necessaria, utpote ex hypothesi, seu conditione essentialiter connexâ cum condicionato sicut ista: *si dedero Petro auxilium cum scientia mediâ aut visionis de consensu; consentiet*: & ista: *si dedero Petro auxilium, & non dissentit consentiet*: nam illa hypothesis auxilij, & unionis, habet necessariam, & essentialem connexionem cum obedientia mortis præceptæ; sicut essentialem repugnantiam cum inobedientia peccaminosâ. Deinde, quidquid sit, sive scientia illa condicionata Dei sit media, sive sit necessaria, est scientia divina essentialiter vera: ergo supponit aut saltem requirit ex parte sui obiecti veritatem obiectivam conditionatam: scientia enim illa condicionalis vera est, quia obiectum suum ita se habet, aut ita se haberet sub illa condicione, si conditio purificaretur: ergo, ut vera sit illa scientia primo illo modo condicionalis, supponit, aut saltem requirit ex parte sui obiecti, quòd *si daretur huic humanitati auxilium sufficiens ad obediendum, simulque unio hypostatica, liberè obediret*. Videndum ergo est, an hoc sit verum ex parte obiecti? Qui enim dicunt, unionem hypostaticam tollere libertatem obediendi, dicent non esse verum, ac proinde Deum non habere talem scientiam, sed notitiam condicionalem oppositam. Qui autem dicunt, Deum habere talem scientiam condicionalem de obedientia liberâ sub ea hypothesi involvente unionem etiam hypostaticam, non debent id gratis supponere, sed seorsim à scientia illa condicionali reddere rationem, cur salvetur libertas obedientiæ mortis præceptæ cum unione hypostatica: ne respondeant per quæstionem, nevè ponant sub hypothesi illa obiectiva talis scientiæ conditionalis ipsam etiã scientiam condicionalem: ad cuius etiam possibilitatem, aut repugnantiam devolvetur quæstio per inanes petitiones principiorum. Quodnam ergo adminiculum essentiale libertatis ab eiusmodi scientia?

42 Si secundo modo; quænam, precor, ratio liberæ obedientiæ humanitatis Christi habentis defacto unionem hypostaticam, reddi potest ex eo quòd liberè obediret in hypothesi diversâ, imò, & oppositâ, quòd scilicet *liberè obediret. si daretur huic humanitati auxilium sufficiens, seclusâ unione hypostaticâ*. Quæstio est: an ratione unionis hypostaticæ adimatur humanitati libertas obediendi? Alij affirmant; alij negant. Utriusque notum est ex terminis, quòd seclusâ unione hypostaticâ, unio hypostatica non adimeret libertatem obedientiæ: velle autem, ex hac hypothesi excludente unionem, inferre quòd in hypothesi etiam involuente unionem obediret liberè Christus, omninò dissonum est. Quid ergo prodesse poterit scientia Dei de obedientia libera Humanitatis sub hypothesi excludente unionem, pro hypothesi involuente unionem, de qua unione lis est, an sit offendiculum dictæ libertatis, necne? Aut quomodo Deus ex illa scientia sufficienter dirigi poterit ad decernendam obedientiam liberam humanitatis pro casu unionis, in quo versamur? nam illa alia hypothesis huius humanitatis, excludentis unionem, nunquam purificatur. Nec prodest quod dicunt, unionem hypostaticam non immutare modum operandi humanitatis: ideoque non immutare hypothesim quantum ad modum operandi. Certè enim immutat maximopere, cum faciat, ne Deus parare valeat concursũ ad peccandũ humanitati sic unitæ ut benè vidit Heriz. *Heriz.* n.104.

43 Si tertio modo; in primis, neque eiusmodi hypothesis purificabilis est à parte rei: cùm implicet, dari à parte rei hanc humanitatem cum auxilio sufficienti, quin à parte rei detur simul, aut non detur simul unio hypostatica: ergo notitia illa, sive scientia divina obedientiæ liberæ sub hypothesi huius humanitatis cum auxilio sufficienti, præcisim se habens ex parte modi cognoscendi à coexistentia, & incoexistentia unionis, solum cognoscit libertatem pro casu nunquam futuro, nec possibili à parte rei. Quid autem pro casu seu pro hypothesi, in qua de facto humanitas unita Verbo obedivit? in hoc enim casu versamur: nec fuit unquam à parte rei in alio casu humanitas obediens, nisi realiter unita Verbo. Unde notitia præscindens ab isto casu, insufficiens est ad reddendum Deum securum de obedientia libera humanitatis pro isto casu, in quo stat difficultas: solumque sufficere posset, aut pro casu nunquam futuro huius humanitatis non unitæ, aut pro casu impossibili huius humanitatis nec realiter unitæ, nec realiter non unitæ Verbo.

44 Præterea modus iste tertius cognoscen-

noſcendi præciſivus, ut aiunt, ex parte hypotheſis, ſicut præſcindere dicitur ex parte ſuæ hypotheſis, involuentis præciſè hanc humanitatem cum auxilio ſufficienti; ab unione hypoſtatica, quia illam ex parte hypotheſis non attingit; ſic etiam præcindit à prædeterminatione phyſicâ, à viſione beatâ, & ab alio auxilio ſufficiente, quæ ſimiliter adminicula non attingit. Rogo autem: quid, ſi in ſtatu abſoluto non purificetur illa hypotheſis, niſi adiunctâ inſuper humanitati prædeterminatione phyſicâ ad obediendum? Quid ſi, niſi adiunctâ viſione aliqua beatificâ neceſſitante? Quid ſi, niſi ſuperaddito aliquo alio auxilio etiam ſufficiente? Nihil certè obſtante, nihilque conferente ſcientiâ illâ præciſivâ, dicemus nos, ſuperveniente prædeterminatione non liberè obediri: quia putamus prædeterminationes phyſicas officere libertati: & è contra Thomiſtæ, putantes prædeterminationes non officere libertati, dicent liberè obediri: ſuperveniente verò aliquâ viſione beatificâ inevitabili, omnes dicemus, non obediri liberè: quia omnes putamus, eiuſmodi viſionem officere libertati: ſuperveniente autem aliquo auxilio ſufficienti omnes dicemus, adhuc liberè obediri: quia omnes putamus eiuſmodi auxilium non officere libertati.

45 Sic ergo puta, quód nihil obſtante, aut quoad id conferente illâ Dei ſcientiâ, ſuperveniente in ſtatu abſoluto illi humanitati, auxilioque ſufficienti Unione hypoſtaticâ, alij affirmabunt, alij negabunt, obediri liberè iuxta ſententias ſuas circa unionem hypoſtaticam, an officiat, necnè libertati talis obedientiæ. Quæ quidem unio, ſi re ipſa officeit libertati, nequit Deus ſcire evaſuram liberam obedientiam, niſi poſitivè excludat in hypotheſi ſuæ ſcientiæ unionem, ſicut prædeterminationem, & ſi quæ ſunt alia impedimenta eſſentialia libertatis, ut per ſe eſt certiſsimum. Quænam autem hæc ſint, aliũde diſcernendũ eſt iuxta ipſorũ naturas, quin illum, quoad hoc, præſidium haberi poſsit pro creatâ libertate à divina illa ſcientia præciſiva: quæ quidem libertatem creatam non cõſtituit; ſed directivè cognoſcit eſſe ubi eſt, & non eſſe ubi non eſt, ex eo namque quod res eſt, vel non eſt, ſicut aſſeritur eſſe, vel non eſſe, cognitio eſt vera, vel falſa.

46 Ex iis itaque, quæ mihi veriſsima ſunt, & innegabilia, circa doctrinam præſentis ſolutionis, ex capite libertatis, iudicium meum eſt, per doctrinas ſuppoſitas *ſec. præ.* circa naturam huius humanitatis, & huius unionis hypoſtaticæ, ſi ſufficientes ſint, ut unio ſit intrinſecè evitabilis pro libito voluntatis humanæ Chriſti, ſeorſim etiam, aut præciſim, à ſcientia media, eiuſque evitabilitate, ſalvari forté poſſe libertatem mortis præceptæ. Aliter verò, neque cum adminiculo illo ſcientiæ mediæ ſalvandam iri. Quod autem, præiactis omnibus illis ſuppoſitionibus, inſit tali unioni ſuæ etiam intrinſeca evitabilitas pro libito voluntatis, perſuaderi facilè poteſt: quia eo ipſo quòd ea unio, utpote non aliter dabilis, ex natura ſua, ſupponat eſſentialiter ſcientiam mediam obedientiæ talis humanitatis ſub hypoth: ſi cuiuſcũque auxilij ſufficientis; ſupponit etiam eſſentialiter veritatem obiectivam conditionatam, quód talis humanitas ſub quolibet auxilio ad obediendum obediet, non aliter dabilis niſi ex hac obiectivâ ſuppoſitione: quæ ſuppoſitio, ſicut, quia voluntati libera eſt, & abſolutè potens non poni à voluntate, dicit in voluntate poteſtatem impediendi ſcientiam illam mediam de obedientiâ liberè ponendâ; ita & poteſtatem impediendi ejuſmodi unionem, non aliter ponendam, nec ponibilem, niſi ex ſuppoſitione illa conditionatâ obedientiæ. Sicque ſuam quoque diceret intrinſecam evitabilitatem eiuſmodi unio, non minus, ac ſcientia media: per repugnantiam ſcilicet intrinſecam unquam exiſtendi, ſi voluntas humanitatis non eſſet obeditura ſub hypotheſi cuiuſcumque auxilij: & id quidem quamvis per impoſsibile nulla de hoc daretur ſcientia. Unde aut ſalvanda eſt aliũde libertas, præciſim ab eiuſmodi ſciẽtiâ; aut eiuſmodi ſcientiæ præſidium, alioquin utiliſsimum, ad iſtud caput libertatis nullum eſt.

47 Nec iuvat quod ſupponitur *num. 26.* de decreto præfinitivo. Nam de illo idem ſentio, & dico: ſcilicet, ut libertatem ſalvet illæſam, ſuam quoque debere habere intrinſecam evitabilitatem pro libito voluntatis creatæ: ita planè, ut ex natura ſua, præciſim etiam, aut ſeorſim, per poſsibile, vel impoſsibile, a quacumque Dei ſcientia, huiuſque evitabilitate, intrinſecè evitabile per ſe ſit, ſalvanſque libertatem. Quodſi tale non ſit, nec eſſe poſsit ex intrinſecis ſuis, nullius ſciẽtiæ præſidio eſſe poſſet in Deo, quin libertatem tolleret, ut cum Herize ex Vaſquez oſtendo ſuo in loco, ob eamdem rationem, quâ in præſenti uſus ſum.

48 Iam ex capite impeccabilitatis Chriſti non poteſt mihi non diſplicere ſolutio iſta. Nam quæcumque ſit illa libertas, ſeu poteſtas ad inobediendum, quæ dicitur ab Auctore huius ſolutionis manere in hac humanitate Chriſti conſtitutâ cum auxilio ſufficienti, non obſtante, iuxta ipſum, hac unione hypoſtaticâ, eſt poteſtas antecedens

ad

ad peccandum, consequêter impedita quoad actum secundum peccati per unionem evitabilem pro libito talis humanitatis. Vel ergo est potestas ad peccatum coniungendum cum unione: vel ad peccatum, seiunctâ, impeditâ, seu evitatâ unione. Si primum, est potestas ad chimeram coniunctionis extremorum incompossibilium: quæ potestas nequit esse nisi chymerica, ut arguebamus *sec. 2. & 3.* Si secundum: ergo est absoluta potestas antecedens ad peccandum: sicut datur in homine iusto, ut doctrinis ipsis Adversariorum utar: & sicut est in confirmatis in gratia, & in præfinitis ad non peccandum: quæ quidem non est potestas ad peccatum coniungendum cum gratia, sed remotivum gratiæ: nec ad peccatum coniungendum cum confirmatione in gratiæ, nec cum præfinitione ad non peccandum; sed impeditivum, aut evitativum, ne extiterit confirmatio, aut præfinitio. Quænam ergo impeccabilitas adstruitur per hanc viam in Christo, eiusque sanctissimâ, ac Deificata humanitate, quæ non reperiatur in alijs absolutè, & simpliciter peccabilibus?

49 Mihi certè nulla pro Christo meo, eiusque humanitate impeccabilitas satis unquam esse videbitur, quæ omnem omninò non tollat potestatem proximam peccandi, & potentiam ad peccatum, seu quod idem est, ad inobediendum; sive peccato coniungendo in consortio unionis; sive peccato, quo dissolveretur unio; sive peccato, quo unio impediretur, Omnibus enim illis modis eius essentialem, ac singularissimam impeccabilitatem asseruimus *Supra disp. 15. Lumb.* *disput. præceden.* à qua doctrina recedendum non est: quidquid ab ea recessisse videatur cum alijs Mag. Lumbier *quæst. 33. num. 19. 4.* Nec equidem video, quid obsequij sit pugnare contra rei veritatem, & dignitatem Christi pro suæ humanitatis peccabilitate, quam potius à Christo removere quàm longé posit, studendum est.

SECTIO VI.

Solutio Patris Vasquez.

S. Thom. Valent. Moncæo Ragus. Gran. Aldret. Bernal. Lessius. Prapos. Raynau. Haunol.

50 SUmitur ex S. Thom. *quæst 9. de Ver. art. 6. & in 3 dist. 13. quæst. 1. art. 2. & 3. part. quæst. 18. art. 4. ad 3.* Tenent eam Valentia, Moncæus, Ragusa, Granadus, & alij apud Aldrete *disput. 74. sec. 4.* & partim Bernal *disp. 52. sect. 4.* Itemque Læsius, Præpositus, Amicus, Arriaga, Raynaudus, & alij apud Haunold. *cõtr. 1. §. 1.*

51 Qui cum Vasquez *disp. 74. cap. 5. nũ* omninò dissentiente P. Suarez *disp 37. sec. 3. respons. 4.* aiunt, Christum meritorie exercuisse libertatem in operibus etiam præceptis, non obstante essentiali impeccabilitate. Quia, quamvis habuerit præceptum moriendi, ideóque non potuerit omninó nolle mori; non tamen habuit præceptum moriendi tali determinato tempore, ex tali, & tali motivo, & cum alijs circumstantijs relictis citra præceptum in ipsius facultate. Quod sufficere inquiunt ad liberrimam & meritoriam adimplectionem præcepti: quippè posset sic liberè, & citra peccatum non adimplere, sed alio modo, aut tempore. *Vasq. Suar. Amic. Arriag.*

52 Hanc solutionem non satis impugnari posse ait Suarez *vers. Hæc responsio.* Eam ipse non impugno. Quippè, quamvis hac doctrinâ non indigeam pro præcepto moriendi, utpotè ad ultroneam ipsius Christi petitionem impositio, & ad ipsius etiam petitionem dispensabili, ut dicam *sect. 8.* necessaria tamen nobis erit pro alijs præceptis naturalibus, citra Christi petitionem impositis, & indispensabiliter obligantibus. Quapropter potius defendenda nobis est ab aliorum impugnationibus, quas ex Cardinal. Pallavicino, & Elparza urget Haunoldus citat. *Suarj* *Pallavi* *Esparz.* *Haunol.*

53 Dices primò, Sic ergo Christus non exercuit obedientiam in acceptanda morte hic, & nunc, sub circumstantijs, quæ scilicet non cadebant sub præcepto. Negatur consequentia. Nam, quamvis sæpé numeró præceptum non obliget ad hic, & nunc, & sic; adimpletur, & ex obedientia adimpletur, per substantiam operis præcepti, hic, & nunc, & sic exercitam tempore, & modo apto. Nec regulariter operamur aliter ex obedientia, ut quando ex obedientia adsumus sacro diluculo diei festi, potentes differre usque ad meridiem: siquidem tale opus sic exercitum extinguit iam obligationem præcepti, non magis obligantis ad hunc modum adimpletionis, si non ponitur alius, quàm ad alium, si non ponitur hic.

54 Dices secundó. Saltem ergo non redemisset nos Christus merens per mortem quoad substantiam; sed quoad eiusmodi circumstantias, in quibus exercuit libertatẽ: siquidem non illam exercuit circa mortem quoad substantiam: non enim potuit non mori cum præcepto moriendi. Consequentia autem videtur non satis conformis Scripturis contestantibus absolutè meritoriam Christi obedientiam, nostramque redemptionem per eius mortem, ac proinde per

mor-

mortem quoad substantiam. Respondetur, mortem, seu substantiam mortis, posse sumi, vel in esse physico pro separatione corporis, & animæ; vel in esse morali pro libera acceptatione dictæ separationis. Primo modo sumpta, non est formaliter meritoria, sicut nec libera; sed objectivè; benè verò secundo modò. Et hoc secundò modo dicuntur proprijssimè Martyres mereri per mortem etiam quoad substantiam, quia voluntariè, & liberè acceptant mortem pro Christo: quia, quâvis cogantur mori; non tamen sic mortem acceptare; cum hanc ipsam substantiam liberæ acceptationis omittere possint.

55 Hinc distinguo facilè consequens: non redemisset nos Christus merens formaliter per mortem quoad substantiam physicè sumptam, concedo: & hoc modo, neque per circumstantias objectivas: de quo non potest esse quæstio: non redemisset merens per mortem quoad substantiam, moraliter sumptam pro acceptatione mortis formaliter voluntariâ, & liberâ, nego consequentiam: quia ipsam substantiam, & circumstantias huius acceptationis posset omittere non contraveniens præcepto moriendi. Quo fit satis ad Scripturas, quas objicit Esparza: & satius, si mavis, per aliam solutionem adstruēdam *sec.* 8.

56 Urgebis. Non posset hanc etiam formalem mortis præceptæ acceptationem omittere, nisi habendo aliam æquè bonam: ergo non habuisset, nec exercuisset libertatem in moriendo, nisi inter actus æquè bonos, æquè obsequiosos Deo, & æquè meritorios cum necessitate ad alterutrum, & cum omnimoda impossibilitate omnes simul omittendi. Atqui hujusmodi libertas non sufficit ad meritum: ergo sic non salvatur libertas Christi sufficiens, ut nos per mortem meritoriè redimeret. Respondetur concedendo antecedens, & primam consequentiam. Et negatâ minore subjunctâ ex dicendis in Disputationibus de Merito; nego subillationem. Quæ contra hoc opponunt Lugus, & Aldrete, dissolvo suo in loco. Addo hanc difficultatem esse communem: quia sive sequamur hanc solutionem Patris Vasquez, sive non; Christus nullum actum, sive præceptum, sive non præceptum potuit omittere, nisi per alium æquè meritorium, ut dicemus *disp. seq.* & tamen sine dubio meruit. *Lug. Aldret.*

57 Dices tertiò. Quid si omnes etiam prædictæ circumstantiæ temporis, loci, tormentorum, intensionis, & motivi fuissent à Patre præceptæ? Respondetur, juxta præsentem solutionem dicendum esset sine inconvenienti, quòd in eo casu nulla superesset Christo impeccabili libertas. Quid inde? Aut quid certè, si Pater nullam reliquisset libertatem humanitati Christi? Dicendum esset, quòd non mereretur. De facto tamen non sic se gessisse Patrem cum Christo, constat ex *disp. 11. à num. 26.* juxta communem Theologorum sententiam. *Supra disp. 11. sec. 3.*

58 Dixi: *juxta præsentem solutionem.* Nam juxta solutionem aliam, quam amplectemur *sect.* 8. liberùs salvatur etiam in hoc casu libertas Christi circa mortem præceptam, per facultatem petendi, & obtinendi dispensationem.

59 Dices quartò, ex Cardin. Pallavicino, apud Haunoldum *num. 289.* Mors Christo præcepta erat mors, ut meritoria, & quoad substantiam libera: & hoc totum erat sub præcepto: non enim præcepit Deus mortem præcisè, materialiter, & secundum se consideratam, nec ut talem propter se ipsam amabat; sed ut medium idoneum satisfaciendi: ergo omne id, per quod mors ut libera, meritoria, & satisfactoria constituebatur, erat sub præcepto: atqui mors ut libera, & meritoria constituitur juxta hanc solutionem per circumstantias illas, anticipationis, motivi, &c. ergo hæ ipsæ circumstantiæ erant præceptæ: ergo non minùs necessariæ, quàm ipsa mortis substantia. *Pallavi. Haunol.*

60 Respondetur, concesso antecedente, distinguo consequens: indeterminatè, concedo; determinatè, nego. Itaque ad constituendam mortem præceptam, ut liberam sufficit, quòd indeterminatè præciperentur illæ etiam circumstantiæ, scilicet sic, aut sic acceptare: Ad libertatem autem meritoriè, & satisfactoriè exercendam per acceptationem sufficit; quòd in facultate Christi esset sic, vel sic determinatè acceptare, quin contraveniret præcepto sic determinatè non acceptans, dummodo aliter determinatè acceptaret. Minor subjuncta distinguenda similiter est: mors ut libera constituitur per circumstantias illas determinatè acceptas, nego; indeterminatè, & vagè, concedo minorem: & distinguo iterum consequens: hæ ipsæ circumstantiæ erant præceptæ indeterminatè, concedo; determinatè, nego. In ultimâ subillatione supponitur falsum, ipsam scilicet substantiam mortis moraliter acceptæ pro acceptatione, qua de facto Christus illam acceptavit, fuisse necessariam: totam enim substantiam talis acceptationis potuit Christus liberè omittere, obediens præcepto per aliam acceptationem, ut dixi *num. 57.*

61 Dices quintò, ex eodem apud eũ-

dem *num.*291. Quod nobis est necessarió volitum, priùs natura volumus, quàm id quod liberè volumus: quia objectum exercitij necessarij priùs, & validiùs trahit voluntatem, quàm objectum exercitij liberi: sed mori ut sic præcisim à circumstantijs necessarijs erat objectum necessario volitum à Christo juxta solutionem Patris Vasquez: præsuppositâ autem volitione necessariâ mortis ut sic, volitio libera harum circumstantiarum, non addit specialem obedientiæ laudem, quiâ non cadebant sub præcepto: ergo per hanc solutionem non salvatur laudabilis, ac meritoria obedientia Christi in moriendo, & redimendo, circa objectum circa quod versari debebat.

62 Respondetur, in maiori doctrinam contineri universaliter non veram: si enim obiecta volitionis liberæ, & necessariæ simul proponerentur, ut possunt; non est cur non tam citó ferretur liberé volitio libera in objectum suum; ac necessariò in suum volitio necessaria. Quidquid tamen in alijs contingat regulariter, non crediderim in Christo sic contingisse, ut intendit obiectio. Imopotius crediderim, quòd, proposito simul Christo toto illo obiecto mortis præceptæ cum suis circumstantijs non præceptis, elicuit actum, quem posset non elicere, simul acceptans mortem, & tales circumstantias, volendo simul mori, & taliter mori Qui actus fuit strictissima obedientia circa obiectũ cadens sub præcepto; quod obiectũ ex obedientia velle debebat; simulque fuit liberrimus; quia, cùm non teneretur illud taliter velle, scilicet cum talibus circunstantijs, taliter voluit,

63 Præcipuas circumstantias Christo liberas ait Arriaga *disp.* 42. *num.* 44. fuisse acerbitatem, & anticipationem mortis. Unde putat, Christum non defuturum obediẽtię Paternæ, si aliquantò diutiùs mori distulisset: aut si non permisisset tot, & tam graves cruciatus: imò facturum satis præcepto, si se permisisset occidi præcipitatus é monte, ut Iudæi machinabantur *Luc.* 4. Invehitur in has Arriagę cogitationes Esparza ex varijs Scripturæ locis: non tamen satis convincentibus quidquam in contrarium, quamvis mihi faciant verosimilius, mortem crucis fuisse sub præcepto: ex illa enim circumstantia commendat signãter Apostolus Christi obedientiam: *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Et per hæc fit satis ad alia, quæ objiciunt Lumbier *quæst. 33. art. 5. §. 1.* & Gonetus *disput. 21. art. 3. §. 2.*

Arriag. *Luc.* 4. *Esparz.* *Philip. Lumb. Gonet. Bernal.*

64 P. Bernal *disp. 52. sect. 4.* non respuens supra expositam solutionem Patris Vasquez, dicit *num. 44.* per illam satis salvari, quòd Christus in ipso actu moriendi habuerit libertatem sufficientem ad homines liberé redimendos per illum actum, quo mortis præceptũ adimplevit. Dicit tamen *nu. 41.* sic absolutè non salvari, quòd liberé mortuus fuerit, quòd liberé paruerit præcepto moriendi, & quòd liberè nos per mortem redemerit. Iudico tamen, & tria hæc quoque satis salvari per distinctionem mortis quam adhibuimus *nu. 54.* Nam per mortem externé, physicé, & objectivé sumptam, nec formaliter meruit, nec libertatem exercuit, nec satisfactoriè redemit nos; benè verò per acceptationem ipsi formaliter liberam circa mortem objectivam. Eam autem acceptationem, quam Christus de facto habuit, potuit, non obstante præcepto, liberé non habere, tàm quoad sui substantiam, quàm quoad circumstantias, ut ibi explicuimus: hæc autem acceptatio est mors moraliter, meritoriè sumpta, & adimpletio præcepti formaliter voluntaria.

SECTIO VII.

Alia Aliorum Solutiones.

65 Hispanus anonymus apud Haunoldum §. 3. qui, ut conjector, fuit doctissimus P. Nicolaus Martinez, ſæpè à me laudatus in Disputationibus de Attributis, docuit Romæ, præsentem difficultatem solvi satis per actum liberum obedientiæ affectivæ Christi ad præceptum Patris in hunc modum. *P. Nicolaus Martin. Haunol.*

66 Habuit primò Christus complacentiam, & ardentissimum desiderium obediendi in omnibus, quæ sibi à Patre præciperentur. Et hoc quidem habuit libertrinsecé, ut poté ante præceptum. Post hunc affectum habuit, & cognovit præceptum moriendi: quo cognito, fuit vi prioris desiderij necessitatus ad moriendum: nam illud desiderium affectivé obeditivum imperabat mortem, eiusque acceptationem necessariò: & quidem absolutè, purificatâ iam conditione, sub qua voluerat quidquid sibi præciperetur. Aiebat enim, illud desiderium iam fuisse actum virtutis obedientiæ, utpote elicitum ex honestate obediendi: quo satis intelligebat, Christum à primo ad ultimum fuisse liberé mortuum ex obedientia, non obstante, aut ejus impeccabilitate, aut Patris præcepto.

67 Hanc tamen solutionem impugnat Haunoldus dupliciter. Primò: quia contra communem Theologorum, & Fidelium sen-

sum

sum est, quòd actus ille, qui fuit in Christo formaliter liber, & meritorius redemptionis nostræ, præcesserit notitiam omnẽ, qua noverit Christus, se mitti à Patre Redemptorem, qui deberet implere Scripturas de morte sua. Nec credibile est, Christum suam primariam libertatẽ in ordine ad opus redemptionis exercuisse, ut gratis supponit ista solutio, independenter à notitia, qua nosset obligationem suæ Personæ, suæque Incarnationis finem. Quid illi representabat, præter Deum, pro eo signo visio beata, si totum hoc ipsi in Verbo non representabat?

68 Secundò: quia non apparet, quandonam eiusmodi desiderium fuerit elicitum. Unanimis enim Theologorum sensus videtur esse, quòd Christus statim in primo instanti suæ existentiæ noverit, & acceperit præceptum: ergo præcessisse iam debuerat desiderium illud affectivum faciendi quidquid deinceps præciperetur: nam desiderium dicit absentiam rei desideratæ. Sic ergo omnes reliqui actus Christi per totam vitam cadentes sub præcepto cognito non fuissent amplius formaliter in se liberi: nec Christus redemisset nos formaliter meritoriè per voluntatem, & affectum moriendi, quem habuit in cruce. Quod durius sculum est, & fortè inauditum.

69 Alij satis se fecisse difficultati facilè credunt, si dicant necessitatem acceptandi mortem esse consequentem, utpote provenientem à præcepto mortis, quod subsequitur ad libertatem moriendi, & non moriendi: cùm antecedenter ad præceptum stet tota illa libertas cuius operandi modum non immutat præceptum.

70 Ego quidem parum fido his, antecedentijs, & subsequentijs, ad libitum cuiuscumque adoptabilibus iuxta varias explicationes in materia libertatis: quibus, & ipse discipulus irretitus miserè fueram, donec solidiora disquirens, earum insubsistentiam deprehendi, miratus, doctrinas gravissimas, & fundamentales in materia libertatis fieri dependentes quasi à tenui filo à princi pijs infirmissimis, ad voces plerumque puras reducendis pro disputantium arbitratu.

71 In primis namque, si præceptum eiusque obligatio non est pro libito Christi, & impedit essentialiter nolitionem mortis; sive sit antecedens, sive comitans, sive subsequens, tollit é medio libertatem nolendi mortem: ergo per eam antecedentiam, aut subsequentiam non solvitur præsens nodus; nisi potestas, quæcumque Christo insit antecedens ad nolendam mortem pro libito suo; sic eodem modo potestas ad impediendum præceptum Patris, aut evadendam eius obligationem. Antecedens probatur, & declaratur. Quia, si esset potestas ad nolitionem mortis, & non ad impediendum præceptum, eiusvè obligationem, esset potestas ad nolitionem mortis non impedito præcepto, nec eius obligatione: ac proinde ad coniungendam nolitionem mortis cum præcepto mortis, eiusque obligatione: ad quod, cùm sit chymera, nulla dabilis est absoluta potestas antecedens, nec consequens, proxima, nec remota, aut certè eo modo, quo daretur in Christo ea potestas, daretur potestas peccandi: siquidem nolle mortem stante præcepto, & obligatione volendi mortem, est ipsissima transgressio præcepti: atque adeò peccatum ipsissimum.

72 Confirmo. Consensus voluntatis est essentiale impedimentum dissensûs, utpote essentialiter incoexistibile cum dissensu. Et quidem, cùm sit actus secundus voluntatis, non se tenet antecedenter ex parte actûs primi. Certum est tamen, quòd, si Deus quoquo modo, ut potest, affigeret voluntati consensum, ita ut nequiret voluntas se pro libito suo ab illo expedire, non maneret libera ad consensum. Et è contra, complexũ ex scientiâ Dei mediâ de consensu sub hypothesi hûius auxilij, & ex collatione auxilij; prædefinitione consensûs; actus efficaciter imperans Gratia sanctificans; impedimenta sunt essentialia dissensus peccaminosi, utpote cum dissensu essentialiter incoexistibilia; & quidem antecedentia sunt ad actum secundum voluntatis: cuius tamen libertatem minimè lædunt: quia pro libito voluntatis, aut evitabilia, aut amovibilia, sunt. Ergo, quòd impedimentum aliquod essentiale alicuius exercitij voluntatis lædat aut non lædat libertatem, non pensandum est ab antecedentiâ, vel subsequentiâ; sed ab evitabilitate, aut inevitabilitate talis impedimenti pro libito voluntatis.

73 Profectò, quòd homo vinctus sit catenis, sive à capite, sive à pedibus, sive à tergo fune teneatur, sive à fronte impediatur muro, ne fugiat; est nihilominus liber ad fugiendum, si pro libito potest, ea impedimenta amovere; sin autem, liber non est ad fugiendum, sive à capite, sivè à pedibus teneatur, sive ante opponatur murus, sive ponè fune vinciatur. Sic igitur punctum libertatis cum impedimento alicuius exercitij liberi pensandum ex eo est, quòd tale impedimentum evitabile sit pro libito voluntatis, potiùs quàm ex eo quòd habeat se priùs, vel ponè, ante, vel retro. Relege *disp. 6. sec. 9.* *Supra disp. 6.*

74 Preterea, ut morem quoque gerami

ram discurrentibus per eiusmodi antecedentias; in nostro casu præcepti Christo impositi, quod proximè impedit nolitionem mortis non tam est præceptum, quàm cognitio præcepti: siue hæc enim nondum staret obligatio proxima præcepti. At cognitio præcepti, utpotè constitutivè se habens ad libertatem proximam obediendi, habet se antecedenter ad actum secundum obediendi: ergo est impedimentum nolitionis mortis, antecedenter, & non consequenter se habens ad actum secundum illius libertatis: ut doctè prosequitur R. P. N. G. Thyrsus *disp 31 sec. 3.* Non ergo occurrit opportunè difficultati prædicta solutio, nisi fortè recurrat ad alias, quæ, aut præceptum dicunt fuisse Christo potenti impositum pro libito suæ voluntatis, aut eius obligationem pro libito Christi suspensibilem per dispensationem legitimam.

R. P. N. G. Thyrs.

Prudent.

75 Idcircò Magister Prudentius *tr. 3. disp 1 dub. 5. sec. 8.* ait, primam ipsam impositionem præcepti mortis fuisse Christo liberam, utpote ex ipsius Christi optione, & postulatione: per præceptum autem sic impositum non tolli Christo impeccabili potestatem nolendi mori: quippe potuit nolle mori impediendo, ne existisset præceptum: quo impedito, nolitio moriendi nõ esset peccatum. Huius solutionis meminit iam P. Suar *sec. 5 vers. Propter hæc*: illamque impugnat quoad impositionem præcepti ad optionem Christi: sed non satis.

Suar.

76 Duo continet ista solutio. Unum: quòd Christus habuerit præceptum moriendi ad preces, & optionem liberam Christi: aliud, quòd sic saluetur libertas obedientiæ Christi in acceptanda morte.

77 Quoad priorem partem consentiunt contra Patrem Suarez, Pater Aldrete, Uvadingus, & latè Bernal *disp. 52. sec 3.* Et ratio est satis congrua. Cùm enim sanctissima Christi humanitas in primo sui esse cerneret, genus humanũ peccato inobedientiæ lapsum, per vetera sacrificia nõ potuisse expiari, foreq; è divina gloriâ, si per suam mortẽ pro hominibus satisfaceret; non solùm se ad mortem obtulit; sed maioris obsequij ergo, & ad obedientiæ ac humilitatis exemplum præceptum à Patre petijt, & obtinuit: sui sacrificij offerendi. Id quod videtur satis significatum ab Apostolo *Hebr.* 10. ex Davide *Psal 39.* Dixerat, quòd *impossibile est, sanguine taurorum & hircorum auferri peccata*: & subdit de Christo: *ideo ingrediens mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti*: hoc est, ut mox explicat; *holocausta pro peccatis veterа non tibi placuerunt*: utpotè insufficientia pro peccatis; *corpus autem aptasti mihi*: quòd nempe hostiam sufficientem pro peccatis offerre possem. Tunc dixi, *ecce venio*: quasi paratum se Christus exhibens ad immolationem suæ humanitatis in hominum redemptionem; & subdit: *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei*: quasi voluerit, & obtinuerit à Patre legem, seu præceptum moriendi. Quæ verborum acoluthia satis indicat congruitatem rationis à nobis positæ. Non contentus Bernal hac Christi optione circa præceptum mortis, addit *sec. 2.* ex multis SS. Patribus, habuisse optionem etiam circa vitam passibilem, aut impassibilem iuxta illud Hæbr. 11. *proposito sibi gaudio sustinuit crucem*. Quod non satis consequenter dici notat Lumbier ad ea quæ docuerat ipse Bernal *disp. 18. sec. 2.* quòd nempe prævisio hominum peccato, primum Dei decretum fuit de Christo merente miraculosè conservato, aut præ tristitia in horto, aut præ doloribus in cruce. Quomodo enim stat optio vitæ impassibilis post primum decretum de Christo sic patiente? Quidquid tamen de hac parte sit.

Bernal.

Hebr. 11.

Lumb.

78 Quoad posteriorem partem prædictæ solutionis censeo, per illam aliqualem libertatem Christi in acceptandâ morte satis apte salvari, non obstante præcepto sic impositio; scilicet libertatem in causa pro primo illo instanti liberæ postulationis præcepti; non tamen aliam deinceps libertatem in se in actu ipso moriendi per actus exercitos in reliquo vitæ usque ad crucem, nisi denominativè ab illo primo actu. Censeo deinde, hanc solutionem inservire non posse pro libertate in rebus, ad quas Christus obligabatur ex præceptis legis naturalis: quorum utique optio non potuit dari Christo.

SECTIO VIII.

Solutio celebris Cardinalis de Delugo, & aliorum ex facultate petendi, & obtinendi dispensationem præcepti.

Delug.

79 HUius quoque solutionis meminit Suar. ubi supra *vers. Respondent aliqui*; illi non acquiescens. Eam præter Delugo *disp 26. sec. 8.* tenent Bernal *disp. 52. sec. 5.* Aldrete *disp. 76 sec. 5.* Baeza *lib. 1. de Christo figurato cap. 1. §. 12.* Uvading. *disp. 9. dub. 5.* Bertull *disp. 10. de scientia Medin. sec. 6.* Lumbier *quæst. 33. art. 2. §. 3.* R. P. N. G. Thyrsus *disp. 29* & satis communiter Recentiores,

Suar.

Bernal. Aldrete Baeza Uvad. Lumb. Bertull R P N. G. Thyr.

80 Juxta quos liberrimè Christus acceptavit, subijtque mortem, non obstante

strictis-

Digitized by Google

strictissimo præcepto moriendi, ejusque essentiali impeccabilitate. Quia potuit petere, & obtinere à Patre dispensationem præcepti; eáque petitâ, & obtentâ, non mori, quin contreveniret præcepto, evadens licitè eius obligationem, ac proinde salvâ essentiali suâ impeccabilitate. Id quod significasse videtur Christus ipse *Matth.26.* dicens Petro: *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* Quorum scilicet ope possim me à Iudæorum manibus liberare; rogato tamen priùs Patre pro dispensatione in præcepto suo, sicque evitata ad preces meas præcepti obligatione. Et *Ioan. 10. Nemo tollit animam meam à me.* scilicet invito; *sed ego pono eam à me ipso:* id est ex mea libertate: & potestatem *habeo ponendi eam:* & subdit: *hoc mandatum accepi à Patre.* Ubi præceptum Patris de subeundâ morte coniungit cum libera potestate sua moriendi iuxta illud etiâ Isiæ 53. *oblatus est, quia ipse voluit:* Liberè nimirum, non obstante præcepto distinctè impositio: cùm liberè noluerit petere dispensationem, eâque obtentâ, evadere obligationem præcepti, sicque licitè, & citra peccatum non mori.

Matt.26 *Ioan.10.* *Isai.*

81 Ex hac doctrina, satis accommodatâ ad Scripturas sacras, respondetur ad præsentem difficultatem expositam *sec.1. num.2.* concesso antecedente, cum prima, & secunda consequentia, distinguendo tertium consequens: *Ergo eodem ipso modo impotens omittere opus iniunctum sub præcepto*, perstante cum omissione operis obligatione præcepti, concedo; evitata per dispensationem legitimam eâ obligatione, nego consequentiam: quia, evitatâ, seu relaxatâ hoc modo obligatione, omissio operis præcepti non esset præcepti transgressio, sed licita evasio. Et nego absolutè quartam consequentiam. Quia non est necessitatus ad iniunctum mortis opus ex præcepto, qui medio dispensationis licito, sibique facili, potente, obtentâ dispensatione præcepti, honestissimè amovere à se eius obligationem, & sic licitè omittere opus moriendi. Sicque liberrimè, meritoriè, & satisfactoriè mortuus est pro nobis, non solum libertate à coactione; verumetiam libertate à necessitate.

Supra sec.1.

82 Opponunt multa multi. Primò, quòd consequutio dispensationis erat de facto impossibilis Christo: ergo corruit fundamentum huius solutionis. Antecedens probatur: nam de facto habuit Deus nolitionem efficacem non dispensandi, idque Christus benè noverat: ergo erat de facto Christo impossibilis consequutio dispensationis. Respondetur negando antecedens. Ad probationem distinguo antecedens: habuit Deus nolitionem dispensandi, volens quòd Christus dispensationem peteret, nego; habuit nolitionem dispensandi, nolens simul quod Christus dispensationem peteret, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia illa ipsa nolitio Dei fuit à Christo pro libito evitabilis, & impedibilis: quatenus liberè potens petere dispensationem, potuit impedire ne Deus illam illiusque petitionem efficaciter noluisset. Nec obest, quòd præfinierit Deus Christo nolitionem illam petendi dispensationem. Imò iuvat: nam præfinitiones non tollunt libertatem, ut nunc suppono. Nec item obest notitia illa Christi de nolitione Paternâ dispensationis: nam ipsa notitia erat eodem ipso modo pro libito Christi impedibilis, sicut scientia, & præfinitio Dei; ac proinde non lædens eius libertatem.

83 Opponunt secundò. Quamvis ex Christi nolitio libera petendi dispensationem fuerit in se immediatè libera; non tamen volitio moriendi: hæc enim solum fuisset libera in causa: scilicet in ea nolitione libera petendi dispensationem: quia nolitione dispensationis positâ, necessariò sequuta fuisset volitio moriendi. Sic actus efficaciter imperatus voluntatis non est immediatè in se liber, ob eamdem rationem.

84 Respondetur, falsò supponi eam nolitionem dispensationis, & volitionem moriendi fuisse in Christo duos actus. Uno nâque & eodem actu utrumque id præstare potuit Christus: & pro sui intellectûs, & voluntatis eximiâ perfectione credendum est, sic indivisibiliter præstitisse. Itaque, proposito præcepto, non habuit Christus unum actum, quo nollet petere dispensationem, & alium, quo vellet mori; sed unus & idem actus fuit nolitio in se immediatè libera petendi dispensationem, simulque volitio in se quoque immediatè libera subeundi mortem, & adimplendi potiùs, quàm evadendi præceptum.

85 Permisso tamen, quòd essent duo actus, nego quod suppositio unius tolleret immediatam libertatem alterius, ut de actibus imperante, & imperato voluntatis teneo alibi cum Suarez. Nam necessitas illa antecedens actûs imperantis, est quidem necessitas sui non essendi sine imperato; non verò necessitans voluntatem, quominus possit pro libito esse sine utroque, cùm pro suo libito utrumque habeat, & possit se ab utroque expedire. Unde illæsa perstat immediatissima utriusque libertas, ut alibi teneo, &

pro-

Suar. probo cum Eximio Suarez *tom. 3. de Gratia lib. 12. c. 11. à nu. 15.*

86 Illud quod additur, supposito priori actu, *necessariò* sequi posteriorem, distinguendum est: *necessariò*, necessitate non habendi primum sine secundo, concedo: quæ necessitas affici ipsos actus, nec ulla est, nec fuit in voluntate potestas ad habendum primum sine secundo: *necessariò*, necessitate afficiente voluntatem ad illos simul habendos, aut non habendos, nego. In hoc ergo stat libertas illa formalis, ac immediata voluntatis ad utrumque.

87 Opponunt tertiò: quòd sic, actus ille non esset sinceræ obedientiæ, ac proinde non ex obedientia subijsset mortem, & redemisset nos Christus. Respondetur, negando totum. Nam, proposito præcepto mortis, velle potiùs mori ex obligatione præcepti, quàm evadendo eam obligationem non mori, obedientia strictissima est. Nec proinde foret inobedientia non mori; quia lxatâ per dispensationem obligatione præcepti, quamvis nolle mori non esset obedientia, sed alia virtus; non tamen esset positiva inobedientia, sed negativè non obedientia: quia non esset peccaminosè transgredi, sed evadere licitè præceptum: quod in operibus supererogationis alioquin honestissimis, ac meritorijs repetitur. Hinc libertas illa Christi non fuit ad obediendum, & inobediendum; nam hoc esset idem, ac ad peccandum; sed fuit ad obediendū præcepto, aut ad non obediendum, evitatâ obligatione præcepti: ac proinde sine peccato.

88 Opponunt quartò. Quid casu quo præcepisset quoque Pater Christo, quòd nullatenus peteret dispensationem? Respondetur, quòd pro illo casu non inservire posset ista solutio; sed aut recurrendum esset ad aliàm, aut concedendum non mansuram Christo libertatem in acceptannda morte. Cæterùm non versamur in tali casu: nec est fundamentum ad existimandum, sic se gessisse Patrem cum Christo, ut vidimus *disp. 11. sect. 3.* *Supra disp. 11.*

89 Opponunt quintò. Sequi, quòd præceptum mortis impositum Christo non fuit absolutum; sed conditionatum, *nisi dispensetur*. Respondetur, cuncta præcepta positiva, & vota regulariter posse sic dici conditionata ob eamdem rationem: & reducetur lis ad voces: non enim obligant, nisi in illis legitimè nō dispēsetur. Nihilominus hoc, & plura alia præcepta absolutè dicuntur in jure absoluta contrapositè ad alia, quæ speciales important conditiones, præter istam generalem. Notant insuper Aldretæ, & Borrull, aliundè quoque esse, ac debere dici absoluta ejusmodi præcepta: & istud de quo loquimur: quia conditio illa, *nisi dispensetur*, non est conditio, quæ differat, ne contrahatur obligatio, ut est in hoc, & alijs similibus: *præcipio tibi, si venias navis, solvas census*; sed potius est conditio evasiva obligationis jàm contractæ: jam enim præceptum supponitur obligare, & per dispensationem evaditur obligatio, sicut etiam conditio, *nisi præceptum abrogetur*. Hujusmodi autem conditiones non tollunt, quo minus præcepta sint, & dicantur absoluta. Plura Aldrete. *Aldret. Borrull*

90 Opponunt sextò: quòd non posset Christus differre acceptationem mortis ad ultimū instans, pro quo urgeret præceptum: hoc enim erat de morte liberè, ac meritoriè subeundà, utpotè in pretium satisfactorium redemptionis: sed tali præcepto non satisfaceret Christus differens acceptationem ad ultimum instans: ergo non posset sic differre. Probatur minor: nam tunc non liberè, sed necessariò acceptaret: ergo. Probatur hoc antecedens: quia pro illo instanti non posset petere dispensationem: ergo iuxta hanc viam salvandi Christi libertatem per potestatem petendi dispensationem, non liberè tunc acceptaret. Antecedens probatur nam coniungerentur in eo instanti obligatio præcepti, eiusdemque relaxatio: quæ pugnant essentialiter. Si autem in ultimo illo instanti non posset peti dispensatio, nec in alijs potuisset: nam de quolibet ostendi posset esse ultimum pro quo urget obligatio. Si enim Christus non potuit differre acceptationem mortis ad ultimum: ergo præceptum urgebat saltem pro penultimo: ac proinde in penultimo non posset Christus non acceptare ob eamdem rationem: ergo nec penultimum instans esset aptum adimpletioni præcepti: sicque, facto regressu per singula retrò instantia, concludetur, nullum fere aptum ad observandum liberè, ac meritoriè tale præceptum.

91 R.P.N.G. Thyrsus *sec. 3.* non reputat inconveniens admittere sequelam primi antecedentis: inter quam, & alias de alijs retrò instantibus studet operosè dare ingeniosam disparitatem. Annuo tamen Patri Aldrete illam neganti post impugnatas tres responsiones Cardinalis Delugo. Ad probationem sequelæ primi antecedentis, concessâ maiori, nego minorem. Ad probationem minoris, nego antecedens. Ad cuius probationem, nego aliud antecedens: posset enim pro illo etiam ultimo instanti petere dispensationem præcepti: non quidem coniungendam cum obligatione præcepti, sed evitatâ *R. P. N. G. Thyrs.* *Aldret.* *Lug.*

obli-

obligatione: quemadmodum in instanti,quo fit consensus, potest voluntas ponere dissensum; non quidem coniunctum, aut coniungendum cum consensu,sed impedito consensu, qui liberè fit: per simultatem, ut alijs terminis dici aptè solet, potestatum, quæ non opponuntur inter se, nec cum dissensu; non per potestatem simultatis dissensus cum cõsensu, quæ simultas repugnat, ideòque ad illam nulla unquam est, nec fuit, nec potest esse potestas. Hinc ad probationem illius antecedentis, nego,quòd perinde coniungerentur in eo instanti obligatio præcepti,eiusque relaxatio, aut dispensatio: ea enim coniunctio,seu simultas impossibilis esset,sed coniungerentur obligatio præcepti, & potestas obtinendi eius relaxationem, aut dispensationem; quæ coniunctio minimè repugnans est: aut esset similiter repugnans potestas dissentiendi in instanti, quo consentimus, & è contra, & nunquam ageret liberè voluntas: quia non agit nisi in instanti, quo consentit, aut dissentit. Per quæ respondetur expedite ad ea, quæ contra Patrem Aldrete obijcit R. P. N. Thyrsus *nu.6.*

R.P N. G Thyrſ.

92 Qui tamen urget iterum *nu.7* Quoties rei conservatio pendet à liberâ Dei voluntate, vel à determinatione liberâ alterius agentis, non potest intelligi res priùs conservata, quàm talis voluntas, seu determinatio intelligatur existens: ducunque à tali voluntate, & determinatione præcinditur in quocumque signo, præscinditur quoque à rei conservatione. Atqui præceptum mortis Christo impositum, quamvis absolutum sit, utpote nullam conditionem expectans, ut incipiat obligare,nec pendeat in primo sui existentia à libera Christi voluntate; tamen ad sui deinceps conservationem in statu obligandi imbibit tacitam conditionem: *si Christus non petat dispensationem*; ideòque pendet in ea sui conservatione à voluntate,& determinatione Christi non petendi dispensationem:ergo non potest positivè intelligi cõservatum obligans pro aliquo instanti, donec intelligatur positivè existens voluntas Christi non petendi dispensationem pro eo instanti.

93 Respondetur, totum hunc syllogismum doctissimè efformatum,esse mihi verissimum; nostram tamen responsionem minimè ferire. Quippè non negamus, pro eo instanti conservationis præcepti, eiusque obligationis, non esse debere Christi voluntatem, seu determinationem non petendi dispensationem. Quod dicimus est, cum ista determinatione,stare simul in eodem instanti potestatem petendi dispensationem: quæ potestas non opponitur determinationi non petendi dispensationem, & sufficit ad constituendam pro eo instanti libertatem petendi dispensationem: ac proinde non obest libertati obediendi, ac moriendi liberè, & meritoriè.

94 Opponunt octavó. Potuit Pater negare Christo dispensationem, quam peteret: quâ negatâ, peccaret Christus detrectando mortem: ergo per potestatem petendi dispensationem non satis protegitur libertas Christi impeccabilis in acceptanda morte. Respondetur, totum fore verum, si præterea non sciret Christus Patrem non negaturum dispensationem, ipsi petenti. At id sciebat, ut constat ex Scripturis attestantibus Patris præceptum,& Christi libertatem: & præsertim ex illo *Matt. 26. & Ioann.* 10. quod expendimus *num.*70. Quâ notitiâ suppositâ, in manu sua habebat Christus dispensationem obtinere,quia habebat petere: ac proinde,& nolle mori citra peccatum.

95 Dices. Si ita erat in manu Christi dispensationem impetrare nõ dixisset *Matt.* 26. ad Patrem; *Si possibile est, transeat à me calix iste*: cùm sciret, id esse sibi, & Patri facillimum, etiam supposito præcepto, mediâ scilicèt dispensatione. Respondetur, sensum ex Maldonato esse debere: *si possibile est*; puta, si componi potest cum præcepto, & cum decreto tuo de eo quód potiùs obediam, quàm petam dispensationem. Cum quo decreto, quantumvis præfinitivo non petitionis dispensationis, rectè stare potestatem,& facilitatem eam petendi,jam vidimus ex alibi dicendis circa possibilitatem divinarum Præfinitionum. De ea recusatione Calicis, quomodo stet cum perfectissima conformitate voluntatis Christi cum divina diximus *disp.prec.n.76.*

Matt. 26.

Mald.

Supra disp.15. sec.4.

96 Opponunt tandem: quòd hoc modo inutile fuisset tale præceptum,utpote nullam afferẽs veram obligationem: inanis enim est obligatio moriendi, quâ positâ, perinde poterat Christus non mori, ac si ea obligatio non extitisset. Respondetur negando sequelam. Nam Pontifex veram habere potest obligationem voti,cuius dispensationem habet in manu sua. Non ergo proinde inutile fuit tale præceptum: imò utilissimum ad ostendendum supremum Dei dominium, Christique subiectionem, & ad exhibendum nobis præclarum strictæ obedientiæ exemplum. Nec illa obligatio fuit inanis: nam, illâ seclusâ, liceret Christo non mori, nullâ petitâ dispensatione;postea verò non nisi humiliter dispensatione petitâ, & obtentâ: in quo,& Patris auctoritas, & Christi subiectio re-

relucent ; ſicut Chriſti obedientia in ſubeundâ morte , liberè non petitâ diſpenſatione.

97 Nec putet aliquis imperfectam propterea obedientiam Chriſti ; ad quam extollendam adſtruitur præceptum ; eo quòd imperfecta obedientia illa videatur eſſe , in qua Superior ſe accommodat voluntati ſubditi. Reſpondetur enim, tunc obedientiam eſſe imperfectam, quando in iniunctione , aut in executione rei præceptæ trahit ſubditus voluntatem Superioris ad ſuam ſollicitus , ut illud ſibi præcipiatur, quod ſibi potiùs, quàm Superiori placet : quod longè ſunt à Chriſto perfectiſsimè obediente iuxta beneplacitum Patris. Quòd enim ſubditus, dum actu ſe Superioris voluntati conformat , potens aliquin trahere ad ſe voluntatem Superioris evadendo obligationem præcepti , ita ſe voluntati Superioris conformet , ut non utatur eâ facultate evadendi obligationem, ſed potiùs eligat eam adimplere , uſque ad mortem , ut fecit Chriſtus; non deprimit, ſed extollit perfectionem obedientiæ.

98 Dices: hinc ſequi , fore ſaltem imperfectionem moralem, ſubducere ſe Chriſtum ab obligatione præcepti petendo diſpenſationem: ſed eamdem repugnantiam habebat Chriſtus cum imperfectione morali, ac habebat cum peccato , ut vidimus *diſput. præced. ſec. 3.* ergo non habuit poteſtatem petendi diſpenſationem : cùm non habuerit poteſtatem ad imperfectionem moralem, qualis eſſet illa petitio : ratione cuius fieret Chriſtus dignè reprehenſibilis, quaſi ſubditus moraliter imperfectus. Reſpondetur, negando ſequelam maioris : & conceſsâ minori, negando conſequentiam : & quòd ea petitio diſpenſationis eſſet moralis imperfectio. Nec enim eſſet contra præceptum, nec contra conſilium divinum: cùm Deus Chriſto, undequaque digniſſimo dederit pro conſilio quidquid ſalvis præceptis vellet pro ſanctiſsimo ſuo libito eligere , ut ex P. Bernal vidimus dictâ *ſect. 3.* *Supra diſp. 15. ſec. 3.*

Supra diſp. 15.

SECTIO IX.

Reſolutio noſtra circa propoſitas Solutiones.

99 POſtrema hæc ſolutio per liberam Chriſti Domini facultatem petendi, & impetrandi ſibi diſpenſationem præcepti de ſubeundâ morte, plenior, & planior mihi videtur ad conciliandam, ac defendendam Chriſti Domini libertatem cum eſſentiali ipſius impeccabilitate, & cum impotentiâ etiam ad imperfectiones morales , non obſtante divino præcepto moriendi. Ideòque illam ſemper amplexus ſum : nec eſt quod me ab illius ſoliditate dimoveat.

100 Cui, ſi addatur optio illa data Chriſto quoad impoſitionem etiam dicti præcepti iuxta ſolutionem aliam expoſitam *ſect 7. n. 67. & 68.* ſatis fundatam in ſacris Scripturis; ſalvabitur per utramque ſimul in Chriſto exteriior libertas moriendi: cùm non ſolum habuerit in ſua manu evadere deinceps obligationem præcepti mediâ diſpenſatione ; verum etiam habuiſſe, aut non habuiſſe pro libito ſuo præceptum moriendi, quo ad primam etiam impoſitionem.

101 Quoniam verò hæ ſolutiones inſervire non poſſunt quoad alia præcepta naturalia omninò indiſpenſabilia, & non ad libitum impoſita , ſed ex neceſſitate naturæ rationalis ; idcircò ad conciliandam Chriſti libertatem cum eius impeccabilitate, & cum dictis præceptis naturalibus indiſpenſabilibus, neceſſe iudico pro illis recurrere ad ſolutionem Patris Vaſquez, expoſitam , ſufficienterque propugnatam *ſect 6.*

102 Alias autem ſolutiones, quantumvis doctiſsimas expoſitas *ſect. 3. 4. & 5.* probare non poſſum, ob rationes , quibus eas ſuis in locis impugnatas reliquimus.

DIS-

Digitized by Google

DISPUTATIO XVII.

DE

MERITO, ET SATISFACTIONE CHRISTI.

1 POST causas, & principia operationum Christi sequuntur recta methodo operationes. Hæ sunt præsertim Meritum, & Satisfactio Christi; aliaque media, quibus nostræ Redemptionis opus perfecit. Quas; quia difficultates continent affines, in hac Disputatione coniungo.

SECTIO I.

Quodnam fuerit in Christo principium. Quod proximum Meriti, & Satisfactionis.

Suar. S.Thom. 2 P. Suarez *in Commen. ad art. 2. quæst. 26.* videtur asserere cum S. Thom. principium proximum *quod* Mediationis, ac proinde Satisfactionis, & Meriti Christi, fuisse Suppositum Verbi. Sicque docent etiam Uvading. *disp. 2. dub. 3.* & alij. *Uvadin. Vasq. Bernal. Laur.* E contra verò P. Vasquez, & alij, quos sequitur Bernal *disp. 7. sec. 2.* malunt, fuisse humanitatem; Suppositum verò non nisi remotè, & per communicationem idiomatum. Sic etiam Cardin. de Lauræa *disp. 9. art. 2. à num. 38.*

Lumb. 3 Magister Lumbier *quæst. 11. art. 6.* ait, principium proximum *quod* fuisse Christum, sive complexum ex humanitate, & Verbo. Quia, inquit, meritum, & satisfactio dicunt ex una parte effici, & ex alia dignificari illud priùs proximè, & specialiter est ab humanitate exercente se formaliter vitaliter liberè, per suos actus creatos, qui fuerunt meritum, & satisfactio. Istud verò posterius proximè, & specialiter est à dignitate increatâ Verbi, quæ de formali se habet ad condignificandos illos actus creatos, quamvis illos vitaliter efficere solùm habeat per communicationem idiomatum. Ergo Suppositum Verbi est principium proximè condignificans in genere quasi causæ formalis, & humanitas, principium proximum physicè vitaliter, ac liberè efficiens eorumdem actuũ, non autem Verbum; quod, quamvis efficienter immediatè ad illos concurrat, influxu scilicet communi Trinitati, non tamen per illos formaliter liberè operatur, nec vivit. Unde principium Satisfactionis proximum, adæquatum ex efficiente, & ex condignificante, est, inquit, complexum ex humanitate, & Verbo, nempè Christus.

4 Itaque ex ijs propositionibus: *Christus, ut Deus, satisfecit, mediavit, & meruit: Christus, ut homo, satisfecit, mediavit, & meruit: Christus, ut Deus simul, & homo, satisfecit, mediavit, & meruit;* hæc tertia, iuxta hanc sententiam, est in sensu magis adæquato, & proprio: quia complectitur utrumque principium proximum satisfactionis, & meriti, scilicet effectivum, & condignificativum. Duæ autem priores possunt intelligi, & explicari satis aptè secũda de principio proximo vitaliter, ac liberè effectivo, reduplicatione cadente supra humanitatem; & prima de principio proximo condignificante, reduplicatione cadente supra Suppositum Verbi.

5 Sic conciliari videntur variæ Scripturarum, & Sanctorum loquutiones: ut illa 2. Corinth. 5. *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi:* quæ facit pro Patre Suarez: & alia 1. Cor. 5. de Christo: *factus est nobis sapientia à Deo, & sanctificatio & redemptio:* qua videtur indicari pro Patre Vasquez, Christum, ut hominem, operatum fuisse redemptionem: cui consonat alia, qua de Christo, ut homine, dicitur vicisse mundum, & fuisse Redemptorem apud S. Tho. *quæst. 26. art.* *2. Cor. 5.* *1. Cor. 5.* *S. Thom.*

art. 3. qui addit, munus Redemptoris ad divinitatem remotè pertinere. Possunt, inquit, conciliari dicendo, Paulum in prima loqui de principio reconciliativo per modum cõdignificationis valorantis actus tali factorios, & meritorios, quibus Christus nos Deo reconciliavit. Quòd si adhuc contendas veram esse de principio liberè effectivo, intelligit verificari remotè & per communicationem idiomatum, sicut dicitur Deus pati, & esurire. Alias autem intelligit de principio liberè affectivo proximo: in quo sensu non conveniunt reduplicativè Verbo, sed humanitati.

6 Explicativè verum tenet ista sententia media; cùm certum omnibus sit, humanitatem, ac proinde Christum, ut hominem, esse principium liberè effectivum suorum meritorum; & Verbum, ac proinde Christum, ut Deum, esse principium condignificatum. Nec est dubium, an Christus, utrumque id includens constitutivè sit principium *quod* satisfactionis, & meriti; hoc enim est etiam certum.

7 Difficultas est: an absolutè satisfacere, & mereri dicatur directè de Christo, ut homine; an de Christo, ut Deo. Et in hoc sensu existimo loquendum cum P. Vasquez, & dicendum, principium *quod* proximum satisfaciens, & merens, esse humanitatem; & ratione humanitatis dici Christum merentem, & satisfacientem. Nam elicere liberè eas operationes meritorias, & satisfactorias, est satisfacere, & mereri: hoc autem est humanitatis proximè, & absolutè; & quamvis ad hoc requiratur condignificatio à Verbo, condignificare non est absolutè satisfacere, nec mereri; non enim gratia, quæ condignificat opera nostra, meretur, nec satisfacit; sed principium liberè eliciens ea opera, sic condignificata. Alioquin certè non invenio, quâ ratione Christus, non *ut Deus*, sed ut homo, sit Sacerdos, Mediator, servus, minor, obediens, orans, obsequens: hoc enim ipsum est, esse satisfacientem, & merentem, ut expendit benè Bernal cit. pro Vasquez; quod de Christo non dicitur, nisi secundum naturam humanam; & de Verbo, aut de Deo nequit dici, nisi per communicationem idiomatum, sicut pati & mori.

8 Objiciat aliquis pro Patre Suarez axioma tritum: *Actiones sunt suppositorum*; sumptum ex Aristotele, & admissum à Concilio Florentino, quo approbante, eo usus est ibi Ioannes Theologus. Ergo satisfactio, & meritum, quæ fuerunt actiones Christi, tribuendæ sunt absolutè, quasi principio proximo, Supposito Verbi, & non naturæ humanæ Christi. Respondetur in primis, apud Aristotelem non dici, *suppositorum*; sed *singularium*. Quòd si Ioannes ille Theologus allegavit *suppositorum* apud Cõcilium; non proinde id sic approbasse Concilium credendum est, quamvis approbaverit conclusionẽ, quam ex illo, & ex alijs fundamentis inferebat Ioan. Theologus. Sic ex Vasq. R. P. N. Thyrsus *disput. 30. sec. 6. num. 29.* *Aristot.* *Florent.* *Ioann. Theol.* *Vasq. R P N. G. Thyrs.*

9 Respondetur secundò, concesso toto antecedenti, non satis benè inferri consequentiam: Nam, ut actiones humanitatis Christi tribuantur supposito, sufficit quòd illi tribuantur, ut principio proximo illas condignificanti, & dirigenti: quod non tollit, quominùs principium proximum liberè elicitivum, per illas absolutè merens, & satisfaciens, sit humanitas. Addit rectè Card. Delugo, & est tota solutio, quòd aliud est actiones tribui supposito, illudque quoquo modo denominare, quod sufficit pro Ioanne Theologo, & verificatur, quamvis non proximè, & immediatè oriantur à supposito contradistincto à natura; aliud est, ita esse à supposito, ut non sint proximè à natura eiusdem suppositi: quod quidem falsum est, nec è mente Ioan. Theologi. Certè actiones ad extra tribus Personis tribuuntur, quamvis immediatissimè fiat à Natura divina, ut à principio proximo. *Delug.*

SECTIO II.

An actiones humanæ Christi sint Meriti, & valoris meritorij simpliciter infiniti.

10 Dixi: *Actiones humanæ*; non enim loquimur de actibus increatis Verbi communibus Trinitati, quibus ratio meriti convenire non potest; sed de actibus voluntatis liberis creatis Christi. Hi namque dicuntur propriè à Theologis cum S. Thom. actus humani, & verè meritorij: & in Christo, qui Deus simul, & homo est, dicuntur operationes Theandricæ, *Deiviriles*, seu *Divino humanæ*. *S. Thom.*

11 Communis, & omninò tenenda sententia concedit actionibus Christi Theandricis prædictam infinitatem simpliciter in ratione satisfactionis, valoris moralis, & meriti. Sic S. Thom. & Thomistæ communiter apud Illustrissimum Godoy. Suar. *disp.* 4. Vasq. & Meratius *disp.* 6. Martinon *disp.* 11. Conine latè *disp. 3. dub. 8.* & communiter etiam nostri, quos sequitur Lumbier qu. 11. Cardinalem Delugo non satis intelligo, di- *S. Thom.* *Godoy.* *Suar.* *V. Sq.* *Merat.* *Martin.* *Conine.* *Lumb.*

Lug. dicentem *diſp.6. num.14.* merita Chriſti habere valorem ſimpliciter infinitum: hoc eſt, eſſe digna omni præmio excogitabili; non tamen eſſe ſimpliciter infinita in ratione meriti. Nonne meritum Chriſti includit illum valorem? Quem ſi non includit, unde fiunt omni præmio digna? Quod autem affert pro ſe Lugo ex Peltano, nihil aliud videtur evincere, niſi quod ex doctrina Patris Suarez diſtinguemus *nu.*8.

Peltan. Suar.

12 Probatur concluſio multiplici teſtimonio Scripturæ & SS.Patrum apud Suarez, & Godoy. Sufficiat nobis Clemens 6. *in Extravag. Vnigenitus*, dicens: *Chriſtum ſuis meritis acquiſiviſſe infinitum Theſaurum hominibus: nec formidandum eſſe, ne exhauriatur, nec minuatur, propter infinita Chriſti merita: cuius quidem una gutta ſanguinis propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis ſufficeriſſet.*

Suar. Godoy. *Clem.6. Extrav. Vnigenitus.*

13 Reſpondent Scotiſtæ cum Cavellio *in Scholijs*, & Lauræa *loc cit.* inde ſolùm inferri, merita Chriſti eſſe infinita; non quidem intrinſecé, & in ſe, ſed extrinſecé, & in acceptatione Dei, ſic ea acceptantis, ut quãcumcumque homines ijs utantur, exhaurienda nunquam ſint. Sed in primis iſta reſponſio reſiſtit proprietati verborum, abſolutè dicentium, merita Chriſti eſſe infinita, & infinitum eorum theſaurum; indequé inferentium acceptationem ad omne præmium. Auctores autem reſponſionis é contrario diſcurrũt, dum dicunt, merita intrinſecé, & in ſe finitum eſſe theſaurum, quamvis acceptentur à Deo infinitate quadam extrinſecâ ad omne præmium. Deinde reſiſtit menti Pontificis intendentis, theſaurum meritorum Chriſti, utpotè infinitum, nec exhauriri, nec minui poſſe; theſaurum verò meritorum purarum creaturarum poſſe minui, & additione ulteriorum meritorum adaugeri denuò debere, né exhauriantur: ergo ſic loquens de infinitate, & inexhauribilitate meritorum Chriſti, agit de infinitate, & inexhauribilitate intrinſecâ; ſicut de exhauribilitate, & finitate intrinſecâ, quando loquitur de meritis aliorum Sanctorum, quæ dicit, per nova merita debere adaugeri, & non præcisé per novam Dei acceptationem.

Cavell. Laur.

14 Præterea ſic argumentor. Ea acceptatio ſupponere debet in opere meritorio æqualitatem aliquam moralem intrinſecam cum præmio, pro quo condignè acceptatur; alioquin, cur nam meritum hominis puri nõ acceptaretur, aut poſſet acceptari à Deo ad omne præmium de condigno? ſicque eſſet meritum infinitum extrinſecé in acceptatione Dei; ſicut dicit iſta reſponſio de merito Chriſti: quod tamen non niſi abſurdé diceretur. Igitur, quia meritum Chriſti, utpotè Perſonæ infinitæ, præ merito puri hominis, in ſe, & intrinſecé habet ſpecialem infinitatem, & non ſolùm extrinſecam in acceptatione Dei ad quodcumque præmium.

15 Inſuper. Si actus Chriſti meritorij, & ſatisfactorij non eſſent in ſe valoris ſimpliciter infiniti, ideò eſſet, inquiunt Scotiſtæ, quia non creſcunt à dignitate Perſonæ infinitæ arithmeticé in ratione valoris; ſicut neque offenſa in ratione gravitatis à dignitate infinita Dei offenſi, ut diximus *diſp.8. à ſec. 6.* At ex hoc ipſo redarguuntur ſic. Ex eo quód offenſa in ratione gravitatis non creſcat arithmeticé ab infinitate Dei offenſi, poſſet iuxta Scotiſtas ſatisfactio puræ creaturæ, exæquare gravitatem offenſæ: ergo quia valor meritorum Chriſti non creſcit arithmeticé infinitè ab infinita dignitate Perſonæ Chriſti, poſſet meritum Chriſti exæquari à merito, vel ſatisfactione puræ creaturæ in eſſe valoris, & à gravitate offenſæ in eſſe iniuriæ. Unde poſſet meritum Chriſti ſic exhauriri à finitis hominum offenſis, ut non eſſet ſufficiens ad compenſationem pro alijs: quod tamen non concedent Scotiſtæ, utpotè oppoſitum é directo auctoritati Extravagantis Clementis 6. & ſuperabundantiæ ſatisfactionis, & meriti Chriſti pro quibuſcumque offenſis in infinitum.

Supra diſp.8.

16 His tamen non obſtantibus, oppoſitam ſententiam negantem actionibus Chriſti eam infinitatem in ratione valoris, & meriti tenent Scotus, Durandus, Gabriel, & Rada apud Conine cit. Itemque Almaynus, Medina, & Caſtillo apud Godoy cit. ſequiturque noviter Eminentiſſimus Lauræa ubi ſupra: nec in re diſſentit Bonæſpei. Ex quibus.

Scot. Durand. Gabr. Rada. Almain. Medin. Caſtill. Laurea. Bonaſp.

17 Obijcitur primò, Actiones humanæ Chriſti ſunt quid creatum, & finitum, utpotè productæ à voluntate, Gratiâ, & habitibus Animæ Chriſti ſimpliciter finitis: ergo non ſunt valoris ſimpliciter infiniti in ratione meriti, & ſatisfactionis. Reſpondetur, negando conſequentiam. Nam ex antecedente ſolum fit, eas actiones eſſe finitas entitativè, & in eſſe phyſico, quód ultrò fatemur; non autem æſtimativé in eſſe morali. Valor autem meritorius, & ſatisfactorius, quo de loquimur, eſt effectus moraliter penſandus, & æſtimandus ex variis circumſtantijs, præſertim Perſonæ merentis, à cuius dignitate creſcit ſine dubio ratio obſequij: eadem enim actio phyſica adorandi Pontificem, quam exhibet homo privatus, eſſet multò ma-

Supra disp. 8. sec. 8.

maioris obsequij, si factus esset Rex. Quemadmodum ergo diximus *disp. 8. num. 80.* aliquos actus increatos Dei, quamvis in esse physico sint infinitissimi, æstimari tæpé moraliter proportionaliter ad bonum, vel malum finitum, quod causant; sic é diverso actus Christi, quamvis in esse physico finiti sint, in esse tamen morali æstimantur, ut infiniti valoris: non quia ipsi sint infinitus valor, aut quia infinitus valor ipsorum oriatur, sicut ipsi, à suis causis physicis; sed quia in modo suo oriendi à suis causis denominantur infinitè valorati à forma, vel quasi forma infinita, nempè à dignitate Personæ infinitissimæ. Variis instantijs contra hanc responsionem fiet satis *sec. seq.*

18 Obiicitur secundó. Bonum velle creatum Christi non est tam bonum, tamque placens Deo, quàm velle ipsum increatum Dei: ergo illud bonum velle Christi, quod est actio creata Christi, non est summum: ac proinde, nec simpliciter infinitum iuxta explicationem simpliciter infiniti à nobis datam *disp. 8. n. 95.* Respondetur ex Suarez *sec. 4* quòd aliud est in actu bonitas intrinseca, seu, ut ita dicam, virtuosa, stans in tali tendentia da obiectum; aliud est valor meritorius, & satisfactorius, sumptus utique à multis alijs circumstantijs ex morali æstimatione: qui valor est alia bonitas respectiva ad præmium consequendum: ut videre est in actu contritionis hominis iam iusti, & hominis se per illum disponentis ad iustificationem: quippè in utroqee est æquè bonus, æquè intensus, ejusdemque virtutis, non tamen æqué valorolus meritoriè; cùm in uno, & nõ in alio sit condignè meritorius gratiæ: sic etiam actus temperantiæ hominis iusti, est minùs bonus, & magis meritorius, quàm actus religionis peccatoris. Ex his ergo in forma ad obiectionem, distinguo antecedens: bonum velle creatum Christi non est tam bonum, ac velle increatum Dei, bonitate illa intrinseca, & virtuosa, concedo: bonitate aliâ respectivâ ad præmium, & meritoriè valorosâ, nego antecedens, aut potius suppositionem, quòd velle increatum Dei, cui nempè repugnat ratio obsequij, & meriti, sit bonum in hoc genere bonitatis ipsi repugnantis. Unde nego absolutè consequentiam: nam in hoc genere bonitatis obsequiosæ bonũ velle Christi est summum, cùm nec à bono velle Dei excedatur.

19 Urgebis. Si Deus, aut Christus ipse mereretur per actum, sive per velle increatum, magis mereretur, quàm per velle creatum: ergo meritum Christi per actum, seu per velle suum creatum non est in ratione meriti simpliciter infinitum. Negant aliqui antecedens apud Godoy *num 13.* quia eusmodi Christi actus etiam creati, cùm sint actus obsequiosi Personæ Divinæ, moraliter æstimarẽtur in ratione meriti æquè, ac ipsum velle increatum Dei quoad aliquos effectus morales: quippè ut tales importãt ipsam Dei dignitatem illos valorantem summè ad omne præmium. Ipse Godoy concedit antecedens, & negat consequentiam, tatus, de ratione simpliciter infiniti participativi, quale est meritum Christi, non est non excedi ab infinito per essentiam, quale esset in eo casu in ratione meriti bonum velle increatum Dei. Mihi magis placet alia ratio negandi consequentiam: quia nempè non est de ratione simpliciter infiniti non excedi ab alio in casu impossibili, quod aliud esset maius: dummodo ista majoritas reverà impossibilis sit, & chymerica. *Godoy.*

20 Obiicitur tertiò. Non est meritum simpliciter infinitum illud, cuius valor meritorius exhauriri, vel per aliud meritum impediri potest. Sed vis, aut valor meritorum Christi exhauriri potest, per præmium videlicet alterius unionis hypostaticæ ad Personam Patris, aut si compensaretur per obsequia alterius Christi; poteritque similiter vi alterius meriti impediri; si nempé alter Christus oraret in contrarium, ut impediretur præmium meritorum istius Christi: ergo quæ meritum istius non est simpliciter infinitum. Respondetur negando minorem. In primis quoad exhauribilitatem: quia falsum est, quòd compensari adæquatè posset præmio alterius unionis, aut per obsequia alterius Christi, ut videbimus *sec. 3.* Deinde quoad impedibilitatem: nam ille casus, in quo impediretur, impossibilis est: nam enim, nisi inepté sic discordarent duo illi Christi. Quòd autem in casu dumtaxat impossibili sint fingitur, absolutè fieri non potest.

Supra disp. 8. sec. 9.

21 Addo ex Esparza *quæst. 11. ad 9.* quòd, sicut non est contra infinitatem meriti Christi manere sine præmio, Deo sic volente; ita neque obsistente alio merito similiter infinito, ut in casu supposito. Proinde namque non tollitur quòd valor meritorius Christi non exæquet in actu primo æstimabilitatem cuiuslibet præmij, quamvis ab extrinseco impediretur cõsequutio alicuius præmij in actu secundo: sicut de facto impeditur ab extrinseco cõsequutio aliquorũ præmiorũ, quæ tamen exæquantur sine dubio per valorem meritorum Christi. Ulteriùs addo, non esse contra infinitatem unius parem infinitatem alterius: unde in eo casu impediri vim meriti Christi ab alia vi meritivâ pariter infini- *Esparza.*

finitâ, alterius Christi, non esset illius meritum esse inferius, nec deficere à sua infinitate, sed exæquari ab infinitate pari: quæ exæquatio sufficeret ad suspendendam exequutionem præmij: non quia alter magis meretur suspensionem, quam iste exequutionem præmij; sed quia iste non magis meretur exequutionem, quàm alter suspensionem, per mutuam scilicet quasi collisionem duorum meritorum pariter infinitorum.

22 Objicitur quartò, sequi, quòd Christus plus potuisset mereri, quàm Deus potuerit præmiare: ac proinde potuisse mereri aliquid impossibile: quod est implicatorium: ergo, & quòd meritum Christi sit simpliciter infinitum. Sequela probatur: quia esse simpliciter infinitum est esse condignum omni præmio possibili assignabili, & ultra: præmium autem ultra possibile, nequit esse nisi impossibile.

23 Respondetur negando sequelam. Circa cuius probationem notat benè Coninc *num* 163. ex eo quòd dari nequeat præmium æquivalens meritis Christi, non sequi, Christum meteri posse plura, quàm Deus possit dare; sed merita Christi habere vim merendi maiorem omni præmio possibili, quin perinde mereatur impossibile quod nequit dare Deus. Sic ex eo quòd totus cumulus creaturarum non sit terminus adæquatè æquivalens divinæ Omnipotentiæ, nõ sequitur, Omnipotentiam posse producere aliquid impossibile, aut aliquid præter id quod est possibile; sed vim productivam Omnipotentiæ esse maiorem, & quidem infinitè maiorem, ac perfectiorem quocumque, omnique effectu possibili. Neque ex eo quòd merita Christi habeant infinitum valorem inexæquabilem à præmio, sequitur, esse maiora in virtute meritivâ, quàm sit Omnipotentia in virtute productivâ: sicut nec Omnipotentia exæquatur à cunctis effectibus producibilibus, quibus utique semper est infinitè maior, ac perfectior, quin perinde extendatur ultra possibilia. Enimverò, si à termino dumtaxàt metienda esset perfectio Omnipotentiæ, non arguetetur simpliciter infinita. Itaque, sicut virtus Omnipotentiæ productiva formicæ est etiam á se ipsa infinitissima vis, ut explicui *disp.9. de Attrib sec.1.* ita, & vis meritiva cuiuslibet, vel minimi præmij reperta in meritis Christi, est à dignitate Personæ vis meritiva simpliciter infinita, utpotè infinitissimè merens præmium finitissimum taliter nempè, ut neque illud, neque aliud cadere possit sub meritum dignius. Hinc ad probationem sequelæ negatur, meritum infinitum debere extendi ad præmium ultra possibile.

Coninc.

Tom.1 disp 9.

24 Objicitur quintò. Cum ad constitutionem compositi, seu complexi veniunt plura, ut totum illud dicatur simpliciter infinitum, non sufficit quòd unum è constitutivis sit infinitum: sed ad constitutionem meriti Christi, non solum venit dignitas Personæ, quæ simpliciter est infinita; verumetiam veniunt alia multa, quæ simpliciter finita sunt, ut gratia creata, & entitas etiam creata actuum humanitatis: ergo meritum inde constitutum non evadit simpliciter infinitum. Maior patet in quantitate corporea, quæ absolutè non diceretur corpus simpliciter infinitum, quamvis longitudinem haberet infinitam, si finita foret latitudo, vel profunditas. Ad solutionem hûius argumenti dedi doctrinam opportunam *disp. 3 de Attributis sec 11.* nè dici debeat, complexum ex Deo, & creatura, ac proinde Christum, esse minús perfectum solo Deo.

Tom.1. disp.3.

25 Respondet Godoy *num.* 26. majorem esse veram, quando unum ex constitutivis non ita infinitum est, ut contineat eminentissimè omnem aliam infinitatem, quæ in alijs desiderari posset; secùs aliter. Unde concessa minori, negat consequentiam: quia in constituto meriti Christi unum è constitutivis, nempé dignitas Personæ, eminentissimè continet omnem aliam infinitatem. Hinc ad probationem maioris, negatur paritas: quia longitudo corporis non ita infinita est, ut contineat ita eminenter infinitudines latitudinis, & profunditatis. Alias responsiones legi apud Suar. & Lugum.

Godoy.

Suar. Lug.

26 Respondetur paulò aliter distinguendo maiorem: si illud infinitum deprimitur, aut minoratur ab alijs finitis, concedo: si non deprimitur, nego maiorem, ut dixi, & explicui *loc. cit. de Attributis*: Et concessâ min. nego consequentiam. Nam dignitas Personæ Christi non deprimitur, nec minoratur â finitate actuum Christi; sicut neque ab humanitate finitâ, & creatâ. Paritas quantitatis corporeæ nulla est: quia nullatenus est simpliciter infinita: nec esset, quamvis versus profunditatem etiam, & latitudinem infinita foret: hæ enim sunt infinitates secundum quid. Urgebis &

27 Objicitur tandem ex Bonæspei. Meritum, quod crescere, & decrescere potest in infinitum perfectione, vel intensione, non est intra suum ordinem meriti simpliciter infinitum: sed tale est meritum Christi ergo non est simpliciter infinitum intra suum ordinem, & in esse meriti. Probatur minor quia quodlibet meritum Christi intra suum ordinem sumit gradum crescendo, vel decres-

Bonæsp.

creſcendo à ſuis principijs, ſcilicet à cognitione magis, vel minùs perfectâ, ab affectu magis, vel minùs intenſo, ab honeſtate virtutis magis, vel minus perfectæ, quam exercet: hæc autem poſſunt in Chriſto creſcere, vel decreſcere in infinitum.

28 Reſpondetur, diſtinguendo maiorem: quod creſcere, & decreſcere poteſt moraliter in ratione meriti, concedo: quod phyſicè tantum, & entitativè, nego maiorem. Nego autem minorem de incremento, & decremento in ratione morali meriti: nam in ratione meriti, ut dicemus *ſect. 4.* omnia Chriſti merita ſunt pariter infinita. Unde, nego conſequentiam. Ad probationem minoris aio, meritum Chriſti ab illis principijs, vel conſtitutivis creatis ſumere poſſe gradũ maris, vel minoris perfectionis entitativæ, & phyſicæ, in qua perfectione jam ſuppoſuimus non eſſe ſimpliciter infinitũ. Gradum verò in ratione valoris, meriti, & æſtimationis moralis habet ſummum à dignitate Perſonæ, ut dicemus *ſect. ſeq.* in quo gradu non creſcit, nec decreſcit ex aliqua illarum circumſtantiarum phyſicarum: quia, quæcumque ſint illæ circumſtantiæ, á circumſtantia Perſonæ conſtituuntur merita Chriſti in gradu ſummo in ordine, & in ratione meriti, ut amplius explico *ſec 3. & 4.*

SECTIO III.

Vnde, & quommodo actus Chriſti Theandrici ſumant valorem meritorium, & ſatisfactorium ſimpliciter infinitum.

29 SUnt qui dixerint, eum valorem ſumi ex eo quòd infinita Perſonalitas Verbi influat phyſicè ſpecialiter in actus Chriſti influxu effectivo non communi tribus Perſonis. Hunc tamen influxum reiecimus ſatis dum reiecimus *diſp. 4. ſect. 1.* ſimilem influxum ſpecialem Verbi in unionem hypoſtaticam; ex eo quòd operationes Dei ad extra ſint communia toti Trinitati. Præterea non eſt curtalis influxus Verbi, adhuc permiſſus, derivet valorem in eas actiones potiùs, quàm influxus ſpecialis trium Perſonarum in eoſdem actus Chriſti, aut etiam in noſtros ſupernaturales meritorios.

Supra diſp. 4.

30 Alij ſumunt eam infinitatem ab eo, quòd actiones Chriſti Theandricæ procedant, non ſolum à voluntate humanâ; ſed etiam à Divina Chriſti. Hoc tamen cenſet Coninc non dici probabiliter. Vel enim eſt dicere, voluntatem divinam influere ſpecialiter in eas actiones voluntatis humanæ Chriſti, ut cauſam phyſicam partialem: & hoc nequit eſſe: quia, cùm voluntas humana Chriſti cum gratia, habitibus, & omnipotentia ſit ſufficiens principium phyſicum earum actionum; fruſtra adhiberetur ſpecialis alius influxus phyſicus voluntatis divinæ. Vel eſt dicere, volitionem humanam, & divinam Chriſti fieri unam operationem, quemadmodum natura divina, & humana fiunt in Chriſto una Perſona: & neque hoc: id enim potiùs eſſet, fieri ex illis unam quaſi naturam; quòd neque ex naturis humana, & divina fit, quamvis phyſicè uniantur ad invicem. Addo, eiuſmodi unitatem operationum redolere Monotheliſmum. Vel eſt dicere, volitionem divinam habere ſe tanquam formam moralem reſpectu humanæ, ſicut volitio noſtra informat, & imperat actiones externas faciens cum illis unum opus meritorium in genere moris. At neque hoc dici poteſt: quia volitiò noſtra eatenus facit unum opus morale, & humanum cum actione externa, quatenus hæc ſeorſim non habet formalem moralitatem, ſicut nec libertatem ſpecialem: Volitiones autem humanæ Chriſti ſuam habent ſpecialem libertatem, honeſtatem, & moralitatem: de qua, ut diverſa à libertate, & honeſtate increatâ Verbi, eſt præſens quæſtio.

Coninc.

31 Alij ſumunt eam infinitatem ex eo quòd res oblata à Chriſto in obſequium Dei inſtar pretij & ſacrificij per ſuos actus, erat ſimpliciter infinita. Id quod videtur inſinuaſſe Clemens *6. cit. ſect. præc.* dicens, guttam ſanguinis Chriſti ſufficere pro ſatisfactione, & redemptione *propter unionem ad Verbum.* Obſtat tamen, quòd ſic B Virgo, & Simeon, quando obtulerunt Deo Chriſtum in Templo, obtulerunt rem infinitam: & tamen eorum actio oblativa non erat valoris meritorij, & ſatisfactorij ſimpliciter infiniti. Et idem eſt de actione ſacrificâ Sacerdotis offerentis atque immolantis Chriſtum in Miſſa: ergo præciſè ex infinitate rei oblatæ non arguitur infinitudo ſimpliciter actionis oblativæ in ratione valoris meritorij, & ſatisfactorij. Et ratio à priori eſt: quia res oblata, ſeu volita per actum obſequioſum habet ſe, ut objectum & terminus voluntatis formaliter obſequioſæ illud offerentis. At actus in ratione obſequij ſicut nec in ratione offenſæ non creſcunt arithmeticè ex infinitate objecti, ut multis probatum reliquimus *diſp. 1. ſec 6.* Alioquin actus hominis iuſti offerentis Deo opera cuncta meritoria Sanctorum omnium paris eſſet meriti cum omnibus illis. Nec obſunt verba citata Clementis 6. Loquitur enim

Clem. 6.

Supra diſp. 1.

enim de gutta sanguinis Christi, ut oblata à Christo per actum infinitatè condignificatum à dignitate summa suæ Personæ. Quomodo autem specialiter profit dicta ratio in
Coninc. Christo se ipsum offerente examinat doctè Coninc *à num.* 206. Non certè quatenus eius Personalitas elevat utcumque materiam oblatam sacrificij pro peccato; sed quatenus condignificat actionem oblativam formaliter obsequiosam, meritoriam, & satisfactoriam.

32 Alij eam infinitatem sumunt ex eo quòd actiones Theandricæ Christi sint opera Personæ simpliciter infinitæ. Dissident
Vasq. tamen in eo quòd Vasquez vult, eam infinitatem resundi in actiones Christi à Personâ, quatenus infinitè sanctificante humanitatem; quam, si formaliter non sanctificaret, non condignificaret eius actiones. Alij verò volunt, resundi eam infinitatem à Persona in actiones Christi, quia à tali persona elicie-bantur, & quia in illa subiecta abantur: ad eũ modum, quo vestes etiam Sanctorum dignificantur ad venerationem, & cultum ratione contactûs.

33 Conclusio nostra, satis iam manifestata *sec. prec.* est, eam infinitatem moralem ex eo sumi, quòd actiones Christi Theãdricæ sunt actus humani, & morales Personæ simpliciter infinitæ: ita scilicet, ut absolutè dicatur Persona Divina facere, & offerre in Dei honorem ea obsequia, quæ Christus, ut homo offerebat: cùm præsertim actiones sint suppositorum, & in esse moris attribuantur, & imputentur Personæ. Hic est communis Theologorum sensus: satis deductus ex Extravag. Clementis 6. cuius verba retulimus *num.* 12. Atque hinc est, quòd, quamvis vestes, & res aliæ sumant à Persona æstimationem aliquam in ordine ad cultum, & venerationem; non tamen valorem meritorium, de quo agimus: quia actiones morales, & humanæ non sunt.

34 Intelligo conclusionem contra Vasquez, abstrahendo pro nunc ab eo quòd Personalitas Verbi sanctificet, vel non sanctificet formaliter humanitatem. Sivè enim formaliter eam sanctificet, ut decidimus
Supra disp. 14. *disp. 14. sec.* 1. sive non; ex eo solum quòd Deus, & homo essent unum in Persona Verbi, actiones humanæ talis humanitatis essent Theandricæ, & verè actiones Dei. Quidsi per impossibile talis humanitas sic unita, esset in peccato? Reor, eo impossibili permisso, adhuc actiones illius honestas, & Theandricas fore infiniti valoris: quia adhuc essent actus humani boni, & obsequiosi Personæ Divinæ. Sic Lugus, Coninc, & Aldrete videndus *disp.* 8. *sect.* 2. contra aliquos, quibuscum loquitur Godoy. Sed lis est ex suppositione chymerica, ex qua chymeram aliam deduci mirum non est.
Delug. Banine. Aldret.

35 Objicitur primò. Actiones meritoriæ, & satisfactoriæ Christi sunt à Christo, ut homine; non, ut Deo: non enim Deus dicitur meruisse, aut satisfecisse, sed homo, aut Christus ut homo: sed Christus ut homo, seu secundum humanitatem præcisè non dicit infinitatem Personæ, quia non reduplicat super Personalitatem: ergo actiones illæ Christi non sumunt infinitatem in ratione meriti, & satisfactionis ab infinitate Personæ. Huic obiectioni occurrimus iam *sec.* 1. Ex ibi dictis circa principium proximum satisfactionis, & meriti Christi, distinguo maiorem: effectivè vitaliter, imò & absolutè loquendo, concedo; condignificativè, nego maiorem: nam principium proximum condignificativum illarum actionum est Personalitas Verbi; quamvis vitaliter effectivum sit humanitas. Quod autem, non ut Deus, sed ut homo, dicatur Christus meruisse, & satisfecisse, ideò est quia per id significatur principium vitaliter effectivum: non tamen perinde tollitur condignificatio satisfactionis, & meriti à Personalitate divinâ. Hinc, concessâ minori, negatur consequentia.

36 Objicitur secundò. Quamvis gravitas offensæ sumatur ex dignitate Personæ, quæ offenditur; tamen ex infinitâ dignitate Dei offensi non gravificatur offensa simpli-
Supra disp. 8. citer infinitè, ut diximus *disp. 8. à sec.* 6. ergo, quamvis valor actionis meritoriæ, & satisfactoriæ sumatur à dignitate Personæ merentis, non violatur simpliciter infinitè ab infinitâ dignitate Personæ. Consequentia urgeri solet à paritate.

37 Respondetur negando consequentiam, & legitimitatem paritatis. Disparitatis ratio insinuata priùs à Suarez, & amplificata deinde ab Aldrete, Esparza, & alijs, & à nobis iam attacta *disp.* 8. *à num.* 109. ex Delugo, sumitur ab eo quòd dignitas offensi nullam de suo continens indignitatem, cùm non gravificet per se moraliter offensam, nisi quatenus cognita ab offendente ex parte termini; quantumvis illa infinita sit, si tamen limitatè cognoscitur, limitatè, & non infinitatè gravificat. Dignitas autem Personæ Christi obsequentis, de suo alioquin continens dignitatem summam, & seorsim etiam ab omni merito dignissima omni bono, applicata in Christo actionibus Theandricis verè suis, dignificat, & valorat obsequia sui suppositi per se ipsam formaliter ex parte principij: usqueadeò, ut etiam ignorata ab
Suar. Aldret. Esparz. Delug. Supra disp 6. sec. 9.

ipso

ipso operante dignificaret ejusmodi obsequia: ut patet in homine justo condignè merente gloriam per opera bona condignificata per gratiam, etiam ab ipso ignoratam; imò, & si per errorem ipse existimaret, se non esse justum. Hinc ergo est, quòd infinita dignitas Personæ Christi infinitè, & absque limitatione refundat condignitatem meritorium, & satisfactoriam in actiones obsequiosas Theandricas Christi. Totam enim illam dignitatem Personæ suæ præsentavit Patri Christus satisfaciens, & merens pro nobis, quando obtulit semetipsum, & humiliavit se factus obediens usque ad mortem, exauditus pro sua reverentiâ; scilicet pro infinita dignitate, & honore debito Personæ suæ, alioquin, seorsim etiam ab omni merito, infinitè dignæ omni bono.

38 Objicitur hinc fortiùs tertiò sequi, actiones Theandricas Christi in ratione meriti non quomodocumque valorari infinitè simpliciter ab infinita dignitate Personæ Christi; verumetiam cum incremento arithmetico ad gradum usque dignitatis talis Personæ. Sicque tantum valoris haberet actio creata Theandrica Christi, quantum dignitatis habet Persona increata Verbi: quod videtur amarum, & durum.

39 Dubios, & varios invenio Doctores circa difficilem istam sequelam. Aliqui non detrectant illam in re admittere: quia, inquiunt, actiones Theandricæ Christi sunt in æstimatione morali satisfactoriâ, & meritivâ summi valoris; includentes in ratione talis valoris quasi formam moralem totam dignitatem, & æstimationem Divinæ Personalitatis, & absorbent eminentissimè vim omnè meritivam excogitabilem: cùm sit impossibilis alius actus magis meritorius, quàm sit quilibet actus Christi. Sic colligitur ex Uvadingo *disp.* 2. *dub.* 2. Amico *disp.* 6. *sec.* 2. & clarius ex Meratio *sect.* 5. *num.* 7. concedente, tantum placere Deo opera Christi bona, quantum ipsa dignitas, ipsumque velle increatum Verbi. Et certè vix defendi potest contra Scotistas incrementum simpliciter infinitum meritorum Christi à Dignitate Personæ, si negatur arithmeticum, ac proinde tantum, quanta est dignitas Verbi. Docti namque Scotistæ facilè invenient rationem limitationis, si viam aperimus rationi minoritatis, ut arguebamus nos contra Thomistas in simili *disp.* 8 *sec.* 6.

Uvadin. Amic. Merat.

40 Nihilominus alij meliùs negant absolutè sequelam, ut Esparza *quæst.* 11. *ad* 1. Godoy *num.* 17. & Aldrete *disp.* 10. nescio an satis cohærenter ad doctrinam suæ *disp.* 18 *sec.* 2. Ratio nobis esse potest. Quia, ut actiones Christi crescant simpliciter infinitè in genere meriti, sufficit quòd in eo genere careant termino intrinseco, & extrinseco: quamvis non crescant arithmeticè juxta dignitatem Personæ; eo quod hæc dignitas habeatur à Persona per essentiam; in ejus autem actionibus habeatur per participationem, qui modus habendi est inferior. Sic ergo actiones illæ creatæ Christi non sunt simpliciter infinitè dignæ, & valorosæ in se absolutè, cùm dignior, & valorosior sit Persona increata Verbi, sunt tamen simpliciter infinitè meritoriæ, penes dignitatem respectivam obsequij ad præmium; quia in hac dignitate respectivâ meritoriæ, cujus est incapax in se, & pro se dignitas Verbi, non habent à quo excedantur.

Esparz. Aldret. Godoy.

41 Unde salvatur ex una parte intentum nostræ doctrinæ, quòd nempè actiones Theandricæ Christi sint in valore meritorio, & satisfactorio simpliciter infinitæ; & ex alia parte effugitur rigiditas sequelæ nobis objectæ. Non enim sequitur ex nostris doctrinis, valorem meritivum actionum Christi esse tantum, quantus est valor, & dignitas entitativa Personalitatis Verbi habentis per essentiam suam infinitatem; sed esse tantum, quo maior in eo genere esse non possit: & hoc quidem à dignitate infinitâ Verbi non per essentiam, sed per participationem refusâ in actiones Christi, ac proinde modo inferiori habitâ ab illis actionibus, ac habetur ab ipsa Verbi Personalitate. Consonat hæc responsio doctrinæ, quæ ex P. Suarez distinximus *sec.* 2. *num.* 18. bonitatem intrinsecam, & virtuosam actuum, à bonitate eorumdem respectivâ ad præmium.

42 Nec obest, quòd in actionibus illis Christi meritorijs concretè sumptis includatur formaliter illa ipsa dignitas Verbi, quanta per essentiam est. Non enim includitur in eo concreto communicata per essentiam, sed per participationem, actionibus illis creatis meritorijs. Unde non facit eas actiones tam bonas, nec tam dignas, ac ipsa in se est; ac proinde non simpliciter infinitè bonas, aut dignas; facit tamen illas simpliciter infinitè meritorias, & meritoriè dignas: quâ dignitate meritoriâ ea Verbi dignitas in se, & pro se caret, cùm ratio meriti, & obsequij, quæ ad superiorem esse debet ipsi repugnet, sicut inferioritas.

43 Objicitur quartò. Humanitas Christi, cùm nec à sanctitate Verbi denominetur tam sancta, ac ipse Deus sanctus est, non est simpliciter infinitè sancta; quia nempè ipsa humanitas finita est: Ergo, quia actiones Theandricæ Christi in se, & physicè simpliciter

cirer finitæ sunt, adhuc à dignitate Verbi non
Godoy. fiunt simpliciter infinitè meritoriæ, & satisfactoriæ. Nonnulli apud Godoy *num.* 55. negant antecedens, quibus adhæsit nuper immerito prædoctus è nostris Magister Salmanticus, contendens tam sanctam esse Christi humanitatem, ac ipse Deus; quamvis non eodem modo. Respondendum est tamen, concedendo antecedens, ut concessimus
Supra disp. 14. *disp.* 14. *sect.* 1. Ratio tamen non est, quæ in antecedente assignatur; quia nempè humanitas finita est; sed quia eo ipso quòd Deus in se sanctus est, & ex modo ipso habendi per essentiam illam ipsam sanctitatem magis sanctus, quàm humanitas illam habens per participationem; non relinquit locum, ut humanitas tam sancta sit, ut nihil sanctius esse possit, ac proinde nec, ut sit sancta simpliciter infinitè. Unde negatur consequentia. Quia actiones Theandricæ Christi à dignitate infinita Verbi evadunt infinitè meritoriæ, taliter, ut nihil magis meritorium esse possit; cùm repugnet Deo in se ratio meriti, & obsequij: ideòque nihil est in Deo quod obstet ne evadant simpliciter infinitæ in ratione obsequij, meriti, & satisfactionis. Rursùs, ea denominatio sanctæ à sanctitate Verbi cadit supra humanitatem in genere physico, in quo infinitè sanctius est Verbum propter modum physicum infinitè perfectiorem habendi eam sanctitatem per identitatem. At denominatio meritorij, & obsequiosi à dignitate Verbi cadit supra actus Theandricos Christi in genere moris, & secundum æstimationem moralem obsequijs in quo genere evadunt summi; cùm nihil omninò sit, nec esse possit magis obsequiosum, meritorium, & satisfactorium.

44 Objicitur quintò. Ex intensiori gratia sanctificante creatâ, qua persona iusti fit formaliter sanctior, & dignior, non fiunt eius actiones magis meritoriæ: ergo neque actiones Christi infinitè simpliciter meritoriæ ex infinita dignitate, & sanctitate Personæ
Suar. Verbi. Communiter negatur antecedens cum Suarez, & alijs, asserentibus nostra merita fieri digna maiori præmio ex intensiori gratia merentis. Hanc tamen doctrinam reijcio *in Disputationibus de Merito*, cum
Vasq. Aldret. Godoy. Vasquez, & Aldrete, quibus accessit Godoy, alios citans *disp* 3 *sec.* 5.

45 Respondeo ergo aliter, distinguendo antecedens: ex intensiori gratia iusti non fiunt eius actiones magis meritoriæ, extensivè ad maius præmium, concedo: hoc est quod ibi dico, duos iustos, unum, ut quatuor, alium ut sex, elicientes actum virtutis alioquin æqualem, æquale gratiæ, & gloriæ præmium condignè merituros. Non fiunt eius actiones magis meritoriæ intensivè ejusdem præmij, nego antecedens: hoc est quod ibidem dico, ex prædictis duobus iustis iustiorem per opus alioquin æquale fore magis dignum illo eodem præmio; & eò magis dignum, quò gratiam habet intensiorem, quæ quidem major condignitas ad idem præmium gratiæ, & gloriæ multum conferre potest ad varia præmia congrua. Ejusdem autem præmij posse dari meritum condignum, & condignius, patet; quia eamdem hanc gratiam, & gloriam, quâ dignè meretur quilibet iustus, meretur eidè sine dubio Christus multò condignius. Consequentiam absolutè nego ex disparitate palmari. Nam Christi dignitas infinitissima, personalis, altiorisque ordinis, præcisse etiam ab effectu formali sanctificandi humanitatem, ut cum Suarez addidi *nu.* 34. habet utrumque illum effectum, *Suar.* nempè, & dignificandij intensivè magis actiones ad idem præmium, & dignificandi magis extensivè ad ulteriora præmia in infinitum.

46 Dices. Cur similiter major dignitas gratiæ accidentalis hominis sanctioris, quamvis finitè, non condignificabit eius actiones *ad* majus præmium finitum? Respon- *Vasq.* detur primò, id fortè pendere ex Dei pacto taxante liberè præmium operibus: quippè propter rationes gravissimas, quibus suo in loco recijcitur incrementum illud meriti nostri extensivum ad maius præmium ex intensiori præcisè gratia, voluit sic taxare. Respondetur secundò cum Vasquez, disparitatem sumi ex eo quòd dignitas Verbi est altioris ordinis constituens humanitatem in Personam Filij naturalis Dei. Unde non mirum quòd habeat effectus alterius ordinis, quibus est ipsæ ordinaria nostra sanctitas constituens filios adoptivos. Sic illi repugnant venialia, & mortalia, non solum cum quibus componitur, verùm etiam à quibus expellitur, ut vidimus *disp.* 15. *sec.* 5. id quod ordi- *Supra disp.* 15. nariæ nostræ sanctitati non competit. Similiter ergo dicimus, quòd ex duobus effectibus condignificandi magis intensivè ad idem præmium, & condignificandi magis etiam extensivè ad maius præmium, solus prior competit sanctitati nostræ intensiori; non verò posteriori; cùm tamen utrique competat sanctitati, aut dignitati Christi filij naturalis, continentis propter suam infinitudinem modum omnem excogitabilem condignificandi.

47 Aliam rationem dant alij apud Al- *Aldrete.* drete *disp.* 9. *sec.* 1. *num.* 6. quam jam tetigimus *num.* 37. Quia nempè Persona Christi

secundum se antecedenter ad omne meritum, est omni bono dignissima: quo fit, ut elevet Christi merita ad promerendum omne bonum dabile in præmium. At major sanctitas accidentalis hominis nõ per se reddit hominem dignum ulteriori gratiâ: non enim est homo dignus augmento gratiæ eo præcisè quód habeat intensam gratiam: quo fit, ut intensior illa gratiæ accidentalis sanctitas non elevet, aut condignificet hominis meritum ad maius præmium gratiæ per opus æquale.

Aldrete. 48 Ipse P. Aldrete *num.* 12. rationem aliam meditatur ex eo sumptam, quod omne præmium æstimatur bonum, & utile comparativé ad personam merentem: comparativè autem ad personam Christi per se summé fœlicem cuncta creata sunt quasi palea, *Isai.40.* & quasi nihil, juxta illud Isaiæ 40. *Omnes gentes, quasi non sint, sunt coram eo & quasi nihilum reputata sunt ei.* Et Sapientiæ 11. *Sap.11.* *Tanquam momentum statera, sic est ante te orbis terræ, & tanquam gutta roris antelucani.* Unde est, quòd nullum præmium sit sufficiens compensatio merito Christi, & quód eius vis meritoria extendatur ad omne præmium excogitabile. Hoc autem non militat pro persona creata, cui quantumvis sanctæ, magnum quid est quodcumque præmium gratiæ, & gloriæ.

SECTIO IV.

An merita Christi sint condigna omni præmio. Vbi de eorum æqualitate.

49 COndignitas tàm meriti, quàm satisfactionis, alia est in actu primo; alia in actu secundo. Illa est æqualitas moralis meriti cum præmio, aut satisfactionis cum debito. Ista, præter eam æqualitatem, dicit jam in præmiante obligationem dandi præmium, aut in creditore remittendi debitum. Solet explicari diversitas ista exemplo notissimo duorum, qui laborant pariter in vinea, unus ex conventione de mercede cum domino; alter sponte suâ citra conventionem. In actu primo, cùm par sit labor utriusque, uterque peregit opus habens condignitatem cum mercede: at in actu secundo solus is, qui ex conventione laboravit alius enim nequit obligare dominum ad reddendam mercedem.

50 Præmium, aliud est purè creatum, ut gratia, gloria, & alia dona nobis collata; aliud dicitur non purè creatum: quod quamvis physicè quid creatum sit, in æstimatione tamen morali habetur, ut infinitum, utpote specialissimè importans aliquod bonũ infinitum, & increatum: talis dicitur unio hypostatica, afferens humanitati Personalitatem divinam in unitatem suppositi: quapropter in ratione præmij, doni, ac beneficij dicitur donum simpliciter infinitum, ad modum quo actiones Christi dicuntur simpliciter infinitæ in ratione obsequij, quamvis in esse physico finitæ sint. Sic loquuntur Suarez, Vasquez, & communiter Theologi: quidquid aliter insinuent Lugus *disp. 6. num.* 12. & nonnulli alij. Itaque, quamvis per Gratiam, & visionem se ipsum etiam det quodammodo Deus creaturis iuxta hymnum Eccle sic, *se regnans dat in præmium*; multò tamen altior, & intimior est modus dandi se hypostaticè: quia, quamvis iste non sit summus modus habendi divinitatem, cùm sublimior sit modus illam habendi per essentiam; est summus in ratione doni, at beneficij, & esset etiam in ratione præmij: has enim rationes non dicit formaliter in se modus, quo se Deus habet per essentiam. Hæc satis pro modo loquendi receptissimo. *Suar. Vasq. Lug.*

51 Conclusio prima. Merita Christi non sunt in actu secundo condigna omni præmio. Probatur: quia non inducunt in Deo obligationem dandi omne præmium; cùm multa præmia potuerit Deus dare Christo condignissimè merenti in actu primo, quæ de facto non dedit, v.g. salvationem cunctorum hominum. Et ratio est: quia, ut est communis Theologia *in Disputationibus de Merito* contra paucos, ad inducendam in Deo illam obligationem requisitam pro cõdignitate in actu secundo, requiritur conventio, pactum, aut saltem extrinseca ordinatio Dei præmiaturi respectu cuiuscumque merentis: cùm Deus supremus Dominus, multis alijs titulis, citra præmium, posset à suis subditis exigere omnia opera. Ea autem conventio, sive ordinatio in premium fuit libera Deo, & extrinseca actionibus obsequiosis Christi: ergo Christi obsequia non sunt in actu secundo condigna omni præmio; sed illorum dumtaxat præmiorum, de quibus præcessit illa conventio, seu ordinatio Dei.

52 Circa condignitatem verò in actu primo, de qua potior est difficultas, PP. Suarez, & Vasquez docent, quodlibet meritum Christi fuisse in actu primo condignum omni præmio possibili, tàm purè, quàm non purè creato. P. Bernal *disp. 11.* id limitat dicens, unicum actum Christi per varios gradus suæ intensionis mereri condignè in *Suar. Vasq.* *Bernal.*

actu

actu primo multa præmia, etiam non purè creata; unico tamen gradu non multa; cum satis exæquaretur per unum præmium non purè creatum. P. Amicus *disp. 6. sec. 6.* cum Albertino, Monczo, & alijs, absolutè ait, unum actum Christi non posse mereri condignè multa præmia non purè creata, v. g. multas uniones hypostaticas. Nec desunt, qui apud ipsum dixerint, quòd neque unam.

Amic. Albert. Monc.

Suar. Vasq.

53 Conclusio secunda cum PP. Suarez, & Vasquez. Unicus actus Christi, etiam per unum gradum suæ physicæ intensionis, est condignus in actu primo omnis præmij possibilis etiam non purè creati: & habet valorem similiter condignè satisfactorium pro cunctis offensis possibilibus. Sic etiam Lugus, & Aldrete. Ratio mihi est eadem, qua probatum est, quemlibet actum Christi esse valoris simpliciter infiniti ab infinitâ dignitate Personæ Christi obsequentis. Quæ quidem in quemlibet actum, & gradum actuum Christi refundit prædictam infinitatem moralem in ratione obsequij, meriti, & satisfactionis. Igitur quilibet actus, & quilibet gradus ipsius exæquat secundum æstimationem moralem in actu primo omne præmium excogitabile, & gravitatem cuiuslibet offensæ: alioquin non subsisteret ratio meriti, simpliciter infiniti, nec satisfactionis simpliciter infinitæ; quæ taliter debet esse summa, ut maior in eo genere esse non possit. Maxima hæc gloria Christi, extollens usque ad summum eius merita, est sine dubio iuxta mentem Ecclesiæ in Extrav. *Unigenitus* relata *sec. 2. n. 12.*

Lug. Aldret.

54 Obijcitur primò. Si daretur humanitas hypostaticè unita tribus divinis Personis; in primis illius actus essent magis obsequiosi, meritorij, & satisfactorij actibus huius Christi. Deinde pro offensa occidentis scienter, & malevolè talem hominem, fortèque putantis, & intendentis sic destruere tres Personalitates divinas, non esset satisfactio condigna unus actus huius Christi. Tertiò, si illa humanitas, aut ista huius Christi per impossibile peccaret, non esset sufficiens satisfactio pro tali offensa unus actus obsequiosus Christi. Ergo non habet in actu primò condignitatem ad omnia. Respondetur, negando totum antecedens. Primam partem: quia tres simul Personæ divinæ non dicunt maiorem dignitatem, sicut nec perfectionem, quàm una, ut latè *disp. 3 de Attributis Dei sec. 7.* Secundam, in qua videtur hærere Amicus *sec. 4.* quia nec peccatum illius Christicidij esset simpliciter infinitum in ratione offensæ, ut specialiter contra Prudentium diximus *disp. 8. nu. 110.* Tertiam, propter id, quod diximus contra Vasquez *sec. 3. nu. 39.* Quinimo sunt qui dixerint apud Amicum *sec. 5.* quòd pro tali Christi peccato, quia non esset à Persona vili, posset fortè condignè satisfacere puram creaturam. Sed non placent.

Tom 1. disp 3. Amic. Tom. 1. disp 8. sec. 9.

Supra disp. 6. sec. 12. Amic.

56 Obijcitur secundò. Unus actus Christi, aut saltem unus gradus ipsius præmiaretur satis condignè per aliam unionem hypostaticam ad Personam Patris; aut si intuitu meriti Christi uniretur hypostaticè Deus alteri humanitati; aut per obsequia exhibita huic Christo ab alio Christo: ergo non habet condignitatē ad ulterius præmium: ac proinde nec ad omnia præmia possibilia, adhuc in actu primo. Antecedens probatur 1. quia nova illa unio hypostatica, vel novus Christus est quid tā bonū, ac est unus actus istius Christi. Secundò: quia Deus magis tibi complaceret in alio Christo, quam in uno actu huius Christi: pluriſque alium Christum faceret, utpote veré Deum, quàm actum Christi, qui actus Deus non est; nec pluris est unus actus istius Christi, quàm alter actus alterius. Ergo per quodlibet prædictorum præmiorum præmiaretur satis condignè, & ad æqualitatem saltem unus actus Christi.

Aldret. Godoy.

57 Respondent aliqui apud Aldrete, *sect 2.* quibus accedere videtur Godoy *disp. 3. num. 65.* concesso antecedente, negando consequentiam: nam eiusmodi præmia multiplicata non essent magis bona, quàm unum illorum. Unde, quamvis unum illorum exæquaret condignitatem unius actûs Christi, non sequitur, quòd plura excederent. Hæc tamen responsio, nisi aptiùs explicetur, non occurrit satis difficultati, præsertim secundæ probationis antecedentis.

Lug. Aldret.

58 Respondent idcircò meliùs aliter Lugus, & Aldrete, negando antecedens. Ad primam probationem distinguendum est: dona illa sunt quid tam bonum absolutè physicè, & in se, quàm sit actus Christi, concedo: sunt quid tam bonum moraliter in genere præmij, ac est bonus actus Christi in genere obsequij & meriti, nego antecedens, & consequentiam. Ratio est notanda. Quia præmium non commensuratur cum merito in eodem genere boni: sic enim nec visio beata æquaretur actui nostro meritorio, cùm in actu sit moralis bonitas formalis, quâ caret visio: & præmium condignum operis nostri deberet esse aliud simile opus æquè bonum: quod nec veritati congruit, nec rationi: quia labori corresponderet pro præmio labor; cùm debeat potiùs correspondere requies:

quies: in qua reluceat aliud genus boni diverſum à bono reperto in actu honeſto laborioſo. Itaq; cõmenſuranda eſt bonitas meriti in ratione moraliter honeſti obſequioſi,& digni,cũ bonitate præmij in ratione cõmodi,utilitatis, & fœlicitatis accreſcentis merenti. Sic autem neque una, neque multiplex unio hypoſtatica, neque infinita obſequia alterius Chriſti eſſent præmium adæquatum Chriſto merenti pro uno actu, vel gradu ſui meriti Quippé,cùm Chriſtus ſit exſe Suppoſitum ſummé fœlix,cuncta præter divinitatem eiuſque fruitionem, quam de ſuo habet,ſunt reſpectu ipſius modicum in genere commodi,& novæ fœlicitatis.

59 Dices, juxta hunc diſcurſum etiam meritum Chriſti reſpectu Dei ſummé fœlicis erit modicum in ratione commodi,& novæ fœlicitatis: & tamen habet rationem meriti ſimpliciter infiniti. Fateor. At in merito ſecundum ſe non ſic attenditur utilitas, commoditas,& fœlicitas præmiantis; ſed honeſtas, & dignitas obſequij, quæ in actibus Chriſti a dignitate Perſonæ infinita ſimpliciter eſt in ratione obſequij; in præmio autem attenditur utilitas, commodum,& fœlicitas merentis; cum detur ipſi in remunerationem, & in compenſationem pro opere obſequioſo juxta dignitatem ſuæ Perſonæ.

60 Ad ſecundam probationem antecedentis, negat antecedens Merarius *ſec. 5.* Alij diſtinguunt: Deus magis ſibi complacet in alio Chriſto,quàm in uno actu iſtius Chriſti phyſicé ſumpto, concedunt; moraliter ſumpto penes id, quod dicit pro forma, vel quaſi forma ſui valoris meritorij negant:nam ejuſmodi forma, vel quaſi forma eſt dignitas ipſa Perſonæ Verbi,in qua ſummé ſibi complacet Deus. Melius tamen P. Aldrete,conceſſo antecedente, negat conſequentiam. Nam, ut magis ſibi complaceat Deus, ſufficit maior bonitas rei in ſe,qualis eſſet in altero Chriſto præ uno actu creato iſtius Chriſti. At, ut præmium excedat vim meritivam obſequij, non ſufficit, quòd excedat actum obſequioſum in ea bonitate abſolutâ utcumque; ſed excedere deberet in ratione commodi, utilitatis, & fœlicitatis reſpectivé conſiderată ad excellentiam obſequij ſic condignificati. In qua morali conſideratione illa,bona alioquin maiora non excedunt in genere præmij vim meritivam obſequij à Chriſto exhibiti. Eodemque modo reſpondetur ad illud de obſequijs alterius Chriſti, huic exhibitis: exæquarentur enim in genere obſequij, & obſequij utrinque conſideratorum verò in ratione obſequij & præmij ob eamdem rationem.

Merat.

Aldrete.

61 Concluſio tertia. Omnes actus meritorij & ſatisfactorij Chriſti ſunt æqualis meriti,& ſatisfactionis condignæ in actu primo: atqueadeó non ſunt ſic magis condigni omnes ſimul, quam ſit unus ſigillatim. Sequitur ex dictis. Nam ſinguli ſunt in actu primó infinitè ſimpliciter condigni, & ſummè condigni omni præmio. Idem de quolibet gradu adversùs Bernal citatum. Unde,quãvis in pluribus actibus ſint plura merita;non tamen plus meriti, aut æſtimationis moralis: quia tàm pro ſingulis, quã pro omnibus æſtimatur ſumma dignitas Perſonæ.

62 Dices. Meritum creſcit etiam ex maiori actuum honeſtate: ſed in Chriſto poteſt eſſe unus actus honeſtior alio,utpoté perfectioris virtutis, aut ejuſdem virtutis magis intenſus: ergo poſſet unus eſſe magis meritorius alio. Reſpondetur, maiorem eſſe veram, ubi ex alio capite meritum non pertingit uſque ad ſummum. At in Chriſto ex capite dignitatis Perſonæ obſequentis quodlibet meritum pertingit uſque ad ſummum: ideóque nequit unum ratione maioris honeſtatis, aut alio ex capite, eſſe maius alio in ratione meriti: quia repugnat quidquam ſupra ſummum. Sic Deus, & creatura, quantumvis perfectiſſima, non ſunt quid perfectius ſolo Deo: nec tres Perſonæ Trinitatis ſunt quid perfectius, quàm una, ut monſtravi *diſp. 2 de Attrib. ſec. 7. & 11.* *Tom. 1. diſp. 3.*

63 Dices ſecundò. Fruſtra ergo exercuit Chriſtus tot actus meritorios per totam vitam pro redemptione noſtra: ſiquidem per unum tantumdem meruit, ac ſatisfecit, ac per plures. Negatur conſequentia. Nam id diximus de condignitate in actu primo: at, ut in actu ſecundo ſatisfaceret,& mereretur condignè redemptionem, requirebatur ordinatio Dei: qui id ordinavit, & decrevit per tot actus Chriſti,uſque ad mortem propter fines altiſſimos: præſertim, ut nobis exhiberet ſe Chriſtus exemplum omnium virtutum, quas exercuit, & ut manifeſtaret eximiam charitatem, qua dilexit nos,obſequens Patri pro nobis per diuturnam vitam,

uſque ad mortem, mortem autem Crucis.

* * *

SEC-

SECTIO V.

Quid ſibi, quid nobis, quid alijs quando, & per quos actus meruerit Chriſtus de facto in actu ſecundo.

Trid. 64 CONſtat ex Trident. *ſeſſ. 6. c. 8.* Chriſtum in vita mortali fuiſſe in ſtatu merendi. Nec obeſt, quòd ſemper fuerit in ſtatu beatifico, videns intuitivè Deum. Nam, quamvis regulariter ſtatus beatificus non ſit ſtatus merendi, hoc non eſt ex natura rei, ſed ex ordinaria Dei Lege, ut teneo cum communi ſententia *in Diſputationibus de Merito*, quas luci paro. Ea autem lex non fuit pro Chriſto, dum eſſet in vita mortali. Ideóque dicitur, quòd tempore ſuæ vitę mortalis fuit quoad hoc Viator ſimul, & Comprehenſor.

Supra diſp. 5. 65 Occurrunt multæ difficultates: quarum aliquas reſolvimus *diſp. 5.* præſertim. An potuerit mereri ſuam Incarnationem *ſect. 2. 3. 4. & 5.* An de facto illam meruerit, eiuſque circumſtantias? *ſect. 7.* An B. Virginis Maternitatem? *ſect. 9.* An eiuſdem Immunitatem à culpa, & à debito originali? *diſp 6. ſect. 12.* Præter ibi latè dicta, ſupereſt dicendum, quo vitæ tempore meruerit? Quid ſibi? Quid nobis? Quid Angelis? Et in quo genere meriti? Remunerandi ſcilicet, an Solutorij. Hos terminos explicuimus *diſp. 5. ſect. 1.*

Supra diſp. 5. 66 Concluſio prima. Meruit Chriſtus à primo ſuæ vitæ inſtanti ſine interruptione, uſque ad mortem; non verò poſt mortem. Sic communis ſententia cum S. Thom. *qu. 19. & 34.* ibique Suar. *diſp. 39. ſect. 3.* Quia à primo vitæ inſtanti habuit eius humanitas perfectũ uſum rationis: nec eſt cur non cõtinuaverit actus meritorios per totam vitam, donec per mortem opus noſtræ Redemptionis conſummatum eſt. Quód autem poſt mortem non meruerit, conſtat ex generali Dei lege omnibus ſtatuente ad meritum curſum huius vitæ mortalis, ut expendit ibi dignè Suar. verſ. *Dico tertiò*: quem etiam vide *lib. 12 de Gratia cap. 15.* & Patrem Bernal *diſp. 15. ſect. 6.*

S. Thom. Suar.

Suar. Bern.

67 Cum dicitur Chriſtus meruiſſe, uſque ad mortem, intellige ad inſtans uſque mortis excluſivè: nam inſtans ipſum mortis jam non eſt ſtatus merendi ex prædicta Dei lege. Quando autem dicitur Chriſtus meruiſſe per mortem, ſumitur mors in fieri proximo pro ſtatu illo viciniſſimo ſeparationis animæ à corpore: quippè etiamnum vivens Chriſtus ſuſcepit meritoriè vulnera, fudit ſanguinem, & abire permiſit diu efficaces, unde ſtatim ſequuta eſt mors. Itaque ipſa mors, & vulnus lateris non fuit Chriſto quid formaliter meritorium in ſe, ſed in cauſis, & objectivè, quatenus vivens, mortem, & vulnus lateris meritoriè acceptavit. Nec obſtat, quòd, ut loquuntur SS. Patres ex vulnerato *latere* Sacramenta manarunt. Non enim id dicitur, quia Chriſtus tempore illius vulneris meruerit nobis per vulnus Sacramenta; ſed, aut quia per antecedentem vulneris acceptationem illa nobis meruit, aut fortè, quia figurativè manarunt ſignificata in illo ſanguine, & aquâ.

68 Objicies adhuc contra ſecundam partẽ cõcluſionis. Chriſtus in Cœlis orat, & oratione impetrat: ergo meretur etiam poſt mortem. Secundò: jam redivivus inſtituit aliqua Sacramenta: præſertim Sacramentum Pœnitentiæ *Ioan. 20.* ergo tunc etiam meruit. Reſpondetur, antecedens diſcutiendum eſſe *diſp. ſeq.* Nunc illo conceſſo, negatur conſequentia. Aliud enim eſt oratione impetrare; aliud eſt oratione mereri. Orant ſæpè apud Regem Filij Magnatum, qui eximiè meruerunt apud Regem, repreſentantes ſcilicet Regi eximia obſequia, & merita Parentum: qua oratione impetrant à Rege nova præmia: nõ quidem præmia orationis ſuę; ſed præmia meritorum, quæ oratio repreſentat. Sic ergo Chriſtus orans poſt mortem impetrat à Deo multa: non quæ ſint præmia orationis factæ extra tempus, & ſtatum merendi; ſed quæ ſint præmia ſuorum meritorum ante mortem factorum. Ad ſecundum, negatur ſimiliter conſequentia: nam inſtitutio illa non fuit meritum; ſed manifeſtatio voluntatis meritoriæ, quam habuit Chriſtus ante mortem pro illa inſtitutione.

Ioan 20.

Infra diſ. 18.

69 Concluſio ſecunda. Meruit Chriſtus in ſtatu ſuæ vitæ per actus ſupernaturales virtutum moralium, quos exercuit: & per actum quoque Charitatis, ſeu amoris Dei, ortum etiam ex viſione beatificâ. Prior pars eſt communis. Poſterior eſt contra communem: traditur tamen à Meratio *diſp 34 ſect. 4.* & Aldrete *diſp. 79.* citante S. Thom. Capreolum, Paludanum, Scotum, & Altiſſiodorenſem, quos ſequitur noviſſimè Eminentiſſimus de Lauræa *diſput. 19. artic. 4. §. 2.*

Merat. Aldret. S. Thom. Capreol. Palud. Altiſſio. Laurea. Scot.

70 Omiſſis varijs rationibus videndis apud Lauræam, & rejectis ab Aldrete, ratio mihi eſt. Quia in omnibus illis actibus exercuit Chriſtus libertatem à neceſſitate, etiamque in amore beatifico, non ſolum orto ex alia notitia, ut ajunt aliqui, ſed orto etiam ex

ipſa

buerit resurrectionis, ac proinde, & continuationis unionis hypostaticæ, præsertim in nostra sententia, illam magnâ ex parte identificante cum unione humanâ, in cujus renovatione stetit Resurrectio. Et est doctrina S. Thom. *quæst. 19. art. 3.* quòd, ubi nihil obstat ex natura rei, aut ex lege Dei, ex ijs donis, quæ Christus habuit, dicendum est habuisse ex meritis, tanquam quid magis glorioſum. Sic etiam Bernal *disp. 55.*

Bonav. Can. Merat. Ioã. à S. Lumb.

Bernal.

76 Conclusio quinta. Meruit sibi Christus gloriam sui corporis redivivi, exaltationem nominis sui honoresque divinos illi exhibitos, & exhibendos in terra, & in Cœlo. Est communis sententia: pro qua, præter rationem huc aptandam conclusionis præcedentis, faciunt Scripturæ. Apocal 5. *Dignus est Agnus, qui occisus est accipere divinitatem*: id est, honores divinos, ut ex sacris Expositoribus explicuimus *disp. 5. num. 97.* Hebræorum 2 *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Philippensium 2 *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod, & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Et Luæ 24. ex sanctissimo eusdem Christi redivivi ore: *Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* Per quæ satis significatur, hæc omnia habuisse Christum ex proprijs meritis.

Apoc. 5. *Supra disp. 5. sect. 7.* *Hebr. 2.* *Luc. 24.*

77 Conclusio sexta. Quinimo, & essentialem animæ gloriam, id est visionem beatificam habuisse Christum ex propijs meritis, sicut, & Gratiam habitualem, & habitus infusos virtutum, dici potest, cum Bernal *sect. 3.* Mayrono, Altisiodorensi, Bassolis, Bonæspei *disp. 15. num 30.* & alijs: quos inter B. Albertus Magnus, & Suarez id ut probabile defendunt: quidquid immeritò id censuret Turrianus. Ratio est discursus supra factus ex S. Thom. pro conclusione quartâ. Nec enim id repugnat, nec est cur de facto non sit Christi meritis concedendum. Confirmatur ex eo quod alibi docuit egregiè Magnus Suarez, B. Virginem, & Angelos in primo instanti sui esse habuisse gratiam habitualem ex propijs meritis congruis. Cur ergo non similiter Christus Gratiam, & Visionem ex condignis: condignitate scilicet sumptâ ex sanctitate unionis, & dignitate Personæ? Favet S. Thom. *quæst. 34. artic. 3.* quamvis *quæst. 19. art. 3.* sibi, & nobis videatur advertari: ut rectè expendit Lumbier *q 34 art 3 §. 2.*

Bernal. *Bonasp.* *Mayr.* *Altissio.* *Basol.* *Suar.* *Turrian.* *Suar.* *S. Thom.* *Lumb.*

78 Oppositum tenet sententia communior. Vasquez, Hurt. Lugus, & Aldrete, *sect. 1.* Godoy, Gonet, & Lumbier eos citans §. 1. Bonavent. & Canus apud Aldrete, itemque Meratius *disp. 46. sec. 2.* & Ioan. à S. Thom. *disp. 18. art. 1.* apud Lumbier citatum. Addunt aliqui, nec id fuisse possibile.

Vasq. *Hurt.* *Lug.* *Aldret.*

79 Objiciunt autem primò. Christus habuit Gratiam, virtutes infusas, & visionem beatificam in primo instanti reali sui esse: ergo non ex propijs meritis. Consequentia hæc nulla est: & falsò principio nixa, quòd in eodem instanti reali meriti nequeat dari præmium intuitu ipsius: contra quod diximus *disp. 5. sec. 2.*

Supra disp. 5.

80 Objiciunt secundò. Gratia habitualis, virtutes, & clara Dei visio debebantur Christo, ut proprietates connaturales unionis hypostaticæ: ergo non illas habuit ex meritis. Nulla quoque est hæc consequentia. In primis, quoad gratiam, & virtutes habituales: nam gloria etiam accidentalis corporis erat condebita Christo, ut proprietas connaturalis; quam tamen habuit ex meritis juxta ipsos objicientes. Deinde, adhuc quoad visionem indispensabiliter debitam ex *disp. 13. sec. 3.* Quia, ut cum Aldrete, Esparza, & alijs alibi teneo, potest idem donum dari alicui ex duplici titulo; & quia ex connexione physicâ debitum, & quia operibus etiam prometitum. Nec enim ea connexio doni cum subjecto obstat omninò rationi præmij, sicut nec rationi meriti condigni, quòd sit obsequium alioquin etiam ex alijs titulis debitum præmianti, ut sapienter tangit R.P.N.G. Thyrsus *disp. 18. n. 21.*

R.P.N. Thyrsus.

81 Objiciunt tertiò. Vel actus illi meritorij, quibus Christus meruisse dicitur Gratiam habitualem, virtutes, & gloriam animæ, oriebantur ab ipsa Gratia, & ab habitibus virtutum; vel non. Si primum: ergo meruerunt suum principium contra axioma: *Principium meriti non potest cadere sub meritum.* Si secundum; à quo ergo principio supernaturali efficiebantur, & condignificabantur? Respondetur, utrumquedici tutò posse. Primò quidem, quòd oriebantur ab ipsa Gratia, & habitibus virtutum: & hæc principia cecidisse sub meritum solutorium: quod non esse contra prædictum axioma vidimus latè *disp. 5.* Secundò, quòd non oriebantur à Gratia, nec ab habitibus virtutum; sed ab auxilijs intrinsecis gratiæ actualis, aut ab extrinseca assistentiâ Omnipotentiæ specialiùs applicatæ, & condignificabantur à sanctitate hypostaticâ: ut dici solet de actu contritionis, quo se peccator ultimò disponit ad gratiam iustificantem, quam accipit in eodem instanti reali; facto scilicet per auxilia actualia, & condignificato per gratiam ad me-

Supra disp. 4. sect. 6.

merendam eōdignè gloriam. De ijs *in Disputationibus de Iustificatione.*

82 Conclusio septima. Meruit Christus B. Virgini Maternitatem, & Immunitatem: Hominibus omnia auxilia, & gratias, quas habuerunt ante, & post peccatum: & Angelis similiter tàm bonis, quàm lapsis. Ita Suarez, & Valentia, apud Uvadingum *disp.10.dub.7.* itemque Baluius, & Alapide super loca Pauli huc pertinentia. Probatur ratione, & auctoritatibus legendis apud Uvadingum, & fusiùs apud Aldrete, quarum aliquas expendimus *disp. 6. sect.3.* Sic enim planissimè intelligitur, quòd Christus est fons, & origo, in genere etiam meritorio, omnis gratiæ, & benedictionis spiritualis iuxta multas Scripturas. Speciales difficultates circa B. Virginis Maternitatem dissolvimus *disp. 5. sect. 9.* & circa eius Immunitatem *disp.6 sect.* 13.

Suar. Valent. Bald. Alap. Vvadin. Aldret.

Supra disp.6.

Supra disp 5. & 6.

83 Oppositum in parte tenent Vasquez, Lugus, Bernal, & alij complures iuxta varios suos modos taliter disponendi, frustràq; ut autumo, coordinandi plura Dei decreta in negotio Redemptionis, ut negare teneantur, Gratias præsertim datas hominibus, & Angelis ante peccatum non fuisse ex meritis Christi: quia genus meriti solutorij nobis gratissimum, & ad complanandas multas Theologiæ difficultates penitus, ac necessarium, non agnoscunt.

Vasq. Lug. Bern.

84 Dicat aliquis, Christum non fuisse mortuum pro Angelis, sed pro hominibus: nec esse Redemptorem Angelorum, sed hominum: ergo non meruit gratias, & auxilia data Angelis. Respondetur facilè, totum antecedens esse verum de Redemptione reparativâ: ideóque absolutè solet concedi: quia supponitur sensus redemptionis reparativæ: & sic mortuus est pro hominibus, & non pro Angelis reparandis. Negatur verò consequentia: nam perinde non tollitur genus redemptionis præservativæ: in quo genere dicitur redemisse B. Virginem nunquam lapsam, & dici potest quodammodo Angelos redemisse, illisque proprissimè meruisse gratias, & auxilia, ne laberentur. Addo, quód, & per Adversarios, multo sibi per mortem meruit Christus iuxta conclusionē 4.5. & 6. quin tamen dicatur pro se mortuus. Hic enim modus loquendi sonat finem specialem redimendi homines reparativé taliter spectatum in hoc negotio, ut si homines non indiguissent reparatione Christus non fuisset mortuus, nec fortè Deus, iuxta multorum Theologorum, & Sanctorum Patrum sententiā, incarnatus, ut retulimus *disp.6 sect.*1.

Supra disp.6.

85 Conclusio postrema circa modum, aut genus meriti, quo Christus meruit. Auxilia, Gratia, Privilegia, aliaque præmia, quæ præcesserunt tempore Christum merentem, meruit postea Christus in genere meriti Solutorij: Illa, quæ tempore subsequuta sunt, & subsequentur ad Christum merentem, meruit in genere meriti remunerandi: illa verò, quæ data sunt, agente Christo vitam mortalem in statu merendi, partim meruit in genere meriti solutorij, quæ scilicet præcesserunt ad illud meritum cuius intuitu data sunt; partim in genere meriti remunerandi: quæ scilicet ad suum metitum fuerunt subsequuta.

86 Tota hæc doctrina, quam ad dona etiam naturalia ampliat Uvadingus *dub. 7.* pendet, & constat ex latè dictis de discrimine, & naturis horum meritorum *disp 5.* Ubi latè probatum est, in ipsis terminis implicare, præmium tempore antecedens ad meritum, qualia sine dubio fuere multa præmia collata antiquioribus Patribus intuitu meritorum Christi, dari in genere remuneratorio intuitu meriti tempore subsequētis: ac proinde recurrendum necessariò esse ad genus meriti solutorij.

Vvadin.

Supra disp.5.

87 An, & quomodo potuerit esse, aut fuerit ex Christi etiam meritis electio Prædestinatorum ad gloriam, videndum est *in Disputationibus de Prædestinatione.*

SECTIO VI.

An Christi satisfactio pro hominum offensis fuerit condigna: & quo pacto.

88 Conclusio. Fuit quidem condigna: imò, & superabundans. Constat ex superiùs dictis de Merito Christi præsertim *sec.* 4. Quia à dignitate infinita Personæ Verbi fuit valoris moralis simpliciter infiniti in genere satisfactionis, sicut, & in genere meriti; ac proinde, sicut in genere meriti superavit omne præmium; sic etiam in genere satisfactionis omnem gravitatem offensarum pro quibus satisfecit: præsertim cùm nullius offensæ divinæ gravitas sit simpliciter infinita, ut monstravimus latè *disp. 8. à sec.6.*

Supra disp.8.

89 Objicies. Ergo Deus injuriam fecit Christo, non remittens re ipsâ cunctis hominibus omnia peccata, nec omnes perducens ad gloriam: siquidē satisfactio Christi pro peccatis, & peccatoribus cunctis fuit condigna, & superabundans. Respondetur, negando consequentiam. Quia quamvis merita Christi quoad sufficientiam, & in ac-

Digitized by Google

tu primo fuerint; ut diximus, satisfactio plusquam condigna pro cunctis offensis; conventio tamen,& pactum inter Christum, & Patrem tale fuit, ut non nisi per mortem cōsummaretur satisfactio,& redemptio: & tunc quidem iuxta libertam Christi applicationē: Christus autem non sic applicuit sua merita quoad efficaciam, ut omnes ipso facto salvarentur in actu secundo; sed aliter, & aliter pro diversis iuxta inscrutabilia Dei iudicia.

90 Obijcies secundò. Christus oravit Patrem; ut ipsum audiret pro reparatione hominum: ergo quia eius satisfactio pro peccatis hominum non erat condigna. Sic non nulli Scotistę. Quibus negatur consequentia. Quamvis enim satisfactio fuerit condigna, voluit Christus inter alia sua obsequia offerre actum etiam orationis in satisfactionem, audiensà Patre illud Psalmi: *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* *Psal.2.*

91 Obijcies tertiò. Non potuit Christus agere Patri gratias condignas pro beneficijs acceptis: quia actus ipse actionis gratiarum est beneficium, & nequit esse actio gratiarum pro se ipso; ergo neque potuit condignè satisfacere pro offensis illatis. In primis negari posset antecedens, cuiusque ratio cum Martino Perez *disp.2. sect.4.* contra Becanum negantem actum posse esse gratiarum actionem pro se ipso. Deinde, dato antecedente, negatur consequentia; quia contra satisfactionem non militat ea ratio, ut per se satis patet. Aliam rationem negandi consequentiam affert Godoy *num.16.* de qua videndus insuper Coninc *disp.3.n.7.* *Perez.* *Godoy.* *Coninc.*

92 Obijcies quartò. Ut satisfactio Christi esset condigna, deberet esse sufficiens ad extinguendum omne debitum, quod homines contraximus per peccatum; sed non fuit ad id sufficiens; ergo non fuit condigna. Probatur minor: quia unum ex debitis, quæ contraximus, fuit carere Redemptore; ad hoc autem debitum extinguendum non fuit sufficiens ulla Christi satisfactio; utpote supponens existentiam Christi, ac proinde, debitum illud remissum independenter ab ipsâ. Hanc difficultatem vrfimus, & ex professo dissolvimus *disp.5.n.94.& à n.100.* *Supra disp.5. sec.7.*

93 Alias objectiones remitto in sectionem sequentem: quia potius impugnant satisfactionem Christi fuisse de rigore iustitiæ, quàm fuisse utcumque condignam.

94 Conclusio altera. Ut satisfactio Christi esset condigna pro hominibus in actu secundo, indiguit aliquo extrinseco, nempè ordinatione, pacto, vel conventione Dei. Probatur: quia, ut pro nobis esset, debuit offerri à Christo,& acceptari à Deo pro nobis: hoc autem non habebant obsequia Christi ex se, sed ab extrinseco beneplacito, & favore. Si quæras: quidnam fuerit illud extrinsecum requisitum? Dicam, fuisse, aut voluntatem Dei constituentem Christum Caput,& Fideiussorem hominum; aut fuisse pactum initum cum Christo de hominibus reparandis, si ipse pro hominibus moreretur. Quo pacto inito, & susceptâ à Christo morte, obligatur Deus remittere iuxta Christi applicantis voluntatem.

95 Hinc satisfactio Christi fuit pro nobis omnibus sufficiens: & aliquomodo efficax pro aliquibus efficacior: pro prædestinatis specialissimè efficacissima. Explico. Fuit pro nobis omnibus sufficiens: quia pro omnibus mortuus est, applicatione sui sanguinis effusi sufficiente ad salutem singulorum, ut contra quintam propositionem Corn. Iansenij Epise. Ipren. definivit Innocen. Decimus: & pro parvulis, ac morientibus etiam sine Fide,& sine Baptismo: quia pro his etiam omnibus dantur alijs auxilia sufficientia, quæ tamen ex aliqua culpa manent inefficacia. Ideòque fuit aliquomodo efficax Christi satisfactio pro omnibus, quia nullus est, pro quo reipsa non dispensatum sit aliquod auxilium ex meritis Christi: ut in Disputationibus *de Auxilijs*, & *de Prædestinatione*, solet luculentius elucidari. Fuit deinde pro aliquibus efficacior: pro illis scilicet, qui in se ipsis habuerunt aliqua auxilia, vel consequuti sunt per iustificationem remissionem peccati saltem originalis. Fuit tandem pro alijs specialissimè efficacissima: scilicet pro Prædestinatis: qui non solum ex meritis Christi consequuntur iustificationem; verumetiam donum finalis perseverantiæ,& gloriam inamissibilem. *Innoc.10.*

96 Occurrit dubiolum; an homo purus, quando ex gratis per Christum iustificatur, dici possit, quòd, *ut membrum Christi*, satisfacit condignè pro peccato suo. Affirmat Amicus *disp.5. sec.4.* citans Suarez, & alios. Negant Bernal *disp.4. sec.7.* & Comine *disp.4. dub.5.* cum Vasq & alijs. Dissidium videtur nominale: quod exploratis vocibus potest sic componi. Si satisfacere condignè, *ut membrum Christi*, significat, hominem, quando iustificatur, ex auxilijs per Christum facere opera condignè satisfactoria, hoc est æqualis obsequij, ac erat offensa Dei in ratione iniuriæ; verum non est; quia nulla Christi expitis auxilia, nec merita facere possunt, quòd obsequium, quodcumque sit, puræ creaturæ æquivalcant gravitati di- *Amic.* *Suar.* *Bern.* *Comine.* *Vasq.*

Supra diſp. 8. vinæ offenſæ, ut evicimus *diſp.* 8. Si ſatisfacere condignè, *ut membrum Chriſti*, ſignificat, meritum illud puri hominis, ut conjunctum cum meritis Chriſti capitis, ſatisfacere condignè; verum eſt: quia complexum ex merito hominis, & ex merito Chriſti eſt obſequium Deo ſimpliciter infinitum, ac proinde exæquans, & excedens gravitatem cuiuslibet offenſæ. Quia verò propoſitio illa non ſonat abſolutè iſtud poſterius, ſed iſtud prius; ideò abſolutè loquendo judico, negandam eſſe cum Bernal, & Co-

Bern. Coninit. nino.

97 Aliud dubiolum ſubijcit ibi Bernal: an homo purus offerens Deo ſua opera nomine Chriſti, quaſi Chriſti vices gerens, dici poſſit ſatisfacere condignè. Reſpondet, & meritò, negativè. Quia actio ſatisfactoria pro honore Dei contempto ex ſe valdè perſonalis eſt. Unde ſi Rex Regi Alapam impegiſſet, non ſatisfaceret mittens ſervum, qui nomine ſuo alapam repateretur.

SECTIO VII.

An Chriſti ſatisfactio fuerit vera hominum Redemptio: & in quo reipſâ conſtiterit.

98 CHriſtum redemiſſe, ac reparaſſe humanum genus à peccato, eiuſque ſatisfactionem fuiſſe Redemptionem, non eſt dubium. Sic enim ex Scripturis loquitur Tridentinum *ſeſſ. 6. c. 1. & 2.* *Trident.* Id quod intelligendum eſt pro illis etiam hominibus, qui non ſalvantur, ſed ſua, vel aliorum culpa pereunt: ut definitum eſt ab Innocentio Decimo, contra Iáſenium. Nam Chriſtus pro cunctis mortuus eſt, omnibuſque meruit auxilia, quibus ſalvarentur, ſi aliquorum culpâ non evaſiſſent inefficacia. Quomodo, & in quo ſenſu B. Virgo, & Angeli ſint, & dicantur etiam redempti diſtinximus, & explicuimus *diſput. 6. num. 171. & 172.* *Supra diſp. 6. ſec. 12.*

99 Difficultas præſens eſt: an, cum dicitur Chriſtus redemiſſe nos, loquutio ſit propria de verâ redemptione; an impropria, & metaphorica. Et ratio dubitandi eſt: quia ſtricta redemptio reparativa debet eſſe liberatio ab aliqua captivitate: ſed homines non fuerunt captivi: ergo nec propriè redempti: atque adeò Chriſti ſatisfactio pro ipſis non fuit vera redemptio. Probatur minor: quia non fuerunt ſub tyranicâ alicuius poteſtate. Non videlicet Dei; quippè Deus legitimus Dominus eſt, & non tyrannus: nec quidem *Anſel.* dæmonis: quippè dæmon ex Anſelmo, & Bernardo ſolum eſt cuſtos, & punitor peccatorũ, ut miniſter divinæ juſtitiæ: ergo non habet, nec exercet tyrannycam poteſtatem, imò potiùs miniſterium à legitimo Domino commiſſum. *Bernal.*

100 Reſpondent aliqui ex Araujo, dæmonem exercere tyrannidem: quia poſt peccatum habet à Deo poteſtatem tentandi homines inſtigando pro libito ad peccatum, & poſtea poteſtatem puniendi, ſicut tyrannus punit, & ducit captivum quò vult. Contra tamen: quia ea poteſtas dicit facultatem tentandi, & poſtea ius puniendi in infernos; quævis autem ius iſtud poſterius ſit à Deo delegatum; non tamen prior illa facultas, quàm ad ſummum Deus dæmoni permittit: ergo in illo priori jure puniendi dæmon non eſt tyrannus; in iſta verò facultate tentandi non eſt à Deo delegatus, quaſi commiſſarius: poteſtas enim delegata ſupponit ordinariam in delegante, quæ in Deo ad tentandum eſſe non poteſt: *Deus enim neminem tentat.* *Arauj.* *Iacob. 1.*

101 His tamen minimè obſtantibus, dicendum eſt, ſatisfactionem Chriſti fuiſſe veram, & propriam redemptionem. Ut ſalvetur proprietas Scripturarum, identidem conclamantium, emptionem, & redemptionem noſtram per Chriſtum à ſervitute peccati, & à poteſtate diaboli. 1. Corinth. 6 *Empti enim eſtis pretio magno.* Et Pſalm. 110. *Redemptionem miſit populo ſuo.* Et Iſai. 52. *Sine argento redimemini.* & paſſim alibi. *1. Cor. 6.* *Pſal. 110.* *Iſai. 52.*

102 Ad rationem dubitandi *numero 99.* negatur minor, eiuſque probatio. Nam homo, factus per peccatum poſitivè indignus omni auxilio, ſubijcitur ſpecialiter ſub tyrannico dæmonis iugo, quatenus ſubeſt eius ſuggeſtionibus ita miſerè, ut ducerentur à dæmone in ulteriora peccata moraliter irreſiſtibilia viribus naturæ lapſæ, donec tandem detruderentur in tartara. In hoc autem non agit dæmon, ut Dei delegatus; ſed Deo permittente, & homine ſic malè merente, utitur depravatâ & hoſtili ſua voluntate, tanquam tyrannus. Nec iſtam tyrannidem negant Anſelmus, & Bernardus; ſed eam explicant à poſteriori per effectum, ſeu miniſterium puniendi, quod exercet poſtea dæmon ſæviens in damnatos.

103 Dices. Pretium redemptionis ſpectat ad illum, qui tenebat captivum: ſed pretium ſanguinis Chriſti Deo, & non dæmoni datum eſt: erga ea noſtra captivitas non erat ſub tyranide dæmonis. Reſpondetur, maiorem non eſſe ex univerſali iure veram: tum pretium dandum eſt ei, cui debetur: Deo autem offenſo per peccata debebatur pre-

tium

tium redemptionis, & ſatisfactionis pro peccato.

104 Dices rursús. Chriſtus non homines redemit faciens, ut qui erant in inferno liberarentur: quia in inferno nulla eſt redemptio. Nec liberando eos juſtos, qui detinebatur in carcere Limbi, ſeu in ſinu Abrahæ: nec enim ibi erant ſub tyrannide diaboli; eaque non fuit redemptio generalis, ſed ſpecialis. Nec liberando homines à tentationibus, nec à peccatis: quia quotidie etiamnum tentantur, & peccant. In quo ergo ſtetit Chriſti Redemptio?

105 Venimus ſenſim ad alteram Sectionis partem. Quocirca reſpondeo, Chriſti Redemptionem conſtitiſſe in liberatione hominum à peccatis, & tentationibus. Non quód reipſa homines redempti liberi iam ſint, ne tententur, nec peccent; ſed quia liberi ſunt à tyrannide diabolicâ tentationũ, & peccatorũ: quatenus nẽpè dæmon vexaret acriùs, & potentiùs homines lapſos non habentes Reparatorem. Dices etiam ante Reparatorem dabantur hominibus auxilia, ut reſiſterent tentationibus. Verum eſt: at ea ipſa auxilia anticipata fuerunt jam ex meritis Chriſti Reparatoris, fueruntquè fructus Redemptionis. Nec erant tanta, quanta poſt exercitam Redemptionem: *pugnabant*, inquit Auguſtinus: *Homines cum dæmone tanquam cum cane ſaluto; nunc verò tanquam cum cane ligato.* De quo Bernul *diſp.10.* *Auguſt.* *Bernal.*

106 Ulteriori tamẽ adhuc indiget explicatione: in quo re ipſa conſtiterit liberatio illa, ſeu Redemptio generis humani per Chriſtum Reparatorem? Dicunt aliqui ex P. Vaſquez, conſtitiſſe in eo quòd Chriſtus meruerit adultis auxilia, ut poſſint juſtificari, & parvulis ipſam juſtificationem. Cæterùm, niſi hoc ampliùs explicetur, inſufficiens eſt: nam aliud eſt, mereri peccatori auxilium, quo poſſit converti; aliud eſt ſatisfacere condignè pro ipſius peccato: non ergo ſatisfactio iſta ſtat præciſè in illo merito. *Vaſq.* *Alvar.*

107 Stat igitur in eo quòd Chriſtus obtuleit Patri obſequia, tàm honorifica, & multò magis, quàm offenſæ ſint iniurioſæ: ac proinde talia, quæ ſufficerent, & ſuperabundarent ad obtinendam condonationem omnium prorsús offenſarum, ſi per condonationem ex pacto cum Patre forent remittendæ; ſi verò per infuſionem gratiæ, ſufficerent ad delendas offenſas obtinendo cunctis gratiam juſtificantem, vel auxilia, quibus re ipſa omnes ſe diſponerent ad juſtificationem. Quamvis ex libera Chriſti applicatione, juxta pactum cum Patre, limitatum id fuerit, ut aliquibus conferantur ad id auxilia efficacia, aliquibus meré ſufficientia. Sic Bernal cit. *Bern.*

108 Hinc de facto ſatisfactio Chriſti fuit maximè per modum meriti. Nec propterea venimus omninó in id, quod retulimus ex P. Vaſquez. Nam aliud eſt, quòd ſatisfactio importet dictam rationem meriti; aliud, quód in illa conſiſtat. Primum eſt verum, prout de facto; ſecundum falſum. Non enim conſiſtit per ſe ſatisfactio, & redemptio Chriſti, niſi in eo quòd Chriſtus obtuleric Patri obſequia compenſantia ſufficienter offenſas. Quia verò lex Dei eſt, & beneplacitum Chriſti, quòd offenſæ non remittantur, niſi per infuſionem Gratiæ, nec in adultis niſi per propriam diſpoſitionem ſupernaturalem; idcircò ſatisfactio, & redemptio Chriſti, prout de facto importat meritum, quo Chriſtus obtinuit hominibus gratiam, ſive auxilia ſupernaturalia, quibus poſſint ſe diſponere ad Gratiam juſtificationis: qua non ſolum remittitur peccatum, ſed conſtituitur homo in ſtatu adoptionis, & amicitiæ divinæ, conſors divinæ naturæ: quod eſt quid excellentius, & ſublimius, quàm pura condonatio.

109 Iuvat exemplum appoſitiſſimum. Dupliciter poſſet Rex potentiſſimus redimere vaſſallos ſuos captivos apud ſæviſſimos hoſtes. Uno modo, illos, velint nolint, extrahendo à carceribus, & catenis, & reſtituendo Patriæ ſuæ: alio modo, ſolvendo catenas, aperiendo carceres, & tutum parans iter, ac ſubſidia neceſſaria, quibus poſſint, ſi volunt, in Patriam liberè, ac tutè reverti. Hic ſecundus modus vera quoque redemptio eſt, qua ſic poſitâ, qui maneret in captivitate, ſua culpâ maneret. Et ad hunc ſecundum modum intelligenda eſt Chriſti Redemptio.

110 P. Suar. *diſp.4. ſec.4. verſ. Propter hanc*, diſputat: an per auxilia, quæ dantur hominibus per Chriſtum poſt lapſum Generis humani, ſalvi fiant tot homines, quot ſalvarentur, ſi perſeveraſſet Adamus in ſtatu Innocentiæ. Refert autem opinionem S. Thomæ negantem; & aliam affirmantem, quaſi congruentiorem gloriæ tanti Redemptoris. Nam, quamvis ex una parte videatur natura lapſa pronior, & inſtigatior per tentationes formitemque peccati, ad ulteriora peccata, quàm foret non lapſa; ex alia verò parte auxilia per Chriſtum Redemptorem ſunt multó uberiora, quàm fuiſſent in eó ſtatu: ut verum ſit illud Apoſtoli: *ubi abundavit delictum, ſuperabundavit, & gratia*: Et illud ejuſdem Chriſti Ioan. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Ipſe verò Suarez videtur approbare, quòd non plures ſalvi fiant in uno ſtatu, quàm *Suar.* *S. Thom.* *Rom. 5.*

fierent in alio. Res est nobis inexplorata.

SECTIO VIII.

An satisfactio Christi fuerit de rigore justitiæ?

111 Disputationem de stricta justitia commutativâ inter Deum, & homines ordine decimam, dedi luci in Theologia mea de Attributis Dei in particulari. Ubi tenui cum P. Suar. & multis alijs ibi allegatis, posse inter Deum, & homines exerceri mutuò veram, strictamque justitiam commutativam: & dissolvi objectiones graves, quibus impeti solet generaliter ea doctrina à doctissimis contradictoribus cum P. Vasquez, alijsque ibidem copiosè citatis. *Tom. 1. disp. 10.* *Suar.*

112 Quâ nostrâ doctrinâ suppositâ, ibique videndâ; supereſt in præsenti scrutari: an quidquam specialiter obstet, quominus Christi satisfactio pro peccatis nostris fuerit non quomodocumque condigna; sed ex rigore strictæ justitiæ: quod noviter expendit dignissimè R. A. P. N. G. Thyrsus *tom. 3. disp. 18. 19. & 20.* eamdem, quam nos, Eximij Doctoris sententiam amplectens, & illustrans. *R. P. N. Thyrs.*

113 Conclusio est firma: satisfactionem, ac redemptionem Christi fuisse de rigore justitiæ. Probatur in primis ratione à priori desumptâ ex P. Suarez, quâ *disp. illâ 10 de Attributis à num. 17.* contendimus, cum ampliatione etiam contra limitationem Patris Ripaldæ, nullo ex capite dedecere, aut repugnare, Deum ex strictâ justitia commutativâ obligari erga creaturas suas, illisque mercedem pro meritis reddere. Id quod erga Christum non est cur diei similiter non possit, ac debeat. *Tom. 1. disp. 10. sec. 2.* *Rip.*

114 Deinde specialiter faciunt pro Christo satisfaciente Auctoritates multæ. 1. Corinth. 1. *Christus factus est nobis sapientia à Deo, justitia, & sanctificatio, & redemptio.* Roman. 3. & 5. *Quem proposuit Deus ad ostensionem justitiæ suæ. Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic, & per unius justitiam, &c.* Et alibi vocatur idemtidem in Sacris litteris Christi satisfactio *Emptio* nostra, facta *pretio* magno: Et *copiosa apud eum Redemptio*: quæ voces justitiæ rigorem sonant. Nec eas licet, absque necessitate, & utilitate in sensus improprios, ac metaphoricos detorquere contra monitum Augustini. Accedunt SS. Patres præsertim Gregorius, & Augustinus ipse, videndi apud Suarez, & Godoy. Non omittam *1. Cor. 1.* *Rom. 3. & 5.* *Ps. 129.* *Greg.* *August.* *Suar.* *Godoy.*

Proclum Antistitem Constantinopolitanum *in Conc. Ephesino cap. 7.* proclamantem *Exactum debitum ad justitiæ amussim exæquatum fuisse in Christi Domini satisfactione.* Quo quid illustrius, & exactius? *Procl. Ephes.*

115 Generalia contra conclusionem istam objecimus nobis, & diluimus *loc. cit.* Aliqua specialia, nuper *in hac disp. sect. 6.* pro condignitate meritorum Christi. Percurremus specialiora juxta conditiones communiter requiri solitas ad rigorem justitiæ.

116 Objicitur primo Augustinus 1. *Confess. 4.* dicentem: *Deus reddit debita nulli debens*: id est, nulli debens ex justitia: quasi supponat, Deum nemini, ac proinde nec Christo, obligari unquam potuisse de rigore justitiæ. Respondetur tamen, in eo potiùs Augustini accumine contineri totam doctrinam rigoris justitiæ inter Deum, & homines; ac proinde inter Deum, & Christum. Ait enim Augustinus, quòd *Deus reddit debita*: hoc dicimus esse de rigore etiam justitiæ: quòd autem subdit, *nulli debens*; non est negare Deum debere; esset enim negare quod dixerat; sed est dicere, nemini debere quidquam, aut reddere posse ex debito, aut obligatione justitiæ, nisi priùs sponte, & gratis voluerit se ex justitia obligare pacto, promissione, aut ordinatione suâ. Sic est, quòd sine debito volendi se obligare, vult se obligare ad multa ex debito justitiæ faciendo, & Christo propter sua merita, & nobis etiam propter nostra, concedenda. *August.*

117 Objicitur secundò. Christus est verè Dei Filius, & Servus: sed Patris ad Filium, Domini ad Servum, non admittitur obligatio justitiæ: ergo neque Dei ad Christum: ac proinde Christi satisfactio, quantumvis condigna, non potuit Deum obligare ex justitia ad condonandas hominum injurias; nec esse de rigore justitiæ. Minor sumitur ex Aristotele. Respondetur, minorem fallere in multis casibus videndis *in Disputationibus de Justitia, & iure*, ex certis pactis, & conventionibus possibilibus inter Dominos, & servos; Patres, & Filios. Quando autem Aristoteles negat obligationes justitiæ Domini ad servum, intelligitur, non ex natura rei, sed de justitia politica juxta leges civiles non admittentes in judicio forensi actionem servi contra Dominum. Quamvis ergo Christus sit verè servus Dei, potuit Deus cum Christo taliter pacisci de reparandis hominibus propter Christi opera, ut ijs Deo exhibitis, resultaret in Deo obligatio justitiæ circa hominum reparationem ad beneplacitum, seu applicationem Christi. *Arist.*

118 Objicitur tertiò. Una ex conditionibus

nibus strictæ justitiæ ex eodem Aristotele, est, quòd sit ad alterum: cùm enim sit virtus respectiva duorum, idem nequit dici solvere, aut satisfacere sibi ex justitia: sed satisfactio Christi non fuit ad alterum; cùm Christus sit ipse Deus cui satisfit: ergo non fuit de rigore justitiæ. Nec prodest dicere, jam fuisse ad alterum suppositum, nempé ad Patrem. Nam Christus non magis satisfecit Patri, ac Spiritui Sancto, quam Verbo, quod est eius suppositum: Deus enim quoad tres Personas fuerat offensus; ficque ad tres Personas, seu ad Deum, ut unum in tribus, debuit esse satisfactio. Hæc objectio patitur instantias manifestas in oratione, adoratione obedientiâ, & Merito Christi ad Deum: hæ enim virtutes Christo innegabiles respectu Dei, non minùs sunt ad alterum, quàm Iustitia.

119 Responderi solet: non requiri ad rationem justitiæ, quód sit ad alterum physicè in re; sed, vel physicé in re, vel moraliter in iure: ut patet in Tutore, qui physicè unus, quia moraliter representat duas Personas, suam scilicet quatenus talis homo est, & pupilli, quatenus procurator pupilli est; potest secum ipso secundum illas duas moralitates exercere contractus, & solutiones ex justitia: si nempé, ut procurator pupilli solvat sibi aliquid, quod ipsi debet pupillus: quæ solutio, quamvis physicè in re sit unius ad semetipsum; est tamen ad alterum moraliter in iure: quia ille unus representat duos: & hæc alteritas dicitur sufficere ad exercitium strictæ justitiæ. Sic ergo distincta, & explicatâ maiori, distinguitur minor: satisfactio Christi non fuit ad alterum re, verum, non fuit ad alterum iure, falsum: quia Christus erat Deus; &, ut fideiussor Generis humani, representabat homines; quorum nomine, ut Fideiussor, solvit, & satisfecit Deo, & sibi ipsi ut Deo: ficque fuit eius satisfactio unius ad alterum eâ iuris alteritate, quæ sufficit ad rigorem justitiæ.

120 Respondetur secundó, distinguendo majorem: quód sit ad alterum alteritate suppositi, nego, vel suppositi, vel naturæ, concedo. Quod si Aristoteles id non distinxit, & absolutè intellexit esse debere justitiam inter duo suppositа, vel duas personas; ideò est, quia dualitatem, seu alteritatem duarum naturarum completarum in unitate supositi minimé novit. Hinc ad minorem dico, satisfactionem Christi, ut hominis ad Patrem, & ad ipsum Christum, ut Deum, jam fuisse ad alterum in natura. Quæ quidem alteritas, sivè distinctio Naturarum, aut sufficientissima est ad hoc ut Christus, ut homo, dicatur ex justitia satisfeciſſe sibimetipsi, ut Deo; aut non est sufficiens, ut dicatur satisfeciſſe: nam alteritas non minùs requiritur ad satisfactionem, quam ad satisfactionem ex justitia: nullum enim verbulum est in definitione justitiæ exprimens maiorem alteritatem. Id quod, præcipuè etiam à præsenti quæstione, necesse est ab omnibus dici in oratione, adoratione, obedientia, subiectione, & Merito Christi: hæc enim exercebat proprissimè Christus, ut homo, erga seipsum, ut Deum, per distinctionem naturarum, & voluntatum divinæ, & humanæ in una Persona. Unde negatur consequentia. Hæc responsio videtur utilior: quia doctrinam continet pro alijs etiam actionibus Christi, nomine etiam suo exercitis. Quinimo ad eiusmodi exercitia magis referre videtur distinctio naturarum, & voluntatum, quàm Personarum: alioquin dari possent inter Personas Divinas.

121 Impetit nihilominus responsiones istas P. Vasquez. Quia, quamvis iuxta alteritatem naturarum in Christo benè intelligatur, quòd Christus, ut homo, satisfaciat sibi ipsi, ut Deo; non tamen ex justitia: nam æqualitas satisfactionis sumitur á dignitate Personæ; quæ se tenet ex parte Christi, ut Dei, & est proprissimè bonum ipsius Dei: nequit autem esse satisfactio ad Deum de rigore justitiæ, quæ æqualitatem, seu condignitatem sumit ex bonis creditoris; imò, & ex ipso creditore. Respondetur tamen, sic impeti rigorem justitiæ, jam non ex capite alteritatis satisfacientis ab illo, cui satisfit; sed alio ex capite, quód nempé satisfactio Christi fiat ex bonis creditoris: hoc autem minimé obesse rigori justitiæ videbimus ad objectionem quartam. Nunc dico, nec proinde tolli, quominus satisfactio Christi condignificata à dignitate ipsa Dei, sit satisfactio ex justitia Deo. Nam si proinde tolleretur ab actionibus Christi ratio satisfactionis ex justitia, similiter tolleretur ratio meriti condigni apud Deũ: cõtra quod omnes tenemus. Dicendum igitur est, neutrum proinde tolli: quia dignitas illa Personæ, quamvis sit dignitas ipsius Dei offensi, sit per gratiam unionis dignitas etiam humanitatis, pro ipsius libertate applicabilis ad actiones liberas meritorias, & satisfactorias: quod sufficit, ut Christus per actiones istas liberas, & liberè sic condignificatas possit ex stricta justitia satisfacere, & solvere Deo: sicut, & apud Deum condignè mereri: ut in simili diximus *disp. 5. à num. 85.*

Vasq.

Suarp disp. 5. sec. 6.

122 Objicitur quartò. Alia ex conditionibus rigorosę justitiæ est, quòd satisfactio, seu compensatio non fiat à debitore, seu satis-

ſatisfactore ex bonis creditoris, cui ſatisfit. Sed non ſolum Perſonalitas, valorans obſequia honorifica Chriſti, verumetiam ipſa obſequia, ipſeque honor Deo reſultans, ſunt bona ipſius Dei, qui eorum eſt proprijſſimè Dominus: ergo per hæc non potuit Chriſtus ſatisfacere Deo ex ſtricta juſtitia.

Vaſq. Lug. Quid enim Chriſtus offerret Deo, quod Dei non eſſet? Reiectis multis reſponſionibus, quas impugnat Vaſquez, & ex illo Lugus, reſpondeo, diſtinguendo maiorem, & explicando conditionem illam rigoroſæ juſtitiæ: quòd non fiat à debitore ex bonis creditoris, quæ non ſimul, & proprijſſimè ſint bona etiam debitoris, aut ſatisfactoris, concedo; quæ ſimul ſint proprijſſimè bona etiam debitoris, nego maiorem. Et ad minorem dico, ipſa obſequia libera Chriſti eſſe quidem proprijſſimè Dei, cuius ſunt omnia; at eſſe quoque proprijſſimè Chriſti, etiam ut hominis, à cuius liberâ determinatione exhibentur Deo. Sicut ergo modus, quo ea ipſa obſequia meritoria Chriſti ſunt libera Deo, non tollit quominus in omnium ſententia ſint libera Chriſto quoad eorum poſitionem, vel non poſitionem, alioquin non extitura, niſi ex liberâ determinatione Chriſti; ita pariter modus, quo ſunt proprijſſimè bona Dei, ſupremi omnium Domini, non tollit, quominus ſint etiam Chriſti proprio, & ſpecialiſſimo dominio libertatis. Sicque Chriſtus, per ea ſatisfaciens, per ſua, & verè de ſuo ſatisfecit: quod ſufficit ex hoc capite ad rigorem juſtitiæ: quantumvis illa omnia ſint etiam alioquin bona Dei. Hinc negatur conſequentia. Et ad interrogationem ſubiunctam dico, nihil obtuliſſe Chriſtum Deo, quod Dei non eſſet, eo ipſo quòd extitiſſet; illud tamen ipſum verè fuiſſe Chriſti dominio libertatis humanæ, ex cuius liberâ determinatione exiſtunt reipſa exercitè illa obſequia valoris infiniti pro dominio libertatis ſuæ ſub dominio Dei, alioquin non extitura. Quæ contra hæc, præſertim ex ſimultaneo duorum dominio in ſolidum eiuſdem rei, urgeri ſolent, ſoluta ſatis, ac explicata à nobis ſunt *diſput. illâ 10. de Attributis, ſect. 4.*

Tom. 1. diſp. 10.

123 Atque hinc occurritur ali conditioni juſtitiæ, quòd nempè ſatisfactio ita debeat exhiberi à ſatisfactore de ſuis, ut non ſit ex gratuitò acceptis á creditore. Hoc tamen non ſatis probatur pro caſu, quo, vel illa ipſa gratuitò accepta fiunt verè debitoris, vel ex illis lucretur debitor alia, quæ facit ſua. Ex pecunia namque gratuitò donatâ à creditore, poſſet ex propria induſtria debitor negotiari, & adquirere bona, quibus de ſuo poſſet ex juſtitia ſolvere creditori totum debitum. Nec prodeſt quod ait Vaſq. hoc eſſe verum in negotiatione, & mercaturâ, quàm homo debitor faceret ex pecunia Creditoris: quia ipſe debitor per induſtriam ſuam eſt auctor præcipuus, & cauſa lucri potius quàm creditor, cuius pecunia prærogata eſt dumtaxat veluti inſtrumentum. At in operationibus, vel, ut ita dicam, negotiatione Chriſti per auxilia, & gratias à Deo prærogatas, Deus eſt ſemper Auctor præcipuus, & cauſa principalior. Video diſcrimẽ, ſed ñ ſatis ad rẽ. Nihil enim ad rigorem juſtitiæ, aut obeſt, aut prodeſt ex ejus eſſentiali definitione, quòd lucrũ per induſtriam debitoris perceptum ex donis creditoris, ſit, aut non ſit à debitore, ut cauſâ principali, dummodo verè ſiat debitoris: hoc enim ipſo ſolvit de ſuo. Addendum, quòd in operationibus liberis voluntatis creatæ factis ex donis prærogatis à Deo creditore, quãvis Deus ſit cauſa principalis efficiens, voluntas ipſa creata, ut ſuorum actuum liberorum verè domina, eſt cauſa principalis, imò, & unica electivé determinans ſe. *Vaſq.*

124 Objicitur quintò. De ratione ſatisfactionis ex juſtitia eſt eſſe debitam à ſatisfaciente, & exhibitam perſonaliter per debitorem: quia quod non debetur, non redditur, nec ſolvitur ex juſtitiæ. Sed ſatisfactio cõdigna pro peccatis noſtris non erat debita à nobis; nobis enim erat impoſsibilis: nec erat debita à Chriſto; quippè non peccaverat, nec fuit exhibita perſonaliter ab hominibus debitoribus alicuius ſaltem ſatisfactionis ſibi poſsibilis: ergo non potuit eſſe de rigore juſtitiæ. Confirmatur: nam ſatisfactio, quæ non exhibetur perſonaliter ab ipſo debitore, poteſt à creditore non acceptari, ut ſi debente mihi Petro centum, offerat mihi centum Franciſcus; poſſem equidem, illa nolle acceptare, ſicque nolle extingui debitum Petri: cùm ergo ſatisfactio Chriſti pro nobis poſſet à Deo libere non acceptari, eo ipſo nõ fuit de rigore juſtitiæ.

125 Reſpondetur, maiorem univerſaliter non eſſe veram, nec talem conditionem colligi ex eſſentia, & natura rigoroſæ juſtitiæ. Quãvis enim ſatisfaciẽs nõ debeat ſatisfactionem perſonaliter; factus tamen, & admiſſus à creditore, quaſi fideiuſſor debitoris, poteſt ex ſtricta juſtitia ſatisfacere, ſi debitum, aut iniuriam alioquin exæquet ſatisfactione ſuâ. In probatione maioris verum eſt, non ſolvi ex juſtitia quod à nemine, & nullo modo debetur: ſufficit autem ab aliquo deberi, ad hoc, ut alter ex conſenſu creditoris pro illo reddat, & ſolvat ex juſtitia. Ad minorem fateor, quòd homines non debebant ſatisfactionem con-

condignam pro iniurijs Deo illatis, utpote sibi impossibilem; ut debebant verò quantam possent satisfactionem, & satispassionem. Pro hoc autem debito potuit Christus ex consensu Dei creditoris constitutus hominum fideiussor, ex iustitia Deo satisfacere. Quod autem eius satisfactio superabundaverit ultra debitum non est contra rigorem iustitiæ; ut dicemus ad ultimam obiectionem. Præterea, quòd non fuerit personaliter exhibita ab hominibus debitoribus, non efficit rigori justitiæ, accedente consensu Dei creditoris, quòd alius pro ipsis satisfaceret, ut dicemus ad cõfirmationem.

126 Ad confirmationem agnosco discrimen inter satisfactionem personaliter, & sufficienter exhibitam ab ipso debitore; & exhibitam ab alio pro ipso: quòd illa nequeat non acceptari propter ius, quod quilibet habet exonerandi se à debito, si potest, & vult: ista verò potest non acceptari à creditore volente uti iure suo exigendi satisfactionem, aut satispassionem possibilem à suo debitore, aut iniuriatore. Hoc tamen non tollit, quominus, stante consensu creditoris acceptandi satisfactionem ab alio pro debitore, hæc sit ex hac parte de rigore iustitiæ. Quemadmodum certè, si solutio, seu satisfactio fieret alteri tertio, cui alioquin non debebatur, illam acceptanti nomine, vel de consensu creditoris. Hinc sic explicato antecedente, fatemur liberam dignationem Dei fuisse inire pactum cum Christo quasi fideiussore de acceptandâ pro nobis ipsius satisfactione: negamus tamen consequentiam. Porrò quòd non officiat rigori iustitiæ ea satisfactionis, vel solutionis in actu secundo dependentia ab ordinatione, seu conventione extrinsecâ, patet manifestè exemplo illo duorum æquè laborantium in vineâ: quorum alter, qui ex conventione laboravit, lucratur mercedem, solvendam etiam de rigore iustitiæ.

127 Dices: quamvis hoc sit verum in merito; non sic in satisfactione: hæc enim, ut sit ex iustitia, debet ex se ita sufficere, ut nequeat non acceptari, propter illud ipsum ius debitoris exonerandi se à gravamine debiti. Respondeo, discrimen istud esse verum, quando satisfactio fit personaliter à debitore, & in ipsa materia debiti, ut si furatus æquum restituat ipsum æquum: at si fiat in alia materia, vel ab alia persona nomine debitoris, requirit etiam extrinsecam conventionem, seu pactum, aut consensum creditoris: quin per eiusmodi extrinsecum prærequisitum desinat esse de rigore iustitiæ quòd hoc autem tenet partitas meriti.

128 Obijcitur sextò. Per ea, quæ debentur creditori ex alijs titulis, nequit illi satisfieri ex novo titulo justitiæ rigorosæ: sed omnia Christi opera sunt ex multis alijs titulis debitissima Deo omnium creditori, ac Domino: ergo per ea non potuit Christus satisfacere Deo pro hominibus ex stricta iustitia. Respondetur, maiorem esse falsam in multis exemplis videndis *disp. illa 10. de Attrib. num. 52.* Ad rem præsentem distinguatur maior: si alij tituli faciant, ne satisfactio ex æquet etiam novum titulum justitiæ, concedo; quando, expletis alijs titulis, supereſt in satisfactione valór moralis exæquans etiam novum titulum justitiæ, nego maiorem. Talis autem fuit satisfactio Christi, utpote valoris ad omnia simpliciter infiniti, ut visum est *sec. 2. & 4.* Unde, concessâ minori, negatur consequentia. *Tom. 1. disp. 10. sec. 5.*

129 Obijcit tandem per viam aliam oppositam P. Bernal. Satisfactio Christi fuit superabundans, infinitè inæqualis gravitati injuriarum Dei, omnesque hominum offensas superexcedens: ergo non fuit de rigore justitiæ, respicientis utique æqualitatem. Respondetur, negando consequentiam. Justitia namque respicit æqualitatem, non tam rerum, quàm jurium: hoc est, quòd datâ & acceptâ satisfactione, non ultra maneat ius in creditore quidquam exigendi pro debito sufficienter extincto. Quòd verò debitor, eiusve legitimus fideiussor, velit exhibere plus, quàm ad extinguendum debitum requireretur, ut evenit in Christo, nihil obsequij sui potentæ exhibere Deo, quod non excedat gravitatem offensarum; non tollit, nec minuit exercitium strictissimæ justitiæ: cui nimirum deroguret inæqualitas satisfactionis per defectum: non autem per excessum. *Bern.*

SECTIO IX.

Ex qua virtute fuerit exhibita à Christo, & acceptata à Deo satisfactio Christi. Ubi remissivè de obligatione justitiæ à Deo exinde contractâ.

130 POtest exerceri materialiter justitia, quin exerceatur ex motivo iustitiæ: ut si satisfaciens, aut solvens exhibeat æquale pro debito, cum alijs circumstantijs, ac requisitis; quin tamen, aut debitor in solvendo, aut creditor in acceptandâ satisfactione, & in remittendo debito, moveantur ex honestate exercendæ virtutis iustitiæ, sed ex alijs motivis, sive bonis; sive etiam malis; tunc enim exercetur iustitia ma-

materialiter; non formaliter.

131 Quæ diximus hactenus de rigore iuſtitiæ ſatisfactionis Chriſti, procedunt de iuſtitia materialiter acceptâ. Quærimus nũc: an tam ex parte Chriſti offerentis, quàm ex parte Dei acceptantis, eiuſque intuitu remittentis offenſas, intercederit etiam iuſtitia formalis: Chriſto videlicet ſatisfactionem exhibente ex motivo virtutis iuſtitiæ ad reſarciendum ius, & honorem divinum læſum; Deoque ſatisfactionem acceptante, & hominibus offenſas remittente, ex motivo etiam formali iuſtitiæ explendi obligationem ſuam iuſtitiæ iuxta pactum cum Chriſto initum, præmiandi Chriſti obſequia, & intuitu illorum remittendi noſtra debita nobis, iuxtà voluntatem, & applicationem Chriſti pro nobis ſatisfacientis. Et generaliùs: an ex motivis etiam aliarum virtutum id præſtiterint reſpectivè Chriſtus ſatisfaciens, & Deus remittens.

132 Qui negant ſatisfactioni Chriſti rigorem iuſtitiæ, etiam materialiter, Deoque poſſibilem obligationem ſtrictæ iuſtitiæ cõmutativæ; conſequenter dicunt, nec Chriſtum ſatisfaciendo pro noſtro debito; nec Deum remittendo noſtrum debitum intuitu obſequiorum Chriſti, exercuiſſe formaliter rigoroſam iuſtitiam: utpote non formaliter exercibilem, niſi circa materiam iuſtitiæ. Ex qua tamen virtute id præſtiterint, non convenit inter omnes. Ex parte Chriſti ſatisfacientis dicunt, quòd ex virtute miſericordiæ, & charitatis erga miſeros homines; & ex virtute obedientiæ erga Deum: itemque ex virtute iuſtitiæ generaliter, & latiùs dictæ reſarciendi ius, & honorem divinum læſum à peccatoribus per iniurias, quas non niſi latè vocant iniuſtitias contra Deum. Ex parte verò Dei remittentis, aliqui dicunt, quòd ex virtute gratitudinis ad eximia obſequia Chriſti: quod tamen reijcit Bernal, cùm repugnet Deo ſtricta gratitudo, utpote præſupponens beneficia, quæ Deus recipere poteſt à nemine: cùm non ſint niſi ſuperioris ad inferiorem. Alij dicunt, quòd ex virtute fidelitatis propter adimpletionem promiſſionis Chriſto factæ à Deo remittendi hominibus, ſi Chriſtus pro hominibus moreretur. Alij dicunt, quòd ex virtute quadam providentiali præmiandi ſingulariter eximia merita Chriſti. Alij, quòd ex virtute aliqua innominata, aut videre eſt apud Bernal *diſp.* 9. *Bern.*

133 Concluſio noſtra. Satisfactio fuit exhibita à Chriſto per exercitium formale multarum virtutum, præſertim charitatis tàm Dei, quàm proximi; obedientiæ, miſericordiæ, humilitatis, &c. & præterea ſtrictæ iuſtitiæ formaliter exercitæ ex motivo ſolvendi noſtrum debitum Deo per noſtras iniurias, ſtrictaſque iniuſtitias graviter offenſo contra ſtrictum ſuum ius, & honorem. Fuitque acceptata à Deo per exercitium etiam formale multarum virtutum, præſertim, miſericordiæ, ac clementiæ erga homines, fidelitatis, propter promiſſionem ſuam factam Chriſto: & præterea ſtrictæ iuſtitiæ formaliter etiam à Deo exercitæ ex motivo adimplendi ſtrictam obligationem iuſtitiæ commutativæ in Deo reſultantem ex promiſſione ſuâ, & ex acceptatione obſequiorum Chriſti, æquivalentium ratione ſuperque gravitati omnium offenſarum.

134 Hæc concluſio, ſuppoſita noſtrâ doctrinâ ſectionis præcedentis, conſequentiſſima eſt. Non enim eſt cur, aut Chriſto, aut Deo negetur formalis honeſtas ſtrictæ iuſtitiæ, ſicut nec prædictarum aliarum virtutem in negotio ſatisfactionis Chriſti, & Redemptionis noſtræ, ubi ſingulariſſimè eluceant. Sic poſt P. Suar. R. P. N. G. Thyrſus *diſp.* 19. *Suar. R. P. N. Thyrſus.*

135 Tria poſſent obijci. Primum: quòd ad exercitium iuſtitiæ requiritur contrapaſſio, & æqualitas dati, & accepti ex Ariſtotele 5. *Ethic. c.* 4. Secundum, quòd hominum peccata non ſunt ſtricta iniuſtitia contra Deum. Tertium, quòd in Deum cadere non poſſit obligatio ſtrictæ iuſtitiæ. His tamen, & alijs plenè reſpondimus *diſp. illa de Attrib.* præſertim ad primum *num.* 49. Ad ſecundum *à n.* 55. Ad tertium plenius, & operoſiùs *à n.* 20 *ad* 47. *Arist.* *Tom. 1. diſp. 10. ſec. 3 & 5.*

136 Ad ibi dicta addo, obiectionem. Nemo poteſt debere alteri ex obligatione ſtrictæ iuſtitiæ ullum ſui dominij: ſed quælibet, aut remuneratio, aut remiſſio Dei facta intuitu obſequiorum Chriſti, eſt uſus, ſeu exercitium divini dominij ſemper permanentis, & omninò inamiſſibilis, non obſtante quocumque iure creato: ergo nulla remuneratio, aut remiſſio debitorum noſtrorum facta à Deo, intuitu quorumcumque meritorum Chriſto, aut iuris, ac dominij Chriſti in ſuos actus liberos, poteſt ex ſtricta iuſtitia obligare Deum ad remunerationem meritorum Chriſti, aut ad remiſſionem debitorum noſtrorum. Sicque non potuit Deus in hoc exercere ſtrictam juſtitiam. Probatur maior: nam eo ipſo non poſſet uti re ſua pro libito ſuo, ſine iniuria alterius: quod eſt contra rationem dominij.

137 Reſpondent aliqui, negando maiorem. Nam prodigus, inquiunt, eſt verè dominus ſuæ pecuniæ, & tamen Deo debet ex

obli-

obligatione strictæ iustitiæ usum rectum, ac minimè prodigum illius: usus enim prodigus esset stricta Dei injustitia, cùm omne peccatum sit apud nos strictè iniurium Deo.

R.P.N Thyrs. Id tamen impugnat R.P.N.G. Thyrsus nu. 36. quamvis enim prodigus sit pecuniæ suæ Dominus respectivè ad alios homines, citra quorum etiam reluctantium injuriam potest uti prodigè pecuniâ suâ; non verò respectivè ad Deum, citra cuius iniuriam non eâ, quantumvis suâ, utetur eo ipso quòd illicitè utatur. Deus autem est supremè Dominus cujuscumque doni, & actûs sui, relatè etiam ad quemcumque: unde potest esse specialis ratio, cur nequeat ulli debere ex justitia usum, aut exercitium dominij, seu iuris sui: sicut quia prodigus est Dominus pecuniæ suæ respectivè ad alios homines, nemini debere potest ex justitia usum illius.

138 Propterea respondet aliter conformiùs ad ea, quæ diximus locis citatis de Attributis, distinguendo maiorem: Nemo potest debere alteri ex obligatione strictæ justitiæ usum sui dominij independenter à sua liberâ voluntate, formalique sui dominij exercitio, concedo; dependenter, nego majorem: & concessâ minori, nego consequentiam. Nam debitum, seu obligatio illa justitiæ Dei erga Christum, non est, nec potest esse, nisi dependenter à voluntate, liberóque divini juris exercitio, sic se volentis obligare: non quidē amittentis suum ius, & dominium perfectissimum; sed per ipsum liberum sui juris usum dans Christo verum, etiam ius, & dominium simultaneum, dependens tamen à libito Dei, ratione cuius iuris Christi communicati à Deo, est verè Deus pro suo libito obligatus ex justitia erga Christum, supposito pacto cum Christo, & exhibitâ à Christo æquali, ac superabundanti satisfactione. Ad probationem maioris, nego sequelam: posset enim, eo non obstante, uti pro libito re suâ sine injuria alterius, libertè quoque impediendo ius illud alterius dependens à sua voluntate, quamvis non coniungendo omnem usum sui dominij cum iure alterius à se pro libito impedibili: ut ibi latè prosequuti sumus loquendo generaliùs erga alios etiam homines, merentes apud Deum ex justitia gloriam per opera gratiæ.

DISPUTATIO XVIII.

DE

ORATIONE CHRISTI.

1 INTER actus, quibus Redemptionem nostram operatus est Christus, locum obtinet specialem Oratio, cùm in Horto, tùm in Cruce, tûm alibi sæpèsæpiùs. Circa quam speciales, nec leves occurrunt difficultates. Quæ sumuntur ex Christi Minoritate, superatæ sunt *disp.* 11. Supra disp. 11.

11. Aliæ percurrentur in præsenti.

SECTIO I.

An Christus satisfecerit, & meruerit per actus etiam Orationis? Vbi: an oret etiamnùm in Cœlis.

2 DE Fide est, Christum orasse. Luc. 6. *Erat pernoctans in oratione.* Nec enim actus iste subiectionis, & superiorem agnoscentis, repugnavit Christo: secundum scilicet minoritatem ad Patrem, quam explicuimus *disp.* 11. Nec dedecuit Christum: cùm oratio ad Deum sit actus religionis dans Deo debitum cultum, illique præsentans desideria ipsius ope adimplenda. Quandò autem fit pro alijs est etiam actus charitatis proximi. Quæ omnia exercuit Christus eximiè, & quidem meritoriè, ac satisfactoriè, dum vitam ageret mortalem, tam pro

Luc. 6. Supra disp. 11.

Matt.26 Luc.22. ſe, Mat. 26. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte*; quàm pro alijs, ut Luc.22. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*: tam mentaliter, quàm vocaliter, ut diſtinguit, & expendit dignè Cardinal. de Lauræa *diſput.* 27.

Laur.

Rom.8. Hebr.7 3 Quinimò, & nunc etiam immortalem orare in Cœlis Chriſtum, colligitur ex Roman.8. *Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*; & Hebr. 7. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*: id eſt, ad orandum, ut eſt communis Patrum expoſitio, præſertim ex Arabicâ Verſione in Bibl. Maxim. *ad cap* 8 *Roman.* Unde Gregorius *in Pſalm 5 Pœnitentialem*, ait: *Quotidie orat Chriſtus pro Eccleſia, de quo teſtatur Apoſtolus: qui ſedens ad dexteram Patris interpellat pro nobis.*

Bibl. M. Gregor.

Supra diſp.17. 4 Non tamen orat in Cœlo meritoriè: quia non meruit niſi in ſtatu viæ, ac vitæ mortalis, ut diximus *diſp. prac. ſec. 5. nu. 66.* ubi dedimus diſcrimen quoad hoc inter meteri, & orare, aut impetrare.

Vaſq. 5 P. Vaſquez *diſput. 82.* & alij opinantur, Chriſtum in Cœlo non orare, oratione proprié, ſed tantum improprié dictâ, pro eo quod eſt, præſentari Patri à Chriſto ſua merita, & vulnera, & orationes, quas fudit, dum eſſet in vita mortali: & in id videtur inclinare Lumbier *quæſt. 35. §. 1.* poſt Lugum, & alios. Melius tamen Suarez *diſp. 45. ſec. 2.* id etiam intelligit de oratione propriâ: quia Scriptura loquitur abſolutè: & iuxta canonem Auguſtini proprié capienda eſt, ubi non eſt inconveniens. Plura Coninc *diſp. 23. dub 3.*

Lumb. Lugus. Alvar. Suar.

Coninc.

6 Dices. Eccleſia inter preces ſacras non dicit ad Chriſtum nunc, regnantem in Cœlis, ſicut ad alios Sanctos: *Ora pro nobis*; ſed, *miſerere nobis, parce nobis*: ergo, quia Chriſtus proprié nunc non orat. Verum eſt antecedens, & falſa conſequentia. Sed id facit Eccleſia publicè, ut differentiam faciat inter Chriſtum, qui Deus eſt, & alios, qui puri ſunt homines: aut forté, ut hoc minus habeant occaſionis hæretici exiſtimandi, Chriſtum non eſſe Deum, aut Chriſti etiam non eſſe, ſicut aliarum divinarum Perſonarum, parcere, & miſereri. Nec ſatis eſſet conſultum, quando orantes alloquimur Chriſtum, exhibere illi titulum, qui præſeferet quaſi minorem honorificentiam, ut poſt Læſſium *quæſt. 21.* obſervat Bonæſpei *diſp. 16. dub. 1. n 9.*

Læſſi, Bonaſp.

Mat.28. 7 Dices ſecundò. Chriſtus redivivus dixit Matth. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra.* Qui autem habet omnimodam poteſtatem non poſtulat, ſed diſponit, ut omnium arbiter. Reſpondetur, quòd de Chriſto mortali ſcribitur etiam Ioan. 13. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*: Et poſtmodùm juxta adverſarios *Ioan* 13. proprié oravit in horto. Itaque ex antecedente infertur ad ſummum, Chriſto neceſſe non fuiſſe orare; non verò quod orare non potuerit ad humilitatis, & religionis exemplum. Habebat igitur, & habet, etiam ſecundum humanitatem, poteſtatem omnem diſpoſitivam, gubernativam, & iudiciariam; nõ ita omnium perfectivam, quæ eſt attributum Omnipotentiæ commune Trinitati, & ipſi competens, ut Deo. Exercens ergo poteſtatem illam ſibi ut homini à Patre datam, precatur humiliter à Deo, ut effectus, quos ipſe quatenus homo deſiderat, & diſponit, operetur Deus per Omnipotentiam.

8 Dices tertiò. Noverat Chriſtus, & videbat, omnia, quæ vellet efficaciter, adimplenda fore: ad quid ergo deſiderio ſuo adderet orationem? Repondetur, quia noverat, & videbat, adimplenda fore per orationem, alioquin minimè repugnantem, ſed convenientiſſimam. Nec dicas, uſum orationis arguere in Chriſto indigentiam, & minoritatem. Indigentiam orationis, nego; cum abſque oratione poſſet omnia. Quòdſi aliqua concedatur indigentia orationis, fuit conſequens, & ab ipſo Chriſto liberè volita. Indigentiam omnipotentiæ concedo, reſpectivè ad humanitatem, pro effectibus, quos humanitas volebat. Minoritatem concedo, ſicut, & ſubjectionem, juxta dicta *diſp* 11. *Supra diſp.11.*

9 Hinc, orare, ſeu oraſſe, nequit dici de Chriſto, *ut Deo*, ut immeritò nonnulli tribuunt Scoto, apud Lauræam *diſp 27. art, 2.* ſicut ſubijci, & agnoſcere ſuperiorem, aut majorem, & mereri: quæ, & ſimilia de Deo dici non poſſunt, niſi per communicationem idiomatum, ſicut pati & mori. *Scot. Laur.*

10 Dicest de Spiritu Sancto dicitur orare Rom. 8. *Ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: ergo non eſt cur Chriſtus, ut Deus, dici nequeat orare. Reſpondetur, inde erraſſe Macedonium ex prædictis verbis ſiniſtrè intellectis arguentem, Spiritum Sanctum eſſe creaturam, & ſervum Dei. Senſum metaphoricum, & verum illorum verborum explicuit Auguſtinus *cap. 25. contra ſermones Arianorum*, ſic: *Interpellat autem Spiritus Sanctus dictum eſt, quia interpellare nos facit ſicut Deus Gen. 22. dicit: Nunc cognovi: quaſi antea neſciebat. Quod quid eſt aliud, quàm niſi feci, ut cognoſcas?* Sic etiam *lib. de orando Deo, cap. 15.* & Gregor. *2. Moral. 22.* & Theodoretus ſuper ea verba: *Qui autem ſcrutatur* cor- *Rom.8. Maced. Auguſt. Aug. Greg. Theod.*

corda ſcit quid deſideret Spiritus, qui ſecundum Deum poſtulat pro Sanctis; Loquitur ſic: *Spiritum autem hic non dicit ſubſtantiam Spiritùs*; *ſed gratiam, quæ data eſt ijs, qui credunt: ab ea enim excitati cõpungimur, ab ea inflammati ulteriùs precamur, & gemitibus inenarrabilibus Deum compellamus.* Ex antecedente ergo ſic ſanè intellecto, nihil conſequentiæ infertur contra nos. Quippé in hoc ſenſu metonymico ſimiliter dicemus, Chriſtum ut Deum orare, quatenus facit nos orare. Hoc tamen eſt extra rem præſentem.

Lumb. 11 Novam adorſus eſt viam Magiſter Lumbier *quæſt. 25. art. 3.* & deinceps *in Appendice*, ut adſtruat modum ſingularem orationis Verbi Æterni ad Patrem. Quam tamen viam, nec ſequor, nec approbo, nec examinare vacat, aut iuvat. Videat qui cupit apud ipſum.

SECTIO II.

An Chriſtus oraverit pro gratijs, & donis antecedenter tempore collatis.

12 MEruiſſe Chriſtum multa, quæ ad ipſum tempore præceſſerunt, ſæpè diximus, & eſt Theologis omnibus in confeſſo, cum S. Thom. *quæſt. 19. art. 4* ſicut, & pro præteritis donis gratias egiſſe, & ſatisfeciſſe pro peccatis, tàm anteceẽtibus, quàm ſubſequentibus ad ipſum: & oraſſe pro multis gratijs ſubſequentibus. Difficultas gravis eſt, an oraverit, aut orare potuerit etiam pro præteritis.

S. Thom.

13 Affirmat ſententia communiſſima. Quam equidem ſatis percipere nunquam potui, quidquid in ea expediendâ adlaborarent multi per genealogias variorum decretorum interminabiles. Eam ſequitur, & adſtruit noviter prædoctus P. Franciſcus Garau *Tract. prævio Deip. Elucid. Princip. 12. ſect. 1. §. 2. à num. 181.* Magiſter Lumbier ultro, citroque difficultatem verſans, hæret anceps *quæſt. 35. art. 1. & 2.* Negativam tenent cum ſapientiſſimo Vaſquez, Amicus *diſp. 27.* Eſparza *quæſt. 15.* Godoy *diſp. 56.* & in Manuſcriptis doctiſſimi Magiſtri noſtri Barcinonenſes. Hanc amplexus ſum in Diſputationibus meis de Prædeſtinatione, & conſtãter retineo.

Garau.

Lumb. Amic. Eſparz. Godoy. P. Theo. Manris. P. Gualderic. Rio.

14 Chriſtus ergo pro donis, & gratijs collatis ſibi, vel alijs ſubſequenter tempore ad ipſius preces, & merita oravit; pro præcedentibus gratias egit, & compenſavit: non tamen pro his oravit, nec orare potuit. Sicque uno, vel altero modo pro utriſque applicuit, & applicat ſua merita; jam orans, ut quando dixit Ioan. 17. *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi*; jam gratificans, ut quando dixit Matth. 11. *confiteor tibi, Pater*, id eſt, gratias ago; *quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.* Suntque pro utroque alia multa in Evangelijs.

Ioan. 17.

Matth. 11.

15 Ratio doctrinæ mihi eſt efficaciſſima. Quia oratio impetrativa, ſeu petitiva, de qua nunc loquimur, importat deſiderium alicuius rei alterius ope adimplendæ, aut adimplebilis, ut colligitur ex S. Thom. *quæſt. 21. art. 1.* Ubi Suarez *diſp. 45.* Unde eſt, quòd oratio in Scripturis veniat ſæpè nomine deſiderij: ut Pſalm. 9. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus.* Et Iobi 31. *Deſiderium meum audiat Omnipotens.* Atqui deſiderium nequit eſſe de preſentibus, ſed de futuris, ut eſt per ſe notum: ergo neque oratio: niſi forté per inſcitiam exiſtimaſſet orans, ſicut, & deſiderans, rem verè præteritam, eſſe futuram: quod in Chriſtum cadere non potuit. Unde eſt quod dicitur Pſalm. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes: dabo*, ſcilicet de futuro: & ineptè diceretur de præterito: *Poſtula à me, & dedi tibi gentes.* Sicut eſſet in nobis pluſquam ineptia, ſi nunc oraremus Deum, ut converteret Saulum, ut vocaret Petrum ad Apoſtolatum, & alia ſimilia. Sic ergo feciſſet Chriſtus ſapientiſſimus, & prudentiſſimus, ſi dum vixit mortalis oraſſet Patrem, ut David, & Abel morerentur in gratia, aut Mater Virgo conciperetur ſine peccato, probè conſcius hæc iamprídem fuiſſe peracta. Quis non videat ejuſmodi orationes futuras inanes, & ineptas?

S. Thom. Suar.

Pſalm. 9. Iob 31.

Pſalm. 2.

16 Reſponderi ſolet, nec ineptas fore, nec inanes in eo qui ſciret, ut ſciebat Chriſtus, ea dona præterita conceſſa, & decreta fuiſſe dependenter à tali oratione ſubſequenti. Cæterùm reſponſio eſt æquè inanis, ac eiuſmodi orationes. Si enim hæ ſecundum ſe dedecent Chriſtum non potentem impetrare, nec potuit Deus dependenter ab illis quidquam concedere, aut decernere; nec Chriſtus ſcire quidquam decerni à Deo dependenter ab illis. Dicere ergo Deum decreviſſe, & conceſſiſſe multa præcedentia dependenter ab illis, eſt falsó, implicantiſſimé, & per clariſſimam petitionem principij ſupponere illas non eſſe ineptas, nec inanes, nec proinde Chriſto repugnantes: ſimiliterque probare, nos illas eſſe ineptas, Chriſtoque repugnantes, ſicut eſſent in nobis, ſi oremus nunc pro converſione Sauli; eſt eãdem viâ probare nihil potuiſſe à Deo, aut conce-

di, aut decerni dependenter ab illis. Sic, quia repugnat Chriſto ſpes rerum præteritarum, implicat quidquam decerni à Deo, aut concedi dependenter ab actu ſpei, quo Chriſtus ſperaret aliquid præteritum. Et quia repugnat Chriſto verbum ſcurrile, implicat, quidquam decerni dependenter à verbo ſcurrili Chriſti. Si verò quis diceret, Chriſtum potuiſſe exercere talem actum ſpei, aut verbum ſcurrile caſu quo ſciviſſet, Deum aliquid conceſſiſſe, aut decreviſſe dependenter à tali actu, aut verbo; quid, precor, eſſet niſi ineptire?

Arriag. 17 Doctrina, qua ſe ab iſta ratiocinatione tueri tentat Arriaga *diſp. 37. de Prædeſt. ſect. 3.* non ſolvit, ſed communem facit, diffi ultatem ab omnibus ſolvendam. Ex quo poteſt nobis obijci, quòd iuxta ratiocinationem noſtram ſequeretur, quòd Chriſtus ſciens, Deum tales res iam voluiſſe ab æterno, pro nulla re adhuc futurâ poſſet orare, ut Deus illam vellet: quod eſt contra omnes, & præſertim contra Auguſtinum, dicentem in Enchiridio apud S. Thom. *1. par. qu. 19. art. 8 Nullus fit ſalvus, niſi quem Deus voluerit ſalvari: & ideò rogandus eſt, ut velit.* Hinc confirmatur obiectio. Deus orandus eſt, ut velit: ſed Deum id velle eſt quid ab æterno, ac proinde tempore antecedens ad quamlibet orationem Chriſti, & noſtram: ergo potuit Chriſtus, & poſſumus nos orare pro præteritis.

Aug. S. Thom.

Eſparz. 18 Reſpondetur negando ſequelam ex P. Eſparza: quia, dum res eſt futura, quamvis à Deo ab æterno volita, cadit ſupra illam deſiderium & oratio, propterea non impertinens, ſed ordinatiſſima, & ex ipſis terminis non repugnans; ideòque ordinabilis à Deo ad aliquid decernendum dependenter ab illa: at deſiderium, & oratio Chriſti pro re præterita non habet ſupra quod cadat niſi ineptè, & repugnanter: ideòque pariter repugnat quidquam concedi, aut decerni à Deo dependenter ab illa, ſicut dependenter à chymera. Illud de volitione Dei veriſſimum eſt: addendum tamen, quòd, cùm ſit æterna, fuit cum præteritis, eſt cum præſentibus, & erit cum futuris; & ſecundum hoc ultimum cadit ſub deſiderium, & ſub orationem noſtram, & Chriſti minimè ineptam, & inanem; non verò ſecundum illud prius. Unde conſcius Chriſtus de rebus, quas Deus voluit ab æterno, quamvis non potuerit directè orare, ut voluerit, quia hoc eſſet impertinens, & contra naturam deſiderij & orationis: potuit aptiſſimè orare, ut vellet res ab ipſo deſideratas, pro quibus aptiſſimè orat ut eveniant; non ut evenerint; quia hoc eſſet ineptire Chriſto repugnans. In verbis Auguſtini, quibus libenter annuimus, extat hoc ipſum acumen: non enim ait, quòd Deus *rogandus eſt ut voluerit*, ſed, *ut velit*. Sic fermè P. Valentiâ videndus *tom. 3. diſput 6. q. 2 punct. 8.* *Valent.*

19 Hinc ad confirmationem, conceſſâ maiori, diſtinguo minorem: Deum id velle eſt quid tempore antecedens, etiamque conſequens ad orationem Chriſti, concedo; & non etiam conſequens, nego: tum. & nego conſequentiam: quia volitio illa Dei non præterijt, ſed fuit, permanet, & ſubſequetur ad orationem Chriſti, & noſtram: ac proinde ſub hac ratione eſt aptiſſimè deſiderabilis cum ipſa re futurâ, pro qua fit oratio.

20 Ubi notanda veniunt duo diſcrimina. Unum tam à nobis obſervatum *diſp. 9. de Attrib. ſec. 6.* volitionis ac libertatis divinæ à creatâ: quòd divina ſemper eſt permanens cum eadem libertate, quam habuit, & exercuit Deus ab æterno, & ſemper exercebit eo ipſo ſuo modò perfectiſſimo; creata verò incipit & deſinit, utpotè fluxilis, & tranſitoria. Alterum, orationis Chriſti à noſtrâ: quòd oratio Chriſti ſemper fuit cum perfecta notitia, quam habebat Chriſtus omnicius de ſtatu rerum, pro quibus orabat, & de voluntate æterna Dei circa illas; noſtra verò interdum eſt ſine tali notitia: quippè ſolemus existimare præterita, quæ ſunt futura; & futuraque ſunt præterita, & neſcimus, quid Deus voluerit ab æterno circa ſingula. *Tom. 1. diſp. 9.*

21 Ex primo diſcrimine ſtudet ingeniosè P. Gurau cit. componere pro ſe præſentem difficultatem, & orationem Chriſti pro rebus præteritis. V. g. pro Maternitate & Immunitate Deiparæ, aliiſque antecedenter tempore prærogatis. Quia, inquit, volitio quæ in Deo eſt & erit res illas prærogandi, eſt ipſa volitio, quæ fuit: & ſemper cum eadem libertate: ſed pro volitione Dei, quæ erit paratus orare Chriſtus: ergo, & pro ea, quæ fuit ergo, & pro illis etiam donis creatis, quæ Chriſti orationem, & exiſtentiam temporè præceſſerunt. Quo diſcurſu & deſiderare, & ſperare poſſet Chriſtus primâ exiſtentiâ ſuæ Matris, & nos ſimiliter adventum Meſſiæ, quos abſtulit; ad ſyllogiſmum conceſſa maiori, diſtinguo minorem: pro volitione Dei, quæ fuit, potuit orare Chriſtus, *ut fuerit*, nego: potuit orare, *ut derenceps*, concedo minorem iuxta acumen verborum Auguſtini ſupra indicatum. Qui modi concedendi & negandi minorem, quamvis in volitione Dei, quæ fuit, & erit, non niſi diſtinctionem rationis ſignifice nt; in actibus tamen creatis orantibus pro illis, *ut fuerit*, & pro illis, *ut ſit*, ſignificant modos tendendi realiter diuerſos. *Garau.*

Nego

Nego autem consequentiam: quia dona illa creata, quæ tempore præcesserunt Christi orationem, & existentiam, fuerunt, & multa; non sunt, nec erunt, &, si quæ sunt, durationem irreiterabilem variaverunt. Unde nequit supra illa quoad primam eorum existentiam cadere oratio, ut deinceps fiat: ac proinde nulla oratio: quia oratio, ut fuerint implicatoria est ex ipsis terminis, ac proinde à Deo indecernibilis.

Ribad.

22 Nec facit huc doctrina P. Ribadeneyræ, quâ se munit P. Garau *ex disput. 22. de Prædest.* quòd intuitio decreti creandi Antichristum non impedit in Deo potestatem proximam decernendi non existentiam Antichristi; imò nec illam impediet etiam post illum. Verissimum. Sed aliud est punctum libertatis divinæ, pro quo rectissimè loquitur Ribadeneyra; aliud est punctum præsens non de libertate; sed de inanitate, & repugnantia orationis Christi pro re præteritâ, quo nequit applicari ea doctrina: quia scorsim omninò ab omni libertate, Dei, & Christi cõtendimus id repugnare. Et propter eamdem rationem est extra rem præsentem doctrina nostra, qua alibi defendimus in Deo libertatem, & potestatem ad faciendum quod præterita non fuerint. Nam ad id sufficit, quòd semper permaneat divina libertas, quæ fuit; ad orationem verò pro præteritis, *ut fuerint*, requiritur oratio, quæ sit desiderium præteritorum: quod in suis terminis implicat.

23 Ex secundo discrimine sequitur pro nobis; quòd quamvis Christus, & quicumque alius certò conscius de præteritione rei, nequeat pro illa orare nisi inepté, sicut nec illam sperare, nec desiderare; benè verò alius, qui conscius ita non sit, sed potiùs ignorit, aût dubitet de rei præteritione, & solicitus est, quàm in partem acciderit. Unde scientes, prælium nostri militis cum hoste jam fuisse commissum, non verò quam in partem acciderit victoria; adhuc oramus; non jam pro victoria utcumque, sed aut pro aliqua fœlitiori consummatione victoriæ, si hæc fortè jam est obtenta, aut fortè pro bonò nuncio victoriæ, quod adhuc speramus: quæ oratio, is cùm inepta non sit in prædictis circumstantijs, rectè potuit Deus dependenter ab illa decreviſſe victoriam, & bonum nuncium.

24 Nec obest, quòd sciamus utrè victoriam jam in alterutram partem accidisse? Nam etiam scimus prædictam nostram orationem esse medium aptissimum ad inclinandum Deum, ut victoria ejusque consummatio, & bonum nuncium sit determinatè pro nobis: quorum certa, ac determinata notitia, si nobis adesset, redderet prorsus ineptam, & inanem ejusmodi nostram orationem, ac proinde inutilem, ut dependenter ab illa decreverit Deus victoriam. Sic non ineptè oramus pro nostra Prædestinatione, quoad multos effectus nõdum positos à quibus dependet, quamvis sciamus quòd jam fuit ab æterno, si aliquando extitura sit. Quippè nescimus, an extiterit, nec ne; & scimus posse dependere à præsenti nostrâ oratione alioquin non ineptâ, nec implicatoriâ propter defectum notitiæ, & futoritionem talium effectuum. Christus autem nunquam caruit ejusmodi notitijs. Et quia nec nos eâ caremus circa prædestinationem Sancti Petri: ideó non nisi inepté, & irreligosè possemus orare pro illa; nec potuit Deus illam decernere dependenter ab ejusmodi nostrâ oratione impertinentissimâ.

25 Dices. Si Pontifex, certus, quòd Princeps petet Præbendam pro Paulo, in pectore, & coram alijs decernat illam dare Paulo ad preces Principis, quas scit futuras; conscius Princeps dictæ resolutionis Pontificiæ poterit prudenter petere Præbendam pro Paulo, & in id adhibere quasi conditionẽ suas preces: quo casu Pontifex dicetur profectò decreviſſe Præbendam Paulo propter preces Principis. Cur ergo sic non potuit Christus orare Deum pro gratijs anticipatis Mariæ, scilicet pro Maternitate, Immunitate, & alijs tempore præcedentibus? Sic P. Garau *n.* 182.

P. Garau

26 Cæterùm hujusmodi exemplo ex humanis potiùs firmatur nostra doctrina. Ad hoc enim ut teneret consequentia, opus esset, quòd Princeps ille certò conscius, quòd jam fuerit re ipsa, & exercitè collata Præbenda Paulo, oraret Pontificem pro Præbendâ: quod nemo prudens dixerit, prudenter fieri posse; sed inepté, & ridiculé. Quódsi Pontifex apud se statuisset conferre Præbendam dependenter à tali oratione Principis, qua oraret pro Præbenda jam collatâ; si tuisset id facere propter orationem ridiculam, & ineptissimã: quod, & peius in humanis evenire potest; inter Deũ autẽ, & Christum dedecet, & repugnat. Itaque, dato toto antecedente, consequentia non tenet.

27 Objiciunt alij secũdó praxim Ecclesiæ. In primis namque pro Animabus Purgatorij orat sic: *Libera eas de pœnis inferni, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurũ: Ne pœnas inferni sustineãt: Libera me, Domine, de morte æternâ*: & similia: cùm tamen animæ in eo tuto jam sint liberæ ab inferno. Deinde quotidiè orat sic: *Libera nos,*

Offic. Eccles.

Canon. Miss.

nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis, præsentibus, præteritis, & futuris; & in Secretâ Domin. 17. post Pent. *Ut hac sancta à præteritis nos delictis eruant, & futuris*: cùm tamen à præteritis jam simus liberi: ergo potest prudenter orari pro re præteritâ.

Valent. Respondetur tamen, eam Ecclesiæ praxim non favere orationi pro præteritis, ut eleganter exponit ex P. Valentia Cardinalis Capisuccus *contrà*.

Capisuc.

28 Ad primum enim dico, in multiplici bono sensu posse eo modo orari ab Ecclesia pro Animabus juxta varias Auctorum expositiones, quin ea oratio sit pro re præterita cum certa notitia præteritionis. Primò

Azor. P. Azor supponit, pœnas sensus esse ejusdem speciei in Purgatorio, ac in Inferno: ideóque pœnas Purgatorij vocat Ecclesia pœnas inferni: imò nomine *inferi*, seu *inferorum profundi lacus*, & *tartari*, venire interdum etiã Purgatorium, & alia loca inibi alijs inferiora; extra locum tamen damnatorum juxta illud

Symb. Symboli de Christo: *Descendit ad inferos*. Unde, & Christus dicitur eduxisse ab inferis animas SS. Patrum antiquiorum, quæ tamen non erant in loco damnatorum, quò nec descendit anima Christi. Iuxta hunc ergo sensum orat ibi Ecclesia, ut animæ liberentur à Purgatorio illis nominibus significato, & ne absorbeantur à Tartaro, id est, ne diutiùs ibi detineantur. Sic etiam Valentia, & Capisuccus.

Suar. Dicast. Bell. 29 P. Suarez, & Dicastillus cum Bellarmino ajunt, Ecclesiam tunc orare per ea verba representativè pro mortis tempore, quo postulari solet illa liberatio: quemadmodum sæpè nunc orat: *Rorate Cæli desuper* per representationem temporis, quo id oravit Isaias.

Hurt. 30 Thomas Hurtadus *tom. 1. tract. 3. resol. 58.* ait, ibi orari, ut animæ liberentur ab acerbioribus Purgatorij locis: quæ, quia profundiora sunt, vocantur *Tartarus*, *Infernus*, & *profundus lacus*.

31 Dici etiam potest, Ecclesiam ibi orare pro liberatione animarum ab inferno consummatâ, & absolutissimâ per ingressum ad gloriam. Sic gravissimi Theologi, rati tentationes ordinarias posse vinci absque gratia Theologica ad auctoritates oppositas dicentes nullam, absque gratia vinci posse; respondent intelligendas de victoria consummatâ per actũ meritorium, ut teneo in Disputationibus de Auxilijs. Aliam expositionem laudat ibi Capisuccus ex quodam Missali Romano, quòd nempè per eiusmodi preces petat Ecclesia, ut Animæ Purgatorij, dum pro illis celebratur, levamen aliquod pœnarum sentiant. Per quemcumque illorum sensuum salvatur optimè, quod Ecclesia non orat pro præteritis.

Capisuc.

32 Ad secundum dico, orari quidem ibi ab Ecclesia pro liberatione à malis *præteritis*: nimirum quoad aliquos effectus illorum nondum præteritos, à quibus nondum liberi sumus, v.g. à multis pœnis, quæ residuæ solent esse ex peccatis jam remissis. Quó spectat clarus textus 2. Machab. 12. *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur*: id est, à pœnis, quæ post mortem supersunt peccatorum: nam peccata defunctorum, pro quibus oratur, jam sunt remissa quoad culpam. In hunc sensum discurrit fusiùs in simili Bivarius Cisterciensis *in Scholijs ad Lucium Dextrum ad annum Christi 308.*

2. Mach. 12.

Bivar.

33 Dici etiam posset, orari ibi ab Ecclesia pro liberatione à malis præteritis: non quidem, ne ipsa præterierint; sed nè similia redeant. Sic orare solemus satis frequenter, ut Deus nos liberet à bello, vel fame anni præteriti; in eo scilicet sensu, ne hoc etiam anno simili bello, aut fame affligamur.

34 Ex quibus omnibus neganda est objectioni consequentia. Quia non convincitur in antecedenti, Ecclesiam orare pro præteritis, nisi quatenus aliqua ratione futura sunt, aut non certò præterita.

SECTIO III.

An omnis Christi Oratio, & Voluntas fuerit adimpleta.

35 *Oratio*, inquam, & *Voluntas*, quia eadem est utriusque difficultas: non tam de nomine, ut putant aliqui, quàm de re: & quidem non inutili. Nec debemus Theologi verum significatum vocis *Oratio* relinquere pro inexplorato: sicut nec significatum vocis, *Voluntas*. Quodsi *Voluntas* abstrahit in suâ proprietate ab efficaci, & inefficaci; ab absolutâ & conditionatâ; cur non similiter *Oratio*?

Vasq. 36 Multi cum Vasquez *disp 82. cap. 3.* aiunt, omnem Christi orationem esse exauditam & adimpletam. Quibus præiviisse videtur S. Thom. *quæst. 21. art. 4.* ibi: *Omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta: & per consequens omnis eius oratio fuit exaudita.* Cæterùm subintelligi quoque debet, *absoluta, & efficax*: ut sese explicuit *quæst. 19. art. 4.* docens, non omnem Christi voluntatem fuisse impletam: & consequenter, nec omnem orationem: quod necesse est intelligi de inefficaci, seu de non om-

S. Thom.

S. Thom.

omninò absolutâ, ne sibi contrarius sit.

37 Insistit tamen Vasquez. Oratio non benè appellatur nisi illa, quæ superiori manifestat desiderium, seu voluntatem seriam perfectam, & efficacem: sed nullam ejusmodi voluntatem manifestavit Christus Deo, quæ non fuerit adimpleta: ergo nullam egit orationem, quæ non fuerit adimpleta. Probatur maior ex S. Thom. *quæst. illa* 21. *art.* 4. quia voluntas inefficax non est propria voluntas, sed velleitas: ergo oratio, quæ non est manifestatio voluntatis efficacis, non est propria oratio. Antecedens probatur. Primò, quia oratio suapte natura est utilis ad impetrandum: quare qui ex desiderio rei orat, iam adhibet aliquod medium ad rem obtinendam: ergo non oratur ex voluntate dumtaxat simplici, & inefficaci. Secundò, quia vera oratio coniunctam habet spem, & fiduciam impetrandi rem, pro qua oratur: ergo, & voluntatem efficacem talis rei. Unde nec illa petitio Christi ad Patrem: *Transfer calicem istum à me*, videtur habuisse strictam rationem orationis, quia non fuit ex efficaci voluntate. Hæc summatim ex Vasquez.

S. Thom.

Luc. 22.

38 Respondetur tamen, negando maiorem. Quemadmodum enim vera iussio, propriumque præceptum importat manifestationem voluntatis modò efficacis, modò inefficacis rei præceptæ; ita vera oratio: aut cur non ita? Ad probationem maioris, negatur antecedens: stat enim, voluntatem aliquam non esse omninò efficacem, & esse veram, ac seriam; ac proinde non puram velleitatem: ut patet in voluntate seriâ, ineffi caci tamen, quam habet Deus salvandi reprobos, & adimpletionis multorum præceptorum suorum, quæ re ipsa non adimplentur. Ad primam probationem antecedentis, concesso antecedente, distinguo consequens: non oratur ex voluntate inefficaci omnis medij ad rem consequendam, concedo: consequutionis, talis rei, nego consequentiam. Nam benè stat, voluntatem, ex qua oratur, esse efficacem alicuius medij ad impetrandam rem, & non esse efficacem impetrationis rei: dummodò tale medium efficaciter volitum non fit efficax ad positionem rei, quamvis sit utilissimum. Ad secundam, negatur antecedens, ut patet etiam in iussione, & præcepto: ibidemque negatur, petitionem illam Christi in horto non fuisse veram, & propriam orationem: cùm talis appelletur absolutissimè ab Evangelistis: nec est cur metaphoricè debeant intelligi, dum propriè possunt.

39 Dicendum est ergo, omnem Christi orationem efficacem, sicut, & voluntatem, fuisse adimpletam; non verò inefficacem. Hæc est in re conclusio P. Suarez *in Comment. ad art.* 4. *quæst.* 21. ubi in hunc sensum explicat S. Thom. & est communis Scholasticorum mens.

Suar.

S. Thom.

40 Prior pars probatur: quia volitio efficax humana Christi semper fuit conformis voluntati efficaci divinæ: sed hæc semper impletur: ergo, & illa. Accedit, quòd imprudenter egisset Christus, si omnia sciens, efficaciter oraret, & desideraret id quod sciret oppositum voluntati divinæ adimplendæ. Nec dicas: hoc esse proprium solius voluntatis divinæ, de qua David: *Omnia quæcumque voluit fecit.* Respondetur enim, id esse propriũ voluntatis divinæ per essentiam ab intrinsecis suis & per virtutem propriam cuncta potentis. Voluntas verò humana Christi id aliũdè habuit ex virtute, & per participationem à divina.

Psal. 113.

41 Probatur posterior pars. Nam Christus voluit, saltem inefficaciter, veréque oravit, ut omnes salvarentur, ut crucifixores converterentur, ut transiret calix: quæ tamen res non evenerunt: ergo ejusmodi Christi voluntates, & orationes non omninò efficaces non fuerunt adimpletæ, nec omninò exauditæ. Nec mirum; cùm nec divinæ volitiones inefficaces semper omninò adimpleantur. Dixi, *omninò*: nam multa media ad illas res consequendas, re ipsa obtinuerunt illæ orationes: & quo ad id fuerunt exauditæ, & adimpletæ; non verò quoad res omnes desideratas, & postulatas. Quapropter adhuc eæ voluntates, & orationes Christi inefficaces, fuerunt secundum quid efficaces, & penes id adimpletæ; ideòque seriæ, & non puræ velleitates: ut dici similiter solet de divinis.

42 Obijcies contra priorem partem. Voluntas Christi adhuc efficax non semper fuit conformis divinæ efficaci: ergo ex fundamento à nobis posito non fuit semper adimpleta: & consequenter, nec semper exaudita oratio ex se affectivè efficax. Probatur antecedens. Nam Agatho Papa contra Monothelitas unicæ volũtatis assertores in Christo, probabat humanam Christi voluntatem distinctã à divina ex eo quòd Christus *Marci* 7. voluit latere, & non latuit: nihil autem probaret, si volitio illa latendi fuit tantum inefficax: nam hoc, & voluntati etiam divinæ inefficaci evenire posset: ergo, ut aliquid probaret Pontifex, intelligendus est de volũtate humana efficaci latendi: ergo voluntas humana Christi, etiam efficax, fuit aliquando non impleta, utpote non semper conformis divinæ.

Agath. Monoth. Marc. 7.

43 Respondetur negando antecedens de

de voluntate, ſicut, & de oratione omninò efficaci affectivè. Ad probationem, conceſſo argumento Agathonis, dico, voluntatem illam latendi non fuiſſe in Chriſto omninò plenè efficacem; ſed latendi per omnia media ſibi humanitùs, & connaturaliter poſſibilia, quibus efficaciter adhibitis non latuit. Nec proinde invalida fuit Agathonis argumentatio: nam voluntas divina obtinuiſſet finem illum latendi, ſi adhibuiſſet omnia media ſibi divinitùs, & ſupernaturaliter poſſibilia. Si dicas, potuiſſe tunc facilè Chriſtum adhibere medium orationis efficacis ad latendum; reſpondebitur, quòd hoc jam fuiſſet medium miraculoſum, confugiendo ad abſolutam Dei potentiam: quod tamen non voluit.

44 Objicies adhuc contra poſteriorem partem. Nihil petijt Chriſtus, quod oratione ſua non impetraverit: ergo omnis Chriſti oratio fuit adimpleta. Antecedens probatur. Primò ex illo Matthæ ad Chriſtum Ioan. 11. *Scio, quia quæcumque popoſceris á Deo, dabit tibi Deus.* Ioan. 11. Secundo: quia ſi pro omnium ſalvatione oravit, non abſolutè eam petijt pro omnibus, ſed ſub conditione divini beneplaciti: cumque hoc non ſic adfuerit, ea Chriſti oratio non manſit inexpleta, quaſi paſſa repulſam. Si pro Crucifixoribus: *dimitte illis, &c.* aut non ſic oravit pro cunctis crucifixoribus, ſed pro illis, qui re ipſa veniam obtinuerunt, ut videtur ſentire S. Tho. S. Thom. aut ſolũ oravit, ne ſtatim ad tartara detruderẽtur, aut ſeveriſſimo alio ſupplicio punirentur: id autem obtinuit. Si oravit in hortos *tranſeat à me calix iſte*, oravit ſub expreſsâ illa conditione: *ſi poſſibile eſt.* Ergo, rité cõſideratis modis, quibus Chriſtus oravit, in nullo iſtorum, ex quibus nos probavimus noſtram concluſionem, repulſam paſſus eſt, nec fuit eius oratio inexpleta: ergo ſemper adimpleta, & exaudita.

45 Video, ſic utcumque defendi ſententiam oppoſitam. At hoc eodem modo defenderetur contra hos ipſos Auctores, omnes Chriſti voluntates fuiſſe adimpletas, utpotè imbibentes eas, aut ſimiles conditiones, ratione quarum nullam unquam reportaſſent repulſam.

46 Reſpondetur itaque pro utriſque quód diſputantibus, num aliqua oratio fuerit exaudita, vel voluntas impleta, ſermo eſt ſecundum id quod primò, formaliter, dicunt: hoc eſt ſpectatæ quoad rem quam primariò, & directé petunt, vel appetunt; non autem quoad complexum ex petitione, ſeu appetitione, & ex conditione ſubjunctâ: alioquin nulla prorſus voluntas Chriſti non fuiſſet expleta: quia nulla ex illis, quas inexpletas dicimus caruit ejuſcemodi conditionibus. Quæſtio ergo, cum ſit de voluntate, & oratione ſeiunctis à conditione ſubintellectâ & ſpectatis ſeorſim, & ſecundum ſe, ut ſonant: *Pater, tranſfer calicem*: *Pater dimitte illis*; ſicque acceptæ non ſemper obtinuerint rem pro qua orabant; habetur intentum, ut non ſemper fuerint exauditæ, nec impletæ.

47 Hinc in forma ad obiectionem negatur antecedens. Ad primam probationem dico, ſermonem illum Matthæ eſſe de omni quod Chriſtus popoſciſſet oratione efficaci. Ad ſecundum admitto eas conditiones in illis Chriſti orationibus ſubintellectas, quæ ſimiliter ſubintelligi poſſunt in voluntatibus Chriſti omninó efficacibus, ſi nempè Pater aliter non velit; & nego conſequentiam de orationibus, ſicut, & de voluntatibus ſpectatis quoad res directé petitas, & appetitas ſecundum ſe.

48 Notandum in calce venit incommodum ingens oppoſitæ ſententiæ. Iuxta quam abſolutè dici deberet, Chriſtum non magis, aut non tàm oraſſe Patrem, ut calicem transferret, nec ut ignoſceret crucifixoribus qui in peccato obdurauerunt, nec pro æterna ſalute eorum, qui damnantur, quàm pro opa poſito, quod re ipſa fuit impletum. Hoc autem diſſonat puritati Sacrarum Scripturarũ & communi Sanctorum Patrum interpretationi.

49 Inter opera, quæ Chriſtus exercuit, ſatisfaciens pro nobis, & redimens nos, ſunt etiam Oblatio ſacrificij & Mediatio. De iis autem egimus jam oportunè ſuperiùs *diſput. 12. ſec. 1. & 2.* *Supra diſp. 11.*

DIS-

DISPUTATIO XIX.

DE

ADORATIONE CHRISTI.

1 DE hoc agendum erat ſpecialiter ante Diſputationes de Operationibus, ſeu de Actibus Chriſti. Diſtuli tamen ad poſtremum iſtum locum: quia excurrere neceſſe eſt per doctrinas generaliores de Adoratione, & ad varias eius ſpecies circa alia quoque obiecta adorabilia divertere pro pleniori difficultatem occurrentium intelligentia.

SECTIO I.

Ethymon, & Eſſentia Adorationis: & an neceſſariò requirat actum externum.

2 *Adoratio* ſuam trahit Ethymologiam ſecundum aliquos ab *Adore*, frumenti genere, quo Gentilium Dij propitiabantur: ſecundum alios à nomine, *Oratio*: quaſi adoratio ſit ſupplicatio quædam ad potentiorem: ſecundum alios communiùs, ab *ad*, & *ore*: quaſi ſit oris applicatio, ſeu oſculum in reverentiæ ſignum ad alium excellentiorem juxta illud Iobi 31. *Si vidi ſolem, cum fulgeret, & oſculatus ſum manum meam*: hoc eſt: ſi per oſculum manus ſolem adoravi more Idolatrarum ſolem tanquam Deum ſuperſtitioſè colentium, & adorantium. Hæc de voce. *Iob. 31.*

3 Definiri ſolet Adoratio ex Damaſceno: *Animi cedentis ſubmiſſio, atque humilis ſignificatio.* Hinc explicatiùs: *Honoratio alterius, ut excellentis ab eo, qui ſe inferiorem ſignificat, eidem exhibita.* Dicitur *honoratio*: quia eſt actio exhibitiva honoris: *alterius*: quia eſt virtus ad alterum: ſpectans in ſacris ad Religionem, quæ eſt ſpecies juſtitiæ latè ſumptæ: in quo differt ab humiliatione ſpectante ad temperantiam ex eo quòd humilitas attendat honeſtatem non tribuendi ſibi plus, quàm ſibi conveniat; adoratio verò honeſtatem tribuendi excellentioribus honorem debitum. *Ut excellentis*; in quo differt à multis honorationibus, quæ æqualibus, & inferioribus etiam exhiberi poſſunt. *Ab eo qui ſe inferiorem ſignificat*: potius quàm, *exiſtimat*: quia aliud eſt exiſtimare ſe inferiorem apud ſe, aliud ſe talem ſignificare: quod ſit ſæpé ſine ea exiſtimatione. *Eidem exhibita*: quia adoratio ſit erga Perſonam ipſam adoratam: unde honoratio, quam exhiberet inferior excellenti ſignificans Verbo, vel nutu ſui Principis excellentiam non eſſet adoratio. Opus igitur eſt, quòd adoratio exhibeat honorem, factâ honorariâ ſubmiſſione ipſi Perſonæ, quaſi ſubjectó non ſolum honoris, ſed honorationis. *Damaſc.*

4 Controverti ſolet: an adoratio includat eſſentialiter actum externum ſubmiſſionis. Affirmarunt Antiquiores aliquot, quibus adhæſit Vaſquez *diſp. 93. c. 4.* juxta quos adoratio coaleſcit eſſentialiter ex affectu interno exhibendi ſignum externum ſubmiſſionis, & ex ipſamet externâ talis ſignî exhibitione: quemadmodum eleemoſyna ex affectu interno largiendi, & ex ipſa largitione externâ. Unde ſicut affectus internus ſine largitione externa, non eſt abſolutè eleemoſyna, ſed cum addito tantum affectiva; ſimiliter affectus quicumque internus, ſine exhibitione ſigni externi, non eſt adoratio; ſed dumtaxat affectiva. *Vaſq.*

5 Tenenda tamen eſt communior ſententia negativa cum Suar. *diſp. 31. ſect. 2.* Primò: quia ex Davide ait Apoſtolus: *adorent eum omnes Angeli eius*; & Philipp. 2. *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium,* *Suar.* *In Pſal 95.* *Hebr. 1.* *Philip. 2.*

1. Cor. 13. terrestrium, & infernorum. Quemadmodum ergo cum 1. Corinth. 13. tribuitur Angelis lingua metaphoricè, tribuitur illis loquutio non metaphoricè, sed propriè; sic dum illis tribuitur metaphoricè genu, & genuflexio, tribuitur illis propriè adoratio, purè sistens in actibus internis. Nam in adoratione, sicut neque in loquutione propriâ, nullum est incommodum.

6 Secundò: quia solemnis est adorationis sicut, & orationis, & loquutionis divisio in externam, & internam ex Damasc. 4. de Fide 13. & S. Thom. 2. 2. quæst. 84. art. 2. Inepta autem esset divisio, si non daretur adoratio vera purè interna. Nec nobis, aut sibi adversatur S. Thom. quærens utrum adoratio admittat actionem corporalem: nam aliud est illam admittere, quod fatemur; aliud est illam requirere, quod negamus.

Damasc. S. Thom.

7 Tertiò, & à priori. Quia in definitionibus adorationis, quæ ab ipsis quoque Adversarijs admittuntur, nullum est verbum indicans exterioritatem essentialem adorationi: signum enim, seu significatio honoris exhibiti, non est tur non possit esse per loquutionem internam. Unde tota definitio aptatur adæquatissimè actibus internis. Igitur non nisi gratis, & præter definitiones adorationis communiter admissas, dicitur requiri ad propriam adorationem actio externa, & sensibilis.

8 Quartò: quia sequeretur, Angelos, nec posse propriè Deum adorare contra planam, ac sinceram intelligentiam Scripturarum; nec propriè se invicem honorare: contra rationalem Angelicæ Reipublicæ politiam. Quinimò, nec homo, qui nullum omninò posset movere membrum exterius, posset propriè Deum, Sanctos, aut Angelos adorare. Quæ clara videntur absurda.

9 Objicitur primò Ethymologia vocis *adoratio*, ex applicatione, oris admoti: ergo non est adoratio propria illa, quæ signo aliquo externo non exhibetur, & consummatur. Respondetur, eodem, & meliori consequentiæ filo deduci ex antecedente: ergo non est adoratio propria illa, quæ signo externo oris ad osculum admoti non exhibetur: unde nec sufficeret genuflexio, nec capitis inclinatio, nec aliud signum exterius, sine osculatione ad veram adorationem, si ex prædicta vocis Ethymologia valeret argumentum nobis objectum: quod, & objicientes negant. Itaque, concesso antecedente manca, & in multis materijs absurdissima est consequutio. Scilicet S. Thom. 1. par quæst. 13. art. 8. *Non est semper idem id à quo imponitur nomen ad significandum, & id ad quod significandum imponitur: nomen, lapis, derivatur à ladendo pede, & significat substantiam lapidis distinctam à lesione pedis.* Aliud est ergo vocis Ethymon, quod accipitur ex aliquo accidenti sumitur; aliud est essentiale vocis significatum. Alioquin nec oratio, quæ ab ore quoque trahit Ethymologiam, posset mente consummari.

S. Thom.

10 Objicitur secundò. Adoratio est honoris, & submissionis nota: sed hæc est externa, & sensibilis: ergo & omnis adoratio completivè. Respondetur tamen, eamdem esse difficultatem de notâ, ac de adoratione: similiter enim dari potest purè interna, sicut, & loquutio. Unde concessâ majori, negatur minor universaliter accepta.

11 Objicitur tertio. Inassignabilis est actus internus, in quo complete stare possit adoratio: ergo debet consummari per externum. Respondetur, negando antecedens. In assignando tamen eo actu interno est non modica Auctorum varietas apud Bernal. disp. 68. sect. 4. Qui post alios impugnatos bene docet, eum actum esse posse actum loquutionis internæ manifestantis submissionem adorantis, & animum eam manifestandi adorato. Potest enim interna reperiri loquutio, quæ de se sit manifestatio dictæ submissionis, & voluntatis eam significandi: quæ proinde erit honoratio excellentis, directa ad illum, ut excellentem, ab ipso loquente agnoscente se inferiorem. Talis ergo loquutio erit essentialissimè adoratio, coalescens ex voluntate talis manifestationis, & ex ipsa manifestatione internâ.

Bernal.

12 Addit Bernal *num. 39.* per actum quoque internum cuiuslibet virtutis compleri posse significativè adorationem internam. Sicut enim loquutio externa consummatur per sonum, qui non ex natura sua, sed ex hominum placito significat; cur similiter non poterit quilibet actus internus virtutis; v.g. fidei, aut misericordiæ assumi extrinsecè, & ad placitum ad significandam submissionem internam? Sicque eius effectio, quâvis non ex natura sua, at ex beneplacito extrinseco, erit consummatio loquutionis internæ cum Deo, atque adoratione purè interna. Sic etiam videtur colligi ex Vasquez, & Arriaga.

Bern.

Vasquez. Arriag.

13 Displicet tamen hoc Cardinali Lugo, & Haunoldo lib 5. Tract. 2. cap. 12. communi existimantibus, signum consummativum adorationis debere esse, aut ex natura sua, aut saltem ex institutione publicâ, manifestativum submissionis; nec ad id sufficere, quamcumque ordinationem privatam ad id significandum: alioquin, ait Haunoldus, posset

Lug. Haunol.

Digitized by Google

set quis assumere actionem, alioquin impertinentem, nempè deambulationem, vel tussitum pro signo adorationis. His tamen, & alijs latis occurrit Bernal, negans, id esse absurdum post conventionem, aut quasi pactum inter adorantem, & adoratum: quo pacto posito, jam actio illa, non esset impertinens. Sic vox, *homo*, impertinens est ad significandam arborem; non tamen esset impertinens post impositionem significationis, aut publicam pro omnibus, aut privatam inter duos colloquentes. Nec momenti est quod opponit Haunoldus, sic posse aliquem velle uno verbo significare totum officium divinum: & postea illo solo verbo adimplere pensum totius Offirij. Nam obligatio recitandi est per verba ex instituto Ecclesiæ præscripta. *Haunol.*

14 Nota ex dictis: adorationem generaliùs acceptam comprehendere etiam illâ, quàm homines aliqui inferiores exhibent Principibus excellentissimis. Nos tamen in præsenti non loquimur de adoratione ista civili, & politicâ; sed de sacrâ dumtaxat, & religiosâ erga Deum, & Sanctos, aliasque res alicuius sanctitatis participes, in quibus Dei sanctitas, & excellentia speciali titulo resplendet, ideòque habentur dignæ aliquo cultu religioso.

SECTIO II.

Solemnis divisio Adorationis religiosæ in Duliam, Hiperduliam, & Latriam.

15 *Dulia*, est *adoratio, quæ creaturis Sanctis communiter exhibetur*. Venit à verbo Græco, quod servire, seu obsequi significat: & nobis applicatur, qui dũ Sanctos adoramus, illorum nos quasi servos obsequentes humiliter profitemur.

16 *Hiperdulia*, sic quasi superlativè dicta, est *adoratio, exhibita creaturis singulariter, & eximiè sanctissimis*. V. g. Sanctissimæ Virgini, non quomodocumque singulis alijs, sed omnibus alijs collectivè etiam sumptis sanctiori, & ex dignitate divinæ Maternitatis supereminentissimæ.

17 *Latria*, est *adoratio, quæ soli Deo exhibetur*. Derivatur à nomine Græco, quod servum significat. Communi tamen Scripturarum, Ecclesiæ, & Theologorum usu contrahitur ad solum cultum, qui Deo summo debetur. Quidquod verbum Græcum, à quo nomen illud derivatur, non utcumque significat servire, sed ingenti cum reverentia servire, ut observat Bernal in Græcis versatissimus *num. 49.* ideòque Latria ad solum Deum appropriatur. *Bern.*

18 Immediatiùs divideretur Adoratio in unã, quæ Deo; & aliã, quæ creaturis exhibetur: & deinde subdivideretur ista in Duliam, & Hiperduliam. Sed res est exigui momenti: & trimembris illa divisio usitatior est, & accommodatior ad dilucidum ordinem doctrinę.

19 Adæquatio prædictæ divisionis ex eo constat, quòd nulla sit adoratio religiosa, & sacra, quæ sub aliquo ex tribus illis membris non contineatur. Dices, sub nullo illorum contineri adorationem, qua unus sanctus adorat alterum, ut sanctum. Respondetur, quòd vel honorat alterum, ut excellentiorem, vel non. Si secundum; nòn adorat, quamvis honoret: cùm adoratio sit honoratio alterius, ut excellentioris. Si primum; est adoratio Duliæ: quamvis enim uterque, sanctus sit; is tamen, qui alterum, ut excellentiorem honorat, alteri (e. ut inferior, submittit, hanc submissionem actu adorationis significans. Nec obest, si forté sic adoratus non sit re ipsa sanctior: sicut quòd Iupiter verus Deus non sit, non obest, quominus honoratio illi exhibita á Gentili, tanquam vero Deo, sit adoratio Latriæ, & Idolatria.

20 Non esse univocam, sed æquivocam prædictam divisionem putarunt aliqui, suffragante P. Vasquez. Ex eo quòd sanctitas, sive excellentia Dei non convenit univocè cum sanctitate, & excellentiâ creatâ; sicut nec in ullâ ratione univocâ Deus cum creatura: ergo, nec adoratio Dei cum adoratione creaturæ: ac proinde prædicta divisio, non est rationis divisæ univocæ, sed æquivocæ. Addit Vasquez, sequi quod contineretur immediatè sub duobus generibus non subalternatim dispositis: nempè sub genere Religionis, sub quo continentur etiam votum, & juramentum; & sub genere Adorationis, sub quo continerentur etiam Dulia, & Hiperdulia. Alij dixerunt, divisionem esse analogam, ut S. Bonaventura *in 3. dist. 9. art. 2. ad 4.* quod etiam attribuit S. Thomæ Petrus Bergonensis *verbo Adoratio, num. 3.* idque tenet etiam Bellarminus *to. 2. contr. 4. lib. 1. c. 12.* *Vasq.* *Bonav.* *S. Thom.* *Bergom.* *Bellarm.*

21 Meritò tamen P. Suar. *disp. 51.* ait, eam divisionem esse univocam. Quia tam Duliæ, ac Hiperduliæ proprièconvenit ratio definita Adorationis ut sic: ac proinde non solum nomine, sed re etiam significatâ per nomen, proprié conveniunt in ratione adorationis sacræ. *Suar.*

22 Ad rationem contrariam, negatur in primis antecedens; quia in multis rationi-

bus communibus conveniunt univocè, & genericè Deus, & creatura, ut expendi *diſp. 5. de Attributis, ſect. 3.* Tom. 1. diſp. 25. æquèadeò non eſt cur nequeant univocè, ac genericè convenire in ratione ſanctitatis & excellentiæ, ut ſic. Deinde, permiſſo antecedente, non valet conſequentia. Nam ex adorationes, quāvis verſentur circa diverſas illas excellentias infinitè diſtantes, non conſtituuntur intrinſecè per illas, ſed per actus, qui circa illas exercentur. Unde, quamvis illæ excellentiæ non convenirent univocè inter ſe in ratione excellentiæ; poſſent univocè inter ſe convenire earum adorationes, ſeu actus creati circa illas in ratione adorationis: ſicut in ratione amoris, & cognitionis actus creati verſantes circa Deum, & creaturas, adhuc dato, quòd Deus, & creatura in nulla ratione generica univocè convenirent.

23 Ad additamentum Patris Vaſquez negatur ſequela: quia illa genera Religionis, & Adorationis, nec ſunt immediata ad Duliā, Hiperduliā & Latriā; nec ſunt diſparata. Non immediata; quia immediatiùs dividitur Adoratio in ſacram, & non ſacram; & deinde ſacra, in eam, quæ Deo, & in eam, quæ creaturis exhibetur: & tandem hæc in Duliam, & Hiperduliam, ut obſervabam *num.* 18. Non diſparata, ſed inter ſe ſubalternatim coordinata. Nam ſub genere univerſaliori Religionis, ad multos actus, qui non ſunt adoratio, extento continetur genus ſubalternum, ac minus univerſale adorationis ſacræ, diviſibile deinceps in ſuas ſpecies. Quod ſi hoc etiam reputatur abſurdum ab Adverſarijs, noverint commune ſibi etiam eſſe in amore ſupernaturali Dei propter ſe, qui eſt ſub genere virtutis Theologiæ, ſub quo genere non eſt naturalis amor in Patriam: cùm tamen uterque contineatur univocè ſub genere amoris, ut ſic: quod eſt genus diſparatum à genere virtutis Theologiæ: cùm nec omnis amor ſit virtus Theologica, nec omnis virtus Theologica ſit amor. Sed hæc Dialecticorum ſunt.

24 Supradictæ tres ſpecies adorationis pertinent ad virtutem Religionis, cuius objectum eſt cultus Dei, aut in ſe ipſo per Latriam, aut in ſanctis ſuis per Duliam, & Hiperduliam. Dubium eſt: an idem phyſicus habitus, quo adoramus Deum cultu Latriæ, ſit ille ipſe, à quo procedunt actus, quibus adoramus Sanctos cultu Duliæ, propter excellentias creatas; an verò iſti ſint duo habitus diverſi. Eſſe diverſos tenet ex S. Thom. P. Suar. *tom. 1. diſp. 52. ſect. 3. verſ. Circa hanc.* S. Thom. Suar. Marſ. Eſſe unicum docuit olim Marſilius *in 3. quæſt. 8. art. 1.* quod, & eſſe ſibi planè probabile fatetur Suarez cit. Si ejuſdem habitus charitatis eſt diligere Deum, & proximos, ut ex S. Thom. ſupponit Suarez, ſimiliter videtur dicendum, ejuſdem etiam habitûs Religionis eſſe colere Deum, & Sanctos; non obſtantibus diſparitatibus, quas ex eodem S. Thom. promovet ibi Suarez. Quodſi diſtinguere oportet duos habitus Religionis, unum Latriæ pro cultu Dei, alium Duliæ, & Hiperduliæ pro cultu Sanctorum, non habente pro motivo intrinſeco increatam excellentiam Dei; pariter videtur, diſtingui debere duos habitus charitatis; unum pro dilectione Dei, aliud pro dilectione proximorum, nō habente pro motivo intrinſeco increatam bonitatem Dei, ut ſatis urget Suar. à verſ. *Quartò in dubium.* Sed hæc ex profeſſo alio pertinent. Videndus ipſe Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 3. c. 5.* Suar. Suar.

SECTIO III.

Celebris ſubdiviſio Adorationis in Abſolutam, & Reſpectivam.

25 *Abſoluta*, dicitur, quæ directè exhibet honorem Perſonæ excellentiori in ſe ipſa. Si Perſona eſt Divina, eſt Latria abſoluta, ut quando adoratur Deus in ſemetipſo. Si Perſona eſt creata ſuperexcellens, eſt Hiperdulia abſoluta, ut quando adoratur Sanctiſſima Virgo in ſemetipſa. Si Perſona eſt communiter ſancta, eſt Dulia abſoluta, ut quando alij Sancti adorantur in ſemetipſis. Quos inter, quamvis detur inæqualis excellentia, ſicut, & inæqualis ſanctitas; non tamen eo exceſſu, quo illos excedit Sanctiſſima Virgo: nec oportet pro ſingulorum exceſſu reſpectu aliorum multiplicare moleſtè totidem ſpecies Adorationis in conſideratione Theologicà.

26 *Reſpectiva* dicitur, quæ exhibetur prædictis Perſonis in aliqua re, ab ipſis diſtinctâ; ſpeciali tamen titulo ad ipſas pertinente, ut earum imaginibus, reliquijs, nominibus, veſtibus, & alijs ſimilibus. Si res ſic adoratæ pertinent dicto modo ad Perſonam divinam, adoratio eſt Latria reſpectiva, ut quando adorantur imagines Trinitatis, Imago, aut Crux Chriſti Domini. Si ad Perſonam creatam ſuperexcellentem, adoratio eſt Hiperdulia reſpectiva, ut quando adorantur imagines, nomen, aut veſtes Sanctiſſimæ Virginis. Si ad Perſonam communis ſanctitatis, adoratio eſt Dulia reſpectiva, ut quando adorantur, imagines, veſtes, aut aliæ reliquiæ Sanctorum.

Diſ-

27 Difficultas molesta est, quinam respectus requiratur, & sufficiat ad adorationem respectivam, ut nempé res aliquæ adorari possint ratione Personæ ad quam pertinent, & cuius excellentiam quasi communicatam habent. Et antequam ad alia specialiter descendamus, est potissima ratio dubitandi circa Latriam respectivam, qua multæ res distinctæ à Deo adorantur respectivé ad excellentiam Dei, quam representant, & quasi cõmunicatam habent; & non omnes.

28 Ratio autem dubitandi desumitur *S.Thom.* ex S. Thom. 2.2. *quæst.* 25. *art.* 1. ubi docens, per eamdem virtutem Charitatis Dei, qua amamus Deum propter bonitatem propriã, amari creaturas, v. g. homines propter bonitatem Dei, obijcit sibi: per eamdem virtutem Latriæ per quam adoramus Deum propter excellentiam propriam non adoramus homines propter excellentiam Dei: ergo per eamdem virtutem charitatis, per quam amamus Deum propter bonitatem propriam non amamus homines propter bonitatem Dei.

29 Ad quod enthimema satis difficile *S.Thom.* respondet S. Thom. ibi *ad* 2. concedendo antecedens, & negando consequentiam. Et dat rationem disparitatis: quia amor respicit bonum in communi: honor verò exhibitus per adorationem respicit bonum proprium honorati; defertur enim alicui in testimonium propriæ virtutis. Unde amor non diversificatur specie propter diversam quantitatem bonitatis diversorum, dummodò referantur ad aliquod bonum commune; honor verò specificatur secundum bona propria singulorum. Unde ait esse, quòd eodem amore charitatis diligimus omnes proximos in quantum referuntur ad unum bonum commune, quod est Deus; sed diversos honores diversis defetimus secundum propriã virtutem singulorum: ac proinde singularem honorationem, seu adorationem Latriæ exhibemus Deo propter singularem eius virtutem, & excellentiam. Aliud discrimen affert *quæst.* 81. *art.* 4. *ad* 3. quòd nempé bo- *S.Thom.* nitas Dei est communicabilis creaturæ; non verò excellentia Dei.

30 P. Petrus de Oxea Collegij nostri Cæ- *Oxea.* saraugustani præclarus Magister *disp.* 2. *de Charit. sect.* 4. *num.* 59. ingenuè confitetur, se non assequi potuisse in ijs mentem S. Tho. Quomodo enim, inquit, honor defertur semper in testimonium propriæ virtutis; cùm videamus, quotidiè deferri viris nobilibus ignaris, & flagitiosis, non in testimonium propriæ virtutis, quam non habent; sed in testimonium virtutis, & facinorum suorum Progenitorum? Quomodo, *ait num.* 44. excellentia Dei non est sicut bonitas Dei, communicabilis creaturis, si per identitatem neutre communicatur; extrinsecé verò per applicationem videmus multis creaturis, v.g. Cruci, & Imaginibus Christi taliter communicari, ut respectivé ad excellentiam Dei honorentur, & adorentur cultu Latriæ? Cur ergo non sic omnibus communicatur excellentia Dei, ut omnes homines possimus honorare adoratione Latriæ propter excellentiam Dei; sicut omnibus communicatur bonitas Dei taliter, ut quoscumque homines possimus amare amore charitatis propter bonitatem Dei? Videtur nodus indissolutus.

31 Idcircó, nec Turrianus 2.2. *disp.* 73. *Turrian.* *dub.* 1. acquiescere videtur disparitati S. Tho. Nam etiam amor veritate potest circa bonitatem proximi, ut propria illius est: ergo in hoc pares sunt bonitas, & excellentia. Sicque aut virtus charitatis, qua amamus Deũ propter bonitatem propriam, non extenditur ad amandum omnes homines propter bonitatem Dei; aut virtus Latriæ, quâ adoramus Deum propter excellentiam propriam, extendetur ad adorãdos omnes homines propter excellentiam Dei. Aliud discrimen re- *Suar.* fert, & refellit ex P. Suar. *disp.* 52. *sect.* 3. ubi meritó confitetur; hanc rem esse obscuram, & difficilem.

32 P. Ripalda *disp.* 37. *de Charit. sect.* 4. *Ripald.* aliter capit S. Thom. sic videlicet, ut cum ait, amotem respicere bonum in communi, non perinde dicat, amorem non posse quoque respicere bonitatem particularem hominis amati; sed non esse necesse, quòd semper moveatur ex illa, cùm possit etiam ex alienâ. Honorem verò, sive adorationem semper esse determinatè testimonium excellentiæ propriæ honorati, sivè adorati; & non commune alienæ.

33 Contra tamen. Sicut voluntas moveri potest ad amandam unam personam ex bonitate alterius, quia bonitas unius aliquo modo communicatur alteri; similiter moveri potest ad honorandam, vel adorandam personam, vel rem propter excellentiam alterius aliquomodo ipsi communicatam. Patet: nam posteros ignavos, & flagitiosos honoramus propter virtutem, & facinora Progenitorum; fœminam plebeiam nuptam Regi propter excellentiam Regis: & adoramus Latriâ humanitatem Christi ob excellentiam Dei ipsi communicatam hypostaticé. Si ergo virtute charitatis, qua Deum amamus propter se, amamus omnes proximos propter Deum; cur non similiter eadem virtute La-

Latriæ, quia adoramus Deum propter excellentiam ſuam, non poterimus adorare omnes creaturas etiam rationales propter excellentiam Dei? Non enim videtur ſubſiſtere diſcrimen illud, quòd honoratio, ſive adoratio ſit ſemper determinatè teſtimonium, excellentiæ propriæ, & alienæ non communis.

Ripal. 34 Quamobrem fatetur Ripalda, hunc diſcurſum valere pro aliquibus creaturis non rationalibus, cùm adoremus cultu Latriæ Crucem ob excellentiam Dei tali ſigno extrinſecè communicatam; & metaphyſicè loquendo valiturum pro alijs creaturis etiam rationalibus. His tamen ex ratione morali denegari ſimilem cultum ob excellentiam Dei: quia creatura rationalis præ non rationali habet ſuam etiam excellentiam propriã. Unde eſt, quòd cultus exhibitus creaturæ non rationali, v. g. Cruci, propter excellentiam propriam inadorabili, debeat eſſe propter alienam, nec poſſit attribui propriæ; cultus verò exhibitus creaturæ rationali ex ſe capaci honorationis, de per ſe tribui ſolet excellentiæ propriæ, ideóque eſſet teſtimonium excellentiæ propriæ, &, ſi cultus eſſet Latriæ, eſſet idolatria: quod ut evitetur, ex uſu ordinato Eccleſiæ, & omnium gentium nullus cultus exhibetur creaturis rationalibus, qui ſit teſtimonium excellentiæ alienæ.

35 Non plenè ſatisfacit. Primò: quia inſolitum non eſt, ſed frequentiſſimum, quòd excellentia unius extrinſecè communicetur alteri etiam rationali, ut patet per exempla appoſita *num. 33.* Cur ergo negetur etiam ex natura rei per conſiderationem moralem, par communicabilitas divinæ excellentiæ creaturis rationalibus ſicut irrationalibus, quoad adorationem reſpectivam? Secundò: quia creaturam rationalem eſſe capacem excellentiæ propriæ non per ſe facit, ut adoratio ipſi exhibita non poſſit eſſe teſtimonium excellentiæ alienæ: ſicut quòd habeat bonitatem propriam non tollit quominùs amari queat propter bonitatem alienam. Imò de facto humanitas Chriſti, quæ creatura rationalis eſt, adoratur Latriâ, ut videbimus *ſect. ſeq.* ob excellentiam divinitatis, quin hæc adoratio teſtetur, eſſentialiter illi competere excellentiam divinitatis, ſed ex gratuito dono unionis intrinſecæ. Cur ergo ſic non poſſet ex natura rei adoratio Latriæ exhibita alteri creaturæ rationali eſſe teſtimonium excellentiæ divinitatis extrinſecè ſolum illi cõmunicatæ; ad modum, quo amor, quem impendimus propter Deum creaturis rationalibus alioquin bonis, potiùs teſtatur bonitatem divinam, quam ipſorum? Tertiò: quia falſum etiam eſt, quòd ex uſu Eccleſiæ nulli creaturæ rationali exhibeatur adoratio in teſtimonium excellentiæ alienæ, ut patet in humanitate Chriſti: cui, quamvis intrinſecè unita ſit excellentia Verbi, ideòque poſſit aliquomodò dici ſua; non tamen deſinit eſſe realiter diſtincta, & gratuitò ipſi communicata. Et Miniſtris Eccleſiæ defertur honoratio religioſa, & ſacra proteſtativa excellentiæ Dei, cui inſerviunt: quod, & Gentes erga ſuorum Numinum ſacrificulos obſervant: qui cultus, quamvis Latriæ non ſit, eſt proteſtativus excellentiæ alienæ. Et in civilibus eſt quoque frequens, ut patet in legatis Principum. Ergo, inſpectâ tantùm rerum natura, verum non eſt, adorationem Latriæ exhibitam creaturæ rationali, fore eo ipſo, proteſtativam excellentiæ propriæ talis creaturæ, ac proinde idolatriam.

36 Dicat aliquis, excellentiam unius creaturæ poſſe communicari alteri rationali, hanc reddendo honorabilem ratione illius; non tamen excellentiam Dei creaturæ rationali, eam reddendo adorabilem cultu Latriæ, quo Deus adoratur. Eó quia adoratio Latriæ eſt exhibitio cultûs ex interno affectu proteſtandi ſupremam excellentiam eius, qui ſic adoratur. Cùm autem creaturæ rationali repugnet ea ſupremitas, nequit adorari cultu proteſtativo ſupremæ excellentiæ: ideóque ſuprema Dei excellentia non eſt communicabilis creaturæ rationali, ut poſſit adorari cultu Latriæ. Hic enim eſt cultus ſuper omnia ſoli Deo præſtabilis.

37 Contra tamen. Primò: quia hæc ratio valeret quoque in creaturis non rationalibus contra omnes. Secundò: quia valet pro cultu Duliæ reſpectivæ, in quo eadem poteſt moveri, & urgeri difficultas: neque enim cultu Duliæ adoramus unam creaturam rationalem, ſicut multas non rationales, propter excellentiam alterius creaturæ: & de hoc quæritur ratio. Tertiò: quia cum adoramus Crucem cultu Latriæ reſpectivæ, non proteſtamur, Cruci ineſſe intrinſecè ſupremam excellentiam; nec cum adoramus humanitatem Chriſti cultu Latriæ reſpectivæ proteſtamur, ei ineſſe per identitatem ſupremam excellentiam: cur ergo non ſic poſſemus cultu Latriæ reſpectivæ adorare aliam creaturam rationalem, quin eo ipſo proteſtaremur, ei ineſſe ſupremam excellentiam per identitatem, aut per intrinſecam unionem?

38 Nec obeſt illud poſtremum de cultu Dei ſuper omnia. Nam amare hominem virtute charitatis propter bonitatem Dei amatam ſuper omnia, eſt quidem Deum ama-

re ſuper omnia, at non eſt amare hominem ſuper omnia: nec adorare cultu Latriæ reſpectivę Crucem, imaginem, & humanitatem Chriſti, aliaſvé creaturas non rationales propter excellentiam Dei adoratam ſuper omnia, non eſt eas res creatas colere ſuper omnia. Ergo poſſent alię creaturæ etiam rationales adorari cultu Latriæ reſpectivæ propter excellentiam Dei, quin perinde adorarentur, ſeu colerentur ſuper omnia. Si dicas: in quo conſiſteret illam adorationem eſſe Latriæ, ſi non eſſet ſuper omnia? Reſpondebitur: in eo quòd exhiberetur ille cultus. V. g. genuflexio incurvatio, vel oſculatio ex affectu interno proteſtandi, non quidem excellentiam propriam talis rei creatæ; ſed Dei extrinſecè illi communicatam. Sic actum eſſe charitatis amantem hominem propter Deum, ſtat in eo quòd amet hominem ex motivo bonitatis divinæ; quin tamen amet hominem ſuper omnia. Id etiam animadvertit P. Bern. *diſp. 68. nn. 42. & 44.*

Bern.

Oxea.

39 Propter hæc opinatur P. Oxea *nn. 49.* inſpectis præciſè naturis rerum, currere paritatē Charitatis, & Adorationis; ac proinde poſſibile fuiſſe ex natura rei, creaturas etiā rationales, adorari cultu Latriæ proteſtativo excellentiæ Dei illis extrinſecè communicatæ ex Dei voluntate; ad modum quo amore divinæ charitatis amamus creaturas propter bonitatem Dei. De facto tamen id ita non fieri, nec licere: quia obſtat lex Dei prohibens putis hominibus, & Angelis, quantumvis ſanctis, adorationem Latriæ. Cujus divinæ legis ratio congruentiſſima eſt periculum idololatriæ iuxta regularem morem humanum: cui periculo, quamvis poſſet Deus aliis mediis occurrere, voluit occurrere medio dictæ prohibitionis.

Bern.

40 Quó vertit Bernal *diſp. 68. num 49.* ex propriétate Textūs Græci divinam illam legem Deuteron. 6. *Dominum Deum tuum timebis* (Matt. 4. *adorabis*) *& illi ſoli ſerviet.* Quāpropter nec Duliam legimus permiſſam Hæbreis ad idololatriam propenſiſſimis in illa lege erga ſanctos ſuos (uno, vel altero cum Angelis excepto ex *Gen. 18. & 19. & 1. Reg. 28.*) quidem nunc exercemus circa ſuos, & noſtros in lege Gratiæ, ut obſervat erudité Cardin. de Laurea *diſp. 19. art. 5. num 61.* Cujus rei, quamvis poſſit alia quoque ratio reddi, ex eo quòd tunc ſancti nondum erant beati; at quia videmus, Eliæ nondum beato tribui nunc ab Eccleſia cultum Duliæ; poteſt recurri ad rationem illam divinæ prohibitionis ad evitandas tunc temporis Idololatrias illius Populi, qui faciliùs à Dulia ad Latriam degeneraret. Hoc periculum non ita eſt in lege Gratiæ, aut alijs mediis voluit Deus illi occurrere: & non prohibendo adorationem Sanctorum, ſicut nec Imaginum. Ea verò prohibitio, cùm non ſit circa amorem charitatis creaturarum rationalium propter bonitatem Dei, ideó poſſunt ſic amari. Quamvis poſſet ſimiliter Deus, & hunc quoque prohibere circa aliquam ſaltem creaturam ob honeſtiſſimos fines: & tunc non liceret illam ſic amare. Ex quo fieri poteſt argumentum pro opinione Pattis Oxea, in quam inclino, & à qua non omninò videtur diſſidere Pat. Ripalda ubi ſupra.

Bern. Deut. 6 Matt. 4.

Gen 18. & 19. 1. Reg. 28 Laur.

41 Confirmari poteſt ex humanis. Principes enim, quibus eſt in uſu Polygamia, uni ex ſuis uxoribus communicant pro libito ſuam excellentiam, ut ratione ſuæ Regiæ poteſtatis honoretur eodem politico cultu, quo Rex, ut leguntur feciſſe Aſſuerus cum Vaſthi, ac Eſter; & Salomon cum Filia Pharaonis, & Imperatores Turcarum cum ea, quam inter alias uxores Sultanam vocant. Videm, quantum pendet à libito voluntatis ea communicatio extrinſeca excellentiæ alienæ pro adoratione, ſeu honoratione reſpectivā alterius perſonæ ratione illius. Sic etiam in ſacris vult Deus, ut Sacerdotes ſpeciali cultu, & quidem religioſo, quamvis non Latriaco, nec Duliaco, veneremur, & honoremus, reſpectivè ſcilicet ad excellentiam Dei, quam ſpecialiter repreſentant. Sic ergo potuit velle Deus, ut aliqui in ſignum poteſtativum divinæ ſuæ excellentiæ, cultu Latriæ reſpectivæ adorarentur quaſi vivæ ipſius imagines. Nec video ex natura rei repugnantiam, cui accedente divino libito ſic id inſtituente in ſignum adplacitum ſuæ excellentiæ, non poſſet in alia lege adorari cultu Latriæ reſpectivæ ſenex vivus, ut imago viva Patris Æterni; ſicut nunc ſenex pictus: aut columba vera pro Spiritu Sancto, ſicut nunc columba picta. Nam periculum Idololatriæ, ſi aliquod ſpecialiùs immineret, multis alijs mediis poſſet Deus antevertere. Id autem noluit, ſed potius prohibuit, quia hoc talis prohibitionis medio voluit tali periculo occurrere.

42 Si dubites: quo pacto poſſet Dei excellentia variis creaturis etiam rationalibus extrinſecè communicari quoad prædictum effectum, ut adoreri poſſent cultu Latriæ reſpectivæ propter excellentiam Dei. Reſpondet P. Oxea *num. 53.* poſſe id fieri per liberam voluntatem Dei nobis manifeſtatam, qua aliquas Perſonas etiamſi dignitatis, ut Reges, aut Pontifices inſtitueret in vivas imagines ſui, ut habentis ſuprēmum ex-

Oxea.

ecl-

cellentiam, similiter representativas illius supremæ excellentiæ, ut illas sic adorare esset signum protestationis excellentiæ suæ, & submissionis nostræ ad ipsum.

43 Quæ diximus de Latria respectivâ, intelligenda veniunt respectivè de Hiperdulia, & Dulia respectivis. Quia, ut visum est, *num.* 25. ea subdivisio adorationis in absolutam & respectivam illis etiam adapetatur, quâvis communiter tradi consueverit sub terminis Latriæ.

44 Ex ijs omnibus ad difficultatem propositam *num.* 27. dico, respectum illum adorationis respectivæ ad res absolutè adoratas sumi diversimodè ex varijs circumstantijs moraliter potius quam physicè considerandis, quibus aliquæ res speciali titulo dicuntur pertinere ad Personas, quarum intuitu adorantur. V. g. humanitas Christi titulo unionis physicæ cum Deo; Vera Christi Crux, titulo contactûs; aliæ Cruces, & Imagines, titulo representationis; reliquiæ, titulo partium remanentium, semperque pertinentium ad totum, in quo fuerunt; vestes, & instrumenta martyriorum, ratione contactûs; & alia huiusmodi ob similes titulos. Ad quos discernendos & purificandos ab alijs circumstantijs redolentibus aliquid indecoritatis, multùm facit consideratio moralis, usus Fidelium & approbatio, seu consensus Ecclesiæ, ut ex dicendis in particulari magis constabit.

SECTIO IV.

An & quo genere adorationis coli possint, & debeant Christus & eius Humanitas unitim sumpta.

45 DE Fide est, Christum sic concretè, specificativè, & absolutè sumptum adorari debere cultu Latriæ absolutæ, & supremæ. Quia Christus verè, & absolutè est Deus. Ad quem Apostolus Thomas, Ioan. 20. *Dominus meus, & Deus meus.* Et Cæcus ille à nativitate Ioann. 9. *procidens adoravit eum*: & cultu quidem Latriæ, utpote ipsum jam credens Filium Dei. Et Magi Matth. 2. *Procidentes adoraverunt eum*: & quidem ut Deum, juxta mysticam significationem thuris ei tunc oblati ex communi Patrum Ecclesiæ intelligentia. De quo exponitur etiam, *Rom.* 14. & *Philipp.* 2. illud Isaiæ 45. *Mihi curvabitur omne genu*: juxta illud Ioan. 5. *Ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Unde Concil. Lateran. sub Martino. 1. *consult.* 5. c. 10. sit: *Christus, ut Deus, & homo, est unâ adoratione adorandus.* Et Trid. *sess.* 13. *can.* 6. si quis, *in Sancto Eucharistiæ Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium adorandum esse cultu Latriæ*: Et anathematizat id negantes. *Ioan. 20.* *Ioan. 9.* *Matt. 2.* *Rom. 14.* *Philip 2.* *Isai. 45.* *Ioan. 5.* *Lateran.* *Trid.*

46 Difficultas est: an hoc eodem actu Latriæ absolutæ, quo adoratur Christus coadoretur etiam cultu Latriæ eius humanitas unita Verbo. Non dixi, *ut unita*, nè reduplicando supra unionem, eiusque terminum, nempè Verbum, ut facit Card. de Lauræa *art.* 5. inanem faciamus quæstionem, redeundo ad adorationem Christi, quam ex Fide, & extra quæstionem stabilitam supposuimus *nu.* præc. Negarunt antiquiores aliqui. Recentiores verò communiter affirmât apud Haunoldum *controv. nu.* 417. *Lauræa.* *Haunold.*

47 Rationes negantium sunt huiusmodi. Prima: quia absoluta adoratio Latriæ debetur Deo ratione supremi dominij: ergo Christo non ratione totius complexi, sed solummodò ratione Deitatis; cùm solummodò ratione Deitatis sit supremus: ergo nequit coadorari sic humanitas, quantumvis unita Deo. Secunda: quia totus Christus secundum totum quod dicit non est summè diligendus: cùm solùm, ut Deus, sit ultimus finis: ergo nec secundum totum adorandus adoratione Latriæ absolutæ, respicientis etiam excellentiam supremam adorati: ergo eo cultu non coadoratur eius humanitas. Tertia: quia, si Christo sumpto secundum totum quod dicit, ut Deus homo, impendi posset cultus Latriæ absolutæ, possent, & offerri ipsi sacrificia, quæ sunt potiores actus Latriæ: sed hoc non fert praxis Ecclesiæ, soli Deo, ut tali, immolantis sacrificia: ergo. Quarta: quia humanitas, quamvis unita Deo, nec desiit esse creatura, nec est Deus: ergo nequit, adhuc cum Verbo, adorari cultu Latriæ soli Deo debito. Quinta: quia Sanctis ideò minor impenditur adoratio, quàm Deo, quia minores sunt Deo: sed humanitas unita Deo minor est Deo: ergo nequit adhuc simul cum Deo coadorari eodem cultu Latriæ. Sexta: quia cum adoratur Eucharistia clausa in Pixide, Pixis tam continens non adoratur Latriâ: idem ergo de humanitate Christi continente Verbum.

48 His tamen non obstantibus sententia affirmans est ita recepta, ut censuerit Bernal *disp.* 49. *à num.* 4. esse à Concilijs definitum: quamvis alij apud Vasq. *disp.* 95. *c.* 2. quibuscum sentire videtur Delugo *disp.* 34. *à num.* 27. censuerint non pertinere ad Fidem: quod etiam ex Uvadingo sentire videtur Haunoldus. Cardin. de Lauræa *num.* 76. hanc propositionem: *Humanitas, ut unita Verbo,* *Bern.* *Vasq.* *Lug.* *Vvadin.* *Haunol.* *Laur.*

bo, adoranda est adoratione Latriæ; censet debere esse de Fide. At quid lateat sub illa sua reduplicatione satis explicat inferiùs. Proferam præcipuas auctoritates, quibus nititur P. Bernal magis ad rem loquutus, ut saltem veritas communis sententiæ affirmantis innegabiliter solidetur.

Alex. Ephes. Cyrill.

49 Primò. Concil. Alexandrinum, & Ephesinum primum *in Epist. Cyrilli decima colum. 3.* sic habent: *Cavemus etiam hoc modo loqui de Christo: propter eum, qui induit indutum veneror, & propter invisibilem visibilem adoro.* Quia nempè loquutiones illæ duo in Christo Dmino Supposita ex Nestorio significabant; unum, puré Deũ; alterum, puré hominem. Ideòque subdunt: *Sed unus, idemque Christus Iesus, unigenitusque Dei Filius, animo concipitur, qui una adoratione cum propria carne honoratur.* Idem feré habetur in eâdem Epist. *Canone, sive anathematismo 8.* Quæ loquutio clarissima salvari non posset per solam communicationem idiomatum: per hanc enim non dicerent Concilia, Verbum *cum propriâ carne* fuisse ab æterno, creasse mundum, &c.

Syn. 5.

50 Secundò. Quinta Synodus *collat. 8. can 9.* ait: *Si quis in duabus naturis adorari dicit Christum: ex quo duas adorationes introducunt, separatim Deo Verbo, & separatim homini: Vel si quis ad interemptionem, vel confusionem Deitatis, & humanitatis unam naturam, sive substantiam eorum, quæ convenerant introducens; sic Christum adorat; sed non unâ adoratione Deum Verbum incarnatum cum propriâ ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditum est; talis anathema sit.* Quæ verba præcludere videntur locum cuicumque pravæ intelligentiæ, ut clarè, & expeditè deducant, Verbum *cum propria ipsius carne* unâ adoratione adorari: quod est, humanitatem unitam Verbo eâdem cum Verbo Latriæ adoratione in Christo adorari debere.

Augusst.

51 Tertiò. Ex Sanctis Patribus. Augustin. in Psal. 98. *Nemo carnem Christi manducat, nisi priùs adoraverit.* Et *serm. 58. de Verbis Dom.* cùm ex hæreticis sibi obiecisset, id esse quasi adorare creaturam cultu Latriæ; ait: *Ego Dominicam carnem, imò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro quòd Deitati unita est: ut non alium,* (ut volebant Nestoriani;) *sed unum, eumdemque Deum, & hominem Dei Filium cõfitear.* Damascenus *lib. 3. c. 8.* ait, nos carnem Christi non adorare ut puram carnem; sed ut unitam Divinitati. Et Chrisostomus Homil. 5 in Epist. ad Hæbr. *Reverá magnum, & admirabile, & stupore plenum est, carnem nostram sursum sedere, & adorari ab Angelis, &c.*

Damasc. Chrisost.

52 Ex quibus, & alijs videtur planum, humanitatẽ unitã Verbo sic adorari in Xpo, ut idem cultus adorationis Latriæ versans circa Christũ, coadoret etiam humanitatem: ita scilicet, ut homo dicatur in Christo per Latriam adoratus; non solum per communicationem idiomatum sicut dicitur omnipotens; sed sic etiam, ut ille ipse cultus Latriæ adoret humanitatem, & immediatè partialiter terminetur ad ipsam.

Epiph.

53 Declarat id S. Epiphanius exemplo. Sicut enim cum Rex adoratur, purpura Regis coadoratur; ita coadoratur humanitas dum Christus adoratur. Hoc tamen exemplum, quamvis rem quodammodo declaret; non tamen probat, eadem adoratione adorari humanitatem, qua Verbum, dum Christus adoratur: sicut nec vestis regia adoratur sicut Rex; sed Rex absolute, & vestis respectivè. Aptiori exemplo id declarat, & probat S. Cyrillus: ex quo formari potest ratio datæ doctrinæ. Sicut enim adorato homine propter excellentiam animæ, coadoratur etiam absolutâ coadoratione corpus quod physicé est de constitutivo hominis; sic, quia humanitas est de constitutivo physico Christi, adorato Christo per Latriam absolutam, per eamdem Latriam coadoratur humanitas. Sic etiam adorato Rege eâdem adoratione adoratur eius brachium, collum, pes, &c. quia sunt partes physicæ Regis.

Cyrill.

Arriag.

54 Totum hoc labefactare molitur Arriaga, tatus nec per hæc exempla, nec per rationem inde formatam, persuaderi satis intentum. Nam ex adoratione externâ secundum se, nequit colligi, quando Christum adoramus adorari humanitatem cultu potiùs Latriaco, quàm Duliaco, aut Hiperduliaco: genuflexio enim, incurvatio, & osculatio signa sunt ex se indifferentia, ut procedant ex adoratione internâ Latriæ, vel Duliæ: cùm eadem signa exhibeantur Sanctis, imò, & Regibus, ut monuit etiam Suar. *tom. 1. de Relig. l. 1. c. 1. n. 5.* Unde, sicut adoratio Christi vestiti est coadoratio vestis; ut non absoluta, sed respectiva inferioris ordinis; sic dici posset, adorato Christo cultu Latriaco absoluto, coadorari quidem humanitatem; adoratione tamen respectivâ inferiori, aut Hiperduliacâ: utriusque autem adorationis diversæ signum esse eamdem genuflexionem, incurvationem, aut exosculationem. Recurrendum ergo est pro discerniculo ad adorationem internam, à quâ externa sumit denominationem Latriæ, Hiperduliæ, vel Duliæ;

Suar.

absolutæ, vel respectivæ. At certè interna videtur par esse non posse, quæ exhibetur humanitati, & quæ Verbo, aut Christo. Nam judicium, quo judico humanitatem esse excellentem, non est, quo judico Verbum, aut Christum esse excellentem: nec judicare verè possum, illam esse æquè excellentem, cùm verè sciam esse minorem, adhuc unitam Verbo: affectus autem interni sequuntur ejusmodi judicia. Igitur adoratio externa non determinatur, aut completur peractus internos, qui sint Latriæ absolutæ circa humanitatem; sed circa Verbum: ac proinde non est coadoratio humanitatis unitæ, in eodem genere adorationis Latriæ, qua Verbum, aut Christus adorantur.

Haunol. 55 P. Haunoldus *num.* 420. concedit prædicto discursui, cultu Latriæ absolutæ solum Deum, & Divinitatem simpliciter adorari; ait tamen, coadorari in Christo verè Deo omnes partes physicè unitas Divinitati: Ita scilicet, ut sicut per unionem humanitas deificatur, ita vi unionis mereatur cultum nulli creaturæ Deo sic inunitæ debitum; qui proinde erit cultus Latriæ, & coadoratio rei deificatæ. Sicque ait, humanitatem ratione unionis eam consequi dignitatem, ut omni puræ creaturæ anteponatur, & præ omnibus coli debeat. Addit discrimen Latriæ à Dulia, quòd Dulia præfert Sanctos nobis; sed non eo ipso unum Sanctum alteri; Hiperdulia præfert Deiparam aliis puris creaturis; Latria verò ita submittit adorantem Deo, & cuicumque rei per unionem physicam deificatæ, ut eo ipso protestetur talem rem esse super omnes creaturas: ideòque est cultus soli Deo debitus, utpote coadoratio ex se identificata cum adoratione Dei. Addit *num.* 421. ejusmodi coadorationem, quamvis identificatam cum adoratione Dei, inæqualiter tamen adorare humanitatem & Verbum: illam scilicet ob excellentiam Verbi; hunc, ob propriam. Quemadmodum autem quod est divinum per essentiam perfectius est, quàm per unionem; sic meretur modum adorandi formaliter perfectiorem.

56 Nimis detulisse videtur Haunoldus discursui Patris Arriagæ. In eius autem conclusione desidero lucem ad illud discrimen trium adorationum. Quòd Dulia non eo ipso præferat unum Sanctum alijs, bonè; at nec est contra rationem Duliæ ea prælatio: & similiter est in Hiperdulia; cùm possint esse multæ creaturæ inæqualiter excellentes Hiperduliæ adorabiles: idem etiam est in Latria respectiva, cùm excellentior sit pars physica corporis Christi, quàm imago Christi, ut cultu Latriaco, inæquali tamen, adorentur. Quòd autem eiusmodi inæqualitas non observetur in Latria absoluta, est quia solum versatur circa Deum, qui unus est: quodsi versaretur circa unam Personam Trinitatis propter excellentiam relativam specialem, non esset necesse, quod illam alij præferret: ergo ex eiusmodi prælatione, vel non prælatione, non satis aptè sumitur discrimen illarum adorationum. Præterea, si Latria ita submittit adorantem Deo, & cuicumque rei physicè deificatæ, ut eo ipso protestetur talem rem esse super omnes creaturas; quomodo potest impendi humanitati Christi quantumvis deificatæ, quæ nequit esse super omnes creaturas, cùm nequeat esse supra se ipsam eodem modo consideratam, nec supra aliam humanitatem possibilem si similiter deificaretur? Si dicas, esse supra alias à se distinctas non ita deificatas; est dicere, esse supra alias se inferiores: quod cuicumque rei adoratæ facilè accomodabitur. Denique vellem scire, an ea coadoratio humanitatis sit Latriæ absolutæ; an respectivæ? Si enim etiam erga humanitatem est absoluta: ergo non soli Deo, sed creaturæ etiam, quæ Deus non est impenditur adoratio Latriæ absolutæ soli Deo debita: si est absoluta respectu solius Dei, & solum respectiva respectu humanitatis; hic gradus adorationis Imaginibus quoque Dei, & Christi competit. Quid ergo speciale tribuitur humanitati deificatæ Christi?

SECTIO V.

Resolutio difficultatis, & responsio ad rationes oppositas.

57 REsolutio nostra sit. Quando adoramus Christum cultu Latriaco absoluto, eodem ipso actu adorationis Latriæ adoramus eius humanitatem. Hoc sub ijs terminis videtur planissimè tradi à Concilijs, & SS. Patribus supra relatis, & est omninò tenendum. Quod declarat & probat appositissimè ex Cyrillo exemplum corporis coadorati cum anima eodem actu adorationis, quo hominem adoramus: quia nempè homo est totum physicum constitutum ex corpore, & anima. At Christus etiam est totum physicum constitutum ex Verbo, & humanitate: ergo eodem actu adorationis Latriæ, quo adoramus Christum, coadoramus humanitatem, hoc est eius animam, & corpus: imò, & quamlibet partem substantialiter integrantem tale corpus. Sic etiam Tridentinum *sess. 13. cap. 5.* statuit, *omnes Christi fideles, pro more in Catholica Ecclesia* — *Trid.*

Digitized by Google

ecclesia semper recepto, Latriæ cultum qui vero Deo debetur, Sanctissimo Sacramento in veneratione adhibere. Ubi credendum similiter est, eodem actu adorationis cultus Christum, & species, ex quibus, & ex Christo ibi realiter præsente constituitur complexum Sacramenti. Nec talis adoratio præscindere potest ab humanitate: sicut nec ab speciebus; quin eo ipso præscinderet à Christo, vel Sacramento; fieretque adoratio solius Dei, & non Christi, aut Sacramenti. Et per hoc existimo salvari quidquid ex Concilijs, & Patribus certum putat sententia affirmans. Nec tutum crederem à Theologicâ censurâ, id sub istis terminis negare.

Arriag. 58 Nec labefactat hanc resolutionem discursus P. Arriagæ positus *num.* 54. Verum est quod ait de adoratione externâ: inde tamen non infertur, eo ipso cultu Latriaco absoluto, quo adoratur Christus, non adorari humanitatem; quamvis cum diversitate adnotandâ *num. sequ.* Verum est etiam, recurrendum esse pro discerniculo adorationum ad actus internos. Dico tamen, actus internos adorationis à quibus formaliter denominatur Latria adoratio externa exhibita humanitati, esse, ex parte intellectûs judicium verissimum de unione intrinseca humanitatis ad Verbum, cum quo constituit Christum, objectum scilicet summé excellens, quo nihil excellentius; ex parte verò voluntatis, affectus honestissimus protestandi signo illo adorationis externæ summam illam excellentiam Christi intrinsecè constituti ex humanitate, seque illi submittendi: quibus actibus internis non opponuntur illi alij, quos describit Arriaga. Nec exinde sequitur, æqualiter per ejusmodi adorationem adorari humanitatem, ac Verbum, ut in sequentibus expono.

59 Quocirca dicendum tandem est, illam eamdem adorationem Latriæ, qua, adorato Christo, adoratur humanitas; respectu Verbi, & Christi, qui verè Deus est, esse Latriam absolutam: quia Verbum, & Christum colit propter excellentiam propriam, & secum ipsis identificatam: respectu autem humanitatis, quæ Deus non est, esse Latriam respectivam, scilicet ob excellentiam Dei, secum non essentialiter identificatam, sed intrinsecè unitam, ut inter respondendum ad rationes oppositas amplius explico. Nec propterea par tantùm adoratio conceditur à nobis humanitati Christi, ac aliis multis rebus, quibus exhibetur cultus Latriæ respectivæ, v. g. Cruci, Nomini, ac Imaginibus Christi. Nam inter cultus Latriacos respectivos est sua quoque magna disparitas ob dispares modos, quibus applicetur varijs creaturis excellentia Dei: inter quos modos multùm supereminet applicatio per unionem hypostaticam. Ab hac nostra explicatione non dissentiunt in re Cardin. de Lugo, P. Bernal, & Haunoldus, & quod caput est, nec P. Suar. legendus *disp.52 sec.2.* *Lug. Bern. Haun. Suar.*

60 Ad rationes oppositas *num.*47. respondetur sigillatim. Ad primam, concesso enthimemate, nego subsillationem: sic enim, id est, per ipsam adorationem Latriæ, quâ Deus, adoratur, coadoratur humanitas in Christo; non ob excellentiam propriam humanitatis, aut rei alterius creatæ; sed ob excellentiam increatam Dei humanitati appropriatam, & intrinsecè applicatam per unionem. Sic idem actus adorans hominem adorat corpus, & animam, quamvis inter se dispares in excellentia: animam scilicet propter excellentiam animæ; corpus verò non propter excellentiam corporis, sed propter excellentiam animæ: quæ non ita est propria corporis, sicut animæ: actus autem ille adorationis directè, & immediatè attingit corpus, & animam. Sic ergo cultu Latriæ absolutæ adorans Christum, immediatè adorat Verbum, & humanitatem: hanc tamen propter excellentiam Verbi: ideóque erga humanitatem est Latria respectiva.

61 Ad secundam distinguendum est antecedens: totus Christus secundum totũ, quod dicit, non est summè diligendus, loquendo distributivè de omnibus, & singulis constitutivis illius complexi quod est Christus, concedo; loquendo copulativè de complexo ex omni illo quod constitutivè dicit Christus, nego antecedens: & sic etiam distinguo primum consequens: nec secundum totum adorandus adoratione Latriæ absolutæ, loquẽdo distributivè de omnibus ex singulis constitutivis totius complexi, concedo; loquendo copulativè de complexo, nego primam consequentiam: & distinguo subsillationem: eo cultu non coadoratur humanitas, qui cultus Latriæ absolutæ Christi sit Latria absoluta humanitatis, concedo; qui cultus Latriæ absolutæ Christi, sit Latria respectiva humanitatis, nego. Itaque, sicut dilectio charitatis creaturæ propter Deum est amor super omnia attingens immediatè, & per se creaturam, & Deum; amans tamen Deum super omnia, & non creaturam super omnia ex ipso modo, quo in utrumque tendit ea ipsa dilectio; sic ex ipso modo, quo adoratio illa Christi tendit in Christum, & in eius humanitatem, est adoratio Latriæ absolutæ adorans super omnia Christum cultu Latriaco absoluto Christi; & coadorans humanitatem;

non tamen cultu Latriaco abſolutò, & ſuper omnia humanitatis; ſed reſpectivo humanitatis, & abſolutè Chriſti.

Bern. 62 Ad tertiam concedit ſequelam, loquendo ex natura rei Bernal *à nu.* 30. negans eſſe abſurdam: quia ſacrificium ſupra rationem cultûs religioſi, & Latriaci ſolùm addit ſpeciale ſignum proteſtativum Dei Auctoris vitæ, ac mortis: quæ ſpecialitas non auget, nec minuit difficultatem quo ad rem præſentem. Loquendo tamen iuxta præſentem Dei legem ſequela neganda eſt: non propter paritatem adorationis, quæ inſpectis præciſè naturis rerum, teneret; ſed quia obſtat præſens Dei lex, ſoli Deo, ut tali, offerendi ſacrificium: ex eo quòd omnia ſacrificia in lege gratiæ, reducta ſint ad ſacrificium Euchariſticum, in quo Chriſtus unicè eſt victima, ſimulque principalis offerens: ideóque ſoli Deo, ut tali, offerendus. Huic autem legi Dei ſanctiſſimæ conformatur ritè praxis Eccleſiæ. Hue Magnus Auguſtinus 10. *de Civit* 20. *Cùm in forma Dei ſacrificium cum Patre ſumatis tamen in forma ſervi ſacrificium maluit eſſe, quam ſumere: ne vel hac occaſione quiſque exiſtimaret, cuilibet ſacrificandum eſſe creaturæ.* Tribuit ergo id Auguſtinus divino beneplacito potiùs quàm rerum naturis; cùm potuerit Deus inſtituere alia quoque ſacrificia, quæ Chriſto poſſent offerri, ſicut offertur adoratio. Dixi, *alia*: nã in Euchariſtico eſt ſpecialis repugnantia in eo quòd Chriſto ut homini ſacrificetur: quia in eo Chriſtus ſacrificat, & ſacrificatur, quod eſt revereri, colere, & adorare Superiorem, & Dominum ſacrificantis, & rei ſacrificatæ: hoc autem præſtare non poteſt niſi, quâ minor eſt Patre, nempé *vt homo*: non autem, *vt homo*, eſt minor ſe ipſo, *vt homine*; ſed, *vt Deo: ex diſp. 11. ſec. 1.* Unde nequit ſe ipſum, niſi, *vt Deo*, ſacrificare, ſicut nec ſe ipſum niſi, *vt Deum*, adorare, nec ſibi ipſi niſi *vt Deo*, obedire, ut benè Lug. *diſp. 34. n. 47.* Quæ non tollunt, quominus poſſit etiam, *vt homo*, ab aliis adorari.

Auguſt. *Supra diſp. 11.* *Lug.*

63 Ad quartam, conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens: humanitas nequit adhuc cum Verbo adorari cultu Latriæ ſoli Deo debito, qui ſit cultus Latriæ abſolutus humanitatis, concedo; qui ſit cultus Latriæ abſolutus ſolius Dei, & reſpectivus humanitatis, nego conſequentiam. Sic actus contritionis perfectæ amans Deum ſuper omnia, & indiviſibiliter deteſtans peccata propter Deum attingit peccata amore ſuper omnia; non amore ſuper omnia peccatorum, ſed amore ſuper omnia Dei. Id quod præſtat idem actus ex modo afficiendi voluntatem erga diverſa objecta.

64 Ad quintam, negatur cauſalis illa maioris, utpote inadæquata tantùm, & inſufficiens. Sanctis enim impenditur minor adoratio, quàm Deo: non præciſè, quia minores ſunt Deo, ſed quia minores ſunt Dei, & non ſunt de conſtitutivo ſuppoſiti, quòd eſt Deus. Unde, conceſſâ minori, diſtinguendum eſt conſequens: humanitas nequit adhuc ſimul cum Deo coadorari eodem cultu Latriæ, qui ſit Latria abſoluta humanitatis, concedo; qui ſit Latria abſoluta Dei, Chriſtique involutivè conſtitutivè humanitatẽ, & reſpectiva humanitatis conſtitutivè inclusæ in Chriſto, cuius ille cultus eſt Latria abſoluta, nego conſequentiã.

65 Ad ſextam, palmaris eſt diſparitas inter Pixidem non conſtituentem Sacramentũ, quod cultu Latriaco abſoluto ñ adoramus, & inter humanitatem conſtituentem Chriſtum, quem culto Latrico abſoluto adoramus. Unde eſt, quod poſſimus adorare Sacramentum non coadoratâ Pixide; non verò Chriſtum non coadoratâ humanitate. Aptior inſtitueretur paritas ab ſpeciebus Sacramentalibus conſtituentibus eſſentialiter cum Chriſto Sacramentum, & coadoratis adorato Sacramento. Ex quibus tamen iuxta doctrinam Tridentini allegatam *n.* 57. potiùs ſit argumẽtum paritatis pro nobis, quàm contra nos. *Trid.*

66 Dices, nihil grande reſoluturh à nobis fuiſſe in præcedentibus pro humanitate unitâ Deo, quod utique de multis alijs puris creaturis dici ſimiliter non poſſit. In primis enim, quamvis Sacramentum poſſit adorari, quin eodem actu adoretur Pixis, nihil tamen prohibet, quominus eodem actu adoretur Sacramentum, & coadoretur Pixis, dummodo non ſit adoratio Latriæ abſolutæ Pixidis. Deinde idem dici poteſt de actu adorante Deum, & coadorante imaginem Dei cum ſimili diverſitate Latriæ abſolutæ, & reſpectivæ. Denique, iuxta Doctrinam, quam tenuimus *ſec.* 3. Deus, & humanitas Sancti Petri, cui Deus applicare vellet extrinſecè ſuam excellentiam, poſſent uno cultu Latriæ ſic indiviſibiliter adorari, qui eſſet Latria abſoluta Dei, & reſpectiva humanitatis Sancti Petri. Quid ergo ſpeciale tribuimus per has noſtras doctrinas humanitati Chriſti intrinſecè unitæ Verbo?

67 Reſpondetur, eximium quid, & grande tribui humanitati Chriſti per ſupradictas doctrinas. Primò namque, quamvis verum ſit, poſſe cum eodem etiam actu adorari Sacramentum, & Pixis; imago Dei, & Deus cum ſupradicto diſcrimine; at humanitas Chriſti non ſolùm poteſt adorari, ſed neceſſe eſt coadorari eodem actu latriæ abſolutæ, quo Chriſtus ex illa intrinſecè conſtitutus adoratur. Secundò: quia, inter latriam

ipſas

ipsâ respectivâ est inæqualitas magna ex diversis multis modis, quibus excellentia Dei applicatur, & communicatur variis creaturis, quæ ratione illius adorantur: quos inter supereminentissime humanitas Christi, ex modo supereminentissimo habendi sibi applicatam summam excellentiam Dei per hypostaticam unionem. Unde, quamvis imagines Dei, ac Christi, adorari possint actu latriæ absolutæ Dei, qui simul sit latria respectiva illarum; multò tamen inferior, quàm sit latria respectiva humanitatis Christi ob rationem dictam. Tertiò quoad illud postremum de humanitate Sancti Petri, verum id esse posset, inspectis præcisè naturis rerum, iuxta possibilem aliam Dei providentiam, ut tenuimus *sec* 3. Exinde tamen triplex adstruitur ingens prærogativa humanitatis Christi. Prima, quòd adhuc in præsenti Dei lege, quæ ob iustas causas, quas innuimus *num* 40. prohibet adorationem latriæ respectivæ impendi aliis creaturis rationalibus, quam tamen concedit multis non rationalibus; non illam prohibet erga humanitatem Christi; quamvis creatura rationalis sit: ob specialissimam scilicet coniunctionem physicam cum Deo. Secunda: quod ob hanc ipsam specialissimam coniunctionem, latria respectiva, quæ iuxta aliam Dei legem posset impendi humanitati Sancti Petri, esset multò inferior, ac est latria respectiva, quæ iuxta præsentem legem impenditur humanitati Christi. Tertia, quòd ex hac ipsa specialissima coniunctione fit necesse, quòd omnes actus latriæ absolutæ adorantes Christum verè Deum, coadorarent eius humanitatem intrinsecè constitutivam ipsius.

Supra sec. 3.

SECTIO VI.

Quatenus Christus, eiusve Humanitas adorare potuerit.

68 QUòd adoraverit, & adoret Deum, certissimum est; fuit, & quòd adoraverit Deum, & obedierit Deo: Nam ad hæc omnia sufficit ea minoritas, qua Christus, ut homo, est minor Patre, inferior, & subiectus Deo, ut explicuimus *disp* 11.

Supra disp 11. Hun. Luz. Arr.

69 Disputat autem Haunoldus *cont.* 3. post Lugum, & Arriagam: an Christus eiusve humanitas adorare potuerit creaturas aliquas v. g. Angelos, aut homines: adoratione videlicet duliæ, aut aliâ civili inferiori quam de Latria certum est, quòd non. Pro parte negante citat Arriagam; pro affirmante Lugum: cui consentit & ipse.

70 Affirmantium fundamenta fuere. Primò: quia Christus verè coluit, & demissè veneratus est dignissimam Matrem, Sanctumque Ioſephum: *& erat subditus illis: Luc.* 2. Secundò: quia Sacerdotes, Templique Ministros; imo, & Principes, ac Magistratus sæculares debitè reverebatur: & hoc quidem non solùm exteriùs; verùm interiùs etiam, & ex animo: aliter enim hisset deceptor, & simulator. Quia nimirum aliqualem excellentiam, & superioritatem in illis agnoscebat: nō quidem ad ipsum secundum omnem suam potestatem, excellentiam, & dignitatem cōsideratum; sed præcisè consideratum secundum nudam humanitatem, ac mente conceptum secundum aliquid quod esset inferius ad illas Personas in tali dignitate constitutas. Hæc autem mentis præcisio sufficiens quoque videtur, ut posit Christus adorare Angelos, & homines sanctos, quatenus superiores sunt humanitati Christi præcisè spectatæ secundum naturalia, quamvis alioquin ab ipsis adoretur spectatus cum prærogativis, in quibus illos longissimè antecellit. Sic Rex adorat Sacerdotem, & Sacerdos Regem secundum quod ad invicem sese excedunt.

Luc. 2.

71 Confirmatur. Quia, si eiusmodi mentis præcisio non sufficeret, pleræque veneraciones, & adorationes civiles inter homines essent falsæ, fictitiæ, & illusoriæ: cùm exerceantur communiter inter Personas sese mutuo quoad diversa excedentes. Vixque posset homo hominem laudabiliter venerari: cùm pauci sciant, an, omnibus undequaque dotibus spectatis, excedant, an excedantur ab aliis. Confirmatur secundò. Qui enim ignorat suas dotes, quibus alium antecellit, seque idcirco valde inferiorem reputat, laudabiliter colit alterum, & veneratur: & hoc quidem, quia mente abstrahit ab excellentia propriâ, quâ reipsâ decoratur: non enim illa ignoratio est negare sibi eas dotes: sicut ignorare aliquem esse prædestinatum, non est id negare. Ergo quia eiusmodi præcisiones mentis sufficiunt ad honestandas similes adorationes.

72 His tamen respondet Arriaga. Ad primum, illos actus, quos exercuit Christus erga Parentes, Sacerdotes, & Magistratus, nec fuisse, nec esse potuisse actus adorationis, sed honorationis: quæ & superioribus etiam erga inferiores competere potest. Ad strictam autem veramque adorationem requiritur, quòd adorans, omnibus ex parte utriusque circumspectatis, recognoscat excellentiam personæ superioris, cui se submittit, voscque velit illam superexcellentiam testari. Id

quod

quod Christus erga Patrem potuit exhibere, quem utique absolutè excellentiorem agnoscebat suâ humanitate, secundum quam illum adorabat, sicut orabat, obediebat, & minor erat: non verò erga Matrem, aut alias putas creaturas, quas absolutissimè multò sibi inferiores, pensatis omnibus agnoscebat, etiam ut homo absolutè loquendo, non obstante aliquali superioritate secundum quid, insufficiente ad adorationem absolutè dictam.

73 Ad secundum similiter dicendum est ob eamdem rationem de Sacerdotibus, ac Principibus, Christum scilicet humiliter illos honorasse verè, & ex animo; non verò strictè adorasse: adorationi enim, & non honorationi obstat eximia, & superminentissima excellentia Christi, etiam ut hominis, ad illos. Nec propterea per illa signa externa fingebat Christus, aut simulabat adorationem: nam illa signa indifferentia ex se sunt ad honorationem, vel adorationem: & contrahuntur ad alterutram per actus internos juxta dignitates Personarum, cui, & à qua exhibentur. Quòdsi multi exinde putarent, ibi interesse veram adorationem, existimantes Christum sicut unum de cæteris, qui eas personas adorabant; sibi ex inscitia, vel errore deceptis; non Christo fingenti, aut fallenti, vertendum est: sicut, & quòd existimarent, Christum purum hominem, Vassallum Cæsaris, & Filium naturalem Iosephi.

74 Nec sufficere videntur ad rationem adorationis ejusmodi præcisiones mentales. Sic enim ferè nemo foret, qui non posset adorare quemlibet, & à quolibet vicissim adorari: cùm vix sit, qui in aliquo non excedat, & in aliquo non excedatur: quod est cõtra communem, & ingenitam omnibus conceptionem. Et dæmones liceret quadamtenus adorare, quasi penes naturam nobis præstantiores. Quòdsi hoc quoad dæmones negetur; quia facti sunt indigni omni adoratione, honoratione, & laude; saltem carnifex posset à Principibus adorari, uti præcellens dexteritate strangulandi, & trucidandi fontes. Quæ quidem ridenda sunt, & perabsurda. Quæ si negentur, jam deflectitur à via dictarum præcisionum ad fundandam rationem adorationis.

75 Ad confirmationem *num.* 71. facilè concedam, mundum adulationibus plenum plerisque civilibus adorationibus, & honorationibus falsis, fictitijs, & illusorijs abundare. Nego tamen alteram sequelam: homines enim viatores scimus, multò digniores nobis esse Angelos, & homines beatos juxta illud Christi de Baptista. Matt. 11: *Qui autem minor est in regno Cœlorum maior est illo;* & inter viatores facilè agnoscuntur multi notabiliter alijs excellentiores, & digniores cunctis pensatis, pro adoratione civili. Inter alios non ita notabiliter, se excedentes, res manet nobis ut plurimum inexplorata: & ab hac dubietate oriuntur passim contentiones: *Quis eorum videretur esse maior?* Quid inde? Operæpretium nobis non est, in ejusmodi jurgia nos minutiùs immiscere: & æquè difficile, ac inane putarem, per superiùs dictas præcisiúnculas mutuas singulorum adorationes, seu adorabilitates civiles vicissim emetiri. Illud de Rege & Sacerdote non negabo: quia sunt adorationes in diversissimo genere: à Rege in Sacerdotem facta; à Sacerdote in Regem civilis: quod facilè, & notabiliter discernitur.

Matt. 11.

76 Ad aliam confirmationem dico, ejusmodi adorationes, procedentes ab ignorantia, sive ab errore intellectuali, si materialiter irrationabiles sunt, virtuosas, & formaliter honestas esse non posse: excusari tamen à turpitudine formali per ignorantiam, vel errorem conscientiæ: quod non sufficit ad veram laudabilitatem, & honestatem; sed ad existimatam; ut commune est ad alias actiones materialiter irrationabiles, aut malas ex ignorantiâ, vel ex conscientiâ erroneâ procedentes. Ex hoc autem, quod in genere disputatur alibi, nullum fit argumentum in præsenti: ideóque negatur ultima consequentia.

77 Dicendum est ergo: Christum ejusvè humanitatem potuisse quidem, & posse alios, nempè Angelos, & homines honorare; adorare verò solum Deum. Quia nequit judicare se alijs inferiorem, nec velle exhibere signum in protestationẽ suæ minoritatis respectivè ad aliorum excellentiam. Nec ad ejusmodi adorationem retificandam, & honestandam sufficit mentis præcisio, qua judicat, se penes naturam humanam nudé sumptam esse Angelis quadamtenús inferiorem juxta illud: *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Hæc enim minoritas secundum quid absorbetur absolutissimè à dotibus eximijs humanitatis, de qua illicò Psalmus: *Gloria, & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Hæc autem incomparabilis superexcellentia obstat rationi adorationis rationabilis, & honestæ. Quòdsi ea præcisio minoritatis penes naturam nudé sumptam ad id sufficeret, aut prodesset, quoad dæmones etiam adorandos valeret: quod horrent aures. Psal. 8.

78 Negotium facessit quod objicit de Lugo, Christum videlicet non aliter posse ado-

dorare Patrem, niſi ex ſimili præciſſione, qua iudicat ſe minorem, non abſolutè, ſed ſecundum humanitatem. Similis ergo præciſſio proderit & ſufficiet, ut poſſit adorare Angelos, quibus ſecundum humanitatem nudè ſumptam penes naturalia inferior eſt. Reſponderur tamen, diſparitatem eſſe ſatis apertam. Nam Chriſtus dicitur adorare ſicut, & mori ratione humanitatis, & exinde dicitur Deus in Chriſto adorare, ſicut, & mori per communicationem idiomatum: humanitas autem quoad hoc non mente præſcinditur à dignitate, & ab excellentia ſua, quâ quidem undecumque conſideratâ, ſemper eſt humanitas realiter inæqualis Deo, inferior Deo & minor Deo, quamvis unita infinitæ excellentiæ Dei, à qua ſcilicet non fit tam excellens, ſicut Deus: unde eſt: quòd poſſit adorare Deum, & ſe ſubmittere Deo infinitè excellentiori: & hinc per communicationem idiomatum dicitur ſuppoſitum illud Chriſti adorare. At humanitas ſic conſiderata, etiam, ut infra Deum excellens, eſt multò excellentior Angelis: taliter, ut exceſſus ille penes naturas humanam, & angelicam nudè ſumptas abſorbeatur ab humanitate Chriſti ſic condecoratâ: quod obſtat quominus per qualcumque illas præciſiunculas perexigui momenti, talis humanitas poſſit Angelum, quantumvis ſanctum adorare: nam factâ quacumquè mentis præciſione hæc humanitas ſic excellentiſſimè conſtituta eſt, quæ adorat, & ſic deberet eſſe minor reſpectu adorati.

SECTIO VII.

Quonam cultu adorari debeat, ac poſſit humanitas Chriſti præciſſim etiam, aut ſeorſim ab excellentia Divini Verbi.

79 HUmanitas Chriſti, præciſſim etiam, aut ſeorſim ab excellentiâ increatâ Verbi, dicit excellentiam unionis hypoſtaticæ creatæ, Gratiam habitualem intenſiſſimam, & alia complura dona ſupernaturalia longiſſimè ſuper cæteras puras creaturas. Quæritur: quænam adoratio debeat, & poſſit exhiberi tali humanitati intuitu ſuæ dignitatis, & excellentiæ creatæ, quam dicit intra divinam ſibi unitam, & hypoſtaticè applicatam?

80 Certum eſt primò, intuitu talis excellentiæ creatæ, nec debere, nec poſſe coli adoratione Latriæ abſolutæ: hæc enim ſolius eſt Dei. Nec reſpectivæ: quia hæc ſolum datur intuitu excellentiæ increatæ Dei applicatæ ad aliquid creatum adoratum propter illam. Nec dicas, unionem hypoſtaticam eſſe eſſentialiter, & intrinſecè affixam excellentiæ increatæ Verbi: ſicque, adorare humanitatem propter excellentiam unionis, eſſe idem, ac illam adorare propter excellentiam Verbi: ac proinde eſſe Latriam reſpectivam. Reſpondetur enim, aliud eſſe excellentiam Verbi reſpici intrinſecè, & eſſentialiter ab unione, quod eſt verum; aliud, reſpici intrinſecè, & eſſentialiter ab actu adorantis humanitatem propter excellentiam creatam unionis, prout opus eſſet ad Latriam: & hoc poteſt eſſe falſum: cùm talis actus ex modo ſuo adorandi ſufficiens inveniat motivum adorandi in excellentia creata unionis: quamvis hæc ulteriùs ſit reſpectiva ad excellentiam increatam Verbi. Sic non obſtante hoc intrinſeco reſpectu unionis ad Verbum, judicium affirmans eam unionem eſſe modi, aut eſſe eius creatum, ex iſto modo judicandi, nihil judicat de Verbo. Quòdſi aliqui, ut Bernal *diſp. 69. num 56.* ajunt, adorationem humanitas ob excellentiam gratiæ unionis eſſe Latriam reſpectivam, per gratiam unionis intelligunt beneficium etiam ſanctitatis increatæ, quam unio communicat humanitati. *Bern.*

81 Certum eſt ſecundò, ob excellentiam gratiæ, & aliorum donorum creatorum humanitatis, ſi eam haberet ſeorſim etiam ab unione, futuram fore humanitatem dignam adoratione, non ſolum Duliacâ, ut cæteri Sancti ordinarij, ſed etiam hyperduliacâ, ut Beatiſsima Virgo Sanctorum Regina; imò, & hyperduliacâ ſublimiori: quia eximiè ſuperexcelleret ſanctitatem, gratiam, doteſque ſupernaturales Sanctiſsimæ Virginis, quæ hyperduliacè adoratur ſuper Sanctos ordinarios.

82 Difficultas eſt vehementer exagitatu inter Patres Suarez, & Vaſquez: an de facto, evectâ humanitate Chriſti ad ſublimem quem habet, gradum gratiæ, & ſanctitatis, aliorumque donorum creatorum, ſimulque ad communicationem hypoſtaticâ dignitatis, ſanctitatis, & excellentiæ increatæ Dei, debeat, aut licitè poſsit coli adoratione Hiperduliæ ab excellentiam ſanctitatis, gratiæ, & donorum creatorum, quibus decoratur. Affirmant cum Suarez Bernal, & alij. Cardin. Delugo, & alij negant cum Vaſquez. *Suar. Bern. Lug. Vaſq.*

83 Pro parte negante arguitur ex Concil. Alexandr. & Epheſ. 1. *in Epiſt. decimà Cyrilli* ubi dicitur, Verbũ unâ adoratione cum carne ſua, vel humanitate adorari. Et Anathematiſmo. 8. *Si quis Emanuelem non unâ adoratione adorat, anathema ſit.* Et idem habet *Synodus 5. Gener. collat. 8. can.* *Alexãd. Epheſ. Cyrill. Synod. 5.*

9.

9. Si autem humanitas abstractè adoraretur propter excellentiam quamcumque creatam, adoraretur Emanuel, id est Deus-Homo unâ adoratione non Latriacâ, quæ esset humanitatis, alterâ Latriacâ, quæ esset suppositi, Verbi: quod probibent Concilia. Confirmatur id ex SS. Patribus asserentibus, eamdem in Cœlo esse sedem Dei, & Agni: & Christum, ut hominem, ac Deum, sedere ad dexteram Patris. Et præsertim ex Damasceno 4. *de Fid. 3.* dicente, humanitatem, *si subtili cogitatione à Verbo separetur*, non esse adorabilem. *Damasc.*

84 Ratio autem est hæc. Quia quod adoratur adorari debet secundum maximam, quam habet, excellentiam, & cultu, quo potest, maximo: Sed humanitas Christi habet sibi hypostaticè applicatam supremam Dei excellentiam increatam, cuius intuitu adorari potest cultu Latriæ, ut vidimus *sect.* 5. ergo quoties adoratur, debet hoc cultu, & non alio inferiori adorari. Si quis enim simul esset Rex, & Dux, dum salutatur, aut colitur, coli, & salutari debet, ut Rex: & qui cum præcisè, ut Ducem salutaret, offenderet dignitatem Regiam non attendens ad illam, factoque suo significaret se in ea Persona non nisi Ducalem excellentiam agnoscere. Sic igitur, qui humanitati Christi exhiberet cultum Hiperduliæ ob excellentiam creatam, cùm ob increatam Verbi possit exhibere Latriam. Quippé facto suo veluti negaret eam humanitatem esse Deo personaliter conjunctam.

85 Confirmatur dupliciter. Primò quia si ea mentalis excellentiarum humanitatis Christi separatio, sive præcissio, facere posset licitam adorationem Hiperduliacam humanitatis sic abstractæ; Christus etiâ concretè acceptus posset hyperduliacè adorari; habità scilicèt ab adoratore pro ratione suæ adorationis, solâ excellentiâ gratiæ habitualis; & non attentâ excellentia Verbi, ibi unitim existentis. Secundò: quia simili præscindendi facultate posset quis considerare humanitatem Christi naturalem, non attentis donis ullis supernaturalibus: sicque nullâ dignam adoratione sacrâ judicare: imò, & sic præcissam contemnere.

86 Nihilo tamen minùs vera mihi videtur pars affirmans Patris Suar. cui, cum nõnulli restrictionibus adhæret Mag. Lumbier *quæst. 39. art. 4.* Probatur, & declaratur. Atque in primis supponimus, humanitatem nõ debere sic Hiperduliacè adorari: quia nulla est de hac adoratione obligatio. Quando verò obligamur humanitatem Christi adorare, satis adimpletur obligatio per cultum Latriæ ipsi debilem, & debitum. Suppono deinde, loquendo de potestate physicâ, posse quidem physicè prædicto etiam cultu Hiperduliæ, adorari à nobis humanitatẽ Xpi. Restat, quòd licitè id, & laudabiliter fieri quoque possit. *Suar, Lumb.*

87 Quod sic mihi persuadeo Humanitas enim Christi sub prædictâ præcissione habet excellentiam creatam supereminentissimam: ergo cultu, & adoratione hominum dignam. Eam autem sic adorari, nec lex naturalis, nec positiva vetat, ut constabit ex responsione ad argumentum contrarium. Quid ergo vetet, quominus licitè, ac religiosè id possit fieri? Præterea: non tenemur semper, & pro semper adorare humanitatem Christi; sicut nec Deum: præstat autem, quando ad nullam tenemur, exhibere ipsi aliquam adorationem, alioquin non repugnantem, quàm nullam: cur ergo id licitè non possimus? Aut cur id ipsi non erit tunc honorificum, & gratum? Rursùs: humanitas dicto modo considerata potest honestissimè amari, & laudari, ut sanctissima: cur non & adorari, ut excellentissima? Nam, ut benè Suarez, quod quis extollit laudando, colit adorando, & in illud idem ipsâmet adoratione fertur. *Suar.*

88 Ad argumentum contrarium respõdetur in primis, ea Concilia, & Cyrillum agere contra Nestorium duarum in Christo Personarum assertorem, sicque adorantem duas Personas in Christo: contra quem errorem definiunt, totum Christum adorandum esse una adoratione; id est non unâ Latriæ, Personam Divinam; & alià inferiori Personam humanam. Quo manet intacta nostra doctrina de adoratione inferiori non Personæ humanæ; sed naturæ humanæ: postquam cum Concilijs confitemur, quòd quando adoratur Christus concretè, unâ adoratione unius Personæ colitur humanitas, & divinitas, ut diximus *sect.* 5. Hanc Conciliorum mentem expressit his verbis Cyrillus paulò post: *Qui enim, hoc modo loquuntur, unum rursùs Christum in duos dividunt: & hominem per se seorsim, & Deum similiter per se seorsim collocant, veramque unionem hac ratione apertissimè inficiantur. Secundum hanc enim alter veluti simul cum altero non adoratur, neque simul cum altero Deus nũcupatur: sed unus, idemque Christus Iesus unigenitusque Dei Filius animo concipitur, qui una adoratione simul cum carne sua colitur.* Ad alios Patres de eàdem sede Dei, & Agni, &c. sensus est, quòd dum adoratur Christus coadoratur humanitas eodem cultu Latriæ, ut tenuimus *sect.* 5 Ad Damascenum addi deberet quod ipse subdit, humanitatem, si subtili cogitatione à Verbo sepa- *Cyrill.*

ra-

raretur, non esse adorabilem *naturâ suâ*, quia creata est: quo satis explicat, se humanitati sic conceptæ negare adorabilitatem Latriæ absolutæ: non aliam, quam nos concedimus.

89 Ad rationem oppositam *num.84.* negatur maior prolata generaliter. Quod autem in eius probationem adducitur ex humanis, verum esse potest in adorationibus, quæ deferuntur exteriùs hominibus non penetrantibus adorantium corda: hi enim ex consuetudine aliorum, qui deferunt illis quantum honoris possunt, & interdum quantum rationabiliter non possunt, illũ qui minorem defert, potens maiorem, interpretantur, iniquiùs agere, quasi facto deneget eo ipso, eos dignos esse maiori honore: sicquè deferens Regi adorationem Ducalem, videretur non agnoscere in eodem homine dignitatem Regiam. In adoratione verò sacra humanitatis Christi ratio est longe diversa: nam exhiberetur humanitati, cui nota sunt omnia, syncerumque animum sic adorantis perspicienti, & non ex præsumptione, sed iuxta rei veritatem æstimanti. Quidquod modus ipse adorandi humanitatem propter excellentiam unionis ad Verbum, aut propter eximiam gratiam, & sanctitatem creatam debitam statui Hypostatico, indicaret satis, adorantem agnoscere ibi ulteriorem excellentiam increatam Verbi, quamvis præsens tunc affectus adorationis in illam intrinsecè non feratur: quia nulla ex lege tenetur. Tandem ea ratio ad summum probat, quòd coram alijs, qui possunt exinde interpretari, adorantem non agnoscere in ea humanitate ulteriorem excellentiam, quando adorat ob minorem; non liceret exhibere signum exteriùs id significans. Quod ultrò concedam, ut observat M. Lumbier *Lumb.* *num.2303.*

90 Ad primam confirmationem *num.* 85. negatur sequela. Nam Christum concrete acceptum hyperduliacé adorari, vel effectu suppositum Christi, seu Verbum sic adorari propter excellentiam eximiam creatam suæ humanitatis: vel esset Christum, ut homo est, vel secundum humanitatem hiperduliacé adorari; Primum, quod esset absurdum, non sequitur ex nostra sententia: quia nec Suppositum Christi, nec Verbum redditur excellens, nec sanctificatur, nec dignificatur, sicut humanitas, à prædictis formis, seu excellentijs creatis. Unde ex eo quòd humanitas fiat adorabilis propter illas, non sequitur, Verbum, aut Suppositum Christi fieri propter illas adorabile. Si dicas, esse adorabile ut Author est illarum, hæc iam est excellentia increata Verbi adorandi propter illam. Secundum, non tam sequitur ex nostra sententia, quàm est ipsa nostra sententia: negamus autem id esse absurdum: quia eiusmodi reduplicationes signant humanitatem, quam probavimus esse sic adorabilem hyperduliacé sine præiudicio excellentiæ increatę ulterioris, propter quam est Latriacè adorabilis.

91 Ad secundam confirmationem ejusdem *num.85.* concedo duas priores partes sequelæ. Quid enim prohibet humanitatem Christi sic præcisim concipi? Sub ea autem consideratione nullius esset adorationis digna: sicut nec Deus sub conceptu entis, aut substantiæ præcisim ut sic. Quid inde? Postremam tamen partem, nego: quia non propterea sub illo conceptu contemnenda esset humanitas; sed præscinderetur similiter à contemptibilitate, sicut ab adorabilitate vituperabilitate, & laudabilitate. Nihil ergo absurdi legitimè infertur ex adorabilitate Hiperduliacà humanitatis Christi consideratæ cum excellentia suorum donorum supernaturalium creatorum.

92 Infero, humanitatem Christi dicto modo consideratam, sicut diximus adorari posse, sic posse etiam & orari. Id habent in terminis Haunold. *num 423.* & Lumbier *Haunold. Lumb.* *nu.2300.* Nec obest quod opponunt aliqui, actiones esse suppositorum. Respondet enim Haunol. ex Arriaga, & Delugo: quòd, quamvis actiones sint suppositorum, quatenus, vel tribuuntur *Arriag. Lug.* suppositio naturæ operantis, vel quatenus non agit natura nisi existens in aliquo supposito, (quod de natura completâ intelligendum est); ipsa tamtn est, quæ se libero suo arbitrio determinat ad liberé agendum. Sicque poterit natura humana Christi orari, ut liberé velit aliquid pro nobis facerè, quamvis quod pro nobis egerit pendeat à supposito, vel tribuendum sit supposito. Id quod ad humanitatem Christi jam in Cœlis existentem extendi licet *juxta dicta* *Supra* *disp.prec.sect.1.* *disp.18.*

SECTIO VIII.

Quo cultu sit adorabilis Beatissima Virgo dignissima Mater Christi.

93 REspondetur ex dictis: cultu sacro Hiperduliæ: scilicet ob eximiam sanctitatem, aliasque dotes, ac prærogativas supernaturales, quibus superexcellit alias creaturas sanctas non solum divisim, verumetiam collectim sumptas, ut est celebris sententia Doctoris Eximij *tom. 2. in 3. par. disp.18. sect.4.* à gravissimis Theologis *Suar.*

deinceps illustrata, & nuper ab eruditissimo
Gran. P. Francisco Garau *in suâ Deipara vindicatâ & in Conceptione triumphante, Triũpho 9. §. 2.* Nec obest, quod Hiperdulia tribuatur humanitati Christi ob excellentias suas creatas sublimiores omnibus puris creaturis. Nam, sicut inter Dulias sunt aliæ alijs majores pro diversitate Sanctorum; sic etiam inter Hiperdulias. Plura Card. de Lauræa *disp. 29. art. 9.*

94 Qui *num.* 222. memorat aliquos suppressis nominibus, quibus triplici ex capite vitium est, Deiparam adorabilem esse cultu Latriæ: non quidem Latriæ absolutæ,
Laur. ut apud eumdem *num.* 248. voluerunt antiquitùs Hæretici Collyridiani, sic dicti, quia
Collyrid. collyridem, seu placentam quamdam Sanctissimæ Virgini, tamquam Deæ sacrificabant; sed Latriæ respectivæ. Primò, titulo contactûs phy sici Matris cum Filio: quo titulo adoratur Latriâ respectivâ vera Crux, in qua Christus pependit. Secundò, titulo consanguinitatis cum humanitate Christi ex ipsius purissimo sanguine efformatæ. Tertiò, titulo affinitatis cum divino Verbo, cui veluti affinis facta est ex quo cum humanitate à Verbo assumptâ consanguinitatis vinculum contraxit. Adde, quòd dignitas Maternitatis ex conceptu suo est specialissimus respectus, quem Beatissima Virgo, ut vera, & realis Dei Mater, dicit ad Filium: sed adorari potest propter Dignitatem Maternitatis: ergo & propter talem specialissimum respectum: sed hoc est adorari ob excellentiam Filij increatam: ergo est adorari cultu Latriæ respectivæ, multo potiùs, quàm vera Crux.

95 Sed contra est, quòd Ecclesia nunquam permisit Fidelibus cultum Latriæ erga Matrem, sicut erga Crucem Christi. Un-
Epiph. de S. Epiphanius *Hæresi 78. & 79.* reprehendit in Syria quasdam mulieres propter sacrificia, seu libamina, quæ B. Virgini offerebant in signum adorationis: utpotè protestativa adorationis Latriæ. Ideóque S. Thom. *quæst. 25. art. 5.* absolutè meritóque negavit, B. Virginem adorari licitè posse adoratione Latriæ respectivæ. Et sic tenet etiam Suarez ibi & fusiùs *tom. 2. disp. 22.* quæ tota est de Adoratione B. Virginis. Et Cardin. de
Laur. Lauræa *num.* 248. reprehendit Theologum scholasticum dicentem, deberi quidem Matri Latriam; sed scandalum fore, si daretur.

96 Dicendum ex ijs omnibus videtur non repugnare ex natura rei, nec esse intrinsecè malum, aut illicitum Sanctissimam Deiparam adorari cultu Latriæ respectivæ propter excellentiam Filij, quam posset Deus juxta possibilem aliam alterius providentiæ legem ipsi applicare, & communicare in ordine ad adorationem: prohibetur tamen id obiustas causas à præsenti Dei Lege nulli creaturæ rationali permittente adorationem Latriæ, excepta humanitate Christi coniunctâ Deo personaliter.

97 Prior pars conclusionis liquet á fortiori specialiter quoad B. Virginem ex dictis generaliter *sec. 3.* quo ad alias creaturas etiam rationales, intpectis natutis rerum: & Suar. claré colligitur ex P. Suar. *tom. 2. disp. 22.* Lamb. *sect. 2.* nec dissentit Lumbier *art 5.*

98 Posterior pars colligitur ex usu Ecclesiæ, & ex intelligentiâ legis: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies:* quod servitium de adoratione Latriæ capiẽdum est, ut exponit accuratè P. Bernal à nobis allegatus *num.* 40. Rationem dictæ pro- Bern. hibitionis, quam ibi tedimus, affert S. Tho- Supra mas *quæst 25 art 5.* sic: *Licet autem creaturæ sec 3.* S. Thom *insensibiles non sint capaces venerationis secundum se ipsas, creatura tamen rationalis est capax venerationis secundum se ipsam; & ideò nulli puræ creaturæ rationali deberur cultus Latriæ. Cum igitur B. Virgo, &c.* Ne scilicet occasionem multi arriperent ad idolatrandum, consideratâ hominum miseriâ, qui factâ permissione adorandi aliquo Latriæ genere puras creaturas rationales, alioquin secundum se capaces alicuius adorationis absolutæ, facilius laberentur in absolutam illarum Latriam: sicque in plures Idololatrias. Proinde, sicut ob hanc rationem, & legem, non liceret exhiberi à nobis erga ejusmodi creaturas adorationem per ullum signum exterius; quod determinatè significaret adorationem internam Latriæ: eam ergo sicut nec internam adorationem Latriæ per quodcumq; signum exterius, quod ex se indifferens ad Latriam, Hiperduliam & Duliam determinaretur ab actibus interni ad speciem Latriæ.

99 Respondetur jam facilè ad rationes oppositas *num.* 94. Ad primam, quòd contactus præcisè non est sufficiens titulus ad licitam Latriam: alioquin, & brachia S. Iosephi, quæ Christum contrectaverunt, & Labia Magdalenæ, imó & Iudæ Christum exosculata, & alia huiusmodi possent adorari cultu Latriæ. Nec par est ratio de vera Cruce: quia cùm non sit creatura rationalis, ideòque nec secundum se capax adorationis; non prohibetur circa illam cultus Latriæ respectivæ, de quo *sec. seq.*

100 Ad secundam, & tertiam, fatendum est, illos etiam duos titulos consanguinitatis, & quasi affinitatis esse quidem aptissimos ad fun-

fundandam dictam Latriam respectivam erga Sanctissimam Virginem ex natura rei; nisi ob rationes dictas obstaret Dei lex generaliter prohibens cultum Latriæ erga puras creaturas rationales juxta præsentem providentiam.

101 Ad additamentum, concesso toto syllogismo: nego minorem subiunctam. Nã aliud est respectus intrinsecus ad excellentiam increatam; aliud excellentia ipsa increata: actus adorationis hiperduliæ erga B. Virginem Christi Matrem sistit intrinsecè in dignitate, & excellentia Maternitatis, quæ quid creatum est. Quod autem hoc creatum hauriat suam excellentiam à termino increato, quem intrinsecè respicit; non est respectus intrinsecus actûs sic adorantis; sed excellentiæ creatæ obiecti adorati: quo fit, ut quasi extrinsecè devolvatur adoratio in excellentiam increatam Dei, prout oportet, ut omnis adoratio sacra, etiam Duliæ, utpote actus religionis, refundatur in Deum: intrinsecè autem sistit in excellentia creata Materniratis, à qua suam desumit specificationem. Sic adoratio, laus, sive amor erga S. Petrum, quia amicus est Dei, sistit intrinsecè in gratia, sive amicitiâ creatâ S. Petri cum Deo, quamvis hæc habeat pro termino Deum, in quem quasi extrinsecè devolvitur ille amor, laus, & adoratio. Hinc nego ultimam consequentiam ob disparitatem datam ex præsenti Dei lege inter B. Virginem, quæ creatura rationalis est, & Crucem, quæ est non rationalis, & secundum se incapax adorationis.

3. Reg. 2. 102 Insistes ex S. Thom. sibi, & nobis obijciente: quód 3. *Reg. 2.* dicitur: *Positus-que est thronus Matri Regis, qua sedit ad dexteram eius*: quo videtur typicè significari, deberi Matri Christi adorationem Latriæ, si Christo Regi debetur. Respondetur tamen ex eodem S. Thom. non id significari; sed deberi Matri Christi adorationis gradum proximum Latriæ debitæ Christo, scilicet gradum hyperduliæ. Quo in loco, ut observavit. M. Lumbier *nu.* 2315. non negatur à S. Thom. capacitas ex natura rei porræ creaturæ rationali, ut adorari posset juxta aliam Dei legem cultu Latriæ respectivæ; sed id defacto juxta præsentem legem nõ permitti: quod facit pro resolutione nostra, & pro dictis generaliùs *sec. 3.* & admitti videtur à Suar. hic *disp. 32 sec. 2 ad finem, & tom. 1 de Relig. lib. 3. c. 5. n. 8.* Saltem in humanis videmus identidem, unos homines coli civiliter ultra propriam dignitatem propter excellentiam aliorum, quos representant, ut famulum intuitu magni domini, Legatum intuitu Principis legantis, & Papam adoratum intuitu Christi, cuius est Vicarius.

S. Tho. *Lumb.* *Suar.*

SECTIO IX.

An, & quo cultu, & per quem habitum virtutis, adorandi sint alij Sancti.

103 HÆreticorũ vox est ut Eustachij, Eunomij, Vigilantij, Uviclephi, Lutheri, Calvini apud Bellarm. *tom. 2. contr. 4. l. 1. cap. 11.* Sanctos nec esse orandos, nec adorandos adoratione sacrâ; sed ad summum veneratione, seu honoratione aliquâ civili. Illis adversatur sensus, & usus Ecclesiæ, precibus, invocationibus, templis, altaribus, lampadibus, festis sacris, ieiunijs, vigilijs, genuflexionibus, & alijs religiosæ adorationis signis colentis quãplurimos Sãctos ex antiquissimâ traditione multis Conciliorũ sanctionibus cõfirmata. Unde in Professione Fidei iubet Ecclesia, credi Fide divinâ, Sanctos una cũ Christo regnantes adorandos, & invocandos esse. *Bellarm.*

104 De quibus iam olim Adrianus Papa in Epist. quæ habetur *in 7. Syn. act. 2.* ad Constantinum, & Irenem scriptis: *Sanctos à nobis venerari & coli quód servi Dei sint; & apud Deum pro nobis intercedant:* & concludit: *decet eis honor, & veneratio propter iustitiam eorum.* Ubi vides rationem eos venerandi esse sacram, & plusquam civilem. Pluta Bellarm. *à cap. 11.* Suar. *sec 2 & 3.* Lurœa *art.* 10. qui post longam seriem antiquorum Patrum refert ex Concil. Senonen. *can.* 14. quód *Sancti honorandi, & venerandi sunt, & eorum festa celebranda: contrarium tenens est hæreticus* Et in terminis adorationis Basil. M. *contra Iulian. relatus in Conc. Nizen. 2. art. 4.* ait. *Historias imaginũ Sanctorũ adoro, & palam adoro.* Quod autem de adoratione Imaginum Sanctorum dicunt Patres, & Concilia, à fortiori cadit in ipsos Sanctos. Unde August. *Serm. 1. de SS. Petro, & Paulo*: ait: *Petrum Piscatorem modò genibus pro volutis adorat Gentium multitudo, & 10. de Civit. 4.* ait: *homines esse colendos, & honorandos, & si multum eis addatur, etiam adorandos.* *Adrian Syn. 7.* *Bellarm.* *Suar.* *Laur.* *Basil. Niz. 2.* *August.*

105 Ratio verò naturalis est clara ex Arist. 1. Nã *Ethic* honor debetur virtuti: Sãctis ergo, qui virtutibus excelluerũt, honor per adoratio. nẽ deferendus est: qui cùm sit intuitu excellẽtiæ Sanctitatis, & virtutum supernaturalium: est supra civilem humanum, ac proinde sacer, & religiosus: iuxta illud. Roman. 2. *Gloria, & honor omni operanti bonum*: ex promissione videlicet Christi Joan. 12. *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* *Arist.* *Rom. 2.* *Ioan. 12.*

106 Non quidem honor, & cultus Latriæ: nam hæc, si absoluta est, soli Deo de-

ferrur, alteri rei ob excellentiam seliùs Dei propriam; sed Duliæ absolutæ: quia defertur Sanctis intuitu suæ excellentiæ, sanctitatis, donorum & virtutum creatarum.

107 Objicitur primò factum, dictumque Mardochæi Esth. 13. Quippe, cùm noluisset Amanum adorare, dedit rationem: *timui, ne honorem Dei mei ad hominem transferrem: & ut neminem adorarem, excepto Deo.* Ergo, quia adoratio ita est Deo propria, ut nemini, nisi Deo, liceat exhiberi. Respondet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 84. *art.* 1. negasse Mardochæum Amano adorationem Latriæ: & de hoc dedisse aptam rationem. Non omninò acquievit huic responsioni P. Suar. *sec.* 1. Imo nec Cajetanus, addens ibi, Amanum voluisse adorari flexo utroque genu; Mardochæum verò, Iudæus cùm esset, id recusasse: quia hoc signum submissionis soli Deo exhibebatur apud Iudæos: quos debebat non inducere, ut iuxta morem suæ gentis existimarent, se Amanum tamquam Deum adorare. Id quod approbari videtur à P. Suar. & videtur verosimilius.

Esth. 13. S. Tho. Suar. Cajet.

108 Objicitur secundò, quòd, cùm Joannes Apostolus *Apoc.* 19. vellet Angelum adorare, id Angelus non tulit, dicens: *vide, ne feceris, conservus tuus sum: Deum adora.* similiter & Petrus *Actor.* 10. obstitit Cornelio volenti ipsum adorare: *surge, & ego ipse homo sum.* Ergo, quia non licet, Angelos, nec homines sanctos adorare Respondetur, quòd in ijs casibus, quamvis liceret, non erat in obligatione adoratio: atque adeó licite potuisse illos velle eam obsequiosè exhibere; & alios ipsam modestè subterfugere. Unde falsa est Hæreticorum consequentia.

Apoc. 19. Act 10.

109 Objicitur tertiò, quód. 6. Synod. *post. sess* 8. *cap.* 7. *ait: solo Deo Creatore suo adorato, invocet Sanctos.* Unde Athan *serm.* 3 *contra Arian.* inquit: *creatura creaturam non adorat.* & Hieron. *epist.* 53. *ad Riparium* ait: *Nos autem non Angelos, non Archangelos, &c. adoramus, ne serviamus creaturæ potiùs quàm Creatori.* Per quæ videtur adoratio soli Deo adiudicari, & reprehendi erga Angelos, & Sanctos. Respondetur, nomen adorationis genericum ad latriam & duliam, interdum, præsertim apud veteres, contrahi quasi per antonomasiam ad præcipuam eius speciem, quæ est Latria absoluta, sicut nomen Sacramenti ad Eucharistiam, & nomen Filij hominis ad Christum: & sic fuisse sermonem in prædictis locis, & in alijs similibus. Et sic quoque intelligendum est præceptum illud Dominum Deum nostrum adorandi, & illi soli serviendi: obsequio scilicet adorationis Latriacæ. Sic etiam exponi, & compo-

Synod. 6. Athan. Hieron

ni debet ab omnibus Apostolus 1. *Timot.* 1. scribens; *soli Deo honor, & gloria:* cùm tamen scripsisset *ad Rom.* 1. *Gloria, & honor omni operanti bonum:* scilicet intelligendo priora verba de gloria, & honore summo.

1. Tim. 1

110 Objicitur quartò, ineptum esse dicere, Sanctos coli, & non Latriâ: cùm enim Latria significet cultum, colere sine Latria est colere sine cultu. Confirmatur: nam verbum græcum, unde venit nomen, *Dulia*, significat servire; & verbum, unde venit nomen, *Latria*, significat colere: servire autem plus est, quàm colere: non enim servimus nisi Dominis; colimus verò etiam æquales. Sicque exhibere Sanctis cultũ Duliæ, & Deo Latriæ, esset plus colere Sanctos quàm Deum: quo quid ineptius? Confirmatur secundò: nam sæpe tum in Scripturis sacris, tum in profanis Authoribus confunduntur, ac pro eodem sumũtur Dulia, & Latria, ut ex Græco observarunt Valla, & Beza. Unde Aug. *quæst.* 94. *in Exod.* tam Duliam, quàm Latriam Deo attribuit, Latriam, ut Deo, Duliam, ut Domino. Ergo ineptè contraponuntur, ut Dulia, & non Latria Sanctis exhibeatur. Hæc, & alia Hæretici.

Valla Beza August.

111 Respondetur, aptissimè dici Sanctos coli, imò, & coli cultu, non civili, sed ad religionem secundariò spectante: & non coli Latriâ. Nec dicere coli sine Latria, est dicere, coli sine cultu, sed coli sine tali cultu. Ineptus non erat Augustinus, cùm scripsit *lib.* 20. *contra Faustum*, Sanctos coli, & non Latriâ. Ad primam confirmationem dico, quòd, quidquid significent illa verba græca apud profanos, Ecclesia certè per utrumque illud nomen Latriæ, & Duliæ significat, colere quos superiores, & excellentiores nobis in sanctitate, & dotibus supernaturalibus esse cognoscimus. Quamvis ergo civiliter plus sit servire strictè sumptum, quàm colere latè sumptum; at in sacro strictèque vocabulorum usu per Ecclesiam, colere Latriacè significat obsequium erga supremam excellentiam, quæ solius est Dei; & colere Dulicè, erga excellentiam infra supremam, quam veneramur in Sanctis. Unde longissimè absumus, ut plus proinde colamus Sanctos, quàm Deum. Ad secundam, verum est, apud aliquos Scriptores profanos pro eodem sumi Duliam, ac Latriam; at apud Scripturas sacras vix unquam; iuxta usum verò Ecclesiæ omninò nunquam. Hunc autem usum potuisse sibi Ecclesiam stabilire, quis ambigat? Pungant pueriles hi scrupuli Heteredoxos: quos monuit iam olim Vates Ethnicus: *Multa renascentur, quæ iam, cecidere; cadentque, quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus.* Augustinus in eo loco

August. Horat

non

non pro eodem sumit Duliam, & Latriam; imò eas discernit, & ait, Latriam quæ plus est, solius esse Dei; quamvis Duliam aliquomodo faciat communem Deo, & Sanctis. Fortè tunc temporis nondum satis eas usus sacer contradistinxerat: & Duliæ nomine veniebat interdum adoratio minùs præcisè communis Deo, & Sanctis, sicut nunc ratio cultûs sacri: interdum præcisè, & contractè sumebatur, ut nunc, pro specie cultûs erga Sanctos: ad modum quo nomen Angeli sumitur interdum in genere pro creatura spirituali completa; interdum specificè pro Choro inferiori contrapositè ad alios Choros. Ad hunc etiam modum de nomine adorationis diximus *n.* 107. quòd interdum apud Veteres accipiebatur contractè pro Latria.

112 Objiciunt quintò. Adoratio est signum dominij in adorato: at in Sanctis nullum est dominium in nos: nec enim creârunt, nec redemerunt nos: ergo non sunt à nobis adorandi. Respondetur, maiorem in universum non esse veram: satis enim est, quòd significet superioritatem, & excellentiam: quæ, quamvis sæpè cum dominio conjungatur, non tamen semper. Sic in civili Politicâ veneramur, & colimus dominos; at non solos dominos; sed potentiores etiam viros, aut eximiè sapientiores, aut virtutibus politicis excellentiores.

113 Objiciunt tandem, nusquam Deum præcepisse, ut adoremus Sanctos. Imò, in veteri lege posteri non adorabant priores viros, quantumvis Sanctissimos. Quinimò nec Ecclesiæ Patres docuerunt, Sanctos adorandos esse, quamvis docuerint esse venerandos. Respondetur distinguendo: nusquam per Scripturas, permittimus; nusquam, per traditionem, negamus. Nam Patres Concilij Nizeni 2. *act.* 7. definierunt, adorandas imagines Sanctorum; & à fortiori, adorandos ipsos Sanctos, ibi: *Catholicæ Ecclesiæ, in qua Spiritus Sanctus inhabitat, traditionem observantes.* Ad illud de veteri lege responsum est *sect.* 3. Illud de SS. Patribus, quàm sit falsum, constat ex verbis nuper recitatis Concilij Nizeni, & ex authoritatibus pro nobis adductis *num.* 102. & ex alijs apud Bellarmin. *cap.* 13.

Nizen.

Bellar.

114 Tractat Suarez hic *disp.* 53. *sect.* 1. an non solum Sancti jam Beati, sed etiam vitam mortalem agentes possint adorari cultu Latriæ. Et resolvit *vers. Respondetur*, affirmativè. Additque, talem cultum posse etiam esse religiosum, & ab eodem habitu Duliæ, à quo cultus in Beatos, procedentem, sicut etiam cultus, quo adoramus Summum Pontificem, ut Vicarium Christi, aut Evãgelicum Prædicatorem, ut Divini Verbi præconem. Dummodò tamen talis cultus sacer non sit publicus, sed privatus: quæ differentia accidentalis est: ut in simili dici solet de fide ob revelationem publicam, seu privatam ab eodem habitu fidei procedere valentem.

Suar.

115 Quid de adoratione Summi Pontificis? Respondetur primò, non esse Latriam adhuc respectivam ob rationes, quibus id negavimus B. Virgini *sect.* & Secũdò, esse Duliam absolutam: in eo tamen diversam à Dulia, quâ colimus Sanctos, quòd hæc illos colit ratione gratiæ, qua fiunt Filij Dei; illa verò colit Pappam ratione suæ dignitatis spiritualis ob sanctitatem suæ consecrationis in Christi Vicarium. Sic Lumbier §. *ultimo.*

Lumb.

SECTIO X.

De Adoratione Crucis Christi, & Sanctarum Imaginum.

116 LIgnum veræ Crucis, in quo vita mundi pependit, adorandum esse, negarunt post Iulianum Augustinum Hæretici Pauliciani, & alij apud Salellas *Regula 259 & 261.* & cum Sectarijs nostri temporis Lutherus, & Calvinus apud Lauræam *art. 6. num.* 115. De alijs Imaginibus Sanctæ Crucis idem á fortiori negant hæretici. De sacris Christi Angelorum, & Sanctorum imaginibus celebris fuit olim hæresis Iconomachorum, seu Iconoclastarum, & his nostris temporibus Lutheranorum, & Calvinistarum, negantium illis adorationem, earumque cultum, superstitionem, & idolatriam appellantium. Eos, & alios erudité, refert, & confutat post Cardin. Bellarminum noviter Cardin. Capisuccus *contro.* 26.

Salell.

Laur.

Bellarm.

Capisuc.

117 Contra eos omnes stat veritas Catholica, & Ortodoxa Fides, definita in Concil. Nizeno 2. *Act.* 7. ibi: *His sic se habentibus, regiam viam incedentes, & Sanctorum nostrorum divinorum Patrum doctrinæ insistentes, & Catholica Ecclesia in qua Sanctus Spiritus inhabitat, traditionem observantes; definimus, cum omni diligentia, & curâ, venerandas esse sanctas Imagines ad modum, & formam vivificantis Crucis è coloribus, tessellis, aut alia quavis materiâ commodè paratas, dedicandas, & in Templis Dei collocandas, habendasque, tum in sacris vasis, & vestibus, tum in parietibus, & tabulis, in ædibus privatis, in vys publicis: maximè autem Imaginem Domi-*

Nizen.

Digitized by Google

ni, & Dei Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, deinde intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ, venerandorum Angelorum & omnium deinde Sanctorum. Contonat Tridentinum *Trid.* *ſeſſ. 25.* Ex quibus conſtat, id haberi in Eccleſia ex traditione Apoſtolicâ, ut de adoratione Sanctorum diximus *num. III.*

118 Nec obeſt quod objiciunt Hæretici duo Concilia Conſtantinopolitana: unum ſub Leone Iconomacho; aliud ſub Conſtantino Copronymo, definientia, Imagines abolendas, & damnantia earum adorationem. *Conc.* Item Concilium Francofurtenſe reprobans ſeptimam Synodum cenſentem, Imagines retinendas, & adorandas. *Franc.* Item libros quatuor Caroli Magni contra Imagines. Præterea Concilium Eliberitanum *can. 36.* prohibens, picturas in Templis fieri: *ne id quod adoratur, in parietibus depingatur.* *Elib.* Tandem aliquos Patres, ut Irenæum *lib. 1. c. 24.* ponentem inter hæreſes Carpocratis, quòd coleret Imaginem Chriſti, & Pauli: *Irenæ.* Epiphanium *hæreſi 79.* dicentem hæreticos eſſe, qui Imaginem B. Virginis circumferunt, & colunt: *Epiph.* Ambroſium *de obitu Theodoſij.* ſic ſcribentem: *Invenit Helena Crucem Domini: Regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis eſt error:* *Ambr.* Hieronymum *in c. 3. Daniel* dicentem: *cultores Dei, imagines adorare non debent:* *Hier.* Auguſtinum *c. 36. de Morib. Eccl.* vocantem novos *picturarum adoratores.* *Aug.* Et Gregorium *lib. 7. epiſt. 54. & 109. & alibi,* repetentem, Imagines adorandas non eſſe. *Greg.*

119 Reſpondetur enim ex Bellarmino *lib 2 c. 9. 13. & ſeq.* eruditiſſimè detegente, ac refutante mendacia Hæreticorum; in primis, duo illa Conſtantinopolitana non fuiſſe Concilia legitima ſaltem generalia; ſed aut Nationalia, aut Concilibula ſub Imperatoribus illis Iconoclaſtis, abſque Pontificis authoritate per ſe, nec per Legatos, ut ex Zonara, *Zon.* Cedreno, & alijs defendit Bellarm. *cap. 14.* *Cedr.* Deinde, ad Francofurtenſe, quòd ſimiliter non fuit generale, nec habuit quoad hoc conſenſum Adriani Papæ: qui potiùs repugnavit juxta ipſius Epiſtolas pro Imaginibus relatas in Nizeno *2. Act. 2.* Nec momenti ſunt libri illi Carolini, quos ut manifeſtè ſuppoſititios, & ab aliquo Iconoclaſta confictos refellit Bellarm. *c. 15.* Præterea Eliberitanum, utpote Provinciale novemdecim Epiſcoporum, non eſſe authoritatis. Quinimò ex illo arguit Bellarm. *c. 9.* tunc temporis viguiſſe uſum ſacrarum Imaginum: cùm eas prohibuerit Concilium illud: non omninò; ſed ne in parietibus Templorum depingerentur: aut quia minor decentia videbatur; aut ob alias juſtas cauſas. Tandem ad Patres reſpondetur: Irenæum non arguere Carpocratem, quòd haberet Imagines Chriſti, & Pauli; ſed quòd eas coleret ſacrificij, ſicut Gentiles Idola. Epiphanium in eo damnare Collyridianos, quòd Imaginem B. Virginis, ſic colerent, ut eam haberent pro Dea Ambroſium, ſolùm negare Crucem adorandam propter ſe: cùm ibidem eius adorationem reſpectivam diſſertiſſimè commendet, dicens: *Sapienter Helena egit, quæ Crucem in capite Regum levavit, ut Crux Domini in Regibus adoraretur.* Hieronymum clarè loqui contra adoratores Idolatras ſtatuarum: id nimium facientes, quod tres Pueri facere noluerunt in Babylone. Auguſtinum, aut loqui contra Idola Gentilium: aut fortè contra aliquos Chriſtianos, qui Sanctorum Imagines ita ſuperſtitioſè colebant, ut accederent ad Idololatriam: id atteſtante Damaſceno in fine libri de Hæreſibus. Gregorium conſtantiſſimum fuiſſe ſacrarum Imaginum cultorem, ut patet ex eiuſdem *epiſt. 5. lib. 7.* In alijs autem locis eos reprehendit, qui ſuperſtitioſè Imagines, ut Deos, adorabant more Gentium. Hæc Bellarmin. *Bellarm. Capiſuc.* *c. 16.* Plura Capiſuccius.

120 Objiciunt inſuper nobis Idololatriam. Sed iniquè, & fruſtra. Quippè longiſſimè ab Idololatris diſtamus. Illi namque idola, & ſimulacra, uti Deos adorant Latria abſolutâ; aut homines. V. g. Iovem, Martem, & Mercurium, in illis repreſentatos uti Deos venerantur. Nos verò non Imagines uti Deos, aut uti Sanctos adoramus; ſed, ut repreſentativas Dei, & Sanctorum Latriâ, aut Dulia reſpectivâ propter excellentiam exemplarium.

121 Dices: ergo quamlibet creaturam adorare ſic poſſemus, uti repreſentativam alicuius perfectionis divinæ: juxta illud: *invisibilia eius per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur:* ſicut propterea juramus etiam per creaturas, juxta illud: *nolite jurare per Cœlum, quia Dei thronus eſt; nec per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius.* Sunt qui concedant conſequentiam apud Lumbier *quæſt. ult. art. 6. § 2. num. 2338.* *Lumb.* Advertunt tamen, hoc intelligi de adoratione privatâ tantùm, & ſub eo præciſivè reſpectu Imaginis alicuius perfectionis divinæ. Advertunt inſuper, id licitum eſſe poſſe ſpeculativè loquendo; practicè tamen non eſſe admittendum ob ſuſpicionem facilem alicuius Idololatriæ. Ipſe tamen Lumbier negat melius conſequentiam. Quia, quamvis olim

etiam

etiam res ſint quodammodo Imagines Dei, ſunt tamen communibus alijs uſibus regulariter deſtinatæ: earum autem Imaginum adorationem defendimus, quæ ſpecialiter deſtinatæ ſunt ad repreſentandas Perſonas adorabiles potiùs, quàm ad alios uſus. Quæ etiam prædictis Authoribus eſt ratio, cur omnes feré Cruces adoramus; non verò ſic omnes lanceas, & clavos, niſi forté aliquos, qui ſpecialiter aſſumuntur in ſignũ Paſſionis Chriſti, ut monet Suar. *diſp. 56 ſec. 2. verſ. Ex dif-ferentia.* Dixi: *omnes ferè Cruces*: nam quæ caſu, & fortuitò deſcribuntur in figuris mathematicis; aut occurrunt in pavimentis conculcare, non ſcrupulosé refugimus: quia non ad eam repreſentationem inſtituuntur. Illud de juramento verum eſt per aliquas creaturas, in quibus Deus ſpecialiter relucet, ex teſtimonio Chriſti, ſic docentis, ac inſtituentis.

122 Ex ijs, & ex dictis in ſuperioribus præſertim *ſec. 3.* conſtat, Crucis, Imaginum, & Reliquiarum adorationem non eſſe abſolutam, ſed reſpectivam, prout ibi explicuimus: quia non adorantur ratione excellentiæ propriæ, ſed perſonæ ad quam pertinent. Unde, ſi pertinent ad Perſonam Divinam, ut Crux, Imagines Chriſti, & Trinitatis, (& idẽ eſt de ſacris earumdem Perſonarum Nominibus,) adorantur per Latriam reſpectivam; ſi ad Perſonam B. Virginis, ut imago, Nomen, aut Reliquiæ ipſius, adorantur per Hiperduliam reſpectivam; & per Duliam reſpectivam, ſi ſunt Imagines, Nomina, aut Reliquiæ aliorum Sanctorum. Vera Crux Chriſti, & aliæ Cruces, in eius ſimilitudinem erectæ, adorantur quidem per Latriam reſpectivam; reſpectibus tamen non omninò iſdem. Nam in alijs Crucibus eſt reſpectus Imaginis repreſentantis veram Crucem, & Chriſtum in ea crucifixum; at in vera Cruce, præter reſpectum iſtum, eſt etiam reſpectus alius contactûs ad corpus Chriſti. Unde eſt, quòd particulæ aliarum Crucium non adorentur, ſicut ſingulæ veræ Crucis particulæ: in quibus ſcilicet, quamvis non maneat reſpectus imaginis in forma Crucis, manet tamen reſpectus alter contactûs, cùm ſit pars integralis Crucis, cui Chriſtus phyſicé ſuffixus fuit.

SECTIO XI.

Quo animo ritè adorari poſſint, ac debeant Crux, & Imagines ſacræ.

123 DIfficultas exagitatiſsima inter Patres Suarez, & Vaſquez, & deinceps inter illorum Diſcipulos, eſt circa modum, quo Imagines Sanctæ, ſive Crucis, ſive Dei, ſive Sanctorum adorari poſſunt, ac debent. In quo puncto tria præ oculis habenda ſunt. Primum, ut ſincerè ſalvetur dogma Catholicum de vera adoratione Sanctarum Imaginum. Secundum, né in modo eas adorandi, aut explicandi earum adorationem, foveatur ullatenús Idololatria, qua Ethnici adorabant ſimulacra. Tertium, né forſan ex adverſo foveatur error Iconoclaſtarum impié obloquentium adorationi Sanctarum Imaginum. Tres ſunt Catholicorum ſententiæ. *Suar. Vaſq.*

124 Durandus, Holcot, & alij apud Suarez dixerunt, Imagines proprie loquendo nõ adorari, ſed exemplaria ad præſentiam imaginum. Sic etiam fermè Caiet. quatenus *quæſt. 25. art. 3. & ſeqq.* ait, Imaginem eſſe dumtaxat conditionem adorandi exemplar: ita ut honor proprie non exhibeatur tali conditioni, ſed exemplari, quod eſt ratio adorãdi; fortè ſicut alicui gladius poteſt eſſe occaſio laudandi iuſtitiam. Quid in re ſentiat Cardin. de Lauræa diſcernendum eſt ex ijs, quæ ſcribit *diſp. 29. art. 11. à num. 305.* Modus iſte loquendi cenſuris carpitur à nonnullis: quia non ſyncerè ſalvat adorationem Imaginum, prout definitam à Concilijs, & traditam à Sanctis PP. Refertur in Nizeno 2. *Act. 1.* S. Baſilius abſolutè proteſtans: *Honorificè veneror venerandas Imagines*: & *Act. 6.* Epiphanius Diaconus damnat illo, qui Imaginum uſum ad memoriam ſolam admittunt. Quid autem aliud præſtat modus loquendi prædictæ ſententiæ? *Dur. Holc. Caiet. Laur. Niz. Baſil.*

125 P. Vaſquez *diſp. 108.* ſequutus Alphonſum de Caſtro docet, Imagines quidem verè, & propriè adorari; non tamen adorari poſſe, quin eãdem adoratione adoretur in recto perſona, quam repreſentat: ita nimirum, ut adoratio exterior, v.g. oſculatio, fiat imagini, & genuflexio ante imaginem; totus verò actus internus feratur in exemplar, cui, & non imagini, ſe ſubmittit interiùs adorans, dum exteriùs illas actiones exhibet imaginis: quæ, inquit, cùm inanimata ſit, non eſt capax terminandi internam animi ſubmiſsionem *Vaſq. Caſt.*

nem: & ſtultum eſſet, adorantem rationalem velle ſe ſubmittere rei inanimatæ, ut excellentiori, quod veſtigium aliquod Idololatriæ videri poſſet. Huic ſententiæ videtur accedere Cardin. Pallavicinus *in Hiſtor. Trid. par. 2. lib. 11. c. 5.* *Pallav.*

116 P. Suar. & cum illo communiùs reliqui Theologi, quos latè refert, & ſequitur Card. Capiſtuccus *quæſt. 2.* non ſatis eſſe judicant contra Iconoclaſtas damnatos in Cõciliis dicere, adorationes illas externas ferri in Imagines, niſi affectus etiam aliquis adorationis internæ in eas feratur. Quia, niſi hoc dicatur, non receditur in re à ſententia Durandi: qui nimirum non negat oſculationes imaginibus, nec genuflexiones debere fieri coram illis; ſed ſolum negabat, hoc eſſe propriè adorari imagines: quod tamen ſolum aiunt eſſe propriè adorari imagines qui nolunt actum venerationis, & ſubmiſſionis internæ ullo modo ad ipſas terminari. Unde in re videntur convenire cum Durando, quãvis in appellatione adorationis diſcrepent. Nec facile poteſt intelligi, imagines propriè adorari, ſi ſolus actus exterior feratur ad ipſas, cùm ſolus actus exterior non ſit adoratio, ut cum ipſo Vaſquez ſtatuimus *ſec. 1.* eo vel maximè quòd actio externa, ex ſe indifferens, dirigatur, & determinetur ab affectu interno ad obiectum adoratum præ alio: nec niſi ex affectu interno diſcerni valet, an Archangelum Michaelem, an diabolum adoremus, quando procumbimus coram imagine Michaelis proterentis diabolum.

117 Concluſio noſtra ex ijs omnibus bipartita ſit. In Imaginum adoratione non ſolum actio externa; ſed etiam affectus internus fertur in Imaginem; non tamen eodem modo, ac in exemplar.

118 Probatur in primis poſterior hæc pars, in qua aliquid videtur concedi Patri Vaſquez. Nam exemplar adoramus abſolutè propter excellentiam propriam; imaginem verò propter excellentiam exemplaris, ut ab imagine contradiſtincti, nec cum illa habentis connexionem, nec conſtituentis cum ipſa unam perſonam: ergo non eodem modo fertur adoratio in utrumque. Præterea ex Cardin. de Lugo: quia exemplar colitur tanquam id, cui ſoluimus cultum debitum ex iuſtitia poteſtativa; Imaginem verò non ita; ſed ut terminum cultûs, quem exemplari capaci iuris debemus. Unde talis cultus nõ vocatur à Concilijs adoratio in ſpiritu reſpectu imaginis, cum qua, utpotè rationis experte, non communicamus civiliter, ac politicè, ſed eſt reſpectu illius adoratio, ſeu cultus, quaſi *Lug.* inanimatus & materialis: cùm nõ ſit animus ſignificare aliquid imagini per genuflexionem; ſed exemplari: ergo actus adorationis internæ non fertur eodem modo in imaginem, ac in exemplar.

119 Probatur deinde prior pars concluſionis, quæ Patris Suarez ſententiam continet. Primò: quia, niſi hoc dicatur, non ſatis diſceditur à ſententia Durandi, ut vidimus *nu.* 115. Secundò à priori: quia ex Damaſceno *Orat. 1. de Imag.* & ex Anaſtaſio relato *in 7. Synodo Act. 4.* adoratio eſt *nota ſubmiſſionis, & reverentiæ*: ergo adoratum debet terminare ſubmiſſionem, & reverentiam. Nec dicas, terminare ſolam exteriorem. Nam, ut benè Lugus, nequit exhiberi cultus externus imagini, quà tali, quin eo ipſo internus affectus ſubmiſſionis feratur etiam in imaginem: hoc enim ipſo, quòd velis genuflectere ad imaginem, iam adeſt affectus, quo te vis collocare infra imaginem, illique cedere meliorem locum; quod eſt illi reverentiam exhibere: ergo ille ipſe affectus internus, quem adoratio requirit, fertur in Imaginem, & non ſolum in exemplar. *Damaſc. Anaſt. 7. Syn.*

120 Confirmatur ex Patribus & Concilijs definientibus cultum Imaginum: quorum certè mens alia non fuit, quàm quòd non ſolùm externa cæremonia, ſed animus etiam internus ſubmiſſionis feratur in imaginem. Quippe ſimpliciter, & abſolutè definiunt, & inculcant, imagines adorari contra Iconoclaſtas, qui illud maximè in cultu Imaginum, deteſtabantur, quòd internus affectus per externam cæremoniam manifeſtatus tenderet in Imagines. Quocirca Leontius *in Nizeno 2. Act. 4.* dicit: *Imaginem Chriſti adorans, non lignorum, aut colorum materiam adorat, ſed inanimatum caracterem Chriſti.* Eſt dicere, adorari rationem imaginis, & non lignum, aut colorem ſecundum ſe. At exterior cæremonia in colores etiam fertur; & oſculatio, in terram, quando adoramus Deum per proſtrationes & percuſſio in pectus, quando percutientes pectora Euchariſtiam adoramus: quin proinde aut color aut terra, aut pectus dicantur adorari. Ergo quòd imagines veré ac ſimpliciter dicantur adorari, aliquid amplius dicit, quàm cultum exteriorem ferri in ipſas: ac proinde debent quoque terminare affectum internum adorationis. *Leont. Nican.*

121 Declaratur, & adſtruitur duplici exemplo. Primò: cum creaturam amamus amore Dei, & propter Deum, eo ipſo volumus bonum creaturæ: quia amare eſt velle bonum; & veré tunc amatur creatura: unde

vo-

volente Deo occisionem talis creaturæ, nos illã occidendo, amaremus quidem Deum, et non illam creaturam, si occisio exercita circa ipsam non esset ipsi bona. Similiter ergo, cùm adoratio sit submissio coalescens ex actu externo, & interno, ut verè dicamur adorare imaginem propter excellentiam exemplaris, non sufficit exercere cultum coram Imagine; sed est etiam necesse, internum affectum summissionis Imagini exhiberi. Secundò quia, quamvis sacrificium fiat coram Cruce, non dicimur sacrificare Cruci: nam sacrificare est cultus, quo Deum testamur Auctorem supremum vitæ, & mortis, quod de cruce minimè testamur: cùm ergo adorare sit cultum externum, & internum exhibere, minimè diceremur imagines adorare, si præter externum, actus etiam internus colendi non ferretur affectivè in Imaginem, sed in solum exemplar.

Capis. 132 Conclusionem nostram sic explicatam videtur etiam tenere in re Card. Capisuccus multos citans *contr. 26. quæst 2. n. 5. 7.*
Maced. Itèque Macedo *in Scholis Theologia Positive Schola 19. in Append. idemque habet affirmatiùs in Vindicys Rom. Pontificis Vindicia 9. cap. 3.* in eo minimè credendus, quod ait, scripsisse Patrem Suarez, *Divum Thomam, si vidisset septimam Synodum, aliter sensurum.* Fallitur: nam quod ait P. Suar.
S. Tho. Suar. *sec. 4.* citans prosè S. Tho. & 7. Synodum esse *quam* Synodum *certè verisimile est, divum Thomam non vidisse, quia fortasse eo tempore non erat facta Latina, aut ad illius manus non pervenit: nam si illam vidisset, illius utique meminisset.* Hoc dictum ab illo distat toto cœlo.

133 Obiectiones fusiùs videndæ apud Auctores citatos, magnâ ex parte præoccupatæ sunt per priorem nostræ conclusionis partem. Objicitur enim primò. Adoratio est quædam submissa solutio debiti; sed Imagini, utpotè incapaci iuris, & rationis, non dicimur solvere debitum: ergo ad adorationem Imaginis sufficiet, quod affectus submissionis feratur in exemplar, quin feratur in imaginem. Confirmatur. Adoratio est species iustitiæ potestativæ: ergo est ad alteram Personam: Imago autem, persona non est: ergo incapax, cui exhibeatur reverentia, & submissio debita titulo prædictæ iustitiæ.

134 Respondetur in primis, per hæc potius deduci, imagines esse inadorabiles, quod contra nos, & contra Patrem Vasquez vellent Iconoclastæ; pro quibus ex præmissis obiectionis, si quidquã efficitur, inferri deberet, non deberi, nec exhiberi titè Imaginibus adorationẽ. Deinde in forma, cõcessã maiori, distinguo minorẽ: Imagini non dicimur solvere debitum, ad quod ipsa habeat ius, concedo: debitum, ad quod habeat ius eius exẽplar, ratione cuius ipsam adoramus, nego. Undé, sicut omnes catholici dicimus, externum cultum perhiberi imagini, non ex debito ad quod habeat ius imago iuris incapax; sed ex debito, ad quod habet ius exemplar iuris capax; sic nos dicimus de affectu interno cultûs terminato non solum ad ex exemplar, sed etiam ad imaginem: ad utrumque scilicet ex debito, ad quod habet ius exẽplar, & non Imago. Consequentia, & nulla, & falsa est.

135 Ad confirmationem similiter dico, ex primo eius enthimemate, & ex minori subiunctã, non illam, sed hanc dari natam illationem deduci: *ergo imago est incapax adorationis.* In forma, concesso antecedente, distinguo consequens: adoratio est ad alteram personam absolutè solùm, negatiuè absolutè, sive respectivè, concedo: adoratio quidem absoluta, ad alteram Personam absolutè, quam scilicet adorat propter propriam excellentiam: adoratio verò respectiva ad alteram Personam respectivè: propter cuius scilicet Personæ excellentiam adorat res etiam, quæ specialem respectum habent ad ipsam, inter quas res numerantur imagines: quæ cùm veré adorentur, non iure suo adorantur, sed iure Personæ, quam representant. Hinc, concesså, minori subiunctã distinguo consequens: incapax, cui exhibeatur reverentia, & submissio absoluta, & ratione sui propter excellentiam propriam, concedo: respectiva, & ratione exemplaris, propter excellentiam alienam Personæ representatæ habentis illud iustitiæ potestativæ ius ad cultum in se, & in Imagine, nego consequentiam.

136 Objicitur secundo septima Synodus *Act. 4.* dicens, quòd sicut Jacob osculans vestes Ioseph, non dilexit, aut honotavit vestem; sed per vestem arbitratus est, se Iosephum osculari; sic nos osculando imagines videmur ipsos animo Sãctos osculari: ergo quia exhibitis illis actionibus exterioribus ad imagines, totus affectus internus terminatur duntaxat ad exemplaria. Respondetur, negando consequentiam. Nam illorum Patrum intentum solum erat, aliquomodo declarare, Imagines non adorari à nobis adoratione absolutâ, à differentia exemplarium, quæ absolutâ adoratione coluntur. De cætero non tenet omnimodé paritas: alioquin exemplum probaret nimis pro Iconoclastis: nempè, quòd sicut factum illud Iacobi non *Syn. 7.*

arguit

arguit, Iacobum ullo modo dilexisse vestes, ita nec à nobis Imagines adorari: quod absit.

Trid. 137 Obijcitur tertiò Tridentinum *sess.* 25. dicens, honorem Imaginibus delatum ferri ad prototypa, ita ut per Imagines, quas osculamur, & coram quibus aperimus caput, & procumbimus, Christum, & Sanctos adoremus: ergo quia affectus internus solum modò fertur in prototypa, ut videtur ibi definiri. Respondetur consequentiam esse nullam. Quinimò, si Tridentinum attentè legatur, potius infertur pro nobis, affectum etiam adorationis internæ ferri in Imagines verè adoratas: dicit enim, honorem Imaginibus exhiberi, & transire in exemplar, & honorari exemplar, dum Imagines honorantur: quod est verissimum. At verum esse non posset, nisi affectus etiam internus ferretur in Imagines: nam osculum externum non transit ab Imagine ad prototypon; sed affectus internus: non autem transiret ab Imagine ad prototypon, nisi ferretur in Imaginem, & per Imaginem ad prototypon. Cum quo stat optimè, quòd in Imaginibus, & per Imagines honorantur Sancti: qui enim aliquid, quia ad me pertinent, honorat, me honorat, juxta illud Christi: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Nec potest id sic intellectum, & explicatum verti nobis Idololatriæ; ob discrimen inter Idolatras, & veros Imaginum adoratores assignatum *sect. prac. nn 118.*

Matt. 25.

SECTIO XII.

Quid tandem de Adoratione Sacrarum Reliquiarum Christi, & Sanctorum?

138 PRÆ oculis haberi oportet quod diximus *sect. 3.* adorabilitatem Reliquiarum, quas nempè veneramur cultu respectivo ad Personas ad quas pertinent, multum pendere à consideratione morali, usu, & æstimatione Ecclesiæ, ac Fidelium, ut ritè discernantur respectus, qui sufficientes sunt, ut dignè, ac decorè adorentur tamquam res specialiter pertinentes ad illas Personas, ob quarum excellentiam earum Reliquias adoramus.

139 Adorationem Reliquiarum, sicut, & Imaginum sacrarum Fide tenemus contra Hæreticos utrarumque contemptores, ex Conc. Nizeno 2. *Act. 7.* ex Felice Pappa I. cum Concil. Romano *epist. 2. decretali*, & ex Tridentino *sess. 25. decr. de Invoc. Sanct.* ubi non solum de Imaginibus, sed de Reliquijs etiam est sermo, damnando doctrinas asserentium, Reliquias, & alia sacra Monumenta Sanctorum veneranda non esse: quod ex antiquissimo, & perpetuo Ecclesiæ usu, & ex quotidianis miraculis reprobat cum Concilio Suarez *disp. 55. sect. 1.*

Nizen. Trid. *Suar.*

140 Obijcitur primò dictum Christi ad Iudæos Luc. 11. *Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum*, in quo cultus ille ossium Prophetarum videtur reprehendi. Secundò Concilium Eliberitanum *can. 34.* dicens: *Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi: inquietandi enim Sanctorum Spiritus non sunt*: quo videtur cultus ille cereorum ad corpora, sive Reliquias Sanctorum prohiberi. Tertiò, quòd in ossibus, similibusque Reliquijs juxta multorum sententiam asserentium, in corruptione substantiali fieri resolutionem usque ad materiam primam, nihil quod sancti viri fuerit, remanet, nisi materia prima; apud alios communiùs manent cum materiâ primâ quantitas, & aliqua accidentia: quæ manent etiam in vermibus ex cadavere illo generatis, quos tamen non adoramus, nec colimus: non est ergo ratio, cur corporum Sanctorum Reliquiæ adorandæ sint.

Luc. 11. *Eliber.*

141 Respondetur ad primum, addendũ esse quod subdidit Christus: *Patres autem vestri occiderunt illos.* Quod sic intelligit *Chrisost. Homil 73. in Matt. Mentiebantur, qui ædificabant sepulchra, aperte detrahit: non enim, ut honorarent occisos, sed ut suorum vires ostenderent, ne tanti facinoris audacia memoriâ caderet, sepulchra ædificabant.* Sic ergo non reprehendit Christus sepulchra posita in honorem Prophetarũ occisorũ, sed posita quasi in approbationem occisionis à Progenitoribus. Quòdsi difficile creditu videatur, eos hoc animo sepulchra ædificasse; dici potest cum Suarez reprehendi, quia quamvis expressè id non intenderent; facto tamen ipso ita se gerebant, ac si id intenderent, scilicet persequendo Christum plusquam Prophetam promissum à Prophetis, quos eorum Patres occiderunt. Idem Chrisostomus: *Væ illis dixit, quoniam ita dicentes, & facientes Patres suos condemnare audebant, cùm ipsi peiora committerent.* Aut paulò aliter ex Cornelio, reprehẽdit ibi Christus Pharisæorum hypocrisim, quâ, cùm, imitati Patres suos, vellent Christum, & Apostolos occidere, id celabant fictâ pietate honorandi Prophetas à Patribus suis occisos.

Luc. 11. *Chrisost.* *Suar.* *Chrisost.* *Cornel.*

142 Ad secundum dico, alludi ibi ad ver-

1.*Reg.*28 verba animæ Samuelis 1. Reg. 28. *Quare inquietaſti me?* cùm ſcilicet Saul, magicis incantationibus uſus, illam id ægrè ferentem advocaverit. Irrepſerat autem peſſimus iſte mos in aliquos cum illâ ſuperſtitione cereorum: quibus obviam ire voluit Concilium id ex ea occaſione prohibens; non verò religioſum cultum Reliquiarum.

143 Ad tertium dico, mihi quidem minus negotij id faceſſere. Quippé in oſſibus, ſimilibuſque particulis Corporum Sanctorum judico, non ſolùm manere eamdem numero materiam primam; ſed eamdem numero formam ſubſtantialem oſſis, & carnis cum ſuis accidentibus, ſine introductione novæ formæ ſubſtantialis, dum non convertitur in vermes, aut in terram, aut in aliam ſubſtantiam completam. Sicque facilius intelligitur, prædictas reliquias eſſe ſpecialiori reſpectu partes corporis ejuſdem Sancti, & ad ipſum potiùs, quàm ad aliud compoſitum pertinere. Quod non contingit in vermibus ex cadaveribus Sanctorum generatis: qui jam ſunt aliud compoſitum completum, ad quod potius, quàm ad corpus in illos reſolutum ſpectat illa materia prima. Multa de hoc Henriquus Quodlib. 10. *qu.* 6.

Henry. Suar. 144 P. Suar. communiori inſiſtens Philoſophiæ, cenſet, rem hanc non tam metaphyſicè, quàm moraliter expediendam eſſe. Nam Reliquiæ adorantur propter habitudinem ad Perſonam: ea autem habitudo eſt moralis dignitas; quæ tamdiu durare cenſetur, quamdiu res illa ſub tali forma, figura, & accidentibus conſervatur: taliter, ut more humano res exiſtimetur eſſe eadem, quæ ad talem Sanctum pertinuit, ſeu qua ille uſus eſt. Hic autem ſtatus durare cenſetur, quamdiu res in ea diſpoſitione conſervatur, quam habuit quando à tali Perſona ſeparata, vel relicta fuit; vel ſaltem quamdiu non multum eſt ab illo ſtatu mutata, in quo adorabilis eſt: quia retinet prædictam habitudinem, & in eſſe Reliquiæ talis Sancti conſervatur. Poſtquam verò multæ mutationes intercedunt, cenſentur huiuſmodi res prædictam habitudinem amittere, & ſtatum, ſeu rationem Reliquiarum perdere: & idcircò adorabiles jam non ſunt: præſertim quia, cum ad eum ſtatum deveniunt, nulla poteſt eſſe certitudo: & ſæpé earum rerum veneratio indecentiam præſeferret: quæ tamen in omni religioſo cultu cavenda eſt.

145 Hæc Suarez. Ex quibus ſumi poteſt aliqualis regula, non ſolùm pro Reliquijs, quæ ſunt, aut fuere partes Perſonæ Sanctæ; verùm etiam pro alijs, quas ratione contactûs, aut alterius reſpectûs adoramus: in quibus diſcretione opus eſt, nè indecorum aliquid irrepat ſub ſpecie Religionis. Idcircò, nec labia Judæ, nec ſputa Judæorum, quæ Chriſtum tetigerunt, nec pilos jumenti, in quo, vel Chriſtus, vel B. Maria equitavit, nec alia huiuſmodi oporteret adorare: quamvis inſtrumenta Martyrium, ut Crucem, Columnam, lanceam, & clavos Chriſti, & catenas Petri adoremus: ut non ſemel monuimus in præcedentibus. *Suar.*

146 Circa huiuſmodi cultum Reliquijs exhibendum diſtinctione, & prudentiâ opus eſt. Vel enim eſt ſermo de ſolemni, & publico ritu, & honore Reliquiarum Sanctarum; vel de privato ex ſingulari devotione alicuius. Ad illud prius requiritur, ut ritè conſtet certò de ſanctitate Perſonæ; & ex authoritate aliquâ publicâ conſtet etiam, quòd ea Reliquia ſit ſanctæ Perſonæ. Ad iſtud poſterius ſufficeret privatum etiam teſtimonium virorum fidedignorum, vel alia ratio, aut conjectura ita probabilis, ut ſufficiat ad prudens judicium. Sic Suar. *ſect.* 2. monens, ut in hoc ſecundo caſu fiat adoratio ſub conditione: quæ tamen conditio implicitè ſemper involvi à pijs adoratoribus credendum eſt. *Suar.*

SVSPIRIVM

AD CHRISTVM DOMINVM CRVCI SVFFIXUM, bonorum omnium Authorem, Opt. Max.

EXCIPE, ſis, ô Bone JESU, poſt oſculum ſacrorum tuorum Vulnerum, exiguum iſtud Theologiæ noſtræ munuſculum, in anniverſariâ die Supremæ Tuæ Cœnæ, conſilio potiùs Tuo, quàm noſtro abſolutum: ut vel tempus incidens ad Epulum Tuum Euchariſticũ operam noſtram qualẽ qualem invitet. Levidenſe quiddam, quà oblatum à nobis;

nobis; ſed quia de Te, & Tibi, qui principium, ac finis es, & Scripturitionum etiam noſtrarum Alpha & Omega, auſim dicere, minimè contemnendum. Excelſus es, & humilia reſpicis. Excelſus, quà Dei Verbum Omnipotens & Immenſum, Patrique ſummo conſubſtantiale, per quod facta ſunt omnia; Deus verus de Deo vero; Homo verè Deus, hominumque Servator, Ductor, Legislator, & Pontifex Summus, per quem inſtaurata ſunt univerſa, via patefacta Paradiſi, conciliata divinis humana, & ima ſummis. Humilia tamen reſpicis parvitatis noſtræ, è faſtigio celſitudinis tuæ: quia Parvulus natus nobis, mitis es, & humilis corde; & Crucifixus etiam pro nobis, nos, & noſtra ut extolleres, humiliaſti Temetipſum. O utinam eo, quem exoptas, fructu! donec à Te creatos, redemptos, ſanctificatos, & in æternæ Prædeſtinationis ſyllabo, uti ſperare iubes, conſcriptos; in Tui nos, Sanctorumque Tuorum Societatem per Crucem, & Paſſionem tuam benigné recipias interminandæ fœlicitatis conſortes, conditione noſtrâ famulos, dignatione tuâ conſanguineos, largiſſimæ indulgentiâ charitatis urgentis, ut redamemus, Cohæredes. Tibi laus, honor, & adoratio in ſæcula.

DIS-

Digitized by Google

DISPVTATIONES THEOLOGICÆ DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

AVTHORE

R. P. THOMA MVNIESSA SOCIETATIS IESV.

1 EXtenſionem *Incarnationis* appellant ex Chriſoſtomo plures Euchariſtiam: ut, aut inconcinum, aut importunum nemini videri poſſit; quòd ſub eodem Volumine, jugique Tractatione, Diſputationes noſtras ab Incarnatione continuò ad Euchariſtiam, propter Myſteriorum cohærentiam, extendamus. Scribunt de ea Magiſt. *in* 4. *d. diſt.* 8. & ibi Scotus, alijque Commentatores. S. Thom. 3. *part. q. queſt.* 73. & ibi eius Interpretes. Cardin. Bellarminus *tom.* 3. PP. Suarez, & Vaſquez *tom.* 3. *in* 3. *part.* Valentia *tom.* 4. *diſp.* 6. & multi deinceps, quos in decurſu laudabimus. *Chriſoſt.* *Magiſt. Scot. S. Thom. Bellarm. Suar. Vaſq. Valent.*

nobis; ſed quia de Te, & Tibi, qui principium, ac finis es, & Scripturitionum etiam noſtrarum Alpha & Omega, auſim dicere, minimè contemnendum. Excelſus es, & humilia reſpicis. Excelſus, quà Dei Verbum Omnipotens, & Immenſum, Patrique ſummo conſubſtantiale, per quod facta ſunt omnia; Deus verus de Deo vero; Homo verè Deus, hominumque Servator, Ductor, Legislator, & Pontifex Summus, per quem inſtaurata ſunt univerſa, via patefacta Paradiſi, conciliata divinis humana, & ima ſummis. Humilia tamen reſpicis parvitatis noſtræ, è faſtigio celſitudinis tuæ: quia Parvulus natus nobis, mitis es, & humilis corde; & Crucifixus etiam pro nobis, nos, & noſtra ut excolleres, humiliaſti Temetipſum. O utinam eo, quem ex optas, fructu! donec à Te creatos, redemptos, ſanctificatos, & in æternæ Prædeſtinationis ſyllabo, uti ſperare iubes, conſcriptos; in Tui nos, Sanctorumque Tuorum Societatem per Crucem, & Paſſionem tuam benigné recipias interminandæ fœlicitatis conſortes, conditione noſtrâ famulos, dignatione tuâ conſanguineos, largiſſimæ indulgentiâ charitatis urgentis, ut redamemus, Cohæredes. Tibi laus, honor, & adoratio in ſæcula.

DISPVTATIONES THEOLOGICÆ DE SACRAMENTO EVCHARISTIÆ.

AVTHORE

R. P. THOMA MVNIESSA SOCIETATIS IESV.

1 *Xtenſionem Incarnationis* appellant ex Chriſoſtomo plures Euchariſtiam: ut, aut inconcinnum, aut importunum nemini videri poſſit; quòd ſub eodem Volumine, jugique Tractatione, Diſputationes noſtras ab Incarnatione continuo ad Euchariſtiam, propter Myſteriorum cohærentiam, extendamus. Scribunt de ea Magiſt. *in* 4. *d. diſt.* 8. & ibi Scotus, alijque Commentatores. S. Thom. 3. *part. q. quæſt.* 73. & ibi eius Interpretes. Cardin. Bellarminus *tom.* 3. PP. Suarez, & Vaſquez *tom.* 3. *in* 3. *part.* Valentia *tom.* 4. *diſp.* 6. & multi deinceps, quos in decurſu laudabimus.

Chriſoſt.

Mag. Scot. S. Thom. Bellarm. Suar. Vaſq. Valent.

DISPUTATIO XX. ET I.

DE

EXISTENTIA, FIDE, INSTITVTIONE, ET Neceſsitate Sacramenti Euchariſtiæ.

1 NE diverſitas vocabulorum, idem apud varios ſignificantium, in diverſa nos diſtrahat, ſcire oportet, Sacramentum iſtud, cuius exiſtentiam, & naturam principiò inquirimus, varijs ſolere nominibus inſigniri. Primò vocatur, *Euchariſtia*: quod eſt Latinè, *Bona gratia*; vel, ut vertunt alij, *gratulatio*; ſeu *actio gratiarum*, quia Pons gratiarum eſt, & pro gratijs acceptis Sacrificium laudis. Secundò, *Hoſtia*: eſt enim victima, quæ Deo immolatur per ſacrificium incruentum, quo unicè utitur Eccleſia in Lege gratiæ. Tertiò, *Cœna Domini*: quia per Cœnam Agni Paſchalis figurabatur, & in ultima Chriſti Cœna inſtitutum eſt. Quartò, *Viaticum*: quatenus eo ſpiritualiter alimur ad tranſitum ex hac vita ad æternam. Quintò, *Communio* græcè, *Synaxis*, ſeu, *Chinonia*: quoniam ex 1. Co-
1. Cor. 10. rinth. 10. *Vnum corpus multi ſumus, omnes, qui de uno pane participamus*: & paulò ante: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?* Sextò, *Sanctiſsimum*, neutraliter, ſuperlativè, & antonomasticè; ſivè pluraliter etiam, *Sancta*: quia eſt ſacratius Sacramentum Legis novæ: ſicut in veteri ſacratior, & ſecretior Templi locus vocabatur, *Sancta Sanctorum*. Septimò, *Myſterium*: quia, quamvis ſic etiam vocari poſſint alia Sacramenta; huic tamen id antonomasticè convenit: in quo res occultiſſima,
Pſal. 77. & Myſterium maximum realiter continetur incarnati Verbi, Deus pariter, & Homo, Sacerdos, & Sacrificium, Chriſtus JESUS, & *verè Deus abſconditus*. Hinc Euchariſtici Sacramenti excellentia ſupra reliqua omnia facilè deprehenditur.

SECTIO I.

Statuitur Euchariſtiæ exiſtentia, & quo modo inter Fidei Articulos habeatur.

3 TAmetſi multipliciter errave-rint Hæretici Veteres, ac Novatores, circa Sacramentum Euchariſtiæ, præſertim circa realem in eo præſentiam Chriſti Domini, ut legere eſt apud Eminentiſſimum Bellarminum *tom. 3. controver. 3. lib. 1. cap. 1.* nemo tamen, qui Sacramenta aliqua novæ Legis admiſſit, exiſtentiam Euchariſtiæ negavit, ut erudité probat P. Vaſquez *diſp. 167. cap. 1.* usquedeò, ut Lutherus negare viſus aliquando reliqua, hoc ſolum eſſe Sacramentum novæ Legis voluerit.

Bellarm. *Vaſq.*

4 Conſtans igitur per fidem eſt Euchariſtiæ exiſtentia. Tum ex Scripturis: nam Matt. 26. Marc. 14. & Luc. 22. poſtquam convertit Dominus panem, & vinum in ſuum Corpus, & Sanguinem, dixit Diſcipulis, ut id facerent in ſui memoriam. *Et Ioann. 6.* de hoc Sacramento, cuius inſtitutionem in Cæ-

Matt. 26. Mar. 14. Luc. 22. *Ioan. 6.*

na

na futuram prædicebat, asseveravit, conferre vitam æternam, id est, Gratiam cum jure ad Gloriam: qui proprius est effectus Sacramentorum novæ Legis. Tum ex Concilijs: præsertim Lateranens. relato *in cap. Firmiter de sum. Trinitate*: Florentino *in decreto Eugenij pro instructione Armenorum*. Trident. *sess. 3. & 21.* Tum ex SS. Patribus apud Authores cit.

Later.
Florent.
Trid.

5 Et probatur à ratione Theologicâ. Sacramentum ut sic est, *sacra rei signum*: id est, *signum sensibile practicum Gratiæ*: aut paulò aliter juxta alios: *signum Gratiæ sensibile, universaliter & habiliter à Deo institutum hominem consecrans*: aut quid simile. Sacramentum verò novæ Legis addit, esse à Christo institutum, & ad summum, causare gratiam sanctificantem ex opere operato. Totum id habet Eucharistia: cùm constet ex Scripturis, sacrum illud signum fuisse à Christo institutum pro tota Ecclesia: itemque, esse Gratiæ causativum juxta illud Ioan. *6. Qui manducat hunc panem vivet in æternum. Qui bibit meum sanguinem in me manet, & ego in illo*: scilicet per gratiam, quam practicè causat, & sensibiliter per species quas videmus, & gustamus significat. Constans ergo est in Ecclesia Sacramenti Eucharistici existentia inter alia Sacramenta novæ Legis, & inter articulos Fidei.

Ioan.6.

6 Difficultas est, quo pacto, & loco habeatur in Ecclesia veritas Eucharistiæ inter Fidei articulos? Quocirca discernere oportet, articulum Fidei posse dici quadruplicitèr. Primò latè, pro veritate quacumque definitâ tanquam de Fide: ut, Christum habuisse duas voluntates. Secundò strictè, pro veritate qualibet expressâ in Scripturis: ut Christum sudasse sanguinem. Tertiò strictiùs, pro veritate ab omnibus credenda, explicitè: aut necessitate medij; ut, Deum esse remuneratorem; aut necessitate præcepti, ut, Christum fuisse sepultum. Quartò strictissimè, pro veritate ab omnibus credendâ explicitè, & de qua specialis est articulus in Symbolo ab Apostolis dato Ecclesiæ pro formula Fidei.

7 Tribus prioribus modis veritatem Eucharistiæ esse Fidei articulum, ab dubio est. Dubium vertitur de quarto modo. Nec est id communis sententia, ut videre est apud S. Thom. *Opusc. 6.* Suar. *disp. 46. sect. 1.* Vasq. *disp. 179. cap. 2.* Cardinalem Delugo *disp. 5. num. 4.* & Caspensem *disp. 3. sect. 6.* potiùs supponentes, quàm probantes, veritatem Eucharistiæ non esse specialem, & expressum articulum in Symbolo Apostolorum. Quorum fundamentum est: quia talis articulus ibi non reperitur: & laborant in inquirendâ ratione, cur non sit: quæ quidem ratio difficilius reperietur, quàm articulus specialis Eucharistiæ in Symbolo.

S. Thom.
Suar.
Vasq.
Lug.
Caspens.

8 Sentit è diverso P. Bernal *disp. 30. de Eucbar. sect. 2.* strenuè id affirmans; idque sine impugnatione refert M. Lumbier *qu. 3. de Fide art. 4.* Nec mirum: quia id impugnari nequit, nisi ab impossibilitate assignandi talem articulum in Symbolo: quem tamen jam assignat Bernal, ut cum gravissimis alijs videbimus *sec. seq.*

Bernal.
Lumb.

9 Sentio cum ipso, & cum alijs ibi citandis, Veritatem Eucharistiæ quarto quoque modo esse articulum Fidei specialem in Smbolo Apostolorum. Ratio mihi est à cõgruenti validissima. Nam Eucharistia, dignitate, difficultate, & obligatione explicitè credendi unũ est é principalissimis Fidei Christianæ Mysterijs, & per excellentiam Mysterium Fidei. Quænam ergo verisimilis potuerit esse Apostolis ratio, cur tantum Mysterium sine speciali articulo prætermisserint in Symbolo, in quo, tanquam in regulâ, seu formulâ credendorum, præcipua Fidei capita ad Fidelium institutionem distinctè conscribuntur?

10 Responderi solet, in Symbolo exprimi Mysteria, quorum notitia requiritur propter fidem ex obligatione credendi: at Eucharistiæ notitia requiritur potiùs propter ipsius receptionem, & usum: qui, cùm sit frequens, satis præfert ipsius notitiam prætermissam in Symbolo. Contra tamen: quia notitia Trinitatis ordinatur etiam ad eius cultum, & non sistit in sola Fide: & similiter notitia remissionis peccatorum ad usum satis frequentem Sacramenti Pœnitentiæ: & tamen exprimuntur in Symbolo: non ergo satisfacit prædicta ratio. Addo, immeritò dici, explicitam Eucharistiæ fidem non præcipi ratione sui; sed ratione præcepti illam sumendi: quo fundamento id dici potest, quo dici non possit idem de Sacramento remissionis peccatorum?

11 Respondet Lugus: quia obligatio assequendæ remissionis peccatorum non est æquè generalis, & est unum é fundamentis Christianæ religionis. Contra tamen: quia non minùs Eucharistia est unum é fundamentis, & Sacramentorum maximum: etiamque obligatio procurandæ remissionis extenditur ad omnes peccatores: quæ generalitas sufficientissima est, ut ex notitia talis præcepti habeatur notitia Sacramenti remissivi; & tamen exprimitur in symbolo illo articulus: *Remissionem peccatorum*. Addo, aliqualem illam maiorem generalitatem præcepti

Euchariſtici potiùs, perſuadere debuiſſe in Symbolo exprimi fidem Euchariſtiæ, ut exprimitur fides Trinitatis omnes obligans ad cultum. Nulla igitur mihi affulget ratio vel mediocris, cur congruum videri poſſit, prætermitti in Symbolo ſpecialem articulum Euchariſtiæ.

SECTIO II.

In quibus Symboli Apoſtolici Verbis contineatur ſpecialis articulus Fidei Euchariſticæ.

12 Dixerunt aliqui apud Lumbier citatũ, contineri Fidiẽ Euchariſticã in illis verbis: *Sanctam Eccleſiam*: quatenus ibi continentur Eccleſiæ Sacramenta. Sed extra rem: quia ille non eſt ſpecialis, & expreſſus articulus de Euchariſtia. Unde, præter *Sanctam Eccleſiam*, credimus in ſpeciali articulo *Remiſſionem peccatorum*. Hoc autem deſideramus de Euchariſtia.

13 Veriſimilis itaque mihi valde ſit opinio Patris Bernal citati, quam nec impugnat Lumbier: ſcilicet, ſpecialem Euchariſtiæ articulum in Symbolo eſſe verba illa: *Sanctorum Communionem. Sanctorum*, inquam, non à maſculino, *Sancti*; ſed à neutro pluraliter; *Sancta*: quaſi dicat: *Myſteriorum Sanctorum communionem*. Pro quo ſenſu allegat S. Bonaventurã *in Centiloq. par. 3. ſec. 30.* Guillielmum Durandum in Rationali *lib. 4. cap. 25. nu. 26.* qui tamen ſub dubio loquuntur: & meliori iure Pontificem Innocentium 3. *lib. 2. de Myſterys Miſſæ cap. 51.* expreſſè docentem, in Symbolo fieri mentionem *Cœnæ Domini, quæ eſt ſolemnitas Euchariſtiæ, ad quam reſpicit illud, quod in Symbolo continetur: Sanctorum Communionem*. Quid clariùs? Addo quód noviter Bernardus Biſſus *in Hierurgia, Verbo. Credo, §. 6.* ait ex Durando, & Innoc. citatis, quód *ſolemnitas Euchariſtiæ reſpiciat illa verba Symboli, Sanctorum communionem*. Unde miratur meritó Bernal huius ſententiæ ſilentium in tot Auctoribus. Illamque probat eruditè ac ſolidè ex genuinâ ſignificatione Eccleſiaſticâ prædictarum duarum vocum, *Sanctorum Communionem*, ſeorſim, & coniunctim.

Bern. Lumb. *Bonav. Durand Innoc.* *Biſſus* *Bern.*

14 Primò quidem ſeorſim ex voce: *Communionem*. Quia certè nomen, *Communio*, ab Eccleſiæ exordio tribui conſuevit Euchariſtiæ, 1. Corinth. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonnè Communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Panis, quem frangimus, nonnè participatio corporis Chriſti eſt?* Ubi ex Græco, *Chinonia*, pro communicatione, & participatione legitur utrobique, *communio* iuxta Theodoretum, Theophylactum, & S. Tho. apud Cornelium ibi: ut ſcilicet excellentiſſimum aliquid ſignificetur, nimirum virtus Euchariſtiæ eximia ad nos cum Chriſto coniungendos, & coadunandos. Hinc iam antiquitùs Euchariſtia antonomaſticé vocitabatur, *Communio*: quæ loquutio non ſolum retinetur vulgariter; verumetiam in uſu Eccleſiæ idemtidem orantis: *Hæc nos Communio Domine purget à crimine*. Detque rationem perantiquam, quam alij SS. Patres ſequuti ſunt, diſertiſſimè S. Dionyſius *cap. 3.* de Hierarc. Eccleſ. ſæpius repetens: *Communionem unificam: Communionem ſacrorum: Communionem ſacram: Communionem divinorum: Communionem divinam: Communionem thearchicam*, hoc eſt, *Divini principalem*, quaſi divinarum communionum præcipuam: ideoque dignitſimam, quæ ore omniũ pleno, antonomaſticé vocetur, *Communio*; & abſolutiſsimè, *Archicommunio*: ut nemini de hoc liceat dubitare.

Theod. *Theoph.* *S. Tho.* *Cornel.* *Miſſ.* *Dionys.*

15 Secundó ſeorſim etiam ex voce neutrali, *Sanctorum*. Quia per plurale, *Sancta*, neutraliter, ſignificari Euchariſtiam, uſitatiſsimum Latinis eſt, ut iam indicarunt Bonav. & Durand. citati *num. 12.* rationemque dedimus *num. 2.* Quò facit illud Pſal. 133 *extollite manus veſtras in Sancta*: quod litteraliter ad Sancta Sanctorum Templi, ut ex Lyrano, & Menochio habet Collector Bibl. Maximæ; myſticé verò ad Euchariſtiã refertur apud Lorinum, & alios. Hinc noſtratum mos appellandi Euchariſti-m *Sanctiſſimum*: ut olim Tertullianus *cap. 25. de ſpect.* appellabat, *Sanctum*: alludens fortè ad Miſſam Ethiopum, in qua ante communionem clamabat Diaconus: *Sanctum date Sanctis*: & ad Liturgias SS. Marci, & Baſilij, in quibus Sacerdos Euchariſtiam diſtributurus clamabat *Sancta Sanctis*. Extat, & nunc idem apud nos Eccleſiæ ſtylus: in Miſſa S. Iacobi: *percepimus tua Sancta latantes*: in Miſſa S. Apollinaris: *Sancta tua ſumentes*: in Dom. 3. poſt Pent. *Sancta tua nos, Domine, ſumpta lætificent*. Sic etiam alibi creberrimè, ut in Miſſis Domini. 17. poſt Pent. 4. Quadrag. in Sabbatho ante Dom. Paſſionis: Fer 2. mai. hebdom. Sabb in infra Oct. Pent. Die S. Mathiæ S. Marci, SS. Prothi, & Hiacynthi: & novius in Offic. S. Cathar. Bononienſis pro Minoribus: *trahimur ad tua Sancta latantes*. Quibus in locis idemtidem per nomen, *Sancta* neutraliter pluraliter ſignificatur Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Quid in hoc dubij?

Tertull. *Liturg.* *Pſal. 133.* *Lyr.* *Menoch.* *Bibl. M.*

Nunc

16 Nūc igitur, si vox *Cōmunio*, & vox, *Sanctorū*, etiam seorsim, propriè, & characteristicè significant Eucharistiā, cur, aut quomodo nō illam significabunt duæ illæ voces coniunctim in Symbolo: *Sanctorum Communionem?* Ad modum scilicet, quo vox, *Lutetia*, & vox, *Parisij*, seorsim significant Urbem Parisiensem; & multò melius coniunctim: *Lutetia Parisiorum*. Idcircò familiare fuit apud S. Ephrem, & alios Patres, Eucharistiam vocare *Communionem Sanctorum*, &, *immaculatorum*, *ac Sanctorum Mysteriorum*. Sit ergo valde verisimile illam expressisse Iacobū Alphæi in illo suo speciali articulo Symboli: *Sanctorū Communionem*. Nec mirum mihi est, mirum videri potuisse Patri Bernal huius planissimi sensûs silentium apud Auctores alioquin diligentissimos.

Ephr.

17 Occurrit statim obiectio magni ponderis, communis scilicet expositio proponi solita Fidelibus à Cathechistis, & Doctoribus, intelligentibus per *Sanctorum Communionem*, communicationem orationum, operum, & aliorum bonorum spiritualium, quibus se fideles invicem coadiuvant. Sic etiam Augustinus *Serm. 115. & 181. de Tempore*. Fateor, communem hanc intelligentiam invaluisse. Vix tamen in antiquioribus habet fundamentum: nec quidem in Augustino: nam prædicti Sermones, aut neutri parti satis favent, aut Augustini certò non sunt, ut comprobat Bernal, & notatur in ipsis Operibus Augustini. Accedit quòd Clemens 6. declaraturus thesaurum operū distribui inter Fideles per Indulgentias, utitur ad id multis probationibus, & nullam adstruit ex Verbis Symboli: *Sanctorum communionē*: quæ quidem é re maxime erant, & nullatenus omittenda, si articulus ille de operum communicatione loqueretur. Preterea, si de ea loqueretur diminuté diceret, *Sanctorum*, masculinè, cùm etiam inter non sanctos extendatur eiusmodi communicatio. Demùm, quia, quamvis ea operum communicatio sit de Fide; non est ita certò ex obligatione explicitè credenda, sicut Eucharistia: & teste Suarez *disp. 13 de Fide sec. 4.* iam continetur sufficientissimè in articulo *Sanctam Ecclesiam Catholicam*: quippe Fideles eo ipso dicuntur fieri quasi concives unius Reipublicæ spiritualis, ac proinde in spiritualibus communicare. Mirandum verò esset, bis inculcari in Symbolo explicitè communicationem istam, ad quam explicitè credendam non ita certò graviter omnes obligamur; & nec semel explicitè communionem Eucharisticam, cuius explicita Fides sub gravi à cunctis certò exigitur. Credibilius ergo est, & ordinatius Eucharistiā explicitè significari per, *Sanctorum Communionem*.

Augustin. *Clem. 6.* *Suar.*

18 Occurrit aliud offendiculum: quòd nempè in Symbolo Nizeno articulus ille quoad, *Sanctorum Communionem*, omissus est. Fateor: sicut etiam omissum est, *Descendit ad inferos: & Remissionem peccatorum*, quin proinde argui liceat, per hæc non intelligi in Symbolo Apostolorum descensum Animæ Christi ad Limbum, & Sacramentum Pœnitentiæ. Sic ergo ex eo quòd omisserit, *Sanctorum Communionem*, non arguitur, istum non esse articulum Eucharistiæ. Rationem harum omissionum, sicut, & aliquarum additionum dedit S. Tho. 2.2. *q. 9. art. 9. ad 4.* quia nempè Nizeni Patres ad ea maximè attenderunt, in quibus hæretici tunc temporis offendebant: nulla autem cum Arianis, Macedonianis, aut alijs hæreticis erat tunc controversia de Eucharistia, sicut nec de descensu ad inferos: ideoque satis illis Patribus fuit extare in Apostolico Symbolo: quod quoad alia extenderunt, ac declararunt: ne suum prolixius evaderet.

Symb. Niz. *S. Tho.*

SECTIO III.

Quo anno, mense, & die instituerit Christus Eucharistiam.

19 Circa annum, sententia communis, quàm ut probabiliorem sequitur meritò Suarez *disp. 40.* de Vita Christi ait, Christum expleviſſe annum vitæ suæ trigesimum tertium, & ex trigesimo quarto tres menses. Cùm autem de Fide sit ex Trid. *sess. 13. c. 1.* Christū instituisse Eucharistiā sub finem suæ vitæ mortalis, scilicet in ultima Cœnā; sequitur illam instituisse anno vitæ suæ trigesimo quarto incepto.

Suar. *Trid.*

20 Quoad mensem, fuit nobis Martius, Hæbreis Nissan. Quod, præter nomina, nihil aliud habet discriminis, nisi quòd apud Hæbreos computantes menses per Lunas à novilunio in novilunium, & statuentes, primum mensem, quem vocabant *Nissan*, esse illum, cuius decimaquarta dies incidebat post æquinoctium vernum; interdum suus primus mensis Nissan, nobis Martius, comprehendebat aliquot dies nostri Aprilis. Fuit itaque institutio in mense nostro Martio, anni trigesimi quarti à Nativitate Christi. Nec obest, quòd multò ante habuerit Christus concionem illam *Ioan. 6.* in qua dixit: *Caro mea verè est cibus*. Non enim id tunc dixit, quia tunc esset iam Eucharistia instituta; sed illam quasi promittens, loquebatur respectivè ad tempus institutionis *in suprema nocte Cœnæ*.

Ioan. 6.

Qua-

21 Quoad diem eſt grave diſsidium inter Latinos, & Græcos. De quo late Interpretes Evãgeliorum: & pro Scholaſticis *Suar. diſp. 45. de vita Chriſti.* Ex quibus multa curiosè collegit Theophylus Raynaudus *lib. de Iudæis, cap. 5.* & nos pauca decerpemus.

Suar.

Rayn.

22 Latini tenemus communiter, Paſchalem Chriſti Cœnam, ac proinde Euchariſtiæ inſtitutionem, fuiſſe die Iovis decimaquartâ Lunæ menſis Niſſan, correſpondente eo anno diei vigeſimæ quartæ noſtri Martij, pridie quàm Chriſtus moreretur. Nitimur teſtimonio *Matt. 26.* dicentis, Cœnam Domini fuiſſe *die primâ Azymorum*; ſed hæc erat dies decima quarta Lunæ Martij: ergo in hac die decimaquarta Lunæ, ac proinde vigeſimaquarta noſtri Martij fuit Cœna, & Euchariſtiæ inſtitutio. Probatur minor *ex Levit. 23. & Numeror. 28.* ibi: *Quartadecimâ die menſis ad veſperam Phaſe Domini eſt: & quintadecimâ die menſis huius ſolemnitas Azymorum*: & Exod. 12. *Primo menſe decimaquartâ die menſis ad Veſperam comedetis Azyma, uſque ad diem vigeſimam primam eiuſdem menſis ad veſperam.* Accedit, quòd *ex Luc. 22.* die Inſtitutionis Euchariſticę neceſſe erat occidi Paſcha: ſed Paſcha immolabatur die decimaquarta Lunę menſis primi Niſſan *ex 12. Exodi & Levit. 23.* nec immutatus erat hic ritus tempore Chriſti, ut conſtat ex Marco cit. & refert Ioſephus *de Antiquit. Lib. 2. cap. 3. & lib. 3. cap. 1.* Fuit igitur Euchariſtiæ inſtitutio die decimaquarta Lunæ incidente eo anno in diem Iovis vigeſimamquartam Martij.

Matt 26

Levit. 23
Num 28
Exod. 12.

Luc. 22.
Marc. 14.

Exod. 12.
Levit. 23.
Ioſeph.

23 Græci verò communiter tenent fuiſſe die decimatertiâ Lunæ menſis Niſſan, quæ erat dies Mercurij vigeſimatertia noſtri Martij. Nituntur teſtimonio *Ioan. 13.* ubi Chriſtus dicitur cœnaſſe *ante diem feſtum Paſchæ*; ſed hic dies incipiebat die decimaquarta Lunæ Niſſan ad veſperam: ergo cœnavit, ac proinde Euchariſtiam inſtituit die Mercurij decimatertia Lunæ, ac proinde vigeſimatertiâ noſtri Martij. Confirmant primò: quia Chriſti mors non fuit in die ipſo Paſchæ; ſcilicet die veneris vigeſimaquintâ Martij; imò pridie, ſcilicet, die Iovis vigeſimaquartâ: fuit enim in Paraſceve Paſchæ, quod eſt præparatio ad Paſcha: ergo Cœna, & inſtitutio Euchariſtica, quæ diem mortis præceſsit, debuit eſſe die Mercurij vigeſimatertiâ Martij, quæ erat decimatertia Lunæ. Secundò: nam die mortis Chriſti Ioſephus Arimathæus emit ſindonem, & mulieres paraverunt aromata pro ſepultura: quod non liceret, ſi fuiſſet dies ipſe Paſchæ. Tertiò: quia Iudæi die mortis Chriſti recuſarunt introire Prætorium Pilati, *ut non contaminarentur* ad manducandum Paſcha *ex Ioann. 18.* ergo non manducaverant Paſcha, imò manducaturi erant illâ ipsâ die decimaquartâ Lunæ, vigeſimaquartâ Martij, nempè die Iovis; ſicq; fuit inſtitutio Euchariſtię die Mercurij decimatertiâ Lunę & vigeſimatertiâ noſtri Martij: fuit enim *pridie quàm pateretur* mortem Chriſtus.

Luc. 23.

Ioan. 13.

Ioan. 18.

Canon Miſſæ

24 Reſpondendum eſt pro Latinis ad hæc fundamenta Græcorum, Ioannem computaſſe non uſu ſacro à veſpera ad veſperam; ſed uſu civili ab ortu Solis; ſive uſu naturali à media nocte in mediam noctem. Sic autem, cùm dies feſtus Paſchæ fuerit dies veneris decimuſquintus Lunæ, rectè dicitur Chriſtus comediſſe Paſcha *ante diem feſtum Paſcha*: ſcilicet die Iovis decimaquartâ Lunæ, & vigeſimaquartâ Martij: cuius diei veſpera more, ac uſu ſacro jam dicebatur Paſcha, ideoque primus dies Azymorum. Itaque, conceſsâ maiori juxta computationem civilem, aut naturalem, qua uſus eſt Ioannes; & conceſsa minori juxta computationem factam etiam uſitatiſsimam; nego conſequentiam: nam, poſita eâ diſtinctione cõputorum, inſtituens Chriſtus Euchariſtiam, & cœnans die Iovis decimaquartâ Lunæ ad veſperam, componitur rectè, quòd cœnaverit in Paſchate computato à veſpera diei antecedentis, & quòd cœnaverit ante feſtum Paſchæ computatum civiliter pro ipſo die Paſchæ ab ortu ſolis, vel naturaliter à media nocte.

25 Ad confirmationem primam negatur antecedens. Ad ejus probationem dicò, *Paraſceve Paſcha* non dici diem ante Paſcha; ſed diem ante Sabbatum, incidentem intra feſta Paſchalia. Eo autem anno erat dies ipſe Paſchæ, nempe dies Veneris, decimaquinta Lunæ & vigeſimaquinta Martij, in qua paſſus, & mortuus eſt Chriſtus. Unde nego conſequentiam: imò cum hoc optimè ſtat quòd Cœna præceſſerit die Iovis vigeſimaquartâ. Ad ſecundam, concedo illud factum à Ioſepho, & Mulieribus: nego tamen, id non licuiſſe in die Paſchæ: non enim omnia, quæ prohibita erant Iudæis à Lege pro Sabbatis, erant prohibita pro die Paſchæ, & pro aliis Feſtis. Ad tertiam dico, Iudæos eo die, nempè Veneris, recuſaſſe introire Prætorium, ne contaminarentur, non quidem ad manducandum Paſcha præcipuè ſumptum pro Paſchali Agno, quem certè jam manducaverant veſpere præcedenti; ſed ne contaminarentur ad manducandas alias victimas ſolitas immolari diebus illis Paſchalibus,

bus, quæ propterea extento vocabulo vocabantur Paschæ; & Paschalia, ut constat *ex Deuteron. 16.* Sic ergo, concesso antecedente, falsa est tota consequentia. *Deuter. 16.*

26 Media quædam sententia refertur, & refellitur hic à Patre Suarez magistri sui Luisij Legionensis Augustiniam: qui, conveniens cum Latinis in eo quòd Cœna Domini, & Institutio Eucharistiæ fuerint die decimaquarta Lunæ; voluit tamen computare usu sacro diem decimamquartam à vespera diei decimætertiæ: sicque convenit potiùs, & in re cum Græcis dicens, fuisse die decimatertiâ Lunæ, quæ fuit dies Mercurij vigesimatertia Martij juxta computationem civilem, & naturalem. Cuius fundamenta expendit honorificè Suarez *disp. 41. de Euchar. & 45. de Vita Christi*: & ex illo Dicastillus *disp. 1.* & Raynaudus ubi supra. *Suar. Legion. Suar. Dicast. Rayn.*

27 Rejicitur tamen communiter ex dictis contra Græcos *num. 22.* Azyma namque erât per septem dumtaxat dies ex Exod. 12. *septem diebus Azyma comedetis*: sed prima dies Azymorum erat decimaquinta Lunæ computata usu sacro à vespera diei decimæquartæ *ex Levit. 23. Mense primo decimaquartâ die ad vesperam Phase Domini est; & decimaquintâ die solemnitas Azymorum*: Ergo, ut in sensu aliquo vero dici possit, Cœnam Domini, ac proinde Eucharistiæ Institutionem, fuisse juxta Matt. 26. *primâ die Azymorum*, institui neutiquam potuit antè vesperam naturalem diei Iovis decimæquartæ pertinentem jam usu sacro ad solemnitatem Paschalem diei veneris decimæquintæ: ac proinde nullatenus die Mercurij decimatertiâ Lunæ, & vigesimatertiâ hostri Martij, ut voluit Legionensis in re Latinis contrarius, & à Græcis sola voce discrepans. Nec usus ille facer computandi dies à vespera in vesperam ita prævalet in alijs diebus, sicut in Festis solemnioribus. *Exod. 12. Levit. 23 Matt. 26*

SECTIO IV.

Infra quam Cœnæ Domini actionem instituta fuerit Eucharistia: præsertim, an post Benedictionem Panis?

28 COncilium Trident. *sess. 13 c. 1.* docet nos, quòd *quotquot in nova Christi Ecclesia fuerunt, qui de Sanctissimo hoc Sacramento deliberarunt, apertissimè professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in suâ Cœnâ Redemptorem nostrum instituisse, cum post Panis, Vinique benedictionem se suum ipsius Corpus illis præbere, ac suum sanguinem dissertit, ac perspicuis verbis testatus est.* *Trid.*

29 Quoniam verò in illa eâdem nocte duplex fuit Christi Cœna; una legalis, Agni Paschalis; alia usualis, & quotidiana, ut in alijs diebus; est difficultas in qua istarum Cœnarum instituerit Christus Eucharistiam? Quidam dixerunt, in legali. Obstant tamen Hymnus Ecclesiæ *post Agnum typicum expletis epulis, Corpus Dominicum datum Discipulis*: & Tridentinum *sess. 22. c. 1.* quòd ea nocte Christus, *celebrato veteri Pascha, novum instituit*: & Clementina prima de Reliquijs, dicens, hoc Sacramentum institutum, sumptâ Cœnâ: ergo post Cœnam saltem legalem, quæ præcedebat usualem. Alij dixerunt, post utramque. Obstant tamen verba Matt. 26. *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque Discipulis suis: & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum: & accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: bibite ex hoc omnes: hic est enim, &c.* idemque habetur Marc. 14. ergo non post utramque Cœnam; sed inter cœnandum fuit institutio. *Hymn. Trid. Clem. Matt. 26. Marc. 14.*

30 Dicendum est ergo cum sententia communiori, fuisse post Cœnam legalem inter usualem. Ratio: Quia institutio, ut ex Matt. & Marc. vidimus, fuit inter cœnandum: & ut vidimus ex Tridentino, Clementinâ, & Hymno, fuit post Cœnam legalem: restat ergo, quòd fuerit inter usualem. His adhuc non obstantibus, conatur Cardin. Baronius, institutionem, seu consecrationem, saltem Calicis, fuisse post utramque Cœnam ex illo Canonis: *Similiter, & Calicem postquam cœnavit, dicens, &c.* Verùm in verbis ex Matthæo recitatis *num. præced.* satis clarè indicatur, consecrationem, tam panis, quàm calicis, fuisse inter cœnandum; & specialiùs ex verbis Luc. 22. ubi narratâ jam consecratione Calicis, dicitur dixisse Christus: *Ecce manus tradentis me mecum est in mensâ*: durabat ergo Cœna usualis, consecrato calice. Nec ex verbis Canonis sumptis ex eodem Luca oppositum evincitur: nam illa *similiter*, ac de pane, verificantur de calice consecrato, scilicet *postquam cœnavit*, cœnâ nimirum legali peractâ, consecratum, & institutum fuisse inter Cœnam usualem. *Baron. Can. Luc. 22. Ioan. 13.*

31 Subditur alia difficultas: an Institutio fuerit ante, vel post Pedilavium. Fuisse ante, legitur in libro tribui solito Sancto Cypriano. Tenendum tamen est, fuisse post. Quia Pedilavium fuit post Cœnam legalem ex Ioan. 13. *Cœnâ factâ, &c. surgit à Cœnâ, & ponit vestimenta sua, &c. & cœpit lavare* *Cyprian.*

vare pedes: & fuit ante uſualem ex eodem Ioan. ibidem narrante, finito Pedilavio, quòd Chriſtus recubuit, & dixit: *Qui manducat mecum panem levabit contra me calcaneum ſuum*: & paulò poſt: *cum intinxiſſet panem, dedit Iudæ*. Ergo Cœna uſualis, & Inſtitutio Euchariſtiæ fuit poſt Pedilavium. Sic Auguſt. Ambroſius, & alij communiter apud Cornelium. Qui, ut hanc geſtorum ſeriem conciliet cum Matt. & Marco priùs narrantibus prædictionem Chriſti de Iuda, & poſtea Inſtitutionem Euchariſtiæ, ait cum Toleto, eam prædictionem fuiſſe duplicem: unam ante; aliam poſt Inſtitutionem. Quamvis Baronius, & alij aliter id ſalvent, dicentes, Evangeliſtas non ſemper ſervare ordinem rerum in ordine narrationis.

Ibid. *Aug.* *Ambr.* *Cornel.* *Tolet.* *Baron.*

32 Atque hinc reſolvenda venit alia difficultas: an Inſtitutio Euchariſtiæ fuerit, præſente Iuda; an poſt eius diſceſſum é Cœnaculo? Diviſi ſunt Patres, & Interpretes. Multi communiùs, quos citant, & ſequuntur Suarez *ſect.* 3. Vaſq. *diſp.* 227. & Raynaud. *à num* 29. ajunt, fuiſſe, præſente, & communicante Iudâ. Idque videtur conformius Evangelicæ narrationi, ut expendit rectè Cornelius *ad c.* 26. *Matt. verſ.* 20. Poſtquam enim dicitur Iesvs diſcubuiſſe *cum duodecim*, ac proinde cum Iuda, ibi colloquente, immediatè ſubjungitur Matt. 26. *Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem, & benedixit &c.* & *Luc.* 22. poſt conſecrationem, & ſumptionem dixiſſe dicitur adhuc Chriſtus: *Ecce manus tradentis me mecum eſt in menſa*. Ergo interfuit Iudas inſtitutioni. Sicque ſatis indicat cautus Eccleſiæ: *Turba fratrum duodena datum non ambigitur: Cibum turba duodena ſe dat ſuis manibus*. Nihilominus S. Clemens Rom. Hilar. Innocent. Rupert. Mendoza, Barrad. Turrianus, & alij ſentiunt oppoſitum: alij quòd Iudas non communicaverit; alij quòd nec Inſtitutioni interfuerit.

Suar. *Vaſq.* *Rayn.* *Cornel.* *Mat. 26.* *Luc. 22.* *Offic. Eccleſ.* *Clem.* *Hilar.* *Innoc.* *Rup.* *Mend.* *Barrad.* *Turrian.*

33 Gravior aliquibus videtur difficultas, quæ tamen, me judice, ſublata jam eſt per Tridentinum: an Euchariſtiæ Inſtitutio fuerit poſt benedictionem panis, & vini reſpectivè. Affirmandum eſt omninò ex verbis Tridentini relatis *num.* 22. docentes, Chriſtum inſtituiſſe hoc Sacramentum, *cum poſt panis, vinique benedictionem ſe ſuum ipſius Corpus illis præbere, ac ſuum Sanguinem, diſertis, ac perſpicuis verbis teſtatus eſt*; addiqueque, ſic veram Chriſti Eccleſiam ſemper profeſſam eſſe: Nimirum edoctam à verbis Matt. 26. *Accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit dedítque Diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite: hoc eſt corpus meum*: & ſimiliter habétur *Mar.* 14. Quem verborum ordinem tenuiſſe Chriſtum in facto, explicat optimè Dicaſtillus *diſp.* 3. *num.* 11. nec eſt fundamentum, vel mediocre ad illum invertendum.

Trid. *Mat. 26.* *Mar.*

34 Nihilo tamen minùs Eminentiſſimus Cardinalis Capiſuccus *controv.* 2. retinere nititur antiquam ſententiam S. Thom. *quæſt.* 78 *art.* 1. *ad* 1. dicentis: *Intelligendum eſt, ordinem rei geſtæ ſic exprimi poſſe: accipiens panem benedixit dicens hoc eſt corpus meum*: ita videlicet, ut benedictio illa fuerit ipſa conſecratio, per verba: *Hoc eſt corpus meum*. Sic ſe explicat citatus Author, juxta S. Thomam, ſic etiam ſe ſatis explicantem ibi, & alibi: taliter aſſeverans, quòd Chriſtus ijſdem verbis benedixit, & conſecravit, ut alia non fuerit benedictio à conſecratione.

Capiſuc. *S. Thom.*

35 Probat id §. 1. multiplici eruditione Doctorum, & Patrum, conſecrationem interdum appellantium benedictionem: id quod in aliquali ſenſu non illi negabitur: eſt enim excellentiſſima, & eminentiſſima benedictio, id eſt, ut exponit ipſe, ſanctificatio, & conſecratio panis, & vini: quod eſt tam certum, ac quòd conſecratio Euchariſtica ſit conſecratio. At non eſt minùs certum, multas eſſe benedictiones proprijſsimas, & uſitatiſsimas, quæ non ſunt conſecratio Euchariſtica: non enim nobis negabit Cardinalis Capiſuccus, tam in Scripturis, quàm in ipſo ſacrificio Miſſæ, multa ſæpius benedici, quæ tali benedictione non Euchariſticè conſecrantur: quandoquidem, & ipſe, & nos, dum ſacra peragimus juxta rubricas Miſſalis, priùs accipimus panem, deinde benedicimus, deinde conſecramus: quin certè benedictio illa panis præcedens verba conſecratoria ſit conſecratio Euchariſtica. Totum hoc eſt extra dubium.

36 Dubium erat: an ſic ſe geſſerit Chriſtus, priùs ſcilicet benedicens panem benedictione aliqua, quæ nondum fuit conſecratio; & deinde conſecrans. Negat S. Tho. expreſsè, referens illam ipſam Chriſti benedictionem ad ipſiſsimam conſecrationem per verba: *Hoc eſt corpus meum*: & juxta Capiſuccum: taliter, ut ibi *alia non fuerit benedictio á conſecratione*: pro quo ſuo dicto fruſtra congerit loquutiones Patrum, in aliquo bono ſenſu vocantium benedictionem ipſam conſecrationem, quod nemo unus negat, ut vidimus *num. præcedenti*. Affirmat verò Trident. cit. dicens: *Veram Chriſti Eccleſiam ſemper profeſſam eſſe, Chriſtum Euchariſtiam inſtituiſſe, cum poſt panis vinique benedictionem ſe ſuum ipſius*

S. Thom. *Capiſuc.* *Trid.*

Digitized by Google

ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem diserris, ac perspicuis verbis testatus est: quæ diserta verba apud ipsum Trid sunt verba consecratoria, ut nemini potest esse dubium. Pensetur ergo nunc, cui credendum. Ego quidem à sincerâ Concilij intelligentia nullius auctoritate dimoveor.

37 Et formo sic brevē rationem. Vel Concilium nomine benedictionis intelligit ibi consecrationem ipsam Eucharisticam: vel non. Si primum sibi in suismet verbis contradiceret: nam si benedictio ibi apud ipsum est consecratio, dicere consecrationem fuisse *post panis, vinique benedictionem*, esset in re dicere, panis vinique consecrationem fuisse post panis vinique consecrationem: quod non solum ridiculum esset, verum etiā in terminis implicans, & homine sanæ mentis, nedum Patribus Tridentinis, indignissimum. Si verò dicatur secundum, ut necesse est dici, habemus intentum, scilicet Concilium nomine benedictionis panis, & vini intellexisse benedictionē aliquam præviam distinctam ab eorumdem consecratione: sive verbalem, sive nutualem expressivam intētionis invocandi benedictionem, & omnipotentiam Dei super panem, & vinum: quam scilicet benidictionem præsignificant Evangelistæ in suis narrationibus, & nos imitamur in Canone per verbum illud, *benedixit*, ante consecrationem. Quid hoc sensu dilucidiùs, & genuiniùs ad mentem Evangelistarum, & Concilij? à qua nulla verborum tergiversatione recedere licet.

Ioan. à S. Tho. *Capisuc.*

38 Tergiversantur tamen adhuc M. Ioan. à S. Tho. *to. 1. in 1. par. tract. præliminari de approb. doctrinæ S. Tho. disp. 2 propos. 8. & disp. 29 de Euchar. art. 1.* & Eminentissimus Capisucchus *contro. 2. §. 2.* contendentes, quòd in illis verbis Concilij *non est sensus, post benedictionem peractam Christum consecrasse panem, ac vinum; sed sensus est, quòd Christus testatus fuerit se præbere Apostolis corpus, & sanguinem post benedictionem, id est, id quod est corpus suum per benedictionem, seu consecrationem.* Hoc est ex textu planissimo texere labyrinthum in extricabilem, & invertere inconcinnissime verba Concilij, ut sarta tecta maneant verba Thomistarum, quasi versaremur in eludendis aut obscurandis quoquomodo verbis Aristotelis. Quod non credam esse posse obsequium Angelici Præceptoris, amatoris æquissimi veritatis, & observantissimi Sacrorum Conciliorum: quibus caput omne submittendum est.

39 Coarguo sic. Ex mente, & contextu Concilij in eo capite, verba diserta & perspicua, quibus Christus testatus est, *se suum ipsius corpus, illis præbere, ac suum sanguinem*; sunt verba: *accipite, & manducate: hoc est corpus meum: accipite, & bibite: hic est calix, &c.* Sunt enim verba, ex quibus ibidem Concilium probat contra hæreticos nostri temporis veram ac realem Christi præsentiam in Eucharistia, ut ibidem legere est. Quid horum, rogo, fuit post benedictionem? Si verba: ergo, & consecratio & attestatio illa Christi, & præbitio sui corporis, & sanguinis fuit post benedictionem: per illa enim eadem verba, *Hoc est corpus meum*, consecravit, & illud suum esse corpus testatus est; nec ante hæc verba præbuit Christus Apostolis Eucharistiam, ut per se liquet. Si consecratio: ergo & verba consecratoria fuerunt post benedictionem: cùm non fuerit consecratio ante verba consecrationis, ut est evidentissimum. Si præbitio sola: ergo ex illo præcisè, quod Christus fecit *post benedictionem*, argumētum omnino invalidum facit Concilium pro reali Christi præsentia contra hæreticos: nam præbitio eam non arguit, nisi ex verbis constet illud, quod præbebatur, esse corpus Christi: atqui Concilium arguit realem Christi præsentiam ex illis, quæ fecit, & dixit Christus *post benedictionem*: ergo & præbitio, & consecratio, & verba, ex mente, & ex textu Concilij fuerunt *post benedictionem*. Si verò nihil horum fuit post benedictionem; quid, precor, correspondet de posteriori illi particulæ, *post*. Dicere autem *post*, id est, *per*; est admirabilis, & inaudita grammatica.

Bapt.

40 Nec minùs aberrant aliorum responsiones. Dicunt aliqui cum Ildeph. Baptista, Christum consecrasse per præviam benedictionem panis, ut vult S. Tho. & post hanc benedictionem quæ, ut vult Concilium, fuit illa ipsa Christi consecratio, instituisse Eucharistiam, ordinando nempé, quòd similiter fieret deinceps in Ecclesia. Alij aliter, cum Gravina *in Opusc. Cherubini Paradisi S. Tho.* Christum scilicet benedixisse panem, & vinum ante consecrationem; non verbaliter, sed actione aliā reali, quam non negat S. Thom. post hanc autem benedictionem fuisse consecrationem per verba, quæ consecratio fuit etiam benedictio juxta S. Tho. sic conciliandum cum Concilio.

Gravin.

41 Priores illi interpretantur S. Tho. per doctrinam, quam ibidem expressé reijcit S. Tho, fundatam in verbis Innoc. Papæ. 2. *lib. 4. de Sacro Altaris Misterio cap. 6.* dicentis, *quòd Christus divina virtute confecit, & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent.* Sed *contra hoc*, ait S.

Innoc.

Tho. *expreſſe ſunt verba Evangelij, in quibus dicitur, quòd Chriſtus benedixit: quæ quidem benedictio aliquibus verbis facta eſt*: ipſis ſcilicet, apud ipſum, verbis conſecrationis, ut ſe ſtatim explicat: quod contendimus, cum Concilio conciliari vix poſſe. Ad auctoritatem verò Innocentij reſpondet, fuiſſe loquutum opinativé.

42 Poſteriores iſti ſenſum Concilij ſatis nobiſcum ſalvant; at Angelico Præceptori é diametro contradicunt. De eâdem enim benedictione, *quæ quidem* ait S. Tho. *aliquibus verbis facta eſt*, aiunt fuiſſe factam ſine verbis. Aut, ſi non loquuntur de eâdem, diſtinguendæ ſunt ibi duæ benedictiones: una, quam ipſi dicunt fuiſſe ſine verbis ante conſecrationem: quæ conſecratio idcircò dicitur à Concilio, & à nobis, fuiſſe *poſt benedictionem*: alia, quæ iuxta S. Tho. fuit ipſa verbalis Euchariſtica conſecratio: quæ non potuit eſſe *poſt benedictionem* hic intellectam à Concilio, & ſignificatam ab Evangeliſtis per verbum, *benedixit*, in doctrinâ, cuiuſcumque ſit, non agnoſcente ibi; niſi benedictionem verbalem per verba conſecrationis.

43 Utroſque coarctat hoc dilemma. Vel conſecratio Euchariſtica facta à Chriſto Inſtituere, fuit reſpectivé *poſt panis, vinique benedictionem* intellectam ibi à Concilio, & ſignificatam per verbum, *benedixit*, ab Evangeliſtis, quibus adhæret Concilium; vel non. Si dicatur hoc poſterius, quomodó ſtant verba Concilij illam poſtponentis? niſi, aut recurrendo fortè ad duas Chriſti conſecrationes, aut ad inſtitutionem diſtinctam à verbali conſecratione: quod utrumque rejicit ibi S. Tho. Si verò dicatur illud prius, hoc contenti ſimus: ſic enim, & nõ aliter ſalvatur intelligentia ſincera Concilij iuxta ordinem narrationis Evangelicæ, quod nempè Euchariſtiæ conſecratio, & inſtitutio per verba Chriſti, fuit *poſt benedictionem*, ſive verbalem, ſive non verbalem, præviam, & diſtinctam à conſecratione.

44 Porró unum eſt neceſſarium: quód ſcilicet, ſalvâ, ut expedit, Concilij veritate; concilientur in id, ſi quoquo modo poſſunt, verba S. Tho. quod ſtudium in Interpretibus laudandum eſt. Sin autem, dici poteſt, quod ibidem dixit Sanctus ipſe Thomas ad auctoritatem Innocentij Papæ *opinativè* tunc temporis fuiſſe loquutum, ante declarationem Tridentini. Sic docti alij Thomiſtæ, teſte *Cabez.* Cabezudo, circa præſentem difficultatem: & circa aliam ſuper *quæſt 78. art. 3* Eminentiſſimus eius interpres Caietanus teſte Eminentiſſimo Capiſuccho *contr. 3. §. 5.* Aut dicatur quod ad aliam auctoritatem S. Tho. reſpondet idem ipſe Capiſuccus *controv. 24.* fuiſſe id lapſum amanuenſis, aut impetiti, aut inadvertentis.

Caiet.
Capiſuc.

SECTIO V.

An, & quomodo Euchariſtia Sacramentum ſit neceſſarium ad ſalutem neceſſitate Præcepti, & Medy, in re, vel in voto.

45 SErmo eſt iuxta præſentem providentiam. Nam iuxta alias certum eſt, potuiſſe Deum homines ad ſalutem perducere abſque hoc, ſicut abſque alijs Sacramentis. Certum deinde eſt, eſſe utiliſſimum: cùm unus ex illius effectibus ex Trid. *ſeſſion. 13. cap. 2.* ſit, iuſtos à lapſu præſervare. Quinimo, & fere eſt moraliter neceſſarium ad diuturnam perſeverantiam in gratia: cúm difficillimum ſit, hominem diu negligenter abſtinentem ab Euchariſtia non labi in peccata: & ſic ſaltem intelligendi ſunt aliqui SS. Patres commendantes neceſſitatem frequentis communionis Euchariſticæ. *Trid.*

46 Similiter eſt quoque certum. Euchariſtiam in re ſuſceptam non eſſe ſimpliciter, & abſolutè neceſſariam omnibus ad ſalutem. Conſtat ex Trid. *ſeſſ. 21. can. 4.* anathematizante illum, qui cum hæreticis, quos memorat Suar. *diſp. 4. ſec. 2.* dixerit, *parvulis, antequã ad annos diſcretionis pervenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem.* Probatur etiam de adultis: nam, & ij moriuntur ſæpè contriti, aut attriti ſacramentaliter abſoluti, Euchariſtiâ ob legitimas cauſas non receptâ: qui tamen ſalutem æternam abs dubio conſequuntur. *Trid.*

47 Conveniunt tandem Theologi in eo quód adultis legitimé non impeditis Euchariſtia in re ſuſcepta eſt neceſſaria neceſſitate præcepti. Nam ſub præcepto, de quo diſeremus *diſp. 12.* tenentur ſub mortali aliquãdo communicare: ſicut audite Miſſam, & reſtituere, ſi poſſunt. Unde, non communicantes tempore præſcripto per præceptum, peccarent, & ſic decedentes perirent, ſicut non audientes Sacrum, & non reſtituentes quando poſſunt, & debent. *infra diſp. 12.*

48 Difficultas eſt: an neceſſitate etiam medij ſit omnibus adultis ad ſalutem neceſſaria ſuſceptio Euchariſtiæ in re, vel in voto: ad eum modum quo Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ dicuntur eſſe neceſſaria in re vel in voto neceſſitate non ſolum præcepti; ſed etiam medij. Negat id communis ſententia cum S. Tho. Affirmant aliqui Thomiſtæ *S. Thom.*

Cabez. Gran. Hen. Becan Fagun. Lumb.

ſtæ cum Cabezudo *ad quæſt.77.art.3.* Itemque Granad. Becanus, & Fagundez apud Henaum *diſp.3 ſec.2.* & ſingulari conatu Magiſter meus Lumbier *quæſt.15. de Fide art. 4 §.2.* affirmatiùs *quæſt* 20. ante à ſe ſcriptis *in Fragmentis moralibus.*

Suar. Vaſq. Lug. Bern. Amic Martin. Henau. Dicaſt.

49 Placet ſententia communis, id abſolutè negans: quam tenent Suar. *diſp.4.* Vaſquez *diſp. 179.* Delugo *diſp. 3.* Bernal *diſp. 44* Amic. *d ſp. 10.* Dicaſtill. *diſp.1.* Mart non *d ſp.28.* & alij apud Henaum cit. A qua, me iudice, diſcedi non poteſt, niſi diſcedendo à verâ intelligentiâ, & explicatione neceſſitatis medij & præcepti extra rem, & ſenſum Theologorum.

50 Quocirca terminos explico, & diſcrimino. Neceſſarium ad ſalutem *neceſſitate præcepti* dicitur quidquid præcipitur ſub peccato impeditivo ſalutis: nam eo ipſo quòd ſic præcipiatur, neceſſe per ſe eſt ad ſalutem, id poni, quatenus neceſſe eſt non peccare. Unde quod ſolâ neceſſitate præcepti neceſſarium eſt, eatenus dumtaxat neceſſarium eſt ad ſalutem, quatenus id poni neceſſe eſt, ne ponatur eius omiſſio peccaminoſa impeditiva ſalutis; cùm eius omiſſio non peccaminoſa ſalutem per ſe non impediret; ſiquidem eo inculpabiliter omiſſo, obtineri poſſet ſalus. Neceſſarium *neceſſitate medij* dicitur id quod requiritur ſimpliciter ad ſalutem, non præciſsè, ne peccetur in eius omiſſione, per ſe impeditivâ ſalutis; imoperiùs ut medium per ſe conducens, aut inſtitutum ad tollenda alia quoque peccata per ſe etiam impeditiva ſalutis. Unde duo habet ſpecialia; unum, quòd, eo etiam inculpabiliter omiſſo, non obtinetur ſalus: aliud, quòd quamvis non adeſſet ſpeciale præceptum illius, eo non adhibito, ſalus non obtineretur. Hoc autem neceſſarium *neceſſitate medij* dicitur dupliciter. Unum neceſſarium *in re*: aliud ſive *in re*, ſive *in voto*. *In re*, quando, ut obtineatur ſalus neceſſe eſt, illud tale medium re ipſa, & exercitè adhiberi: ſic eſt Baptiſmus pro parvulis: & dolor peccatorum pro adultis peccatoribus. *In re*, vel, *in voto*, quando obtineri interdum poteſt ſalus eo medio reipſa, & exercitè, non adhibito, non tamen ſine voto, ſeu propoſito illud oportunè reipſa adhibendi. Sic ſunt Baptiſmus, & Sacramentum Pœnitentiæ pro adultis. Ita ferè Vaſq. apud Dicaſtillum *diſp. 1. de Bapt.* dub 10. apud quem *diſp.1 de Euc. dub.5.* & apud Lugum *diſp. 3. ſec.1.* invenies alias harum neceſſitatum explicationes, aut ſubobſcuras, aut à vero exorbitantes.

Vaſq. Dicaſt. Lug.

51 Ratio nunc concluſionis ſolida eſt. Nam in primis Euchariſtiæ ſuſceptio non eſt medium per ſe inſtitutum ad eruendum hominem à peccato per primam gratiam iuſtificativam: hoc enim ſolùm habent Baptiſmus, & Pœnitentia, quæ propterea vocantur Sacramenta mortuorum: quodſi pro aliquo caſu hoc tribuitur Euchariſtiæ, præterquam quòd eſt falſum, ut videbimus *diſp.* 10 *ſec.*1. eſt ad ſummum pro caſu per accidens: pro quo de alijs etiam Sacramentis dici ſolet: quin propterea dicãtur neceſſaria neceſſitate medij. Deinde nec eſt medium neceſſariò requiſitum ad perſeverantiam in gratia. Tum quia poteſt adultus citò mori poſt acceptam primam gratiam prorsùs immemor Euchariſtiæ: ſicque ſalvaretur. Tum quia, ut ait Suarez impugnatus à Vaſquez, defenſus tamen à Dicaſtillo *num* 111. ſi quis morti proximus peccet mortaliter poſt Viaticum eo die ſuſceptum, tenetur dolere, & confiteri; non tamen communicare eodem die, nec propoſitum habere tunc communicandi. Tum quia ex Florentino, & Tridentino effectus Euchariſtiæ ſunt delere venialia, augere gratiam, præſervare à mortalibus, & ſic eximiè unificare animam cum Chriſto. Ex ijs autem effectibus duo priores non ſunt ad ſalutem neceſſarij in hac vitâ: nam adultus moriens cum venialibus, & abſque augmento gratiæ, ſalvaretur. Præſervatio verò à mortalibus, quamvis neceſſaria ſit ad ſalutem, & ad illam Euchariſtiæ ſuſceptio perutilis ſit; at non per ſolam Euchariſtiam, aut per eius votum haberi poteſt, verum, & ſine illa per alia media: ſcilicet per orationes, quibus hanc vim tribuit Aguſt. *cap.17. de Bono perſev.* per devotionem, & interceſſionem Sanctorum, ac præſertim Sanctiſſimæ Virginis. Ergo in nullo ex effectibus Euchariſtiæ apparet eius neceſſitas medij ad ſalutem.

infra diſp.10.

Suar. Vaſq. Dicaſt.

Auguſt

52 Quod autem ait Mag. Lumbier, Euchariſtiæ ſumptionem non eſſe quidem de neceſſitate medij requiſiti ad ſalutẽ inſtar cauſę efficientis primã gratiã; ſed inſtar cauſę finalis gratiæ etiam primæ: quatenus omnia Sacramenta reſpiciunt, ut finem, Euchariſtiam eiuſque ſumptionem, ut continentem, & communicantem fontem ipſum omnis gratiæ. Hoc, inquam, non ſatisfacit: quia non eſt adaptare Euchariſtiæ veram neceſſitatem medij, quam Concilia, & Scholæ explicant ſpecialiter pro Fide, Baptiſmo, & Pœnitentia; ſed minuere pro libito ſignificantiam neceſſitatis medij, ut ſub aliqua ſignificatione extendatur ad Euchariſtiam nomen ſine re Sacrammenti neceſſarij neceſſitate medij ad ſalutem: quod nullum obſequium eſſe puto excellentiſſimi huius Sacramenti: ſicut nec eius excellentia deprimitur, ex eo quod non ſit tam neceſſarium in re ſuſceptum parvulis,

Lumb.

ac eſt Baptiſmus in re ſuſceptus. Non enim minor neceſſitas minorem arguit dignitatem.

53 Fatemur itaque, Euchariſtiam continere fontem gratiæ, qui Chriſtus eſt: & per eius ſumptionem communicari nobis ſpecialiter illumé ipſum fontem gratiæ: fatemur etiam, eſſe finem aliorum Sacramentorum, in ordine ad cuius excellentiam inſtituta ſunt. Quid tamen hoc, precor, ad neceſſitatem medij à Concilijs, & Scholis contrapoſitam puræ neceſſitati præcepti? Faciliùs eſſet aptare aliqualem neceſſitatem medij Sacramento Ordinis eſſentialiter requiſito ad Sacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ: imò, & interceſſioni, ac merito B. Virginis, cuius etiam intuitu omnes nobis gratiæ diſpenſantur. Profectò, illis Euchariſtiæ, ejuſque ſumptionis virtutibus, prærogativis, & laudibus neutiquam obſtantibus, ſtat quod eius ſumptio non ſit neceſſaria in re, nec in voto neceſſitate medij parvulis, neque adultis: ergo fruſtra adſtruitur hujuſmodi neceſſitas.

54 Quoad parvulos patet antecedens. Quia ſalutem re ipſa conſequuntur, non ſuſceptâ Euchariſtiâ in re, nec habito voto, aut propoſito Euchariſtiæ ſuſcipiendæ: quippé tam voti, quàm Euchariſtiæ incapaces ſunt. Unde, cúm reſpectu parvulorum incapacium voti, non poſsit ea eſſe neceſsitas medij Euchariſtiæ *in voto*, deberet eſſe *in re*: quod plus nimio eſt. Nec valet, quòd Baptiſmus ipſe parvulos juſtificans reſpiciat, ut finem Euchariſtiam: quia ordinatio mediorum ad finem non refundit in finem neceſſitatem mediorum: alioquin non ſolúm ad conſequendam ſalutem, ſed ad eliciendum quemlibet actum fidei dici poſſet Euchariſtia neceſſaria neceſsitate medij: quandoquidem ab ipſomet fonte omnis gratiæ, etiam auxiliantis emanant auxilia, quæ ſunt ad fidem de neceſsitate medij, & in ipſum referuntur.

55 Quoad adultos probatur. Tum quia nec quoad adultos valet ad rem præſentem neceſsitatis medij ea Pœnitentiæ, quæ eſt remedium adultorum, ordinatio ad Euchariſtiam, tanquam ad finem; ſicut vidimus, non valere quoad parvulos ſimilis ordinatio Baptiſmi, qui eſt remedium parvulorum. Tum præcipué & fundamentaliter, quia rem eſſe neceſſariam ad ſalutem neceſsitate medij *in voto*, non eſt præciſé, rei votum, ſeu propoſitum eſſe neceſſarium neceſsitate medij, ut per ſe eſt clarum: ſic enim, & reſtitutió, & auditio ſacri, cunctæqué res præceptæ eſſent neceſſariæ omnibus adultis peccatoribus ad ſalutem, neceſsitate medij *in voto*; cúm earum votum, ſeu propoſitum, imbibitum in propoſito non peccandi, ſit medium neceſſarium ad ſalutem. Requiritur ergo ulteriús ad neceſsitatem medij *in voto*, quòd votum, ſeu propoſitum, loco rei ſuccedens, ſit de re exercité, & per ſe, præciſum etiam ab ſpeciali præcepto, & à peccato, quod eſſet illam omittere, requiſitâ ut medio ad ſalutem, per accidens tantúm aſſequibilem ſine ea re exercité poſitâ; caſu nempè, quo nequeat res ipſa exercité adhiberi, aut quo per inadvertentiam inculpabiliter omittatur. Hoc ſi non dicat neceſsitas medij *in voto* in ſenſu Conciliorum, & Theologorum, omnia ex præcepto neceſſaria, erunt de neceſsitate medij *in voto*, quatenus omnium eorum votum, ſeu propoſitum neceſſarium eſt in re ad juſtificationem, & proinde ad ſalutem peccatoris adulti: quo nihil magis alienum à Conciliorum, & Theologorum ſenſu. Nullæ autem prærogativæ Euchariſtiæ, quantumuis eximiæ, facere poſſunt, ut Euchariſtiæ conveniat illud aliud, quod vidimus eſſe de ſpeciali ratione neceſsitatis medij, ut conſtat ex dictis *num.* 55. Nihil ergo eſt, quantumvis eximium, & excellens quod faciat Euchariſtiam neceſſariam ad ſalutem neceſsitate medij, aut *in re*, aut *in voto*.

56 Sic conceptiſsimè S. Thom. *qu 65. art. 4.* ubi, loquens de neceſsitate reſpectu finis, ſic vocans neceſsitatem medij, ait, duo tantúm Sacramenta, nempè Baptiſmum omnibus, & Pœnitentiam lapſis, eſſe abſolutè neceſſaria: & *quæſt. 68. art. 2.* explicat ſe de neceſsitate Baptiſmi *in re*, vel *in voto*. *S. Tho.*

57 Sic etiam colligitur ex Concilijs Florentino, & Tridentino, ſupponentibus, Baptiſmum, & Pœnitentiam eſſe neceſſariò ab omnibus ſuſcipienda neceſsitate medij, vel *in re*, vel *in voto*: quod non dicunt de Euchariſtia, nec de reliquis Sacramentis vivorum: ſicut nec de alijs rebus, quæ utcumque requiruntur ad ſalutem, ut eſt obſervatio omnium mandatorum. Quemadmodum igitur iſtæ aliæ res, & reliqua Sacramenta, præter Baptiſmum, & Pœnitentiam, non dicuntur eſſe de neceſsitate medij ad ſalutem, vel *in re*, vel *in voto*; ita neque Sacramentum Euchariſtiæ, aut eius ſumptio. Alioquin diminutè in hoc proceſsiſſent Concilia contra quod ſolent in punctis doctrinalibus. *Florent.* *Trident.*

58 Quibus ratio eſſe potuit, & nobis eſſe debet, quód ea duo Sacramenta mortuorum præ alijs talia per ſe ſunt ex inſtitutione ſua, ut neceſſaria ſint ad ſalutem, non ſolum quatenus impeditiva peccati, quod eſſet eorum culpabilis omiſsio; ſed etiam quatenus excluſiva aliorum præcedentium peccato-

rum

rum impediti vorum ſalutis. Unde eſt, quòd votum, ſeu propoſitum idem generale omnia præcepta adimplendi requiſitum ad juſtificationem, versùs ea duo Sacramenta ſuſcipienda, non ſolùm ſit votum de neceſsitate medij ad ſalutem, ſed ſpecialiter illa reſpectivè faciat neceſſaria neceſsitate medij *in voto*; at versús reliqua Sacramenta, quamvis eorum votum ſit neceſſarium neceſsitate medii, non illa faciat ſic neceſſaria, atqueadeò manent purè de neceſsitate præcepti.

SECTIO VI.

Obiectiones.

59 OBijcitur primò. Peccator attritus nequit juſtificari ſine propoſito non peccandi de cætero: ergo neque ſine propoſito, ſeu voto communionis Euchariſticæ, pro tempore ſaltem, quo ejus omiſsio eſſet peccatum: ergo tale propoſitum, ſeu votum eſt medium neceſſarium ad juſtificationem, ac proinde ad ſalutem, alioquin non obtinendam: ergo tale votum Euchariſtiæ eſt neceſſarium neceſsitate medij. En ergo quomodo Euchariſtiæ ſuſceptio eſt neceſſaria neceſsitate medij ſaltè *in voto* peccatoribus adultis ad ſalutem. Accedit S.Tho. *quæſt.73. art.1.* dicens, neminem juſtificari ante Euchariſtiam ſine voto ipſius: & *quæſt. 80. art. 11.* votum Euchariſtiæ eſſe neceſſarium ad ſalutem: & *quæſt.73. art.3.* Euchariſtiam eſſe neceſſariam *in voto* ad juſtificationem.

S.Tho.

60 Propter hæc admittit totum hoc contraria ſententia. Sed certè, ut benè vidit, nec ſatis negavit, Coninc, admitti ſimili æquivocatione deberet, auditionem facti, reſtitutionem, cunctaſque res ex præcepto neceſſarias, dici debuiſſe de neceſsitate medij ſaltem *in voto*: cùm ad juſtificationem requiratur ſimile votum de illis in propoſito non peccandi. Hoc autem inane redderet diſcrimen magni factum à Cõcilijs, & Theologis inter Sacramenta Baptiſmi, & Pœnitentiæ, aliaſque res præceptas, quòd illa duo præ illis ſint ſpecialiter de neceſsitate medij *in voto*: & innanem quoque redderet conatum obijcientium, id præ reliquis Sacramentis vivorum, aliſque rebus præceptis, adſcribentium Euchariſtiæ, quòd ſpecialiter dicatur de neceſsitate medij *in voto*: cùm alia velint, ſolùm eſſe de neceſsitate præcepti. Quapropter obiectio iſta potiùs impugnat, aut confundit, quàm probat: cùm, aut de omnibus ſupradictis rebus præceptis idem probet præter intentum, aut nihil intenti probet ſpecialiter pro Euchariſtia.

Coninc.

61 Solutio ſolida eſt, verum eſſe antecedens, quia ejuſmodi generale propoſitum, aut importatur, aut involvitur in contritione, vel attritione requiſitâ ad juſtificationem peccatoris adulti. Vera deinde eſt prima cõſequentia: quia ſine ejuſmodi voto Euchariſtiæ non ſtaret generale illud propoſitum nõ peccandi. Vera quoque ſecunda: quia propoſitum communicandi tempore debito medium eſt æquè neceſſarium, ac propoſitum nunquam pejerandi & audiendi ſacrum tempore debito. Vera ſimiliter eſt tertia: ſcilicet ejuſmodi votum Euchariſtiæ, ſicut, & aliarum rerum præceptarum, eſſe neceſſarium neceſsitate medij: & quidem non ſolum *in voto*: quin etiam *in re*: nam in re, & exercitè adhibendum eſt ejuſmodi votum, ſicut, & aliarum rerum præceptarum cum contritione, vel attritione ad juſtificationem. Falſa tamen, & prorsùs illegitima eſt ultima illatio, & non niſi per inadvertentiam terminorum illapſa. Aliud enim eſt, ejuſmodi votum Euchariſtiæ eſſe de neceſsitate medij, & quidem *in re*: quod ultro fatemur, non aliter, ac de voto omnium aliarum rerum præceptarum: & aliud, ac diverſiſsimum eſt, Euchariſtiam eſſe de neceſsitate medij *in voto*, quod negamus; ſicut, & adverſarij negant de reliquis Sacramentis, aliſque rebus præceptis, quarum tamen ſimile votum eſt de neceſsitate medij. Eo quia, ut res dicatur neceſſaria ad ſalutem neceſsitate medij *in re*, vel *in voto*, non ſufficit, quòd votum, ſeu propoſitum talis rei ſit neceſſarium neceſsitate medij, hoc enim habent omnia neceſſaria neceſsitate dumtaxat præcepti; ſed ulteriùs requiritur, quòd tale votum ſic requiſitum, ſit de re, quę tempore debito exhibita, eſt per ſe medium in omnibus ad evitandum peccatum impeditivum ſalutis; aut in peccatore ad tollenda cuncta peccata impedientia ſalutem, & non ſolum ad impediendum peccatum illud quod eſſet omiſsio talis rei præceptæ. Hoc autem, nec Euchariſtiæ, nec ulli alteri Sacramento vivorum convenire, ſed ſolis Baptiſmo, & Pœnitentiæ, quæ ſunt Sacramenta mortuorum, & caulativa primæ gratiæ juſtificantis, ſatis perſpicuum fecimus.

62 Hinc facilè ad S. Thom. nobis obiectum dico, in nullo illorum locorum docere, Euchariſtiam eſſe neceſſariam ad ſalutem neceſsitate medij in re, vel in voto, contra quod ipſe docuerat in locis ſuperiùs pro nobis allegatis; ſed votum, ſeu propoſitum Euchariſtiæ tempore debito ſuſcipiendæ eſſe neceſſarium neceſsitate medij, quod eſt veriſimum, ut nuper vidimus; ac rité diſtinxi-

mus.

mus. Quando autem dixit, eſſe neceſſariam *in voto*, non dixit, *neceſſitate medij*; ſed reſpectivè ad præceptum illius ſuſcipiendæ: quod ſimiliter de rebus omnibus ex præcepto dumtaxat neceſſarijs ad ſalutem dicendum eſt ab ipſis etiam Adverſarijs.

Ioan 6. 63 Obijcitur ſecundò quod Chriſtus dixit de Euchariſtia, Ioan. 6. *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis*: quemadmodum *Ioan. 3.* dixerat de Baptiſmo: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Atqui ex ijs verbis colligitur, Baptiſmum eſſe neceſſarium ad ſalutem neceſſitate medij *in re*, vel *in voto*: ergo ex illis ſimilibus verbis circa Euchariſtiam, id ipſum de Euchariſtia colligendum eſt.

64 Reſpondetur ad minorem, non totum id colligi ex ijs verbis præciſè dictis: nã ſic etiam dici verè poſſent, quãvis Baptiſmus ſolum eſſet de neceſſitate præcepti: *Auguſt.* ſicut cum Auguſtino dicimus aptiſſimè, quòd niſi reſtituatur ablatum non remittitur peccatum: cùm tamen reſtitutio ſit dumtaxàt de neceſſitate præcepti; ſed colligi ex ijs verbis juxta ſubjectam materiam, aliunde inſtitutam, ut medium ad abluenda peccata, cauſando primam gratiam juſtificativam. Nego verò conſequentiam: quia ſimilia illa verba non cadunt ſupra ſimilem ſubjectam materiam; cùm aliunde conſtet, Euchariſtiam non eſſe ex inſtitutione ſuâ ad cauſandam primam gratiam juſtificativam, ſed ad augmentum gratiæ, ſine qua jam eſt homo juſtificatus, & ſic moriens ſalvus erit. Itaque ex utriſque verbis colligitur neceſſitas utriuſque, Baptiſmi ſcilicet, & Euchariſtiæ: diverſa tamen neceſſitas juxta diverſitatem ſubjectæ materiæ, quamvis ab hac diverſitate abſtrahant verba ſecundum ſe. Hinc autem, ſtatuta ſemel neceſſitate Baptiſmi, facilè intelligitur, eſſe neceſſitatem medij ad ſalutem, cùm Baptiſmus ex inſtitutione ſuâ ſit cauſativus primę gratiæ juſtificativæ, & ablutionis præcedentium etiam peccatorum, quibus impediretur ſalus. Oppoſitum autem eàdem facilitate intelligitur de neceſſitate Euchariſtiæ, eſſe ſcilicet non medij, ſed dumtaxat præcepti: cùm Euchariſtia non ſit cauſativa primæ gratiæ juſtificativæ, nec medium ex inſtitutione ſua ad tollenda peccata, quæ ſcilicet jam ſupponit ablata per primam gratiam; ſolumque ſit impeditiva peccati quod eſſet eius omiſſio: quod cuicumque rei ex ſolo præcepto neceſſariæ competit. Hanc reſponſionem reſpuere poteſt nemo: nam ex iiſdem verbis de Baptiſmo colligitur neceſſitas Baptiſmi pro omnibus adultis, & parvulis; diverſa tamen pro diverſitate ſubjectorum: pro parvulis ſcilicet neceſſitas Baptiſmi *in re*; pro adultis verò *in re*, vel *in voto*.

65 Obijcitur tertiò authoritas Innocentij primi apud Auguſt. *Epiſt. 93. ad Patres Concilij Milevitani*, ibi: *Illud verò, quod eos veſtra Fraternitas aſſerit prædicare, parvulos æterna vitæ præmijs, etiam ſine Baptiſmatis gratia, poſſe donari perfatuum eſt, niſi enim manducaverint carnem Filij hominis, non habebunt vitam.* Et ſimilia habet Aug. ipſe *Epiſt. 166.* Ex quibus infertur primò, apud Innocentium, & Auguſtinum, Euchariſtiam eſſe parvulis neceſſariam, & quidem *in re*, cùm ipſi ſint incapaces voti. Secundò, eſſe de neceſſitate medij: alioquin quomodo ex neceſſitate Euchariſtiæ inferrent neceſſitatem Baptiſmi? *Innoc. Auguſt.*

66 Varia varij reſpondent ex Suarez. & Delugo: quibus non ſatis acquieſcit Bernal: nec quidem ego. Quare reſpondeo in primis, certum eſſe *ex num. 54.* Euchariſtiæ ſuſceptionem *in re*, non eſſe neceſſariam parvulis: unde prima obiectionis illatio tenere nequit, quia teneri nequit, nec eſſe potuit de mente illorum Patrum. Deinde, nec valet ſecunda. Ad cauſalem illam difficilem dico, illos Patres, ut probat Martinonus, voluiſſe dumtaxat, Euchariſtiam eſſe neceſſariam parvulis aptitudinaliter: hoc eſt, fieri ad communionem Euchariſticam poſtea ex præcepto exercendam, aptos per Baptiſmum, qui ianua Sacramentorum eſt. Sic autem rectè ratiocinantur ipſi: cùm ea aptitudo ad Euchariſtiam debito tempore ſuſcipiendam ſit tam neceſſaria in re parvulis, & adultis, ac ipſe Baptiſmus: quin perinde benè deducat obiectio neceſſitatem medij pro Euchariſtia. Cùm enim abſque Baptiſmo ſuſcipi nequeat Euchariſtia, quæ ex præcepto neceſſaria eſt, rectè arguitur ex neceſſitate Euchariſtiæ, quamvis ſolùm ex præceptò, neceſſitas Baptiſmi, ſive medij, ſive præcepti, & quidem Baptiſmi *in re*: quod ſatis eſt ad intentum, & ad diſcurſum illorum Patrum. Quòd autem neceſſitas Baptiſmi ſit neceſſitas medij, vel *in re*, vel *in voto*; & neceſſitas Euchariſtiæ ſit neceſſitas tantùm *præcepti*; non diſcernitur in prædictis verbis; ſed aliunde diſcernendum eſt juxta ſupradicta. *Suar. Lug. Bern. Martin.*

67 Obijcitur quartò. Euchariſtia eſt cibus ſpiritualis animæ: ergo eſt de neceſſitate medij ad vitam ſpiritualem; ſicut ad corporalem cibus corporalis. Reſpondetur, conceſſo antecedente, negando conſequentiam: non enim tenere debet quoad omnia ſimili-

tudo

tudo cibi : alioquin non ſolùm *in voto*, quin potiùs *in re* , deberet dici Euchariſtia cunctis neceſſaria ad ſalutem,& ad vitam ſpiritualem; ſicut cibus corporalis ad corporalem , pro qua non ſufficit propoſitum comedendi. Quodſi,SS.Patres ex ea cibi ſimilitudine maximè commendant Euchariſtiæ neceſſitatem; aut non loquuntur de neceſſitate ſimpliciter, ſed ſecundum quid, hoc eſt de maxima utilitate ad tranſigendam , & roborandam vitam ſpiritualem ; aut ſi loquuntur de neceſſitate ſimpliciter, intelligendi ſunt , vel de neceſsitate ad faciliùs tranſigendam vitam ſpiritualem;vel de neceſsitate præcepti,ut eius adimpletionem ſuadeant. Quinimò ex ea ſimilitudine cibi argui poteſt pro noſtra ſententia: nam cibus corporalis iam ſupponit vitam comedentis : nihil enim prodeſſet mortuo: Hæc Suarez.

Suar. Trid.

62 Obijcitur demùm loquutio alia Tridentini , vocantis Euchariſtiam antidotum ad præſervandum à peccatis: ſed præſervatio à peccatis eſt de neceſſitate medij ad perſeve-

*Matt.*10. rantiam *qui autem perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit* : ergo, & Euchariſtia eſt ad id neceſſaria neceſſitate medij. Reſpondetur , probari nimis , ſcilicet neceſſitatem Euchariſtiæ *in re* : ſiquidem ad ſalutem neceſſaria eſt perſeverantia *in re*. Itaque admiſſis loquutione aptiſſimâ Tridentini , & veritate minoris , nego conſequentiam illegitimam , & falſam. Quamvis enim Euchariſtiæ ſuſceptio ſit medium utiliſſimum ad eam præſervationem : nec tamen præſervatio illam eſſentialiter prærequirit , nec ad illam eſſentialiter ſubſequitur , niſi ad modum , quo dici id poſſet de devotione B. Virginis , & Sanctorum. Quodſi recurratur ad actum primum præſervationis per auxilia ad evitanda peccata , pro ut opus eſt ad re ipſa perſeverandum , fatemur vberiora conferri intuitu Euchariſtiæ ſuſceptæ : nec tamen ea uberiora prorſus neceſſaria ſunt , ſed conducentiſſima ad perſeverandum;nec ex illis per ſe loquēdo eſſentialiter infertur perſeverantia. Et ſimiliter quoque de devotione Sanctiſſimæ Virginis dici poſſet : cùm diſcrimine penes magis , & minus : quod non variat ſpeciem neceſſitatis.

DIS-

DISPUTATIO XXI. ET II.

DE

ESSENTIA, ET VNITATE SACRAMENTI Euchariſtiæ

1 EUCHARISTIA, præter eſſe Sacramentum, quod eſt commune alijs Sacramentis, habet ſpeciale præ alijs, eſſe quoque Sacrificium. De illa, ut ſacrificium eſt, egimus *diſp. ultima.* Nunc de illius Eſſentia, ut Sacramentum eſt: & quidem prout de facto à Chriſto inſtitutum; non iuxta modos alios, quibus potuiſſet inſtitui. Præter diſcrimen iſtud Sacrificij, habet duo alia celeberrima: unum, quod continet Chriſtum realiter præſentem: aliud, quòd reliqua Sacramenta ſunt tranſeuntia, hoc eſt, ſolùm phiſicè exiſtentia dum conficiuntur: & hoc idem habet ipſa Euchariſtia, ut ſacrificium eſt. At verò, ut Sacramentum eſt, phyſicé permanens eſt: nam tranſactâ conſecratione, quâ conficitur, remanet phyſicè Sacramentum, circumfertur in proceſſionibus, aſſervatur in pixide, & portatur ad infirmos: ut contra Hæreticos definit Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 5. & 6.* *infra diſp. 14.* *Trid.*

SECTIO I.

An ſpecies Sacramentales, & Chriſtus, earumque vnio ſint de eſſentia Euchariſtiæ: & an æquè in recto?

2 PRima concluſio. Chriſtus ipſe eſt de eſſentiali conſtitutivo Sacramenti Euchariſtiæ. Sic communiter cum S. Tho. Suarez, & Vaſq. contra Marſil Richardum, & Cabezudum: quos tamen benigne explicare ſtudet Dicaſtillus, quaſi ſolum negent Chriſtum eſſe de recto ſacramenti. *S. Tho. Suar. Vaſq. Marſil. Rich. Cabez. Dicaſt.*

3 Ratio ſumitur ex Trid. *cap. 6.* docente, huic Sacramento deberi cultum Latriæ: quod de Latria abſoluta intelligunt Theologi: Latria autem abſoluta ſoli Deo debetur *ex 7. Synodo*, ut expendimus *diſp. 19.* Unde nec Imaginibus, nec Cruci Chriſti, nec alteri rei, quibus tribuitur Latria reſpectiva, impendi licet adoratio Latriæ abſolutæ. Ergo, quia hoc ſacramentum dicit conſtitutivè ipſum Chriſtum, qui verè Deus eſt. Dices, ſic adorari, quia ſpecies continent Chriſtum, quamvis non conſtituentem eſſentialiter Sacramentum. Contra tamen: quia Tridentinũ non ſolum ait, eiuſmodi cultũ deberi Chriſtò, ſed ait deberi Sacramento: ſi autem ſolæ ſpecies eſſent adæquatè eſſentialiter Sacramentum, non benè id diceretur, quia eſſet dicere deberi ſpeciebus: ut igitur rectè ſalvetur loquutio Tridentini, Sacramentum ipſum debet eſſe ſaltem inadequatè eſſentialiter ipſe Chriſtus. *Supra diſp. 19.*

4 Favent loquutiones Sanctorum Patrum. S. Ignatius Martyr Scripſit ad Smirnẽſes, Euchariſtiam eſſe *carnem Salvatoris.* S. Ireneus *lib. 4. cap. 34. contra Valentinian.* ait: *quoniam fateri eos neceſſe ſit, Euchariſtiam eſſe carnem Filij Dei.* Et Chriſtus ipſe Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, caro mea eſt: Caro mea verè eſt cibus.* Panis autem hic, & Cibus, Euchariſtia eſt: ergo Euchariſtia dicit de conſtitutivo Chriſtum, ſive carnem eius, & ſanguinem. Unde id ipſum teſtatus *Ignat.* *Iren.* *Ioan. 6.*

eſt

Iuſtin. eſt Iuſtinus Apologia.2. ibi: *alimoniam, quæ apud nos vocatur Euchariſtia, incarnati illius carnem, & ſanguinem eſſe ſumus edocti.* *Cypr.* Cyprianus lib.2.Epiſt 3.*obtulit Chriſtus panem, & vinum: ſuum ſcilicet corpus, & ſanguinem.* Et Damaſcenus lib.4.cap 14.*datus eſt nobis cibus, qui eſt Dominus noſter.* Quomodo, precor, ſtarent huiuſmodi loquutiones, ſi Chriſtus ipſe non eſſet de conſtitutivo tanti Sacramenti? Hinc pende, quàm improbabiliter ſcripſerit Cabezudus, improbabiliter dici, Sacramentum Euchariſtiæ eſſe Corpus, & Sanguinem Chriſti: cùm tot SS. Patres ſic loquantur. *Cabez.*

5 Obijcies. chriſtus ſecundum præſentiam, quà latet in Euchariſtia, non eſt per ſe ſenſibilis: ergo non eſt de conſtitutivo Euchariſtiæ, quæ ex ratione Sacramenti eſt ſignum ſenſibile. Negatur conſequentia: nam ut Sacramentum ſit ſignum ſenſibile neceſſe non eſt, omnia eius conſtitutiva eſſe per ſe ſenſibilia: ut patet in Pœnitentia, in qua dolor, qui non eſt per ſe ſenſibilis, ſed ratione confeſſionis, eſt pars eſſentialis Sacramenti. Sat igitur eſt, quòd aliqua pars ſit per ſe ſenſibilis, & reliqua ſint ſenſibilia propter illam.

6 Obijcies ſecundò. chriſtus in Euchariſtia eſt *Res, & Sacramentum ſimul*, ut explicabitur num.8. ſed quod eſt *Res, & Sacramentum ſimul*, non eſt de conſtitutivo eſſentiali Sacramenti, ut ibidem videbimus in Baptiſmo: ergo. Reſpondetur negando minorem, ſi loquatur univerſaliter: nam in Pœnitentia dolor, qui eſt pars eſſentialis Sacramenti, eſt *Res, & Sacramentum* ſimul. Ex eo autem quòd ſic nõ ſit in Baptiſmo, ſolũ ſequitur, ad hoc ut aliquid ſit *Res, & Sacramentum* ſimul, ſolùm attendi, quòd aliquomodo pertineat ad Sacramentum, ſimulque ſignificet, & ſignificetur; non verò, quòd ſit, vel non ſit de conſtitutivo Sacramenti.

7 Secunda concluſio. Species etiam panis, & vini ſunt de conſtitutivo eſſentiali Sacramenti Euchariſtiæ. Sic communiter ijdem contra Caietanum, & Uvaldenſem: quos ſimiliter per rectum, & obliquum excuſare conatur Dicaſtillus. *Caiet. Vvald. Dicaſt.*

8 Fundatur in conſenſu Theologorum, poſt Hugonem Victor. & Innocentium.3. apud Bernal *diſp. 5. de Sacram.* diſtinguentium in quolibet Sacramento tria. Unum vocatur; *Res tantùm*: quod nempe ſignificatur, & non ſignificat. Aliud, *Sacramentum tantùm*: quod nempe ſignificat, & non ſignificatur. Aliud, *Res, & Sacramentum ſimul*: quod nempe, & ſignificatur, & ſignificat. V. G. In Baptiſmo, *Res tantum*, eſt Gratia regenerativa: *Sacramentum tantum*, ſunt verba, & ablutio: *Res, & Sacramentum*, dicitur Caracter. In Pœnitentia, *Res tantùm*, eſt Gratia remiſſiva; *Sacramentum tantùm*, ſunt verba, & abſolutio; *Res, & Sacramentum ſimul*, eſt contritio, quæ practicè ſignificat gratiam, & per externam confeſſionem ſignificatur. Hinc diſcurritur ſic: in Euchariſtia *Res tantùm*, dicitur Gratia nutritiva, quæ ſcilicet practicè ſignificatur, & non ſignificat: *Res, & Sacramentum ſimul*, dicitur Chriſtus, qui ſignificatur per ſpecies, & verba; & ſignificat practicè Gratiam, quam cauſat: *Sacramentum tantùm*, ait Innocent. cap. *Cum Marthæ* de Celebr. Miſſ. ſunt ſpecies viſibiles. Atqui, quamvis non ſemper tria hæc ſint de conſtitutivo eſſentiali Sacramentorum, ut patet in exemplis adductis; id tamen, quod eſt *Sacramentum tantùm*, nunquam eſt extra conſtitutivum, ut patet in Baptiſmo, & Pœnitentia, & facta inductione, ſimiliter in alijs: ergo iuxta doctrinam ex Innocẽtio derivatam in Scholas, Species viſibiles Panis, & vini ſunt ac dici debent de conſtitutivo eſſentiali Sacramenti Euchariſtiæ. *Vvller. Innoc. Bern.* *Innoc.*

9 Et ratio ulterior eſt. Quia Sacramentum eſt eſſentialiter ſignum ſenſibile: ergo Euchariſta, quæ, ut præmiſimus *num.*1. eſt Sacramentum phyſicè permanens, eſt eſſentialiter ſignum ſenſibile phyſicè permanens: ergo dicit, ut partem ſaltem ſui eſſentialem aliquid ſenſibile phyſicè permanens: ſed nihil eſt ibi phyſicè permanens per ſe ſenſibile præter ſpecies: ergo dicit eſſentialiter ſpecies. Probatur minor: nam Corpus, & Sãguis Chriſti ſecundum illam præſentiam Sacramentalem ſunt ibi inſenſibiliter; cùm ſint ibi modo ſpirituali, & inviſibiles: verba phyſicè præterierunt: ergo nihil reſtat ibi phyſicè permanens, & per ſe ſenſibile præter ſpecies, quæ videntur, & guſtantur.

10 Dices, iam ibi permanere phyſicè corpus Chriſti, quod: quamvis non per ſe, ratione tamen ſpecierum eſt ſenſibile: quod ſufficit; ſicut in Pœnitentia ſufficit, dolorem eſſe ſenſibilem ratione confeſsionis externæ. Contra: quia, quamvis exemplum iſtud Pœnitentiæ benè probet, non omnes partes eſſentiales Sacramenti debere eſſe per ſe ſenſibiles, ut fatebamur *num.*5. non verò, quòd nullæ; imò inde convincitur, quòd aliqua ſaltem: nam confeſsio, ratione cuius dolor fit ſenſibilis, eſt pars eſſentialis Pœnitentiæ. Sed in Euchariſtia nulla eſt alia pars præter ſpecies, ratione cuius ſint ſignum permanenter phyſicè, niſi ſpecies per ſe ſenſibiles: ergo hæ debent eſſe pars eſſentialiter conſtitutiva Sacramenti.

11 Dices iterùm, reddi signum sensibile ratione verborum consecrationis per se sensibilium. Contra tamen: quia verba non physicé permanent in Eucharistia, nec sunt pars illius, tanquam subiectum significationis sacramentalis, ut videbimus *sec seq.* in Sacramentis autem dari debet aliquid per se sentibile, quod sit subiectum significationis sacramentalis, ut videre est in reliquis Sacramentis: & quidem physicé permanens in Sacramento physicé permanente, ut specialiter est Eucharistia: hoc autem physicè permaneos sensibile non sunt verba, quæ quidem physicè præterierunt, Sacramento physicé permanente: restat ergo, quòd debeant esse species: ac proinde species debent esse de constitutivo Sacramenti, ut subiectum saltē inadæquatū significationis sacramēt-lis.

12 Utramque nostram conclusionem comprehendere videtur cap. *Hoc est*, de Consecr. ubi dicitur hoc Sacramentum *duobus constare: visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine.* Adhæc Trid. *sess. 13. c. 1. & 3. & can.* repetit, in hoc Sacramēto cōtineri, Corpus Xpi: ergo Sacramētū istud, & Corpus Christi habent se ut continens, & contentum: ergo Sacramentum, quod est continens, dicit essentialiter constitutivé corpus Christi contentum, & aliquid aliud: ad modum, quo homo continens animam dicit constitutivé animam, & aliquid aliud, nempè corpus: sed illud aliud in Eucharistia, præter corpus Christi, atque sanguinem, nequit esse nisi species panis, & vini: ergo has dicit essentialiter constitutivé cum Christi corpore, & sanguine respectivè Sacramentum Eucharistiæ.

Cap. Hoc est. *Trid.*

13 Obstare videntur loquutiones Patrum adductæ pro uobis *num.* 4. absolutè dicentium, Sacramentum Eucharistiæ esse Christum, esse Christi corpus, esse Christi sanguinem. Non enim essent absolutè veræ, si species essent pars essentialis huius Sacramenti: Quemadmodum non dicitur verè: *homo est anima: homo est materia prima*: ex eo nempé quòd homo præter animam dicit essentialiter materiam; & præter materiam dicit animam.

14 Propter hoc Cardinalis Delugo, quamvis teneat, Christum, & species esse de constitutivo essentiali Eucharistiæ juxta præcedentes duas nostras conclusiones; non tamen vult, esse pariter in recto; sed in recto Christum, & in obliquo species: quæ diversitas sufficit, ut absolutè verè sint prædictæ Patrum loquutiones: utpote prædicantes de subjecto totum rectum prædicati, more concretorum adiectivorum. Extremè contradicunt alij, à quibus non satis discedit Cardinalis Bellarminus: quippè potiùs malunt, Eucharistiam dicere in recto species, quam Christum. Hoc autem difficilius stare poterit cum prædictis Patrum loquutionibus. Quocirca sit.

Lug. *Bellar.*

15 Tertia conclusio. Eucharistia æquè in recto dicit essentialiter Christum, & species. Sic in terminis Bernal *disp. 4 de Sacramentis, & 23. de Euchar.* & Hamelus *lib. 4. tract. 3. cap. 1. contr. 2.* Probatur: Quia Sacramentum, sic concretè dictum, est signum sensibile practicum gratiæ: signum autem, specificativé sumptū, dicit in recto subiectum cui inest, aut cui imponitur significatio: ergo Sacramentum, sic quoque sumptū, dicit in recto subiectum, cui inest, aut ex voluntate Institutoris imponitur significatio sacramentalis practica gratiæ. Atqui in Eucharistia hoc subiectum est coniunctum ex Christo, & speciebus: hoc enim coniunctum est per modum alimoniæ significans, & causans gratiam nutritivam; ergo nec solus Christus, nec solæ species, sed utrumque coniunctim est de recto Sacramenti Eucharistiæ specificativé, & absolutè dicti.

Bern. *Hamel.*

16 Ad obstaculum oppositum *num* 13. respondet meritó Bernal, Sanctos PP. non semper loqui iuxta Scholares concretorum regulas: iuxta quas dicendum potiùs esset, Eucharistiam esse coniunctum ex Christo, & speciebus. Intenti namque ad nobilissimum constitutivum Sacramenti, nempé ad Christum, sivé ad ipsius Corpus, & Sanguinem, cuius realem ibi præsentiam negant Hæretici, de speciebus, quas vident, minimè dubitantes; absolutè pronunciant, Eucharistiam esse Christum, & esse corpus Christi, subintelligendo species etiam alimoniæ. Vel die, tropicé interdum eloquutos, sumendo per synechdochen partem pro toto. De quo præclarum est exemplum in ipso homine nobis obiecto: qui cùm abs dubio essentialiter sit corpus, & anima coniunctim; tamen aliquando significatur solo nomine animæ: ut 1. Petr. 3. *Pauci, id est, octo animæ salvæ factæ sunt*; aliquando nomine carnis, ut Gen. 6. *Omnis caro corruperat viam suam*: id est: *omnis homo.* Quæ non obstant veritati nostræ conclusionis per proprios terminos Scholasticos traditæ: cùm Sanctos PP. non in hac proprietate, sed impropriè, & tropice sint interdum loquuti, & in hoc suo sensu verè.

Bern. *1. Pet. 3* *Gen. 6.*

17 At, inquis, concretum accidentale adiectivum solum subiectum dicit in recto; formam verò in obliquo: ut est in concreto

alibi

Digitized by Google

albi dicente pro recto ſubiectum albedinis, & hanc de obliquo: ſed in Euchariſtia Chriſtus ſe habet quaſi ſubiectum, & ſpecies quaſi forma: ergo ſolus Chriſtus eſt in recto, & ſpecies de obliquo. Reſpondetur diſtinguendo minorem: inter ſe invicem, permitto; reſpectu voluntatis Inſtitutoris, quæ eſt forma utrumque id conſtituens in ratione ſigni ſacramentalis, nego minorem: nam reſpectu huiuſmodi formæ, Chriſtus, & ſpecies ſe habent ut ſubiectum, ac proinde ut ſignificatum in recto per nomen concretè id ſignificans, quale eſt nomen Sacramenti. Do clarum exemplum in ipſo albo: quâvis enim paries, & albedo dicantur ad invicē, ut ſubjectum, & forma, ideòque nomine albi illud ſignificetur in recto, & iſta de obliquo; reſpectu verò cognitionis, qua cognoſcuntur, utrumque eſt ſubiectum, & cognitio eſt forma: & nomine concreto cogniti, utrumque illud ſignificatur in recto, & cognitio de obliquo. Hinc nego conſequentiam: idem enim eſt de Chriſto, & ſpeciebus reſpectu formæ, qua conſtituuntur in eſſe ſigni Sacramentalis, quod concretè ſignificatur nomine Sacramenti.

18 Quarta concluſio. Unio, qualiſcumque illa ſit, conjungens ſpecies panis, & vini cum Chriſto ibi præſente, eſt etiam de conſtitutivo eſſentiali Euchariſtiæ; non tamen de recto. Prior pars, in qua convenio cum Lugo, & Bernal, patet: quia ſpecies, & Chriſtus ſunt Sacramentum, & unum Sacramentum: non per identitatem ſpecierum cum Chriſto: ergo per aliquam unionem: ſicut, ut corpus, & anima conſtituant unum hominem, dicunt eſſentialiter unionem ſubſtantialem; & accidentalem paries, & albedo, ut conſtituant unum album. Qualis ſit ea unio ſpecierum cum Chriſto in Sacramento Euchariſtiæ reſolvimus *diſput.* 8. *ſect.*4.

Lug. Bern.

Infra deſp.8. Lug. Bern.

19 Probatur nunc poſterior pars concluſionis cum Lugo contra Bernal, & alios. Quia unio eſt compoſitio extremorum: totũ autem, ſeu compoſitum ſic concretè, ſpecificativè, & abſolutè dictum, dicit in recto extrema, & in obliquo compoſitionem, quaſi modum adiectivè adjacentem, & afficientem extrema, ut ſuppono ex Philoſophia: unde unum compoſitum dicitur, & eſt, quamvis mille unionibus nectantur eædem partes; ſicut unum album, quamvis mille albedinibus dealbetur idem ſubjectum. Ergo non in recto, ſed de obliquo dicit eſſentialiter Euchariſtia unionem ſpecierum cum Chriſto: nec tanquam ſubiectum ſignificationis ſacramentalis, ſed tanquam nexũ, quo ſpecies, & Chriſtus fiant unum ſubiectum ſignificationis ſacramentalis, unumque ſignum ſacramentale cauſativum gratiæ: ut clarius fiet ex ijs, quæ dicam de Verbis *ſec.ſeq. & diſp.8 ſec.4.*

20 Quod diximus, Chriſtum ſimul, & ſpecies eſſe de conſtitutivo Sacramenti, intelligendum eſt cum diſtributione accommodâ. Sic nempé, ut Euchariſtiam per modum cibi conſtituant ſpecies panis & corpus Chriſti; & Euchariſtiam per modum potûs, ſpecies vini, & ſanguis Chriſti poſitus in Calice ex vi verborum. Ita Lugus *diſp.1.num* 30. & Bernal *diſp.34. num.32.* Ratio: quia Euchariſtiam ſecundum id ſolùm ingreditur eſſentialiter Chriſtus, quod redditur ſenſibile per verba: *Hoc eſt corpus, &c. Hic eſt calix ſanguinis, &c.* Per hæc autem ſolùm fiunt ibi reſpective ſenſibilia Corpus, & Sanguis, vi verborum ibi poſita. Additque Lugus, alia, quæ ſunt ibi per concomitantiam, non cauſare gratiam: intellige, ſacramentaliter: gratia enim ſacramentalis ſolum promittitur manducanti carnem, & bibenti ſanguinem. Verum eſt tamen, quod interdum, laxiùs loquendo, totus Chriſtus dicitur panis, & potus Euchariſticus reficiens, & nutriens.

Lug. Bern.

Lug.

SECTIO II.

An, & quomodo Verba Conſecrationis ſint pars eſſentialis conſtitutiva Sacramenti Euchariſtiæ.

21 COncilium Florentinum in Decreto Eugenij generaliter definit, *Sacramenta novæ Legis tribus perfici: videlicet, rebus tanquam materiâ; verbis, tanquam formâ; & Perſonâ Miniſtri cum intentione.* Deinde loquens ſpecialiter de Euchariſtia ait, eius formam eſſe Verba conſecrationis. Conſonat Catheciſmus Romanus ex mente Tridentini, dicens: *Formam verborum eſſe partem, ex qua unumquodque Sacramentum conficitur, & conſtituitur.*

Florent. Eugen.

Cathec.

22 Quibus arbitrantur aliqui, deciſam fuiſſe præſentem difficultatem; ideòque affirmandum omninò, verba eſſe partem eſſentialem Euchariſtiæ. Suarez, Valentia, Card. Delugo, Martinon, Caſpenſis, Haunoldus *lib.4. tract* 3. *cap.* 1. *contr.* 3. alijque complures: quibus adhærere videtur Dicaſt. *diſp.* 1. *num.31.*

Suar. Valent. Lug. Mart. Caſp. Haunol. Dicaſt. Vaſq. Bellarm.

23 Sunt tamen ex adverſo P. Vaſquez, Cardin. Bellarminus, Granadus, Meratius,

Coninc. Gran. Merat.

Amic. & Amicus: quos citant, & ſequuntur Bernal
Bern. *diſp 24.* & Henaus *diſp. 1. ſec 3.* deducentes
Henan. ex ipſis locis, verba non eſſe partem eſſentialem. Quandoquidem, ajunt, ibi dicitur, formam Euchariſtiæ eſſe verba, quibus *conficitur*: indeque inferunt, verba non eſſe formam, ex qua Euchariſtia formaliter, & eſſentialiter conſtituatur; ſed formulam extrinſecam, quâ cauſatur efficienter: ac proinde extra formale conſtitutivum Euchariſtiæ: ſicut ſolent eſſe cauſæ efficientes extra conſtitutivum ſuorum effectuum.

23 Equidem judico, neutram in partem deciſam eſſe difficultatem præſentem in Florentino. Non in affirmativam: quia difficultas noſtra eſt præciſior de conſtitutivis eſſentialibus Sacramenti; Concilium verò loquitur laxiùs de requiſitis, & prærequiſitis etiam extraeſſentialibus: ponit enim inter illa Perſonam Miniſtri: quæ certè non eſt pars eſſentialiter conſtituens, ſed efficiens cauſa Sacramenti. Ibidemque ait, materiam Euchariſtiæ eſſe panem, & vinum: quæ quidem non ſunt materia, ex qua intrinſecè conſtituatur Euchariſtia; ſed circa quam præſuppoſitam ante Euchariſtiam, & deſituram dum fit Euchariſtia, verſantur verba conſecrationis. Quòd autem ait, verba eſſe formam Euchariſtiæ, non evincit, eſſe formam eſſentialiter conſtitutivam: poſſent enim intelligi, de forma, ſeu formulâ conſecratoriâ præſcriptâ Miniſtris ad Euchariſtiam conficiendam. Non igitur habemus ex Florentino deciſam difficultatem in partem affirmantem, Verba conſecratoria eſſe de conſtitutivo eſſentiali Euchariſtiæ.

24 Similiter, nec in partem negativam. Ex eo namquè quòd Verba dicantur, & ſint cauſa efficiens Euchariſtiæ, non ſatis arguitur, non conſtituere formaliter Euchariſtiam. Patet: quia ſæpè forma eadem præſtat utrûque munus cauſæ efficientis, & formalis, ſeu quaſi formalis: Gratia cauſans efficienter actum condigné meritorium, illum in ratione condigni formaliter conſtituit. Verbum Divinum efficienter producens non minus, quàm aliæ Divinæ Perſonæ, Chriſtum, illum intrinſecè conſtituit: & anima elevabilis ad producendam unionem ſui cum corpore eſſet cauſa efficiens compoſiti, quod formaliter conſtitueret. Et ratio eſt: quia, ut aliqua cauſa dicatur efficere, ſeu producere compoſitum, non opus eſt quòd producat cuncta conſtitutiva compoſiti: ut patet in homine producente hominem, quin producat animam, nec materiam primam: poteſt autem producere aliquid à quo compoſitum denominatur productum, & cum illo conſtituere compoſitum. Non ergo ex eo quòd Verba conſecratoria dicantur effectiva, ſeu conſectiva Euchariſtiæ, ſatis infertur, non eſſe formaliter etiam, & eſſentialiter conſtitutiva.

25 Maneat itaque, ex prædictis authoritatibus neutram partem huius noſtræ controverſiæ ſatis conſtare; imopotiùs relinqui pro Scholis diſputandam, ac decidendam à Theologis. Quos proinde utrinque decertantes audire, operæpretium erit.

26 Pro parte affirmante diſputatur efficaciter ex Patre Suarez, contra Vaſquez. *Suar.* *Vaſq.*
Quia Euchariſtia, cùm eſſentialiter ſit Sacramentum, non minùs eſſentialiter eſt ſignum ſenſibile, quàm ſit ſignum: ergo ſicut dicit eſſentialiter id quo conſtituitur in eſſe ſigni, nempè voluntatem Chriſti inſtituentis; ſic, nec minùs, id quo conſtituitur in eſſe ſigni ſenſibilis: quemadmodum, ſi homo eſſet eſſentialiter albus, diceret eſſentialiter albedinem, quâ conſtituitur in eſſe albi. Atqui Euchariſtia in eſſe ſigni ſenſibilis conſtituitur eſſentialiter per Verba: ergo dicit eſſentialiter, & conſtitutivè verba, non minùs quàm voluntatem inſtituentis.

27 Probatur minor, in qua res vertitur. Euchariſtia per id conſtituitur in eſſe ſigni ſenſibilis, per quod ſpecies, & Chriſtus ſunt ibi ſignum ſenſibile: ſed ibi ſpecies, & Chriſtus per nihil aliud ſunt formaliter ſignum ſenſibile, niſi per verba: ergo Euchariſtia in eſſe ſigni ſenſibilis conſtituitur eſſentialiter per verba. Probatur hæc minor: quia, quamvis ſpecies ſint per ſe ſenſibiles; at Chriſtus ibi nec eſt ſenſibilis per ſe, cùm ſit ibi modo ſpirituali imperceptibilis ſenſibus: nec eſt ſenſibilis per ſpecies præciſè: quia ſpecies ex ſe potiùs indicarent ſenſibus, ibi latere ſubſtantiam panis, ac vini, quàm ſubſtantiam Chriſti: nec per voluntatem ſic inſtituentis, quia ea voluntas ſpiritualis eſt, nec minus inſenſibilis, quàm ipſe Chriſtus. Reſtant ergo verba: *Hoc eſt corpus meum: hic eſt ſanguis meus*: prolata in Perſona, & nomine Chriſti, ut præſentia Chriſti ſub illis ſpeciebus percipiatur per aliquem ſenſum, ſcilicet per auditum: ergo Chriſtus, prout ibi ſacramentaliter præſens, non niſi per ſpecies, ut affectas verbis, atqueadeò per ipſa verba, conſtituitur eſſentialiter in eſſe ſigni ſenſibilis.

28 Dices, conſtitui in eſſe ſigni ſenſibilis per ſpecies, ſuppoſitis verbis, ut purâ conditione connotatâ. Contra tamen: quia, ſi huic abuſui conditionum, & connotatorum laxantur habenæ; cur ſimiliter non dicatur etiam in ratione ſigni practici gratiæ conſtitui Euchariſtiam per ſpecies ſuppoſitâ

voluntate inſtituentis, ut purâ conditione connotatâ & non formaliter conſtitutivâ ſigni? Quòdſi hoc etiam audeas, cur non per ſolum Chriſtum connotatis, ut puris conditionibus, ſpeciebus? Aut cur album non per ſolum ſubiectum, connotatâ albedine, ut purâ conditione? Aut cur homo non per ſolam animam, connotato corpore, ut pura conditione, aut é contra? Et ſic de alijs Philoſophiæ portentis. Iuſuper. Partes aliorum Sacramentorum, aut ſunt per ſe ſenſibiles, vel ſi ſunt ſenſibiles ratione alterius, hoc alterum eſt de conſtitutivo eſſentiali Sacramenti, & non pura conditio, ut patet diſcurrendo per ſingula: cur ergo non ſimiliter in Euchariſtia? Aut, ſi verba in Euchariſtia ſunt pura conditio, cur non in alijs Sacramentis? Profectò nullum ſpecialiter pro alijs fieri poterit argumentum ex Florentino, cùm de omnibus dicat conſtare verbis, ut formâ Denique: vel tota forma conſtitutiva ſenſibilitatis Chriſti, prout in Euchariſtia, ſunt ſpecies ſolæ; vel ſpecies cum verbis: non primum: quia ſine ullis verbis poteſt Chriſtus ponere corpus ſuũ ſub iſdem ſpeciebus, quin proinde eſſet ibi ſenſibiliter: hoc autem repugnaret, ſi ſpecies eſſent tota forma conſtitutiva ſenſibilitatis. Dicendum ergo eſt ſecundum, nempé, verba eſſe ſimul formam dictæ ſenſibilitatis: ergo non pura conditio; ſed de conſtitutivo formali, & eſſentiali Euchariſtiæ in eſſe ſigni ſenſibilis: ergo de conſtitutivo hujus Sacramenti, quod eſt eſſentialiter ſignum ſenſibile: atqueadeò verba conſecratoria ſunt pars eſſentialis Euchariſtiæ.

29 Pro parte verò negante diſputatur non minùs efficaciter ex P. Vaſquez contra Suarez, ex celebri illo diſcrimine Euchariſtiæ ab alijs Sacramentis, quòd ſpecialiter ex Tridentino eſt Sacramentum permanens. Diſputatur autem ſic. Si verba forent pars eſſentialiter conſtitutiva Euchariſtiæ, ſicut aliorum Sacramentorum; Euchariſtia non eſſet Sacramentum permanens præ alijs Sacramentis: ergo non ſunt. Probatur antecedens: quia verba non permanẽt in Euchariſtia, ſed tranſeunt ſicut in alijs Sacramentis. Dices: permanent moraliter. Contra: quia hoc ſolum prodeſſe poſſet ad permanentiam moralem Euchariſtiæ. Moraliter autem alia quoque Sacramenta permanent; ut patet in Baptiſmo cauſante gratiam, amoto obice, multò poſtquam phyſicè tranſijt: ut ergo ſpecialiter præ alijs Sacramentis ſit Euchariſtia Sacramentum permanens, debet eſſe phyſicè permanens: ergo, & eius partes eſſentiales debent phyſicè, & non ſolùm moraliter permanere: ac proinde, & verba, ſi pars eſſentialis eſſent: cùm autem certum ſit, verba non phyſicè permanere, vi letur etiam certum, non eſſe partem eſſentialem Euchariſtiæ. Dices: iam phyſicè permanent aliæ partes. Contra: quia etiam in Baptiſmo phyſicè permanet aqua; in Matrimonio aliquandiu conſenſus; & in Pœnitentia dolor: quæ ſunt partes eſſentiales; quin propterea dicantur hæc Sacramenta phyſicè permanentia: quinimo, & in phyſicis, permanentibus phyſicè corpore, & anima, non phyſicè permanet homo, eo ſolum quòd perierit unio. Quorum ratio eſt: quia, ut totum phyſicè maneat, omnia eius conſtitutiva eſſentialia debẽt phyſicè permanere: cùm ergo phyſicè permaneat Euchariſtia, verbis non phyſicè permanentibus, ſequitur verba non eſſe partem eſſentialem illius.

Vaſq. Suar.

Lug.

30 Reſpondent ex Delugo multi, Euchariſtiam eſſe præ alijs Sacramentis ſpecialiter permanentem: quia ſignum quod eſt totum quoddam accidentale ſignificativum, dicatur phyſicè manere, manente phyſicè totâ materiâ, ſeu toto ſubiecto, in quod cadit forma ſigni, quâvis hæc forma ſæpè phyſicè non maneat: ut patet in ramo, quo phyſicè manente, dicitur phyſicè manere ſignum vini venalis, quamvis voluntas inſtituentis, quæ eſt forma talis ſigni, iam phyſicè præterierit. Sic ergo Euchariſtia eſt ſignum, atqueadeò Sacramentum præ alijs phyſicè permanens, quia phyſicè permanent Chriſtus, & ſpecies, quamvis phyſicè non maneant verba, quæ ſunt forma.

31 Veram hic video doctrinam, ſed malè applicatam. Hoc inquam, verum eſſet, ſi in Euchariſtia Verba non eſſent pars eſſentialis, quæ ſit ſubiectum ſignificationis Sacramentalis, ut in exemplo adducto voluntas inſtituentis ſignum eſt de conſtitutivo eſſentiali ſigni, non verò tanquam ſubiectum partiale ſignificationis, ſeu forma, à qua eſt formaliter accidentaliter denominatio ſigni. Si verò dicantur eſſe pars eſſentialis, & ſubiectum, quamvis partiale, ſignificationis Sacramentalis, ſicut ſunt verba in alijs Sacramentis ſignificativa, & conſtitutiva gratiæ; ut vult hæc ſententia, nequit habere locum de ſtricta reſponſionis. Quia non permanentibus phyſicè verbis in Euchariſtia, non permaneret phyſicè totum ſubiectum eſſentiale ſignificationis Sacramentalis: & conſequenter nec phyſicè permaneret phyſicè ſignum, nec Sacramentum ex ipſa doctrina reſponſionis. Sic, ſi ramus ſimul cum tabula coniunctim inſtitueretur in unum ſignum vini, non abſolutè diſeretur tale ſignum phyſicè permanere, pereunte phyſicè ramo, quamvis tabula permaneret

neret, aut é contra. Sic etiam, ſi ramus viridis & non niſi viridis, inſtitueretur in ſignum, non permaneret phyſicé ſignum percunte virore, quamvis phyſicé maneret ramus: quia nempe viror, quamvis eſſet forma rami, eſt tamen ſubiectum partiale ſignificationis, quatenus ſimul cum ramo informatur voluntate ſic inſtituentis. Similiter ergo, quomodocumque verba ſe habeant reſpectu Chriſti, & ſpecierum; ſi tamen reſpectu formæ ſignificationis Sacramentalis, quæ eſt voluntas Inſtitutoris, habent ſe in hoc Sacramento, ſicut in alijs, ut ſubiectum quamvis partiale; non permanentibus phyſicè verbis, non poſſet abſolutè dici Euchariſtia Sacramentum phyſicè permanens præ alijs Sacramentis. Cũ ergo, verbis phyſicé tranſeuntibus, ſit Euchariſtia phyſicé permanens, ſequitur, verba non eſſe de conſtitutivo eſſentiali Euchariſtiæ.

32 Hæc utriuſque partis fundamenta firma quidem ſunt, & aliquid verum, me iudice, concludunt. Quapropter laborandum nobis eſt, quoad fieri poſſit, ut ſine contradictione admittamus quidquid utrinque veri ritè concluditur; & ſi quid eſt falſi, caveamus.

33 Quocirca animadvertere oportet, ex ijs, quæ concretum Sacramenti dicit eſſentialiter, alia dici in recto tanquam ſubiectum ſignificationis Sacramentalis, ſignificans, & cauſans gratiam, ut in Bapiſmo ablutio, & verba: in Pœnitentia verba, & dolor; & in Euchariſtia Chriſtus, & ſpecies: alia verò dici eſſentialiter quidem, & formaliter conſtitutivè; non tamen in recto, nec ut ſubiectum ſignificationis Sacramentalis; ſed in obliquo, ut forma talis ſignificationis. Horum eſt voluntas Chriſti inſtituentis, quæ nec eſt Sacramentum, nec eſt ſignum ſenſibile, nec eſt de recto Sacramenti, aut ſigni, cùm non ſit ſubiectum ſignificationis Sacramentalis; ſed eſt accidentalis forma, ſeu ratio formalis conſtituens rectum Sacramenti in eſſe practicé ſignificativi gratiæ: ac proinde nec eſt pars Sacramenti cauſans gratiam; ſed formaliter conſtituens Chriſtum, & ſpecies in eſſe ſigni cauſativi gratiæ. Patet per exemplum etiam voluntatis Reipublicæ conſtituentis formaliter ramum, aut alia ſigna adplacitum in ratione ſigni; cùm ea voluntas non ſit tale ſignum.

34 Concluſio iam media ſit. Verba conſecratoria ſunt de conſtitutivo formali eſſentiali Sacramenti Euchariſtiæ; non verò de recto Sacramenti, nec ut ſubiectum adhuc partiale ſignificationis Sacramentalis, ut ſunt verba in alijs Sacramentis.

35 Prior pars, in qua convenio cum P. Suarez, probatur meo videri efficaciter ex diſputatis pro parte affirmante *à num. 25.* quibus convincor, ut dicam, Euchariſtiam in ratione ſigni ſenſibilis, ſquam rationem habet eſſentialiter omne Sacramentum, dicere eſſentialiter, & conſtitutivé verba; ſicut in ratione ſigni voluntatem inſtituentis. Quo fit ſatis auctoritatibus Florentini, Cathechiſmi, & doctrinæ, quæ allegari etiam ſolet ex S. Thoma. Sic enim ſalvatur aptiſſimè, quód omnia Sacramenta novæ legis conſtant eſſentialiter rebus, & verbis, quamvis non eodem modo. Accedit, quód dicam *diſp. 8. ſec. 4.* Verba eſſe unionem ipſam moralem ſpecierum cum ſubſtantia Chriſti in Sacramento. Hanc autem unionem eſſe de conſtitutivo eſſentiali Sacramenti, conſtat *ex ſec. præced.*

36 Poſterior autem pars, in qua non omnino diſcedo á P. Vaſquez, probatur mihi non minús efficaciter ex diſputatis pro ſententia negante *à num. 28.* cùm ſalvari rectè non poſſit diſcrimen grande huius Sacramenti phyſicé permanentis ab alijs non ſic permanentibus, ſi verba phyſicé prætereuntia eſſent de recto Sacramenti, & ſubiectum ſignificationis Sacramentalis. Reſtat ergo, quód ſint, & dicantur conſtitutiva eſſentialia Sacramenti, non in recto, ſed in obliquo.

37 Quó, ſalvâ eſſentialitate Verborum ad Euchariſtiam, conceſsâ primæ ſententiæ, ſaluatur pariter ſpecialis permanentia phyſica huius Sacramenti præ alijs, quam intendit, & probat ſecunda ſententia, non obſtante prætéritione phyſicâ Verborum. Eo quòd, ut ex Delugo incepimus dicere *num. 26. & 30.* ſignum, quod eſt concretum accidentale ex ſubiecto, & forma, abſolutè permanet phyſicé, permanente phyſicé toto recto, quod eſt ſubiectum ſignificationis, ut patet in ramo, quo phyſicé permanente, permanent phyſicé ſignũ idem, prætereũte phyſicé volũtate inſtituentis; quam tamen dicit de obliquo, ut formam eſſentialiſſimè, & conſtitutivé. Lug.

38 Potró Sacramentum Euchariſtiæ, & eſt ſignum practicum gratiæ, & eſt ſignum practicum ſenſibile gratiæ. Ut eſt ſignum gratiæ, dicit conſtitutivè quaſi formam in obliquo, voluntatem Inſtitutoris, qua phyſicè prætereunte, dummodo moraliter permaneret, permaneret phyſicé idem ſignum; dummodo rectũ, ſeu ſubiectum talis formę phyſicé permaneret. Ut autem eſt ſignum ſenſibile gratiæ, dicit ſimiliter conſtitutivé verba, ut probatum eſt *à num. 25.* in obliquo tamen, quaſi formam ſenſibilitatis Chriſti ibi latentis, quibus propterea phyſicé prætereuntibus, intel-

Digitized by Google

intelligitur optimé,quód ſignũ phyſicé permanet dũ permanet totum rectũ, & quaſi ſubiectũ talis cõcreti ſigni ſenſibilis,nempe ſpecies, & Chriſtus: quod complexum eſt ,& denominatur ſignum ſenſibile à prædictis formis de obliquo importatis.

39 Hinc ſolerter obſerva, quod, quamvis Euchariſtia conveniat cum alijs Sacramentis in eo quòd iuxta Florentinum omnia conſtet rebus, & verbis, & quidem, iuxta Cathechiſmum,conſtitutivé; maximé tamen differt ab alijs in eo quód in alijs verba ſunt ſubiectum ſaltem partiale ſignificationis Sacramentalis,ideoque de recto Sacramenti ſigni practici cauſativi gratiæ ; in Euchariſtia verò non ſunt ſubiectum ſignificationis Sacramentalis , nec de recto ſigni practici cauſativi gratiæ ; ſed puré forma ſenſibilitatis de obliquo dicta, quamvis conſtitutivè;ideoque non ſunt ſignum adhuc partiale practicé cauſativum gratiæ Sacramentalis , quamvis ex alio capite ſint cauſativa Sacramenti,reddentia ibi Chriſtum ſenſibilem. Quæ diverſitas patentiſſima eſt.

40 Ratio autem huius diverſitatis expenditur rectè ex P. Vaſquez à Bernal *ſec.* 2. §. 1. Quoniam materiæ Sacramentorum, quas Chriſtus inſtituens elevavit ad ſignificandam, & cauſandam gratiam *Sacramentalem* , habent ſecundum ſe analogiam quamdam, & ſimilitudinariam cohærentiam cum ſpecialibus effectibus gratiæ pro ſingulis *Sacramentis*, ut obſervarunt Theologi ex Aug. *Epiſt.* 23. *ad Bonifacium*. Nimirum in Baptiſmo verba, *Te baptizo*, cum gratia per modum ablutionis: in Pœnitentia, *Te abſolvo* , cum gratia per modum iudiciariæ remiſſionis : in Matrimonio, *volo te in meam* , *&c.* cum gratia per modum ſocialis coniunctionis:in Confirmatione , *confirmo te Chriſmate ſalutis*, cum gratia per modum corroborationis ad pugnandum: in Extrema unctione, *per iſtam ſanctam unctionem* , cum gratia per modum medicinæ: in Ordine, *accipe poteſtatem, &c.* cum gratia per modum facultatis ſpiritualis circa *Sacramenta*. *Aug.*

41 Cæterùm in Euchariſtia Verba conſecratoria ſecundum ſe nullam habent ſimilem analogiam cum effectu gratiæ nutritivæ proprio Euchariſtiæ. Nam *verba: hoc eſt corpus meum* , ſignificant ſecundum ſe corpus Chriſti,ſive ſit, ſive non ſit ſub ſpeciebus alimoniæ : & prolata à Sacerdote ſuper panem ſignificant ibi corpus Chriſti : quod non eſt effectus Sacramenti,ſed ipſum Sacramentum: conficiunt:& cauſãt cibũ,& alimoniam ſpiritualem;ſed non alunt,nec manducantur; ſicut nec manducantur, nec alunt corporaliter inſtrumenta, quibus conficitur cibus, & alimonia corporalis. Nullam ergo habent ſecundum ſe ſimilitudinem , ſeu analogiam cum effectu Sacramenti , ſicut verba aliorum Sacramentorũ. Unde non mirum,quód in alijs Verba ſint ſubjectum ſignificationis ſacramentalis,& de recto ſigni practici gratiæ ſignificatæ : & quód in Euchariſtia , nec ſint ſubjectum ſignificationis ſacramentalis , nec de recto ſigni practici gratiæ ſignificatæ , & cauſatæ; ſed tantum de obliquo conſtituant Sacramentum in ratione ſigni ſenſibilis. Chriſtum autem , quem ſignificant ſub ſpeciebus , jam cauſant : at effectus Euchariſtiæ non eſt Chriſtus;ſed gratia nutritiva, quam Chriſtus ,& ſpecies cauſant in comedentibus.

SECTIO III.

An actio conſecrativa ſit de conſtitutivo, & de eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ? An ſimiliter Sumptio?

42 DIcendum primó , actionem conſecrativam , qua nempé collocatur , ſeu reproducitur Chriſtus ſub ſpeciebus, non eſſe de conſtitutivo eſſentiali Euchariſtiæ, ut *Sacramentum* eſt. Dico pro hac,& ſequenti concluſione , *ut Sacramentum eſt* : nam de Euchariſtia , ut ſacrificium eſt, loquemur ſeorſim *diſp. ult.* ubi id affirmabimus de Actione , & negabimus de *Sumptione*. Ratio concluſionis eſt : quia actio conſecrativa præcedit *Sacramentum*,& habet pro termino *Sacramentum*: haud ſecus , ac actio productiva Angeli , Angelum, animæ,animam, Cœli,Cœlum,& actio temporalis primó generativa Chriſti , Chriſtum: ergo ſicut nulla ex ijs actionibus conſtituit terminum per illam productum , & cauſatum; ſic nec actio conſecrativa Euchariſtiæ, Euchariſtiam. Sic communis ſententia contra Lugum,& Bernal.

43 Qui nobis objiciunt quod diximus *ſect. 1.* unionem Chriſti cum ſpeciebus eſſe de conſtitutivo eſſentiali Euchariſtiæ. Atqui actio ipſa conſecrativa , ſeu reproductiva Chriſti ſub ſpeciebus, inquit Bernal, eſt unio Chriſti cum ſpeciebus : ſive , ut inquit Lugus , actio ipſa ponens ibi , vel conſervans ſpecies ſine ſubiecto eſt unio ſpecierum cum Chriſto : ergo actio eſt de conſtitutivo eſſentiali Euchariſtiæ. Reſpondetur , totam minorem eſſe falſam , ut ſigillatim contra Lugum,& Bernal videbimus *diſp.8. ſec.4.* *Lug. Bern.* *Infra diſp.8.*

44 Objicit nobis alius quis,quod diximus *ſect. præced.* verba conſecrativa eſſe de conſ-

conſtitutivo eſſentiali Euchariſtiæ: quę tamen præcedunt, & habent pro termino Euchariſtiam: ergo, & actio conſecratoria, quamvis eamdem præcedat, & habeat pro termino. Negatur conſequentia: quia verba præter effectivè cauſare Euchariſtiam reddunt illam formaliter ſenſibilem: ſicque cauſant efficienter rectum Euchariſtiæ, hancque conſtituunt formaliter in ratione ſigni ſenſibilis: quos modos cauſandi poſſe uni rei convenire fecimus manifeſtum *nu* 23 At actio conſecrativa habens pro termino Euchariſtiam in linea cauſæ efficientis, non illam conſtituit formaliter in ratione ſigni ſenſibilis, nec in alia ratione, quæ ſit de conſtitutivo eſſentiali Euchariſtiæ.

45 Dicendum ſecundò, nec ſimiliter Sumptionem. Sic etiam communis ſententia cum S. Thom. Suar. Vaſq. Delugo, & Bernal. Itemque Dicaſtillus: qui tamen non recuſat, ſumptionem vocare partem integralem Euchariſtiæ: ad modum, quo dici ſolet ſatisfactio pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ.

S Thom. Suar. Vaſq. Lug. Bern. Dicaſt.

46 Ratio concluſionis eſt. Primò ex Trid. *cit. num. 1.* dicente de hoc Sacramento, etiam ante ſumptionem, ſervari in Sacrarijs, & adorari: & quidem ſub nomine Sacramenti: ergo ante ſumptionem eſt jam adæquatè conſtitutum. Secundò: quia ex eodem Trid. *c. 3.* Euchariſtia in eo etiam differt ab alijs Sacramentis, quòd alia habent vim ſanctificandi, quando illis utimur: atqueadeò tunc ſolùm habent rationem Sacramenti: Euchariſtia verò vim ſuanctificativam habet ante uſum: cùm ante uſum contineat Chriſtum realiter præſentem ſub ſpeciebus alimoniæ, ut definit Trid. *cap. 3. & can. 4.* contra hæreticos, in eo errantes, quòd dicunt, Chriſtum non eſſe realiter ſub ſpeciebus ante ſumptionem, ſed in ipſo actu, ſumptionis: quæ omnia ſatis claré excludunt ſumptionem Sacramenti à conſtitutivo Sacramenti. Tertiò: quia, ut ſuperiùs etiam vidimus ex Conc. Florent. & Cathechiſmo Romano, Sacerdos per verba conſecrationis conficit Euchariſtiam: cùm ergo verba conſecratoria præcedant ante ſumptionem; ante, & non per ſumptionem intelligitur confecta, & conſtituta Euchariſtia. Quæ quidem cibus eſt, habens vim ſanctificandi per modum alimoniæ: cibus autem, & alimonia ſupponitur conſtitutus, aut conditus, habenſque ſuam vim alendi, & nutriendi ante manducationem: quâ propterea cibus non conſtituitur, ſed conſumitur. Sic Ergo Euchariſtia.

Trid.

Trid.

47 Oppoſitum nihilominus docuerunt Aureolus, & Gabriel: ille putans, ſumptionem ſimul cum ſpeciebus, & verbis, eſſe compartem eſſentialem unius Sacramenti; iſte inſinuans, ſumptionem eſſe aliud Sacramentum Euchariſtiæ diſtinctum ab Euchariſtia permanente. Quinimò, & tria videtur ſubinferre Sacramenta Euchariſtica: unum, quòd eſt conſecratio tranſiens: aliud, quod eſt Chriſtus ſub ſpeciebus, permanens: tertium, quod eſt ſumptio. Eum referunt, & refellunt Henaus *ſect. 1.* & Martinon *diſput. 28.*

Aure. Gabr.

Hen. Mart.

48 Fundamentum eorum erat: quia ſumptio habet rationem Sacramenti: ergo, vel ejuſdem, vel diſtincti: atqueadeò, vel conſtituit eſſentialiter Sacramentum Euchariſtiæ, quod omnes admittimus; vel aliud in ſola ſumptione conſiſtens. Antecedens probant: quia ſumptio eſt quid ſenſibile à Chriſto inſtitutum, cum dixit: *Accipite, & comedite*: deinde ſignificat practicé gratiam ex illa Chriſti promiſſione: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*: quinimò nec ſpecies, nec Chriſtus cauſant gratiam hanc ſacramentalem nutritivã, niſi accedat ſumptio, ſive comeſtio: vel ergo hæc eſt Sacramentum Euchariſticum, vel ſaltem de iſtius conſtitutivo.

Matt. 26

Ioan. 6.

49 Reſpondetur, negando antecedens: non enim idem eſt eſſentialiter præſupponere Sacramentum, ac eſſe Sacramentum, aut illud eſſentialiter conſtituere: ut patet in adoratione Sacramenti præſentis, illud ſupponente; minimé verò conſtituente. Ad probationem, verum eſt, ſumptionem Euchariſtiæ fuiſſe per illa priora verba à Chriſto inſtitutam, & præceptam; at non in ſignum practicum gratiæ, ut opus erat ad rationem Sacramenti; ſed in applicationem ſigni practici jam inſtituti, & conſtituti, requiſitam, ut tale ſignum cauſet in actu ſecundo gratiam, quam ſignificat, in comedente: ſicut etiam prærequiritur etiam in eodem comedente diſpoſitio: non quidem, ut hæc conſtituat Euchariſtiam; ſed ut actu cauſetur gratia Euchariſtiæ in comedente. Sic præparatio, & comeſtio cibi materialis requiritur, ut cibus virtute ſua nos alat, & nutriat; non tamen, ut conſtitutiva virtutis nutritivæ reſidentis in cibo aliter conſtituto in ſuo eſſe, quem una præparat, & alia applicat. Idque ſignificavit Chriſtus per poſteriora illa verba: nõ quidem quòd manducans Euchariſtiam vivat ſpiritualiter propter manducationem, tanquam per ſe cauſativam vitæ ſpiritualis; ſed tanquam per applicationem cibi, id eſt ſpecierũ, & Chriſti per ſe ſignificativi, & cauſativi gratiæ nutritivæ. Quod fortè ſignificavit mox Chriſtus dicens: *Qui manducat me,* *Ioan. 6.*

&

& ipſe vivet propter me.

50 Objicies: ergo dici ſimiliter poterit de Extremâ Unctione, aliiſque Sacramentis: ſcilicet, Unctionem tranſeuntem eſſe dumtaxat applicationem olei ſacri, in quo ſtat permanenter ratio Sacramenti, non verò eſſe de conſtitutivo Sacramenti. Negatur conſequutio: ſumptâ diſparitate ab inſtitutione diſpari Sacramentorum.

51 Nam Sacramentum Extremæ-Unctionis inſtitutum eſt à Chriſto per modum Medicinæ non utcumque; ſed medicinæ, ut applicatæ, quæ ſit unctio ipſa ſenſibilis: prout *Iacob.5.* ſignificatur ſatis Iacob.5. *infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes oleo, &c.* per quæ claré ſignificatur actio ipſa ungendi aſſumpta in materiam Sacramenti cauſativi gratiæ per modum medicinæ: nec rarò in materialibus etiam actio tranſiens ungendi ipſa medicina eſt. Similiter pro Baptiſmo in illis *Mar.* verbis: *Docete omnes gentes, baptizantes, ult.* &c. ſignificatur actio ipſa abluendi aſſumpta in materiam proximam Baptiſmi. Unde colligitur, in Extrema Unctione, aliiſque Sacramentis tranſeuntibus, ipſas applicationes materiæ remotę elevari, & aſſumi in materiam proximam, & in ſubiectum ſignificationis ſacramentalis, ac proinde eſſe de conſtitutivo illorum: quod non valet pro ſumptione Sacramenti Euchariſtiæ permanentis: nec conſtat de Chriſti inſtitutione elevante actionem ſumendi Euchariſtiam in Sacramentum. Unde eſt, quòd, cum ſuſcipimus Euchariſtiam, dicimur externè ſumere Sacramentum; at dum ungimur, & abluimur non ungimur, nec abluimur externè Sacramento, ſed oleo, & aquâ, quorum applicatio eſt in fieri ipſum Sacramentum.

52 Atque hinc eſt etiam, quòd actiones ungendi, & baptizandi ſint actiones Miniſtri conficientis Sacramenta Unctionis, & Baptiſmi, quas comitari debent eius verba, & intentio; actio verò ſumptionis non eſt actio miniſtri conficientis Euchariſtiam, cùm interdum ſumatur ſine interventu Sacerdotis; nec illam actionem comitari debent verba, & intentio. Ex quo compertiſſimo diſcrimine dant, & meritò, alij apud Henum *nu.* 13. aliam diſparitatem inter Euchariſtiam, & alia Sacramenta, ut applicatio Euchariſtiæ per *Hen.* ſumptionem non ſit de conſtitutivo Euchariſtiæ, ſicut applicatio olei per unctionem, & aquæ per ablutionem, ſunt de conſtitutivo Extremæ Unctionis, & Baptiſmi.

SECTIO IV.

Colligitur ex dictis, & exponitur vera, & eſſentialis definitio Sacramenti Euchariſtiæ.

53 Aſſignatis more phyſico partibus eſſentialibus, quibus Euchariſtia, ut Sacramentum, conſtituitur, in promptu eſt ejus definitionem metaphyſicam per ſuum genus, & differentiam more logico conſtruere.

54 Communiter, & benè definitur ſic: *Sacramentum novæ Legis refectivum animæ gratiâ per modum alimoniæ.* Prior Verba: *Sacramentum novæ Legis*; ſunt ratio generica, in qua convenit hoc Sacramentum cum alijs ſex, & ſub qua involvitur conceptus ſigni ſenſibilis practici gratiæ, qui communis eſt ad omnia Sacramenta novæ Legis. Reliqua verba ſunt differentia. Quam didicimus à Concil. Florentino ſub Eugen. *Florenti* 4. *In Inſtructione Armenorum*, ibi: *Per* *Eugen.* *Baptiſmum ſpiritualiter renaſcimur; per Confirmationem augemur, & roboramur in Fide; renati verò, & roborati nutrimur divinâ Euchariſtiæ alimoniâ.* Et ex S. Tho. *S. Thom.* *quæſt. 73. artic.* ibi: *Sicut ad vitam ſpiritualem oportet, eſſe Baptiſmum, qui eſt ſpiritualis generatio; & Confirmatio, quæ eſt ſpirituale augmentum; ita oportuit eſſe Sacramentum Euchariſtiæ, quod eſt ſpirituale alimentum.*

55 Objicies. Alia quoque Sacramenta cauſant gratiam per modum alimoniæ: ergo per id non ſatis aſſignatur ratio differentialis Euchariſtiæ. Probatur antecedens: nam omnia Sacramenta vivorum ſemper, & interdum etiam Sacramenta mortuorum, ſupponunt hominem juſtum: tunc autem augent gratiam, quæ eſt vita ſpiritualis: ſed augere vitam eſt nutrire, & alere, ut patet in alimento naturali, cujus nutritiva virtus eſt ad augendam vitam: ergo alia quoque Sacramenta dum augent gratiam, cauſant gratiâ per modum alimoniæ.

56 Reſpondetur ex Delugo *diſp. 1. ſec.* *Lug.* 1. negando antecedens. Ad probationem, conceſsâ maiori, nego minorem. Quia, quamvis nutrire ſit augere vitam; ac preciſè augere vitam non eſt nutrire: nam etiam augentur, & foventur vita medicamentis, quæ non nutriunt. Specialis autem modus augendi vitam ſpiritualem, id eſt gratiam, nutritivè per modum alimoniæ, eſt ſpecialis, & differentialis Euchariſtiæ. At dicis: quis eſt iſte ſpecialis modus? Explico. Sicut proprium

eſt alimenti augere ſubſtantiam aliti, non quomodocumque ; ſed miniſtrando ſanguinem, quo homo accreſcit robuſtior, & potentior; ſic Euchariſtia auget gratiam, non quomodocumque, quod alijs Sacramentis eſt commune ; ſed cum ſpeciali reſpectu ad uberiora auxilia, quibus univerſaliter fit anima vegetior, alacrior, proclivior, & potentior ad ulteriùs proficiendum in vita ſpirituali. Cùm enim, ut ex Auguſt. diximus *num.* 30. Chriſtus inſtituerit Sacramenta elevans illa ad ſignificandam practicè gratiam in aliqua ſimilitudine, & analogiâ ad materias ſenſibiles eorum ; ex eo quòd inſtituerit Euchariſtiam ſub ſpeciebus cibi, & potûs, datur nobis intelligi, ad hunc etiam ſpecialem modum quo eam ſignificat, cauſare in anima ſpiritualiter ſuum effectum gratia.

37 Urgebis. Etiam Confirmatio ex inſtitutione ſuâ habet augere vitam ſpiritualem gratiæ reſpectu reddendi hominem firmiorem, & robuſtiorem: quod novum robur adumbratur chriſmate, & oleo, quo Chriſtiani jam authorati per Baptiſmum in milites Chriſti, corroborentur per confirmationem: videlicet ad inſtar Pugilum, qui oleo parabantur ad luctam: Reſpondetur, verum id eſſe; cum reſpectu tamen particulari ad pugnam pro Fide ſuſceptâ in Baptiſmo: non ex fine præcipuo univerſaliter creſcendi in gratia, ſicque augendi univerſaliter omnes virtutes, quò præcipuè, & ſpecialiùs reſpicit Euchariſtia nutriens vitam ſpiritualem. Itaque ſcopus Confirmationis potiùs eſt reſiſtere fortiter hoſtibus ad tuendam Fidem, & Gratiam ſuſceptam in Baptiſmo, unde ſequitur iſtarum augmentum ; Scopus verò Euchariſtiæ præcipuus eſt univerſaliter benè operari ad augendam vitam gratiæ, ad inſtar alimenti augentis ſubſtantiam aliti; ſive inſtent hoſtiles tentationes ; ſive non : non tam ex fine ſpeciali conſervandi gratiam jam ſuſceptam ; quàm ex fine illam ulteriùs adaugendi per incrementum novæ, medio exercitio virtutum, & præſertim divinæ charitatis, quæ per alimoniam Euchariſticam mirificè accenditur.

38 Atque hinc maximè commendatur nobilitas huius Sacramenti. Alia namque per ſe, & ex vi inſtitutionis ſuæ intendunt ſpeciatim, aut hominem ſpiritualiter generare, ut Baptiſmus; aut corroborare in Fide, ut Confirmatio ; aut reconciliare cum Deo, ut Pœnitentia ; aut ſanare à reliquijs peccatorum, ut Extrema-Unctio ; aut inſtruere pro ſacris miniſterijs, ut Ordo ; aut ſuppeditare vires pro oneribus conjugij, ut Matrimonium : quos quidem effectus comitatur gratia, vel augmentum gratiæ. Cæterùm Euchariſtia tunctis, & ſingulis præcellens, formaliùs intendit, & cauſat hoc augmentum gratiæ, quia eſt alimentum ſpirituale animæ ſignificatum analogicè per ſpecies alimenti materialis. Hinc eſt quod ait Granad. *diſp. 1. ſec. 1.* ſpecialem, & primarium eff. ctum Euchariſtiæ eſſe unionem intimiorem animæ cum Chriſto iuxta illud : *in me manet, ego in illo.* *Ioan. 9.*

39 Obſervat tamen Dalngo, ſimilitudinem cibi, & potûs materialis ad alimoniam Euchariſtiam non tenere, nec quærendam nimis eſſe omninò quoad omnia. Unde eſt, quod Euchariſtia dignè ſuſcepta ſemper auget vitam ſpiritualem gratiæ, quod non ſemper præſtat reipſa alimentum materiale : non enim ſemper auget ſubſtantiam aliti. Ideircò ſpecialiùs alij comparant Euchariſtiam lacti ex 1. Petr. 2. *quaſi modò geniti infantes lac concupiſcite:* lac enim eſt alimentum pro ea præſertim ætate, quâ alitus magis creſcit, & augetur. *Lug.* *1. Pet. 2.*

60 Propoſui hactenus, & expoſui communem definitionem Euchariſtiæ. Quæ, ſi alicui, aut intellectui, aut propugnatui videatur minùs facilis ; poterit expedirè per notiora Euchariſtiam definire : *Sacramentum continens Chriſtum realiter præſentem ;* vel ex utrâque adæquatiùs ſic : *Sacramentum continens Chriſtum realiter præſentem ſub ſpeciebus alimoniæ.* Ita formè Dicaſtillus *diſp. 8. dub. 2.* ex P. Valentia *quæſt. 1. punct. 1.* *Dicaſt.* *Valen.*

61 Dixi ſemper : *ſub ſpeciebus, ſeu per modum alimoniæ*, potiùs quàm *per modum convivij.* Quia convivium complectitur cibum, & potum, ac proinde utriuſque ſpecies; cùm tamen eſſentia Euchariſtiæ, ut *Sacramentum* eſt, reperiatur adæquatè eſſentialiter ſub alterutrius ſpeciebus ſeorſim: ut colligitur ex Trident. *ſeſſ. 21. cap. 3.* definente, ſub altera tantum ſpecie ſumi verum *Sacramentum*: quod intellige tam ſub ſpecie panis, quàm vini. Nec id negavit D. Joa. Vilet. Canonicus Barcinonenſis in Oratione habitâ ad Tridentinos Patres, ut bene defendit illum Doctiſſimus P. Bernal *diſp. 20.* Hinc ſubeimat *diſp. 20. ſect. 2.* cum P. Suarez, non plus gratiæ per ſe cauſari ab utrâque ſpecie, quam ab alterutra. *Trid.* *Vilet.* *Bernal* *infra* *diſp. 10.* *Suar.*

62 Dices : Anima ex qua, & ex corpore conſtituitur unus homo, non eſt homo adæquatè eſſentialiter : ergo, ſi ex Euchariſtia ſub ſpeciebus cibi, & potûs conſtituitur unum *Sacramentum*, nequit dici Euchariſtia ſub alterutra ſpecie, ſeu cibus Euchariſticus ſeorſim, adæquatè eſſentialiter *Sacramentum* Euchariſtiæ. Negatûr tamen conſequentia. Quia unitas *Sacramenti* ex utraque ſpecie

non

non est tam stricta, ac unitas hominis ex corpore, & anima: imopotius imitatur aliud genus compositorum accidentalium, quorum partes ordinatim tantùm, coniunctæ faciunt quodammodo unum, habentes seorsim rationem etiam, & munera sui compositi. Sic fasciculus coniunctus ex multis ramis appensus ad ianuam dicitur, & est quodammodo unum signum vini; & tamen singuli illi rami seorsim essent etiam signum vini. Sic, inquam, Eucharistia sub utraque specie est quodammodo unum Sacramentum; taliter tamen, ut seorsim sub alterutrâ sit etiam Sacramentum Eucharistiæ adæquatè essentialiter: cùm veré sit signum sensibile gratiæ per modum alimoniæ.

63 Non perinde negaverim, loquendo de Eucharistia omninò completivé sumptâ, & quoad totum suum modum significandi gratiam, dicere utramque speciem panis, & vini: nam sub una specie, attento modo significandi, dicit aliquem respectum ad alteram speciem, ex quibus completur convivium Eucharisticum; sicut ex cibo, & potu alia convivia. Vasq. *disp. 168.*

Vasq.

SECTIO V.

Colligitur etiam ex dictis modus, quo Eucharistia est unum aut multiplex Sacramentum.

Suar. 64 P. Suarez. *disp. 59.* Coninc. *qu. 73. art. 1.* & Delugo *disp. 2. sec. 2.* in id inclinât, quòd omnes species consecratæ, sive sint unius, & alterius panis; sive sint unius, & alterius vini, albi, vel rubri constituant unũ numero Sacramentũ. Quia, quamvis species sint numericè, imò & specificé diversæ, Christus sub illis est idem numero: qui est nobilior Sacramenti pars; & ut addit Delugo, *Lug.* solus in recto significatus concretè nomine Sacramenti: ergo Sacramentum istud absolutè dictum semper est unum numero. Quo adducunt illud Pauli: *unus panis, unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus.* Reiecimus *sec. 1.* id quod addit *1. Cor. 10.* Delugo de recto Sacramenti, dũ diximus, rectum Eucharistiæ esse Christum simũl, & species. Unde ex hac parte acquiescere non possumus prædictæ rationi.

Vasq. Merat. Ben. 65 P. Vasquez *disp. 168.* Meratius *disp. 2.* & Bernal *disp. 25.* multiplex admittunt Sacramentum Eucharistiæ pro multiplicitate specierum, numero, vel specie. Quia ad unitatem Sacramenti, quod est concretum dicens in recto Christum, & species, necessariò esset, inquit Bernal unitas non solùm Christi, quin etiam specierum. Unde, quando species sunt specie diversæ, ut in cibo, & potu, Sacramentum est multiplex in specie: sicque Eucharistia per modum cibi erit Sacramentum specie diversum ab Eucharistia per modum potûs: quando verò species sunt numero diversæ, ut in uno, & alio pane, Sacramentum erit numero multiplex.

66 Alij ex alijs capitibus considerant unitatem, aut multiplicitatem Eucharistiæ; modó ex unitate consecrationis; modó ex unitate sumptionis; modò ex unitate vasis ubi reservatur. Hæc tamen videntur à longe petita: ficut si unitas vel multiplicitas alimenti materialis peteretur ab unitate, vel multiplicitate concoctionis, comestionis, aut paropsidis, qua defertur.

67 Prima conclusio. Multiplicitas specierum facit Sacramentum physicé multiplex, saltem secundùm quid. Hoc; quod, ut minimum, concludit discursus Patris Bernal, non displicebit, uti reor, Patri Suarez, ut benè notat Coninc. Nec officiunt adducta *num. 64.* nisi forté additamentum illud Cardinalis Delugo; quod tamen, ut falsum reiecimus. Unde consequenter Eucharistia sub speciebus huius, & alterius panis, erit physicé secundum quid duplex numero Sacramentum. Dices: ergo qui sumit duas hostias, aut unam bipartitam, ut Sacerdos in Missa, dicetur sumere duo *Sacramenta*, & duas Eucharistias. Negabo, absolutè loquendo, & sine addito modificante, & explicante. Cum addito tamen illo, *physicè secundum quid*, poterit concedi: quemadmodum domus diruto minimo pariete, & eius loco erecto alio, absolutè dicitur eadem domus, quamvis *physice secundum quid*, possit dici diversa.

68 Secunda conclusio. Eucharistia, per modum cibi ex accidentibus panis, & per modum potûs ex accidentibus vini, dici possunt, *physice loquendo* duo absolutè *Sacramenta* specificé diversa. In hoc convenio cum Vasquez.

69 Probant id nonnulli ex diversis formis verborũm, quibus cibus, & potus consecrantur. Alij ex diversitate specificâ specierũm panis, & vini. Alij ex effectibus specie diversis, quos causant in anima Eucharistia per modum cibi, & per modum potûs. Sed non placent. Primi; quia, cùm Verba non sint de recto *Sacramenti*, ex verborum diversitate non diversificatur concretum specificativé, & absolutè loquendo. Secundi; quia, quamvis species sint de recto, non sunt totum rectum *Sacramenti*: ac proinde ex specificâ illarum diversitate, si ex reliquo recti non est diversitas solùm arguetur diversitas physica

Sacramenti ſecundùm quid iuxta primam concluſionem. Quodſi ea diverſitas phyſica ſpecierum ſufficeret ad abſolutam diverſitatem ſpecificam Sacramenti; non ſolum Euchariſtia per modum cibi, & potûs eſſet duplex Sacramentum ſpecie diverſum; verum etiam Euchariſtia per modum potûs ex vino albo, & rubro, quorum nempé ſpecies ſpecie diverſæ ſunt. Non tertij: quia ſæpe una cauſa habet effectus ſpecie diverſos, ut ſol calorem, & lucem; & é contra duæ cauſæ unum effectum, ut Deus, & creatura actum vitalem: unum ſignum duo ſignificata, ut vox *Gallus*, avem, & hominem: & duo ſigna idem ſignificatum, ut voces, *Theos*, & *Deus*, eumdem Deum: ergo ex eo, quód Euchariſtia per modum vini, & Euchariſtia per modum potûs ſignificent, & exuent effectus ſpecie diverſos, de quo tamé *diſp.10. ſec.2.* non arguitur ſpecifica diverſitas phyſica Sacramentorûm.

Infra diſp.10.

70 Aliter ergo probo concluſionem. Nam in primis in Euchariſtia per modum cibi, aut potûs, ſalvatur ſeorſim tota ratio eſſentialis Sacramenti, ut vidimus *num.* 41. Deinde totum id, quod Euchariſtia per modum cibi dicit eſſentialiter formaliter in recto, eſt ſpecie phyſicâ diverſum à toto recto formali eſſentiali Euchariſtiæ per modum potûs: ergo phyſicé loquendo ſunt duo Sacramenta ſpecie diverſa: nam concreta adjectiva diverſificantur pro diverſitate recti. Probatur autem antecedens: nam Euchariſtia per modum cibi dicit in recto formaliter eſſentialiter ſpecies panis, & corpus Chriſti; non ſic Sanguinem: & Euchariſtia per modum potûs, ſpecies vini & Sanguinem Chriſti; non ſic corpus, ut obſervavimus *ſect.1. num.19.* at ſpecies panis, & corpus Chriſti ſpecificè differunt ab ſpeciebus vini, & Sanguine Chriſti.

71 Tertia concluſio. Nihilominus tamen abſolutè, Theologicé, & moraliter loquendo, Euchariſtia per modum cibi, & potûs, dici poteſt, ac debet unum Sacramentum in ſpecie adæquatâ, & totali. Hoc probant fundamenta Patris Suar. poſita *num.* 44. Et videtur non poſſe negari. Quia Eccleſia abſolutè numerat ſeptem tantum Sacramenta: eſſent autem pluſquam ſeptem, ſi præter alia ſex, agnoſcerentur duo Euchariſtica abſolutè, & Theologicé ſpecie diſtincta: ergo unicum ſpecie eſt Sacramentum Euchariſtiæ, abſolutè ſaltem, & Theologicé loquendo

72 Dices, ex Eccleſiaſtica illâ annumeratione ſeptem Sacramentorum non argui unitatem Euchariſtiæ ullo modo ſpecificam; ſed genericam: ea ſcilicet latitudine, quâ Sacramentum Ordinis numeratur etiam unum, quamvis ſub ſe continet Ordines Subdiaconatûs, Diaconatûs, & Presbyteratûs ſpecie diſtinctos, ut videre eſt in eorum materia, & formis ſpecificè diverſis.

73 Fateor, ſic latis adſtrui poſſe, Eccleſiaſticam illam diviſionem, & adnumerationem ſeptem Sacramentorum non eſſe omninó rigoroſam, & exactam. Addecet tamen Theologos eius conſtitutem explicare, ac tueri, potiùs quàm ex regulis Logiculorum labefactare: juxta quas ex doctrina prædictæ reſponſionis dici poſſet, ac deberet, duo tantum eſſe Sacramenta; unum mortuorum, ſub quo genere ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia, ſpecie diſtincta; & alterum vivorum, ſub quo genere ſunt reliqua, poſſea in ſuas ſpecies ſubdi idenda. Hæc tamen loquutio diſcederet ab Eccleſiæ conſuetudine: ergo quia Eccleſia in numeratione ſeptem Sacramentorum non contenta eſt unitate ſolùm genericâ ſingulorum ſeptem; ſed intelligit aliquomodo pluſquam genericam, atqueadeò ſpecificam. Cùm igitur Euchariſtiam per modum cibi, & potus numeret unũ Sacramentum è ſeptem, intelligendum eſt, eſſe unum pluſquam genericé: atqueadeò aliquomodo ſpecificè ſaltem, ut loquitur noſtra concluſio & mox ulteriùs explico.

74 Eſt, inquam, unum ſpecificé in ſpecie totali morali, quamvis adæquetur quo ad modum ſignificandi ex Euchariſtia per modum cibi, & ex Euchariſtiâ per modum potûs, ſpecie phyſicâ diverſis: ſicut homo ad omnes homines eſt unus in ſpecie totali, quâvis adæquetur ex corpore, & anima juxta aliâ conſiderationem ſpecie diverſas: quia, quamvis inter ſe invicem ſpecie differant, ordinantur ad hominem ſpecificè unum conſtituendum. Quod autem iſtæ partes hominis habent inter ſe, & ad hominem phyſicé; habent moraliter inter ſe, & ad Sacramentum, Euchariſtia per modum cibi, & Euchariſtia per modum potûs, quatenus extrinſecé ordinantur ad unum convivium ſpirituale. Sic Martinon *diſp.28. ſec.5.* Addo, & ad unum ſacrificium. Unde eſt, quód conſecratio unius ſpeciei non liceat ſine ordine ad conſecrationem alterius, qua ſtatim adæquetur unum ſacrificium conſtitutum ex utraque conſecratione, ut dicemus *diſp.ult.*

Martin.

Infra diſp.ult.

75 Alia ratio dictæ unitatis in conſiderationem Theologicâ eſt unitas, aut ſaltem maxima ſimilitudo effectuum utriuſque Euchariſtiæ: præſertim juxta ſententiam quam defendemus *diſp. 10. ſec.* 2 docentem, eoſdem effectus, qui ſignificantur, & cauſantur ab Euchariſtia per modum cibi, ſignificari, & cauſari ab Euchariſtia per modum potûs, nec

Infra diſp.10.

nec alios ab utraque, quàm ab alterutrâ. Nèc obest quod diximus *num.49.* ex unitate effectuum non satis argui unitatem causæ, nec ex unitate significatorum unitatem signi. Id enim tunc diximus pro consideratione physicâ: nunc verò pro consideratione morali, & Theologicâ, & ad tuendam congruentissimè Ecclesiasticam divisionem, & numerationem ieptem dumtaxat Sacramentorum, multum iuvat unitas effectuum.

76 Alia ratio congruentissima sumi, quoque potest ex unitate contenti realiter sub alterutra, & sub utraque specie Eucharistica Quamvis enim formaliter ex vi verborum solus sit sanguis sub unâ, & sub alterâ corpus Christi; at realiter sub qualibet est totus Christus, qui est principalissimum Eucharistiæ constitutivum, partsque, seu quasi pars unicè sæpiùs considerata à SS. Patribus in hoc Sacramento, ut in illorum loquutionibus vidimus *sec.1. num.4.* Unde est, quòd juxta istam considerationem à nullo Theologo respuendam, dici valeat omnis Eucharistia unum Sacramentum, non solum specificè, quin etiam numericè: sicque intelligo verba Pauli adducta *num.44* totamque sententiam Patris Suarez. Quo satis etiam facilè conciliantur variæ loquutiones Sanctorum & Ecclesiæ, vocantes Eucharistiam modò singulariter, *Sacramentum*; modò pluraliter *Sacramenta*, propter varios sensus, quos distinximus in tribus nostris conclusionibus.

77 Ex ijs affulget tandem aliqua ratio, cur omnes Ordines specie physicâ diversi dicantur etiam unum specie Sacramentum. Videlicet in consideratione morali, Theologicâ, & Ecclesiasticâ. Quia omnes Ordines specie physicâ invicem diversi coordinantur ad unum Ministrum cum potestate adæquatâ in sacris ritè constituendum in Ecclesia Dei. Tali autem connexione non coordinantur alia Sacramenta.

DIS-

DISPUTATIO XXII. ET III.

DE

MATERIA REMOTA SACRAMENTI Euchariſtiæ.

1 MATERIAM proximam Euchariſtiæ eſſe coniunctum ex Chriſto,& ſpeciebus,conſtat ex dictis: quia tale coniunctum eſt rectum, quòd in concreto Sacramenti habet ſe tanquam ſubjectum ad formam ſignificationis gratiæ, quæ forma eſt voluntas Inſtitutoris, denominans illud ſignum adplacitum Chriſti ſignificativum,& practicè cauſativum gratiæ: & ad formam ſenſibilitatis, quæ forma ſunt verba, à quibus denominatur,& formaliter conſtituitur ſenſibile. Diſputaturi jam ſumus de materia remota: de illa nimirum, non ex qua conſtituitur Sacramentum; ſed circa quam, vel ſupra quam præſuppoſitâ proferuntur verba conſecrativa Sacramenti: cuius materiæ ſubſtantialis accidentia manent conſtitutivè in Sacramento, exclusâ ſubſtantiâ: ideòque vocatur aliter, materia extrinſeca reſpectu Sacramenti; & aliter,materia,*circa quam*, reſpectu Verborum, quæ ſunt forma, ſeu formula conſecrandi. Quemadmodum in Sacramento Pœnitentiæ peccata dicuntur materia remota, materia extrinſeca,& materia, circa quam verſantur verba abſolutoria; non utique manens in Sacramento; ſed præſuppoſita ad Sacramentum, & per ipſum Sacramentum deſtruenda. In alijs Sacramentis non ſic omnino ſe habet materia, quæ vocatur remota; quia non deſtruitur vi Sacramenti: nec enim aqua in Baptiſmo, nec oleum in Extrema Unctione deſtruuntur ſubſtantialiter cum Sacramentum peragitur.

SECTIO I.

An, & quis Panis ſit materia remota Euchariſtiæ quoad Corpus.

2 PAnem,& ſolum panem eſſe materiam remotam conſecrationis Corporis,eſt de Fide. Ex Concilijs Lateranenſi.in cap. *Firmiter*, Florentin.*in Inſtruc. Armen.* & Trident. *ſeſſ.13.& 21.* & ex perpetuâ Eccleſiæ traditione ductâ ex facto Chriſti: qui, ut narrant Evangeliſtæ, conſecraturus corpus : *accepit panem, benedixit, &c.* Nec alia legitur uſquam materia in Chriſti corpus conſecrata. Ridendos, & pudendos circa hoc Hæreticorum errores memorat Suarez *diſp.43.*

Lateran. Florent. Trid.

Mat.26.

Suar.

3 Hinc materia conſecrabilis in Corpus Chriſti debet eſſe panis abſolutè dictus. Unde qui ſolum impropriè, & abuſivè dicitur panis, non eſt apta materia: ut panes, qui fieri ſolent ex ſiliquis, caſtaneis, amygdalis, ciceribus, ſimilibuſque fructibus, ac leguminibus: & qui fiunt ex furfure triticeo. Lugus *diſp.4.n 64.*

Lug.

4 Panis ergo debet eſſe ex granis frumenti, ut ſtatuitur in veteribus Concilijs: nam ſolus ille,qui ſit ex frumento dicitur abſolutè,& propriè panis.

5 Frumentum autem generaliter loquendo dicitur,juxta Plinium,granum emittens

Plin.

Digitized by Google

teæ culmum, & ſpicam cum ariſtis: ut triticum, ſiligo, quod eſt granum ſine tunica, hordeum, ſpelta, quæ dicitur eſſe ſpecies quædam hordei, oriza, far Italicum, Hiſpane, *candeal*, alicaſtrum, quod eſt in Hiſpania triticum trimeſtre, & vocatur ab aliis, *alica*; ab aliis *candia*; typha, Hiſpane, *centeno*, quod & Thom. vocat ſiliginem. alij *ſecale*, alij *ſpeltum*, ut videre eſt apud Dicaſtillum *diſp. 2. num. 18.* Qui proinde prudenter monet, non eſſe nimis, & ſine examine fidendum Authoribus Latinis circa hæc nomina: quippè granum idem, quod unus intelligit uno nomine, alius alio intelligit, & ſignificat. Contractè tamen, & preſſiùs loquendo, frumentum dicitur ſolum triticum, ut videbimus *nu. 8.*

Dicaſt.

6 Dubium olim erat: an omnis panis ex frumento, ſumpto in illa generalitate cõprehendente omnia prædicta grana, ſit apta materia Euchariſtiæ. Affirmaſſe dicuntur Gabriel & ex parte Caietanus, expreſsè contra S. Thomam *3. part. quæſt. 74 artic. 3.* dicens, ex frumento, quod triticum non ſit, fieri panem, qui ſit materia Euchariſtiæ. Quæ tamen opinatio Caietani poſt Romanam editionem expuncta eſt è Partibus S. Tho.

Gabr. *Caiet.* *S. Thom.*

7 Concluſio nunc eſt ita certa, ut, teſte Dicaſtillo, nequeat ſine nota ſaltem temeritatis negari; ſolum panem ex tritico, quod preſſiùs dicitur abſolutè frumentum, eſſe materiam aptam conſecrari in Corpus Chriſti. Conſtat ex Florentino ſtatuente, materiam Euchariſtiæ eſſe panem triticeum, & vinum de vite. Unde Dicaſtillus indignum penià judicat Caietanum loquutum poſt Florentinum. Addit que Bernal, nomine panis abſolutè ex communi uſu intelligi triticeum: ac proinde eo ipſo, quod materia Euchariſtiæ dicatur panis, intelligi ſolum triticeum.

Dicaſt. *Florent.* *Dicaſt.* *Bern.*

8 Nec obſtant alia Concilia ſolùm ad id requirentia panem ex frumento. Nam accipiebant frumentum non in laxiori, & generaliori illà ſignificatione comprehendente præter triticum alia ſupradicta grana; ſed in aliâ preſſiori ſignificatione ex uſu contractà ad ſolum triticum. Quæ preſſior frumenti magisque ſignificatio magis propria, magis nota omnium eſt. Sic Gen. 44. legitur *implete ſaltes frumento*: hebraicè *Ochel*: quæ vox reponitur paulò poſt ubi nos legimus, *triticum*. Ibidem memorat facer Textus *ſtrues frumenti, hordei, & vinearum*: ſicut etiam dicitur Hieremiæ 41. *Theſauros habens in agro, frumenti & hordei*: ubi clarè contra-diſtinguitur frumentum abſolutè ſumptum pro tritico ab aliis granis non triticeis. Hinc Hieronymus *ad c. 9. Zachar.* verba Ioan. 12. *Niſi granum frumenti*; exponit: *Niſi granum tritici*: & addit ad rem noſtram: *De hoc tritico efficitur panis ille, qui de Cœlo deſcendit.* Hinc communis loquutio Gotholaunica ſolum triticum vocat, *fromẽt*, quod ſonat *frumentum*.

Gen. 44. *Hierem. 41.* *Hieron.*

9 Panis igitur ex quacumque ſpecie tritici propriè ſic dicti, qualis eſt etiam ab dubio ſiligo, erit apta materia Euchariſtiæ conſecrabilis in Corpus Chriſti. Unde, ſi panis fiat ex granis, de quibus certum eſt, non eſſe triticum, qualia ſunt hordeum, oriza, Maizius, millium, ciceres, & ſimilia; certum erit, ejuſmodi panem non eſſe materiam aptam, ſicut etiam, nec panem jam conſecratum; cum certè jam panis triticeus non ſit. Si verò fiat panis ex granis, de quibus eſt dubium, an veré ſint triticum, necné; dubium ſimiliter erit, ſintne, vel non ſint apta materia *ad validam conſecrationem*. Talia ſunt præſertim typha, Hiſpanè, *centeno*, Gotholaunicè, *ſegol*: quam S. Thom. eam vocans ſiliginem, ſentire videtur eſſe veram tritici ſpeciem: quis ex ſemine tritici ſæpè enaſcitur. Quam ſententiam ut judicem probabilem, non me movet iſta ratio, cùm ſæpè etiam ex granis tritici naſcatur avena, de qua probabile non eſt fieri panem, qui ſit apta materia. Movet me potiùs, quòd panis typhæ, quomodocumque ab alijs nominetur, ſitis uſualis eſt, & pluribus nomine panis abſolutè dicti venit, non minus quàm triticeus ibi etiam notus: typhæque grana, & panis, non ita notabiliter differre videntur à triticeis, ſicut grana hordei, avenæ, millij & alia: quapropter videri poteſt ſpecies quædam tritici deterioris, ſicut ſiligo eſt ſpecies tritici nobilioris. Sic etiam Amicus. Res tamen eſt incerta, & relinquens ejuſmodi panem, & alios, ſi qui ſunt, ſimiles in ſtatu materiæ dubiæ, ſeu probabilis ad validam conſecrationem.

S. Thom. *Amic.*

10 Conſultò dixi: *Ad validam conſecrationem*. Quia ad licitam, nec probabile eſt, ejuſmodi materias probabiles, ſeu dubias, eſſe aptas; præſertim poſt juſtiſſimã prohibitionem S. P. N. Innocentij Undecimi damnantis hanc propoſitionem ordine primam in ſuo Decreto ann. 1679. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententia probabilis tantùm utendum non eſt in collatione Bapt. ſmi, Ordinis Sacerdotalis, & Epiſcopalis.* Tenor huius propoſitionis non putabat illicitum, materiam

Innoc.

tan-

tantùm probabilem adhibere pro confectione Sacramenti Euchariſtiæ, ſicut, & aliorum quatuor Sacramentorum, cùm duo tantùm ratione ſpecialis neceſſitatis excipiat: quam tamen prohibet, & damnat Pontifex. Unde certò peccaret Sacerdos, verba conſecrationis proferens ſuper panem ex typha, aut ſuper alium ſimiliter, de quo incertum eſt eſſe triticeum; quia uteretur materiâ tantum probabili ad Sacramentum: cuius valor non ſtat, niſi verba proferantur ſupra panem veré triticeum.

11 Nec invenio dabilem caſum, in quo id licitè fieri valeat, & citra ſacrilegium in re adeò gravi, & ſacrâ. Quòdſi quiſpiam, aut ignoranter, aut ſcienter id feciſſet, reponendus, & aſſervandus eſſet ille dubius panis triticeus, ſic fortè validè conſecratus, in loco ubi reponi ſolent reverenter alia, de quibus dubium eſt, an ſint validè conſecrata. Nec obeſt, quòd in aliquibus caſibus poſſint verba Abſolutionis, & Baptiſmi proferri circa materiam tantùm probabilem, urgente neceſſitate, & omninò deficiente materia certâ. Reſpondetur enim, pro Euchariſtiâ non poſſe urgere ſimilem neceſſitatem; cùm non ſit Sacramentum cauſativum primæ gratiæ juſtificantis.

SECTIO II.

An panis triticeus ad Euchariſtiam debeat eſſe azymus: an fermentatus.

Florent. 12 COnſtat ex Florentino ſeſſ. 25. in Litt. Unionis: *In azymo, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter conficiunt.* Unde, quoad validitatem attinet, & neceſſitatem huius Sacramenti, quilibet Sacerdos validè conſecraret, ſive ſuper azymum, ſive ſuper fermentatum verba proferret. Uterque enim eſt veré panis ex aqua, & farina tritici, ut expendit dignè Bernal *diſp. 27 ſec. 4.* nonnulla removens offendicula. *Bern.*

13 Quoad facultatem verò, ſeu licitum uſum ex præcepto, lata eſt lex pro Eccleſia Latinâ non conſecrandi niſi in azymo: ita ut peccaret graviter Sacerdos Latinus conſecrans in fermentato: caſu etiam, quo ſolus haberetur panis fermentatus, nec poſſet aliter in Feſto celebrari, aut moribundus communicare. Ea enim Lex eſt graviſſima in Eccleſia Latinâ, quæ ſemper judicavit pro prædictis caſibus non urgere præceptum Eccleſiaſticum faciendi, nec audiendi ſacrum; imò nec divinum communicandi in articulo mortis. Nam, quamvis illud de azymo ſit Eccleſiaſticum, & illud de Viatico ſit divinum; iſtud tamen divinum non obligat quomodocumque; ſed ſub debito modo: ideóque, deficiente pane azymo, non urget; ſicut nec, deficientibus veſtibus ſacris, ex præcepto Eccleſiaſtico requiſitis. Propter vitandam mortem ait Bernal *num.* 38. licere Latino conſecrare in fermentato: dummodò mors non illi obtenderetur in contemptum religionis, aut, ut ſacer Ritus Romanus violaretur. Quia Lex humana per ſe loquendo non ſolet obligare cum tanto onere, niſi aliunde religio contemnatur. *Bern.*

14 E contra verò Lex eſt pro Eccleſia Græca conſecrare in fermentato: ita ut ſimiliter peccaret Sacerdos Græcus conſecrans in azymo: (quamvis hoc peccatum excuſare voluerit Paludanus apud Dicaſtillum:) dicente Florentino, ſervandum eſſe uniuſcuiuſque Eccleſiæ morem. Caſu autem, quo Sacerdos Græciæ incola peregrinetur per Eccleſiam Latinam, aut in ea per breve tempus immoretur negotij cauſa, licebit illi conſecrare, vel in azymo conformans ſe ritui Latino; vel in fermentato conformans ſe ritui Græco. Et idem eſt de Sacerdote Latino per Græciam: ut ex Suarez tenet Bernal *num.* 3. Quòdſi Sacerdos ſit vagus nullibi habens certum domicilium, ſequi debet ritum Eccleſiæ, in qua verſatur. Sic Bernal *nu.* 36. *Palud.* *Florent.* *Suar.* *Bern.*

15 Græci adſtruunt ſuum fermentati morem in antiqua ſua opinione, quam retulimus, & repulimus *diſp. 1. ſec. 3.* circa diem Inſtitutionis Euchariſtiæ. Quippè putant, Chriſtum inſtituentem conſecraſſe in fermentato: quia, inquiunt, Euchariſtiam inſtituit die Mercurij decimatertiâ Lunæ, & vigeſimatertia noſtri Martij: qui dies nondum erat azymorum: Chriſtus autem conſecravit panem menſæ appoſitum, qui eo die erat fermentatus. *Supra diſp. 1.*

16 Latini è diverſo pro noſtro azymi more ſentimus multò conformiùs ad Scripturas, quas ibidem expēdimus, Chriſtum inſtituiſſe, primóque conſecraſſe Euchariſtiam die Iovis decimaquartâ Lunæ, & vigeſimaquartâ noſtri Martij: quo die ad veſperam incipiebat jam uſus azymorum pro diebus ſequentibus: quo tempore, nec in menſis, nec in domibus Hæbreorum licebat haberi quidquam panis fermentati. Sicque Chriſtus obſervantiſſimus Legis conſecraſſe dicendus eſt in azymo, quo tunc cœnans veſcebatur cum Diſcipulis ſuis.

17 Itaque religioſiùs Latini conſecramus in azymo, quia conformiùs Chriſto inſtituen-

ſtituenti. Sunt etiam pro nobis aliæ congruẽtiæ. Nam azymi puritas, & ſincerítas magis addecet Chriſtum ibi præſentem: melúſque ſignificat puritatem, & ſincerítatem, qua ad
1.Cor.5. Euchariſticam menſam debemus accedere, juxta illud Apoſtoli: *Epulemur non in fermento malitiæ; ſed in azymis ſincerítatis, & veritatis.* Hunc nobis ritum tradidit in
Leo.9. Eccleſia Romana S. Petrus, teſte Leone Nono *c.24.* ſubjungens, quòd *multi Martyres noſtris azymis ſaginati idololatriæ fugerunt impetus.*

SECTIO III.

Qualiter panis triticeus azymus ad Euchariſtiam debeat eſſe confectus, & impermixtus.

18 NOn quidquid conficitur ex triticea farina eſt apta materia: quia non quidquid conficitur ex farina tritici eſt, & dicitur panis. Debet ergo confici ex farina tritici & aqua naturali, & ad ignem coqui, ut moris eſt.

19 Hinc, maſſa nondum cocta, quid-
Maior. quid aliter ſenſiſſe dicatur Maior apud Dicaſtillum, non eſt apta materia; quia nondum panis eſt. Similiter, neque amylum: quia ſimiliter non eſt panis. Sic S. Thom. Scotus, &
Bern. & Suarez. De amylo tamen loquitur cum aliqua diſtinctione Bernal: ſi, inquit, coaleſcit, ut ſolet, ex tritico jam prorſus putrefacto, non fiet ex illo apta materia; ſi verò ex tritico per breve tempus madefacto, nondum fœtido, nec acido, poſſet adhuc ex illo poſtea debitè ſubacto, & cocto fieri materia ap-
Henrri. Fagund. ta. Favet Henriquez apud Fagundez *lib.2. de 3. Præc. Eccl. cap.1. nn.6.* Mihi ad ſummum maneret in ſtatu materiæ dubiæ, ideóque non licitè conſecrabilis.

S.Thom. 20 Hinc etiam S. Thom. *quæſt.74. art.7. ad 3.* docet, ex farina triticeâ, & aquâ roſaceâ, ſimilibuſque diſtillatis, non confici panem, qui ſit apta materia Euchariſtiæ: quia non ſunt aquæ naturales. Oppoſitum docet
Caiet. ibidem Caietanus: nec omninò improbabiliter.

21 Idem intellige de pane ex farinâ ſubactâ, lacte, ovis, ſimilibuſque liquoribus, qui naturalis aqua non ſunt. Idem de maſſâ oleò friza, aut elixâ in olla: quia quod ſic ex maſſa, quantumvis triticeâ conficitur, nec eſt abſolutè, nec verè dicitur panis.

22 De mica verò panis tritícei jam confecti poſtmodum madefactâ, & digitorum compreſſione redactâ quaſi ad maſſam, ait Delugo, eſſe materiam aptam: alioquin, quando ſumpta Hoſtia conſecrata in ore madeſit, manditur, fitque iterum inſtar maſſæ, jam non eſſet apta materia ad retinendam conſecrationem, & corpus Chriſti: ſicque ante trajectionem in ſtomachum deſineret ibi eſſe Chriſtus: cùm tamen effectus gratiæ ſacramentalis per modum alimenti non cauſetur ante trajectionem. *Lug.*

23 Circa conſecrationem, & uſum harum, & ſimilium materiarum dumtaxat probabilium obſervandum iterum eſt quod nuper diximus de alijs materijs probabilibus *ſec.1.num.10. & 11.* præſertim poſt ſanctiſſimum decretum prohibitionis declarativæ Innocentij Undecimi nunc regnantis. *Innoc.11.*

24 Circa ſecundum punctum impermixtionis, certum mihi eſt, non quamlibet mixtionem alterius materiæ ex ſe ineptæ cum pane triticeo, obſtare quominus ille ſit apta materia: quia non quælibet modiciſſima mixtio tollit, quominus ejuſmodi mixtum ſit abſolutè, verèque dicatur panis triticeus.

25 Hinc, quamvis aliqua grana non triticea, ſeu nonnulla corpuſcula ſacchari, ſalis, aut ſimilis materiæ, permixta interdum fuerint magnæ quantitati tritici, aut farinæ triticeæ; panis inde confectus non deſinet eſſe aptus conſecrationi: ut habet expreſſis *S.Thom.* terminis S.Tho. *q.74.art.4.*

26 Addit Diana *par.2. tract.12. reſol.* *Dian.* *8.* ex judicio bonorum Theologorum, quos *Perez.* inter adnumeratum legi noſtrum Antonium Perez, hoſtias rubras, quibus utimur in obſerandis epiſtolis, forè materiam aptam conſecrationi. Quod intelligendum eſt, dummodo cinabrium farinæ admixtum, ſit in modiciſſimâ quantitate reſpectu quantitatis farinæ triticeæ. Graviter peccaret qui ejuſmodi hoſtijs uteretur ad conſecrandum. Ex poſtfacto autem, quid de illis agendum eſſet, infer ex dictis *num.11.*

27 Si verò grana non triticea, aut corpuſcula alterius materiæ admixta granis, aut farinæ tritici, fuiſſent in magna quantitate, taliter ut maſſa inde coaleſcens jam abſolutè dici nequeat triticea; panis inde confectus non eſſet apta materia: quia jam abſolutè non eſſet panis triticeus. Niſi forté, addit Bernal *num 20.* id quod admiſcetur tritico præconvertatur in triticum: ut dicunt multi de præconverſione aquæ in vinum, ante converſionem vini in ſanguinem Chriſti: de qua late *à ſec.6.*

28 Difficultas eſſe poſſet: an, ſi modica pars alterius materiæ admixta farinæ triticiæ non præconvertatur in triticum, ſed cum eo

mixtim manent in ſuâ ſpecie; quando panis inde mixtim confectus conſecratur, totum id conſecretur, ita ut corpuſcula illa ſeorſim non triticea convertantur ſimul cum pane triticeo immediatè in corpus Chriſti. Affirmant Lugus,& Bernal *ſec. 3.* rectéque pro ſe explicant S. Thom. Quæ poſſunt adverſus hoc objici ſolventur ex dicendis in ſimili *à ſect. 6.* circa immediatam converſionem aquæ mixtæ vino in ſanguinem Chriſti.

Lug. *Bern.* *S.Thom.*

SECTIO IV.

Quale vinum ſit apta materia Euchariſtiæ quo ad Sanguinem.

29 EAm eſſe vinum de vite certum eſt: contra Hæreticos Aquarios; inde dictos, quia in ſola aqua dicebant poſſe validè conſecrari. Et conſtat ex ijſdem fundamentis, per quæ vidimus *ſec.* 1. materiam aptam, & neceſſariam quoad Corpus eſſe panem triticeum. Id firmat P. Bernal eruditiſſimè, pro hac certa veritate exponens dictum illud Chriſti Matt. 26. *Non bibam amodò de hoc gemine vitis uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum in Regno Patris mei.* Quo dicto, adludens ex una parte Chriſtus ad vinum, quod tunc conſecraverat; & ex alia parte ad vinum conſecrandum deinceps poſt Reſurrectionem ſuam in Eccleſia Dei; vocat illud genimen vitis: ut doceret nos adhiberi debere vinum de vite ad conſecrationem.

Bern. *Matt.26*

30 Hinc omphacium, ſive agreſta; ſapa, Hiſpanè *arrope*; lora, Hiſpanè, *aguapie*; aquavitæ, Hiſpanè, *aguardiente*; cervilia; vinumque malogranatorum, aut pomorum; non ſunt apta materia Calicis: quia nullus prædictorum liquorum eſt vinum de vite.

31 Idem dicendum eſt de aceto contra Alenſem: quia iam mutavit formam vini. Idemque de vino paſſo contra Amicum: quod nempe exprimitur ex uvis iam perfectè paſſis; & denuo madefactis: quia liquor ille iam non eſt abſolutè vinum. Secùs vero, ſi adhuc eſſent uvæ, quamvis marcidæ.

Alenſ. *Amic.*

32 Quid de vino fugiente, quod nempe iam acetcit, quamvis nondum abſolutè ſit acetum? Bernal ait, eſſe abſolutè vinum, ſicut animal incipiens corrumpi adhuc eſt animal. Unde, ſi certum eſt, nondum eſſe acetum: certò validè conſecraretur. Addit, & licitè, deficiente alio vino in die feſtivo: illicitè verò, ſi dubitaretur an vinum, an acetum eſſet. Verùm Dicaſtillus abſolutè negat, in vino fugiente poſſe licitè conſecrari: quod videtur conformius rubricis Miſſalis, In quo ſcrupuloſiores vellem multos Parochos, & Sacriſtas: ſicut, & æque ſollicitos quærendi certum bonumque vinum; ac certum, bonumque panem pro Sacrificio. Quænam enim eſt diſpar ratio, niſi vel incuria, vel ſumptus aliquantulò maior?

Bernal *Dicaſt.* *Rubr.*

33 Vinum hypocraticum eſſe materiam aptam ſentiunt aliqui apud Henaum. Qui tamen cum Bernal conſentit, niſi nimia ſit aliorum ingredientium cum vino admixtio, aut forté nimia fiat decoctio. Res eſt dubia: ac proinde certò illicita. Idemque docet Bernal de vino decocto, ſi multùm decoquatur; ſecus, ſi parum.

Hen. *Bernal*

34 Quid de muſto? Affirmant communiter, poſſe conſecrari. Et probant ex Papa Iulio dicente, id licere tempore neceſſitatis; & ex uſu aliquarum Eccleſiarum, præſertim Bracarenſis, in qua die Transfigurationis, teſte Fagundez, infunditur Calici muſtum recèns expreſſum, cum alio vino. Et ratio eſſe poteſt: quia muſtum abſolutè eſt, & vocatur vinum, & é contrario *Act. 2.* Iudæi ebrietatem Apoſtolis objicientes dixere: *muſto pleni ſunt.* Et *Luc. 5.* dicitur iuxta Interpretes ſacros de muſto: *nemo mittit novum vinum in utres veterem.* Et Hierem. 48. *vinum de torcularibus ſuſtuli*: id eſt, muſtum recèns expreſſum: de quo etiam loquitur communis iſta ſententia: nam quod adhuc eſt intra uvas non eſt ibi conſecrabile, cùm potiùs manducetur per modum cibi, quàm bibatur per modum potûs, ideoque ſic ſumptum frãgit ieiunium Eccleſiaſticum.

Fagun. *Act.2.* *Luc.5.* *Hierem.*

35 Non audeo recedere ab hac communi ſententia: quamvis difficultate non careat dare diſparitatem, cur maſſa cui ad rationem panis non deeſt niſi coctio, non ſit apta materia ad conſecrationem Corporis; & muſtum, cui ad rationem vini uſualis videtur etiam deeſſe coctio, ſit apta materia ad conſecrationem Sanguinis? Diſparitas videtur ſummi poſſe ex eo quòd maſſa non ſit abſolutè comeſtibilis, donec non ſuo, ſed alieno ignis calore concoquatur, & ſubſtantialiter immutetur iuxta ea quæ dicemus *num. 76.* muſtum tamen iam eſt abſolutè potabile, & propria ſua virtute concoquitur, ut fiat vinum perfectius: abſque immutatione ſubſtantiali: quod non tollit, quominus ante ſuam illam concoctionem, depurationem, & immutationem accidentalem fuerit iam abſolutè vinum, quamvis non ita perfectum, & depuratum. Nota tamen, quòd per ſe loquendo non niſi illicitè conſecraretur in muſto.

36 Vinum congelatum eſſe materiam aptam docet etiam communis ſententia contra Armillam, Henriquez, & Moure: quia abſolute

Armil. *Henrr.* *Mourr.*

ſoluté vinum eſt, per ſe loquendo potabile, cùm non mutet formam ſubſtantialem, ut patet quando liquefit. Tum quia paulatim deglutitum non cibi, ſed potûs vices gereret in ſtomacho: unde nec frangeret ieiunium Eccleſiaſticum. Tum quia, ſi vinum poſt conſecrationem congelatur, retinet conſecrationem, ut ſupponunt rubricæ Miſſalis, diſponentes, ut in eo caſu linteis calidis lique fiat & ſine nova conſecratione alterius vini, tanquam verus Chriſti ſanguis ſumatur: non autem retineret conſecrationem, ſi aptæ materiæ accidentia ibi non manerent. Peccaret tamen qui vinum congelatum conſecraret, antequam liquefiat. Quinimò nec poſt liquefactionem oportet id facile fieri, ut conſulit Suarez apud Dicaſtillum: quia per congelationem valde deterioratur. Quod ſi contingat vinum ita congelari, ut ferè inſtar lapidis obdureſcat, non poterit conſecrari: quia fortè tunc præ nimiâ, ac diuturnâ congelatione corrumpitur ſubſtantialiter.

Rubr. *Suar.* *Dicaſt.*

37 Dices. Aqua congelata non eſt apta materia Baptiſmi: ergo neque Euchariſtiæ vinum congelatum. Negatur tamen conſequentia: & eſt clara diſparitas. Quia aqua congelata, niſi liquefiat, non eſt apta ad abluendum, & Baptiſmus conſiſtit eſſentialiter in ipſa ablutione. Euchariſtia verò non conſiſtit in ſumptione, ſeu in potatione, ad quam ineptum eſt vinum, dum congelatum eſt; ſed permanentet præſupponitur conſtituta ante actionem potandi: ad quam præconſtitutionem ſufficiunt Chriſtus, & ſpecies, quæ præceſſerunt in ſubſtantia vini; & ſine illa manent poſt conſecrationem: quod totum ſtat, ſive per accidens fiat congelatio, ſive non. Congelatio namque ſicut non mutat ſubſtantiam liquoris congelati, ſic nec omninò conſumpit ſpecies accidentales; talis liquoris nec impedit futuram liquefactionem requiſitam pro actu ſubſequuto potandi, qui de eſſentia Sacramenti non eſt, ſicut eſt de eſſentia Baptiſmi actus, ſive actio abluendi, quam pro tunc impedit congelatio. Sic panis obduratus eſt ab ſubdio apta materia actualis conſecrationis, quamvis actu manducatio non poſſit, niſi poſſet molleſiat.

38 De vino imbibito in pane ait primò Dicaſtillus, quod, ſi imbibitio fiat poſt utriuſque conſecrationem, manet conſecratum, ut evenit in particulâ Hoſtiæ immiſsâ calici cõſecrato. Ait ſecundò, quòd ſi panis conſecratus mittatur in vinum non conſecratum, panis manet conſecratus, ut evenit in particula hoſtiæ conſecratæ immiſsâ calici conſecratõ die Veneris Sancti. Ait tertiò, ſatis eſſe ſibi probabile, quòd ſi ante utriuſque conſecrationem fiat imbibitio, taliter ut cuiuſlibet ſpecies maneat deſignabilis, & ſenſibilis: poſſet utraque per ſua verba conſecrari validè; non licitè. Oppoſitum ſentiunt Lugus, & Bernal, quorum rationes ſolvit Dicaſtillus.

Dicaſt. *Lug.* *Bernal* *Dicaſt.*

39 Qui *nu.76.* etiam putat validè conſecrabile vinum miraculosè factum, quale fuit pro nuptijs in Cana Galileæ id quod ego certam materiam iudicarem. Quia, quamvis non ſit vinum ortum ex vite, eſt verè vinum quoad eſſentiam, & uſum eiuſdem rationis cum vino vitigineo. Idemque decet cum Henriquez de pane miraculosè facto pro Euchariſtia quoad Corpus; & de aqua, & de oleo pro alijs Sacramentis, ob eamdem rationem.

Henriq.

SECTIO V.

An, & quatenus neceſſaria ſit ad Euchariſtiam aqua mixta vino conſecrando.

40 AQuæ neceſſitas ad conſecrationem Euchariſtiæ quoad ſanguinem conſtat ex perpetua Eccleſiæ traditione: ex varijs Liturgijs: & ex Concilijs, præſertim Tridentino *ſeſſ.22.cap.7.* aſſignante aliquas rationes dictæ præmiſſionis. Prima eſt repreſentatio ſanguinis, & aquæ lateris Chriſti. Secunda, repræſentatio unionis myſticæ maieſtatis Chriſti ſignificatæ in vino, cum Populis fidelibus ſignificatis in aquâ. Tertia exactior imitatio Chriſti inſtituentis, qui ſic creditur primò conſecraſſe ſuiſque in vino aquæ mixto. Cuius facti credulitatem obſervat Vaſquez, non eſſe coniecturalem duntaxat; ſed Fidei Catholicæ, ſubnixam teſtimonio traditionis ſufficientis ad regulam Fidei. Videri poteſt Dicaſtillus, refutans novos Hæreticos, ſolvens, ac deridens ratiunculas, quibus ſanctum hunc Eccleſiæ ritum impugnant, & irridet; & aliqua utiliter adnotans circa Bellarminum, & Vaſquea fuſiùs de hoc diſcrentes.

Trid. *Vaſq.* *Dicaſt.* *Bellar. Vaſq.*

41 Aquam iſtam eſſe de neceſſitate, taliter ut nec valdè conſecraretur Calix ſine illa, docuiſſe dicitur olim Armenos. Primò: quia Chriſtus inſtituens, in vino cum aqua primò conſecravit: ergo ſolum vinum mixtum aquâ volùit, ac fecit materiam aptam calicis. Secundò: quia ſi aqua non ſic eſſet de neceſſitate calicis, cur Eccleſia ita ſeveré prohibuiſſet Armenis, ne vino ſine aqua uterentur? cùm potuiſſet id illis permittere, ſicut Græcis panem fermentatum. Tertiò: quia S. Cyprianus *Epiſt.63.* ait: *Calix Domini non eſt aqua ſola, nec vinum ſolum, niſi utrumque*

Armaci *Cypr.*

que miſceatur: quomodo nec Corpus Domini eſt farina ſola, & aqua, niſi utrumque, ſcilicet farina, & aqua, fuerit adunatum. Quomodmodum ergo eſt de neceſſitate aqua, ut cum farina conficiatur panis, qui ſit apta materia Corporis; ſic iuxta Cyprianum, de neceſſitate calicis eſt etiam aqua, ut conficiatur vinum, quod ſit apta materia Calicis, etiam quoad valorem.

42 Concluſio tamen communis, & ferè certa inter reliquos Doctores eſt, aquam non eſſe de neceſſitate Sacramenti in Calice.

Florent. Colligitur ex Florentino dicente, materiam Calicis eſſe vinum de vite, *cui ante conſecrationem modiciſſima aqua admiſceri debet:* quo loquendi modo clarè monſtrat, aquæ mixtionem non eſſe de neceſſitate Sacramenti; ſed præcepti. Et clariùs ex eo quod Armenos, cõſecrantes ſine aqua, nõ monet, ut alioquin certè debuiſſet, de invaliditate ſuæ conſecrationis; ſed eos dumtaxat reprehendat, quòd ab univerſali Eccleſiæ obſervantiâ diſcrepent.

Trid. Conſonat Trid. mox citandum docens, eam mixtionem eſſe ex præcepto.

43 Ad primum argumentum Armacani, conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Nam aliud eſt quod Chriſtus ipſe fecit, aliud quod de neceſſitate pro omnibus inſtituit. Alioquin, quia conſecravit in Azymo, invalidè conſecraretur à Græcis in fermentato; aut é contra: & ſi forté conſecravit in vino rubro, invalidè conſecrarent us in albo. Potiùs nec *ex ſignificatione ſubſtantiali* Sacramenti, nec ex Eccleſiæ traditione conſtat, Chriſtum ſic inſtituiſſe, ut voluerit, ſolum vinum mixtum aqua fore ſemper materiam neceſſariam; ſed vel mixtum, vel non mixtum; ſicut vel album, vel rubrum, quod attinet ad neceſſitatem, & valorem Dixi: *ex ſignificatione ſubſtantiali*: nam ad ſignificationes aquæ effuſæ é latere Chriſti, & unionis myſticæ populorum cum Chriſto iam eſt neceſſaria mixtio aquæ: at tiuſmodi ſignificationes accidentariæ ſunt Sacramento.

44 Ad ſecundum fateor, potuiſſe id permitti Armenis; non tamen expediebat: quia mixtio aquæ fuit à tempore Apoſtolorum omnibus præcepta, & tam à Græcis ut plurimum, quàm à Latinis admiſſa: quod ultimum non ſic contigit in uſu azymi.

45 Ad tertium fateor, Verba Cypriani eſſe difficilia: quo potuit moveri Card.

Bellarm. Bellarm. *lib. 4. de Euc. cap.* 10. ut dixerit non eſſe adeò certum, quòd aqua non ſit de neceſſitate. Dici tamen poteſt, particulam comparativam, *ſicut*, non ſemper ſignificare omnimodam paritatem. Satis ergo erit pro S. Cypriano, quòd voluerit dicere, tam mixtionem vini cum aqua ad Sanguinem, quam farinæ cum aqua ad Corpus, eſſe neceſſariam: quod verum eſt: in diverſo tamen neceſſitatis genere: iſtam nimirum neceſſitate Sacramenti; illam, præcepti. Sic S. Thom. *S. Thom.* Aliter Haunoldus *lib. 4. tract. 3. cap. 3. contro. 2.* exiſtimans, Cyprianum agentem contra Aquarios, ſolùm voluiſſe, aquam ſolam non eſſe materiam aptam: cùm *lib. 2. epiſt. 3.* ſatis indicet, aquam non eſſe de neceſſitate Sacramenti; ſed præcepti. *Hann.*

46 Concluſio igitur ſecunda ſit, aquæ mixtionem in Calice eſſe de neceſſitate præcepti. At qualis præcepti? Divini impoſiti à Chriſto; an humani impoſiti ab Eccleſia? Eſſe ex præcepto Divino Chriſti, docuerunt olim Alenſis, Hoſius, & Caſtrus; & poſtea probabiliſſimè Henriquez, Valentia, Areſius, & alij: quibus ſatis favent S. Cyprianus: & aliquorum Conciliorum loquutiones ſignificantes, præceptum dictæ mixtionis eſſe divinum. *Alen. Caſtr. Hoſi. Henr. Valen. Areſ. Cypr.*

47 Concluſio tamen tertia communior, & probabilior eſt, ſolùm eſſe de neceſſitate præcepti humani Eccleſiaſtici à tempore Apoſtolorum. Colligitur ex Trident. *ſeſſ. 22. cap 7.* dicente: *Præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miſcerent.* Non autem diſſimulaſſet Concilium hoc in loco divinum præceptum, ſi illud agnoviſſet: nec credibile eſt non agnoviſſe, ſi adeſſet. Ad loquutiones illas Cypriani, & Conciliorum, reſpondetur, directas tunc fuiſſe, aut contra Aquarios, qui aquam non mixtam vino, aut contra alios, qui vinum mixtum aliis liquoribus præter aquam, ſacro Calici adhibebãt. Utrũque autem id eſt contra divinam Chriſti inſtitutionem, atqueadeò contra divinum præceptum. Unde præceptum mixtionis aquæ cum vino poteſt quoad hoc dici divinum: quatenus nempé præcipit, ne aqua ſine vino adhibeatur; nevé liquores alij admiſceantur; non verò quatenus præcipit, ut vino admiſceatur aqua: quoad hoc enim diſtinctim ſic Tridentinum impoſitum, *eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus.*

48 Et quidem ſub peccato graviſſimo. Quia, quamvis quantitas aquæ miſcendæ ſit in ſe phyſicè modica; in ratione tamen ſignificationis magni ponderis eſt, & moraliter materia perquàm gravis. Uſqueadeò, ut ſi forté haberi non poſſent illæ guttulæ aquæ, omittì deberet Miſſa, potius quàm in ſolo vino conſecrare, quamvis dies eſſet feſtus, & Populus manſurus ſine Miſſa. Quinimo, & quamvis ægrotus moreretur ſine Viatico quidquid dixerit P. Martinon apud Henaũ, *Mart. Hen.*

Nec

Digitized by Google

Nec obest, quòd præceptum Viatici sit divinum; & præceptum mixtionis aquæ sit Ecclesiasticum. Nam pro his, & similibus casibus non urget præceptum divinum, ut in simili diximus *sect.2. num.15.* Cæterum, si Sacerdos vitam esset amissurus, nisi consecraret sine aqua, posset id licitè: ob rationem, & cum limitatione, quas in simili posuimus ibidem. Hæc Bernal.

Ben.

Dicast.

49 Additque Dicastillus, *num.121.* ex Azor *lib.10. cap.29.* Sacerdotem illicitè consecrantem sine aqua suspendi juxta Sacros Canones ab Officio: sicut qui aliquid præter panem, & præter vinum cum aqua adhiberet sacrificio. Cap. *Litteras, de Celebr. Miss.* & cap. *Cum omne crimen, de Consecr. dist.2.* Et nota, eam aquæ mixtionem debere fieri ad altare pro sacrificio: non enim sufficeret si vinum jam in dolio, seu in urceolo fuisset aquâ mixtum.

Azor.

Cap. Litteras.

Cap. Cũ omne.

50 Quid, si Sacerdos post oblationem animadvertat, se non infudisse aquam? Respondetur primò. Si id animadvertat ante consecrationem Calicis, tenetur infundere; si post Calicis consecrationem, non infundat, sed progrediatur sine aqua. Casu verò quo, quando defectus animadvertitur, haberi non possit aqua, si fortè jam Sacerdos consecravit corpus, debet progredi, & integrare sacrificium, consecrans Calicem cum vino sine aqua: quia integritas sacrificij est de jure divino, quod prævalet juri humano Ecclesiastico mixtionis aquæ. Id extendit Henaus ad calum, quo defectus aquæ adverteretur incepto Canone, quamvis ante consecrationem corporis. Quod ego non probo: quia id non probat ratio integritatis sacrificij nondum inchoati quoad essentialia.

Hena.

51 Aqua miscenda sacro Calici debet esse naturalis: hæc enim aquæ nomine venit, absolutè loquendo. Unde inepta, ac certò illicita foret aqua rosacea, lachrymæ, similesque liquores. Aqua, quam distillant vites, antequam pullulent, fortè est aqua naturalis, ideòque materia probabilis; certò tamen illicita, ut docet curiosè Dicastillus de Baptismo *disp.1. num.39.* Idem colligitur ex Diana *part.3. tract.4. res.5.* de aqua, in quam resolvitur sal: & quam exsudant interdum lapides, & parietes; & quæ condensatur in operimento ollæ ex vaporibus aquæ bullientis. Miscere calidam, putat mortale Fagundez. Sunt tamen, qui id excusent apud Busemb. si in terris frigidioribus de more id fit, nè ita facilè glacietur vinum. Refrigerare nivibus eam aquam putat etiam mortale idem Fagund. sed malè, ut benè notat Gobat, insinuans, nec veniale fore per se loquèdo: *tract. 3. ses.2.*

Dicast.

Dian.

Fagun.

Busemb.

Gobat.

52 Quantitas demum aquæ vino miscendæ debet esse modicissima, ut loquitur Florentinum: quamvis Triburiense permisisse dicatur tertiam partem aquæ ad duas vini: quod videtur nimis laxum. Castropalaus ait, adhiberi posse octavam, vel decimã partem. Bernal octavam cum vino debiliori, sextam cum potentiori. Delugo, & Tamburinus, absolutè quintam, vel sextam. Busembaum dubiæ validitatis censet jam consecrationem, si pluriquam tertia pars Calicis esset aqua. Hæc satis ad corrigendos nimios aliquorum Sacerdotum scrupulos.

Florent.

Tribur.

Palaus.

Bern.

Lug.

Tambur.

Busemb.

53 Iam, ut expeditum faciamus transitum ad difficultatem sequentem, suppono tria ut certa. Unum, quod aqua mixta vino non convertitur per consecrationem in aquã illam, quæ fluxit é latere Christi: id enim non indicant verba: *Hic est sanguis, &c.* & despicitur ab Innocentio III. cap. *Cum Martha de Celebr. Missar.* Alterum, quód nec convertitur in humorem phlegmaticum Christi distinctum à sanguine: id enim per errorem ab aliquibus dictum memorat idem Innocentius cap. *In quadam*, ejusdem Tituli, memorans, id tanquam nefarium à se vocatum, & rejectum in quadam sua Decretali. Addo tertium: quód nempé aqua mixta vino non manet aqua inconversa in sua substantia post consecrationem, ut opinabãtur alij: id enim pariter, ac primum despicit idem Pontifex in dicto cap. *Cum Martha*: & refutat S. Thom. *quæst.74. art.8. in corp.* inquiens: *Sed hæc opinio stare non potest: quia in Sacramento altaris post consecrationem nihil est nisi Corpus, & Sanguis Christi*: & mox subdit rationem: *Alioquin non totum adoraretur veneratione Latriæ.* Restat ergo, quód post mixtionem per consecrationem vinum, & aqua convertantur in sanguinem Christi. Hoc concludunt Pontifex, & S. Thom. An mediatè, an immediatè, disputandum est.

c. Cum Martha. Innoc.

c. inquædem

S. Thom.

SECTIO VI.

An aquâ mixta vino consecrando convertatur physicè immediatè in Sanguinem Christi.

54 CElebrè difficultatem celebriorem denuò facit Eminentissimus Dominus Cardin. Capisuccus in speciosissimis suis Selectis *tom.1. controv.1.* per paginas ferè bis centum, mirabili eruditione refertas, mordicùs retinens opinionem negativam immediatæ conversionis aquæ in sanguinem; docensque, aquam sacro Calici im-

Capisuc.

mix-

que miſceatur: quomodo nec Corpus Domini eſt farina ſola, & aqua, niſi utrumque, ſcilicet farina, & aqua, fuerit adunatum. Quemadmodum ergo eſt de neceſſitate aqua, ut cum farina conficiatur panis, qui ſit apta materia Corporis; ſic iuxta Cyprianum, de neceſſitate calicis eſt etiam aqua, ut conficiatur vinum, quod ſit apta materia Calicis, etiam quoad valorem.

42 Concluſio tamen communis, & ferè certa inter reliquos Doctores eſt, aquam non eſſe de neceſſitate Sacramenti in Calice. *Florent.* Colligitur ex Florentino dicente, materiam Calicis eſſe vinum de vite, *cui ante conſecrationem modiciſſima aqua admiſceri debet* quo loquendi modo clarè monſtrat, aquæ mixtionem non eſſe de neceſſitate Sacramenti; ſed præcepti. Et clariùs ex eo quod Armenos, cõſecrantes ſine aqua, nõ moneat, ut alioquin certè debuiſſet, de invaliditate ſuæ conſecrationis; ſed eos dumtaxat reprehendat, quòd ab univerſali Eccleſiæ obſervantiâ diſcrepent. *Trid.* Conſonat Trid. mox citandum docens, eam mixtionem eſſe ex præcepto.

43 Ad primum argumentum Armacani, conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Nam aliud eſt quod Chriſtus ipſe fecit, aliud quod de neceſſitate pro omnibus inſtituit. Alioquin, quia conſecravit in Azymo, invalidè conſecraretur à Græcis in fermentato; aut è contra: & ſi forte conſecravit in vino rubro, invalidè conſecraren us in albo. Potrò nec *ex ſignificatione ſubſtantiali* Sacramenti, nec ex Eccleſiæ traditione conſtat, Chriſtum ſic inſtituiſſe, ut voluerit, ſolum vinum mixtum aqua fore ſemper materiam neceſſariam; ſed vel mixtum, vel non mixtum; ſicut vel album, vel rubrum, quod attinet ad neceſſitatem, & valorem. Dixi: *ex ſignificatione ſubſtantiali*: nam ad ſignificationes aquæ effuſæ è latere Chriſti, & unionis myſticæ populorum cum Chriſto jam eſt neceſſaria mixtio aquæ: ac ejuſmodi ſignificationes accidentariæ ſunt Sacramento.

44 Ad ſecundum fateor, potuiſſe id permitti Armenis; non tamen expediebat: quia mixtio aquæ fuit à tempore Apoſtolorum omnibus præcepta, & tam à Græcis ut plurimum, quàm à Latinis admiſſa: quod ultimum non ſic contigit in uſu azymi.

45 Ad tertium fateor, Verba Cypriani eſſe difficilia: quo potuit moveri Card. *Bellarm.* Bellarm. *lib. 4. de Euc. cap.* 10. ut dixerit non eſſe adeò certum, quòd aqua non ſit de neceſſitate. Dici tamen poteſt, particulam comparativam, *ſicut*, non ſemper ſignificare omnimodam paritatem. Satis ergo erit pro S. Cypriano, quòd voluerit dicere, tam mixtionem vini cum aqua ad Sanguinem, quam farinæ cum aqua ad Corpus, eſſe neceſſariam: quod verum eſt: in diverſo tamen neceſſitatis genere: iſtam nimirum neceſſitate Sacramenti; illam, præcepti. Sic S. Thom. *S. Thom.* Aliter Haunoldus *lib. 4. tract. 3. cap. 3. controv. 2.* exiſtimans, Cyprianum agentem *Haun.* contra Aquarios, ſolùm voluiſſe, aquam ſolam non eſſe materiam aptam: cùm *lib. 2. epiſt. 3.* ſatis indicet, aquam non eſſe de neceſſitate Sacramenti; ſed præcepti.

46 Concluſio igitur ſecunda ſit, aquæ mixtionem in Calice eſſe de neceſſitate præcepti. At qualis præcepti? Divini impoſiti à Chriſto; an humani impoſiti ab Eccleſia? Eſſe ex præcepto Divino Chriſti, docuerunt *Alen.* olim Alenſis, Hoſius, & Caſtrus; & poſtea *Caſtr.* probabiliſſimè Henriquez, Valentia, Areſius, & alij: quibus ſatis favent S. Cyprianus *Hoſi.* & aliquorum Conciliorum loquutiones ſig- *Henr.* nificantes, præceptum dictæ mixtionis eſſe *Valen.* divinum. *Areſ.*

47 Concluſio tamen tertiâ communior, & probabilior eſt, ſolùm eſſe de neceſſi- *Cypr.* tate præcepti humani Eccleſiaſtici à tempore Apoſtolorum. Colligitur ex Trident. *ſeſſ. 22. cap 7.* dicente: *Præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miſcerent.* Non autem diſſimulaſſet Concilium hoc in loco divinum præceptum, ſi illud agnoviſſet: nec credibile eſt non agnoviſſe, ſi adeſſet. Ad loquutiones illas Cypriani, & Conciliorum, reſpondetur, directas tunc fuiſſe, aut contra Aquarios, qui aquam non mixtam vino; aut contra alios, qui vinum mixtum aliis liquoribus præter aquam, ſacro Calici adhibebat. Utrúque autem id eſt contra divinam Chriſti inſtitutionem, atqueadeò contra divinum præceptum. Unde præceptum mixtionis aquæ cum vino poteſt quoad hoc dici divinum: quatenus nempè præcipit, ne aqua ſine vino adhibeatur; nèvé liquores alij admiſceantur; non verò quatenus præcipit, ut vino admiſceatur aqua: quoad hoc enim diſtinctim ait Tridentinum impoſitum, *eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus.*

48 Et quidem ſub peccato graviſſimo. Quia, quamvis quantitas aquæ miſcendæ ſit in ſe phyſicè modica; in ratione tamen ſignificationis magni ponderis eſt, & moraliter materia perquàm gravis. Uſqueadeò, ut ſi fortè haberi non poſſent illæ guttulæ aquæ, omittì deberet Miſſa, potius quàm in ſolo vino conſecrare, quamvis dies eſſet feſtus, & Populus manſurus ſine Miſſa. Quinimo, & quamvis ægrotus moreretur ſine Viatico *Mart.* quidquid dixerit P. Martinon apud Henſũ, *Idem.*

Nec

Nec obest, quòd præceptum Viatici sit divinum; & præceptum mixtionis aquæ sit Ecclesiasticum. Nam pro his, & similibus casibus non urget præceptum divinum, ut in simili diximus *sect.2. num.13.* Cæterum, si Sacerdos vitam esset amissurus, nisi consecraret sine aqua, posset id licitè: ob rationem, & cum limitatione, quas in simili posuimus ibidem. Hæc Bernal.

Ben.

Dicast.

49 Additque Dicastillus, *num. 121.* ex Azor *lib.10. cap. 29.* Sacerdotem illicitè consecrantem sine aqua suspendi juxta Sacros Canones ab Officio: sicut qui aliquid præter panem, & præter vinum cum aqua adhiberet sacrificio. Cap. *Litteras, de Celebr. Miss.* & cap. *Cum omne crimen, de Consecr. dist.2.* Et nota, eam aquæ mixtionem debere fieri ad altare pro sacrificio: non enim sufficeret si vinum jam in dolio, seu in urceolo fuisset aquâ mixtum.

Azor.

Cap. Litteras.

Cap. Cũ omne.

50 Quid, si Sacerdos post oblationem animadvertat, se non infudisse aquam? Respondetur primò. Si id animadvertat ante consecrationem Calicis, tenetur infundere; si post Calicis consecrationem, non infundat, sed progrediatur sine aqua. Casu verò quo, quando defectus animadvertitur, haberi non possit aqua, si fortè jam Sacerdos consecravit corpus, debet progredi, & integrare sacrificium, consecrans Calicem cum vino sine aqua: quia integritas sacrificij est de jure divino, quod prævalet juri humano Ecclesiastico mixtionis aquæ. Id extendit Henaus ad casum, quo defectus aquæ adverteretur incepto Canone, quamvis ante consecrationem corporis. Quod ego non probo: quia id non probat ratio integritatis sacrificij nondum inchoati quoad essentialia.

Hena.

51 Aqua miscenda sacro Calici debet esse naturalis: hæc enim aquæ nomine venit, absolutè loquendo. Unde inepta, ac certò illicita foret aqua rosacea, lachrymæ, similesque liquores. Aqua, quam distillant vites, antequam pullulent, fortè est aqua naturalis, ideòque materia probabilis; certò tamen illicita, ut docet curiosè Dicastillus de Baptismo *disp.1. num.39.* Idem colligitur ex Diana *part.3. tract.4. ref.5.* de aqua, in quam resolvitur sal: & quam exsudant interdum lapides, & parietes: & quæ condensatur in operimento ollæ ex vaporibus aquæ bullientis. Miscere calidam, putat mortale Fagundez. Sunt tamen, qui id excusent apud Busemb. si in terris frigidioribus de more id fit, nè ita facilè glacietur vinum. Refrigerare nivibus eam aquam putat etiam mortale idem Fagund. sed malè, ut benè notat Gobat, insinuans, nec veniale fore per se loquēdo: *tract. 3. ser.2.*

Dicast.

Dian.

Fagun.

Busemb.

Gobat.

52 Quantitas demum aquæ vino miscendæ debet esse modicissima, ut loquitur Florentinum: quamvis Triburiense permisisse dicatur tertiam partem aquæ ad duas vini: quod videtur nimis laxum. Castropalaus ait, adhiberi posse octavam, vel decimã partem. Bernal octavam cum vino debiliori, sextam cum potentiori. Delugo, & Tamburinus, absolutè quintam, vel sextam. Busembaum dubiæ validitatis censet jam consecrationem, si pluſquam tertia pars Calicis esset aqua. Hæc satis ad corrigendos nimios aliquorum Sacerdotum scrupulos.

Florent.

Tribur.

Palaus.

Bern.

Lug.

Tambur.

Busemb.

53 Iam, ut expeditum faciamus transitum ad difficultatem sequentem, suppono tria ut certa. Unum, quod aqua mixta vino non convertitur per consecrationem in aquã illam, quæ fluxit é latere Christi: id enim non indicant verba: *Hic est sanguis, &c.* & despicitur ab Innocentio III. cap. *Cum Martha de Celebr. Missar.* Alterum, quód nec convertitur in humorem phlegmaticum Christi distinctum à sanguine: id enim per errorem ab aliquibus dictum memorat idem Innocentius cap. *In quadam*, ejusdem Tituli, memorans, id tanquam nefarium à se vocatum, & rejectum in quadam sua Decretali. Addo tertium: quód nempé aqua mixta vino non manet aqua inconversa in sua substantia post consecrationem, ut opinabãtur alij: id enim pariter, ac primum despicit idem Pontifex in dicto cap. *Cum Martha*: & refutat S. Thom. *quæst.74. art.8. in corp.* inquiens: *Sed hæc opinio stare non potest: quia in Sacramento altaris post consecrationem nihil est nisi Corpus, & Sanguis Christi*: & mox subdit rationem: *Alioquin non totum adoraretur veneratione Latriæ.* Restat ergo, quód post mixtionem per consecrationem vinum, & aqua convertantur in sanguinem Christi. Hoc concludunt Pontifex, & S. Thom. An mediatè, an immediatè, disputandum est.

c. Cum Martha. Innoc.

c. inquæ. dem

S. Thom.

SECTIO VI.

An aquâ mixta vino consecrando convertatur physicè immediatè in Sanguinem Christi,

54 CElebrè difficultatem celebriorem denuò facit Eminentissimus Dominus Cardin. Capisuccus in speciosissimis suis Selectis *tom.1. controv.1.* per paginas ferè bis centum, mirabili eruditione refertas, mordicùs retinens opinionem negativam immediatæ conversionis aquæ in sanguinem; docensque, aquam sacro Calici immi-

Capisuc.

mix-

mixtam non converti in ſanguinem Chriſti, niſi priùs converſam in vinum. Pro ſe refert nubem Patronorum §. 15. & poſſem jure forſan meliori ſupererogare multos alios. Sic, ut paucis verbis multa, magnaque nomina cõprehendam, tenent communiter Thomiſtæ, Scotiſtæ, & Nominales S. Bonav. Alenſis, Villalobos, & alij apud Leandrum *tract. 7. diſp. 8. quæſt. 52.* id etiam probabilius judicantem. E Schola Ieſuita Magnus Suarez, Vaſquez, Valentia, Azor, Amicus, Palaus, Martinon, Fagundez, Tannerus, Eſcobar, & alij. Accedunt Theologi Cathechiſmi Romani, quatenus ajunt, aquam illam judicio Eccleſiaſticorum converti in vinum.

Thom. *Scot.* *Nomin.* *Bonav.* *Alen.* *Villal.* *Leand.* *Suar.* *Vaſq.* *Valen.* *Azor* *Amic.* *Palauſ.* *Martin.* *Fagund.* *Tanner.* *Eſcob.* *Catech.* *Rom.* *Caiet.*

55 Niſi fortè Cathechiſmum intelligere oporteat, & ſufficiat ſatis congruè de converſione morali per mixtionem, quâ factâ totum illud mixtum reputatur, & dicitur vinum; ſive phyſicè ſint omnes aquæ guttulæ præconverſæ in ſubſtantiam vini; ſive non. In quo ſenſu moraliori explicari etiam meritò poſſet S. Thom. né ſibi contrarius videatur varijs in locis, prout ſolet utrinque citari obiter loquutus; & forté temper opinativè tantùm; ut exponit ipſemet alibi Innocentium Tertium, & exponitur alibi ab Archicommentatore ſuo Caietano. Similiter, ſi placet, intelligi poſſunt non pauci ex alijs, quos adrogat ſibi præfidenter hæc opinio, potiùs ex ſuperficiæ verborum quibus curſim præſitentur converſionem aquæ in vinũm, quàm ex genuino ſenſu phyſicæ præconverſionis: de quo, cùm ſit præſentis controverſiæ ſcopus, alij non curarunt; alij curarunt ſtudioſiùs ab illo abſtrahere, eó dumtaxat intenti, eoque contenti, quód aqua poſt conſecrationem non maneat in ſubſtantia aquæ, nec converſa in aliam ſubſtantiam, niſi in ſanguinem Chriſti: in quo convenimus juxta ſacros Canones, & conſtantes doctrinas S. Thom. & Eccleſiæ Patrum, ut monui *nu.* 53. De cætero, malim equidem plures Aſſertores præfatæ opinioni ultrò donare, ut numerum augeant, quàm de ſingulorum verbis, & ſenſibus prolixiùs contendere. Veniendum ad argumenta.

56 Arguitur primò ex celebri cap. *Cum Martha*. Ubi Innocentius tertius, doctiſſimus Pontifex, conſultus à Lugdunenſibus circa aquam ſacri Calicis, refert tres ſententias. Primam, quæ dicebat, aquam Calicis converti per conſecrationem in aquam, quæ fluxit é latere Chriſti. Secundam, quæ dicebat: *Quòd aqua cùm vino tranſubſtantiatur in ſanguinem: cùm in vinum tranſeat mixta vino; licet Phyſici contrarium aſſeverent, qui aquam à vino per artificium poſſe adſerunt ſeparari.* Tertiam, quæ dicebat, aquam poſt conſecrationem manere in Calice ſubſtantialiter immutatam, ac proinde in ſua ſubſtantia aquæ. Relatis his tribus ſententijs, ſubdit Pontifex: *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ aſſerit, aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari*: ſcilicet ſecunda. Hinc ergo ſententiæ acquievit Pontifex, & nos acquieſcere debemus. Sed erat ſecunda ſententia, quód aqua *cum vino tranſubſtantiatur in ſanguinem, cùm in vinũ tranſeat*: ergo prius tranſiens, & præconverſa in vinum, & non aliter. Addit Capiſucchus § 7. *& ſeqq.* ex Vaſquez *diſp. 178. cap. 2.* ſententiam immediatæ converſionis aquæ in ſanguinem, nec recenſitam, nec memoratam ibi fuiſſe à Pontifice inter illas, quas retulit, utpote alienam à mẽte Pontificis, & Theologorum.

c. Cum Martha *S. Thom.* *Eſpar.* *Capiſuc.* *Capiſuc. Vaſq.*

57 Reſpondetur, concedendo totum libentiſſimè uſque ad primam conſequentiam inclusivè. Minor tamen ſubjuncta falſa vera non eſt: quia dividit clariſſimè verba, & mentem Pontificis. Nec valet, quód Gloſſa, & plerique Theologi, & Canoniſtæ ſic interpretentur: quia ubi Textus clarus eſt, non lucem, ſed injuriam inferunt Interpretationes Textui contrariæ. Textus clarus eſt in verbis, quibus Pontifex retulit ſecundam ſententiam, quæ poſtmodum ab ipſo *probabilior judicatur*. Ut nemo non videat, ſi animo minimè præoccupato Textum legat, in verbis, quibus ibi refertur ſecunda ſententia, duo diſtinctiſſima contineri. Unum, *quòd aqua cum vino tranſubſtantiatur in ſanguinem*: & in hoc convenimus: cùm certum ſit, nec converti in aquam lateris Chriſti, ut ajebat prima ſententia; nec manere in ſua aquæ ſubſtantia, ut ajebat tertia. Alterum, quòd duplex eſt modus eam aquæ in ſanguinem converſionem defendendi: prior, *mediatè*, ſi nempé *in vinum tranſeat mixta vino*: quod eſt præconverti in vinum, ut deinde convertatur in ſanguinem juxta unam ſententiam, nunc arguentium: poſterior modus eſt *immediatè*, ſi nempé etiamſi non tranſeat priùs in vinum, *ut Phyſici aſſeverant*, convertatur cum vino in ſanguinem, juxta aliorum ſententiam, quam nos tuebimur. S. Thom. *quæſt. 74. art. 8.* ſic non diſtinxit; quia non retulit integra verba, quibus Pontifex ſecundam hanc ſententiam bimembrem propoſuit. Forté, ut conjectatur doctiſſimus Eſparza *quæſt. 62.* quia S. Tho. nunc temporis non habuit bonum exemplar Decretalis: quod non eſſet ita mirum, ac ponderat Capiſuechus § 11.

Gloſſa.

58 Porrò Pontifex elegit mox ſecundam

dam ſententiam quoad primam ejus partem: En verba: *Probabilior iudicatur, qua aſſeris aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari* In quo ſatis receſſit à prima, & à tertia ſententia. Quoad duos tamen dictos modos illam ſecundam defendendi; ſive per *mediatam*, ſive per *immediatam* converſionem aquæ in ſanguinem diſtinctiſſimè à ſe memoratos in propoſitione ſecundæ ſententiæ, nihil declarat in ejus approbatione. Non certè, quia duos illos modos ignoraverit; erat quippè doctiſſimus; & duo illi modi defendendi eam ſententiam, quos ipſemet retulit, erant jam tunc temporis notiſſimi apud Lugdunenſes, quibus dirigebatur illa Decretalis, ut evidenter conſtat ex Epiſtola Gaufredi Claravallenſis ad Cardinalem Albanenſem conſtitutum à Pontifice ſuper hoc negotio, quam ex Buronio *ad ann.* 1188. refcribit idem Capiſuccus §. 17. Sed quia utrumque modũ in ſua probabilitate relinquens, Scholaſticorum Diſputationi remiſſit, ut mos eſt Concilijs, & Pontificibus in ſuis declarationibus, prudentiſſimè ſecernentibus certa ab incertis, vel abſtrahentibus, ut plurimum inter utrinque probabilia. His ſic explicatis, & diſtinctis circa minorem ſubjunctam truncantem minùs fideliter bimembrem ſententiam, quam ſecundo loco retulerat Pontifex; ſecunda conſequentia claré falſa eſt, & illegitima.

Gaufr. *Baron.* *Capiſ.*

59 Hinc videas, precor, primò, quàm à vero aberret additamentum illud Capiſſucchi, quòd ſententia immediatæ converſionis aquæ in ſanguinem non fuerit à Pontifice recenſita, in quo defecit etiam cum alijs Amicus noſter *diſp. 16. ſec. 2.* Eam utique recenſuit Pontifex in ſecundâ illa ſententia bimembri, quam retulit ex illorum nempe iudicio, qui ratione phyſicâ, & experientiâ edocti aſſeverabant, aquam mixtam vino nuſquam converti in vinum; & in calice non converti in aquam lateris Chriſti, ut errabat prima ſententia; nec manere inconverſam, ut errabat tertia; ſed converti in ſanguinem Chriſti, ut dicebat ſecunda, quam quo adhuc approbavit Pontifex. Videas ſecundò, quàm immeritò Gavatius apud Capiſſucchum. §. 11. non ſatis conſcius, quis, quantuſque Vir fuerit Pater Doctor Auguſtinus Bernal, inter primarios præſentis ſæculi Theologos, & Philoſophos multa cum laude numerandus, in Latinis, Græciſque verſatiſſimus, ſi quis alter; eum audeat increpare, quod quatuor numeret ſententias ibi relatas à Pontifice, cùm Pontifex non numeret niſi primam, ſecundam, & tertiam; indeque fateamur omnes, eſſe tres. Potuit enim animadvertiſſe, ſecundam eſſe bimembrem, & in duas diſtinctiſſimas ſententias bipartitam in ipſis verbis, quibus eam retulit Pontifex. Supputet nunc Gavatius, & inveniet quatuor ſententias: ſicut in duobus ovis cum uno pari ovorum inveniet quatuor ova; & in duobus ſeorſim drachmatibus, & uno didrachmate, inveniet quatuor drachmata: quæ, ſi velit, vocare poterit quatuor; ſi velit, vocare poterit tria: dummodo unum ex illis duplex eſſe animadvertat. Sic etiam, ut plura taceamus, Tribus Iſraelis duodecim numerantur idemtidem in Scripturis; cùm tamen Venerab. Beda, alijque tertiamdecimam adnumerent: ſubdivisâ videlicet Tribu Ioſeph bimembri in duas, Ephraimi, & Manaſſis. Videas tertiò, quàm iniuſtè ingeminet Capiſſucchus præſertim §. 1. & 15. ſententiam immediatæ converſionis aquæ in ſanguinem eſſe novam, & primum propugnatorem habuiſſe Patrem Coninch; cùm certiſſimè ſit antiquior Decretali *Cum Marthæ*. Legatur in id Cardinalis Baron. *ad ann.* 1188. & apud ipſum Epiſtola Gaufredi. At ſaltem, quando ſententia hæc annos expleverit bis mille, ſupra quingentos, quos iam numerat; non erit nova: nec tamen ab antiquitate magis erit vera, quàm nunc.

Beda. *Capiſſuc.* *Baron.* *Ganfred.*

60 Arguitur ſecundò ex Concilio Florentino dicente, aquam Calicis debere eſſe *modiciſſimam*. Cuius ratio putatur eſſe, ne perveniatur ad conſecrationem antequam potuerit in vinum converti: cùm certè converſio ea phyſica, & naturalis eò difficilior futura ſit, quò maior fuerit cum vino pars aquæ. Senſit ergo Concilium, aquam illam debere naturaliter phyſicè in vinum præconverti. Confirmatur: nam ob eamdem rationem permittunt aliqui maiuſculam partem aquæ cum vino generoſiori, ut retulimus *nu.* 52. utpotè activiori ad convertendam aquam in ſe. Alioquin, ad quid etiam Sacerdotum ſolicitudo, ut modiciſſima immiſceatur?

Florent.

61 Reſpondetur facile, illam rationem non dari à Florentino: forté, quia non veram. Unde conſequentia nulla eſt; cùm nec ſit Florentini, nec ex Florentino, nec ex eius rationibus ritè deducta. Rationes, quæ ex Florentino erui valent, ſunt: prima, quia aqua lateris Chriſti modica fuit reſpectu ſanguinis effuſi: ſecunda, quia multò maior eſt Maieſtas Chriſti ſignificata per vinum, quàm fragilitas populorum ſignificata per aquam, ut ait Concil. Triburienſe: tertia, quia ſi multum aquæ miſceretur, iam illud mixtum non eſſet abſolutè vinum: & in reciproco congreſſu accidentium ſeſe communicantium ex altera in alteram illarum ſubſtantiarum ſic

Tribur.

mix-

mixtarum, accidentia vini non ita prævalerent accidentibus aquæ, prout oportet ad converſionem ſaltem moralem aquæ in vinum, potiùs quam vini in aquam, dicaturque totum illud abſolutè vinum uſuale potius, quàm aqua uſualis. Quo fit etiam ſatis ad confirmationem: nam quò generoſius eſt vinum, eò magis prævalet, ut mixtum ex illo, & aqua ſit, & dicatur abſolutè vinum uſuale; ſive convertat in ſe aquam phyſicè, ſive non. Sollicitudo autem illa Sacerdotum, niſi plus nimiò ſcrupuloſa ſit, laudabilis eſt, ut te conformem Florentino, ſic ob dictas rationes admonenti.

62 Reſponderi ſecundò poteſt: quòd, cùm ſit certum, aquam, ſi extè priùs convertatur in vinum, converti in ſanguinem, & aliquam habeat adhuc probabilitatem, non converti in ſanguinem, niſi phyſicè præconvertatur in vinum; prudentiſſimè præcipit Concilium aquam modiciſſimam, ut minùs difficilis ſit, ſi forte poſſibilis eſt, phyſica, & ſubſtantialis præconverſio aquæ in vinum; & minùs incerta apud omnes converſio alicuius ſaltem guttulæ aquæ in ſanguinem. Proinde tamen non tollitur, quominus probabilius ſit, & abſolutè verum, converti totam immediatè in ſanguinem, quamvis non præconverſam phyſicè in vinum: ut cuilibet intelligenti terminos perſpicuum fiet. Quo fit etiam ſatis ad Rituale Romanum citatum *Capiſſuc.* à Capiſſuccho, §. 14, ſapienter monens aquæ modicitatem: *quia*, inquit, *eam in vinum converti oportet*: quatenus ſcilicet, ſi intelligendum id eſt de converſione ſubſtantiali phyſicâ, facilius fiat, quod fortè coadunatis naturis aquæ vinique non repugnat; ſi verò de converſione morali per mutuam communicationem accidentium, ut prævaleant accidentia multi vini accidentibus modiciſſimæ aquæ; ſicque mixtum illud ſit potiùs vinum uſuale, quam aqua uſualis: quamvis tam ſubſtantia aquæ, quam vini ibi lateat ante conſecrationem.

63 Nec contra hoc excogitabile quidquam eſt ex prohibitione primæ propoſitionis Decreti S. P. N. Innocentij XI. circa opiniones probabiles de valore Sacramentorum. *Innoc. 11.* Nam pro valore ſimò, & pro licitâ conſecratione Euchariſtiæ utraque hæc ſententia convenit in praxi adhibendi vinum mixtum aquâ modiciſſimâ: ſentire autem utrinque illâ aquæ modicitatem aut converti immediatè ſubſtantialiter in vinum, & mediatè in ſanguinem, aut immediatè in ſanguinem, mera ſpeculatio eſt non varians factum, aut re ipsâ faciendum à Miniſtro.

64 Arguitur tertiò, Solum id, quod adhibetur conſecrationi Calicis, ut materia Euchariſtiæ quoad ſanguinem, convertitur, & tranſubſtantiatur in Sanguinem Chriſti: ſed ſolum vinum de vite adhibetur ut materia quo ad ſanguinem, ſicut ſolus panis triticeus quo ad corpus: ergo ſolum vinum de vite convertitur immediatè in ſanguinem. Atqui aqua non eſt vinum de vite: ergo non convertitur immediatè in ſanguinem. Addit optimè Capiſſucchus §. 24. Concilium Florentinum præcipiens mixtionem aquæ modiciſſimæ, non feciſſe, quòd aqua illa fieret materia Sacramenti: hæc enim à voluntate Chriſti Inſtitutoris eſt; ſolum ergo fecit, quòd materiæ inſtitutæ à Chriſto, ſcilicet vino, admiſceretur aqua: quæ videlicet converſa in vinum, & non aliter fiat vinum, & materia Sacramenti cadens ſub inſtitutionem Chriſti: ergo, ſi non præconvertatur in vinum, nullatenus eſt materia tranſubſtantialis in ſanguinem: non enim id haberet ex inſtitutione Chriſti, qui ſolum vinum inſtituit in materiam: nec ex præcepto Florentini, non habentis facultatem inſtituendi novam materiam à Chriſto non inſtitutam. *Capiſſuc.*

65 Reſpondetur, incipiendo ab hoc additamento, veriſſimum eſſe antecedens; falſum verò conſequentiam. Chriſtus enim fecit materiam Euchariſtiæ vinum vitis uſuale, ſive purum, ſive limphatum. Sic autem limphatum, eſt vinum, & modica aqua mixtim, & abſolutè dicitur vinum juxta Salomonicum illud: *bibite vinum, quod miſcui vobis.* Ex ijs autem materijs à Chriſto inſtitutis, obſervavit Eccleſia, & inſtis de cauſis præcepit de novo Florentinum, ut conſecratio fieret in vino limphato: id eſt, in vino aquâ modiciſſimâ mixto: quod nihil eſt aliud, niſi vinum, & aqua modica mixtim. Hoc quidem non eſt novam materiam Sacramenti inſtituere; ſed ex materijs à Chriſto inſtitutis, præcipere, ut potiùs in una, quàm in alia conſecretur: non pro neceſſitate Sacramenti; ſed ob alias cauſas iuſtiſſimas. Sic, ſuppoſitâ Chriſti inſtitutione panis triticei, ſive azymi, ſive fermentati, in materiam conſecrationis corporis, præcipit Eccleſia pro Latinis, adhiberi azymum, pro Græcis, fermentatum: quod non eſt inſtituere novas materias in Sacramentis; ſed, ex materijs à Chriſto inſtitutis, pro Græcis unam; pro Latinis aliam, quoad licitum uſum, eligere, & præcipere inſtas ob cauſas. Nec prodeſt diſparitas quòd panis, ſive fermentatus ſit, ſive azymus, abſolutè eſt panis triticeus inſtitutus à Chriſto. Nam etiam vinum, ſive purum ſit, ſive modiciſſimâ aquâ limphatum, abſolutè eſt vinum à Chriſto inſtitutum. Saltem nemo negabit *Prov. 9.*

fuiſſe

fuiſſe ſic inſtituibile. Quo autem, vel mediocri argumento nobis probatur, non ſic fuiſſe inſtitutum? Cùm præſertim nobis faveant quoad hunc modum inſtituendi factum Chriſti, præceptum Florentini, & uſus Eccleſiæ,

Coquet. *Capiſſuc.* Nec mirari non poſſum admirationes, quas ex Coqueto refert, & imitatur Capiſucchus §. 29. ſuper hanc doctrinam tritiſſimam, & genuinè deductam ex inſtitutione, ex facto Chriſti & ex verbis Conciliorum, & SS. Patrum expendendis *ſec.3. num. 99.* in eo magis admirandas, quòd ex præcepto Florentini, prædictæ inſtitutioni Chriſti ſubnixo, velit arguere contra prædictam inſtitutionem.

66 Nunc ad argumentum, conceſſa maiori, diſtinguatur minor: ſolum vinum de vite adhibetur quoad ſanguinem pro materia neceſſaria ad valorem Sacramenti, concedo: quia ſine vino nequit fieri Sacramentum ſanguinis Chriſti; pro materia ſufficienti ad valorem, & neceſſariâ ad conſecrationem licitam; nego: nam hæc materia ex inſtitutione Chriſti, ſufficiens ad valorem, & neceſſaria ad licitè ex præcepto Eccleſiæ, eſt non tantummodò purum vinum; ſed etiam limphatum: quod eſt, vinum, & parum aquæ mixtim: materia autem neceſſaria ad licitè ex præcepto Eccleſiæ, eſt tantummodo limphatum, hoc eſt, vinum, & parum aquæ mixtim. Sicut in eodem exemplo panis pro corpore; fermentatus non eſt materia neceſſaria ad valorem; eſt tamen materia ſufficiens, ad valorem ex inſtitutione Chriſti; & neceſſaria ad licitè pro Græcis ex præcepto Eccleſiæ. Quid clarius? Eâdem igitur claritate diſtinguatur conſequens: ſolum vinum, purumque omninò de vite, nego; ſive purum, ſive limphatum, concedo: quia tam purum, quam limphatum; ſeu mixtum illud ex vino, & aqua modicâ, quamvis in vinum ſubſtantialiter non præconversâ, eſt materia ſufficiens. Minor ſubjuncta diſtinguenda ſimiliter eſt: aqua ſola non eſt vinum de vite, concedo: aqua modica mixtim, & vinum multum de vite, non eſt vinum de vite: ſubdiſtinguo: non eſt vinum purum de vite, concedo; non eſt vinum de vite limphatum, & quantum ſufficit, ut mixtura illa dicatur abſolutiſsimè vinum de vite, nego minorem, & conſequentiam. Myſterium nobis obtendere volebant Coquetus, & Capiſucchus §. 29. in eo quòd

Capiſuc. *Coquet.* materia ſacri Calicis non utcumque dicatur vinum; ſed vinum de vite. Quaſi vinum etiã de vite non ſit, & dicatur, vel purum, vel limphatum; aut limphabile non eſſet vinum vitigineum: ut piaculum fuerit Sapientiſſimi Cardin. de Lugo, ſemel omiſiſſe additamentum illud, *de vite*, ſupra quod cadere nequeat diſtinctio *puri*, vel *limphati*.

67 Quo, ſi non acquieſcant Adverſarij, nec portio illa vini, in quod præconverſam dicunt ſubſtantialiter aquam, eſſet aptᵃ materia; quia non eſſet vinum de vite, ſed dᵇ aquæ: ex qua, & ex maiori parte vini præexiſtentis coaleſcit mixtum ex vino vitis, & cˣ vino, quod non eſt vitis. Reſpondent, & benè, eam portionem vini eſſe ejuſdem ſpeciei cum vino vitis, ſicut eſſet totum vinum ex aqua factum in Cana Galileæ; aqua verò non eſt ejuſdem ſpeciei cum vino. At certè diſparitas hæc nihil prodeſſet ad rationem materiæ Sacramenti, ſi voluntas Chriſti inſtituentis Sacramenta, eorumque materias, non extenderetur ad vinum naturaliter non expreſſum ex vite; ſed potiùs, ut potuit, ad aquam mixtam vino, & non converſam in vinum. Igitur eò veniri neceſſe eſt, quòd Chriſtus ſic reipsâ voluerit: ideòque vinum vitigineum, ſive rubrum, ſive album, eſt certa materia, quamvis Chriſtus, vel in rubro, vel in albo ſolum conſecraverit; quia eius inſtituentis voluntas ad utrumque ſe extendit, ſive ſpecie differant, ſive non, quod momenti non eſt. Voluntatem autem Chriſti pro materia ſanguinis ſe extendiſſe ad aquam mixtam vino, ſive tranſubſtantiatam, ſive intranſubſtantiatam in vinum, ſatis perſuadent factum Chriſti inſtituentis, & praxis Eccleſiarum, ut expendemus *ſect. 9.* non divinando, nec cõminiſcendo, nec ſomniando, ut exprobant, & non probant arguentes; ſed ſoliditsimè, & veroſimillimè, philoſophicè, ac Theologicè ratiocinando ex ſacris Liturgijs, Concilijs, & SS. Patribus.

SECTIO VII.

Alia proponuntur, & diluuntur ſententiæ negantis argumenta.

68 ARguitur quartò ex Tridentino *ſeſſ.13.can.2.* docente, poſt conſecrationem manere ſolùm ſpecies panis, & vini: ergo quia aqua debet præconverti in vinum: alioquin non ſolùm ſpecies panis, & vini; quin etiam ſpecies aquæ manerent poſt conſecrationem. Præterea *Can.* 4. docet, *ſub ſingulis cuiuſcunque ſpeciei partibus ſeparatione factâ totum Chriſtum contineri.* Ex quo, ſi ſpecies aquæ non præconverſæ in vinum manerent in ſacro Calice, fieret, quòd, ſeparatione factâ ſpecierum aquæ ab ſpeciebus vini, ſub illis etiam aqueis ſeorſim contineretur Chriſtus: ac proinde ſtaret ibi Sacramentum abſque ullis ſpeciebus

Trid.

DISPUTATIO XXII. ET III.

DE

MATERIA REMOTA SACRAMENTI Eucharistiæ.

1 MATERIAM proximam Eucharistiæ esse coniunctum ex Christo,& speciebus,constat ex dictis: quia tale coniunctum est rectum, quòd in concreto Sacramenti habet se tanquam subjectum ad formam significationis gratiæ, quæ forma est voluntas Institutoris, denominans illud signum adplacitum Christi significativum,& practicè causativum gratiæ: & ad formam sensibilitatis, quæ forma sunt verba, à quibus denominatur,& formaliter constituitur sensibile. Disputaturi jam sumus de materia remota: de illa nimirum, non ex qua constituitur Sacramentum; sed circa quam, vel supra quam præsuppositâ proferuntur verba consecrativa Sacramenti: cuius materiæ substantialis accidentia manent constitutivè in Sacramento, exclusâ substantiâ: ideòque vocatur aliter, materia extrinseca respectu Sacramenti; & aliter,materia,*circa quam*, respectu Verborum, quæ sunt forma, seu formula consecrandi. Quemadmodum in Sacramento Pœnitentiæ peccata dicuntur materia remota, materia extrinseca, & materia, circà quam versantur verba absolutoria; non utique manens in Sacramento; sed præsupposita ad Sacramentum, & per ipsum Sacramentum destruenda. In alijs Sacramentis non sic omnino se habet materia, quæ vocatur remota: quia non destruitur vi Sacramenti: nec enim aqua in Baptismo, nec oleum in Extrema Unctione destruuntur substantialiter cum Sacramentum peragitur.

SECTIO I.

An, & quis Panis sit materia remota Eucharistiæ quoad Corpus.

2 PAnem,& solum panem esse materiam remotam consecrationis Corporis,est de Fide. Ex Concilijs Lateranens. in cap. *Firmiter*, Florentin. *in Instruc. Armen.* & Trident. *sess. 13.& 21.* & ex perpetuâ Ecclesiæ traditione ductâ ex facto Christi: qui, ut narrant Evangelistæ, consecraturus corpus: *accepit panem, benedixit, &c.* Nec alia legitur usquam materia in Christi corpus consecrata. Rideṇdos, & pudendos circa hoc Hæreticorum errores memorat Suarez *disp. 43.*

Lateran. Florent. Trid. *Mat. 26.* *Suar.*

3 Hinc materia consecrabilis in Corpus Christi debet esse panis absolutè dictus. Unde qui solum improprié, & abusivè dicitur panis, non est apta materia: ut panes, qui fieri solent ex siliquis, castaneis, amygdalis, ciceribus, similibusque fructibus, ac leguminibus: & qui fiunt ex furfure triticeo. Lugus *disp. 4. n 64.*

Lug.

4 Panis ergo debet esse ex granis frumenti, ut statuitur in veteribus Concilijs: nam solus ille,qui fit ex frumento dicitur absolutè,& propriè panis.

5 Frumentum autem generaliter loquendo dicitur,juxta Plinium,granum emittem

Plin.

teis culmum, & ſpicam cum ariſtis: ut triticum, ſiligo, quod eſt granum ſine tunica, hordeum, ſpelta, quæ dicitur eſſe ſpecies quædam hordei, oriza, far Italicum, Hiſpane, *candeal*, alicaſtrum, quod eſt in Hiſpania triticum trimeſtre, & vocatur ab aliis, *alicu*; ab aliis *candia*; tipha, Hiſpane, *centeno*, quod & Thom. vocat ſiliginem. alij *fecale*, aut *ſpeltum*, ut videre eſt apud Dicaſtillum *diſp 2. num.* 18. Qui proinde prudenter monet, non eſſe nimis, & ſine examine fidendum Authoribus Latinis circa hæc nomina: quippè granum idem, quod unus intelligit uno nomine, alius alio intelligit, & ſignificat. Contractè tamen, & preſbijs loquendo, frumentum dicitur ſolum triticum, ut videbimus *nu* 8. *Dicaſt.*

6 Dubium olim erat: an omnis panis ex frumento, ſumpto in illa generalitate cõprehendente omnia prædicta grana, ſit apta materia Euchariſtiæ. Affirmaſſe dicuntur Gabriel & ex parte Caietanus, expreſsè contra S. Thomam *3. part. quæſt. 74 artic. 3.* dicens, ex frumento, quod triticum non ſit, fieri panem, qui ſit materia Euchariſtiæ. Quæ tamen opinatio Caietani poſt Romanam editionem expuncta eſt è Partibus S. Tho. *Gabr. Caiet. S. Thom.*

7 Concluſio nunc eſt ita certa, ut, teſte Dicaſtillo, nequeat ſine nota ſaltem temeritatis negari; ſolum panem ex tritico, quod præſertim dicitur abſolutè frumentum, eſſe materiam aptam conſecrari in Corpus Chriſti. Conſtat ex Florentino ſtatuente, materiam Euchariſtiæ eſſe panem triticeum, & vinum de vite. Unde Dicaſtillus indignum penè judicat Caietanum loquutum poſt Florentinum. Addit que Bernal, nomine panis abſolutè ex communi uſu intelligi triticeum: ac proinde eo ipſo, quod materia Euchariſtiæ dicatur panis, intelligi ſolum triticeum. *Dicaſt. Florent. Dicaſt. Bern.*

8 Nec obſtant alia Concilia ſolùm ad id requirentia panem ex frumento. Nam ad hiſce locutum frumentum non in laxiori, & generaliori illâ ſignificatione comprehendente præter triticum alia ſupradicta grana; ſed in aliâ præſtiti ſignificatione ex uſu contractâ ad ſolum triticum. Quæ præſtio frumenti magis ſignificatio magis propria, magis nota omnium eſt. Sic Gen. 44. legitur *impleſſe ſaccos frumento*: hebraicè *Ochel*: quæ vox reponitur paullò poſt ubi nos legimus, *triticum*. Ibidem memorat facer Textus *terram frumenti, hordei, & vinearum*: ſicut etiam dicitur Hierem. 41. *Theſauros habens in agro, frumenti, & hordei*: ubi clarè contra-diſtinguuntur frumentum abſolutè ſumptum pro tritico ab aliis granis non triticeis. Hinc Hieronymus *ad c. 9. Zachar.* verba Ioan. 12. *Niſi granum frumenti*; exponit: *Niſi granum tritici*: & addit ad rem noſtram: *De hoc tritico efficitur panis ille, qui de Cœlo deſcendit.* Hinc communis loquutio Gotholaunica ſolum triticum vocat, *formẽt*, quod ſonat *frumentum*. *Gen. 44. Hierem. 41. Hieron.*

9 Panis igitur ex quacumque ſpecie tritici propriè ſic dicti, qualis eſt etiam ab dubio ſiligo, erit apta materia Euchariſtiæ conſecrabilis in Corpus Chriſti. Unde, ſi panis fiat ex granis, de quibus certum eſt, non eſſe triticum, qualia ſunt hordeum, oriza, Maizius, millium, ciceres, & ſimilia; certum erit, ejuſmodi panem non eſſe materiam aptam, ſicut etiam, nec panem jam conſecratum; cum certè jam panis triticeus non ſit. Si verò fiat panis ex granis, de quibus eſt dubium, an verè ſint triticum, necne; dubium ſimiliter erit, fintne, vel non ſint apta materia *ad validam conſecrationem*. Talia ſunt præſertim typha, Hiſpanè, *centeno*, Gotholaunicè, *ſegol*: quam S. Thom. eam vocans ſiliginem, ſentire videtur eſſe veram tritici ſpeciem: quia ex ſemine tritici ſæpè enaſcitur. Quam ſententiam ut judicem probabilem, non me movet iſta ratio, cùm ſæpè etiam ex granis tritici naſcatur avena, de qua probabile non eſt fieri panem, qui ſit apta materia. Movet me potiùs, quòd panis typhæ, quomodocumque ab alijs nominetur, ſitis uſualis eſt, & pluribus nomine panis abſolutè dicti venit, non minus quàm triticeus ibi etiam notus: typhæque grana, & panis, non ita notabiliter differre videntur à triticeis, ſicut grana hordei, avenæ, millij & alia: quapropter videri poteſt ſpecies quædam tritici deteriotis, ſicut ſiligo eſt ſpecies tritici nobilioris. Sic etiam Amicus. Res tamen eſt incerta, & relinquens ejuſmodi panem, & alios, ſi qui ſunt, ſimiles in ſtatu materiæ dubiæ, ſeu probabilis ad validam conſecrationem. *S. Thom. Amic.*

10 Conſultò dixi: *Ad validam conſecrationem.* Quia ad licitam, nec probabile eſt, ejuſmodi materias probabiles, ſeu dubias, eſſe aptas: præſertim poſt juſtiſſimã prohibitionem S. P. N. Innocentij Undecimi damnantis hanc propoſitionem ordine primam in ſuo Decreto ann. 1679. *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relictâ tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc ſententiâ probabili tantùm utendum non eſt in collatione Baptiſmi, Ordinis Sacerdotalis, & Epiſcopalis.* Tenor huius propoſitionis non putabat illicitum, materiam *Innoc.*

tan-

tantùm probabilem adhibere pro confectione Sacramenti Euchariſtiæ, ſicut, & aliorum quatuor Sacramentorum, cùm duo tantùm ratione ſpecialis neceſſitatis excipiat: quam tamen prohibet, & damnat Pontifex. Unde certò peccaret Sacerdos, verba conſecrationis proferens ſuper panem ex typha, aut ſuper alium ſimiliter, de quo incertum eſt eſſe triticeum; quia uteretur materiâ tantum probabili ad Sacramentum: cuius valor non ſtat, niſi verba proferantur ſupra panem veré triticeum.

11 Nec invenio dabilem caſum, in quo id licitè fieri valeat, & citra ſacrilegium in re adeò gravi, & ſacrâ. Quòdſi quiſpiam, aut ignoranter, aut ſcienter id feciſſet, reponendus, & aſſervandus eſſet ille dubius panis triticeus, ſic fortè validè conſecratus, in loco ubi reponi ſolent reverenter alia, de quibus dubium eſt, an ſint validè conſecrata. Nec obeſt, quòd in aliquibus caſibus poſſint verba Abſolutionis, & Baptiſmi proferri circa materiam tantùm probabilem, urgente neceſſitate, & omninò deficiente materia certâ. Reſpondetur enim, pro Euchariſtiâ non poſſe urgere ſimilem neceſſitatem; cùm non ſit Sacramentum cauſativum primæ gratiæ juſtificantis.

SECTIO II.

An panis triticeus ad Euchariſtiam debeat eſſe azymus: an fermentatus.

Florent. 12 COnſtat ex Florentino ſeſſ. 25. in Litt. Unionis: *In azymo, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici.* Unde, quoad validitatem attinet, & neceſſitatem huius Sacramenti, quilibet Sacerdos validé conſecraret, ſive ſuper azymum, ſive ſuper fermentatum verba proferret. Uterque enim eſt veré panis ex aqua, & farina tritici, ut expendit dignè Bernal *diſp. 27 ſec. 4.* nonnulla removens offendicula. *Bern.*

13 Quoad facultatem verò, ſeu licitum uſum ex præcepto, lata eſt lex pro Eccleſia Latinâ non conſecrandi niſi in azymo: ita ut peccaret graviter Sacerdos Latinus conſecrans in fermentato: caſu etiam, quo ſolus haberetur panis fermentatus, nec poſſet aliter in Feſto celebrari, aut moribundus communicare. Ea enim Lex eſt graviſſima in Eccleſia Latinâ, quæ ſemper judicavit pro prædictis caſibus non urgere præceptum Eccleſiaſticum faciendi, nec audiendi ſacrum; imò nec divinum communicandi in articulo mortis. Nam, quamvis illud de azymo ſit Eccleſiaſticum, & illud de Viatico ſit divinum; iſtud tamen divinum non obligat quomodocumque; ſed ſub debito modo: ideóque, deficiente pane azymo, non urget; ſicut nec, deficientibus veſtibus ſacris, ex præcepto Eccleſiaſtico requiſitis. Propter vitandam mortem ait Bernal *num.* 38. licere Latino conſecrare in fermentato: dummodò mors non illi obtenderetur in contemptum religionis, aut, ut ſacer Ritus Romanus violaretur. Quia Lex humana per ſe loquendo non ſolet obligare cum tanto onere, niſi aliunde religio contemnatur. *Bern.*

14 E contra verò Lex eſt pro Eccleſia Græca conſecrare in fermentato: ita ut ſimiliter peccaret Sacerdos Græcus conſecrans in azymo: (quamvis hoc peccatum excuſare voluerit Paludanus apud Dicaſtillum:) dicente Florentino, ſervandum eſſe uniuſcuiuſque Eccleſiæ morem. Caſu autem, quo Sacerdos Græciæ incola peregrinetur per Eccleſiam Latinam, aut in ea per breve tempus immoretur negotij cauſa, licebit illi conſecrare, vel in azymo conformans ſe ritui Latino; vel in fermentato conformans ſe ritui Græco. Et idem eſt de Sacerdote Latino per Græciam: ut ex Suarez tenet Bernal *num.* 5. Quòdſi Sacerdos ſit vagus nullibi habens certum domicilium, ſequi debet ritum Eccleſiæ, in qua verſatur. Sic Bernal *nu.* 36. *Palud.* *Florent.* *Suar.* *Bern.*

15 Græci adſtruunt ſuum fermentati morem in antiqua ſua opinione, quam retulimus, & repulimus *diſp. 1. ſec. 3.* circa diem Inſtitutionis Euchariſtiæ. Quippè putant, Chriſtum inſtituentem conſecraſſe in fermentato: quia, inquiunt, Euchariſtiam inſtituit die Mercurij decimatertiâ Lunæ, & vigeſimatertia noſtri Martij: qui dies nondum erat azymorum: Chriſtus autem conſecravit panem menſæ appoſitum, qui eo die erat fermentatus. *Supra diſp. 1.*

16 Latini é diverſo pro noſtro azymi more ſentimus multò conformiùs ad Scripturas, quas ibidem expēdimus, Chriſtum inſtituiſſe, primóque conſecraſſe Euchariſtiam die Iovis decimaquartâ Lunæ, & vigeſimaquartâ noſtri Martij: quo die ad veſperam incipiebat jam uſus azymorum pro diebus ſequentibus: quo tempore, nec in menſis, nec in domibus Hæbreorum licebat haberi quidquam panis fermentati. Sicque Chriſtus obſervantiſſimus Legis conſecraſſe dicendus eſt in azymo, quo tunc cœnans veſcebatur cum Diſcipulis ſuis.

17 Itaque religioſiùs Latini conſecramus in azymo, quia conformiùs Chriſto inſtituen-

ſtituenti. Sunt etiam pro nobis aliæ congruẽtiæ. Nam azymi puritas, & ſinceritas magis addecet Chriſtum ibi præſentem: melúſque ſignificat puritatem, & ſinceritatem, qua ad Euchariſticam menſam debemus accedere, juxta illud Apoſtoli: *Epulemur non in fermento malitiæ; ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis.* Hunc nobis ritum tradidit in Eccleſia Romana S. Petrus, teſte Leone Nono *c. 24.* ſubjungens, quòd *multi Martyres noſtris azymis ſaginati idololatriæ fugerunt impetus.*

1.Cor.5.

Leo.9.

SECTIO III.

Qualiter panis triticeus azymus ad Euchariſtiam debeat eſſe confectus, & impermixtus.

18 NOn quidquid conficitur ex triticea farina eſt apta materia: quia non quidquid conficitur ex farina tritici eſt, & dicitur panis. Debet ergo confici ex farina tritici, & aqua naturali, & ad ignem coqui, ut moris eſt.

19 Hinc, maſſa nondum cocta, quidquid aliter ſenſiſſe dicatur Maior apud Dicaſtillum, non eſt apta materia; quia nondum panis eſt. Similiter, neque amylum: quia ſimiliter non eſt panis. Sic S. Thom. Scotus, & & Suarez. De amylo tamen loquitur cum aliqua diſtinctione Bernal: ſi, inquit, coaleſcit, ut ſolet, ex tritico jam prorſus putrefacto, non fiet ex illo apta materia; ſi verò ex tritico per breve tempus madefacto, nondum fœtido, nec acido, poſſet adhuc ex illo poſtea debitè ſubacto, & cocto fieri materia apta. Favet Henriquez apud Fagundez *lib. 2. de 3. Præc. Eccl. cap. 1. nn. 6.* Mihi ad ſummum maneret in ſtatu materiæ dubiæ, ideóque non licitè conſecrabilis.

Maior.

Bern.

Henrri. Fagund.

20 Hinc etiam S. Thom. *quæſt. 74. art. 7. ad 3.* docet, ex farina triticeâ, & aquâ roſaceâ, ſimilibuſque diſtillatis, non confici panem, qui ſit apta materia Euchariſtiæ: quia non ſunt aquæ naturales. Oppoſitum docet ibidem Caietanus: nec omninò improbabiliter.

S.Thom.

Caiet.

21 Idem intellige de pane ex farinâ ſubactâ, lacte, ovis, ſimilibuſque liquoribus, qui naturalis aqua non ſunt. Idem de maſſâ oleò friza, aut elixâ in olla: quia quod ſic ex maſſa, quantumvis triticeâ conficitur, nec eſt abſolutè, nec verè dicitur panis.

22 De mica verò panis tritici jam confecti poſtmodum madefactâ, & digitorum compreſſione redactâ quaſi ad maſſam, ait Delugo, eſſe materiam aptam: alioquin, quando tumpta Hoſtia conſecrata in ore madeſit, manditur, ſitque iterum inſtar maſſæ, jam non eſſet apta materia ad retinendam conſecrationem, & corpus Chriſti: ſicque ante trajectionem in ſtomachum deſineret ibi eſſe Chriſtus: cùm tamen effectus gratiæ ſacramentalis per modum alimenti non cauſetur ante trajectionem.

Lug.

23 Circa conſecrationem, & uſum harum, & ſimilium materiarum dumtaxat probabilium obſervandum iterum eſt quod nuper diximus de alijs materijs probabilibus *ſec. 1. num. 10. & 11.* præſertim poſt ſanctiſſimum decretum prohibitionis declarativæ Innocentij Undecimi nunc regnantis.

Innoc.11.

24 Circa ſecundum punctum impermixtionis, certum mihi eſt, non quamlibet mixtionem alterius materiæ ex ſe ineptæ cum pane triticeo, obſtare quominus ille ſit apta materia: quia non quælibet modiciſſima mixtio tollit, quominus ejuſmodi mixtum ſit abſolutè, verèque dicatur panis triticeus.

25 Hinc, quamvis aliqua grana non triticea, ſeu nonnulla corpuſcula ſacchari, ſalis, aut ſimilis materiæ, permixta interdum fuerint magnæ quantitati tritici, aut farinæ triticeæ; panis inde confectus non deſinet eſſe aptus conſecrationi: ut habet expreſſis terminis S. Tho. *q. 74. art. 4.*

S.Thom.

26 Addit Diana *par. 2. tract. 12. reſol. 8.* ex judicio bonorum Theologorum, quos inter adnumeratum legi noſtrum Antonium Perez, hoſtias rubras, quibus utimur in obſerandis epiſtolis, forè materiam aptam conſecrationi. Quod intelligendum eſt, dummodo cinabrium farinæ admixtum, ſit in modiciſſimâ quantitate reſpectu quantitatis farinæ triticeæ. Graviter peccaret qui ejuſmodi hoſtijs uteretur ad conſecrandum. Ex poſtfacto autem, quid de illis agendum eſſet, infer ex dictis *num. 11.*

Dian.

Perez.

27 Si verò grana non triticea, aut corpuſcula alterius materiæ admixta granis, aut farinæ tritici, ſuiſſent in magna quantitate, taliter ut maſſa inde coaleſcens jam abſolutè dici nequeat triticea; panis inde confectus non eſſet apta materia: quia jam abſolutè non eſſet panis triticeus. Niſi forte, addit Bernal *num 20.* id quod admiſcetur tritico præconvertatur in triticum: ut dicunt multi de præconverſione aquæ in vinum, ante converſionem vini in ſanguinem Chriſti: de qua late *à ſec. 6.*

28 Difficultas eſſe poſſet: an, ſi modica pars alterius materiæ admixta farinæ triticiæ non præconvertatur in triticum, ſed cum eo

mixtim maneat in ſuâ ſpecie; quando panis inde mixtim confectus conſecratur, totum id conſecretur, ita ut corpuſcula illa ſeorſim non triticea convertantur ſimul cum pane triticeo immediatè in corpus Chriſti. Affirmant Lugus,& Bernal *ſec. 3.* rectéque pro ſe explicant S. Thom. Quæ poſſunt adverſus hoc obiici ſolventur ex dicendis in ſimili *à ſect. 6.* circa immediatam converſionem aquæ mixtæ vino in ſanguinem Chriſti.

Lug. *Bern.* *S.Thom.*

SECTIO IV.

Quale vinum ſit apta materia Euchariſtiæ quo ad Sanguinem.

29 EAm eſſe vinum de vite certum eſt: contra Hæreticos Aquarios; inde dictos, quia in ſola aqua dicebant poſſe validè conſecrari. Et conſtat ex ijſdem fundamentis, per quæ vidimus *ſec.* 1. materiam aptam, & neceſſariam quoad Corpus eſſe panem triticeum. Id firmat P. Bernal eruditiſſimè, pro hac certa veritate exponens dictum illud Chriſti Matt. 26. ***Non bibam amodò de hoc genime vitis uſque in diem illum, cum illud bibam vobiſcum in Regno Patris mei.*** Quo dicto, adludens ex una parte Chriſtus ad vinum, quod tunc conſecraverat; & ex alia parte ad vinum conſecrandum deinceps poſt Reſurrectionem ſuam in Eccleſia Dei; vocat illud genimen vitis: ut doceret nos adhiberi debere vinum de vite ad conſecrationem.

Bern. *Matt.26*

30 Hinc omphacium, ſive agreſta; ſapa, Hiſpanè ***arrope***; lora, Hiſpanè, ***aguapie***; aquavitæ, Hiſpanè, ***aguardiente***; cerviſia; vinumque malogranatorum, aut pomorum; non ſunt apta materia Calicis: quia nullus prædictorum liquorum eſt vinum de vite.

31 Idem dicendum eſt de aceto contra Aleoſem: quia iam mutavit formam vini. Idemque de vino paſſo contra Amicum: quod nempe exprimitur ex uvis iam perfectè paſſis; & denuo madefactis: quia liquor ille iam non eſt abſolutè vinum. Secùs vero, ſi adhuc eſſent uvæ, quamvis marcidæ.

Alenſ. *Amic.*

32 Quid de vino fugiente, quod nempe iam acetcit, quamvis nondum abſolutè ſit acetum? Bernal ait, eſſe abſolutè vinum, ſicut animal incipiens corrumpi adhuc eſt animal. Unde, ſi certum eſt, nondum eſſe acetum: certò validè conſecraretur. Addit, & licitè, deficiente alio vino in die feſtivo: illicitè verò, ſi dubitaretur an vinum, an acetum eſſet. Verùm Dicaſtillus abſolutè negat, in vino fugiente poſſe licitè conſecrari: quod videtur conformius rubricis Miſſalis, In quo ſcrupuloſiores vellem multos Parochos, & Sacriſtas: ſicut, & æque ſollicitos quærendi certum bonumque vinum; ac certum, bonumque panem pro Sacrificio. Quænam enim eſt diſpar ratio, niſi vel incuria, vel ſumptus aliquantulò maior?

Bernal *Dicaſt.* *Rubr.*

33 Vinum hypocraticum eſſe materiam aptam ſentiunt aliqui apud Henaum. Qui tamen cum Bernal conſentit, niſi nimia ſit aliorum ingredientium cum vino admixtio, aut forte nimia fiat decoctio. Res eſt dubia: ac proinde certò illicita. Idemque docet Bernal de vino decocto, ſi multùm decoquatur; ſecus, ſi parum.

Hen. *Bernal*

34 Quid de muſto? Affirmant communiter, poſſe conſecrari. Et probant ex Papa Iulio dicente, id licere tempore neceſſitatis; & ex uſu aliquarum Eccleſiarum, præſertim Bracarenſis, in qua die Transfigurationis, teſte Fagundez, infunditur Calici muſtum recèns expreſſum, cum alio vino. Et ratio eſſe poteſt: quia muſtum abſolutè eſt, & vocatur vinum, & é contrario *Act.2.* Iudæi ebrietatem Apoſtolis obijcientes dixere: ***muſto pleni ſunt.*** Et *Luc. 5.* dicitur iuxta Interpretes ſacros de muſto: ***nemo mittit novum vinum in utres veteres.*** Et Hierem. 48. ***vinum de torcularibus ſuſtuli***: id eſt, muſtum recèns expreſſum: de quo etiam loquitur communis iſta ſententia: nam quod adhuc eſt intra uvas non eſt ibi conſecrabile, cùm potiùs manducetur per modum cibi, quàm bibatur per modum potûs, ideoque ſic ſumptum frãgit ieiunium Eccleſiaſticum.

Fagun. *Act.2.* *Luc.5.* *Hieron.*

35 Non audeo recedere ab hac communi ſententia: quamvis difficultate non careat dare diſparitatem, cur maſſa cui ad rationem panis non deeſt niſi coctio, non ſit apta materia ad conſecrationem Corporis; & muſtum, cui ad rationem vini uſualis videtur etiam deeſſe coctio, ſit apta materia ad conſecrationem Sanguinis? Diſparitas videtur ſummi poſſe ex eo quòd maſſa non ſit abſolutè comeſtibilis, donec non ſuo, ſed alieno ignis calore concoquatur, & ſubſtantialiter immutetur iuxta ea quæ dicemus ***num. 76.*** muſtum tamen iam eſt abſolutè potabile, & propria ſua virtute concoquitur, ut fiat vinum perfectius: abſque immutatione ſubſtantiali: quod non tollit, quominus ante ſuam illam concoctionem, depurationem, & immutationem accidentalem fuerit iam abſolutè vinum, quamvis non ita perfectum, & depuratum. Nota tamen, quòd per ſe loquendo non niſi illicitè conſecraretur in muſto.

36 Vinum congelatum eſſe materiam aptam docet etiam communis ſententia contra Armillam, Henriquez, & Moure: quia abſolute

Armil. *Henr.* *Moure.*

ſolutè vinum eſt, per ſe loquendo potabile, cùm non mutet formam ſubſtantialem, ut patet quando liquefit. Tum quia paulatim deglutitum non cibi, ſed potûs vices gereret in ſtomacho: unde nec frangeret ieiunium Eccleſiaſticum. Tum quia, ſi vinum poſt conſecrationem congelatur, retinet conſecrationem, ut ſupponunt rubricæ Miſſalis, diſponentes, ut in eo caſu linteis calidis liquefiat & ſine nova conſecratione alterius vini, tanquam verus Chriſti ſanguis ſumatur: non autem retineret conſecrationem, ſi aptæ materiæ accidentia ibi non manerent. Peccaret tamen qui vinum congelatum conſecraret, antequam liqueſiat. Quinimò nec poſt liquefactionem oporteret id facile fieri, ut conſulit Suarez apud Dicaſtillum: quia per congelationem valde deterioratur. Quod ſi contingat vinum ita congelari, ut ferè inſtar lapidis obdureſcat, non poterit conſecrari: quia fortè tunc præ nimiâ, ac diuturnâ congelatione corrumpitur ſubſtantialiter.

Rubr. *Suar.* *Dicaſt.*

37 Dices. Aqua congelata non eſt apta materia Baptiſmi: ergo neque Euchariſtiæ vinum congelatum. Negatur tamen conſequentia: & eſt ratio diſparitatis. Quia aqua congelata, niſi liquefiat, non eſt apta ad abluendum, & Baptiſmus conſiſtit eſſentialiter in ipſa ablutione. Euchariſtia verò non conſiſtit in ſumptione, ſeu in potatione, ad quam ineptum eſt vinum, dum congelatum eſt; ſed permanenter præſupponitur conſtituta ante actionem potandi: ad quam præconſtitutionem ſufficiunt Chriſtus, & ſpecies, quæ præcellerunt in ſubſtantia vini; & ſine illa manent poſt conſecrationem: quod totum ſtat, ſive per accidens ſiat congelatio, ſive non. Congelatio namque, ſicut non mutat ſubſtantiam liquoris congelati, ſic nec omninò corrumpit ſpecies accidentales; talis liquoris nec impedit futuram liquefactionem requiſitam pro actu ſubſequuto potandi, qui de eſſentia Sacramenti non eſt, ſicut eſt de eſſentia Baptiſmi actus, ſive actio abluendi, quam pro tunc impedit congelatio. Sic panis obduratus eſt abs dubio apta materia actualis conſecrationis, quamvis actu manducationem poſſit, niſi poſſet molleſiat.

38 De vino imbibito in pane ait primò Dicaſtillus, quod, ſi imbibitio ſiat poſt utriuſque conſecrationem, manet conſecratum, ut evenit in particulâ Hoſtiæ immiſſâ calici cõſecrato. Ait ſecundò, quòd ſi panis conſecratus mittatur in vinum non conſecratum, panis manet conſecratus, ut evenit in particula hoſtiæ conſecratæ immiſſâ calici conſecratõ die Veneris Sancti. Ait tertiò, ſatis eſſe ſibi probabile, quòd ſi ante utriuſque conſecrationem fiat imbibitiõ, taliter ut cuiuſlibet ſpecies maneat deſignabilis, & ſenſibilis: poſſet utraque per ſua verba conſecrari validè; non licitè. Oppoſitum ſentiunt Lugus, & Bernal, quorum rationes ſolvit Dicaſtillus.

Dicaſt. *Lug.* *Bernal* *Dicaſt.*

39 Qui *nu.76.* etiam putat validè conſecrabile vinum miraculosè factum, quale fuit pro nuptijs in Cana Galileæ id quod ego certam materiam indicarem. Quia, quamvis non ſit vinum ortum ex vite, eſt verè vinum quoad eſſentiam, & uſum eiuſdem rationis cum vino vitigineo. Idemque docet cum Henrriquez de pane miraculosè facto pro Euchariſtia quoad Corpus; & de aqua, & de oleo pro alijs Sacramentis, ob eamdem rationem.

Henrr.

SECTIO V.

An, & quatenus neceſſaria ſit ad Euchariſtiam aqua mixta vino conſecrando.

40 AQuæ neceſſitas ad conſecrationem Euchariſtiæ quoad ſanguinem conſtat ex perpetua Eccleſiæ traditione: ex varijs Liturgijs: & ex Concilijs, præſertim Tridentino *ſeſſ.22.cap.7.* aſſignante aliquas rationes dictæ præmunitionis. Prima eſt repreſentatio ſanguinis, & aquæ lateris Chriſti. Secunda, repræſentatio unionis myſticæ maieſtatis Chriſti ſignificatæ in vino, cum Populis fidelibus ſignificatis in aqua. Tertia exactior imitatio Chriſti inſtituentis, qui ſic creditur primò conſecraſſe. Sufficit in vino aquæ mixto. Cuius facti credulitatem obſervat Vaſquez, non eſſe coniecturalem dumtaxat; ſed Fidei Catholicæ, ſubnixam teſtimonio traditionis ſufficientis ad regulam Fidei. Videri poteſt Dicaſtillus, refutans novos Hæreticos, ſolvens, ac deridens ratiunculas, quibus ſanctum hunc Eccleſiæ ritum impugnant, & irrident; & aliqua utiliter adnotans circa Bellarminum, & Vaſquez fuſiùs de hoc diſerentes.

Trid. *Vaſq.* *Dicaſt.* *Bellar.* *Vaſq.*

41 Aquam iſtam eſſe de neceſſitate, taliter ut nec validè conſecraretur Calix ſine illa, docuiſſe dicitur olim Armenios. Primò: quia Chriſtus inſtituens, in vino cum aqua primò conſecravit: ergo ſolum vinum mixtum aquâ voluit, ac fecit materiam aptam calicis. Secundò: quia ſi aqua non ſic eſſet de neceſſitate calicis, cur Eccleſia ita ſeveré prohibuiſſet Armenis, ne vino ſine aqua uterentur? cùm potuiſſet id illis permittere; ſicut Græcis panem fermentatum. Tertiò: quia S. Cyprianus *Epiſt.63.* ait: *Calix Domini non eſt aqua ſola, nec vinum ſolum, niſi utrumque*

Armac. *Cypr.*

que miſcetur: quomodo nec Corpus Domini eſt farina ſola, & aqua, niſi utrumque, ſcilicet farina, & aqua, fuerit adunatum. Quomodmodum ergo eſt de neceſſitate aquæ, ut cum farina conficiatur panis, qui ſit apta materia Corporis; ſic iuxta Cyprianum, de neceſſitate calicis eſt etiam aqua, ut conficiatur vinum, quod ſit apta materia Calicis, etiam quoad valorem.

42 Concluſio tamen communis, & ferè certa inter reliquos Doctores eſt, aquam non eſſe de neceſſitate Sacramenti in Calice. *Florent.* Colligitur ex Florentino dicente, materiam Calicis eſſe vinum de vite, *cui ante conſecrationem modiciſſima aqua admiſceri debet*: quo loquendi modo clarè monſtrat, aquæ mixtionem non eſſe de neceſſitate Sacramenti; ſed præcepti. Et clariùs ex eo quod Armenos, ē ōſecrantes ſine aqua, nō monet, ut alioquin certè debuiſſet, de invaliditate ſuæ conſecrationis; ſed eos dumtaxat reprehendat, quòd ab univerſali Eccleſiæ obſervantiâ diſcrepent. *Trid.* Conſonat Trid. mox citandum docens, eam mixtionem eſſe ex præcepto.

43 Ad primum argumentum Armacani, conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Nam aliud eſt quod Chriſtus ipſe fecit, aliud quod de neceſſitate pro omnibus inſtituit. Alioquin, quia conſecravit in Azymo, invalidè conſecraretur à Græcis in fermentato; aut é contra: & ſi forté conſecravit in vino rubro, invalidè conſecraverunt in albo. Porrò nec *ex ſignificatione ſubſtantiali* Sacramenti, nec ex Eccleſiæ traditione conſtat, Chriſtum ſic inſtituiſſe, ut voluerit, ſolum vinum mixtum aquæ fore ſemper materiam neceſſariam; ſed vel mixtum, vel non mixtum; ſicut vel album, vel rubrum, quod attinet ad neceſſitatem, & valorem. Dixi: *ex ſignificatione ſubſtantiali*: nam ad ſignificationes aquæ effuſæ é latere Chriſti, & unionis myſticæ populorum cum Chriſto jam eſt neceſſaria mixtio aquæ: accidentariæ ſunt Sacramento.

44 Ad ſecundum fateor, potuiſſe id permitti Armenis; non tamen expediebat: quia mixtio aquæ fuit à tempore Apoſtolorum omnibus præcepta, & tam à Græcis ut plurimum, quàm à Latinis admiſſa: quod ultimum non ſic contigit in uſu azymi.

45 Ad tertium fateor, Verba Cypriani eſſe difficilia: quo potuit moveri Card. *Bellarm.* Bellarm. *lib. 4. de Euc. cap.* 10. ut dixerit non eſſe adeò certum, quòd aqua non ſit de neceſſitate. Dici tamen poteſt, particulam comparativam, *ſicut*, non ſemper ſignificare omnimodam paritatem. Satis ergo erit pro S. Cypriano, quòd voluerit dicere, tam mixtionem vini cum aqua ad Sanguinem, quam farinæ cum aqua ad Corpus, eſſe neceſſariam: quod verum eſt: in diverſo tamen neceſſitatis genere: iſtam nimirum neceſſitate Sacramenti; illam, præcepti. Sic S. Thom. *S. Thom.* Aliter Hannoldus *lib. 4. tract. 3. cap. 3. controv. 2.* exiſtimans, Cyprianum agentem contra Aquarios, ſolùm voluiſſe, aquam ſolam non eſſe materiam aptam: cùm *lib. 2. epiſt. 3.* ſatis indicet, aquam non eſſe de neceſſitate Sacramenti; ſed præcepti. *Hann.*

46 Concluſio igitur ſecunda ſit, aquæ mixtionem in Calice eſſe de neceſſitate præcepti. At qualis præcepti? Divini impoſiti à Chriſto; an humani impoſiti ab Eccleſia? Eſſe ex præcepto Divino Chriſti, docuerunt olim Alenſis, Hoſius, & Caſtrus; & poſtea probabiliſſimè Henriquez, Valentia, Areſius, & alij: quibus ſatis favent S. Cyprianus; & aliquorum Conciliorum loquutiones ſignificantes, præceptum dictæ mixtionis eſſe divinum. *Alen. Caſtr. Hoſi. Henr. Valen. Areſ. Cypr.*

47 Concluſio tamen tertia communior, & probabilior eſt, ſolùm eſſe de neceſſitate præcepti humani Eccleſiaſtici à tempore Apoſtolorum. Colligitur ex Trident. *ſeſſ. 22. cap 7.* dicente: *Præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miſcerent.* Non autem diſſimulaſſet Concilium hoc in loco divinum præceptum, ſi illud agnoviſſet: nec credibile eſt non agnoviſſe, ſi adeſſet. Ad loquutiones illas Cypriani, & Conciliorum, reſpondetur, directas tunc fuiſſe, aut contra Aquarios, qui aquam non mixtam vino; aut contra alios, qui vinum mixtum aliis liquoribus præter aquam, ſacro Calici adhibebāt. Utrūque autem id eſt contra divinam Chriſti inſtitutionem, atque adeò contra divinum præceptum. Unde præceptum mixtionis aquæ cum vino poteſt quoad hoc dici divinum: quatenus nempé præcipit, ne aqua ſine vino adhibeatur; neve liquores alij admiſceantur; non verò quatenus præcipit, ut vino admiſceatur aqua: quoad hoc enim diſtinctim ait Tridentinum impoſitum, *eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus.*

48 Et quidem ſub peccato graviſſimo. Quia, quamvis quantitas aquæ miſcendæ ſit in ſe phyſicè modica; in ratione tamen ſignificationis magni ponderis eſt, & moraliter materia perquàm gravis. Uſqueadeò, ut ſi forté haberi non poſſent illæ guttulæ aquæ, omittì deberet Miſſa, potius quàm in ſolo vino conſecrare, quamvis dies eſſet feſtus, & Populus manſurus ſine Miſſa. Quinimo, & quamvis ægrotus moreretur ſine Viatico quidquid dixerit P. Martinon apud Henaū, *Mart. Hen.*

Nec

Nec obest, quòd præceptum Viatici sit divinum; & præceptum mixtionis aquæ sit Ecclesiasticum. Nam pro his, & similibus casibus non urget præceptum divinum, ut in simili diximus *sect.2. num.13.* Cæterum, si Sacerdos vitam esset amissurus, nisi consecraret sine aqua, posset id licitè: ob rationem, & cum limitatione, quas in simili posuimus ibidem. Hæc Bernal.

Ben.

Dicast.

49 Additque Dicastillus, *num.121.* ex Azor *lib.10. cap.29.* Sacerdotem illicitè consecrantem sine aqua suspendi juxta Sacros Canones ab Officio: sicut qui aliquid præter panem, & præter vinum cum aqua adhiberet sacrificio. Cap. *Litteras, de Celebr. Miss.* & cap. *Cum omne crimen, de Consecr. dist.2.* Et nota, eam aquæ mixtionem debere fieri ad altare pro sacrificio: non enim sufficeret si vinum jam in dolio, seu in urceolo fuisset aquâ mixtum.

Azor.

Cap. Litteras.

Cap. Cũ omne.

50 Quid, si Sacerdos post oblationem animadvertat, se non infudisse aquam? Respondetur primò. Si id animadvertat ante consecrationem Calicis, tenetur infundere; si post Calicis consecrationem, non infundat, sed progrediatur sine aqua. Casu verò quo, quando defectus animadvertitur, haberi non possit aqua, si fortè jam Sacerdos consecravit corpus, debet progredi, & integrare sacrificium, consecrans Calicem cum vino sine aqua: quia integritas sacrificij est de jure divino, quod prævalet juri humano Ecclesiastico mixtionis aquæ. Id extendit Henaus ad casum, quo defectus aquæ adverteretur incepto Canone, quamvis ante consecrationem corporis. Quod ego non probo: quia id non probat ratio integritatis sacrificij nondum inchoati quoad essentialia.

Hena.

51 Aqua miscenda sacro Calici debet esse naturalis: hæc enim aquæ nomine venit, absolutè loquendo. Unde inepta, ac certò illicita foret aqua rosacea, lachrymæ, similesque liquores. Aqua, quam distillant vites, antequam pullulent, fortè est aqua naturalis, ideòque materia probabilis; certò tamen illicita, ut docet curiosè Dicastillus de Baptismo *disp.1. num.29.* Idem colligitur ex Diana *part.3. tract.4. res.5.* de aqua, in quam resolvitur sal: & quam exsudant interdum lapides, & parietes; & quæ condensatur in operimento ollæ ex vaporibus aquæ bullientis. Miscere calidam, putat mortale Fagundez. Sunt tamen, qui id excusent apud Busemb. si in terris frigidioribus de more id fit, nè ita facilè glacietur vinum. Refrigerare nivibus eam aquam putat etiam mortale idem Fagund. sed malè, ut benè notat Gobat, insinuans, nec veniale fore per se loquèdo: *tract. 3. ser.2.*

Dicast. Dian.

Fagun. Busemb.

Gobat.

52 Quanticas demum aquæ vino miscendæ debet esse modicissima, ut loquitur Florentinum: quamvis Triburiense permisisse dicatur tertiam partem aquæ ad duas vini: quod videtur nimis laxum. Castropalaus ait, adhiberi posse octavam, vel decimã partem. Bernal octavam cum vino debiliori, sextam cum potentiori. Delugo, & Tamburinus, absolutè quintam, vel sextam. Busembaum dubiæ validitatis censet jam consecrationem, si pluiquam tertia pars Calicis esset aqua. Hæc satis ad corrigendos nimios aliquorum Sacerdotum scrupulos.

Florent. Tribur. Palaus. Bern. Lug. Tambur. Busemb.

53 Iam, ut expeditum faciamus transitum ad difficultatem sequentem, suppono tria ut certa. Unum, quod aqua mixta vino non convertitur per consecrationem in aquã illam, quæ fluxit é latere Christi: id enim non indicant verba: *Hic est sanguis, &c.* & despicitur ab Innocentio III. cap. *Cum Martha de Celebr. Missar.* Alterum, quód nec convertitur in humorem phlegmaticum Christi distinctum à sanguine: id enim per errorem ab aliquibus dictum memorat idem Innocentius cap. *In quadam*, ejusdem Tituli, memorans, id tanquam nefarium à se vocatum, & rejectum in quadam sua Decretali. Addo tertium: quód nempé aqua mixta vino non manet aqua inconversa in sua substantia post consecrationem, ut opinabãtur alij: id enim pariter, ac primum despicit idem Pontifex in dicto cap. *Cum Martha*: & refutat S. Thom. *quæst.74. art.8. in corp.* inquiens: *Sed hæc opinio stare non potest: quia in Sacramento altaris post consecrationem nihil est nisi Corpus, & Sanguis Christi*: & mox subdit rationem: *Alioquin non totum adoraretur veneratione Latriæ.* Restat ergo, quód post mixtionem per consecrationem vinum, & aqua convertantur in sanguinem Christi. Hoc concludunt Pontifex, & S. Thom. An mediatè, an immediatè, disputandum est.

c. Cum Martha. Innoc.

c. inquidem

S. Thom.

SECTIO VI.

An aquâ mixta vino consecrando convertatur physicè immediatè in Sanguinem Christi.

54 Celebrè difficultatem celebriorem denuò facit Eminentissimus Dominus Cardin. Capisuccus in speciosissimis suis Selectis *tom.1. controv.1.* per paginas ferè bis centum, mirabili eruditione refertas, mordicùs retinens opinionem negativam immediatæ conversionis aquæ in sanguinem; docensque, aquam sacro Calici immi-

Capisucc.

Digitized by Google

mixtam non converti in ſanguinem Chriſti, niſi priùs converſam in vinum. Pro ſe refert nubem Patronorum §. 15. & poſſem jure forſan meliori ſupererogare multos alios. Sic, ut paucis verbis multa, magnaque nomina cõprehendam, tenent communiter Thomiſtæ, Scotiſtæ, & Nominales- S. Bonav. Alenſis, Villalobos, & alij apud Leandrum *tract. 7. diſp. 8. quæſt. 52.* id etiam probabilius judicantem. E Schola Ieſuita Magnus Suarez, Vaſquez, Valentia, Azor, Amicus, Palaus, Martinon, Fagundez, Tannerus, Eſcobar, & alij. Accedunt Theologi Cathechiſmi Romani, quatenus ajunt, aquam illam judicio Eccleſiaſticorum converti in vinum.

Thom. *Scot.* *Nomin.* *Bonav.* *Alen.* *Villal.* *Leand.* *Suar.* *Vaſq.* *Valen.* *Azor* *Amic* *Palauſ.* *Martin.* *Fagund.* *Tanner.* *Eſcob.* *Catech.* *Rom.* *Caiet.*

55 Niſi fortè Cathechiſmum intelligere oporteat, & ſufficiat ſatis congruè de converſione morali per mixtionem, quâ factâ totum illud mixtum reputatur, & dicitur vinum; ſive phyſicè ſint omnes aquæ guttulæ præconvertæ in ſubſtantiam vini; ſive non. In quo ſenſu moraliori explicari etiam meritò poſſet S. Thom. né ſibi contrarius videatur variis in locis, prout ſolet utrinque citari obiter loquutus; & forte ſemper opinativè tantùm, ut exponit ipſemet alibi Innocentium Tertium, & exponitur alibi ab Archicommentatore ſuo Caietano. Similiter, ſi placet, intelligi poſſunt non pauci ex alijs, quos adrogat ſibi præfidenter hæc opinio, potius ex ſuperficie verborum quibus curſim profitentur converſionem aquæ in vinum, quàm ex genuino ſenſu phyſicæ præconverſionis: de quo, cùm ſit præſentis controverſiæ ſcopus, alij non curarunt; alij curarunt ſtudioſiùs ab illo abſtrahere, eó dumtaxat intenti, eoque contenti, quòd aqua poſt conſecrationem non maneat in ſubſtantia aquæ, nec converſa in aliam ſubſtantiam, niſi in ſanguinem Chriſti: in quo convenimus juxta ſacros Canones, & conſtantes doctrinas S. Thom. & Eccleſiæ Patrum, ut monui *nu.* 53. De cætero, malim equidem plures Aſſertores præfatæ opinioni ultrò donare, ut numerum augeant, quàm de ſingulorum verbis, & ſenſibus prolixiùs contendere. Veniendum ad argumenta.

56 Arguitur primò ex celebri cap. *Cum Martha*. Ubi Innocentius tertius, doctiſſimus Pontifex, conſultus à Lugdunenſibus circa aquam ſacri Calicis, refert tres ſententias. Primam, quæ dicebat, aquam Calicis converti per conſecrationem in aquam, quæ fluxit é latere Chriſti. Secundam, quæ dicebat: *Quòd aqua cum vino tranſubſtantiatur in ſanguinem: cùm in vinum tranſeat mixta vino; licet Phyſici contrarium aſſeverent, qui aquam à vino per artificium poſſe aſſerunt ſeparari.* Tertiam, quæ dicebat, aquam poſt conſecrationem manere in Calice ſubſtantialiter immutatam, ac proinde in ſua ſubſtantia aquæ. Relatis his tribus ſententijs, ſubdit Pontifex: *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ aſſerit, aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari*: ſcilicet ſecunda. Hinc ergo ſententiæ acquievit Pontifex, & nos acquieſcere debemus. Sed erat ſecunda ſententia, quòd aqua *cum vino tranſubſtantiatur in ſanguinem, cùm in vinum tranſeat*: ergo prius tranſiens, & præconverſa in vinum, & non aliter. Addit Capiſucchus § 7. *& ſeqq.* ex Vaſquez *diſp. 178. cap. 2.* ſententiam immediatæ converſionis aquæ in ſanguinem, nec recenſitam, nec memoratam ibi fuiſſe à Pontifice inter illas, quas retulit, utpote alienam à mẽte Pontificis, & Theologorum.

c. Cum Martha

Capiſſuc. *Vaſq.*

57 Reſponderur, concedendo totum libentiſſimè uſque ad primam conſequentiam inclusivè. Minor tamen ſubjuncta ſatis vera non eſt: quia dimidiat clariſſimè verba, & mentem Pontificis. Nec valet, quòd Gloſſa, & plerique Theologi, & Canoniſtæ ſic interpretentur: quia ubi Textus clarus eſt, non lucem, ſed injuriam inferunt Interpretationes Textui contrariæ. Textus clarus eſt in verbis, quibus Pontifex retulit ſecundam ſententiam, quæ poſtmodum ab ipſo *probabilior judicatur*. Ut nemo non videat, ſi animo minimè præoccupato Textum legat, in verbis, quibus ibi refertur ſecunda ſententia, duo diſtinctiſſima contineri. Unum, *quòd aqua cum vino tranſubſtantiatur in ſanguinem*: & in hoc convenimus: cùm certum ſit, nec converti in aquam lateris Chriſti, ut ajebat prima ſententia; nec manere in ſua aquæ ſubſtantia, ut ajebat tertia. Alterum, quòd duplex eſt modus eam aquæ in ſanguinem converſionem defendendi: prior, *mediatè*, ſi nempè *in vinum tranſeat mixta vino*: quod eſt præconverti in vinum, ut deinde convertatur in ſanguinem juxta unam ſententiam, nunc arguentium: poſterior modus eſt *immediatè*; ſi nempè etiamſi non tranſeat priùs in vinum, *ut Phyſici aſſeverant*, convertatur cum vino in ſanguinem, juxta aliorum ſententiam, quam nos tuebimur. S. Thom. *quæſt. 74. art. 8.* ſic non diſtinxit; quia non retulit integra verba, quibus Pontifex ſecundam hanc ſententiam bimembrem propoſuit. Forte, ut conjectatur doctiſſimus Eſparza *quæſt. 62.* quia S. Tho. tunc temporis non habuit bonum exemplar Decretalis: quod non eſſet ita mirum, ac ponderat Capiſucchus §. 11.

Gloſſa. *S. Thom.* *Eſpar.* *Capiſuc.*

58 Porrò Pontifex elegit mox ſecundam

dam ſententiam quoad primam ejus partem: En verba: ***Probabilior iudicatur, quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari:*** In quo ſatis receſſit à prima, & à tertia ſententia. Quoad duos tamen dictos modos illam ſecundam defendendi; ſive per ***mediatam***, ſive per ***immediatam*** converſionem aquæ in ſanguinem diſtinctiſſimé à ſe memoratos in propoſitione ſecundæ ſententiæ, nihil declarat in ejus approbatione. Non certè, quia duos illos modos ignoraverit; erat quippè doctiſſimus; & duo illi modi defendendi eam ſententiam, quos ipſemet retulit, erant jam tunc temporis notiſſimi apud Lugdunenſes, quibus dirigebatur illa Decretalis, ut evidenter conſtat ex Epiſtola Gaufredi Claravallenſis ad Cardinalem Albanenſem conſtitutum à Pontifice ſuper hoc negotio, quam ex Buronio *ad ann.*1188.reſcribit idem Capiſuccus §.17. Sed quia utrumque modũ in ſua probabilitate relinquens, Scholaſticorum Diſputationi remiſſit, ut mos eſt Concilijs,& Pontificibus in ſuis declarationibus, prudentiſſimé ſecernentibus certa ab incertis, vel abſtrahentibus, ut plurimum inter utrinque probabilia. His ſic explicatis,& diſtinctis circa minorem ſubjunctam truncantem minùs fideliter bimembrem ſententiam, quam ſecundo loco retulerat Pontifex; ſecunda conſequentia claré falſa eſt,& illegitima.

Gaufr. *Baron.* *Capiſ.*

59 Hinc videas, precor, primò, quàm à vero aberret additamentum illud Capiſſucchi, quòd ſententia immediatæ converſionis aquæ in ſanguinem non fuerit à Pontifice recenſita, in quo defecit etiam cum alijs Amicus noſter *diſp.16. ſec. 2.* Eam utique recenſuit Pontifex in ſecundâ illa ſententia bimembri, quam retulit ex illorum nempe iudicio, qui ratione phyſicâ, & experientiâ edocti aſſeverabant, aquam mixtam vino nuſquam converti in vinum; & in calice non converti in aquam lateris Chriſti, ut errabat prima ſententia; nec manere inconverſam, ut errabat tertia; ſed converti in ſanguinem Chriſti, ut dicebat ſecunda, quam quo adhuc approbavit Pontifex. Videas ſecundò, quàm immeritò Gavatius apud Capiſſucchum. §. 11. non ſatis conſcius, quis, quantuſque Vir fuerit Pater Doctor Auguſtinus Bernal, inter primarios præſentis ſæculi Theologos,& Philoſophos multa cum laude numerandus, in Latinis, Græciſque verſatiſſimus, ſi quis alter; eum audeat increpare, quod quatuor numeret ſententias ibi relatas à Pontifice, cùm Pontifex non numeret niſi primam, ſecundam, & tertiam; indeque fateamur omnes, eſſe tres. Potuit enim animadvertiſſe, ſecundam eſſe bimembrem, & in duas diſtinctiſſimas ſententias bipartitam in ipſis verbis, quibus eam retulit Pontifex. Supputet nunc Gavatius, & inveniet quatuor ſententias: ſicut in duobus ovis cum uno pari ovorum inveniet quatuor ova; & in duobus ſeorſim drachmatibus, & uno didrachmate, inveniet quatuor drachmata: quæ, ſi velit, vocare poterit quatuor; ſi velit, vocare poterit tria: dummodo unum ex illis duplex eſſe animadvertat. Sic etiam, ut plura taceamus, Tribus Iſraelis duodecim numerantur idemtidem in Scripturis; cùm tamen Venerab. Beda, alijque tertiamdecimam adnumerent: ſubdivisâ videlicet Tribu Ioſeph bimembri in duas, Ephraimi, & Manaſſis. Videas tertiò, quàm iniuſtè ingeminet Capiſſucchus præſertim §.1.& 15. ſententiam immediatæ converſionis aquæ in ſanguinem eſſe novam, & primum propugnatorem habuiſſe Patrem Coninch; cùm certiſſimé ſit antiquior Decretali *Cum Martha*. Legatur in id Cardinalis Baron. *ad ann.*1188.& apud ipſum Epiſtola Gaufredi. At ſaltem, quando ſententia hæc annos expleverit bis mille, ſupra quingentos, quos iam numerat; non erit nova: nec tamen ab antiquitate magis erit vera, quàm nunc.

Beda. *Capiſſuc.* *Baron.* *Ganfred.*

Florent.

60 Arguitur ſecundò ex Concilio Florentino dicente, aquam Calicis debere eſſe ***modiciſſimam.*** Cuius ratio putatur eſſe, ne perveniatur ad conſecrationem antequam potuerit in vinum converti: cùm certé converſio ea phyſica, & naturalis eò difficilior futura ſit, quò maior fuerit cum vino pars aquæ. Senſit ergo Concilium, aquam illam debere naturaliter phyſicé in vinum præconverti. Confirmatur: nam ob eamdem rationem permittunt aliqui maiuſculam partem aquæ cum vino generoſiori, ut retulimus *nu.* 52. utpotè activiori ad convertendam aquam in ſe. Alioquin, ad quid etiam Sacerdotum ſolicitudo, ut modiciſſima immiſceatur?

Capiſſuc. Amic.

Gavat. *Bernal.*

61 Reſpondetur facile, illam rationem non dari à Florentino: forté, quia non veram. Unde conſequentia nulla eſt; cùm nec ſit Florentini, nec ex Florentino, nec ex eius rationibus ritè deducta. Rationes, quæ ex Florentino erui valent, ſunt: prima, quia aqua lateris Chriſti modica fuit reſpectu ſanguinis effuſi: ſecunda, quia multó maior eſt Maieſtas Chriſti ſignificata per vinum, quàm fragilitas populorum ſignificata per aquam, ut ait Concil. Triburienſe: tertia, quia ſi multum aquæ miſceretur, iam illud mixtum non eſſet abſolutè vinum: & in reciproco congreſſu accidentium ſeſe communicantium ex altera in alteram illarum ſubſtantiarum ſic

Tribur.

mix-

fuiſſe ſic inſtituibile. Quo autem, vel mediocri argumento nobis probatur, non ſic fuiſſe inſtitutum? Cùm præſertim nobis faveant quoad hunc modum inſtituendi factum Chriſti, præceptum Florentini, & uſus Eccleſiæ.

Coquet. Capiſſuc. Nec mirari non poſſum admirationes, quas ex Coqueto refert, & imitatur Capiſucchus §. 29. ſuper hanc doctrinam tritiſſimam, & genuinè deductam ex inſtitutione, ex facto Chriſti & ex verbis Conciliorum, & SS. Patrum expendendis *ſec.3. num.99.* in eo magis admirandas, quòd ex præcepto Florentini, prædictæ inſtitutioni Chriſti ſubnixo, velit arguere contra prædictam inſtitutionem.

66 Nunc ad argumentum, conceſſâ maiori, diſtinguatur minor: ſolum vinum de vite adhibetur quoad ſanguinem pro materia neceſſaria ad valorem Sacramenti, concedo: quia ſine vino nequit fieri Sacramentum ſanguinis Chriſti; pro materia ſufficienti ad valorem, & neceſſariâ ad conſecrationem licitam; nego: nam hæc materia ex inſtitutione Chriſti, ſufficiens ad valorem, & neceſſaria ad licitè ex præcepto Eccleſiæ, eſt non tantummodò purum vinum; ſed etiam limphatum: quod eſt, vinum, & parum aquæ mixtim: materia autem neceſſaria ad licitè ex præcepto Eccleſiæ, eſt tantummodo limphatum, hoc eſt, vinum, & parum aquæ mixtim. Sicut in eodem exemplo panis pro corpore; fermentatus non eſt materia neceſſaria ad valorem; eſt tamen materia ſufficiens, ad valorem ex inſtitutione Chriſti; & neceſſaria ad licitè pro Græcis ex præcepto Eccleſiæ. Quid clarius? Eâdem igitur claritate diſtinguatur conſequens: ſolum vinum, purumque omninò de vite, nego; ſive purum, ſive limphatum, concedo: quia tam purum, quam limphatum, ſeu mixtum illud ex vino, & aqua modicâ, quamvis in vinum ſubſtantialiter non præconversâ, eſt materia ſufficiens. Minor ſubjuncta diſtinguenda ſimiliter eſt: aqua ſola non eſt vinum de vite, concedo: aqua modica mixtim, & vinum multum de vite, non eſt vinum de vite: ſubdiſtinguo: non eſt vinum purum de vite, concedo; non eſt vinum de vite limphatum, & quantum ſufficit, ut mixtura illa dicatur abſolutiſsimè vinum de vite, nego minorem, & conſequentiam. Myſterium nobis obtendere volebant Coquetus, & Capiſucchus §. 29. in eo quòd

Capiſuc. Coquet. materia ſacri Calicis non utcumque dicatur vinum, ſed vinum de vite. Quaſi vinum etiã de vite non ſit, & dicatur, vel purum, vel limphatum; aut limphabile non eſſet vinum vitigineum: ut piaculum fuerit Sapientiſſimi Gardin. de Lugo, ſemel omiſiſſe additamentum illud, *de vite*, ſupra quòd cadere nequeat diſtinctio *puri*, vel *limphati*.

67 Quo, ſi non acquieſcant Adverſarij, nec portio illa vini, in quod præconverſam dicunt ſubſtantialiter aquam, eſſet apta materia; quia non eſſet vinum de vite, ſed de aqua: ex qua, & ex maiori parte vini præexiſtentis coaleſcit mixtum ex vino vitis, & ex vino, quod non eſt vitis. Reſpondent, & benè, eam portionem vini eſſe ejuſdem ſpeciei cum vino vitis, ſicut eſſet totum vinum ex aqua factum in Cana Galilææ; aqua verò non eſt ejuſdem ſpeciei cum vino. At certè diſparitas hæc nihil prodeſſet ad rationem materiæ Sacramenti, ſi voluntas Chriſti inſtituentis Sacramenta, eorumque materias, non extenderetur ad vinum naturaliter non expreſſum ex vite; ſed potiùs, ut potuit, ad aquam mixtam vino, & non converſam in vinum. Igitur eó veniri neceſſe eſt, quòd Chriſtus ſic reipſâ voluerit: ideòque vinum vitigineum, ſive rubrum, ſive album, eſt certa materia, quamvis Chriſtus, vel in rubro, vel in albo ſolum conſecraverit; quia eius inſtituentis voluntas ad utrumque ſe extendit, ſive ſpecie differant, ſive non, quod momenti non eſt. Voluntatem autem Chriſti pro materia ſanguinis ſe extendiſſe ad aquam mixtam vino, ſive tranſubſtantiatam, ſive intranſubſtantiatam in vinum, ſatis perſuadent factum Chriſti inſtituentis, & praxis Eccleſiarum, ut expendemus *ſect. 9.* non divinando, nec cõminiſcendo, nec ſomniando, ut exprobant, & non probant arguentes; ſed ſoliditsimè, & veroſimillimè, philoſophicè, ac Theologicè ratiocinando ex ſacris Liturgijs, Concilijs, & SS. Patribus.

SECTIO VII.

Alia proponuntur, & diluuntur ſententia negantis argumenta.

68 ARguitur quartò ex Tridentino *ſeſſ.13.can.2.* docente, poſt conſecrationem manere ſolùm ſpecies panis, & vini: ergo quia aqua debet præconverti in vinum: alioquin non ſolùm ſpecies panis, & vini; quin etiam ſpecies aquæ manerent poſt conſecrationem. Præterea *Can.* 4. docet, *ſub ſingulis cuiuſcumque ſpeciei partibus ſeparatione factâ, totum Chriſtum contineri.* Ex quo, ſi ſpecies aquæ non præconverſæ in vinum manerent in ſacro Calice, fieret, quòd, ſeparatione factâ ſpecierum aquæ ab ſpeciebus vini, ſub illis etiam aqueis ſeorſim contineretur Chriſtus: ac proinde ſtaret ibi Sacramentum abſque ullis ſpeciebus

Trid.

bus panis, & vini. Hoc autem repugnat Inſtitutioni: nam ſicut aqua ſola, non ſeorſim eſt materia ſufficiens Sacramenti, ſic nec ſpecies aquæ ſeorſim ſeparatæ ſufficiunt ad Chriſtum ibi Sacramentaliter continendum: aut, ſi ſufficiunt, ſufficeret aqua ſola pro materia Sacramenti: quod dici nequit. Dicendum ergo eſt ex doctrina Concilij, aquam non niſi præconverſam phyſicè in vinum, eſſe materiam Sacramenti convertibilem in ſanguinem Chriſti.

69 Reſpondetur, mentem, & verba Concilij diſtare toto Cœlo ab arguentium diſcurſu. Mens Concilij apertiſſima fuit, ſtatuere adverſus Hæreticos, poſt conſecrationem non manere ſubſtantias panis, & vini, ſed ſolas ſpecies, & Chriſtum realiter præſentem ſub qualibet particulâ uniuſcuiuſque ſpeciei conſecratæ, panis ſcilicet, & vini, etiam ab alijs particulis divisâ. Quid inde pro arguentibus? aut quid ad huiuſmodi mentem præconverſio phyſica aquæ in vinum? Veniamus ad verba. Admittimus antecedens *ex can* 2. & negamus conſequentiam. Manent quidem poſt conſecrationem ſpecies panis, & vini *ſolùm*; id eſt ſine ſuis ſubſtantijs: ſpecies, inquam, vini, ſive puri, ſivé limphati: ſpecies autem vini limphati non ſunt *ſolùm* ſpecies vini purè, ſed mixtim cum modiciſſimis ſpecijs aquæ vino præinfuſæ. Itaque, quòd ibi maneant modiciſſimæ ſpecies aquæ, non inficimur; ſed permixtim cum multò pluribus ſpecijs vini puri, non eſt contra, ſed juxta verba Concilij: nam ſpecies vini ſic limphati, quod abſolutè, & vſualiſſimè dicitur vinum ſunt ſpecies multæ vini mixtim cum modiciſſimis aquæ: quod mixtum ſpecierum dicitur abſolutè ſpecies vini, & non ſpecies aquæ, quamvis interſint mixtim minutiſſimæ ſpecies aqueæ, ea ipsâ veritate, & proprietate, quâ vinum ſic mixtum cum modiciſsimis guttulis aquæ, eſt, & abſolutè dicitur vinum, & abſolutè non dicitur aqua.

70 Ad verba *can. 3.* planum eorum ſenſum admittimus, & veneramur: ſcilicet, *ſub ſingulis cuiuſcumque ſpeciei* (panis videlicet, ac vini) *partibus, ſeparatione factâ, Chriſtum contineri*: intellige, dummodò, ſeparatione factâ, maneant in ſingulis partibus ſpecies abſolutè dictæ panis, aut vini, ſive puri, ſive lymphati, ut clariſsimè ſupponit Concilium. Hinc negatur ſequela nobis objecta (quidquid non omninò improbabilis cenſeatur à P. Coninc), quòd nempè ſi ſeparatentur ſolæ ſpecies ſolius aquæ, maneret ſub illis Chriſtus; quia ſolæ illæ ſpecies aquæ non eſſent ſpecies vini, nec puri, nec limphati, ac proinde non jam capaces continendi Sacramentaliter Chriſtum, ut benè probat argumentum, ſed malè tamen inferens inde, illas ſpecies modiciſsimæ aquæ, & multò plures vini permixtim non eſſe ſpecies vini: non enim aliæ ſunt ſpecies vini limphati. Unde nego ultimam conſequentiam, ex verbis Concilij illegitimè deductam. *Si urgeas*: quidſi reipsâ ſolæ illæ ſpecies aqueæ ſeparentur ab ſpecijs vini conſecrati, cum jam ſub ſe ſubſtantiam Chriſti non continerent. Reſpondetur, in ipſo talis ſeparationis inſtanti, deficiente ſub illis ſubſtantiâ Chriſti, contenturas ſub ſe ſubſtantiam aquæ. Ecce, inquis, novum miraculum ſine neceſsitate, & gratis aſſertum. Nego: quinimo eſſet ceſſatio miraculi continendi ſub ſe Chriſtum; & reductio ad ſuum ſtatum connaturalèm continendi ſub ſe ſubſtantiam aquæ, quam Deus ad exigentiam connaturalem ipſarum ſub ipſis produceret, ac proinde, ut Author naturæ. Quid, quòd ſequeretur iſtud miraculum ex alio miraculo?

Coninc.

71 Hanc reſponſionem, ut alias forté minùs veroſimiles liberiùs impugnaret, reticuit ingeniosè Capiſuccus, aut non latis explicatam propoſuit §. 26. ſicut, & inſtantiam manifeſtam minimi naturalis. Nam juxta ſententiam Philoſophicam multorum ex adverſarijs, etiam Thomiſtarum, uſqueadeò, & ipſius Capiſucchi §. 31. citantis pro eo S. Thom. 2. *& 6. Phyſ. & 3. part quæſt.* 71. de quo nos infra *ſec.* 13. ſub ſpecibus certæ dimenſionis vini contineretur Chriſtus; non verò infra talem dimenſionem minimi naturalis requiſiti ad formam vini recipiendam, aut retinendam: ſepararetur ergo particula illa ſpecierum vini minor minimâ dimenſione naturali requiſitâ ad formam vini; & ſolvant ſuum argumentum ex ijſdem Concilij verbis efformabile. Nam ſub illa ſpecierum particulâ minori minimó naturali ſimul cum alijs integrantibus majorem dimenſionem, continebatur antea Chriſtus: & poſtea, factâ ejuſdem particulæ ſeparatione ab alijs, non contineretur: ſiquidem nequit ſacramentaliter contineri, niſi ſub ſpecibus ſufficientibus ad retinendam naturaliter formam vini; ſicut nequit materia conſecrari, niſi præconſtituta in ratione vini. Quid ergo dicendum de illa quantitatulâ ſpecierum, factâ prædictâ ſeparatione? Neceſſe eſt recurrere ad doctrinam noſtræ reſponſionis, aut ad aliam ex illis, quas ipſimet impugnant.

Capiſuc.

S. Thom.

72 Arguitur quintó, ſequi, quòd aqua etiam roſacea modica mixta vino conſecrando, poſſet immediatè converti in ſanguinem Chriſti, tanquam apta cum vino materia cō-

ſe cra-

ſecrationis: contra quod diximus ex communi Theologorum ſuffragio *ſect. 5. num. 51.* Probatur ſequela. Ideò dicitur converti immediatè in ſanguinem Chriſti aqua naturalis mixta vino, quia poculum reſultans ex illâ modicâ & multò vino, dicitur, & eſt abſolutè vinum: ſed etiam poculum reſultans ex roſaceâ modicâ, & multo vino, diceretur, & eſſet abſolutè vinum: ergo.

73 Reſpondetur negando ſequelam. Ad probationem, quidquid alij reſpondeant, negatur meliùs abſolutè major cum Dicaſtillo, & Henao. Non enim illa eſt ratio cauſalis tutiùs defendentium immediatam converſionem aquæ in ſanguinem; ſed quia poculum reſultans ex modicâ aqua naturali, & ex multo vino, eſt abſolutè vinum uſuale elevatum ex inſtitutione Chriſti ſatis conſtanti in materiam aptam conſecrationis: quale non eſt ex hominum uſu, nec ex Chriſti inſtitutione poculum ex vino, & aqua roſaceâ, aliove liquore, caſu, vel conſilio præter hominum uſum admixtis vino. Inclamant contra reſponſionem iſtam Coquet, & Labat apud Capiſuech. §.29. ingeminantes, gratis id dici, libeté dici, ſine fundamento, & noviter dici. Sed hos clamores una vocula, *nego*, retundit. Quo fundamento id dicamus videbitur *ſec. ſequ.* & partim viſum jam eſt *in præcedenti*, hoc non eſſe novam materiam Sacramenti ab Eccleſia, vel à nobis inſtitui; ſed à Chriſto primitùs inſtitutam obſervare: non quidem neceſſariam; ſed mixtim cum vino aptam & ſufficientem.

Dicaſt. Hen. *Labat. Coquet.*

74 Reſpuit iterum Eminentiſ. Capiſuechus ſingularitatem hanc, quòd in Euchariſtia aqua ſit materia, non neceſſaria, ſed ſufficiens; & non ſola ſeorſim ſufficiens; cùm in alijs Sacramentis non detur materia ſufficiens, quæ neceſſaria non ſit: præter Sacramentum pœnitentiæ, in quo venialia ſunt materia ſufficiens, & non neceſſaria: at eſt per ſe etiam ſola ſufficiens ſeorſim à mortalibus. Cæterùm in primis in Euchariſtia multa eſſe ſingulariſſima ex Chriſti inſtitutione, quæ nulli alteri competunt Sacramento, reſpuere debet nemo. Deinde quantitas infra minimum naturale vini rubri, non eſt materia neceſſaria Calicis, cùm ſine illâ conſeerari poſſit in albo: quantitas infra minimum naturale panis fermentati non eſt materia neceſſaria corporis, cùm ſine illa conſecrari poſsit in azymo, aut é contra: materia prima panis azymi, aut vini albi non eſt materia neceſſaria, cùm ſine illa ſtet utraque conſecratio in fermentato, & in rubro: & juxta Capiſuechum §. 31. quantitatulæ illæ infra minimum naturale, ſunt materiæ ſufficientes ad Euchariſtiam, non ſeorſim per ſe ſolæ, ſed ſimul cum alijs partibus maioris quantitatis panis, aut vini: & juxta omnes, materia prima vini albi, panivè fermentati, eſt materia ſufficiens immediatè tranſubſtantiabilis in Chriſtum: non ſeorſim, & per ſe ſola ſufficiens; ſed ſimul cum ſuis formis ſubſtantialibus panis, [illegible]ii. Ecce quam propè adeſt in ipſa Euchariſtia exemplar innegabile materiæ non neceſſariæ, ſed ſufficientis; & non per ſe ſolam, ſed cum alterius conſortio ſufficientis. Similiter poſſet diſcutti per alia Sacramenta: ut id non reſpuatur tanquam ſingulariter dictum de aqua ſacri Calicis.

Capiſuc. *Capiſuc.*

75 Omitto inſtantiam in materia Sacramenti Extremæ Unctionis: quæ quidem neceſſaria, eſt oleum olivarum ab Epiſcopo benedictum: cui admiſceri poteſt modicum chriſmatis includentis balſamum. Unde modicum illud chriſmatis admixtum eſt materia non neceſſaria, ſed ſufficiens: non per ſe ſolam ſufficiens; ſed mixtum cum alio oleo. Id, inquam, omitto, ne eadem chimiâ facilitate dicatur, oleum olivarum habere virtutem occultam convertendi in ſe balſamum; & non niſi præconverſum in oleum eſſe materiam Extremæ Unctionis.

76 Non tamen omittam inſtantiam aliam ſumi ſolitam ex doctrina S. Thom. *qu. 74. art. 3.* ubi, cùm ſibi objeciſſet, vix inveniri farinam triticeam, quæ aliorum granorum non triticeorum mixtionem aliquam non habeat; atqueadeò non purè puté ſolum panem triticeum eſſe materiam aptam conſecrationis corporis; reſpondet ad 3. *Quòd modica permiſtio non ſolvit ſpeciem; quia id quod eſt modicum quodammodo aſſumitur á plurimo: idcó ſi ſit modica admixtio alterius frumenti ad multò maiorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui eſt materia huius Sacramenti.* En quomodo S. Thom. cum farina triticea admittit modicum hordeaceæ, ut ex utraque mixtim conficiatur panis, qui ſit apta materia Corporis. Ubi cernere eſt, modicum illud hordeaceum, quod ſeorſim non eſſet materia adhuc ſufficiens, eſt materia ſufficiens mixtim in conſortio multæ farinæ triticeæ. Dicere autem, quód modicum illud hordeaceum immixtũ præconvertitur phyſicé in triticeum, ſicut dicunt, modicum aquæ præconverti phyſicè in vinum; nec ſomniavit S. Th. nec longé abeſt ab eo quòd mirabiles, & ingenioſi chimici iſti dicant, ſi fas eſt, eâdem facilitate, aurum habere virtutem convertendi in ſe illicó metalla deteriora. Quod ergo ait S. Thom. modicum illud admixtum *ad multò maiorem quantita-*

S. Thom.

tem tritici, aſſumitur *quodammodo* à plurimo; intelligi nequit de aſſumptione per cõverſionem phyſicam; ſed per moralem, ut explicuimus *num.* 55. de modico aquæ in vinum: quam intelligentiam noſtræ doctrinæ de modico aquæ accomodatiſſimam, indicavit ſatis ipſe S. Tho. per notulam illam ſuam limitativam *quodammodo*.

Capiſuc. 77 Nec ſe ſatis expedit Capiſucchus §. 12. confitens, S. Thom. non proinde velle, modicum illud farinæ hordeaceæ phyſicè præconverti in triticeam; ſed ex utraque confici ſubſtantiali mutatione panem, qui ſit abſolutè, non quidem triticum ſed abſolutè panis triticeus: atque adeò apta materia conſecrationis. Placet. Diſplicent tamen multa, quæ huic modico veri admiſcentur. Primò namque, cur ſimiliter non dicatur, modicum aquæ præconverti phyſicè non in vinum, ſed in tertium quid vineum? Secundò; eritne fortaſſis tertium iſtud, humor ille aqueus, quem experientijs chimicorum adacti agnoſcunt adverſarij in vino prælimphato? At de hoc humore, mixtim ibi manente inter portiones meri vini, cùm ſeorſim extractus ſubſtantialiter certè vinum non ſit, eaſdem, quas de aqua modicâ mixtâ vino, & phyſicè manente in ſubſtantia aquæ, ſubibunt preſſuras Contradictores immediatæ converſionis aquæ mixtæ vino in ſanguinem. Tertiò, tertium quid illud triticeum, reſultans ex illis farinis, modicâ hordeaceâ, & multâ triticeâ ſubactione, & coctione, ut jam monuimus *num.* 35 ſubſtantialiter immutatis, ſi non omninò peregrinamur in Philoſophia, nihil jam retinet formarum ſubſtantialium tritici, & hordei: imò, & juxta Thomiſtas aſſertores reſolutionis corruptorum uſque ad materiam primam, nihil etiam retinet accidentium, quæ præceſſerunt in illis formis: ex materijs autem primis dici neceſſe eſt, retinere portionem multâ multæ materiæ farinæ triticeæ, & modicam modicæ hordeaceæ.

Supra ſec. 4.

78 Evidens ergo eſt, quòd phyſicè loquendo, illud quid tertium ſubſtantiale ſic reſultans, quod in re, & abſolutè eſt panis triticeus, (nam ſi de nomine dumtaxat *triticei* ageretur, palea quoque nominatur triticea, & triticeum ſimiliter furfur) nihil habet de triticeo, potiùs quam de hordeaceo, niſi quòd modiciſſima ſit in illo materia, quæ fuit ſub forma hordei, reſpectu multò majoris, quæ fuit ſub forma tritici. Nonne? Atque inde eſt, quòd cùm abſolutè & moraliter loquendo, modicum reſpectu multò majoris quaſi pro nihilo reputetur, panis ille dicitur triticeus, & non hordeaceus, ſicque materia apta conſecrationis corporis præexquirentis ex inſtitutione panem triticeum. Quod veriſsimum eſt, quamvis phyſicè loquendo in pane illo abſolutè triticeo ſint aliquæ portiunculæ, quæ ſeorſim poſſunt dici hordeaceæ eodem jure, quo ſeorſim etiam æquales minutæ portiunculæ non hordeaceæ ejuſdem panis dicerentur triticeæ. Et hoc eſt in claris quod ſapienter ait S. Thom. cit. *id, quod eſt modicum quodammodo aſſumitur á plurimo*: non quidem per phyſicam converſionem modici in plurimum; cùm, & ipſe Capiſucchus veré hìc neget cum S. Tho. phyſicam converſionem modici hordei in plurimum tritici; ſed per converſionem utriuſque, modici ſcilicet hordei, & plurimi tritici permixtorum, in panem, qui ſic ex utroque confectus, propter multò plures partes tritici, ex quibus cum modiciſſimis hordei confectus eſt, dicitur abſolutè verè panis triticeus; ideòque juxta S. Thom. *panis, qui eſt apta materia huius Sacramenti*: utpote ſic elevata per voluntatem Chriſti inſtituentis. Dicere autem, quòd, ſi forté in huiuſmodi pane maneret phyſicè quidquam modiciſſimum farinæ alterius eo modo, quo, verum eſt, & explicuimus, manere plurimum farinæ triticeæ, totus panis ſic confectus ex illo modiciſsimo, & ex illo plurimo non converteretur in corpus Chriſti, ſed maneret ibi in ſua ſubſtantia; & eſt contra apertiſsimam veritatem, & contra authoritatem S. Tho. & multò exorbitantius, quàm quod dicitur de aqua mixtâ vino. *S. Thom.*

79 Atque hinc inſtauratur doctrina reſponſionis ad argumentum quintum, & vis inſtantiæ pro illa factæ ex S. Tho. *num.* 75. In primis enim convenimus in eo quòd triticum, aut farina triticea non convertit in ſe modicum hordeaceæ. Unde, ſicut illæ mixtim ſubactæ convertuntur immediatè in panem triticeum, ad hunc modum modicum aquæ, & vinum mixtim in calice, quin vinum in ſe phyſicè convertat aquam, utrumque id immediatè phyſicè tranſubſtantiatur in ſanguinem Chriſti. Deinde ſicut panis ille confectus ex modicâ farina hordeaceâ, & ex multâ triticea, veré eſt, & dicitur abſolutè triticeus, quia prævalet plurimum modico, quãvis phyſicè revera ſit in eo modicum farinæ hordeaceæ, eo ipſo modo, quo eſt plurimum triticeæ, ſcilicet penes materias, quæ fuerunt hordei, & tritici; ſic mixtum illud calicis ex aqua modicâ, & ex multo vino, verè eſt, & abſolutè dicitur vinum, quamvis phyſicè revera ſint in eo aliquæ ſtillulæ aquæ: & hoc eſt quod ait S. Thom. quòd *modicum quodammodo aſſumitur á plurimo*: non quidem per aſſumptionem, ſeu converſionem phyſicam;

ficam; sed *quodammodo* per moralem in absoluta hominum æstimatione, & locutione, juxta quam intelligi abs dubio possunt, ac debent ipse S. Thom. & alij, qui de præconversione physica aquæ in vinum nihil curantes, incidenter dixerunt, aquam calicis in vinum converti: quatenus nempe, factâ ea mixtione, totum illud dicitur vinum, & non aqua, eâ ipsâ vocum proprietate, qua totus ille panis confectus ex plurima farina tritici, & ex modica hordei dicitur absolutè, & verè panis triticeus. Denique, sicut ait S. Tho. quòd totus ille panis, sic confectus ex utraque farina, neutrâ in alteram physicè præconversâ, est *materia huius Sacramenti*, atque adeò immediatè transubstantiabilis in corpus Christi; sic dicimus, totum illud mixtum ex utroque eo liquore, neutro in alterum physicè præconverso, esse materiam huius Sacramenti immediatè transubstantiabilem in sanguinem Christi.

80 Porrò illud de pane dici non potuit à S. Tho. nisi senserit, voluntatem Christi instituentis pro libito materias Sacramentorum, se extendisse ad panem triticeum; sive confectum ex sola purissimè farina triticea; sive ex triticeâ plurimâ, & ex modicâ alia mixtim hordeacea, vel simili, non præconversâ in triticeam: quo etiam pacto dicimus, & sentimus, & cum maiori fundamento ratione præcepti saltem Ecclesiastici, & fortè divini de mixtione aquæ, quale non est de mixtione farinæ hordeaceæ, voluntatem Christi instituentis materiam sacri Calicis se extendisse quoad ualidè ad vinum, sive purissimè solum, sive mixtum de præcepto ex plurimo vino & ex aquâ modicissimâ, etiam non physicè in vinum præconversâ: & sic fecisse aquam modicam cum multo vino mixtim materiam sacri Calicis immediatè convertibilem in sanguinem suum. Et sanè mirum esset, quòd Christus miscens coram Apostolis aquam vino, ut calicem illicò consecraret, non habuerit voluntatem consecrandi totum illud sic mixtum, quod manibus ipse suis adhibuit, & supra quod, non interjecta mora temporis ad naturalem præconversionem physicam aquæ in vinum, dixit: *Hic est sanguis meus.* Sed de hoc redibit sermo penticulatior *sect. 9. præsertim ò num. 100.*

81 Arguitur secundò. Aqua infusa vino discinditur in particulas, tenuissimas, insinuans se minutissimè inter, & circum potiores partes multi vini: sed est impossibile, quòd aqua modica sic minutatim dispersa, & undique circumfusa vino, resistere diu possit vivacitati, & efficacitati vini, quantitate, & virtute illam excedentis, ne in illud convertatur: necesse ergo est, statim in vinum physicè converti: ac proinde dum venitur ad cõsecrationem jam esse in vinum conversam: sicque non immediatè converti in sanguinem Christi. Major, vel ipsis oculis patet. Minor probatur. Primò: quia forma substantialis aquæ infra certum minimum naturale materiæ conservari nequit naturaliter: ergo aqua per mixtionem cum multo vino in tenuissimas particulas minutissimè subdivisa, ex defectu saltem sui minimi naturalis materiæ, amittit statim formam aquæ. Secundò: quia ex Aristotele gutta vini infusa amphore aquæ statim amittit naturam vini: ergo similiter gutta aquæ infusa multo vino: id quod è converso indicat alibi Philosophus ipse. Tertiò: quia id persuadet color vineus, quo, statimatque miscetur, tingitur aqua.

82 Hanc argumentationem latè doctéque prosequitur ex Petronio, & Coqueto Eminentissimus Capisucchus §. 30. & 31. qua demonstrari putat intentum. Sed, me judice, vix probabiliter illud suadet, adhuc admissis ultrò effatis Aristotelicis: quibus ita fidere, ut in illius tantùm authoritate niti valeat demonstratio, desipere esset, & Aristotelicæ disciplinæ de requisitis ad demonstrationem obstrepere. *Petron. Coquet. Capisuc.*

83 Respondetur facillimè, concessâ majori, negando minorem. Quam utique minimè persuadet vivacitas illa, & efficacitas vini. Aliud enim est efficacitas, & vivacitas vini ad alterandũ, & cõcitãdũ suis qualitatibus guttam; aliud, efficacitas, seu activitas ad convertendam in se substantialiter aquam: ut patet in pipere, & sinapi, similibusque gulæ irritamentis, vivacissimis quidem ad irritandum palatum; non tamen sic efficacibus, & activis ad convertendum in se pulveres alios immixtos. Primam illam vivacitatem respectu palati, & stomachi fatemur, & experimur in vino, plùs, aut minùs pro generositate, vel debilitate vinorum. Secundam verò velle ex primâ inferre, est quasi ex vivacitate piperis inferre activitatem, efficaciam, & virtutem convertendi in se cinerem, farinam, legumina, arenam, aut, si mavis guttam aquæ. Ne purum Philosophum agam, nolo disceptare, an vino insit ulla virtus conversiva aquæ in vinum, in quo satis semper faceslent negotij Petronio, Coqueto, & Capisuccho nequidquam repugnantibus, doctissimus Paulus Aresius, & alij eam vino virtutem constantissimè denegantes: quâ negatâ, tota corruit argumenti moles. At, eâ pro nunc virtute vino permissâ in gratiam arguentium; adhuc non stat egregiæ suæ demonstrationis mi- *Aresius.*

minor: nec deducitur ritè conſequentia, proculdubio neganda. Nam, quamvis vinum generoſius poſſet forté aliquid modicæ aquæ debito temporis intervallo in ſe convertere; dicere tamen exinde, quodcumque vinum, ſive generoſum, ſive debile, eâ virtute naturali converſurum in ſe phyſicé modicam aquam ſibi immixtam, ſecundùm omnes omninò particulas aquæ, taliter, ut eo breviſſimo tempore interjecto ab infuſione aquæ in calicem adúſque conſecrationem, nihil omninó maneat aquæ non phyſicè præconverſum in vinum; eſt planiſſimé contra omnem omninò rationem naturalem. Nec ignis quidem activiſſimus totum omninò lignum, imó nec paleam in ſe convertit, quamvis totam deſtruat; nec vivens totum alimentum in ſe convertit, quamvis totum corrumpat. De hoc iterum *ſec. 9 à n. 103.*

84 Ad primam probationem minoris, negatur antecedens. Nam in non viventibus, præſertim homogeneis, qualis eſt aqua, nullum eſt aſſignabile minimum materiæ, in quo nequeat conſeruari minimum etiam formæ ſubſtantialis, ut dicemus *ſec. 13.* Nec ad oppoſitum *demonſtrandum* ſufficit authoritas Ariſtotelis, aut alterius Philoſophi. Adhuc tamen dato gratis antecedente, negatur conſequentia: nihil enim cogit ad dicendum, illas ſubdiviſiones aquæ mixtæ vino fieri in particulas minores minimo naturali. Quis hoc divinet aut inde rem *demonſtret?*

85 Ad ſecundam, notatum velim aliud eſſe quod gutta illa aquæ amittat naturam, ſeu formam aquæ; aliud, quòd convertatur in vinum. Illud prius dicit Ariſtoteles; non hoc poſterius: quod certé ex priori non ſequitur. Sæpè namque agentia vim habent ad deſtruendam formam paſsi, & non ad introducendam ſuam; ſed aliam tertiam, ut patet in vite, cuius activitas corrumpens totum humorem, quem é terra exugit, non totum convertit in vitem, ſed partim in muſtum: & in igne, cujus activitas deſtruit totum lignum, & magnam eius partem convertit, non in ignem, ſed in cineres, aut fumũ: & in mille alijs paſsim obvijs. Unde, quamvis, conceſſo antecedente, concederemus in conſequentia, vinum multum habere virtutem corrumpendi modicum aquæ immixtæ; non ſequitur, habere virtutem convertendi illam in vinum, ſed in alium liquorem inferiorem: qui forté liquor eſt humor ille aqueus, quem Arguentes experientijs adacti, concedunt extrahi per inſtrumenta hederacea, vel juncea à vino limphato. Proinde autem non haberent intentum: nam quamvis vinum Calicis corrumpat modicam aquam, ſi illam non convertit in vinum, ſed in tertium alium liquorem, in hoc tertio liquore mediate, vel immediatè convertendo in ſanguinem, laborabunt eiſdem preſſuris. Cæterùm conſultiùs eſt, concedere antecedens, & negare conſequentiam: quia ex eo quód aqua, quæ elementum eſt corrumpat, & convertat in ſe modicum vini, quod eſt mixtum; non benè arguitur vinum, quod eſt mixtum, convertere in ſe modicum aquæ, quæ eſt elementum, iuxta meliorem Philoſophiam.

86 Ad tertiam reſpondeat oportunè Virgilianum illud hemiſtichion: *nimium ne crede colori.* Coloratur quidem à vino aqua eó faciliùs, quo magis diſphana eſt: non tamen é colore arguitur, converti phyſicè ſubſtantialiter in vinum: ſicut neque in ſanguinem humanum, aut in crocum, aut minium, à quibus eâdem facilitate coloratur. Et certé, quamvis media pars aquæ infunderetur, vino, coloraretur à vino quamcitiſſimé. At, amphoram aquæ infuſam amphoræ vini cõverti tam citó ſubſtantialiter in vinum cave ne dixeris; aut ſaltem, ne id ſubaudiant Inopólæ, ut lepidè perſequitur Maignanus *c. 13. Philoſ. Natur. Prop. 4.* diſturbans quæ timeri poſſent ex debilioritate virtutis converſivæ vini à præcedenti repaſſione. *Virgil.* *Maign.*

87 Ad dicteria, & ſcommata, contra veritatem ſæpius, quàm pro veritate iactari ſolita, reſponſum habemus; ſed non damus; quia argumenta non ſunt.

SECTIO VIII.

Pro ſententia affirmante immediatam aquæ ſacri Calicis converſionem in ſanguinem Chriſti.

88 EAm tenent quatuor Eccleſiæ Sanctæ Cardinales, non minús doctrinâ, quam purpurâ eminentiſſimi, Alanus, Baronius, Toletus, & Lugus: quorum duo priores eam ad Fidei dogmata concernere ſcripſerunt: & Baronius à novitatis nota etudité vindicat, oſtendens fuiſſe magis receptam inter veteres, ut colligitur ex SS. Patribus, & *ex cap. cum Martha cit.* ubi iam refertur. Item Illuſtriſſimi Paulus Areſius, & antiquior Ianſenius, Epiſcopi; iſte Gandavenſis; ille Dertonenſis, cum approbatione Iacobi Figini Inquiſitoris. Præterea Marſilius, Altiſiodoren. Conimbricen. & Peſſantius, probans eſſe doctrinam S. Tho. apud Coninc illos ſtrenue ſequentem *quæſt. 74. art. 8.* Inſuper Salmeron, Canus, Henrtiq, Scortia, Præpoſitus, Layman, & Diana apud Delugo *diſp. 4. ſec. 4.* Petrus de Soto, & Dicaſ; *Alan. Baron. Tolet. Delugo. Areſ. Ianſen. Figiv. Marſil. Altiſiod. Conimb. Peſſant. Coninc. S. Thom. Salmer.*

Digitized by Google

Camus Henr. Scortia Præpos. Laym. Dian. Sot Dicast. Haun. Maignã Henaus Ledesm. Castro. Lessius Raynau. Caspen. Navarr. Bern.

Dicastillus illum allegans *disp. 2. dubit. 9.* Haunold. *lib.4. tract.3.cap.3.contr.3.* Esparza *quæst.66.art.8.* Maignanus Minimita prædoctus *cap. 13. Philos. Natur. Propos. 4. num.9.* Henaus *disp.4. sec.4.* & apud ipsum Ledesma, Castro, Lessius, Raynaudus, Caspensis Capuccinus, attestans, & meritò hanc esse iam sententiã communẽ Recentiorum: quos inter lubens adnumero perillustrem Dominum meum D. Vincentium Navarrete, Sanctæ, Angelicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ Metropolitanæ Cæsaranguſtanæ Canonicum Magistralem, Theologum absolutissimum maturi, profundique iudicij; in alma eiusdem Augustæ Urbis Universitatẽ Primariæ Cathedræ Moderatorẽ egregiũ, mihi cõdiscipulatu, arctâque amicitia coniunctissimum, multisque titulis magnificiendum. Itemque perquam eruditè sapientissimus Bernal, *disp.28. sec.4.* citans, in id, ac expendens plures veteres Patres, Iustinum, Damascenum, Cyprianum, Hieronimum, Ambrosium, Algerum, Gaufredum, Ildebertum, Paschasium, & Augustinum. Ut perspicias quo iure, qua fide, quo animo Coquetus huiusmodi controversiam vocáverit inauditam; Modestus Gavatius, novitate iucundam; & Eminentissimus Capisuchus §. 11. oppositam, unanimi Theologorum tenu receptam.

Caquet. Gavat. Capisuc.

Iustin.

89 Probatur primó ex veterum Patrum loquutionibus. Iustinus Martyr *Apol. 2.* ait: *Diaceni dant unicuique eorum, qui adsunt, participandum, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt.* Communicabant tunc temporis Fideles in utraque specie: *& vinum, & aquam*, vocat Iustinus, nisi violenter detorqueatur, species vini, & aquæ superstites in calice post immediatam transubstationem vini, & aquæ. Damascen.4 *de Fide.4.* ibi: *Panis, vinum, & aqua per invocationem S. Spiritûs supernaturaliter transmutantur in Corpus, & Sanguinem Christi.* In quo modo similiter de tribus loquendi, non nisi grâtis apponetur discrimen illud mediatæ transmutationis.

Damasc.

Pasch.

Paschasius *de Corp. Domini cap.11.* ibi *aqua consecratur: non quòd aqua permaneat; sed vertatur in Sanguinem.* Quod nequit intelligi nisi de aqua Calicis mixtâ vino: de hac autem, si per conversionem mediatam intelligi sufficeret, dici similiter id posset de aqua cum farina præconversa in panem. Ambrosius *4. de Sacr.4.* ibi: *ante verba Christi calix est vini, & aquæ plenus; ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur*; nimirum, *calix vini, & aquæ* plenus, donec perveniatur ad verba: id enim satis indicat vox, *ubi*. Hieronym. *in cap.14. Marci*, ait: *formavit Sanguinem suum in Calice, vino, & aquâ mixtis.* Ubinam mentio præconversionis physicæ aquæ in vinum? Algerus, qui teste Bellarm. antiquitús, uicebatur omnium optimè scripsisse de Eucharistia, *lib. 2. cap. 3.* ait; *aquam pro nobis figuratè oblatam; sicut, & vinum pro se oblatum, in veritatem, & unitatem sui sanguinis mutat.* Pende; *sicut, & vinum.* Gaufredus *Epist. ad Card. Albanen.* apud Baron. *ad an.* 1188. refert hæc ex Augustino: *aqua mittitur in calicem, & fit sanguis.*

Ambros.

Hieron.

Alger. Bellarm.

Gaufr. Baron. August.

90 Similia prætermittens, in ijs tria pondero. Primum, hos Patres expressè docere conversionem aquæ in sanguinem, nullâ facta mentione præconversionis physicæ in vinum. Secundum, inde certò inferri, aquam nullatenus manere in Calice consecrato quoad substantiam aquæ. Tertium, ut liquidum etiam consectarium, apud illos, aut minimi, aut nullius fuisse momenti præconversionem physicam aquæ in vinum. Unde sic ratiocinor. Ex mente, & ore illorum Patrum aqua Calicis mixta vino transmutatur, transfertur cõvertitur in sanguinem Christi: sed nihil curarunt de physica præconversione in vi nũ: ergo quia, sive præcõvertatur, sive nõ præconvertatur in vinum, convertitur in sanguinem Christi: ac proinde potest immediatè, iuxta præsentem Christi institutionem. Responderi solet, satis etiam salvari eiusmodi loquutiones, si aqua mediatè in sanguinem convertatur.

Iustin.

Innoc.3.

91 Contra tamen primò. Nam aliquæ ex dictis loquutionibus clarè præoccupant hoc effugium. Quippe Iustinus ait, quòd Diaconi ministrantes Calicem *dabant Fidelibus vinum, & aquam*: hoc est, species vini, & aquæ, iuxta quod ait Innocentius *lib.4 de Mist. Missæ*, in Sacramento esse trinitatem specierum: videlicet panis, vini, & aquæ: igitur, quia adhuc post consecrationem manent species aquæ simul cum speciebus vini: si autem vinum corrupisset omninó, & in se præconvertisset aquam, non manerent in Sacramento species aquæ: non enim est nec dici possunt absolutè species aquæ quælibet accidentia aquæ; sed complexum accidentium âquæ sufficientium ad retinendam naturaliter sub se naturam aquæ: alioquin, & species terræ, & succi vitis dici similiter possent manere in calice: cum aliqua accidentiola illis naturis communia ibi maneant: aut eadem numero iuxta veriorem Philosophiam; aut, si corruptor es adusque materiam primam, eadem in specie: quod in præsentiarum perinde est. Ambrosius satis indicat, im-

Ambros.

mediatè ante conſecrationem eſſe Calicem plenum vino, & aquâ, & fieri ſanguinem per verba. Si autem vinum ante verba convertiſſet aquam in ſe, calix immediatè ante verba ñ eſſet plenus vino, & aqua. Paſchaſius, ut inferat aquã nõ manere aquã, eò recurrit, quòd vertitur in ſanguinẽ: quę ratio nec ſatis vera, nec ſatis apta foret, ſi purùs aqua verteretur in vinum: non ſatis vera; quia quod abſolutè tunc verteretur in ſanguinem iam non eſſet aqua: non ſatis apta; quia potiſſima ratio, cur ibi non maneat aqua eſſet, quia verſa fuiſſet in vinum: & hoc independenter à conſecratione. Damaſcenus: non ſolùm de vino, verumetiam de aquâ, ait, tranſmutari ſupernaturaliter per invocationem Spiritûs Sancti. Si autem imediatè ante conſecrationem iam non erat aqua; quomodo per conſecrationem tranſmutata eſt ſupernaturaliter? nam tranſmutatio in vinum ſi fuiſſet, naturalis fuiſſet. Non ergo niſi violentiſſimè poſſunt ij SS. Patres detorqueri in ſenſum mediatæ dumtaxat converſionis in ſanguinem a quæ phyſicè præconverſæ in vinum.

Paſch.

92 Contra ſecundò. Quia ſi in eum ſenſum eſſent detorquendi, dum ita ſerio aſſeverant, aquam converti in ſanguinem, otioſè, & ſupervacaneè contendiſſent. Quandoquidem non uſque adeò imperiti putandi ſunt ut ignorarent phyſicã illam quęſtionem iam antiquitùs controverſam, memoratam, ut legimus, in cap. *Cum Marthæ*, de converſione aquæ in vinum: ſit né poſſibilis naturaliter, necnè: à cuius tamen deciſione abſtinuerunt: ergo quia iudicarunt, aquam Calicis mixtam vino converti in ſanguinem, ſive phyſicè præconvertatur in vinum, ſive nõ. Et mirabilius quidem eſſet eorum Patrum Conciliorumque ſilentium de tali præconverſione, quando ſtatuunt aquam debere infundi modiciſſimam: pro quo varias rationes excogitarunt. Profectò, ſi ſenſiſſent, aquam illam debere phyſicè præconverti in vinum, hæc erat ratio appoſitiſſima nemini non obvia: quam tamen inter varias alias rationes non dederunt, ut legere eſt in Florentino cit. Quod me certum reddit, illos minimè acquieviſſe tali phyſicæ præconverſioni, contra ipſorum mentem, & ſenſum aſſertæ. Præterea, ſi prædictæ Patrum loquutiones intelligendæ eſſent de mediatâ tantùm converſione aquæ in ſanguinem; negotium potiùs Philoſophicum, quàm Theologicum egiſſent: quod probro verti poſſet graviſſimis Eccleſiæ Patribus. Quippé iuxta Adverſarios hæc veritas à Patribus conſtanter aſſerta: *aqua mixta vino convertitur in ſanguinem*; pendet à gemina propoſitione: unâ Theologicâ, & orthodoxâ, quòd vinum convertitur in ſanguinem; alterâ purè Philoſophicâ, quòd aqua modica mixta vino phyſicè convertitur in vinum. Primam iſtarum propoſitionum non decrevit Patrum ſententia, ſed Fides: deſudaſſent igitur Sancti PP. in ſecunda pro negotio purè phyſico. Nimirùm: *Tanta mollis erat phyſicam decernere litem.* Quod de me puſillo Theologo audire erubeſcerem. *Virg.*

93 Contra tertiò. Si aqua deberet phyſicè præconverti in vinum ante converſionem in ſanguinem, dictæ Patrum loquutiones, prout ab ipſis abſolutè prolatæ, non ſolùm ineptæ, quinetiam, & falſæ eſſent, & abſurdæ. Patet ex eo quòd, ſi vinum, ut fieret conſecratio ſanguinis, deberet præconverti in acetum, aut in aquam vitæ; non quidem abſolutè, & proprié vinum, ſed acetum, aut aqua vitæ diceretur in ſanguinem converti: illud enim abſolutè convertitur in ſanguinem, quod per converſionem in ſanguinem deſinit eſſe; at nec vinum in eo caſu, nec aquà in noſtro, deſinerent eſſe per converſionem in ſanguinem; cùm jam deſiterint per converſionem aquæ in vinum, & vini in acetum. Præterea, ſi diceret quis abſolutè uvam convertiri in ſanguinem, aut grana tritici, vel milij in corpus Chriſti per conſecrationem, nõ niſi impropriſſimè, & abſurdè loqueretur: quia nempè non immediatè convertuntur per conſecrationem; ſed mediatè prius præconverſa uva in vinum, & grana tritici, aut aliqua etiam milij in panem triticeum. Siccine ergo decet loquutos fuiſſe tot Sanctos Patres, in re doctrinali, & dogmatica? Haud equidem credam: eſſet enim, aut falsò, aut abſurdè, aut ſaltem impropriſſimè loqui. Hinc ea propoſitio certiſſima: *aqua conſecratione convertitur in ſanguinem Chriſti*: de qua, quaſi in dubium verti poſſet, quærit Capiſucc. § 35. utrum ſine diſtinctione admitti poſſit & reſpondet, *poſſe*, cùm addere potuiſſet, *& debere*; abſolutè loquendo non eſſet vera; ſed in ſenſu impropriſſimo, & violentiſſimo prorſus alieno à verbis SS. Patrum. *Capiſuc.*

94 Contra quartò, & probatur ſecundò principaliter hæc ſententia ex ipſo cap. *Cum Marthæ*, quod fidentiſsimè ſibi arrogabat oppoſita, donec *incidit in foveam, quam fecit*. Pontifex ibi ex ſententijs, quas retulerat, eligit ſecundam de converſione aquæ in ſanguinem. ibi: *Illa probabilior indicatur, quæ aſſerit, aquam eũ vino in ſanguinem tranſmutari.* Pendite, *aquam cum vino*. Quomodo *aqua cum vino*, ſi ſolum puriſsimè vinum? Quomodo convertitur in ſanguinem *C. cum Marthæ Pſal. 7.*

aqua

aqua cum vino,si ex quo convera fuerat aqua in vinum,jam non erat cum vino aqua? Quomodo *aqua cum vino* convertitur vi verborum consecrationis, si antequam proferantur verba jam desierat ibi aqua? Quòdsi verum esse potest, aquam jam non immediatè præxistentem in Calice cum vino,converti tempore consecrationis in sanguinem; verum similiter esset, aquam tunc corrumpi, ac desinere esse, id enim essentialiter importat conversio;cum tamen jam antea desierit, & corrupta fuerit per conversionem in vinum: quod est, hominem jam præmortuum,absolutè dici in hoc instanti physico mori. Itané?

Capisuc. 95 Respondet Cardin. Capisucchus §.7. *Innocentium, cum ait, aquam cum vino in sanguinem transmutari; per particulam, CVM,conferre aquam cum vino præexistenti ad mixtionem*: & sensum esse: *simul cum eo vino præexistenti converti aquam in sanguinem*: *quod*, inquit, *verum absolutè est, etiamsi aqua convertatur in sanguinem mediatè.*

96 Prior pars responsionis vera est: fatemur id voluisse Pontificem; idque significasse per conjunctionem,*cum*: scilicet,aquam cum vino, præexistenti ad mixtionem, transmutari in sanguinem. At non esset vera hæc prior pars, si sensus esset,ut explicatur,& implicatur in secunda. Quomodo absolutè verum, *simul cum eo vino præexistenti converti aquam in sanguinem*, si ante conversionem in sanguinem jam non erat in Calice aqua simul cum vino? Quòd autem sit ibi pars illius vini præexistentis ante mixtionem, & pars alia vini, in quod post mixtionem conversa est aqua;non verificat ibi post hanc conversionem esse aquam cũ vino; sed vinũ cum vino. Si ergo tunc ibi jam absolutè verè non erat *aqua cum vino*; quomodo destruitur tunc, & convertitur in sanguinem *aqua cum vino*, ut asserit absolutissimè Pontifex?

Bern. Ephes. 97 Profectò, ut ponderat appositissimè Bernal, Conc. Ephes. *Anathematismo* 8. damnat asserentes, hominem assumptum una cum ipso Dei verbo adorandum,& Deũ appellandum esse, tanquam *alterum cum altero* existentem: & dat rationem: *Hunc enim intellectum particula CVM adiecta, perpetuò, ac necessariò afferre consuevit.* Sicque ibi, *alterum cum altero*, significabat juxta Nestorium in Christo duo supposita: hæc scilicet est vis illius modi loquendi,teste Concilio,id damnante. En ergo intellectum, & explicatum ex Concilio modum loquendi Innocentij: *aquam cum vino*, id est, utcũque simul illum liquorem,aquam,& vinum, *in sanguinem transmutari. Hunc enim intellectum particula, CVM, adiecta perpetuò, ac necessariò habere consuevit.*

98 Effugium,quod huc eruditioni parare tentat Card. Capisucchus § 6. nequidquam est. Legat in primis præclara scripta sapientissimi Bernalis de Incarnatione, eruditione,Græcâ præsertim, illustria circa Cyrilli, & Ephesini loca Mysterium illud concernentia; & verebitur fortasse, Authorem undequaque eruditissimum minùs decorè taxasse, quòd fuerit *ignarus Originis ex Cyrillo, & contextûs eius*, quoad prædictum Anathematismum. Præterea: quamvis ibi verba illa relativa, *alterum cum altero*; habere potuerint ambiguitatem, sive de alteritate Suppositorum in Christo,ut erabat Nestorius; sive Naturarum, ut credimus ex Fide; at in Decretali Innocentij dicentis per propria nomina, *aquam cum vino*,locus non est ambiguitati circa terminos, quos conjungat particula, *CVM*. Denique: Ephesinum damnans ibi *alterum cum altero* in sensu Suppositorum, dat rationem generalem, & doctrinalem: *quia particula, CVM*, adjecta terminis, quos afficit, perpetuò conjungit alterum cum altero. Quam regulam à Concilio datam, quacumque occasione & origine illam dederit, refugiunt, qui in præsenti frustrà connituntur verificare verba Pontificis, *aquam cum vino in sanguinem transmutari*, sine conjunctione aquæ,& vini distinctim in Calice ut transmutentur simul in sanguinem. Perpendat nunc vim, & acumen eruditissimi Bernal, quo potuit, non *perperam*; sed meritissimo jure *exultare* modestissimus Vir. *Capisuc.*

99 Nec ad hanc, ut oportet,absolutam veritatem sufficere potest mediata, quam asserunt,aquæ transmutatio in sanguinem. Hæc enim mediatitas præter vocabulum, nihil est aliud in re, quàm converti immediatè in sanguinem vinum, in quod præconversa fuerit aqua. Id autem si sufficere censetur ad absolutam veritatem illorum verborum: *aquam cum vino in sanguinem transmutari*; similiter dicere possemus absolutè, convivas illos Nuptiarum Galileæ bibisse ex hydrijs *aquam cum vino*, eo quod biberint vinum in quod conversa fuerat aqua; & nos, quando sumimus Calicem, sumere vinum vitis cum sanguine Christi, eo quòd sumamus sanguinem, in quem vinum fuerat conversum: & *aquam* quoque *cum pane*, in quem per coctionem præconversa fuit, *transmutari* in corpus Christi, & à nobis manducari. Egregiè! Non autem aliam absolutam veri-

tatem concedit iſta reſpon ſio penitùs introſpecta, verbis Pontificis aſſeverantis, *aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari.* Acquieſcat qui potuerit. Ego quidem ſincerius ut decet, loquutum arbitror, & cum dixit: *aquam CVM vino in ſanguinem tranſmutari*, ſignificaſſe ſatis per eum modum loquendi immediatam converſionem aquæ & vini mixtim in ſanguinem Chriſti.

SECTIO IX.

Alia probationes ſententiæ affirmantis.

100 PRobatur tertiò. Mixtum ſacri Calicis ex vino, & aquâ naturali modicâ, eſt apta materia conſecrationis inſtituta à Chriſto, potiùs quàm mixtum ex vino, & ex modico alio liquore: ſed non ſic potius eſſet, ſi aqua non niſi præconverſa phyſicè in vinum, converteretur in ſanguinem: ergo convertitur in ſanguinem, etiam non præconverſa in vinum, atqueadeò immediatè. Argumenti tertio eſt à priori: conſequentia legitima. Præmiſſæ ſunt probandæ.

101 Atque in primis minor evincitur facillimè. Quia præconverſus phyſicè in vinum, quilibet etiam alius liquor eſſet apta materia, ut per ſe liquet: quia jam factus eſſet vinum: ergo ſi ſic tantummodo eſſet apta materia aqua mixta vino, non eſſet materia potiùs quàm quilibet alius liquor. Nec eſſet è re, quòd ex præcepto ſaltem Eccleſiæ aqua, & non alius liquor, debeat admiſceri calici. Nam præceptum Eccleſiæ, ut doctè adſtruit *Capiſucc.* Capiſucchus §. 24 non facit eſſe materiam aptam id quod alias ex inſtitutione Chriſti apta materia non eſt: ut patet è contrario in prohibitione Eccleſiaſtica azymi pro Græcis, & fermentati pro Latinis: quapropter neuter deſinit eſſe apta materia quoad validè pro utriſque: quia nempè voluntas Chriſti inſtituentis, ex qua id unicè petendum eſt, ſic de facto fuit. Si igitur ea Chriſti voluntas quoad validè non potiùs fuit erga aquam mixtam vino, quam erga liquores alios; quidquid poſtea præcipiatur, ſive prohibeatur quoad licitum uſum, manet inconcuſſum, quòd non potius aqua mixta vino, quàm alius quicumque liquor ſimiliter mixtus vino, eſſet apta materia quoad validè. Et hæc erat noſtra minor.

102 Major etiam, in qua res vertitur, probatur. Primò ex loquutionibus Sanctorum PP. congloatis *num.* 89 quæ de nullo alio liquore per accidens immixto Calici cõſecrando proferri poſſent. Secundò ex immemoriali uſu Eccleſiæ admiſcendi ex induſtria aquam vino pro conſecratione per ſe ſemper, & ex intentione; & non interdum per accidẽs, ſicut poſſent per accidẽs miſceri alij liquores, qui ſunt inepta materia. Tertiò ex facto Chriſti inſtituentis: quippé, ut conſtat ex Liturgia S. Iacobi, Calicem conſecraturus: *Accipiens Calicem, & permiſcens ex vino & aqua, ac aſpiciens in Cœlum, ac oſtendens tibi Deo Patri, gratias egit ſanctificans, benedicens, implens Spiritu Sancto, dedit nobis dicens: Hic eſt Calix, &c.* *Litur. Iacob.* & in Liturgia S. Baſilij: *ſimiliter Calicem vini nati è vite poſtquam cœnaverunt accepit, miſcuitque aquis, gratias egit, dicens: Hic eſt Calix, &c.* *Baſil.* Mirum certe mihi eſſet, Chriſtum ſic feciſſe coram Apoſtolis mixtionem illam, ſicque divina illa verba immediatiſſimè protuliſſe ſuper calicem vino, & aqua tunc ſic mixtum, nullatenus interjecta morâ ad naturalem converſionem, quin aquam ſic mixtam ſanctificaverit, & elevare voluerit in materiam Sacramenti præ alijs liquoribus, qui ſi vino immiſcerentur, peccaret Sacerdos, ſuper tale mixtum proferens verba conſecratoria: & omnino incredibile, quòd Chriſtus, proferens ſuper illud mixtum verba: *Hic eſt Calix, &c.* demonſtrantia, id quod ſibi ſuis ipſe manibus præſens tũc miſcuerat in calice coram Apoſtolis; ex intẽtione ſua minimè manifeſtata, illa particulatim dixerit ad particulas vini, excluſis interna ſedulitate guttulis aquæ intermixtis, contra id quod ſigna omnia externa perſuadebant. Quis hoc credat? Credendum igitur abs dubio eſt, voluntatem ſuam inſtitutivam extendiſſe ad aquam mixtam vino: ſicque eam præ alijs liquoribus feciſſe aptam materiam Sacramenti pro ſuo ſanguine. Quartò: quia hinc eſt, quòd Florentinum, aſſignans materiam Calicis, non utcumque dixerit, eſſe *vinum de vite*; ſed, *vinum, cui aqua modiciſſima adhiberi debet.* Quo modo loquendi de: qua, non quidem eam ſic mixtam excluſit omninò Concilium à ratione materiæ calicis, ut fruſtra contendit Capiſucch. §. 14. *Capiſuc.* ſed ſignificavit oportuniſſimè, non eſſe materiam neceſſariam ad valorem ſicut vinum; quamvis ſufficientem mixtim cum vino, ut expoſuimus *ſec. 6. à num. 66.* *Florent.* Quod de alio liquore, ſicut de aqua, ſine fundamento diceretur. Quo manet mihi in comperto, aquã mixtam vino eſſe materiam ſacri Calicis juxta præſentem Chriſti inſtitutionem, præ alijs liquoribus: quæ erat major noſtri ſyllogiſmi: cuius jam conſequentia liquet.

103 Probatur quartò. Aqua ex Eccleſiæ præcepto mixta vino ſi manet ſubſtantialiter

aqua

aqua in Calice conſecrato; ſed non præconvertitur phyſicè ſubſtantialiter in vinum: ergo immediatè in ſanguinem non præconverſa phyſicè in vinum. Hic alter ſyllogiſmus in vatia, & invia diffugia adigit adverſarios inter reſpondendum.

104 Major eſt certa. Tum ex cap. *Cum Marthæ* decantatiſſimo; ubi reprobat Pontifex ſententiam, quæ dicebat, aquam poſt conſecrationem manere aquam circumfuſam mixtim accidentibus vini. Tum ex perſpicuis loquutionibus SS. Patrum relegendis *num. 87.* Tum ex atteſtatione clariſſima S. Tho. adducti *num. 53.* dicentis, nec panis, nec vini, nec aquæ ſubſtantias manere poſt conſecrationem: *Quia in Sacramento nihil eſt niſi Corpus, & Sanguis Chriſti*: dantiſque rationem ulteriorem: quia, *alioquin non totum adoraretur veneratione Latriæ.* His tamen non obſtantibus, Card. Capiſucch. §. 34. cum Ioan. à S. Thom. aliiſque perdoctis Thomiſtis, non omninò fidens ulteriori huic rationi Sancti Thomæ, non reputat inconveniens, quód in *aliquibus caſibus*, aut citiſſimæ conſecrationis, aut debiliſſimi vini, maneat *aliquando* in Calice conſecrato aliquid ſubſtantiæ aquæ immixtæ vino. Cæterùm, quidquid pro nunc ſit de vi rationis S. Thomæ, hoc in rei veritate eſt, aut incidere, aut conijci, in ſententiam illam reprobatam ab Innocentio, rejectam à S. Tho. & à cunctis Theologis deteſtandam, quòd in Calice conſecrato maneat aquæ nuper à Sacerdote ex præcepto immixtæ ſubſtantia; ſi non pro ſemper, ſaltem pro *aliquibus caſibus*; ſi non tota, ſaltem aliqua portio, quæ nondum potuit in vinum præconvertiri. Et uno verbo eſt dicere, aquam Calicis manere aquam in omnibus caſibus, quibus non fuerat naturaliter in vinum præconverſa. Quæ eſt ipſiſſima illa tertia ſententia reprobata in cap. *Cum Marthæ*: non enim aliud dicebant ejus authores: quippè de aqua præconverſa in vinum nullam habebant rationem dubitandi, quòd jam facta vinum converteretur in ſanguinem. Unde, & ipſe Pappa ſecundam ſententiam amplectens in ſenſu prædictæ reſponſionis, incideret cum eiſdem Reſponſoribus in ipſiſſimam tertiam, quam reprobat: quo quid inconcinnius, & abſurdius? Cerùm doctrina Pontificis in ſua Decretali explicata, ſincerèque retenta à S. Thom. & à SS. Patribus ſuperiùs allegatis proclamata, generalis eſt: & nec in toto, nec in parte, nec pro cunctis, nec pro aliquibus caſibus, deſerenda: prout jacet in majori noſtri ſyllogiſmi: & mihi quidē, quoad hoc de non permanentiá in Calice poſt cōſecrationem, eodem ipſo ſcrupulo, & rigore, de aqua illa, ac de vino.

C. cum Marth.

Capiſuc. Ioan. à S. Thom.

105 Et hic habet ſuum ſenſum, & robur ratio illa ulterior. S. Thom. *alioquin non totum adoraretur veneratione Latriæ*: ſcilicet non totum id, quod poſt conſecrationem ſubeſt ſpeciebus vini mixti: ſub quibus propterea nihil omninò manere ſubſtantiæ talis aquæ, ſicut nec vini; ſed ſanguinem Chriſti, dixerat optimè S. Thom. ibi. Quam doctrinam certiſſimam non infringit id quod benè docet Capiſucchus cum reliquis Theologis de alijs liquoribus, vel corpuſculis caſualiter intermixtis vino, & aquæ: & quoad illos proceduntrectè, quæ de adoratione ſapienter adnotat; ſed minùs ad rem. Nam quod Chriſtus Apoſtolis in Cœna, poſtquam miſcuit aquam vino, & nos in Miſſa poſt ſimilem mixtionem, factâ conſecratione, proponimus Fidelibus ſub ſpeciebus ſacri Calicis, abſolutiſſimè adoratur, nullâ prorſus à ſic adorantibus habitâ ratione ad phyſicam præconverſionem aquæ in vinum factam, vel nō factam: quod eſſet aut Latriacé adorari ſubſtantiam aquæ, ſi ibi ſubeſſet, quod nefas eſt; aut *non totum*, quod ibi ſubeſt, *adorari veneratione Latriæ*: quod meritò reputatur abſurdum à S. Sancto Thom. & non omninó diſplicuit his Thomiſtis.

S. Thom.

Capiſuc.

106 Minor jam noſtri ſyllogiſmi probatur dupliciter. Primó: quia vinum non habet nativam virtutem aquam in ſe phyſicè convertendi: ergo aqua ſacri Calicis non præconvertitur phyſicè in vinum. Antecedens inter Phyſicos, & Chymicos ex inſtituto diſputandum, probat eruditè Bernal poſt doctiſſimum Paulum Areſium id feré demonſtrantem ex Ariſtotele, Catone, Philopono, Plinio, Nemeſio, & alijs antiquis. Quod, & Recentes, quos inter inſignis Philologus Maignan. *cap. 15. Philoſ. Natur.* ſic per varia experimenta ponunt ob oculos, ut niſi ab ingenio indociliſſimo negari non poſſit. Monſtrant enim per inſtrumenta juncea, aut hederacea, aquam diu immixtam multo vino evidentiſſimè ſeparari. Teſtaturque Maignan. *num. 9.* ſe aquam mixtam multo vino poſt decem dies extraxiſſe, congelándo mixtum illud modicé, taliter nempè, ut congelatis ante congelationem vini particulis aquæ vino imperceptibiliter intermixtis, totū omninò vinū, quod nēpe non ita citó congelatur, ſenſim diffluereret, manente ſperſim glacie poſt modū colliquādâ in aquā puriſſimam. Quid ad hæc eminentiſsimus Capiſucchus? Ait §. 34. illud ſic extractum, quamvis à S. Thom. 4. *ſent. diſt. 11.* appelletur *ſubſtantia aquæ*; non eſſe aquam, ſed humorem quemdam aqueum: ac ſimiliter id,

Bern. Areſ. Ariſt. Cato. Philop. Plin. Nemeſ. Maign.

Capiſ. S. Thom.

quod ſeorſim ab illo extracto aqueo manet dicere poſſet, non eſſe vinum, ſed humorem quemdam vineum; eâdem mixtionis vi progeneratum, ſaltem in parte? Præterquam quòd in hoc humore vineo, quod mixtum vino non eſt vinum, urget eadem difficultas, quæ in aqua mixta vino. Si enim ille humor mixtus vino convertitur immediatè in ſanguinem Chriſti, quamvis ſeorſim non poſſet valide conſecrari, nec ſub talis ſubſtantiæ ſpeciebus contineri Sacramentaliter Chriſtus; cur id ſimiliter non dicatur de aqua modica mixta vino? Reſpondet: quia quamvis non ſit vinum, eſt aliquid vini. Cæterum ſic aqua vitæ, & fæces vini etiam ſunt aliquid vini. Poteruntne propterea conſecrari reinfuſæ vino? Deinde, quamvis humor ille ſit aliquid vini, non poſſet ſeorſim conſecrari, quia per vos non eſt vinum: ergo nec mixtum vino poterit immediatè converti in Sanguinem Chriſti. En argumentum contra aquam, à nobis ſolutum *ſec. 7. à num. 70* ab Adverſarijs contra humorem vineum, neſcio qua doctrinæ cohærentiâ, ſolvendum. Vide ibi.

107 Secundò, & multò ſecuriùs probatur eadem illa minor, ex dictis ibidem *à nu. 82*. Nam, adhuc dato, & non conceſſo, quòd vinum habeat virtutem naturalem corrumpendi, imò, & convertendi in ſe aquam; ſcimus evidentiſſimis experimentis, quòd agentia naturalia, nec totum paſſum ſibi applicatum in ſe convertere ſolent; nec convertunt niſi poſt temporis intervallum, & multis alijs ſervatis circumſtantijs. Quis autem ſibi Philoſophus, contra rationem naturalem omninò, & quotidianas aliorum agentium experientias, ſibi perſuadeat, vino cuilibet vitigineo, etiam debiliſſimo, eam ineſſe virtutem naturalem, ut tempore breviſſimo aquâ ſacri Calicis ſibi immixtam totam omninò in ſe convertat, ut nec ſtillula, ne fæcula quidem ſuperſit non phyſicè converſa? Recurrit Card. Capiſucchus ad virtutem, ſeu qualitatem occultam, & innominatam vini propriam. Sed quo fundamento myſterium iſtud Naturæ? Ejuſmodi virtutes occultas novimus interdum in aliquibus naturis per effectus ab experientia; & nova hæc Philoſophandi ratio eam prædicat de vino contra ſupradictas experientias.

Capiſuc.

108 Accedit urgentiùs: quòd in Miſſis feſtinantiſſimè celebrantium; & præſertim in caſibus, in quibus juxta Rubricas Miſſalis Sacerdos paulò ante conſecrationem, vel etiam conſecrato jam pane, animadvertens, ſe non appoſuiſſe aquam Calici, *debet ſtatim apponere, & conſecrare*, ut ait S. Tho. *quæſt 83. art. 6. ad 4.* ſicut etiam caſu, quo in ſumptione animadvertit, non eſſe vinum quod poſuerat in calice; tenetur infundere vinum, & aquam, & ſtatim conſecrare. Et Apoſtoli primitùs, infuſis calici aqua, & vino, recitato Pater noſter, omiſſis multis alijs, quæ poſtea ad miſſandum inſtituta ſunt, illicò conſecrabant, ut legitur: & quod caput eſt, ipſe Chriſtus jamjam calicem conſecraturus, ut colligitur ex Liturgijs Sanctorum Iacobi, & Baſilij memoratis *nu. 100.* miſcuit aquam vino, & illicò conſecravit. Profectò leviſſima credulitas eſt, velle ſibi quemquam perſuadere, quòd in prædictis caſibus breviſſimæ moræ à mixtione ad conſecrationem, naturalis virtus cujuslibet vini convertat phyſicè in vinum totam omninò aquam, nullâ portiunculâ aquæ prorsùs exceptâ: quod inſigne paradoxum eſt. Et eò maximè, quòd in quantitate aquæ adhibendâ non debeat ſcrupuloſior eſſe Sacerdos: quamvis enim jam ex Florentino aqua debeat eſſe modiciſſima; at per Triburiense ſolùm prohibebatur olim, ne tertiam partem excederet & per cap. *Pernicioſus de Celebr Miſſ* ne vini quantitatem exæquaret. Denique, ſi tota omninò aqua præconverti phyſicè debet in vinum à mixtione ad conſecrationem, non ſatis providiſſet Eccleſia pro dictis caſibus, ne aut ex toto, aut ex parte, quod ad præſens perinde eſt, aqua maneret intranſubſtantiata in ſanguinem; aut ne Sacerdos talem calicem ſumens frangeret naturale jejunium ad ſecundò eâdem die celebrandum, ut in aliquibus caſibus opus eſt. Deberet enim abſtinere à ſecunda celebratione juxta S. Thom. *in 4. diſt. 11. quæſt. 2. art. 4. quæſtiunc. 1 ad 2.* quamvis è diverſo id neget Capiſuccus §. 35.

Florent. *Tribur.* *S. Thom.* *Capiſ.*

109 Reſtat, ut tandem Aſſertores phyſicæ præconverſionis aquæ in vinum, naturali ad id virtute vini non ſatis freti, conſtringantur diffugere ad ſupernaturalem, dicendo, ſi fortè in aliquo ex prædictis caſibus nondum præconverſa fuerit aqua, aut non tota aqua, naturaliter in vinum dum venitur ad conſecrationem; miraculosè à Deo præconvertendam, ne quidquam ſubſtantiæ aquæ ſuperſit in calice. Id quod jam aliqui dixerunt apud Capiſucc. §. 35. ſed abſque probabili fundamento, ut ipſe rectè judicat. Certè namque, ſicut parum Philoſophicum eſt, dictas præconverſiones immodicè tribuere naturali virtuti vini; ſic minùs Theologicum eſt, recurrere pro illis ad nova miracula ſine neceſſitate, utilitate, & fundamento. Quorſum hæc niſi ad intrudendum é proprio cerebro præliminare myſterium quaſi Euchariſticum ante conſecrationem; unde vera noſtræ Fidei

Capiſ.

Sacramenta exponantur cachinnis Hæterodoxorum? Satius proinde judicat Eminentiſ. Capiſucus ibi deglutire, quandoque in ſacro calice poſt conſecrationem aliquid aquæ inconverſæ. Sed, cum bonâ venià, æquè malè, ut ex S. Tho. & ex cap. *Cum Mart.* expendimus *num.92.& 102.* & expendi denuò poteſt ex eodem Capiſucco. Quippè cùm hæc propoſitio: *Aqua conſecratione convertitur in Sanguinem Chriſti*, ſit certiſſima ex cap. *Cum Martha*, quærit, utrum ſine diſtinctione admitti poſſit? Et reſpondet, *abſolutè concedi poſſe*; cùm addere deberet, nec poſſe ſine nota abſolutè negari. At certè intellecta, ut neceſſe eſt, de aqua mixta vino in Calice, ſub diſtinctione eſſet concedenda, & neganda, ſi verum eſt quandoque manere aquam ſubſtantialiter in Calice conſecrato. Nos illam uti certam abſolutiſſimè confitemur, utpotè non pendentem à præconverſione aquæ in vinum in ſua certâ veritate converſionis totius ſemper illius aquæ in ſanguinem, ſive præconvertatur phyſicè in vinum, ſive non. De quo legendus ſpecialiter P. Coninc, de hac utiliſſimâ veritate optimè meritus.

Capiſ.

Capiſ.

Conine.

SECTIO X.

Concluſio.

110 EX ultro citròque prolixiùs, quàm putaveram, diſputatis, concluduntur quinque. Primum: certum eſſe, aquam ſacri Calicis mixtam vino converti in ſanguinem Chriſti. Secundum: incertum eſſe, an phyſicè præconvertatur in vinum; an potius aliquid vini in aquam. Tertium: inveriſimile prorsùs eſſe, & toti Philoſophiæ repugnans, totam omninò aquam in omni caſu, conſecrationis etiam licitæ, præconverti phyſicè in vinum. Quartum: certam converſionem aquæ in ſanguinem non debere, nec poſſe fieri pendentem in ſui certâ aſſertione innegabili ab aſſertione incertâ, & inveriſimili præconverſionis phyſicæ in vinum: quâ probabiliſſimè negatâ pro ſemper à multis; & pro aliquibus caſibus ab omnibus certò negandâ, corrueret illa certitudo. Quintum: conſultius, & veritati Theologicæ, & Philoſophicæ, ac Ritibus Eccleſiæ longè conformius eſſe, ſemper aquam mixtam vino converti in Sanguinem Chriſti, ſive interdùm forte præconvertatur, ſive interdùm non præconvertatur phyſicè in vinum. Hoc eſt, ut ſupra vidimus, ipſiſſimum iudicium Innocentij tertij in cap. *cum Martha* ſæpè citato. Atqueadeò tenendum omnino eſt, aquam ſacri Calicis converti poſſe, ac de facto ſæpè converti, tranſmutari, & tranſubſtantiari immediatiſſimè in Sanguinem Chriſti ſine præconverſione in vinum. Hæc mihi firma ſunt ex rationibus validiſſimis *ſec 8. & 9.* & ex reſponſionibus ad oppoſitas *ſec. 6.& 7* & ex doctrinis Theologorum, Sanctorum Patrum, & Conciliorum, quibus ſincerè, ac ſolidè, prout expedit, uſi ſumus.

Innoc.

111 Quæ rationum, & authoritatum momenta pro hac noſtra ſententia antiquiſſimâ, ac veriſſimâ, aut nulla, aut imbecillia viſa fuerunt, ſi forte quoquo modo viſa fuerunt, ab aliquibus, qui eam aut levitatis, aut novitatis inſimulate aggreſſi ſunt, quaſi Maiorum ſuffragijs deſtitutam. Præſertim à nonnullis, qui eam anno *1662.* à me dictatam, & ab Auditore tùc meo, expectationis magnæ Theologo R. P. Iſidoro Coſta publicæ diſputationi expoſitam, ad ſacrum Fidei Tribunal Barcinonenſe detulerunt, Theologicâ, ut putabant, notandam cenſurâ. Nec fruſtra: profuit namque integer delatorum zelus, ut doctrina de immediatâ converſione aquæ ſacri Calicis, in Sanguinem Chriſti, ſi forte ad illum uſque diem minùs aliquibus innotuerat; ab integerrimo Dei graviſſimorum Cenſorum examine, & iudicio tutior evaderet ac celebrior: moxque intacta protſus, & incolumis, uti iacebat in Theſibus, ab eodem ſupra laudato Theologo digniori conceſſu, & plauſu, me Præſide, propugnaretur: pede deinceps inoffenſo à cunctis, ſi placuerit, incunda.

112 Id etiam in cauſa fuit, cur ſolito acriùs, & avidiùs huic veritati perſcrutandæ adſtuduerim, ex quò multorũ conatus animad verti illâ non tã impugnandi, quã opprimẽdi. Eſtq; inſuper mihi facta catior ex quò, præter commune meum in aſſequendâ veritate ſtudium, ſingulariter pro hac provocatus, denariolum tenuitatis meæ ſeveriori ipſius vindicationi impendere adactus ſum.

SECTIO XI.

Dubium incidens de aqua mixtâ vino ſacri Calicis inter proferendum verba Conſecrationis.

113 AUthores opinantes, aquam non converti in ſanguinem, niſi phyſicè præconvertatur in vinum, dubitant: quid, ſi ea præconverſio nondum omnino facta ante verba conſecrationis, fiat inter proferendum verba? Hoc dubium ſic propoſitum non habet locum in noſtra ſententia, non requirente eiuſmodi præconver-

ſio-

ſionem aquæ in vinum.

114 Aliter tamen proponi poteſt, ut in noſtra quoque ſententia locum habeat. Quid nimirum, ſi inceptis, & non finitis verbis, caſu, vel conſilio, infunderetur aquæ gutta? Et idem eſſet de gutta vini. Hanc aquam tunc infuſam conſecrari ſimul cum vino præexiſtenti videtur inferri ex modo, quo P. Vaſquez reſolvit dubium primo modo propoſitum, affirmans aquam illam in ſuo caſu conſecrari. E contra id negant, & impugnant P. Suarez, & Bonacina apud Dicaſtillum *diſp. 2. dub. 10.*

Vaſq. *Suar.* *Bonc.* *Dicaſt.* *Lug.*

115 Qui *num.* 184. cum Delugo *diſp. 4. ſec. 5.* meritò docent, aquam illam in eo caſu non conſecrari. Quia ſolum conſecratur materia demonſtrata per pronomen, *Hic*: in eo autem caſu aqua illa ſupervenies nondum aderat ad primã illam vocem; ac proinde non fuit per eam demõſtrata. Sic in Baptiſmo, ſi prolatis jam prioribus verbis, *Ego te*, præſentaretur ibi baptizandus, & continuaret Miniſter: *baptizo in nomine Patris, &c.* ille quidem non baptizaretur: quia non præſens aderat prioribus verbis formæ.

116 Occurrit nihilominus Vaſquez dicens, ibi pronomen, *Hic*, demonſtrare, non materiam remotam præſentem in illo temporis puncto, in quo profertur; ſed ſanguinem Chriſti præſentem, quando finiuntur verba, ut cum communi ſententia dicemus *diſp 5. ſect. 1.* Itaque, ait ingeniosè, quamvis aqua illa non fuerit præſens, quando verba inchoabantur, conſecratur; quia verè enũciatur eſſe ſanguinem Chriſti præſentem in fine verborum, ſub illis ſpeciebus, quæ ibi adſunt in fine verborum: tunc autem jam adſunt ſpecies illius guttæ infuſæ inter proferendum verba.

Vaſq. *Infra diſp. 5.*

117 Inſiſtit tamen Dicaſtillus *nu.* 177. Quia, quamvis verum ſit, quód per pronomen, *Hic*, ſignificetur id quod ſub ſpeciebus continetur in fine verborum; at conſignificantur obliquè ſpecies ſub quibus continetur: & has quidem præſentes, quando profertur, *Hic*, ut ſenſus ſit: *Contentum ad finem verborum ſub his ſpeciebus nunc in eorum initio præſentibus, eſt ſanguis Chriſti.* Unde ex vi talium verborum non maneret conſecrata portio illa aquæ, vel vini infuſa calici poſt pronomen demonſtrativum, *His*: quia eius ſpecies non aderant, quando ſic proferebatur.

Dicaſt.

118 Hinc nulla foret conſecratio, ſi Sacerdos inchoaſſet verba ſuper calicem cum aqua ſola, quam Deus ſubito in medio prolationis converteret in vinum.

119 Hæc tamen limitat quodammodo Dicaſtillus, dicens, quód quamvis materia debeat eſſe præſens ab initio Verborum, hoc initium non eſt ſumendum mathematicè: ſi enim in prolatione vocis, *Hic*, inſumantur V. g. tria inſtantia, fieret conſecratio, quamvis in omnium primo non adeſſet materia præſens.

Dicaſt.

120 Subdubitari poteſt. Quid ſi aqua præſens cum vino ab initio verborum ſenſim deperderet ſuæ naturę diſpoſitiones: ita ut naturaliter convertenda foret in vinum ultimo verborum inſtanti, niſi jam in eo inſtanti per verba deſineret ſubſtantia vini in ſanguinem Chriſti. Ratio dubitandi: nam aqua in eo caſu non converteretur in vinum: quia in eodem illo inſtanti, in quo naturaliter cõvertenda foret in vinum, deficit vinum ſupernaturaliter: neque converteretur in ſanguinem: cùm potiùs deſinat eſſe tunc aqua ad defectum tuarum diſpoſitionum, quàm ad poſitionem ſanguinis Chriſti: utpote etiam eo inſtanti deſitura naturaliter, ſeorſim à poſitione ſanguinis.

121 Dicendum eſt tamen cum Delugo *num. 84.* quòd in eo caſu aqua illa cum vino veré converteretur in ſanguinem. Quia veré deſineret eſſe tunc, ſuccedente ſub accidentibus ſanguine, & ad poſitionem ſanguinis. Deſineret enim vi verborum tranſubſtantiativé, hoc eſt, quo ad totam ſui ſubſtantiam, materiam, & formam. At certé quoad materiam non deſineret ad defectum diſpoſitionum ſuarum accidentalium, quibus pereuntibus materia non perit naturaliter, quamvis ſpolietur præcedenti formâ ſubſtantiali. Quoad formam verò, quamvis fateamur, quòd in eo caſu deſinat eſſe ibi forma aquæ ad defectum etiam ſuarum diſpoſitionum accidentalium; hoc non tollit, quominus deſinat etiam eſſe ad poſitionem ſanguinis Chriſti: quemadmodum enim res poteſt poni duplici titulo, ita, & tolli. Unde nihil vetat, quo minus diceretur abſolutè cõverti in ſanguinem.

Lug.

122 Dices. Priùs naturâ in eo inſtanti, quàm ponatur ſanguis, deſtructa eſſet forma talis aquæ: ergo hæc non deſineret eſſe ad poſitionem ſanguinis, unde nec diceretur converti in ſanguinem: ad hoc enim deberet ſubſtantia aquæ præcedens deſinere, quia ponitur ſubſequens: cùm iſtius introductio ex communi Philoſophia ſit prior illius expulſione. Probatur primum antecedens: nam priùs natura quàm ponatur ſanguis, deſtructæ ſupponuntur diſpoſitiones accidentales prædictæ aquæ: ergo, & eius forma. Reſpondetur negando antecedens, ejuſque totam probationem. Nam deſtructio diſpoſitio-

tionum aquæ nullam ibi causalitatem exercent in positionem sanguis Christi, minimè pendentem ab illarum existentia, vel destructione. Nec, dato antecedente probationis, teneret consequentia. Nam licet, destructis accidentibus, destruatur forma in eodem instanti reali, non tamen pro eodem signo prioritatis: sicque, dato quòd destructio dispositionum illius aquæ esset pro aliquo priori ad positionem sanguinis, non arguitur, quòd destructio aquæ sit pro eodem priori; imò pro aliquo posteriori, si mavis, tam ad destitionem suarum dispositionum, quàm ad positionem sanguinis Christi: cùm ad utriusque exigentiam subsequatur in eodem instanti reali.

SECTIO XII.

Quid de aquâ fortè mixta sacro Calici post absolutam consecrationem.

123 PRO negantibus immediatam aquæ conversionem in sanguinem, casus esse posset, si aqua mixta vino nondum conversa in vinum ante consecrationem, perveniret post consecrationem vini, ad punctum suæ conversionis in vinum. Pro nobis autem non negantibus immediatam aquæ conversionem in sanguinem, quâvis non fuerit præconversa in vinum, casus est clarior, si fortè post consecrationem infunderetur modicum aquæ calici consecrato.

124 Oritur specialiter dubitandi ratio ex doctrina S. Thom. & ex antiquo Græcorum ritu infundendi guttas aquæ calidæ in calicem jam consecratum. Nam S. Thom. *quæst. 83. art 6. ad 4.* sit: *Nullo autem modo debet aqua vino jam consecrato misceri, quia sequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua parte.* Aliunde verò constat de consuetudine Ecclesiæ Græcæ infundendi aquâ calidam vino consecrato: quam referens Petrus Arcudius in Concordia Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis *lib. 3. de Euchar. cap. 30.* ait: *Quòdsi S. Thom. scivisset Basilium Magnum, & Chrisostomum eâ ceremoniâ post consecrationem usos fuisse, ut constat ex ipsorum Liturgijs, profectò aliter sensisset.*

125 Hæc eruditio, quam obscurare frustra conatur Iacobus Goar Dominicanus in suo Rituali Græcorum, negotium facessivit Cardinali Capisucco §. *incidente post* §. 34. Ubi multus est in explicando, quid intellexerit S. Thom. per illa verba: *Sequeretur corruptio Sacramenti pro aliqua parte;* post quæ se refert S. Doctor *ad quæst. 77. art. 4.*

126 Quidam enim dixerunt, sensum esse, quòd per mixtionem supervenientem in tersecarentur, ac dividerentur invicem particulæ specierum vini: qua facta divisione jam non maneret sub illis Christus. Sed hoc videtur, dici sic absolutè non posse post Trident. citatum, & expositum *sec. 7. à num. 61.* Nec sibi constaret S. Thom. dicens *Opusc. 57.* quòd Christus *sub qualibet divisionis particula integer perseverat.* Ab hoc sensu, uti planè falso, defendit S. Thomam eruditè Capisuccus.

127 Alij hoc limitant ad divisionem specierum vini in particulas minutiores, infra minimum requisitum ad naturalem conservationem formæ vini, si ibi adesset: factâ nâque per mixtionem aquæ, sive vini non consecrati cum consecrato, dictâ divisione specierum vini consecrati adusque particulas minores minimo naturali, desineret illis subesse Christus; quia desineret eo ipso esse ibi forma substantialis naturaliter, si adesset. Hunc sensum probabilem judicat Card. Capisucc. ex Cardin. Delugo, Granado, Passerino, Victoria, & alijs, sic intelligentibus S. Thom. Cæterùm, præterquam quòd illa doctrina de minimo naturali pro formis non viventibus falsa est; quis divinet, aut facilè credat, aquam *infusam* vino consecrato, statim disecandam in atomos ita subtiles, ut interseerent vinum in particulas minores minimo naturali? Ad has autem angustias reducendus esset S. Thom. sine operæpretio. Nec satis conformiter ad Trid. cit. præsertim, si vino consecrato admisceretur vinum non consecratum: tunc enim illæ species consecratæ, utpote continuatæ interminatim cum similibus non consecratis, non perirent defectu minimi naturalis.

128 Ideircò magis in id inclinat Capisuccus, quòd asserta in eo casu à S. Thom. *corruptio Sacramenti*, non sit ex præcisâ divisione specierum vini consecrati per intromissionem particularum aquæ sese subtilissimè vino insinuantium; sed quia, factâ eâ divisione, species illæ minutissimæ vini corrumpuntur ab aqua intermixtâ, vel etiam ab alio vino non consecrato interfuso: quibus utique corruptis, desineret ibi esse Christus: & ecce *corruptio Sacramenti.* Cui asserto, addit, non opponi morem illum Græcorum; quia aqua, quam infundebant vino consecrato, erat calida, in quam tempore tam brevi agere non poterant ad corruptionem usque accidentia vini consecrati: prout opus

erat

S. Thom. — Arcud. — Goar. — Capis. — S. Thom. — Capisuc. — Capisuc. — Delug. — Gran. — Passer. — Victor. — Capisuc.

erat ad hoc ut corruptis etiam viciſſim ab aqua calida ſpeciebus vini conſecrati, coaleſceret tertium quid ſubſtantiale, quod nec eſſet vinum, nec aqua; ſicque non retineretur in eo Chriſtus: ut ſeſe videtur explicuiſſe S. Thom. *quæſt.77. art.8* ibi: *Commixtum ex ex duobus neutrum miſcibilium eſt, ſed utrũque tranſit in unum tertium.*

S. Thom.

129 Multa gaudeo didiciſſe à Sapientiſſimo Capiſucco in hoc ratiocinio. Primum, quòd aquæ etiam modicæ inſit virtus corruptiva vini: quo planius fit, non ita facilé, ac ipſe exiſtimabat, activitatem vini repatientis viciſſim ab aqua corrumpere, & in ſe convertere ſubſtantialiter totam omninò aquam immixtam. Secundum, quòd, quamvis inſit aquæ ea virtus corrumpendi ſubſtantialiter vinum, credibile non eſt, id operaturam circa vini ſpecies in eo brevi intervallo, quod Græci interponebant à mixtione calidæ cum vino conſecrato: quo minùs etiam nobis credibile fiet, vinum, quamvis demus habere virtutem convertendi in ſe aquam, operaturum non ſolum corruptionẽ, verum etiam converſionem totius aquæ ſibi immixtæ in vinum, in eo brevi intervallo, & ſæpé breviſſimo à mixtione ad conſecrationem. Tertium, quòd diſcrimen peti poſſit ex eo, quòd aqua illa Græcorum eſſet calida. Sed in hoc vellem ulteriùs edíſcere rationem, cur aqua calida minorem habeat virtutem corrumpendi ſpecies vini. Quód ſi quid habet veri, tempore magni æſtus deberet haberi ratio ad majorem calorem aquæ præ vino forté frigidiori, pro menſurandâ aquæ miſcendæ quantitate. at quis unquam celebrans ad hæc attenderit? Quidquod, quamvis calor aquæ eſſet in cauſa, quòd aqua illa pauciores partes ſpecierum vini corrumperet; non verò quod nullas in illis autem paucioribus militat eâdem vi inconveniens S. Thomæ, eademque difficultas ejus doctrinam conciliandi cum conſuetudine Græcorum. Quartum, quód aliud ſit in aqua virtus corruptiva vini deſinentis in aliquid tertium; & aliud virtus converſiva vini in aquam: quo veroſimilius quoque fiet id in vino conſecrando: quód nempé, adhuc dato quod totam aquam ſacri Calicis ſibi immixtam corrumperet; non ſequitur, totam convertere in vinum; ſed ad ſummum partim ſaltem in tertiam aliam ſubſtantiam: quæ tamen, cùm mixta maneat vino conſecrando, eaſdem patitur difficultates, ac ſubſtantia aquæ mixta vino. Hæc ſatis pro incohærentia prædictarum doctrinarum cum impugnationibus immediatæ converſionis aquæ mixtæ vino in ſanguinem Chriſti.

130 Ego in iis meis Diſputationibus non ago Cõmentatorem Sancti Thomę, nec tanti me dignum honoris judico. Qui eas ſibi partes laudabiliter aſſumpſerunt, viderint, quomodo conciliandæ ſunt cuncta, quæ ſparſim Angelicus Doctor varijs in locis ſcripſit, & ſæpè opinativé potius quàm aſſeverativé. In præſenti autem dicam cum Eximio ipſius Commentatore Patre Suarez *diſput.17. ſect.4. Nullam expoſitionem, quæ mihi ſatisfaciat, invenio.* Legendus etiam Vaſquez *diſp. 195. cap. 6.* Valentia *diſp. 6. quæſt. 5. punct.3.* Coninc *qu.77. art.8.* Cardin. Delugo *diſp.10. ſec.3.* & Henaus *diſp.10. ſect.5.*

Suar. Vaſq. Valen. Coninc. Lug. Hena.

131 Et ad rem veniens ſalvo facilé, ac decentiſsimé ſupradictam Eccleſiæ Græcæ conſuetudinem, & dico, aquam, caſu, vel conſilio infuſam vino conſecrato, manere inconſecratam, & vinum ſimiliter ſuperinfuſum, manere inconſecratum, quantumcumque minutiſsimé ſeſe immiſceant, & inſinuent per particulas interjectas ſpecierum vini conſecrati.

132 Quòdſi forté ab activitate ſpecierum vini conſecrati corrumperentur ſenſim diſpoſitiones naturaliter requiſitæ ad conſervationem naturæ aquæ, introductis in eam materiolam diſpoſitionibus jam exigentibus formam ſubſtantialem vini, vel alterius tertij liquoris; tunc deſtrueretur forma aquæ, & introduceretur in eã materiã forma ſubſtantialis exacta à diſpoſitionibus illis prævijs accidentalibus, quas produxerunt ſpecies vini ſuam activitatem retinentes: producta quidem non à forma ſubſtantiali vini, qua nempè carent ſpecies conſecratæ; ſed, vel ab ipſis ſpeciebus vini, ſupplente Deo influxum formæ vini; vel adæquatè à ſolo Deo, juxta varios Philoſophandi modos: ad exigentiã ſcilicet diſpoſitionũ accidentalium vini, aut alterius liquoris præintroductarum in materiam aquæ: quæ propterea diceretur in eo caſu converſa in vinum, aut in tertium alium liquorem.

133 Si autem é contra aqua illa infuſa vino jam conſecrato fortiùs agat in aliquas particulas ſpecierum vini conſecratarum, ita ut eas deſtruat requiſitas ad naturalem alioquin permanentiam ſubſtantiæ vini ſub eis; jam non manerent ſpecies vini, atqueadeó deſineret ibi, quo ad eas particulas, eſſe Sacramentum: quod dici, ſuppoſito tali facto, nullum eſt inconveniens: ut forté eveniebat interdum in facto Græcorum. Tunc verò, deficientibus ibi particulis illis ſpecierum vini, & loco illarum productis diſpoſitionibus aquæ, aut alterius liquoris non conſecratis,

ad

Digitized by Google

ad ipſarum, ſuæque cauſæ ſecundæ exigentiam produceretur ibi ſubſtantia aquæ, vel alterius liquoris, quoad materiam primam à ſolo Deo; quoad formam ſubſtantialem ab agente naturali approximato, à cuius virtute deſtructæ fuerunt diſpoſitiones vini, & productæ diſpoſitiones ultimæ accidentales exigentes aliam formam. Hæc Dicaſtillus *nu.* 188. ex Valentia & Suarez.

Dicaſtil. Valent. Suar.

SECTIO XIII.

An materia conſecrabilis habeat terminos magnitudinis, & parvitatis.

124 Circa magnitudinem ſententia fertur fuiſſe S. Bonaven. Alexandri & Paludani, ſecundum præſentem Euchariſtiæ inſtitutionem non poſſe validè conſecrari quantamcumque panis, aut vini magnitudinem; ſed ad certum uſque terminum rationabilem. Primò: quia virtus conſecrativa Sacerdotis, & verborum eſt limitata: ergo habet terminum activitatis, & certam ſphæram, quam non prætergreditur. Secundò: quia Chriſtus inſtituit Euchariſtiam ſapientiſſimè, & prudentiſſimè: ergo dedit dumtaxat Sacerdotibus poteſtatem conſecrandi certas materiæ quantitates pro uſu, ac neceſsitate Eccleſiæ: caſu ergo, quo Sacerdos vellet conſecrare ingentem panis acervum, aut prægrande vini dolium in platea, invalidè id attentaret: non enim credendum eſt, talem ſibi fuiſſe factam à Chriſto poteſtatem. Reſpondetur tamen ad primum: Sacerdotem, & verba, ſive phyſicè, ſive moraliter agant in cauſando præſentiam Chriſti in Euchariſtia, non id agere virtute propriâ naturaliter; ſed divinâ ſupernaturaliter, quæ infinita eſt. Iuxta id itaque, negandum eſt antecedens. Ad ſecundum: conceſſo antecedente, negantur conſequentiæ: nam quòd Sacerdos illicitè interdum, & perperam utatur eâ facultate; non tollit, quominus Chriſtus illam ob altiſſimos fines ſapientiſſimè dederit ſine prædictâ limitatione; ut pateat in Sacerdotibus ſacrilegè conſecrantibus.

Bonav. Alex. Palud.

125 Communis ideò, ac vera ſententia cum S. Thom. Suar. & Vaſq. tenet, materiam quantumcumque magnam poſſe validè conſecrari, quamvis illicitè: atque adeò quoad validè materiam conſecrabilem non habere certum terminum magnitudinis.

S. Thom. Suar. Vaſq.

126 Ratio. Conſtat de facultate conſecrandi datâ Sacerdotibus; non conſtat de limitatione ad certam magnitudinem: nec eam limitant verba; cum ſuper quamlibet magnitudinem proferri poſsint: nec ex intentione Sacerdotis; cùm eam protendere poſsit ſine limite: nec ex eo quòd conſecratio immodicæ quantitatis eſſet imprudens, injurioſa, ſacrilega, & inutilis Eccleſiæ; cùm exinde ſolùm inferatur fore illicitam, ſicut multæ aliæ conſecrationes ex alijs capitibus peccaminoſæ: nec ex eo quòd immodica quantitas occupans. V. g. duas leucas non poſsit dici moraliter præſens Sacerdoti hinc conſecranti, prout videntur poſtulare pronomina demonſtrativa, *Hoc*, & *Hic*; cùm exinde ſolùm inferatur, non poſſe conſecrari ab uno Sacerdote, non verò quòd non poſſet à pluribus, vel ab uno plurilocato, vel ab uno, ſi tota illa quantitas miraculosè compenetrata fieret uni præſens. Igitur ratione magnitudinis materiæ nullo ex capite præfixus eſt certus terminus, ad quem pertingere nequeat validè poteſtas conſecrativa.

127 Accedit, quòd ſi præfixus eſſet talis terminus magnitudinis, aut pro certâ quâcitate, aut pro uſu Eccleſiæ; ſæpè maneret in dubio conſecratio: cùm non conſtet de illo termino certo; nec ſemper de neceſsitate ad uſum Eccleſiæ. Quâ, vel ſimili ratione noluit Chriſtus dare ejuſmodi poteſtatem ſolis Sacerdotibus juſtis, & ritè celebrantibus, quamvis ſic valdè conſuleretur dignitati, veneration, dignoque uſui Euchariſtiæ: quia nempe ſæpè dubitaretur, an Sacerdos eſſet juſtus? an ritè, & ex bono fine celebraſſet? Ex quo magna oriretur inter fideles turbatio, & confuſio: quam evitare maluit Chriſtus, quàm omninò impedire prædictos abuſus poteſtatis conſecrativæ largiſſimè à ſe collatæ.

128 Circa terminum parvitatis, occurrit jurgium Philoſophicum de termino parvitatis corporum non viventium. Ajunt enim plures, quos ſequitur Capiſuccus §. 31. citans pro ſe S. Thom. corpora etiam non viventia, qualia ſunt panis, & vinum, taliter habere terminū ſuæ parvitatis, ut ſtare poſſint in quantitate. V. g. quinq; punctorum, & hoc vocant minimum naturale, & terminum parvitatis; infra id verò jam ſtare non poſsint. Quo ſuppoſito, quantitas minor illo minimo conſecrari non poſſet, quia in ea non ſtaret ſubſtantialiter natura panis, nec vini. Quid habeat hoc difficultatis in Philoſophia, & Theologia expendit Delugo *diſp. 4. ſect. 6.* Mihi placuit oppoſitum in Phyſicis, cum multis etiam, nobilibuſque Philoſophis ſcilicet, quòd, quamvis in viventibus ratione organizationis requiſitæ ad formam ſuæ naturæ, detur certus ille terminus parvitatis; ſe-

Capiſ.

Lug.

cùs tamen in non viventibus, uſque ad punctum indiviſibile: atqueadeó dari poterit indiviſibile terræ, aquæ, vini, panis, & ſimilium.

139 Quocirca dicendum venit, materiam conſecrabilem, dummodo ſenſibilis ſit per ſua accidentia, non habere terminum parvitatis uſque ad punctum. Ratio eſt: quia ſubſtantiæ panis, & vini talem terminum nõ habent uſque ad punctum: ergo nec materia conſecrabilis: hæc enim ex Chriſti inſtitutione eſt panis, & vinum, dummodo per accidentia ſua ſenſibilitate nõ careant. Quod addo: quia ſi ratione parvitatis deſinerent eſſe ſenſibilia, quamvis eſſent ſubſtantialiter panis & vinum, deſinerent eſſe materia conſecrabilis in ea parvitate: ſicut ſi præ magnitudine deſinerent eſſe ſatis præſentia conſecranti, deſinerent eſſe materia conſecrabilis in ea magnitudine reſpectivé, quia materia Sacramenti debet eſſe ſenſibilis, & præſens.

140 Difficultas autem eſt: an panis, & vinum in modiciſſimâ quantitate, punctum videlicet indiviſibile panis, & vini, retinere poſſit, & abſolutè retineat ſenſibilitatem requiſitam ad materiam validè conſecrabilem. Affirmant Sotus, Valentia, Henriquez, & Tannerus apud Henrum *diſp 5. ſect. 2.* & & probabile id judicat Dicaſtillus *diſput. 2. dub. 13.*

Sot. *Valent.* *Henrr.* *Tanner.* *Dicaſt.*

141 Ipſe verò Dicaſtillus, & Henaus abſolutè id negant cum Suar. Vaſq. Bonac. Coninc, Delugo. & alijs: quibus addo Amicum *diſput. 16. ſec. 13.* & Fagundez *lib. 2. cap. 5.*

Hena. *Suar.* *Vaſq.* *Bonac.* *Coninc.* *Lug.* *Amic.* *Fagun.*

142 Moventur iſti communiter. Quia ad materiam Sacramenti non ſufficit, quod ſubſtantialiter ſit panis, aut vinum; nam ſubſtantiæ panis, & vini, ſpoliatæ divinitus cunctis accidentibus, non eſſent aptæ materiæ præterea namque requitur, quòd ſint abſolutè ſenſibiles per accidentia ſua: taliter nimirum ſenſibilia, ut humano modo ſint per aliquem ſenſum perceptibilia, & demonſtrabilia per verba: *Hoc eſt corpus: Hic eſt ſanguis, &c.* Atqui modiciſſimum panis, aut vini, v. g. punctum indiviſibile non eſt ſenſu perceptibile humano modo: ergo non retinet ſenſibilitatem requiſitam ad materiam Sacramenti. Confirmatur. Nõn quælibet aquæ particula etiam indiviſibilis ſufficit pro materia Baptiſmi, quamvis aliquo modo ſenſibilis ſit; quia nempe debet eſſe ſufficiens ad abluendum: ergo neque quælibet particula panis, aut vini pro materia Euchariſtiæ, niſi ſufficiens ſit ad manducationem, ſeu bibitionem: ad quod non ſufficit punctum panis, aut vini.

143 Me tamen iſta non uſque adeó movent, ut ab oppoſito dimoveant. Atque in primis ad confirmationem, & paritatem ſumptam ex Baptiſmo, dato antecedente, quod in dubium alibi revocavi cum Dicaſtillo *diſp. 1. de Baptiſmo, dub. 3.* & negabile invenies ex Vaſquez, Meratio, & alijs apud Dianam *par. 3. tract. 4. reſ. 5. & par. 5. tr. 3. reſ. 5.* negatur conſequentia ob claram diſparitatem. Quia Baptiſmus ſtare dicitur in actione abluendi: ablutio autem plus dicit, quàm tangi utcumque à punctulo aquæ, nec fit ſine pluſculis guttis. Euchariſtia verò tota ſupponitur confecta ante manducationem, & bibitionem, pro quibus poſtea exercendis poſſet illud punctum conſecratum cum alijs conjungi, ſicque in ſimul mãducari, & bibi. Deinde ad fundamentum à priori, conceſſâ maiori, diſtinguo minorem: punctum non eſt ſenſu perceptibile humano modo, per ſe, & intrinſecé, nego; per accidens, ſive ex defectu conjunctionis cum alijs; ſive ex imperfectione accidentali noſtrorum ſenſuum, concedo minorem: & nego conſequentiam ob rationem, quàm jam exhibeo.

Dicaſt. *Vaſq.* *Merat.* *Dian.*

144 Magis me movent rationes oppoſitæ. Conſtat enim, Chriſtum inſtituiſſe panem, & vinum in materiam Euchariſtiæ: nõ conſtat id limitaſſe verſùs parvitatem, ſicut nec verſùs magnitudinem ex dictis *num. 133.* ergo, ſi ad punctum uſque reperitur cum ſuis accidentibus natura panis, & vini, punctum illud panis, aut vini erit materia validè conſecrabilis: igitur hæc non habet terminum parvitatis uſque ad punctum: & in terminis *S. Thom. quæſt. 74. art. 2. arg ſed contra*, uſque ad modiciſſimum panis, & vini: ait enim: *Nulla eſt ita parva quantitas panis, & vini, quæ non poſſit conſecrari.*

145 Reſponderi ſolet, hæc intelligi debere de pane, & vino humano modo ſenſibilibus: quale non eſſet ejuſmodi punctum. Contra tamen: quia tale eſſet abſolutè, & per ſe punctum illud: ergo eſſet materia conſecrabilis. Antecedens probatur: nam ab intrinſecis, & in ſe ſenſibile eſſet, per ſua videlicet accidentia viſibilia, odorabilia, tangibilia, &c. Quòd verò noſtri ſenſus communiter id non perciperent, non arguit intenſibilitatem humano modo: cùm dari poſſint ſenſus humani ejuſdem ſpeciei cum noſtris, ita perfecti, ac perſpicaces, ut punctum naturaliter ſentirent: quod de ſenſibus Chriſti Domini dicere non dubitarem: hoc eſt autem eſſe ſenſibile humano modo, quamvis non ordinario noſtro modo: quæ duo ſolent confundi. Non enim eſt neceſſe, quòd materia

teria consecrabilis sit hic,& nunc naturaliter sensibilis, aut perceptibilis nostris sensibus accidentaliter imperfectis, aut minús perspicacibus; dummodó sensibilitatem verè habeat in se naturaliter perceptibilem ab humanis sensibus ejusdem speciei cum nostris, & per accidens multó perspicacioribus.

146 Confirmatur. Non minús est de ratione materiæ proximé aptæ,ut hic,& nunc consecretur præsentia ad Sacerdotem,ac sensibilitas. At certé panis quocumque modo etiam divinitús factus præsens Sacerdoti, esset materia proximè consecrabilis juxta omnes; & juxta Patrem Bernal, nullo tento perceptus à Sacerdote, ex divinâ tantúm revelatione conscio panis sibi præsentis. Ergo, & panis, seu vinum modicissimum, dummodo præsens sit, & in se absolutè per accidentiola sua sensu humano perceptibile naturaliter; quamvis à nostris sensibus imperfectioribus actu percipi per accidens non possit quandoquidem isti ipsi sensus nostri, seclusis imperfectionibus accidentalibus, quibus hebetantur, possent illud naturaliter percipere, & sentire: modo quidem humano, quamvis nunc non ordinario: sicut nec modo ordinario fieret in supradictis casibus præsens materia consecranti. *Bern.*

147 Urgetur fortiús, & magis Theologicè. Si particula panis, vinique, aut eorumdem specierum, præconsecratarum, etiam indivisibilis separetur ab alijs, retineret consecrationem, & sub se Christum: ergo posset etiam similiter separata ab alijs per se solam primó consecrari,tanquam apta materia consecrabilis.

148 Antecedens negatur ab Henao; & in dubium vertitur à Martinon *disp. 29. sect.* 3. ubi tamen ait ille,eam particulam sic separatam retenturam Christum, quamvis non rationem Sacramenti ob defectum scilicet sensibilitatis; quam tamen rationem recuperaret si iterum reuniretur cum alijs particulis consecratis. Quod dictum,mihi valdé difficile, non satis discedit ab aliorum dicto, quod ipse censet improbabile, dicentium, factâ eâ separatione, non mansurum Christum sub eâ particulâ; extiturum tamen postea, sine novâ verbali consecratione, si particula eadem reuniretur alijs consecratis. Hæc certè enormia sunt absurda, quæ nostra extorquet argumentatio. *Hen. Merat.*

149 Quidquid tamen de ijs sit, videtur nostrum antecedens innegabile post Tridentinum *sess.13. can.3.* anathematizans: *Si quis negaverit, in Eucharistia Sacramento sub unaquaque specie, & sub singulis cuiuscumque speciei partibus separatione factâ, totum Christum contineri.* Cui sacro Canoni conformatur exactè nostræ argumentationis antecedens, quatenus ait, sub illa etiam, quantumvis indivisibili,particulâ specierum consecratarum, factâ separatione cõtentum iri Christum. Probatur autem consequentia: quia si non posset punctum illud seorsim primò validé consecrari, maximé, ut ajunt,ob defectum sensibilitatis requisitæ ad essentiam Sacramenti. Hæc autem ratio patenter est falsa, cúm ex Concilio in ejusmodi particula specierum seorsim separatâ conservetur essentia Sacramenti: quod implicaret ex terminis, si non conservaretur ibidem sensibilitas essentialis Sacramento. *Trid.*

150 Respondent: plus requiri, ut res primó fiat, quàm ut deinde conservetur: ut patet in anima requirente multò plures dispositiones in corpore, ut connaturaliter primó producatur; quàm, ut semel producta conservetur: & in charactere Baptismi, qui conservatur in animâ separata, in qua non primò produceretur: & in ipsa Eucharistia, quæ ut primò fiat requirit præsentiam Sacerdotis, quo tamen absente,conservatur. Sic ergo posset in eo casu conservari sine sensibilitate, sine qua non primó consecraretur.

151 Contra tamen manifestè. Quia quævis, quæ sunt extrinseca, aut extraessentialia alicui constituto, possint non esse tam necessaria illius conservationi, ac primæ productioni, eo quod loco illorum constituto essentialiter invariato, possint alia succedere pro tali constituti conservatione, ut extra rem probant adductæ doctrinæ; cæterùm quæ intrinseca sunt, & essentialia constituto non minus necessaria sunt ad talis constituti conservationem, quàm ad primam productionem: cúm nec conservari, nec produci, nec unquam res esse possit sine sua essentia, ut est evidentissimum. Sensibilitas autem specierum est de essentia, & de intrinsecâ ratione Sacramenti Eucharistiæ: ergo sensibilitas quæ reperitur,& sufficit in qualibet particula specierum panis, aut vini seorsim ad conservationem Eucharistiæ; sufficeret pariter ad primam consecrationem; aut, si ad hanc non sufficit, neque sufficeret ad illam.

152 Hæc quoad validè. Quoad licitè in terminis parvitatis subijcio pro praxi dubiolum ex Tambur. *lib.2. Celebr. Miss cap. 1. § 8. num.16.* Sacerdos doctus in die profesto ex devotione celebraturus, non habens Hostiam grandiorem, celebravit in minusculâ, quâ uti solemus pro communione laicorum. Licitè, an illicitè? Licitè, respondet *Tambur.*

Tamb. Quia nihil obſtare poſſet, niſi communis uſus Hoſtiæ majuſculæ pro ſacrificio: à quo uſu exorbitare, poſſet aliquam offenſiunculam intereſſentibus parere. At facilè poſſet illis dari ratio ſic faciendi: & ſatis eſſe poſſet, ut acquieſcerent, authoritas notiſſima viri probi, & docti id facientis. Sic etiam ex
Marc. M r hantio Diana *par. 5. tract. 13, reſol. 10.*
Diana. Ob ſimilem exorbitantiam ait Henaus *diſp.*
Hen. *5. num. 10.* per ſe loquendo ſore ſaltem veniale celebrare cum hoſtia non rotundâ, ſed quadratâ.

SECTIO XIV.

An materia Corporis ſit conſecrabilis ſine materia Sanguinis validè? An etiam licitè?

Innoc. 153 INnocentius III. *lib. 4. de Off. Miſſ. cap. 23.* memorat aliquos, qui dixerunt, invalidam fore conſecrationem unius ſpeciei ſine altera. Certum tamen eſt, fore validam. Nec minùs certum eſt, fore illicitam. Quocirca Conc. Tolet. 8.
Toletan. *c. 2.* ſtatuit, quòd ſi Sacerdos poſt conſecrationem panis non poſſet vinum conſecrare, ſubſtituatur alius Sacerdos, qui calicem conſecret, ut ſacrificium integretur. Addo, poſſe, ac d:bere id ſupplere in eo caſu Sacerdotem excommunicatum, ſuſpenſum, & irregularem, ſi alius non adeſſet.

154 Similiter valida eſt, ſed illicita conſecratio inverſo ordine peracta: hoc eſt, ſi priùs conſecraretur vinum, quàm panis.
Suar. Suar. *diſp. 75. ſec. 6.*

155 Si quis tamen, conſecrato pane, effunderet caſu vinum conſecrandum, & non poſſet jam aliud vinum haberi, non teneretur diutiſſimè expectare, ut nempe poſt duas horas è longinquo aſportaretur: quandoquidem tanta dilatio eſſet indecoroſa: & cauſaret in Populo admirationem ex naturali præcepto evitandam: & jam cenſetur moralis impoſſibilitas integrandi pro tunc illud ſacrificium juxta præceptum divinum, Tunc ergo deberet proſequi celebrans, omittendo in ſequentibus verba & ſigna, quæ pertinent
Biſſus. ad ſanguinem. Biſſus in Hierurgia *lit. C. nu.*
Azor. *476. § 4 ex Azor, & Gobat.*
Gobat. 156 Si celebrans, ſumptâ jam hoſtiâ, ſumens calicem, animadvertat, in eo non fuiſſe vinum; ſed acetum, aut ſolam aquam; non tenetur id ex ore extrahere, ut jejunus poſtea ſumat ſanguinem illicò conſecrandum. Satius eſt id deglutire, quamvis ſumpturus ſit ſanguinem non jejunus. Tũ ob deformitatem; tum ob periculum extrahẽdi aliquam particulam Hoſtiæ priùs ſumptæ, aut fragmenti immixti calici. Biſſus *lit V. num. 56. §. 9.* ex Gavant. Itemque Tambur. *lib. 2. c. 8 §. 5. n. 4.* *Biſ. Gavan. Tambur.*

157 Difficultas eſt: an præceptum non conſecrandi unam ſpeciem ſine altera in eadem celebratione ſit divinum; an dumtaxat Eccleſiaſticum. Hoc poſterius docuerunt *Adri.* Adrianus, Major, Sancteſius, & Albertus *Maj.* Magnus apud Dicaſtillum *diſp. 1. de Sacrif.* *Sanct.* *Miſſ. dub. 12.* *Albert.*

158 Qui tamen cum alijs communiter meritò judicat, eſſe divinum. Nam Tri- *Dicaſt.*
dent. *ſeſſ. 22. cap. 1.* poſtquam dixit, Chriſtum obtuliſſe corpus ſuum, & ſanguinem ſub ſpeciebus panis, & vini, ſubdit: *Et ſub earumdem rerum ſymbolis Apoſtoli, quos* *Trid.*
tunc novi teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent tradidit: & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: hoc facite in meam commemorationem. Eſt igitur præceptum Chriſti Sacerdotibus, ſub earumdem rerum ſymbolis, id eſt, ſub utraque ſpecie panis, ac vini conſecrare.

159 Præterea Paulus 1. *Corinth. 11.* refe- *1. Cor. 11.*
rens illud Chriſti præceptum: *hoc facite, &c.* illudque explicans pro commemoratione mortis Chriſti, ſubdit: *Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & Calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Mortis autem commemoratio ſacrifica, fit per utramque ſpeciem repreſentato ſanguine ef- *Trid.*
fuſo. Unde rursùs Trid. *can. 2.* anathematizat eum: *Qui dixerit, illis verbis: hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes: aut non ordinaſſe, ut ipſe, aliique Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum.* Ex quibus ſic. Conſtat ex verbis Chriſti: *hoc facite, &c.* juxta explicationes Pauli, & Tridentini, contineri ibi præceptum de utraque ſpecie: atqui non præceptum communicandi ſub utraque pro non celebrantibus, ut eſt *Trid.*
certum ex eodem Trid. *ſeſſ. 21. cap. 1.* ergo pro Sacerdotibus celebrantibus: habentibus proinde divinum Chriſti præceptum ſub utraque ſpecie conſecrandi.

160 Hic ejuſmodi præceptum, ut notat Dicaſt. *dub. 13.* partim eſt affirmativum: *Dicaſt.*
partim negativum: affirmativum, quatenus obligat, aliquando celebrare, & conſecrare; negativum, quatenus obligat nunquam celebrare, niſi ſub utraque ſpecie, & nunquam unam ſine altera in eodem Sacrificio conſecrare.

161 Nihilominus caſu quo Sacerdos, conſecrato pane, reſciret, in calice conſecrando

Digitized by Google

erando ſubeſſe venenum, nec poſſet aliud vinum haberi; non teneretur calicem conſecrare: imò nec liceret, quia non liceret ſumere. *Dicaſtillus ibi.* Excipiunt aliqui, niſi præſtò adeſſet antidotus efficaciſſima, non ſub dubio, ſed certò profutura. Sed non approbat exceptionem Dicaſtillus propter irreverentiam.

Dicaſt.

162 Quid ſi, conſecrato jam pane, reſciret venenum Sacerdos, non habens alium panem? Quippé, ſi progreditur conſecrare vinum, non poterit utrumque ſumere: ſicque offerret ſacrificium, cujus integré non poſſet fieri particeps: quod eſt contra divinum Chriſti præceptum. Si verò non progreditur conſecrare vinum, manet ſacrificium inchoatum & incompletum: quod eſt etiam contra præceptum divinum. Reſpondet Dicaſtillus non ſine formidine, in eo caſu Sacerdotem teneri conſecrare calicem, illumque ſumere, quamvis hoſtiam venenatam jam præconſecratam non ſit ſumpturus. Et mihi videtur hoc rationabilius: ſic enim compleretur ſacrificium quoad eſſentialia.

Dicaſt.

SECTIO XV.

An poſſit in eo ſaltem Papa diſpenſare.

163 Difficultas potior eſt: an pro aliquo caſu poſſit Pontifex diſpenſare, indulgens graviſſimis de cauſis, quòd ſub unicâ ſpecie conſecretur. Affirmant Albert. Antonin. Gabriel, Maior, Sotus, Henrriq. & alij apud Amicum, id probabile judicantem *diſp.16. ſec.4.* Addit Major, id poſſe facere quemlibet Sacerdotem, ne infirmus ſine Viatico decedat: quod nec probabile judicarem.

Albert. Ant. Gabr. Mai. Sot. Henrr. Amic.

164 Negant omninò Amicus ibi, Dicaſtillus ubi ſupra, Martinon *ſec.1.* cum Suar. Vaſq. Coninc, & alijs communiter: apud quos fertur, quemdam Pontificem voluiſſe in hoc diſpenſare, ſi poſſet: & re conſideratâ, declaratum fuiſſe, quód non poterat. Huius veræ ſententiæ rationes dabimus *diſp.ult.* & inſinuabimus nunc inter reſpondendum ad objectiones.

Dicaſt. Mart. Surr. Vaſq. Coninc. Infra diſp.ult.

165 Objicitur primò, quód Innocentius VIII. in hoc diſpenſavit cum Norvegis ob difficultatem conſervandi in ea Regione vinum, ut refert Volaterranus: ergo poteſt. Animoſiùs, quàm par eſt reſpondit ad ſimile enthimema Magiſter Corradus 1.*par qq. mor. quæſt.311.* concedendo antecedens, & negando conſequentiam, multa indiſcretè taxans acta Pontificum; meritò tamen à multis reprehenſus. Nos in præſenti negamus factum antecedentis, & narrationem Volaterrani. Quam falſitatis, & inveriſimilitudinis arguunt multa. Primó: quia reliqui Scriptores de geſtis Pontificum id nuſquam memorant: nec de tali diſpenſatione aliunde conſtat. Secundò: quia conſtat, ſatis communiter conſervari in Norvegia vinum aliúnde advectum: nec verosimiliter poterant Norvegi eam dare cauſam tali diſpenſationi. Tertió: quia conſtat etiam, nunquam ibi poſitam fuiſſe in praxi ejuſmodi diſpenſationem. Quartó: quia ipſamet ſe falſificat Volaterrani narratio: cùm dicat fuiſſe illis conceſſum, ut ſacrificarent calicem ſine vino. Unde autumat Dicaſtillus, Volaterrani æquivocationem fuiſſe, quòd fortè Norvegis penuriâ vini laborantibus indultum fuit, ut non celebrantes, ſub ſpecie tantúm panis communicarent contra Græcorum conſuetudinem, quæ vigebat in Norvegia, ſicut in Lituania.

Vola. Corrad. Dicaſt.

166 Objicitur ſecundó. Eccleſia ex Trident. *ſeſſ.21 cap.2.* poteſt *ſtatuere* & *mutare* in uſu Sacramentorum, *ſalvâ illorum ſubſtantiâ*, id quod *ſuſcipientium utilitati, & Sacramentorum veneration pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire* judicaverit. Atqui ſubſtantia Euchariſtiæ ſalva jam eſt in unica ſpecie, ex dictis *diſp.2.num.41.* Deinde, quod ſub unica ſpecie conſecrari indulgeatur, expedire maximè poteſt devotioni & cultui. Si enim in aliqua Regione non poſſet, aut vix poſſet, haberi vinum, aut triticum; niſi in hoc diſpenſetur, caritura eſſet Sacramento Euchariſtiæ, ceſſaret ferè Clerus, & magnâ ex parte confeſſionum frequentia. Concedenda ergo eſt in Eccleſia, ſaltem Pontifici poteſtas ad eam diſpenſationem ex cauſis graviſſimis: valdè namque cederet in utilitatem animarum, ad quam inſtituta eſt Euchariſtia.

Trid. Supra diſp.2. ſec.

167 Reſpondetur diſtinguendo minorem: ſubſtantia Euchariſtiæ in ratione Sacramenti, concedo; in ratione Sacrificij nego minorem. Euchariſtia enim habet, ſicut alia Sacramenta, ſubſtantiam Sacramenti: & hanc quidem ſalvam in unica ſpecie: at habet ſingulariter ſubſtantiam ſacrificij, eſſentialiter ſitam in conſecratione utriuſque ſpeciei, ut videbimus *diſp ult.* Hæc autem ſubſtantia, in qua cùm ſit à Chriſto præcepta, & inſtituta, nequit Eccleſia mutare, non ſalva eſſet in conſecratione unius ſpeciei. At indulgeat, inquis, Eccleſia, ut in dictis caſibus conficiatur ſubſtantia Sacramenti, ſine ratione Sacrificij. Dicimus tamen, id non poſſe: quia

Infra diſp.ult.

obſtat

ſandi, condonat, ſeu remittit nomine Chriſti rem ſibi à vovente promiſſam: quâ remiſſione factâ, ceſſat naturalis obligatio voti erga Deum: ad modum, quo in humanis ceſſat obligatio orta ex promiſſione, vel contractu erga aliquem, quando ipſe, vel alius nomine ipſius, legitimè condonat, & remittit.

173 Ad ſecundum de Matrimonio dicunt, nec illam eſſe diſpenſationem in Iure Divino, directè, & immediatè relaxativam obligationis divini præcepti; ſed eſſe potius diſſolutionem contractûs nondum conſummati nomine Dei factam: quo contractu diſſoluto, ceſſat conſequenter obligatio illi ſubnixa.

174 Ad tertium de Neomyſtis, dicunt, in eo caſu Eccleſiam non diſpenſare, ne ſumat utramque ſpeciem; cùm de hoc pro illis non fuerit Lex; ſed potiùs diſponere ut ſic fiat: quandoquidem præceptum divinum utramque ſpeciem ſumendi ſolum eſt pro præcipuo celebrante: qui tunc eſt Epiſcopus ordinans.

175 Ad quartum ajunt, neque id eſſe diſpenſare in præcepto divino Viatici; ſed in pœnam delicti privare juſtè hominem poteſtate licitè communicandi. Quo fit, ut homo ille potius dicatur juſtè impeditus ad adimpletionem præcepti divini, ſicut eſſet injuſtè impeditus alius, cui nullus Sacerdos vellet Viaticum miniſtrare; quàm diſpenſatus in præcepto. Sic qui à Iudice ſæculari detinetur in carcere deobligatur à præcepto audiendi ſacrum: non quia Iudex diſpenſet in præcepto Eccleſiaſtico; ſed quia legitimè impedit eius adimpletionem: quæ injuſtè quoque poſſet multis alijs modis impediri, & ceſſare. Non ergo omnis ceſſatio obligationis eſt diſpenſatio præcepti.

176 Ex ijs ad conſequentiam interrogatoriam objectionis dicendum eſt, Eccleſiam non poſſe diſpenſare in divino Chriſti præcepto non conſecrandi niſi ſacrificando in utraque ſpecie: quia præceptum divinum eſt: cuius obligatio diſpenſativè nequit ab humana Eccleſiæ authoritate relaxari,

Hæc, & alia latiùs Di- *Dicaſt.*
caſtillus.

***

DIS-

Quia ſine illo ſic expreſſo retinere poſſent alia verba juxta receptiſſimum modum loquendi eamdem ſignificationem. Sæpé namque ſubticetur verbum, *eſt*, non ſolùm apud Latinos conciſiùs loquentes; verumetiam in ſacris Litteris. ut in Pſalm. 1. *Beatus vir qui non abijt, &c.* pro, *Beatus eſt vir.* Et Pſal. 45. *Dominus virtuum nobiſcum*: ſub intelligitur, *eſt*, aut, *ſit*. Et ſimiliter in Miſſa: *Dominus vobiſcum*: *laus tibi Chriſte*: & in ſexcentis alijs. Quinimò notat Cornel. *ad 1. Corinth.* 11. verisimile ſibi eſſe ex more Hæbreo, Chriſtum conſecrantem non expreſsiſſe verbum, *eſt*.

Pſal. 1. *Pſal. 45.* *Alap.*

5 Quid de voce, *enim?* Communiter dicitur cum S. Thom. *quæſt. 78. art. 3.* non eſſe de eſſentiali neceſſitate. Quia neque in omnibus Evangeliſtis, neque in Paulo legitur; neque requiritur ad ſignificandam Corpus Chriſti ſub ſpeciebus: cum ſatis id ſignificetur, & exprimatur per verba: *Hoc eſt corpus meum.* Quod procedit, quamvis ea vox, *enim*, ſit cauſalis: quia ſic conſtructa ſolùm ſignificat rationem manducandæ ab alijs Euchariſtiæ, dicente Chriſto: *Accipite, & manducate*; *Hoc eſt enim corpus meum*: manducatio autem de eſſentia Euchariſtiæ non eſt.

6 Cæterùm peccaret Sacerdos omittens vocem, *enim*: id quod dictum etiam volo de verbo, *eſt*: & quidem graviter juxta Fagundez *cap. 7. num. 5.* quia negotium hoc eſt graviſſimum. Quamvis Suar. Coninc, Bonacina, & alij apud Dianam *par. 2. tract. 17. reſol. 4.* de omittente vocem, *enim*, dicant, quòd venialiter, ſecluſo contemptu. Vix tamen id fieri poterit abſque contemptu ſufficiente ad mortale. Plura Bernal *à n. 40.*

Fagund. *Suar.* *Bonac.* *Coninc.* *Diana.* *Bernal.*

7 Quid de verbis ſubjunctis à Paulo: *Quod pro vobis tradetur?* aut in Luca: *quod pro vobis datur?* Reſpondetur, non eſſe de neceſſitate eſſentiali: cùm Eccleſia illis non utatur in conſecratione. Error autem fuit quorumdam Græcorum, dicere, Eccleſiam in hoc errare. Reſponſio firmabitur *ſec. ſequ.* ex dicendis pro forma Calicis de verbis: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur, &c.*

1. Cor. 11. *Luc. 22.*

8 Quid de clauſula illa prævia: *Qui pridie, quàm pateretur, &c.* Scotus dixiſſe dicitur eſſe requiſitam ad valorem, quamvis non ſit de eſſentia formæ conſecrationis. Quia, inquit, ad valorem formæ requiritur, quòd verba, *hoc eſt corpus meum*, proferantur nomine Chriſti: ſed non ſic proferrentur, niſi præceſſiſſet clauſula: *Qui pridie, &c.* ergo hæc requiritur ad valorem. Probatur minor: quia pronomen, *meum*, non referretur ad Chriſtum, cuius ſcilicet nulla præceſſiſſet mentio.

Scot.

9 Hæc tamen ratio potiùs probare videtur alia verba ante, *qui pridie*, eſſe requiſita, in quibus nominatur Chriſtus: alioquin non conſtaret, ad quem referretur relativum: *Qui pridie*. Deinde, conceſſa maiori, negatur minor, eiuſque probatio. Nam, ut unus loquatur nomine alterius, non eſt opus verbis ſignificaſſe, ſe loqui nomine alterius, aut alium nominaſſe: in Scripturis enim ſæpé Angelus pro Deo loquens multa dicebat nomine Dei, quin verbis dixiſſet, ſe loqui nomine Dei: & in Comœdijs qui repreſentat Regem loquitur nomine Regis, quamvis nondum Regem verbo nominaverit, aut dixerit ſe Regem agere. Sufficit ergo, quòd ex conſtitutione illius pro quo loquitur, vel aliunde, illius Perſonam exercitè repreſentet: quod fit quin in actu ſignato id dicat: ut patet in Sacramento Pœnitentiæ, ubi Sacerdos nomine Chriſti dicit: *Ego te abſolvo*: & in Baptiſmo: *Ego te baptizo*: quin ſignatè dicat, ſe id dicere nomine Chriſti.

10 Tenendum ergo eſt cum communi ſententia, clauſulam, *Qui pridie*, nec eſſe requiſitam ad valorem, nec de eſſentia formæ. Primò: quia quoad rem prætentem non ſatis congruè diſcernitur inter requiri ad valorem, & eſſe de eſſentia formæ conſecrationis. Vel enim Sacerdos omittens clauſulam, *Qui pridie*, & dicens reliquum Canonis, conſecraret; vel non. Si conſecraret: ergo illa clauſula, nec eſt de eſſentia, nec neceſſariò requiſita ad valorem: ſi non conſecraret; ergo ex illorum dumtaxat defectu, deficeret eſſentia, & valor conſecrationis: ac proinde ſunt de eſſentia: nulla enim res deficit niſi deficiente aliquo de illius eſſentijs alioquin deficeret res, manente tota eius eſſentiâ: quod eſt repugnantiſſimum, haud ſecus, ac deficere rem, ſimulque manere rem, quæ ipſiſſima eſt eſſentia rei. Secundò: quia ſeorſim à dictâ clauſulâ, per verba, *Hoc eſt corpus meum*, ſignificatur ſatis tranſubſtantiatio Euchariſtica: taliter, ut eorum veritas ſtare nequeat non peracto Sacramento: ergo præcedens illa clauſula, nec eſt requiſita ad valorem, nec de eſſentia formæ. Tertiò: quia verba clauſulæ, *Qui pridie*, non ſunt verba Chriſti; ſed ex narratione Evangeliſtarum ibi diſponuntur ab Eccleſia recitativè. Verba verò conſecrationis ſunt verba Chriſti, ut ſatis indicavit Florentinum. Quod ſciteé diſtinxit Auguſt. relatus in jure, ibi: *Sacerdos dicit prius verba, Qui pridie; deinceps* ſunt verba *Dei poteſtate, & omni efficaciâ plena: accipite, & manducate: Hoc eſt*

Auguſt.

corpus meum. Similia habèt *ſerm. 28. de verb. Dom.*

11 Dices ergo ex Aug. verba, *accipite, & manducate*, ſunt de eſſentia formæ. Negatur. Tum quia non ponuntur ab omnibus Evangeliſtis: eſt autem inveriſimile, quòd referentes conſecrationem, ſubúcerent aliquid eſſentiale formæ, ut expendemus *ſec ſeq.* Tum quia initio Eccleſiæ in aliquibus Eccleſijs habentibus ſolum Evangeliū Lucæ omittentis illa duo verba, conſecrabatur abs dubio ſine illis. Tum quia ea verba non pertinent ad ſignificandam tranſubſtantiationem, ſed manducationem Sacramenti, quæ non eſt de eſſentia. Nec oppoſitum evincitur ex Auguſtino, aut ex alijs SS. Patribus, dicentibus, conſecrationem fieri illis verbis: *Accipite, & manducate: hoc eſt corpus meum.* Non enim id dicunt, quia omnia illa neceſſaria ſint; ſed quia inde incipiunt verba Chriſti, in quibus continentur verba neceſſaria ad conſecrandum.

Lug. 12 Hinc falsò dixerunt Græcorum aliqui, doctè impugnati à Delugo *diſp. 11.* neceſſariam eſſe ad valorem conſecrationis verſiculi aliquam deprecationem poſt verba *Hoc eſt corpus meum*. Contra namque ſunt, & uſus Eccleſiæ oſtendentis Sacramentum adorandum ſtatim poſt prædictam formam ante verba ulla deprecatoria: & Concil. Trid. colligens ex veritate verborum tranſubſtantiationem: quæ quidem non colligitur niſi ex illis: *Hoc eſt corpus meum*.

Liturg. 13 Objiciunt Liturgias Sanctorum Iacobi, Marci, & Baſilij, in quibus poſt formā, quā utimur Latini, ſubjungitur deprecatio: *Emitte ſpiritum tuum, & fac hunc panem pretioſum Corpus Chriſti tui*: unde videtur inferri poſt verba, *Hoc eſt corpus meum*, nōdum factam conſecrationem: ac proinde deprecationem illam ſubſequutam eſſe de ſubſtantia formæ.

Bern. 14 Forté verum eſt quod ex doctiſſimis conjecturis autumat P. Bernal *diſp. 13. num. 58.* verba illa deprecatoria in Liturgijs Græcis primitivis non adhibita fuiſſe poſt, *Canon.* ſed ante formam conſecrationis: ut ſunt in noſtro Canone: *Ut nobis corpus, & ſanguis fiat dilectiſſimi Filij*. Iuxta præſentem tamen ordinem earum Liturgiarum dici poteſt, illam deprecationem ſubjungi immediatè poſt factam conſecrationem; non quidem ad conſecrandum panem in corpus Chriſti; ſed ut corpus jam conſecratum, *fiat pretioſum corpus Chriſti*; hoc eſt, fiat pretioſum, fructuoſum, & utile ſumentibus. Quemadmodum in noſtro Canone peractis conſecrationibus, precamur poſtea: *Hæc commixtio, & conſecratio fiat accipientibus nobis in vitam æternam.* *Canon.*

15 Sic ſe ſuſque Liturgias explicuit Beſſarion Græcus in Conc. Florentino. Sicque colligitur ex ipſis Liturgijs: nam S. Iacobus in ſua ſubjungit: *ut fiat omnibus in remiſſionem*. Et S. Baſilius in ſua: *efficiens corpus pretioſum in expiationem culparum*: quo fit clara noſtra reſponſio, & interpretatio. *Beſſar. Florent. Liturg. Iacob. Baſil.*

16 Objiciunt inſuper aliquos SS. Patres dicentes, conſecrationem fieri per myſticas quaſdam preces: ſed verba: *Hoc eſt corpus meum*; non ſunt preces: ergo fit per alia verba deprecatoria illis adjuncta. Reſpondetur, intelligendos eſſe de precibus myſticis non formalibus, & verbalibus; ſed virtualibus, & implicitis: quo pacto illa ipſa verba, *Hoc eſt corpus meum*, dici poſſunt *preces myſticæ*, hoc eſt occultæ, & implicitæ: quatenus obtinent à Deo ſaltem tacitè invocato conſecrationem, quam divinitus efficiunt. Sic Dicaſt. *diſp. 3. dub. 3.* *Dicaſt.*

SECTIO II.

Qua verba ſint forma conſecrationis Calicis.

17 S. Thomas *quæſt. 78. art. 3. & 4. ſent. diſt. 8. quæſt. 2. quæſtiunc. 2. 3. & 4.* & in *cap. 11. prima Corinth. lect. 6.* expreſsè docet, eſſe de ſubſtantia, & de neceſſitate formæ conſecrationis Calicis non ſolum illa verba; *Hic eſt calix ſanguinis mei*; verūmetiam ſubſequentia: *Novi, & æterni teſtamenti, Myſterium fidei: qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Sic etiam ſentit bona Thomiſtarum pars: pro qua, dicterijs potiùs, quàm rationibus pugnat Thomas Hurtadus *tom. 2. trac. ult. reſol. 9.* quaſi nobiliſſima, & conſtantiſſima Thomiſtarum Schola eo reparatore indigeret; aut convicijs potiùs, quam ſolutionibus, & argumentis reparanda foret. Eamdem ſententiam noviter, ac doctiſſimè propugnat Eminentiſſimus Capiſuccus per totam Controverſiam tertiam ſelectiſſimam. *S. Thom. Thom. Hurt. Card. Capiſuc. Cajet. Suar. Vaſq. Valen.*

18 Oppoſitum tenent Eminentiſſ. Cajetanus in Commentarijs ad eumdem locum *3. par.* extante in prioribus editionibus. Suarez, Vaſquez, Valentia, Bellarm. & reliqui ferè cuncti Theologi Ieſuitici Scholæ: cum S. Bonav. Alenſi, Durando, Marſilio & alijs. Itemque è Schola Thomiſticâ poſt Cajetanum, Dominicus Sotus, Ledeſma, Nugnus, Victoria: & quos hùc alij citandi pro ſententia. *Bellarm. Bonav. Alen. ſ. Dur. ord. Mar. ſil. Scoti u. Lede ſm. Nug. m. Vict. or.*

tentia quædam media *sect. 4.*

19 Tenenda omnino est istorum sententia. Quæ duo continet. Primum, quòd illa priora verba: *Hic est Calix sanguinis mei:* sunt de substantia, de essentia, & de necessitate consecrationis Calicis. Et in hoc omnes convenimus. Illa, inquam, priora verba, vel æquivalentia: qualia sunt in Liturgia S. Iacobi: *Hic est sanguis meus:* in Missa Mozarabum: *Hic est Calix novi testamenti in meo sanguine:* in Evangelio *Luæ cap. 22. & 1. Corinth. 11. Hic calix novum testamentum est in meo sanguine:* quamvis aliquibus apud Dicastillum immeritò videatur, hæc Lucæ verba non sufficere. Et ratio horum est: quia omnia hæc recidunt in eumdem Christi sensum, significando transubstantiationem vini in sanguinem. De particula, *enim,* diximus jam *num. 3.* de verbo, *est, num. 4.* De clausula Canonis: *Simili modo postquam cœnatum est. &c.* idem dico, quod de clausula: *Qui pridie, &c. num. 10* Secundum, quod continet illa tententia, est, quòd illa verba subsequentia: *Novi, & æterni testamenti &c.* non sunt de essentia, nec de substantia nec de necessitate formæ consecrationis Calicis. In quo discedimus à S. Tho. Fundamenta solidissima, & innegabilia sunt huiusmodi.

Liturg. Iacob.

Luc. 22. 1 Cor. 11. Dicast.

Canon.

20 Primò, Authoritas plurium SS. Patrum, qui per otium legi possunt apud Suar. *disp. 60.* & Vasquez *disp 198.* Dicunt enim idemtidem, consecrationem Calicis fieri his verbis: *Hic est Calix sanguis mei: Hic est sanguis meus.* Et ratio est: quia hæc verba per se sola satis significant conversionem calicis in sanguinem Christi: atqueadeò illam sola efficiunt: cum optentur effectum, quē significant, ut rectè Suar. *sect. 1.* Hinc vox, *enim,* quam etiam Christus protulit, & Canon iisdem caracteribus describit, & Sacerdotes eodem tenore pronunciant super Calicē, non est de essentia nec de necessitate, nec de substantia formæ iuxta Adversarios cum S. Thom. quia non confert ad significationem dictæ conversionis. Idem ergo eàdem ratione dicendum est de verbis subsequentibus ad *sanguinis mei*: scilicet, quamvis tunc à Christo prolata, non à Christo in formam Sacramenti conficiendi instituta fuisse.

Suar. vasq.

21 Secundò: quia hæc priora verba, sublatis alijs, non minus significant transubstantiationem Calicis in sanguinem; quàm verba: *Hoc est corpus meum,* transubstantiationem panis in corpus. Nec obest, quòd Christus consecrans Calicem, addiderit: *Novi & æterni testamenti*, & alia: nam etiam consecrans corpus addidit: *quod pro vobis traditur:* quòd additamentum apud Adversarios non est de essentia consecrationis corporis. Non ergo verba cuncta, quæ Christus consecrans subjunxit, voluit esse essentialia formæ consecrationis.

Luc. 22.

22 Tertiò: quia Evangelistæ, & Paulus de hoc scribentes tradunt abs dubio formam consecrandi. Quocircà Innoc. V. *in 4. sent. dist. 8. quæst. 3. art. 2. ad 7.* ait: *Puto, quòd quælibet forma tradita ab Apostolis, vel Evangelistis sit forma Ecclesiæ: ita quòd in ipsa, si placeret Ecclesiæ, consecrari posset.* Alioquin diminutè factum esset in re maximi momenti cum ingenti detrimento Ecclesiarum, quarum aliæ uno Evangelio, aliæ alio primitùs unicè utebantur, & secundum illud consecrabant. At omnes omittunt vocem, *æterni,* & *mysterium fidei?* Matheus, & Lucas omittunt, *pro vobis*: Marcus omittit: *in remissionem peccatorum*: Paulus solùm ait: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine* Ergo quia posteriora illa verba nullatenus sunt de essentia formæ Calicis ex divina Christi institutione.

1. Cor. 11.

23 Quartò efficacissimè. Quia constat certò, quod posteriora illa verba omittebant in consecratione Calicis Liturgiæ sanctissimæ, quibus utebantur plures Ecclesiæ. Liturgia Iacobi minoris præscribit hanc formā: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur, & datur in remissionem peccatorū.* Liturgia S. Matthæi pro Ecclesijs Æthyopiæ, hanc: *Hic est Calix sāguinis mei, qui pro vobis effūdetur, & pro redēptione multorū.* Liturg. S Marci hāc: *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis, & pro multis effunditur, & distribuitur in remissionem peccatorum.* Liturgia S. Clementis, hanc: *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Liturgia S Basilij, dictata ut fertur, ab Angelo, hanc: *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum* Liturgia S Sixti Papæ, qua utuntur Christiani Maronitæ, hanc: *Hic est Calix sanguinis mei novi testamenti.* Liturgia S. Isidori, qua usi sunt Hispani Mozarabes: *Hic est Calix novi testamenti in meo sanguine, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et ex Liturgijs S. Ioannis Evangelistæ, S. Eustachij, S. Ioannis Patriarchæ, & S. Matthæi Pastoris extat apud Maronitas hæc forma: *Hic est sanguis meus*, sive: *Hoc est sanguis meus:* ut eruditè comprobavit Cardinal. Delugo *disp. 11. sect. 4.*

Liturg. Iacob. *Matt.* *Marc.* *Clem.* *Basil.* *Sixti* *Isidor.* *Ioann. Eustach. Ioan. Matt. Lug.*

24 Modò sic. In ijs Liturgijs, per Vi-

ros ſanctiſſimos ordinatis, continetur eſſentialis, & neceſſaria forma conſecrandi Calicem: ne temerè dicatur tot Nationes, & Eccleſias, toto illo tempore uſas ſuis Liturgijs, caruiſſe ſacrificio contra Chriſti Domini præceptum: & id quidem conſentiente Romanâ Eccleſia, quæ in Concilio Florentino quoad hoc non correxit Græcos, nec eorum Liturgias. Atqui, demptis illis prioribus verbis, *Hic eſt Calix ſanguinis mei*; vel æquivalentibus, in quibus omnes unanimiter conveniunt; poſteriora verba noſtri Canonis: *novi, & æterni teſtamenti, &c.* non omnia præſcribuntur in prædictis Liturgijs, & in aliquibus omninò nulla. Ergo, quia certiſſimè poſteriora hæc verba nō ſunt de eſſentia, & neceſſitate formæ conſecrationis Calicis.

Canon.

25 Neceſſe eſt dare manus huic ſyllogiſmo. Quo convictus Eximius Suarez *diſp. 60. ſect 1.* diſceſſit reverentiſſimè à ſententia S. Thom. his modeſtiſſimis verbis: *Non exiſtimo, iniuriam fieri D Thomæ ſi propter multarum Eccleſiarum & Liturgiarum authoritatem ab eius opinione diſcedamus: quam ſine dubio ipſe mutaſſet, ſi vel prædictas Liturgias, vel aliarum Eccleſiarum uſum agnoviſſet. Quod autem non agnoverit, ſignum eſt, quod nullam illarum mentionem in articulo facit: unde, cùm alijs argumentis utcumque ſatisfaciat, de hoc nihil dicit: nec video, quid probabiliter reſponderi poſſit.*

Suar.
S Thom.

26 Eâdem ratione, & reverentiâ diſcedimus à prædicta opinione multi: quos propterea perſequutores doctrinæ S. Thom. appellat Thomas Hurt ubi ſupra: qua appellatione comprehendere poſſet in præſenti Cajetanum, Ledeſmam, Sotum, Ioannem à S. Thom & alios, quos ipſe pro nobis citat. Niſi forte velit hos ab eo numero excipere, eo iure, quo Sylvium, & Peſſantium numerat inter Authores Societatis: non contentus ſcommatibus exercere Ieſuitas; niſi novos ſibi Ieſuitas effingat, quos ſcommatibus exerceat. Ediſcere potuiſſet ab Illuſtriſſimo Ambroſ. Catherino *lib. 1. de Concep.* qui ſint impugnatores & perſequutores doctrinæ S. Th. Quid, quòd novus ille Thomas ſe ipſum, & doctrinam S. Thom perſequitur. Se ipſum: quia, cum *num.* 388. ſuam ſententiam certam dixerit, & indubitatam; poſtmodum *num.* 412. ſententiam ſuæ oppoſitam vocat probabiliſſimam. Doctrinam S. Thom. quia *nu.* 407 ſcribit, aliquos *ex aliquo inſtinctu Thomiſtico divino* ſentire, adverſùs id quod ipſemet *num.* 349. dixerat, eſſe ſenſum ita expreſſum S. Thom. ut id negare, ſit planè recedere à S. Doctoris diſciplina. Niſi forte per incogitantiam, verèque per injuriam, ac prorſus inmeritò, ſcripturiens, inſtinctū eſſe Thomiſticum recedere à lenu S. Thomæ. Cæterùm, quiſquis ſit apud ipſum inſtinctus ille, noverit, inſtinctum noſtrum eſſe non recedere à veritate, nec à ratione.

Hurt.

Cather.

27 His jactatis, reſpondet tandem ad argumentum noſtrum; formas prædictarum Liturgiarum, non continentes verba cuncta formæ noſtri Canonis Romani, non continere totam eſſentiam formæ conſecrationis Calicis. Deum tamen, factâ revelatione diſpenſaſſe ſpecialiter cum illis Nationibus, ut omiſſis multis verbis noſtræ formæ, eo modo conſecrarent. Hancque, divinationem potius, quàm ſolutionem, conatur adſtruere aliâ divinatione, quod nempè Apoſtoli ex ſpeciali diſpenſatione baptizabant validè in nomine tantùm Ieſu Chriſti, quamvis noſtra forma Baptiſmi debeat exprimere nomina Patris, Filij, & Spiritus Sancti. Malæ cauſæ patrocinium. Falſum eſt quod affert de Baptiſmo, ut inſinuabo *num.* 29. ex ijs quæ Iuſtus habet Dicaſtillus *diſp. 1. de Bapt dub. 5.* Nec probabile eſt quod divinat de forma conſecrationis. Quapropter reſponſio iſta ridenda potiùs eſt à Theologo, quàm impugnanda: nihil enim fixum relinquit in rebus, & formis Sacramentorum: quas facilè quilibet perturbare poſſet ex ejuſmodi diſpenſationibus, & revelationibus imaginarijs.

Dicaſt.

28 Idcircò reſponſionem iſtam deſperaſſe videtur, & meritò Cardin. Capiſuccus. Qui §. 20. paulò aliter reſponaet, inquiens, formas illas prædictarum Liturgiarum validas eſſe: non quidem ex diſpenſatione ſpeciali Dei, ut aiebat prima reſponſio; ſed ex inſtitutione generali Chriſti. Quippé ſic voluit inſtituere, ut omnes illæ formæ, quamvis penes aliqua verba diſcrepantes, ſufficerent ad valorem. Quo non tollitur, quominus pro Eccleſia Latina, & pro illis, qui ejus ritu conſecrare velint, omnia verba illius clauſulæ noſtri Canonis, priora ſcilicet, & poſteriora, ſint de eſſentia noſtræ formæ conſecrationis. Et incidit etiam in exemplum formæ Baptiſmi: quæ eſt: *Te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus S.* quamvis conſtet ex *Act.* 8. Apoſtolos baptizaſſe his tantum verbis: *Te baptizo in nomine Chriſti*: quia nempè ex inſtitutione Chriſti tunc temporis quælibet iſtarum formarum ſufficiens erat.

Capiſuc.

Act. 8.

29 In primis circa hoc ultimum falſa prorſus eſt, & omninò rejicienda, cuiuſcumque ſit, doctrina prædicti exempli de Baptiſmo,

mo. Nec fundamentum, quod momenti ſit, habet in Actibus Apoſtolorum: ibi enim ſolum dicitur, quòd Apoſtoli baptizabant *in nomine Ieſu Chriſti*: ex quo perperam deducit Capiuccus, quod baptizabant illis tantum verbis: *Ego te baptizo in nomine Chriſti* Undenam, precor, illatio tam inconexa? Omnes quidem, quibuſcumque verbis id faciamus, baptizamus exercitè, conſecramus & abſolvimus in nomine Chriſti: ſicque dicitur *Act. 8.* quòd Apoſtoli baptizabant in nomine Ieſu-Chriſti, id eſt ut miniſtri Chriſti. Ex quo inferre, quòd baptizabant illis tantum verbis: *ego te baptizo in nomine Chriſti*: perinde eſt, ac ex eo quod nos abſolvimus, & conſecramus in nomine Chriſti, inferre quod abſolvimus, his verbis: *Ego te abſolvo in nomine Chriſti*: & conſecramus his: *Ego te conſecro in nomine Chriſti*. Egregium fulcrum ſuppoſuerunt hi Authores argumento ſuo, ut falſo nixum in præceps facilius abeat, unàque duo *collapſu graviore ruant*.

Act. 8.

Cland.

30 Deinde circa ſubſtantiam reſponſionis, cùm loquatur de facto Chriſti juxta præſentem inſtitutionem, debet dari aliqua ratio dicendi, ſic Chriſtum inſtituiſſe: alioquin eſt dicere ſine fundamento. Quod illa priora verba: *Hic eſt ſanguis meus*: aut alia æquivalentia, ſint forma conſecrandi á Chriſto inſtituta, conſtat nobis ſatis ex Evangelijs, ex Paulo, ex noſtro Canone, & ex omnibus Liturgijs permiſſis in Eccleſia: in omnibus enim reperiuntur illa verba, aut æquivalentia. In verbis autem ſubſequentibus variant Evangeliſtæ, & Liturgiæ, ut vidimus. Unde certum eſt, eſſe inſtitutam à Chriſto aliquam formam conſecrandi per illa tantùm priora verba. Quod autem inſtitutæ etiam fuerint aliæ formæ compoſitæ ex illis, & ex omnibus ſubſequentibus; & aliæ ex illis, & aliquibus ſubſequentibus, alijs, & alijs pro varietate Eccleſiarum, unde conſtat? Non plus video fundamenti ad huiuſmodi inſtitutiones aſſerendas, quam ad diſpenſationes, & revelationes imaginarias primæ reſponſionis. Profectò quod inde infertur eſt, illa priora verba, in quibus ſemper ab omnibus conventum eſt, eſſe formam conſecrandi à Chriſto inſtitutam; & poſteriora, in quibus variatum eſt, nullatenus eſſe de eſſentia formæ ſecundum præſentem, & notam Chriſti inſtitutionem.

31 Præterea. Vel nunc in Eccleſia Romana, Sacerdos celebrans & proferens ſuper calicem, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, & omittens reliquum illius clauſulæ, conſecraret valide, vel non conſecraret? Si conſecret: ergo nec pro Græcis, nec pro Hebræis, nec pro Latinis ſunt de neceſſitate Sacramenti, quoad validè, verba ſubſequentia clauſulæ noſtri Canonis: quod eſt punctum noſtræ ſententiæ pro quo pugnamus: quo nobis conceſſo, corruit ſententia dicens illa poſteriora verba eſſe ſimul cum prioribus de neceſſitate Sacramenti. Si non conſecraret: quomodo per æquivalentia verba conſecrabant aliæ Eccleſiæ ſine aliquibus, imò, & ſine omnibus poſterioribus? An Chriſtus plura verba requiſivit pro Latinis, quam pro alijs? Credat qui poterit: non eſt autem infra Chriſtum qui poterit in hoc immutare. Quod autem ait acutè Capiſuccus, eum Sacerdotem conſecraturum tunc per illa verba, quæ ſcilicet faciunt unam formam conſecrandi; illum verò, qui profert omnia, per omnia conſecrare, faciendo ex omnibus aliam formam conſecrandi; hoc, inquam, eſt in re ipſiſſima ſententia media aliorum Thomiſtarum, quam ipſe acerrimè, & doctiſſimè refutat §. 3. 4 5 6. & 7. ut abſurdam, & à veritate, ac mente S. Thomæ prorſus alienam, quam ſcrutabimur *ſec.* 4. ubi hæc quoque reſponſio redibit ad incudem.

Capiſ.

SECTIO III.

Obiectionum facili ſolutione noſtra ſententia illuſtratur, & communitur.

32 OBijcitur nobis primò Miſſale Romanum, in quo omnia illa verba proferuntur ſuper calicem, & ſcribuntur in Canone caracteribus maiuſculis eodem modo continuatis. Reſpondetur leviſſimam eſſe coniecturam. Fallit enim ibidem in vocula, *Enim*, quæ eodem modo profertur, & ſcribitur; & neque de eſſentia, neque de ſubſtantia, neque de neceſſitate formæ Sacramentalis eſt. Fallit etiam in forma abſolutionis, quæ in Ritualibus, continuatis eodem modo caracteribus ſcribitur: *Ego te abſolvo á peccatis tuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*: quin perinde hæc poſteriora verba ſint de eſſentia Formæ. Scribuntur ergo in Canone iiſdem caracteribus omnia illa verba: non quia omnia ſint forma conſecrationis; ſed quia componunt clauſulam, in qua continetur forma conſecrationis. Et ob eamdem rationem proferuntur ſuper calicem, ſicut etiam vox, *enim*: & ſicut in forma abſolutionis ſuper pœnitentem verba: *In nomine Patris, &c.* quæ de eſſentia formæ non ſunt.

33 Objcitur ſecundò, Cathechiſmus Ro-

Cathec. Romanus *par. 2. de Euch. num.* 21. dicens, formam conſecrandi vinum, *his verbis comprehendi certò credendum eſt*: & ſubjungit totam clauſulam Canonis. Reſpondetur, veriſsimum id eſſe: quia certé in illa clauſula continetur forma, quamvis non cuncta clauſulæ verba ſint forma. Ad modum, quo aliquanto latiùs dici veriſsimé poſſet, in Canone Miſſæ contineri, ſeu comprehendi formã: quin propterea cuncta verba Canonis ſint forma. Nec video qua fide Card. Capiſuc-
Capiſuc. cus §. 15. dicat é converſo: *Cathechiſmus ut certum doceat, quòd forma conſecrationis cõprehendat omnia ea verba*: vùm potiùs dicat formam comprehendi in illis verbis. Quæ diverſiſsima ſunt.

Florent. 34 Objicitur tertiò Concil. Florentinum in Decreto: *Lætentur Cœli*, pro Græcis, etiam Armenis edito, dicens: *In conſecratione corporis hac utimur forma verborum: hoc eſt enim corpus meum*: Sanguinis verò: *hic eſt enim calix ſanguinis mei, novi, & æterni teſtamenti &c.* Quæ, quamvis non reperiantur in editione vulgata. Conc. Florẽtini, reperiuntur in Regeſtis Vaticani, teſte
Juſtin. Iuſtiniano *in Actis editis an. 638.*

Capiſuc. 35 Gratulamur hanc eruditionem ſapientiſsimo Capiſucco §. 13. & 14. & quòd in medium protulerit Concilium Florentinum. Ex quo poſt propoſitiones prohibitas à SS. P. N. Innocentio XI. poſſet fortè argui, ſententiam aſſerentem omnia ea verba
Innoc. formulæ noſtri Canonis pro Calice, eſſe de neceſsitate ad valorem conſecrationis, jam non eſſe probabilem. Nam Florentinum permiſit Græcis, & Armenis, ut uterentur ſuis formis conſecrandi, in quibus non ſunt omnia verba noſtri Canonis: hoc autem non potuiſſet, aut ſaltem nunc non poſſet illis permitti, ſi probabile eſt alia verba ab illis omiſſa, eſſe de neceſsitate ad valorẽ: ſic enim uterentur forma ſolum probabili circa valorem Sacramenti: quod, & fieri, & doceri prohibuit ſanctiſsimé Innocentius contra primã propoſitionem Decreti *an.* 1679. Igitur, ut ſtet permiſsio Florentini cum prohibitione Innocentij, neceſſe eſt dicere formam conſecrandi calicem Græcis, & alijs permiſſam eſſe certam, certeque ſufficientem ad valorem: ac proinde non eſſe jam probabile, verba, quæ omittuntur in illis formis, eſſe de neceſsitate ad valorem. Atqui multa verba noſtræ clauſulæ conſecrativæ omittuntur in illis formis, ut eſt evidens *ex num.* 23. ergo nec verum, nec probabile jam eſſe videtur omnia verba noſtræ clauſulæ conſecrativæ calicis eſſe de neceſsitate ad valorem Sacramenti.

36 Ex ijs ad verba Florentini nobis ex Regeſtis, & Actis objecta, veriſsimum eſt quod ait Concilium ibi: quòd nempé nos Latini *utimur* illis formis, ſeu formulis conſecrandi aſſignatis in Miſſali Romano: quia in illis continentur verba eſſentialia formæ conſecrativæ. Quamvis certé in clauſula eàdem ſcribantur etiam verba, quæ non ſunt de neceſsitate eſſentiali formæ. Id quod de voculâ, *enim*, in utraque forma, ſeu formula adjectâ, docent nobiſcum Adverſarij, ut noſtram reſponſionem ſibi neceſſariam reſpuere non poſſint. Præterea idem Concilium aſſignat pro forma Ordinis Sacerdotalis hæc verba: *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro vivis, & mortuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S.* Cùm tamen ipſis quoque Adverſarijs certum ſit, hæc poſtrema non eſſe de neceſsitate formæ. Has inſtantias evidentiſsimas opponit ſibi ex Card. Delugo Cardinalis Capiſucens §. 14. & dat diſparitatem: quia *certum eſt Concilium has particulas non aſſignare pro parte forma.* Huc vulgatum illud Lemma: *Purpura juxta Purpuram.* Inſtantia Card. Delugo manifeſtiſsima eſt, & concludens ſolidita-
Capiſuc. Lug. tem ſuæ, noſtræque reſponſionis, niſi aliundé infirmetur. Reſponſio Cardin. Capiſucchi tam longé abeſt, ut illam infirmet, quin potiùs corroborat. Si enim eodem modo aſſignandi formam procedit Concilium, quando *certum eſt, Concilium eas particulas non aſſignare pro parte formæ*; quâ arte, ex eo quod Concilium aſſignet clauſulam illam tanquam formam conſecrandi, arguitur omnes particulas illius clauſulæ aſſignati pro parte formæ? Standum ergo eſt ſolidiſſimæ intelligentiæ Concilij juxta reſponſionem noſtram, & permiſſionem ſuam indubitabilem.

37 Objicitur quartò Rubrica Miſſalis, *Rubr.* quæ poſt aſſignatas formas conſecrationis, ut ſunt in Canone ait, quòd ſi celebranti *certé conſtet, ſe omiſiſſe aliquid eorum, quæ ſunt de neceſsitate Sacramenti, id eſt formam conſecrationis, ſeu partem, reſumat ipſam formam. Si verò valde probabiliter dubitat, ſe aliquid eſſentiale omiſiſſe, iteret formam ſaltem ſub aliqua conditione; ſi autem non ſunt de neceſsitate, non reſumat, ſed procedat ulteriùs* Ex quibus Capiſucchus §. 16. *Capiſuc.*
citans Labatiũ, arguere vult, noſtram ſententiam non ſolum non eſſe veram; ſed nec prac- *Labat.*
ticé probabilem.

38 Sed in primis noſtram ſententiam, non ſolum eſſe practicè probabilem; verum etiam practicé certam argui meliori jure poteſt ex eo quod Concilium Florentinum,

ſum-

ſummique Pontifices in praxi permiuãt pro multis Eccleſijs Liturgias, quæ non utuntur in conſecratione formâ continente omnia illa verba noſtri Canonis. Quod permitti non poſſet, niſi ſententia noſtra eſſet practicè certa quoad valorem, præſertim poſt decreta SS.P.ac D.N. Innocentij XI. ut expendimus *nu.*35.

39 Deinde, cùm tota illa Rubrica ſit *de defectibus formæ*, aſſignatæ in Miſſali, ſatis indicat ipſius Rubricæ tenor, in illis formulis dari verba, quæ ſunt *de neceſſitate Sacramenti, & aliquid eſſentiale*; alia verò nõ ita, quamvis eodem modo ibi ſcribantur, & ſuper panem, & calicem pronuncientur: eo quod componant eamdem clauſulam.

40 Quod autem ibi dicitur, celebrantem advertentem, ſe omiſiſſe, ſeu valde probabiliter dubitantem, an omiſerit verba aliqua, quæ ſunt *de neceſſitate*, aut *aliquid eſſentiale*, debere reſumere totam formam, conſultiſſimum eſt: ſupponens enim, non omnia illa verba eſſe æquè de neceſſitate, ut de voce, *enim*, certum eſt omninò; non determinat, quænam præ aliis ſint de neceſſitate, & eſſentialia; ſed id altiori relinquit indagini; & monet, ut cuncta reſumantur, ut conſecratio maneat undecumque certa. Ex quo non deducitur, quòd noſtra ſententia dicens ſola illa, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, eſſe neceſſaria, non ſit practicè probabilis quoad valorem, niſi ideò non ſit probabilis, quia eſt pluſquam probabilis; ſed, vel quòd oppoſita reputetur adhuc ab aliquibus probabilis, quoad valorem: vel quòd ex præcepto obliget juxta omnes Eccleſiæ pro Latinis ex traditione, ut creditur, Sancti Petri, ideoque reverentiſſimè retinendâ, adhibere omnia illa verba formulæ. Unde eſt, quòd dicere, poſſe quidquam illorum à nobis licitè omitti, nec practicè, nec ſpeculativè probabile ſit: quod toto cœlo diſtat à noſtra ſententia loquente quoad valorem conſecrationis, & de neceſſitate Sacramenti: ut eſt ex terminis conſpicuum. Quid ſi celebrans animadvertat ſe protuliſſe, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, & omiſiſſe reliqua? Videbitur *ſec.* 5.

41 Objicitur quintò expunctio Commentariorum Caietani juſſu B. Pij V. ſuper illum articulum S.Thomæ, eo quod noſtram ſententiam S. Doctori contrariam edocuerit. Sed reſpondetur, expunctum quidem id eſſe, ſive juſſu Pij V. ſive aliorum operâ; non quia ea doctrina Caietani mala ſit; ſed quia cum Commentatorem ageret, viſa fuit indecora libertas, ſententiam S. Thomæ ex profeſſo refutare, eiuſque authoritatem ſenſim deprimere, ſterneus viam ab illo diſcedendi. *Caiet.*

At, inquis, in alijs etiam locis commentaria Caietani advertuntur doctrinæ S. Thomæ, ut ſæpè neceſſe eſt cum ipſo Capiſuccho §. 18. cur ergo non etiam Pontifex juſſit expungi? Reſpondetur facili negotio: quia noluit: ex eo fortè, quòd non ita ex profeſſo agunt contra S. Thom. nec eius authoritatem deprimunt per generalia principia, per quæ facilè cuique fieret ab illo diſcedere: prout legi poſſunt ſuper hunc locum in editione Venetâ *anni* 1533.

42 Objicitur ſextò, & ut putat Capiſucch. §.8. efficaciter, ratio S. Thomæ ſic dupoſita. Omnia illius clauſulæ verba conſtituunt unã indiviſibilem, & ſimplicem propoſitionem: ergo dici nequit quòd de eſſentia formæ ſint ſolum priora: *Hic eſt calix ſanguinis mei*; & non poſteriora: *novi, & æterni, &c.* Conſequentia patet: nam in eo quod eſt indiviſibile non datur unum quod ſit, & aliud quod non ſit de eſſentia ejuſdem rei. Antecedens oſtenditur: nam poſteriora illa verba cum prioribus conſtituunt unicum prædicatum eiuſdem propoſitionis, & ſunt determinationes priorum, nempe *ſanguis mei*: ſicque non faciunt plura prædicata, ſed unum, & idem: atqui propoſitio conſtans uno ſubiecto, & uno prædicato eſt ſimplex: ergo omnia verba prædictæ clauſulæ conſtituunt unam ſimplicem propoſitionem. Unde, ſicut falſum eſſet, & abſurdum dicere, quòd in hac propoſitione: *homo eſt animal rationale*, vox, *rationale*, non pertineat ad illam, cùm ſit determinatio prædicati; ſic, & quòd in ea propoſitione dictæ clauſulæ conſecratoriæ, verba, *novi, & æterni teſtamenti, &c.* non pertineant ad eamdem propoſitionem: nam dicere, quòd non pertinent ad eamdem propoſitionem, perinde eſt, ac dicere, quòd prædicatum propoſitionis non pertinet ad illam: quod eſt ridiculum. Puderet ſic diſtaſſe elumbem iſtam argumentationem, niſi multo lætiùs extenderetur à graviſſimo Capiſuccho. *Capiſ.*

43 Reſpondetur, negando antecedens, ac proinde conſequentiam. Cùm enim propoſitio includat eſſentialiter ſuum prædicatum, ſi prædicatum non eſt ſimplex, & indiviſibile, ſed ex multis terminis compoſitum, ſeu complexum, propoſitio una quidem erit; non tamen ſimplex, & indiviſibilis, ſed penes prædicatum compoſita, & complexa: ut ex terminis eſt notum omnibus, qui Dialecticam vel à primo limine ſalutarunt. Ad probationem antecedentis diſtinguo majorem: poſteriora verba cum prioribus (ſive ſint determinationes, ſive ſint declarationes priorum) conſtituunt unicum ejuſdem pro-

po-

est animal rationale; in illo ipso exemplo, nostræ responsionis doctrinam repono. Propositio quidem una est; sed prædicati complexi ex verbis: *animal rationale*: ut bonus quisque logicus sine offendiculo didicit; sicut etiam, quòd ex illa propositione legitimè inferuntur istæ: *Ergo homo est sensitivus: ergo homo est intellectivus: ergo homo dicit genus, & differentiam: ergo homo dicit genus: ergo homo dicit differentiam.* Et tamen ad effectum omnium harum illationū non cooperantur termini illius prædicati cōplexi: nam ad primam, & quartam non est necessarius terminus, *rationale*: cùm ex *animali* pariter inferrentur: ad secundam, & quintam, non est necessarius terminus, *animal*: cùm ex solo rationali inferrentur: ad tertiam, utroque opus est. Aliud est ergo, quòd plures termini constituant unam propositionem, seu ad illam pertineant; aliud longè diversum, quòd omnes sint necessarij ad aliquem effectum talis propositionis. Quę duo confundit argumentatio nobis obiecta, non discernens inter id quod est, omnia verba illius clausulæ consecratoriæ constituere unam propositionem, seu ad illam pertinere, quod nullius, vel levissimi momenti est; & inter id quod est, omnia esse essentialia, seu necessaria ad effectum consecrandi: quod est tota quæstio, & quidem gravissima: quem in scopum non pertingit obiectio.

SECTIO IV.

Tertia quædam sententia media, ingeniosè, sed inutiliter excogitata.

48 EA est: Verba illa posteriora, *novi, & æterni testamenti, &c.* non esse quidem de essentia, seu de necessitate formæ calicis, sicut alia priora; esse verò de substantia, seu de integritate formæ. Sic videlicet, ut si quis ita intenderet, consecraret quidem validè cum solis prioribus: *hic est calix sanguinis mei.* Si verò proferret omnia cum intentione per omnia consecrandi, per omnia illa consecraret, & ex omnibus fieret una forma integra, & substantialis consecrandi Calicem, Ita Ioan. à S.Tho. *3 par. disp. 29.* & in Apolog. *disp. 2. art. 4.* Domin. Soto *in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 3.* & alij nobiles Thomistæ.

Ioann. à S.Thom. Soto.

49 Qui tria sibi videntur per mediam hanc viam obtinuisse. Primum, salvare authoritatem S. Thom. non dicentis ea posteriora verba esse *de essentia*; sed esse *de substantia* formæ. Secundum, salvare permissiones Ecclesiæ factas Græcis, Armenis, & Maronitis celebrandi juxta suas Liturgias, cōtinentes priora illa verba essentialia, & omittentes omnia, vel aliqua integralia; ac proinde sufficientes ad validè consecrandum. Tertium, salvare ritum nostri Canonis præscribentis eodem modo omnia illa verba, ut formam consecrationis: quia omnia sunt substantialia, seu integralia, coefficientia consecrationem, suspensam utique usque ad ultimum verbum: quamvis posteriora non sint essentialia, sicut priora: eo quòd sine prioribus, utpote omninò necessarijs, non validè consecraretur; benè verò sine posterioribus: quæ propterea, nec sunt de necessitate essentiali formæ sicut priora; nec sunt omninò extra formam, sicut alia verba antecedentia, & subsequentia totam dictam clausulam; sed quasi medium tenent.

50 Declarant, & probant hanc doctrinam multiplicitèr. Primò à paritate physicâ. Nam digitus est de substantia hominis, cùm non sit hominis accidens; & tamen non est de essentia, nec de necessitate; cum abscisso digito detur homo. Sic ergo verba illa posteriora formæ consecrativæ Calicis possunt dici de substantia, & de integritate, quamvis non de essentia, nec de necessitate ad valorem.

51 Secundò à paritate morali: nam in Sacramento Pœnitentiæ satisfactio est pars integralis, & non essentialis. Cur ergo sic non possit dici de illis posterioribus verbis in Sacramento Eucharistiæ?

52 Tertiò: quia in sententia dicente verba, *Te absolvo*, esse sufficientem formam absolutionis, si sola proferantur; tamen si non sola, sed cum alijs: *ego*, & *à peccatis tuis* proferantur; non illa sola, sed illa etiam cum illis constituunt unam formam, & causant graciam: suspenso scilicet effectu gratiæ usque ad vocem, *tuis*. Similiter ergo in forma consecrationis calicis poterit dici, verba illa priora, si sola proferantur, sufficere; quia sunt tota essentia formæ; posteriora verò, si cum prioribus proferantur, cùm sint de substantia, & de integritate, constituere etiam formam consecrativam, & simul cū illis consecrare calicem.

53 Quartò: quia celebrans dicens, *Hic est calix sanguinis mei*, in huius ultimæ syllabæ pronunciatione detinetur sæpè multis instantibus, v.g. octo, cum possit breviùs finiri, v.g. tribus. Tunc autem continuatio, seu protractio pronunciationis talis syllabæ per ultima illa instantia non est de essentia, nec de necessitate formæ, cùm jam fieret consecratio, primò pronunciatâ ultima syllabâ verborum essentialium, omissâ tam diu-

eos in formis ſuis cõſecrandi omiſiſſe quidquam quod ex inſtitutione Chriſti eſſet de ſubſtantia formæ: & Romanos Pontifices id eis permiſiſſe; ſicut non permiſit, ut conſecrarent calicem ſine aqua, quamvis non ſit de neceſsitate, & de eſſentia Sacramenti: in quo Concilium Florentinum correxit Armenos, non tolerans eorum ritum cunſecrandi ſine aquâ. Non æquè ferremus Latini ſi illi Græci, qui in forma conſecrandi corpus adhibebant illa Chriſti verba, *quod pro vobis tradetur*, redarguti, quòd Latini conſecramus corpus ſine illo additamento; dicerent, nos proinde non omittere quidquam de eſſentia, ſed de ſubſtantia formæ corporis. Quomodo ergo non iniquè ferant Græci conſecrantes ſine multis verbis noſtræ clauſulæ conſecratoriæ, ſi dicamus, illos propterea non omittere quidquam de eſſentia, quamvis omittant multa de ſubſtantia formæ à Chriſto inſtitutæ? Quam paritatem

Suar. proſequitur Suar. *diſp.60 ſec.1.*

58 Præterea nec ſatis ſalvant ritum noſtri Canonis juxta modum argumentandi S. Thom. & Thomiſtarum contra noſtram ſententiam, ex eo quòd tam poſteriora, quàm priora verba noſtræ clauſulæ conſecratoriæ calicis eodem modo ſcribantur in Canone, eodemque tenore proferantur à Sacerdote ſuper calicem. Si enim hoc argumentum quidquam valet, probat, cuncta ea verba eodem modo eſſe de eſſentia, & de ſubſtantia formæ, pariterque neceſſaria ad valorem cõſecrationis, ut vult inferre S. Thomas. At iſta media ſententia hoc non vult; ſed priora verba eſſe de eſſentia; poſteriora non de eſſentia, ſed de ſubſtantia: priora eſſe de neceſsitate ad valorem Sacramenti; poſteriora non de neceſsitate, ſed de integritate: aut, ut tenetur fateri Capiſucchus, priora taliter eſſe de neceſsitate Sacramenti, ut illis omiſsis non fieret Sacramentum calicis; poſteriora verò non ita; cùm, illis omiſsis, per ſola priora poſſet confici. Quomodo ergo cum his diſcriminibus notabiliſsimis, eodem modo notantur in noſtro Canone omnia illa verba, & indiſcriminatim ſuper calicem proferuntur? Vel ergo hæc media ſententia non ſatis conſulit ritui noſtri Canonis; vel ex eo ritu non ſatis probatur contra noſtram, verba illius clauſulæ conſecratoriæ, quamvis ſine diſcerniculo in Canone deſcripta, & à Sacerdote prolata, non omnia eſſe eſſentialia, nec ſubſtantialia formæ ad valorem; ſed priora, eſſentialia ex inſtitutione Chriſti conſecrativa; poſteriora verò, non eſſentialia, nec de ſubſtantia formæ; ſed addita ex ritu, & præcepto Eccleſiæ, tãquã ulteriùs declarativa myſterij Paſsionis Chriſti.

59 Demùm: probationes huius tertiæ ſententiæ ſufficientes non ſunt. Prima namque ducta *num.* 50. à paritate phyſicâ non convincit intentum. Quamvis enim digitus minimè neceſſarius, aut eſſentialis, ut abſolutè detur homo, ſit de ſubſtantia, & de integritate hominis; non tamen ita, ut conſtitutio eſſentialis hominis ſuſpendatur, aut tollatur ob non poſitionem, ſeu ob abſciſionem digiti: intentum autem dictæ ſententiæ utcumque eâ paritate eſt, verba illa poſteriora conſecrationis calicis, quamvis non ſint de eſſentia formæ, taliter tamen eſſe de ſubſtantia, & de integritate formæ conſecrationis, ut calicis conſecratio re ipſa ſuſpendatur, donec abſolvuntur poſteriora verba. Conſequentia igitur nulla eſt ad intentum: nec enim eſt de eſſentia, nec de ſubſtantia formæ conſecrativæ verbum, quod ex inſtitutione Chriſti, ad quam omninò recurri oportet, non habet virtutem conſecrandi.

60 Secunda probatio claram etiam habet diſparitatem ex eo quòd ſatisfactio ſacramentalis habet ſpecialem effectum remiſsionis pœnæ temporalis nondum præſtitum ab eſſentia Sacramenti: cuius propterea dicitur pars integralis, quin proinde ſuſpendatur effectus gratiæ ſacramentalis cauſatus ab eſſentia Sacramenti. Hoc autem modo non ſe habent poſteriora verba formæ conſecrationis calicis apud ipſos, qui nobis obtendunt hanc paritatem, propterea nihil ad ipſorum intentum profuturam.

61 Tertia verum habet antecedens juxta illam ſententiam, quam ſupponit: quia juxta illam ſententiam voces: *ego & à peccatis tuis*, quando non exprimuntur, involvuntur, & ſubintelliguntur in illis, *Te abſolvo*: unde nihil mirum quòd, etiam quando exprimuntur, cauſent effectum Sacramenti, & conſtituant Sacramentum: cùm id habeant ex inſtitutione Chriſti, ſive exprimantur, ſive in ijs, quæ exprimuntur, involvantur. Ngatur autem conſequentia: quia verba illa poſteriora clauſulæ conſecratoriæ calicis, nec expreſſa, nec involuta habent ex præſenti inſtitutione Chriſti virtutem conſecrandi: quo non ſuppoſito, nec umquam, vel leviter ab Adverſarijs probato, nec præceptum Eccleſiæ, nec intentio Sacerdotis poteſt id talibus verbis exhibere.

62 Quarta, quæ apparentior eſt, ponit in antecedente factum verum, & ſupponit ad finem eiuſdem antecedentis dictum falſum: quod nempè in eo caſu differatur conſecratio per omnia illa octo inſtantia protractionis ultimæ ſyllabæ. Non enim ſic fit; ſed ubi

primùm pronunciata ſatis eſt per unicum inſtans, jam eſt conſecratio, quam cum peractam jam inveniat ulterior continuatio illius ſyllabæ finalis, non cooperatur ad conſecrationem : quin certe intentio Sacerdotis poſſit hanc ſuſpendere pro libito aduſque octavum inſtans : quia fruſtra intenderet quidquam Sacerdos contra inſtitutionem Chriſti, ut rectè Suar. *diſp. 60. ſec. 1.* Unde nulla eſt conſequentia. Meliùs argueretur ex protractione pronunciationis ſyllabarum verborum eſſentialiũ antecedentium verba : *ſanguinis mei.* Nam illa continuatio minimé neceſſaria coperaretur ſine dubio ad effectum conſecrationis nondum poſitum : ac proinde ut partes integrantes formam, & de ſubſtantia formæ ; & tamen non de eius eſſentia, cum omiſsâ illa prolixiore prolatione, ſtaret forma eſſentialis,& conficeretur Sacramentum. Dicam tamen cum Dicaſtillo *diſp. 3. num. 94.* contra Vaſq. verum id eſſe : quia tunc adhuc eſt ſuſpenſus effectus conſecrationis; non ad expectandam illam protractionem talis ſyllabæ ; ſed ad expectanda verba eſſentialia ſubſequentia: ſuſpensâ verò quomodolibet adhuc conſecratione, non eſt cur illa protractio ſyllabæ non tota cooperetur, ut quid pertinens ad formam ſubſtantialem conſecrationis : cùm conſtituat verbum à Chriſto inſtitutum humano modo prolatum. Hoc autem non militat pro protractione ſyllabæ finalis ultimi verbi eſſentialis: quæ quidem invenit jam peractam conſecrationem: & multò minùs pro verbis ſubſequentibus: quia, præterquam quòd inveniunt peractam conſecrationem, nullatenus ſunt à Chriſto inſtituta pro forma conſecrandi, ſicut nec vox, *enim*, quamvis non inveniat conſecrationem peractam.

Suar.

Dicaſt. Vaſq.

63 Diſjectis ſic funditús probationibus huius mediæ ſententiæ, eam impetit Cardin. Delugo *diſp. 11. num. 67.* ex Vaſquez ab impoſsibili. Quia priora verba: *Hic eſt calix ſanguinis mei*; affirmant de præſenti, illud eſſe ſanguinem Chriſti: non autem eſſent vera, ſi, illis præciſè prolatis, non fieret conſecratio,& converſio in ſanguinem: quamvis enim conjungantur cum ſubſequẽtibus, habent per ſe ſola ſuum ſenſum,& veritatem. Quemadmodum ex ijs verbis : *hic eſt Papa, quem adoro*; tria priora poſſunt eſſe vera, quin ſubſequentia vera ſint. Igitur, ſi ſtatimatque proferuntur illa verba, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, illud non eſſet ſanguis Chriſti, non eſſent vera : atqueadeó nequit ſuſpendi effectus conſecrationis, & converſionis uſque ad finem ſubſequentium verborum clauſulæ noſtri Canonis, ſicut vult hæc media ſententia, ut verba etiam ſubſequentia, quæ ait eſſe de ſubſtantia formæ cooperentur cum prioribus ad conſecrationem.

Lug. Vaſq.

64 Patet verò Dicaſtillus *á num 109.* non fidit huic rationi, niſi præſenti inſtitutione Chriſti fulciatur. Alioquin, ait,& meritò, ex natura rei, & ex poſſibili alia inſtitutione, ſtare poſſet veritas propoſitionis de præſenti, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, quamvis non in eodem inſtanti phyſico ultimæ ſyllabæ fieret converſio in ſanguinem, ſed poſt alia pauca verba ſubiuncta juxta modum moralem, & humanum loquendi de præſenti : ut circa ſignificationem demonſtrativam de præſenti pronominum, *Hoc*,& *Hic*, videbimus *ſec. 7.* Patet in Baptiſmo : ubi, quamvis verba, *te baptizo*, ſignificent de præſenti effectum baptiſmi ; verificantur, ſuſpenſo tantiſper eo effectu donec proferantur ſubſequentia eſſentialia formæ : *In nomine Patris,& Filij, & Spiritûs S.*

Dicaſt.

65 Arguendum igitur nobis eſt ſuppoſita Chriſti Inſtitutione, juxta quam diſputatio procedit de facto. De facto autem fine fundamento dicit media illa ſententia illa priora verba per ſe ſola jam ſatis ſignificantia de præſenti converſionem in ſanguinem, non illam ſtatim cauſare,ſed ſuſpendi eorum effectum,& verificativum poſt alia plura verba. Hoc enim liberè dicitur : cum tamen in ijs, quæ pendent ab inſtitutione prout de facto, ſtandum ſit communi ſenſui Eccleſiæ, & judicio SS. Patrum, ac Theologorum, ex Scripturis,aut Traditionibus Apoſtolicis. Qui ſenſus circa ſignificationem, & verificationem illorum verborum de præſenti, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, fuit,& eſt, verificari ex Chriſti inſtitutione per phyſicam ſanguinis præſentiam in ipſo inſtanti phyſico, quo abſolvuntur ; non expectatis ad ejuſmodi effectum ſubſequentibus: ut conſtat ex probationibus noſtræ ſententiæ *ſect. 2.* Nec equidem puto dubitaturos fideles adorare ſanguinem Chriſti jam præſentem, auditis à celebrante illis verbis, *Hic eſt calix ſanguinis mei*: quamvis tunc obmuteſceret, aut moreretur. Nec prodeſt diverſa celebrantis intentio: hæc enim nihil in ijs conducere poteſt contra, aut præter Chriſti Inſtitutionem, cui omninò inſiſtendum eſt. Sic etiam diſparet paritas illa Baptiſmi: quia Chriſtus eo modo voluit inſtituere verba pro Baptiſmo ; & hoc ſtrictiori modo pro Euchariſtia : ut docet nos ſenſus Eccleſiæ ex congruentijs inſtitutionis Baptiſmi per eſſentialem formam verborum ſic exprimentium Trinitatem.

66 Ex ijs rejectæ quoque manent aliorum

rum opiniones, qui, quamvis non omnia illa verba ſubſequentia velint eſſe eſſentialia formę calicis; volunt tamen aliqua: ut Armacanus, verba, *novi teſtamenti*: Amicus, verba, *qui pro vobis effundetur*: & alij, verba: *Myſterium Fidei*. Noſtræ namque rationes ſatis convincunt, ſola verba, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, eſſe eſſentialia; reliqua autem omnia, nec eſſe eſſentialia, nec ſubſtantialia. *Armac.* *Amic.*

67 At inquis, cur alia ibi ſubſequentia adjecta ſunt, & cur potiùs ad formam calicis, quam Corporis? Reſpondebitur *diſp. ſequ. nu. 9.* *Infra diſp. 5. ſec. 1.*

SECTIO V.

Triplex caſus incidens.

68 PRimus. Quid ſi Sacerdos adhæreſcens doctrinæ putanti cuncta dictæ clauſulæ verba eſſe eſſentialia formæ calicis, & de neceſſitate Sacramenti, ea omnia proferret ſuper Calicem cum intione non conſecrandi donec omnia finirentur. Reſpondetur in primis, peccaturum ſine dubio: quia ſacrilegè ſeſe exponeret nullitati. Unde pro praxi ad licitè, intentio eſſe debet conſecrandi per verba, quibus id competit ex inſtitutione Chriſti juxta intentionem Eccleſiæ.

69 Quoad validè, dupliciter haberi poſſet ea intentio. Primò, ſi putans, ea omnia verba cooperari ad conſecrationem, per omnia vellet conſecrare, animo tamen ſubmiſſo, & conformi inſtitutioni Chriſti, & intentioni Eccleſiæ. Et ſic validè conſecraret: non quidem per omnia illa verba; ſed per eſſentialia, *Hic eſt calix ſanguinis mei*: hæc enim eſt inſtitutio Chriſti, & intentio Eccleſiæ: reliqua verò verba iam ſupponerent re ipsâ conſecrationem peractam. Secundò: ſi omninò vellet non conſecrare, niſi finitis omnibus illis verbis, nullo retento animo ſubmittendi ſuam illam exiſtimationem intentioni Eccleſiæ. Sic autem, nec conſecrat per priora verba, nec per omnia: quia non adhibuiſſet formam cum legitima intentione: quâ quidem nequit Miniſter variare inſtitutionem Chriſti: Quemadmodum non conſecraret, qui diceret: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur*: intendens omninò non aliter conſecrare, niſi per omnia iſta verba, & ſuſpenſo effectu uſque ad omnium prolationem. Ex Dicaſtillo *diſp. 1. de Sacr. dubis. 10.* *Dicaſt.*

70 Secundus caſus. Quid ſi proferret omnia illa verba cum intentionibus contrarijs? Scilicet omninò faciendi juxta inſtitutionem Chriſti, ac intentionem Eccleſiæ; & omninò conſecrandi per omnia illa verba, non verò aliter.

71 Reſpondetur. Si prior illa intentio ſit omninò faciendi quod vult Eccleſia; poſterior verò ſit non conſecrandi, niſi per omnia illa verba; ex eo ſolum quòd putet, Eccleſiam non aliter velle; videtur quòd conſecraret: quia prævalere videtur prior illa voluntas abſoluta; & poſterior præſumitur condicionata. Si verò poſterior intentio ſit omninó conſecrandi per omnia illa verba, & nõ aliter; & prior ſit conſecrandi juxta intentionem, & ritum Eccleſiæ, ex eo ſolúm, quòd tenaciùs putat intentionem, & ritum Eccleſiæ, nec eſſe, nec poſſe eſſe aliter; videtur quòd non conſecraret: quia prævalere videtur poſterior voluntas abſoluta; & prior præſumeretur quaſi condicionata. Quodſi omninó haberet eodem modo eas duas intentiones, ſeu voluntates; non conſecraret: quia ſeſe invicem elidunt, ac impediunt, & chymeram reipſa intendunt. Ex Bernal *diſp 17. de Sacr. ſec. 2.* ubi multa de ſimilibus intentionibus pro omnibus Sacramentis in genere. *Bern.*

72 Obſervandum: quòd in dubio de modo, quo ſe habuerint illæ duæ intentiones; præſumi debet prior modus pro valore Sacramenti: quia verosimilius eſt eo fuiſſe animo Sacerdotẽ: niſi fortè Hæreticus eſſet perditiſſimus. Quodſi tempore oportuno id animadverteretur, utrolibet modo fuerit; repetenda eſſet conſecratio cum debitâ intentione ſub conditione: quia id poſtulat ſecuritas valoris ſacrificij: præſertim poſt prohibitionem primæ propoſitionis in decreto S. P. N. Innocentij XI.

73 Tertiùs caſus. Quid, ſi calicem conſecrans dixiſſes cum intentione ſic conſecrandi: *Hic eſt calix ſanguinis mei*: & omiſiſſes reliquum clauſulæ: idque poſtea animadverteres ante ſumptionem? Si ſcienter feciſſes, certum eſt peccatum tuum. Sed quid deinde, ſive ſcienter, ſive per incogitantiam, id feceris? Conſulendum eſt, ut ſub conditione cum intentione debita integram conſecrationis clauſulam proferas ſuper calicem. Quinimò, & ad id obligaberis pro ſecuritate conſecrationis præſertim poſt nuper dictam prohibitionem Innocentianam. Niſi fortè iam ita ſit certa, ſuiſque graviſſimis fundamentis ſecura ſententia ſuperiùs à nobis tradita de validitate conſecrationis per illa tantùm priora verba eſſentialia, ut oppoſita non ſit probabilis. *Innoc.*

74 Quoſi, quia aliqui oppoſitam te-

nuer.

nuerunt, noſtra ſententia nequeat cenſeri taliter certa, ut deobligetur celebrans in eo caſu proferre modo dicto totam illam clauſulam; ſimiliter, quia tenuit Scotus, clauſulam, *Qui pridie*, eſſe requiſitam ad valorem conſecrationis; celebrans, qui illam omiſiſſet, teneretur in ſimili caſu, illam cum alijs verbis conſecrativis reſumere pro maiori ſecuritate conſecrationis.

75 Variæ ſententiæ laxiores circa hunc, & ſimiles caſus in ijs, quæ pertinent ad valorem Sacramẽtorum, cautè legendæ ſunt poſt, ſupradictam prohibitionem SS. P.N. Innoc. XI. Videri poſſunt apud Oviedum *contr. 3. de Conſcien. pun. 4.* — *Ovied.*

SECTIO VI.

An forma conſecrationis proferatur recitativè, an aſſertivè. Vbi an vox, Enim, ſit cauſalis; an aſſeverativa.

76 HÆc quæſtio longè diverſa eſt ab alia, quæ controvertitur inter Catholicos, & Hæreticos: an verba proferri debeant concionatorié; an conſecratorié. Supponimus enim proferri conſecratorié, hoc eſt, cum virtute tranſubſtantiandi per illa panem, & vinum in corpus, & ſanguinem Chriſti. Et quærimus an recitativé proferantur, ut id faciant; an aſſeverativé?

77 Prima ſententia docet, proferri recitativé: hoc eſt, quòd per ea verba Sacerdos refert, id Chriſtum affirmaſſe, quin tamen ipſe id affirmet. Quemadmodum qui hiſtoricè narraret: *Chriſtus dixit: ego ſum via, veritas, & vita*; quin propterea id ipſe affirmaret. Ita Catherinus, Mirandulanus, & Salmeron *in Evang. tom 9 tr. 13.* ſaveptque Gabr. & Ledeſm. apud Dicaſt. *diſp 3 dub. 9.* ubi hanc ſententiam judicat probabilem cõtra Vaſq. — *Cather. Miranđ. Salmer. Gabr. Ledeſm.*

78 Secunda docet, proferri aſſertivé: hoc eſt, quòd per ea verba Sacerdos non quaſi hiſtoricè referat, Chriſtum id affirmaſſe, ſed ipſe id enunciet, & affirmet nomine Chriſti. Ita Vaſq. *diſp.* 200. Amicus *diſp.* 24. Bernal *diſp. 39.* cum Alexandro, Bonav. & Marſilio. — *Vaſq. Amic. Bern. Alex. Bonav. Marſil.*

79 Tertia docet, proferri recitativé ſimul, & aſſertivé. Qui ſtylus utroque ſimul modo loquendi uſitatus eſt: ut, cum concionator è ſuggeſtu recitat dicta, Sanctorum, quorum ipſe verbis eamdem quoque rem affirmat. Eſtque præclarum exemplum Chriſti *Matth. 15.* ad Iudæos ſic loquentis: *benè prophetavit de vobis Iſaias*, dicens: *Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè eſt à me*: ubi Chriſtus utrumque præſtat, & recitare quod Iſaias id affirmavit, & ipſum id quoque affirmare. Ita Suar. *diſp.* 58. Bellarm. Valentia, Coninc, Arriaga, Delug. & alij, quos ſequuntur Dicaſtillus cit. Henaus *diſp. 12. ſec. 1.* & Haunoldus *lib. 4. tr. 3. c. 8. contr. 5.* — *Mat. 15.* — *Suar. Bellarm. Valent. Cruiuc. Arriag. Lug. Haunol. Hena.*

80 Prima concluſio. Non eſt neceſſe ad valorem, quòd verba proferantur recitativé. Patet: quia Sacerdos omittens illicitè omnia præcedentia, dicenſque ſupra panem verba, *Hoc eſt corpus meum*; validè conſecraret. Tunc autem id faceret præciſivé id affirmans in Perſona, & nomine Chriſti, nihilque hiſtoricé narrans. Et quidem certum eſt Chriſtum in Cœnâ conſecraſſe, quin tunc ea verba hiſtoricé, & recitativé protulerit.

80 Secunda concluſio. Neceſſe, & eſſentiale eſt ad valorem, proferri affirmativè. In hoc conveniunt ſecunda, & tertia ſententia cum S. Tho *quæſt. 78. art 5.* Sicque traditum videtur à S. Ambr. *lib 4 de Sacr. cap. 4.* ibi: *Vbi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non ſuis ſermonibus Sacerdos, ſed utitur ſermonibus Chriſti*: ad referendum autem quaſi hiſtoricé, Chriſtum id dixiſſe, opus non eſſet uti ſermonibus Chriſti, & nomine Chriſti; cum ſuis ſermonibus, ſuoque nomine id poſſet narrare Sacerdos: imò id ipſum rectè narraret dicens: *Chriſtus dixit, hoc eſſe corpus ſuum*: ergo ſentit Ambroſius, verba debere dici à Sacerdote nomine Chriſti affirmativé. — *S. Thom. Ambr.*

81 Fortiùs ait Trident. *ſeſſ. 13. cap. 4.* ex veritate verborum conſecrationis colligi, panem converti in corpus Chriſti. Non autem id colligeretur, ſi conſecrans non diceret ea verba affirmativè in Perſona, & nomine Chriſti. Si enim non dicerentur affirmativé, non aſſereretur, nec ullo modo ſignificaretur per ea, hunc panem nunc converti in corpus; ſed Chriſtum dixiſſe de pane illo ſuæ Cœnæ, *Hoc eſt corpus meum*: ex qua veritate non colligeretur præſens converſio huius noſtri panis in corpus, ut eſt clarum. — *Trid.*

82 Præterea: ex eodem Concilio in conſecratione ponuntur ſub ſpeciebus aliqua vi verborum; aliqua per concomitantiam. At quæro: ſub ſpeciebus panis, quem hodie conſecrat Petrus, poniturne Corpus Chriſti vi verborum, quæ protulit Chriſtus nocte Cœnæ; an vi verborum, quæ hodie profert Petrus? Non primum: quia id dicitur poni vi verborum quod neceſſe eſt ad verificanda verba: poſitio autẽ hodiernæ Corporis Chriſti ſub ſpeciebus huius panis non eſt neceſſaria

Digitized by Google

ria ad verificanda verba, quæ protulit Chriſtus nocte Cœnæ: cùm non affirmáverit, ſuum corpus eſſe ſub his ſpeciebus hodiernis; ſed ſub illis, quas præ manibus habebat. Dicendum igitur eſt ſecundum, ſcilicet, ſub his hodiernis ſpeciebus panis poni Corpus Chriſti vi verborum, quæ profert hodie Petrus Sacerdos in Perſona, & nomine Chriſti: non autem poneretur vi horum verborum, ſi non enunciativè, aſſertivé, & affirmativé proferrentur à Petro nomine Chriſti: ſi enim ſic non proferrentur, ſed ſolum recitaretur nunc in Miſſa, quòd Chriſtus olim dixit, ac fecit in Cœna; non eſſet neceſſaria hodierna poſitio corporis Chriſti ſub hodiernis ſpeciebus panis ad veritatem horum verborum.

83 Confirmatur ex ſignificatione eorum pronominum, *Hoc*, & *Hic*, quæ apud Adverſarios etiam denotant materiam eſſe præſentem: quod tamen neutiquam denotarent, ſi recitativè tantùm proferrentur: non enim affirmaret Sacerdos, Chriſtum diziſſe tunc ſuper hanc materiam hodiernam, *Hoc eſt*, *&c.* quia hæc materia non erat tunc Chriſto corporaliter præſens; ſed ſuper illam materiam tunc ſibi præſentem: ergo, ut per illa pronomina denotetur præſentia hodiernæ materiæ ad Sacerdotem, dicendum omninò eſt, ea verba proferri hodie à Sacerdote nomine Chriſti non ſolùm recitativé, ſed abſolutiſſimé affirmativé.

84 Obijcies. Si proferrentur affirmativè à Sacerdote non eſſent vera: ergo ſolùm recitativé. Probatur antecedens: quia Sacerdos affirmativè dicens, *Hoc eſt corpus meũ*, ſignificaret corpus ſuum potius quàm corpus Chriſti: quæ tamen aſſertiva ſignificatio falſa eſſet. Confirmatur: quia adhuc ſignificando in conſecratione calicis ſanguinem Chriſti, non eſſent vera, dicunt enim: *Hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis effundetur*: nequit autem hodie Sacerdos verè affirmare de ſanguine Chriſti, eſſe ſanguinem, *qui effundetur*: cùm jam fuerit effuſus in Paſſione, non iterum effundendus. Ut ergo veré dicantur verba conſecratoria, dici neceſſe eſt recitativé tantum, & non affirmativé.

85 Reſpondetur communiter, & benè, negando antecedens: vel potius diſtinguendo: ſi á Sacerdote in perſona propria, & nomine ſuo, concedo; ſi in perſona, & nomine Chriſti, nego antecedens, & probationem: ſic enim loquens Sacerdos per vocem, *meũ*, non ſignificat corpus ſuum, ſed Chriſti, in cuius perſona, & nomine id affirmat. Sic affirmans olim Angelus in Rubo *Exod. 3.* ad Moyſen: *Ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham*; verè loquebatur: quia nomine Dei id affirmans, non de ſe, ſed de Deo id affirmabat, cuius Perſonam agebat. *Exod.3.*

86 Opus eſt tamen ulteriori explicatione pro rei dignitate. Dupliciter poſſem uti pronominibus, *Ego*, & *Meum*, loquens nomine alterius. Uno modo, ſignificando me ipſum, quamvis quod efficio efficiam in poteſtate alterius, & in hoc ſenſu, nomine alterius. Sic miniſter baptizans ait: *Ego te baptizo*, ſignificans utique per vocem, *Ego*, ſe ipſum, quamvis quod ſic facit, ſcilicet baptizare, efficiat nomine Chriſti, id eſt in poteſtate, & virtute Chriſti. Alio modo, & quidem ſpecialiori, ſignificando, non ſolum id, quod loquẽdo efficio, nõ mea, ſed alterius poteſtate efficere, quinetiã, & ipſam loquutionẽ, non eſſe nomine meo, ſed in perſona, & nomine alterius. Sic loquebatur nomine Dei Angelus Exod. 3. & quidem veriſſimé: *Ego ſum Deus*: quaſi non ipſe, ſed per ipſum loqueretur Deus. Et hoc ſtrictiori, ac ſpecialiori modo intelligi debent SS. Patres, & Cõcilia, præſertim Florentinum, quando pro veritate verborum conſecrationis ajunt, proferri à Sacerdote in Perſona, & nomine Chriſti. *Florent.*

87 Docuit totum id pro huius Sacramenti excellentia magiſtraliter S. Thom. *qu. 78. art.1.* in cuius Corp. legitur ſic: *Forma aliorum Sacramentorum proferuntur ex Perſona Chriſti, ſive per modum exercentis actum, ſicut cum dicitur: Ego te baptizo: ſed forma huius Sacramenti*, Euchariſtiæ ſcilicet, profertur quaſi *ex perſona ipſius Chriſti loquentis: ut detur intelligi, quòd Miniſter in perfectione huius Sacramenti nihil agit, niſi quód profert verba Chriſti.* *S.Thom.*

88 Ad confirmationem dicunt aliqui apud Dicaſt illum *dub.1.* verbum, *effundetur*, à Sacerdote nunc prolatum non reſpicere ad effuſionem cruentam Paſſionis, ſed ad incruentam ipſius Euchariſtiæ: ſic autem verè affirmat nunc Sacerdos de futuro illum eſſe ſanguinem, qui effundetur. Communiter tamen reijcitur iſte ſenſus apud Vaſq *diſput.* 199. nam SS. Patres illud verbum, *effundetur*, dictum de ſanguine, ſicut verbum, *tradetur*, dictum à Chriſto de corpore, referunt ad traditionem, & effuſionem cruentam in Paſſione. *Dicaſt.* *Vaſq.*

89 Satius eſt ergo dicere, adhuc juxta hunc ſenſum SS. Patrum, & communiorem inter Theologos eſſe vera verba noſtræ conſecrationis. Quia, quamvis affirmativé proferat Sacerdos verba illa eſſentialia, *Hic eſt*

lix sanguinis mei; subsequentia verò nō profert affirmativè, sed recitativè: respectivè nimirum ad tempus, quo illa dixit Christus ante Passionem: sic autem verè proferuntur: sicut cum recitamus ex Isaia: *Ecce virgo concipiet & pariet*: non quidem id dicimus affirmativè, id pro nunc enunciando in futurum; sed recitando, dictum id fuisse ab Isaia in tempus tunc sibi futurū. Hinc in forma ad confirmationem concedenda esset major, si ea quoque verba, *qui effundetur*, dicerentur à Sacerdote eodem modo affirmativè; at non sic dicuntur sicut priora: unde, concessâ minori, intellectâ de affirmatione verborum, *Hic est sanguis meus*, simul cum simili affirmatione verborum, *qui effundetur*; negatur consequentia. *Isai. 7.*

90 Tertia conclusio: formæ essentiales consecrationis proferuntur in Missa, nec solùm recitativè, nec solùm affirmativè; sed utroque modo, affirmativè, seu assertivè simul, & recitativè. Sic Authores tertiæ sententiæ. Quam prout de possibili vidimus in eius explicatione *num. 79* satis firmatam communibus modis loquendi in utroque illo sensu accipiendi; quibus similis esset, si mendico responderem: *Petrus dixit, quod, & ego tibi dico: argentum, & aurum non est mihi.* Ecce iterum in eisdem verbis sensum recitativum, & assertivum, non ibi invicem repugnantes. Prout de facto autem verba consecratoria proferri affirmativè vitium est *ibi num. 80.*

91 Probatur jam, proferri etiam in Missa recitativè. Quia congruentissimum id est contexturæ nostri Canonis. Celebrans enim in clausula immediatè antecedenti, *Qui pridie, &c.* certissimè loquitur recitativè, & historicè; & continuò subjungit verba consecratoria, quæ cum actionibus ibi prænarratis protulit Christus: congruum ergo est, ut hæc etiam recitativè enarret, referens Christum ea tunc protulisse.

92 Confirmatur appositissimè ex significatione conjunctionis, *enim*: quæ quidem causalis est, indicans in ea loquutione rationem, qua excitarentur Apostoli ad accipiendum & manducandum devotè id quod Christus illis porrigebat: *accipite, & manducate: hoc est enim corpus meum*: id est: *quia hoc est corpus meum.* Atqui, si Sacerdos non diceret recitativè verba etiam consecratoria, non posset vox, *enim*, habere congruè prædictam significationem causalem: ergo dicūtur etiam recitativè. Probatur minor: quia celebrans recitans nomine suo, *Qui pridie, &c.* usquead, *accipite, & manducate ex hoc omnes*, si non progrederetur etiam recitativè ad verba consecrationis, inconcinnissimè diceret in sensu causali, *Hoc est enim, &c.* nam faceret hunc præcisse textum: *Christus fregit, deditque, dicens*, de illo scilicet pane, quem in Cœna benedixerat & præ manibus habebat, *accipite, & manducate ex hoc*: quin (cogita, celebrantem iam non progredi recitativè, sed solum affirmativè dicere super panem sibi præsentem) *hoc est corpus meum.* Quis in hoc non videat inconcinnissimam contexturam, cùm consecratio panis hodierni nequeat esse ratio cōgrua data tunc Apostolis ad tunc manducandum quod Christus offerebat. Expedit igitur ad dilucidam Canonis nostri contexturā, quòd hæc etiā verba proferantur à celebrante recitativè, & historicè; non propterea negato sensu affirmativo.

93 Scio, propter hoc Patrem Bernal *Bern.* *ser. 2. §. 2.* dicere, particulam, *enim*, non esse ibi causalem, æquivalentem particulæ, *quia*; sed esse asseverativam, æquivalentem adverbijs, *certè*, *verè* cum adiutione ad asseverationem Christi *Ioan. 6. Caro mea verè est* *Ioan. 6.* *cibus.* Bene, video, vocem, *enim*, secundum se capacem esse utriusque significationis, vel causalis, vel asseverativæ. Cæterum negare illi significationem causalem in eo loco Canonis, est contra communem sensum Expositorum. Et quidem in Græco in eo loco Evangelij, ubi continetur forma consecrandi vocī Latinæ, *enim*, correspondet Græca, *gar*, quæ apud ipsos significationem habet tantummodò causalem, ut Bernalius ipse Græcismi peritissimus confitetur. *Bernal.*

94 Fortè dicat aliquis, posse particulam, *enim*, habere simul ibi duas significationes; causalem, quatenus sermo ille est recitativus; & asseverativam, quatenus est assertivus. Sed obstare videtur Textus Græcus, qui ibidem utitur particulâ significationis dumtaxat causalis, ideòque particula, *enim*, solum proferetur recitativè, ut benè notat *Haunol.* Haunold. *num 877.* Pro praxi celebrans intendat in omnibus ijs sensum, quem intendit Ecclesia, prout ad ritè consecrandum opus est iuxta institutionem Christi.

95 Objicitur Ambrosius ubi supra dicens, quòd dum pervenitur ad consecrationem, *Iam non suis sermonibus Sacerdos; sed utitur sermonibus Christi.* Unde arguitur sic: verba quæ quis loquitur nomine suo non loquitur nomine alterius: ergo si nomine suo proferret Sacerdos recitativè verba consecratoria, non eadem proferret nomine alterius assertivè, aut è contra: sed certum est ex conclusione secunda, ea proferre Sacerdotem assertivè nomine Christi, quinimo addit *Ambr.*

Am-

Ambroſius excluſivam : *non ſuis ſermonibus Sacerdos* : ergo non ea profert Sacerdos recitativé,& nomine ſuo.

96 Reſpondetur, Ambroſium intendiſſe ad ſenſum aſſertivum illorum verborum, qui præcipuus eſt, & neceſſarius ad valorem, *ex concl.* 2. potiùs quam ad recitativum, qui neceſſarius ad valorem non eſt *ex concl.* 1. quamvis congruentiſſimus contexturæ,& ritui noſtri Canonis. Eatenus autem dixiſſe excluſivé, quod Sacerdos non ſuis,ſed Chriſti ſermonibus utitur ; quatenus quod ibi præcipuum habetur, eſt quod illa verba ſint Chriſti; &, ſi in eo ſenſu aſſertivo proferuntur phyſicé à Sacerdote, proferuntur ab illo non ſuo nomine; ſed in Perſona, & nomine Chriſti. Idque vocat Ambroſius, Sacerdotem non uti ſermonibus ſuis,ſed Chriſti, id eſt multó potius Chriſti, quàm ſuis: imitatus utique ſcripturæ phraſim, qua dixit Chriſtus Ioan.7. *Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui miſſit me* : non proinde negans omninó eſſe ſuam: & *Matth.* 10. ad Diſcipulos : *Non enim vos eſtis qui loquimini; ſed Spiritus Patris veſtri*: non perinde omninó negans, Diſcipulos loqui; ſed ſic ſignificans,Spiritui Sancto multo potius, quàm illis, tribuendam eſſe ciuſmodi loquutionem. Ad argumentum ſubjunctum negatur antecedens, quando eadem verba in duplici ſimul ſenſu proferuntur, ut dicimus de conſecratorijs. Sic enim cum profert celebrans, *Hoc eſt corpus meus*, refert nomine ſuo, Chriſtum id olim dixiſſe in Cœna ſuper illum panem; ſimulque id ipſum affirmat nomine Chriſti ſuper hunc panem hodie ſibi præſentem.

Ioan.7.

Mat. 10.

97 Dicis. Qui loquitur recitativè, & hiſtoricé, affirmat dumtaxat, talia verba fuiſſe dicta ab alio,& ſive fuerint vera, ſive non, ſalvat ſuam veritatem : ſed qui loquitur aſſertivé,affirmat id quod verba ſignificant,nec ſalvat ſuam veritatem, niſi verba vera ſint: ergo qui loquitur affirmativé,u: celebrans in conſecratione, non loquitur recitativé. Rurſús: ſi recitativé loqueretur, ea verba hodiernæ conſecrationis referrentur ad antiquam conſecrationem panis Dominicæ Cœnæ,ſuper quem ſolùm dixit tunc Chriſtus, *Hoc eſt corpus meum*:atqui referri debent ad hodiernam conſecrationem panis nunc præſentis celebranti, ſupra quem dicit nomine Chriſti, *Hoc eſt corpus meum:* ergo non loquitur Sacerdos ea verba recitativé.

98 Reſpondetur diſtinguendo majorem: qui loquitur dumtaxat recitativè,& hiſtoricè, concedo; qui recitativé ſimul,& affirmativè, nego majorem. Hic enim non ſalvat ſuæ loquutionis veritatem,ſi verba, quæ loquitur, vera non ſint ; quia quamvis per ea recitet, ſimul per ea affirmat quod loquitur; ut in variis exemplis vidimus *num.* 79. & 91. Unde,conceſsâ minori; negatur conſequentia. Ad inconveniens, quod rurſus obtenditur, dicendum eſt, eadem verba conſecratoria prælata hodie à celebrante referri ad conſecrationẽ antiquã panis Cœnę Domini,& ad conſecrationem hodiernã panis nunc præſentis: diverſimodé tamen ; ad illam recitativé, id eſt illam memorando, & narrando, prout peracta tunc fuit à Chriſto ſuper illum panem; ad iſtam verò aſſertivè, id eſt illam affirmando,& nunc peragendo ſuper iſtum panem. In quo nihil eſt implicantiæ. Sic autem expoſitis, & conciliatis præmiſſis, nulla eſt conſequentia.

Lug.

99 Movit dubium Cardin. Delugo *num.* 48. & 120. an hoc extendendum ſit ad verba illa: *accipite & manducate* : quòd nẽpè ſimul etiam recitativé,& aſſertivé, aut potiùs exhortatoriè proferantur à celebrante.Et ait, quòd utroque etiam modo. Sed meliùs id negat Haunoldus *num.* 887. quia affirmativé, ſeu exhortatoriè nunc dicta nomine Chriſti, nec dirigi congruè poſſunt ad Apoſtolos jam non manducaturos, ſicut in nocte Cœnæ; nec ad intereſſentes Miſſæ : qui ſæpé nullus intereſt, & proferri iubentur ſubmiſsâ voce, imperceptibili ut plurimum ab intereſſentibus: ac proinde non ad illos directâ. Solùm igitur recitativè proferuntur. Nec authoritates SS. Patrum, quas pro ſe allegat Delugo, aliud probant, niſi quód verba illa, *accipite*, *& manducate* ; non ſunt Evangeliſtarum utcumque; ſed Chriſti :& ſi quid aliud probarent, probarent eſſe eſſentialia formæ conſecrationis, quòd falſum eſt.

Haunol.

SECTIO VII.

Quomodo verborum veritas ſalvetur,& ſe habeat ad effectum conſecrationis.

100 SCotus *in 4. diſt 8. quæſt. 2.* & Gabr. *Lect. 48. in Canonem* docuerunt, non eſſe vera verba conſecrationis, attentâ ſignificatione juxta humanam vocum inſtitutionem; ſed juxta ſpecialem inſtitutionem Chriſti,& intentionem Sacerdotis. Ratio: quia juxta ordinariam hominum inſtitutionem verbũ,*eſt*,cùm ſit de præſenti, ſignificat rẽ eſſe quo tẽpore profertur propoſitio: at quando profertur, *Hoc eſt corpus meum*, nondum id eſt corpus Chriſti, donec propoſitio præterierit: ergo, attentâ ordina-

riâ vocum inſtitutione, ea propoſitio non eſſet vera. Sicque vera ſunt verba iuxta ſpecialem tantum inſtitutionem Chriſti ex intentione Sacerdotis ſignificantis illud eſſe corpus Chriſti, finitâ ſcilicet ea verborum prolatione.

Caiet. Suar. Vaſq. Lug. Dicaſt.

101 Dicendum eſt tamen cum Caiet. Suar. Vaſq. Delug. & Dicaſtillo eos citante *diſp. 3. dub. 11.* ſalvari verborum veritatem iuxta ordinariam etiam humanam vocum inſtitutionem. Ratio, ſimulque ſolutio ad oppoſitam, eſt: quia iuxta vulgatum intelligendi morem apud homines, ex quorum inſtituto, & ad quorum uſum voces ſignificant, neceſſe ſemper non eſt ad veritatem propoſitionis vocalis de præſenti, quòd id, quod affirmatur eſſe, ſit in eo ipſo inſtanti phyſico, quo affirmatur: ſufficit, quòd ſit tunc moraliter circumcirca, ſive paulò ante, ſive paulo poſt inſtans illud phyſicum, ſpectatis de more circumſtantijs loquutionis. Patet ex uſu: vere namque dicimus verbo de præſenti: *Ecce iam ſileo*: quamvis dum id dicimus non ſileamus: *vide quam pulchrum characterem efformo*: quamvis non, dum id dicimus, ſed aut immediatè ante, aut immediatè poſt hoc dictum efformemus. Ad hunc ergo morem vulgatiſſimum verum eſt, *Hoc eſt corpus meum*, ex uſu morali humano ſic dictum de præſenti iuxta humanam etiam vocum inſtitutionem, quamvis non niſi in inſtanti phyſico finitæ propoſitionis incipiat illud eſſe corpus Chriſti.

102 Dices: ergo in conſecratione calicis non fit converſio in Sanguinem immediatè poſt illa verba, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, donec finiatur clauſula uſque ad, *Remiſſionem peccatorum*: aut ſaltem id non ſatis colligitur ex præciſâ verborum veritate. Quandoquidem propoſitio de præſenti aliquid affirmans ſatis eſt vera, ſi illa finitâ, aut pauló poſt, ſit illud, quod affirmat eſſe. Similiterque, ſi Sacerdos diceret: *Hoc eſt corpus meum humanum*, neceſſe non eſſet ad veritatem, quòd ſtatim atque dixiſſet, *Hoc eſt corpus meum*, eſſet ibi Chriſtus; ſed ſufficeret, ſi poſt vocem, *humanum*.

103 Confirmatur. Ut propoſitio vocalis completè ſignificet, debet eſſe omninò abſoluta, & completa: non autem cenſetur completa donec conſtet, nihil ſuperaddi: alioquin qui diceret, *Chriſtus non eſt in Sacramento paſſibilis*, jam fuiſſet Hæreticus per priora verba. Ex quo duo videntur contra nos inferri. Primum, ex veritate formæ non ſatis colligi, fieri converſionem in ſanguinem, donec finiatur tota illa clauſula formulæ calicis, ut contendebat Card. Capiſutechus, à nobis reiectus *ſect. 4.* Secundum, nec fieri in ipſomet inſtanti, quo tota illa clauſula finitur, donec ſignificetur nullum aliud verbum ſuperaddi: ad quod cognoſcendum requiritur aliqua mora temporis.

104 Hæc probant ſaltem, verum eſſe quod diximus *ſect. 4. num. 64.* non fore contra veritatem illorum verborum: *Hic eſt calix ſanguinis mei*; ſi Chriſtus inſtituiſſet, ut potuit, quod, quando ſubjungerentur, *novi, & æterni*, &c. hæc etiam verba conſecrarent, retardato effectu uſque ad, *Remiſſionem peccatorum*. Quia tamen obiectio procedit de facto, negatur pars prior illationis ob rationem aſſignatam loco cit. cum Dicaſtillo. *Dicaſt.* Ad poſteriorem verò partem dico, ex veritate verborum colligi quidem converſionem iuxta Trid. ut dicemus *diſp. 7. ſec. & 1.* *Infra diſp. 7.* Quod autem converſio fiat in eo ipſo inſtanti phyſico, quo finitur, *Hic eſt calix ſanguinis mei*; non colligitur ex præciſâ veritate horum verborum utcumque: nam, ut diximus, humano more loquendi ſalvatur veritas propoſitionis de præſenti, ſi res ſit, aut fiat circumcirca inſtans phyſicum prolationis; colligitur tamen ex veritate verborum iuxta circumſtantias occurrentes in rigoroſioti ſignificatione, in qua Eccleſia accipit ea verba prout à Chriſto inſtituta: taliter nimirùm, ut nullum debeat eſſe inſtans phyſicum poſt eorum legitimam prolationem, in quo non ſit ibi ſanguis Chriſti, & ut talis adoretur à Fidelibus citra dubium. Et idem eſſet in ſimili, ſi diceretur: *Hoc eſt corpus meum humanum*: non enim expectaretur hæc ultima vox ad præſentiam corporis ob eamdem rationem.

105 Ad confirmationem fatemur, ſignificationes vocum pendere interdum à ſubſequentibus, à quibus ſignificatio earumdem vocum ſolet varié determinari. Certè enim, ſi dicam, *Tullius Patriam liberavit*, intelligor de Perſona Tullij; ſi dicam, *Tullius legendus tibi eſt*, intelligor de libris; ſi dicam, *Tullius iacet hic*, intelligor de cadavere; ſi dicam, *Tullius eſt nomen Oratoris*, intelligor de voce; ſi dicam, *Tullius marmoreus erectus eſt in Capitolio*, intelligor de ſtatua. Sic ergo veritas illius propoſitionis, *Chriſtus non eſt in Sacramento paſſibilis*, pendet quidem ab hac limitatione. Hæc autem dupliciter poſſet addi: uno modo taliter, ut in tota propoſitione fuerit intentio loquentis, loqui cum ea limitatione: & ſic non fuit per priora verba falsò loquutus: alio modo taliter, ut dum protulit, *Chriſtus non eſt in Sacramento*, intenderit id abſolutè

ſolutè enunciare ; mox verò, aut reſipiſcens, aut volens hæreſim celare, adderet, *paſſibilis*: & ſic iam fuit falsò loquutus, quamvis hæreſis non poſſet extetiùs probari : quia illa loquutio, *Chriſtus non eſt in Sacramento*, haberet completam ſignificationem humanam ex intentione proferentis, quamvis audiens poſſet decipi per additamentum, *paſſibilis*, ideòque expectet per aliquam morulam. An id eſſet ſatis, ut talis proferens incurreret pœnas hæreſis externæ diſcutit cu-
Dicaſt. riosè Dicaſtillus *á num. 216.* poſt Delugo *á num.140.*

106 Ex ijs in forma, conceſsâ maiori confirmationis, diſtingui poteſt minor : propoſitio vocalis non cenſetur completa, donec conſtet nihil ſuperaddi, ſi ſuperadditur ex intentione ſemper habitâ limitandi, aut ampliandi ſignificationem, concedo; ſi quod ſuperadditur, nec eſt limitativum, nec ampliativum, aut non additur ex intentione limitandi, nec ampliandi ſubdiſtinguo : non cenſetur completa ab audientibus neſcientibus intentionem loquentis, concedo : ideòque illi expectant tantiſper, ſi forte loquens ſiſtat, aut vocem aliquam addat : non cenſetur cõpleta ab eo, qui ſciret intentionem loquentis, nego. Unde ad rem præſentem nihil infertur contra noſtram doctrinam. Nam prior illatio nulla eſt ex dictis ſupra, ſumptis verbis formæ calicis, ut oportet de facto, iuxta inſtitutionem Chriſti, & ſenſum Eccleſiæ. Poſterior autem abſolutè negatur. Nã Deus, penes quem eſt operari converſionem Euchariſticam ad prolationem verborum, benè novit, intentionem Sacerdotis ſufficienter ſignificatam per verba illa priora eſſentialia non limitari per ſubſequentia, ſed aliquatenus magis explicari: quod non tollit prioribus ſufficientem vim ſignificativam ſui objecti pro eo inſtanti phyſico, quo finiuntur: quamvis homines ſoleant adhuc dubitare de abſoluta ſignificatione propoſitionis jã prolatæ, donec aliàs dignoſcant, ſiſtatne proferens, an ultra progrediatur.

107 Circa modum, quo veritas Verborum ſe habet ad effectum conſecrationis, obſervari oportet, diverſum quid eſſe in verbis, ſicut, & in cognitionibus, ſignificationem, & veritatem. Significatio eſt ipſa entitas propoſitionis ; veritas dicit præterea conformitatem cum objecto: hoc eſt, objectum ita ſe habere. Unde eſt, quòd iſta propoſitio, *Petrus legit* ; quidquid Petrus agat, ſive legat, ſive ludat, ſuam retinet ſignificationem; quia ſemper ſignificat, & dicit, Petrum legere: non ſic ſuam veritatem : nam ſi Petrus re ipſa legit eſt vera; non verò, ſi non legit, ſed ludit.

108 S. Thom. *quæſt. 78. art. 5.* docet, *S.Thom.* veritatem verborum conſecrationis non præſupponere ſuum ſignificatum; ſed facere Quòd ſpectat aliorum loquutio dicentium, verba, non ſolùm ut ſignificativa, quin etiam ut vera, cauſare conſecrationem. Cùm enim ſint verba Dei, habent prout talia, veritatem intrinſecam, & eſſentialem : quemadmodum ergo verba ſunt præſuppoſitivè ad effectum conſecrationis, ita, & eorum veritas : ac proinde conſecratio eſt à verbis ut veris, & eſt effectus veritatis verborum. Sic etiam Henaus *diſp.12 ſec.1.n.14.*

109 Scotus tamen, Suarez, Tannerus, *Hen.* Beccanus, & alij apud Dicaſtillum *dub. 12.* *Scot.* ajunt, verba, ut ſignificativa, eſſe cauſam *Suar.* conſecrationis; non ut vera, Nam eorum *Vaſq.* veritas ſupponit conſecrationem iuxta illud: *Tann.* *Ex eo quod res eſt, vel non eſt, oratio eſt* *Bec.* *vera, vel falſa* : ergo conſecratio, ſeu con- *Dicaſt.* verſio ſupponitur ad veritatem verborum, ſicque non cauſatur à veritate. Simili argu- *Cather.* mento probabat Catherinus *cit. nn.1.* Chriſtum non conſecraſſe verbis: & probari poſſet, verba non dici à Sacerdotibus affirmativè contra quod diximus *ſect. 6.* Confirmatur: Veritas huius actûs, *Hoc eſt corpus meum*; conſtituitur tanquam ex partibus ex ſignificatione, quæ eſt ipſe actus, & ex obiecto, ſcilicet ex eo quod re ipſa iſtud ſit jam corpus Chriſti: ergo converſio in corpus Chriſti, ſicut etiam ſignificatio actûs, præſupponitur naturâ ad veritatem actûs, ſicut ſingulæ partes ad totum, quod conſtituunt: ergo converſio cauſatur ab actu, ut ſignificativo, ſeu ab eius ſignificatione ; non autem ut verò, ſeu ab eius veritate: ſicque conſecratio fit, ut actus ſit verus; non quia verus eſt.

110 Conciliari hæc forte poſſunt diſtinguendo in actibus eſſentialiter, & intrinſecè veris duplicem veritatem: unam adæquatè ipſis intrinſecam; extrinſecam aliam partim, & partim intrinſecam. Stat illa in ipſa entitate actûs eſſentialiter determinatiſſimi ad nihil cognoſcendum aliter ac eſt ; iſta, in entitate actûs, & in obiecto habente ſe ſicut aſſeritur. Unde ad difficultatem dici poſſet, veram eſſe ſententiam S. Thomæ, loquendo de veritate adæquatè intrinſeca verborum: quæ nimirum, prout ſunt loquutio Dei, ſunt eſſentialiter vera : hæc enim veritas intrinſeca, utpote non conſtituta ex ipſa reali conſecratione, ſed adæquatè identificata cum verbis, eſt cauſa conſecrationis, eamque præcedit ſicut ſignificatio, & entitas actûs : & hoc dumtaxat convincit ratio S. Thom. Cæterùm, loquendo de veritate partim intrinſecâ, & partim extrinſecâ, in qua convenit actus

essentialiter verus cum accidentaliter vero, verum habet sententia Scoti : & hoc solùm convincere videtur eius ratio.

111 In qua tamen, ne nimis videamur concedere Catherino, observandum est, quòd præcedentia illa obiecti ad veritatem actûs, debet esse tempore, quando actus dicit, obiectum tempore præcessisse. Quando verò dicit, obiectum esse de præsenti, adhuc cum eo rigore, quo diximus verificari verba consecratoria; non opus est quòd existentia obiecti præcedat tempore ad actum; sed quòd sit in eo instanti temporis, pro quo obiectûm asseritur esse, quamvis sit pro posteriori naturæ ad entitatem, & significationem actûs, causando videlicet existentiam obiecti pro eo instanti reali: hoc enim sufficit, ut illa ipsa loquutio de præsenti dicat verè tale obiectum esse, quamvis obiectum sit dependenter, seu causatum ab ipsa. Ut, si petas à me carmen, & dico: *En tibi compositum quod quæris profero carmen*, hæc mea loquutio verissima est, quia carmen est in instanti, quo illa finitur, quamvis illâ ipsâ loquutione fiat carmen.

SECTIO VIII.

Quam verborum variationem, transmutationem, & interruptionem patiantur verba formæ consecrationis

112 PRima conclusio. Variatio idiomatis non tollit valorem consecrationis. Unde consecraret Sacerdos, quâvis illicitè, si Hispanicè, Gallicè aut Italicè verba proferret. Quinetiâ, si ex uno verbo Latino, alio Hispano, alio Italico formam compaginaret. Dicastillus *disp. 1. de Sacr. in gen. disp. 1. nu 179.* — *Dicast.*

113 Secunda. Variatio, seu commutatio verborum in scripturam, aut nutus tolleret valorem. Nam in omnibus Sacramentis, dempto contra Canũ Matrimonio, requiruntur essentialiter ex institutione Christi verba strictim ore prolata per definitionem Innoc. III. *lib 4. decret. c. 23.* ex quo clariùs Concil. Florent. Ergo ita requiruntur verba ad consecrandum, ut per scripturam, & nutus neutiquam consecraretur. Dicastillus *num. 48. & 136.* — *Canus lib. 8 de loc. c. 5.* — *Dicast.*

114 Tertia. Variatio verborum per depravationem pronunciationis, sive detractione, sive additione, sive permutatione in alia verba synonima, non tollit valorem, dummodo substantialiter salvetur eadem significatio, & intentio. Deducitur præsertim ex Zachria Papa: qui *Tit. de consecratione, dist. 4. c. 82.* validum definivit Baptismum collatum à Sacerdote idiota per hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & spiritus Sancta*, cum intentione rectâ agendi, & loquendi juxta mentem Ecclesiæ. Si enim per vocem, *Patria*, intendisset significare non Patrem, sed Patriam, non baptizasset. Hinc decidantur sequentes casus. — *Zachar.*

115 Primus. Consecraret Sacerdos, qui per depravatam pronuntiationem diceret: *Hic est calis sanguinis mei: Hoc est corpus meun: Hog est corpos meos.* Quia variatio accidentalis est, & eadem retinetur significatio substantialis iuxta morem satis communem corumpendi terminationes vocabulorum. Dicastillus ubi supra, Bernal *disp. 6. de Sacr. & Henao sec. 1.* — *Dicast. Bern. Hen.*

116 Secundus. Consecraret qui diceret: *Hoc est corpus meus: Hac est calix sanguinis mea.* Quia nec mos iste loquendi contra rectam grammaticam tollit substantialem significationem orationis. Idem. Quæ notare oportuit per hæc exempla: non, ut ita fiat datâ operâ, aut negligenter, hoc enim esset malum; sed nè nimia anxietate exprimendi voces violentissimè, aut scrupulosiùs repetendi, te, & alios fatiget celebrans, & indecentis gestibus risum provocet. Sotus *in 4. dist. 13. q. art. 2.* cuius appositissima verba refert Henaus n. 28. — *Sot. Hen.*

117 Tertius. Consecraret varians per additionem, dicens: *Hoc est corpus meum sacrosanctum: natum ex Virgine: Hoc est sanguis meus pretiosus.* Notandum tamen ex dictis *sec. 5.* quòd in hoc casu non fieret consecratio per verba ista superaddita, sed per priora essentialia. Solùm dicimus, ejusmodi additionem non impedire effectum consecrationis: nisi fortè intentio esset consecrare per omnia, & non aliter.

118 Quartus. Consecraret varians per per transpositionem dicens: *Hoc corpus meum est: Hoc est meum corpus: sanguis meus est hic.* Quia non immutatur sensus, aut significatio. Dubium est de hac forma: *Hac corpus est meum.* Validam putant Gabr. Henrriq. & Pitigianus apud Dianam, & Leandrum citatos ab Henao *num. 28.* Invalidam, Valentia, Fagund. & Præpositus; quia vox, *meum*, sic posita solùm videtur significare quasi possessionem: ut cum dicimus: *hoc pallium est meum*: sic autem de quolibet humano corpore posset dicere Christus *hoc corpus est meum*: possessivè scilicet ratione dominij: non ergo significaretur per eam loquutionem, illud esse corpus Christi constitutivè, prout opus est ad consecrationem, — *Gabr. Henrr. Pitig. Hen. Valen. Fagun. Præpos.*

Hæc

Hæc tamen ratio ſolum probat, eam loquutionem ſo e æquivocam. Unde, ſi proferetur ex intentione poſitivè ſignificandi, non valeret; valeret verò ſi conſtitutivè.

119 Quintus. Conſecraret varians per interruptionem brevem. Ut, ſi inter unum, & aliud verbum deſineretur aliquantiſper v. g. ad expuendum, ad emungendas nares, aut abigendam muſcam. Quinimo, & quâvis verbulum aliquod impertinens interponeret, v. g. *Hoc eſt enim (Puer ades huc, pulſa campanulam) corpus meum.* Quia juxta humanum loquendi morem ejuſmodi diverſiones non tollunt ſenſum orationis. Secùs, ſi interruptio tanta foret, ut non videretur oratio moraliter continuata. Bern. *ſec. 4. num. 70.* — *Bern.*

120 Sextus. Conſecretet varians verba in alia æquivalentia, dicens: *Illud eſt corpus meum. Hæc ſubſtantia eſt corpus meum! Hoc contentum eſt ſanguis meus.* Suar. *diſp. 59 ſec. 2. Ecce corpus meum.* Hoc tamen poſtremum negant Fagund. & Gamacheus apud Henaum *num. 29.* id affirmantem cum Delugo. Qui dicerent *Hic eſt cibus meus:* non conſecraret. Leander *tom. 2. tract. 7. diſp. 9.* — *Suar.* — *Fagund.* *Gamac.* *Hen.* *Lug.* *Leand.*

121 Quid de hac forma: *Hæc eſt caro mea?* Invalidam putant Suarez, Alenſis, Conine apud Dianam *par. 5. trac. 14 num 76.* Validam, Caſpenſis, Henrr. Fagund. & Henao. Qui addit ex Delugo, ſic haberi in quadam Liturgia Maronitarum. Imò Chriſtum per eam conſecraſſe inſinuat S. Cyprianus, quem tamen excuſat Henaus *nu 24.* & meritò; cùm credibilius ſit Chriſtum conſecraſſe verbis, quibus ex traditione S. Petri utitur Eccleſia Romana. Fagundez *cap. 7. á num. 14.* — *Alen.* *Suar.* *Conine.* *Dian.* *Caſpen.* *Henrr.* *Fag.* *Hen.*

122 Quid de iſta: *Hoc eſt corpus Chriſti?* Validam putant Caſpen. Leand & Monteſinos apud Henaum *num. 27.* Invalidam communiùs alij. Quia talis loquutio non videtur proferri à Sacerdote nomine Chriſti; ſed nomine ſuo de Chriſto, ut de tertia perſona. Forma verò conſecrativa proferri debet nomine Chriſti. Similiter eſſet invalida iſta: *Illud eſt corpus meum:* quia huiuſmodi loquutio non ſignificat Chriſtum præſentem. Caſpen. & Henaus *n. 19.* — *Caſp.* *Leand.* *Monteſ.* *Hen.* *Caſp.* *Hen.*

123 Quid, ſi Sacerdos poſt verba immediata, *accipite, & manducate*, continuaret in accuſativo: *Hoc corpus meum?* Error fuit Eraſmi Chriſtum ſub hac forma conſecraſſe, de quo Fagundez *cap. 6. num. 16.* ex Suarez. Nec conſecraturum valide Sacerdotem ſub prædicta forma tenet Henaus cum Suar. Vaſq. Fagund. Henriq. & Granado. Quia de ſubſtantia formæ eſt ſignificare, Chriſtum in facto eſſe eſſentem ſub ſpeciebus. Unde inferunt, invalidas etiam eſſe has formas: *Hoc ſit corpus meum: hoc fiet, aut ſit corpus meum: Conſecro, vel conſiato corpus meum ex hac pane.* Quia non tam ſignificant identitatem inter id quod demonſtratur, & corpus; quàm converſionem in fieri. — *Fag.* *Suar.* *Her.* *Suar.* *Vaſq.* *Fagund.* *Henrr.* *Gran.*

124 Quid tandem de verbis illis Apoſtoli: *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine?* Diximus *num. 22.* eſſe veram formam, quidquid contradicat Amicus *diſp. 24. num. 30.* Reſtat indagandus verus ſenſus, de quo Vaſquez *diſp. 99. cap. 4.* Quoticies, *teſtamentum*, ſumitur interdum pro ſcriptura; interdum pro ipſa hereditate; interdum pro pacto, ſtudere, ſeu conditione ſub qua legatur hæreditas: ſicque dicimus *Hæc tibi lego cum hoc pacto, cum hac ſanctione, ſeu conditione.* Sic ergo ſanguis effuſus, ſeu mors Chriſti fuit conditio, ſeu fœdus, ſub quo promiſſa nobis erat à Deo remiſſio peccatorum. En jam ſenſum Pauli: *Hic calix eſt teſtamentum*, pactum ſeu fœdus *ſanguine meo:* id eſt, ipſe meus ſanguis effuſus, ſub cuius conditione promiſſa eſt peccatorum remiſſio in hæreditatem æternam: *novum*, inquam: quia vetus erat in ſanguine hircorum, & vitulorum. Plura pulchrè Vaſquez cit. — *1. Cor. 11.* — *Amic.* *Vaſq.*

125 Obſerva, prædictas doctrinas procedere, etiamſi in illis variationibus verborum intenderet Sacerdos mutare ritum Eccleſiæ, quinetiam, & errorem inducere. Sic latè Bern. *diſp. 6. de Sacr. ſec. 2.* ſequutus Vaſquez, & Delugo contra Antonin. Richard. Sotum, & alios. Do rationem, & exemplum. Quamvis enim Græcus exiſtimans, ea verba, *quod pro vobis tradetur*, debere eſſentialiter addi in forma Corporis, ea adderet animo corrigendi Romanam Eccleſiam ea omittentem, & introducendi ſuum errorem; poſſet tamen ſimul cum ea exiſtimatione, eoque animo, habere intentionem faciendi quod, & quomodo fieri debet, ut creduntur feciſſe plures Græci: aliàs nunquam conſecraviſſent, quod durum eſt. In eo autem caſu iam Sacerdos ille diceret verba ſufficientia cum intentione ſufficienti: ergo conſecraret, quamvis adderet alia verba intendens etiam ritum immutare, & errorem inducere. — *Bern.* *Vaſq.* *Lug.* *Anton.* *Richar.* *Sot.*

126 Limitat tripliciter obſervationem iſtam Bernal. Primò: niſi Sacerdos addens illa verba intenderet conſecrare per omnia, & nullatenus aliter: ſic enim non conſecraret, ut vidimus *á num. 68.* non ob additamen- — *Bern.*

mentum verborum, ſed ob defectum intentionis. Non eſt tamen ſic præſumendum, niſi probetur. Secundò: niſi adderetur verbum deſtruens ſignificationem formæ eſſentialis: ita ut forma per illud additamentum reſtringeretur ad ſignificandum errorem Sacerdotis. V. g. ſi putans Chriſtum non habuiſſe verum corpus, diceret: *Hoc eſt corpus meum phantaſticum.* Tertiò: niſi per illud additamentum fieret forma æquivoca ad ſignificandum, ſive veritatem, prout opus eſt; ſive errorem deſtruentem talem veritatem, & Sacerdos hoc poſterius intenderet ſignificare. V. g. ſi diceret: *Hoc eſt corpus meum dividendum*: per hanc enim formam non conſecraret, ſi intenderet ſignificare corpus membratim dividendum; benè verò ſi diſtribuendum, ut fit in varijs hoſtijs ad multos communicantes. Conſequenter videtur dicendum à Bernal, eum, qui diceret, *Hic eſt ſanguis meus*, intendens per errorem voce, *hic*, ſignificare non pronominaliter, ſed adverbialiter, *in hoc loco*; non conſecraturum: quamvis alioquin vellet facere quod facit Eccleſia: quod videtur duriuſculum. Idcircò tertiam hanc limitationem recuſant Delugo, & alij. *Lug.*

127 Objicies contra obſervationem, quòd Zacharias Papæ relatus *num.* 114. reſpondit, formam Baptiſmi ibi memoratam eſſe validam, ſi Miniſter non intendebat hæreſim, aut errorem: ſequitur enim à contrario ſenſu, fore invalidam, ſi Miniſter errorem intenderet. Confirmatur ex S. Thom. *q.* 60. *art.* 8. dicente, eum qui mutat verba formæ cum animo inducendi novum ritum non videri conferre validè Sacramentum: quia non videtur habere intentionem faciendi quod facit Eccleſia. Reſpondetur, rectè id dixiſſe Pontificem: nam de eo, qui non intendebat errorem, aut novum ritum, non poterat eſſe ſuſpicio animi non ſe conformandi cum intentione Eccleſiæ. Non tamen inde ſequitur invaliditas ex eo præciſè quòd Miniſter ſic mutans intendat errorem, aut novum ritum; ſed locus manens tali ſuſpicioni, ſeu dubitationi, intenderit ſe Eccleſiæ conformare, necné. Unde nequit ita abſolutè reſolvi, ejuſmodi formas ſic immutatas ab intendente errorem, aut novum ritum, eſſe validas; ſed cum diſtinctionibus & limitationibus ſupra adhibitis. Ad confirmationem ſimiliter dic, S. Thom. intelligendum iuxta primam limitationem num. præcedentis, ut ſatis indicat ratio ipſa. *Zachar.* *S. Thom.*

S. Doctoris.

* *
*

DIS-

DISPUTATIO XXIIII. ET V.

DE

SIGNIFICATIONE, ET VI VERBORVM Euchariſtiæ.

1 IN clauſulis conſecrátorijs ſunt verba eſſentialia: *Hoc eſt corpus meum*: *Hic eſt calix ſanguinis mei*: Et ſunt verba extraeſſentialia, & non de neceſſitate Sacramenti; ſed præcepti: ut ſunt in utraque clauſula vox, *Enim*; & in clauſula Calicis voces: *Novi, & aterni teſtamenti, Myſterium Fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* In Evangeliſtis, & in Paulo omnia hæc verba, quamvis non ſimul in uno, leguntur; præter, *Myſterium Fidei*, quæ in nullo illorum extant. Creditur tamen omnia fuiſſe a Chriſto prolata, ſicque tradidiſſe S. Petrum Eccleſiæ Romanæ. De ſignificatione extraeſſentialium dicemus obiter *ſect.* 1. de ſignificatione, & vi eſſentialium deinceps ex profeſſo. 2. Canon.

SECTIO I.

Declaratur obiter ſignificatio verborum extraeſſentialium conſecrationis.

2 DE particula, *Enim*, quid, & quomodo ſignificet, diximus *diſp. 4. à num. 43.* Ea coniunctio in forma Corporis à nullo Evangeliſta, nec à Paulo adhibetur; in forma Calicis adhibetur à Matthæo. Utrobique adhibitam fuiſſe à Chriſto conſecrante, quamvis omiſſam ab Evangeliſtis, credimus ex uſu Eccleſiæ edoctæ à S. Petro. *Supra diſp. 4. ſect. 6.*

3 De voce, *calix*, quæ, quamvis eſſentialis ſit iuxta conſtructionem formæ, qua utimur; non eſſet eſſentialis ſi diceretur: *hic eſt ſanguis meus*; dubitatur primò, quare apponatur? Secundó, quid ſignificet? Reſpondetur ad primum, apponi, ut expreſſiùs ſignificetur ſanguis, ut proximè potabilis: vel, ut hoc etiá nomine ſignificetur Paſſio Chriſti, nomine calicis ſæpius in Scripturis propoſita. Ad ſecundum dico, ſignificare, non ipſum vas, continens, ſed potum contentum in vaſe per metonymiam: quo tropo dicimus vulgó: *bibi vas aquæ*: hoc eſt aquam in vaſe contentam: & Chriſtus promittens Matt. 10. præmium largienti *calicem aquæ*, intellexit nomine calicis aquam. *Mat. 10.*

4 De vocibus, *novi, & aterni teſtamenti*, ait Vaſquez videndus *diſp. 99. teſtamentum* ſumi aliquando pro ſcriptura; aliquando pro ipſa hæreditate; aliquando pro pacto, fœdere, ſeu conditione, ſub qua diſponitur hæreditas: & in hoc ultimo ſenſu ſumitur hìc *teſtamentum*: quia ſanguis Chriſti per paſſionem, & mortem effuſus, fuit fœdus, ſeu conditio, ſub qua promiſſerat Deus remiſſionem peccatorum, & hæreditatem æternæ gloriæ. Dicitur autem, *novi, & aterni*: *Novi*, quia tunc primò fuit à Chriſto ex parte ſua impletum noviter fœdus iſtud in ſanguine ſuo, à differentia teſtamenti veteris, quod erat in ſanguine hircorum, & viculorum. *Æterni*: vel quia à multis retro ſæculis erat præfiguratum, & ſub ea conditione promiſſum, & ab æterno decretum; vel quia ad hæreditatem æternam ordinatum. Hinc intelliges formam illam conſecrandi calicem ſcriptam ab Apoſtolo 1. Cor. 11. *Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine*; quaſi dixerit: *fœdus ſanguinis mei*; id eſt: *San-* *Vaſq.* 1. Cor. 11.

ſanguis ipſe meus effuſus: ſub cuius fœdere, ſeu conditione promiſſa eſt peccatorum remiſſio in hæreditatem æternam.

5 De vocibus : *Myſterium Fidei:* quas nec Evangeliſtæ, nec Paulus appoſuerunt, quamvis credamus à Chriſto conſecrante prolatas ; dubitatur, quid ſignificent? Et reſpondetur ſignificare, hoc Sacramentum eſſe unum ex Myſterijs abſtruſioribus Fidei noſtræ, in quo aliud oculis appareat, & aliud latet : vel eſſe aptiorem repreſentationem mortis Chriſti, quæ fuit Myſterium à ſæculis abſconditum, in ſacrificijs veteribus præfiguratum, in hoc Sacramento quoad victimam oblatam realiter contentum, & quoad ipſam obiationem cruentam per effuſionem ſanguinis, mirabiliter repreſentatum.

Suar. 6 De vocibus : *qui pro vobis, & pro multis*, ait Suarez videndus *diſp 60.* vel ſignificare effi aciam ſanguinis Chriſti *pro vobis*, id eſt pro Apoſtolis, ibi tunc præſentibus; *& pro multis*, id eſt, pro alijs prædeſtinatis. Sed obſtare videtur, quòd inter tunc præſentes aderat Iudas non prædeſtinatus, nec eam efficaciam ſanguinis Chriſti adepturus. Vel ſignificare quoad ſufficientiam *pro vobis*, id eſt, pro Iudæis, ſive pro Sacerdotibus; *& pro multis*, id eſt, pro omnibus alijs hominibus.

Supra diſp. 4. ſect. 6. 7 De verbo, *effundetur*, diximus *diſp. præc. num 89.* recitativè tantum a nobis celebrantibus proferri, & relatè ad effuſionem cruentam in Paſſione.

8 Tandem voces : *in remiſſionem peccatorum* : ſignificant fructum effuſionis ſanguinis Chriſti in ſatisfactionem pro peccatis noſtris.

S. Thom. 9 Si roges, cur hæc verba extraeſſentialia addantur formæ eſſentiali conſecrationis ſanguinis, potius quàm Corporis? Reſpondetur ex S. Thom. *quæſt. 78. art. 3.* quia magni ponderis ſunt ad exprimendos præcipuos fructus Paſſionis, & Mortis Chriſti pro nobis, in cuius commemorationem voluit Chriſtus, ut hæc faceremus quotieſcumque fecerimus. Quoniam verò in ſanguine vi verborum ſeorſim ſignificato in hoc ſacrificio vividius, & expreſſiùs quodammodo repreſentatur cruentum Chriſti morientis ſacrificiũ; ideò congruentius fuit, ea verba extraeſſentialia ſubjũgi eiſdẽtialibus formæ cõſecratoriæ Calicis, potius quàm Corporis. Addi poteſt, per conſecrationem Calicis compleri eſſentialiter ſacrificium Euchariſticum incruentum, conſiſtens in utraque conſecratione, ut dicemus *diſp. ult.* & repreſentativum cruenti. Congruentius autem fuit, quòd hæc verba extraeſſentialia declarantia fructus ſacrificij cruenti, adderentur poſt conſecrationem Calicis, qua completur eſſentialiter incruentum. Veniamus jam ad verba eſſentialia.

Infra diſp. ult.

SECTIO II.

Quid ſignificetur in forma Conſecrationis per pronomina demonſtrativa, Hic, *&* Hoc.

10 SUpponitur, vocem, *Hic*, in Forma Calicis, non eſſe adverbium locale, ſed pronomen demonſtrativum; ſicut vox, *Hoc*, in Forma Corporis. Quinimò ajunt, & meritò Vaſquez *num. 31.* & Henaus *num. 19.* non conſecraturum qui diceret adverbialiter: *Hic eſt ſanguis meus*: Hiſpanè : *Aqui eſtà mi ſangre* : quia hæc loquutio vera eſſet, quamvis maneret ibi ſubſtantia vini inconverſa, cùm ſolum requirat ad ſui veritatem Chriſti, ſanguinem eſſe in eo loco, ſive cum, ſive ſine vino: Unde non æquivalet formæ conſecrativæ ſignificanti illud contentum eſſe ſanguinem Chriſti, & requirenti ad ſui veritatem, quòd ſub illis ſpeciebus non ſit contentum, quod non ſit ſanguis Chriſti. *Vaſq. Hena.*

11 Pronomen, *Hoc*, (& ſimiliter, *Hic*, in ſua formâ) ſignificare ſubſtantiam panis manentem cum corpore Chriſti, fuit quorumdam error. Quem non ſatis correxit Alenſis, docens, ſignificare ſubſtantiam panis, non manentem, ſed converſam in ſanguinem Chriſti : ut ſenſus ſit : Hoc (ſcilicet panis) *tranſit in corpus meum.* Non, inquam, ſatis: quia ſi ſemel conceditur, Hoc, demonſtrare ſubſtantiam panis, nimis conceditur prædicto errori. Præterea: verba, *hoc eſt corpus meum*, vera ſunt cum verbo, *eſt*, ex Trident. *ſeſſ. 13. cap. 4.* in prædicto autem ſenſu non niſi violentiſſimè verificarentur : nam aliud eſt, panem tranſire in corpus Chriſti; aliud eſt, eſſe corpus Chriſti: ſicut aliud eſt cõverti in aquam, & eſſe aquam. Ideò diximus *diſp. præc ſect. 8.* has non eſſe validas formas conſecratorias : Hoc *ſit corpus meum*: Hoc *convertitur in corpus meum.* *Alenſ.* *Trid.* *Supra diſp. 4.*

12 Alij dicunt, pronomen Hoc, demonſtrare accidentia panis. Quia, inquiunt, demonſtrat aliquid, quod eſt tempore, quo profertur ea demonſtratio de præſenti : hoc autem ſolum ſunt accidentia : nam corpus Chriſti non eſt ſub ſpeciebus, quando incipit demonſtrando ea propoſitio; nec ſubſtantia corporis Chriſti donec tota finitur: ergo. Contra tamen eſt : quia ſic æquivalenter, &

cla-

Digitized by Google

clariùs diceretur verè: *Hæc*(ſcilicet accidentia) *ſunt corpus Chriſti*: quod tamen eſt pluſquam falſum. Tum quia ex Trident.ſupra cit. verbum, *eſt*, ſumitur ibi veriſſimè in ſua propriâ ſignificatione: ſi autem pronomen, *Hoc*, directè demonſtraret accidentia panis, quæ realiter non ſunt corpus Chriſti, quomodo verè diceretur: *Hoc eſt corpus*? Ad rationem oppoſitam negatur maior, ut explicabitur infra.

13 Alij dicunt, pronomen, *Hoc*, demonſtrare contentum ſub accidentibus panis indeterminatè tamen, ſeu abſtrahendo à ſubſtantia panis, quod eſt contentum ante, & à ſubſtantia corporis Chriſti, quod eſt contentum poſt abſoluta verba conſecrationis. Sic S. Thom. Bellarm. Suar. & Durandus apud Amicum *diſp.24.ſect.3.* & complures Moderni: quibus adhærere videtur Haunol. *contr.3.n.866.*

S.Thom. Bellarm. Suar. Duran. Amic. Haunold.

14 Tria mihi placent in hac ſententia. Primum, quod ait, pronomen, Hoc, ſignificare directè contentum ſub his accidentibus. Secundum, quòd ait, conſignificare obliquè accidentia. Tertium, quod ſupponit contentum ſub ijs accidentibus, ſecundum ſe, & ut ſic ſumptum, eſſe quid abſtractum commune ſubſtantijs panis, & corporis Chriſti: nam utrique convenit ratio contenti ſub ijs ſpeciebus; non ſimul, ſed ſucceſſivè contenti.

15 **Unum tamen mihi maximè diſplicet, quod dicitur, pronomen, Hoc, ſignificare indeterminatè, & abſtractè contentum ſub his accidentibus. Sic enim eſſet iſte ſenſus vagus: *Aliquod contentum ſub ijs accidentibus eſt corpus meum*: qui ſenſus minimè conſonat pronomini, Hoc, demonſtrativo, determinativo, & individuativo. Unde ſic perſtringo Moderniores; non enim credo, ſic defendi à Doctoribus Angelico, & Eximio ſententiam iſtam. Quamvis, Homo, ſecùndum ſe ſit terminus indifferens ad hunc, vel illum; qui tamen demonſtrativè dicit, *hic homo*; ſignificat determinatè talem hominem: Sic igitur, quamvis, *contentum ſub ijs accidentibus*, ſecundum ſe ſit terminus indifferens ad hoc, vel illud contentum; qui tamen demonſtrativè dicit, Hoc, ut habetur in formâ conſecrationis, non jam indeterminatè, & vagè; ſed individualiter, & determinatè ſignificat quod ſub accidentibus continetur, identificatum ſcilicet cum corpore Chriſti.**

16 **Concluſio. Pronomen, Hoc, in forma conſecrationis ſignificat, ac demonſtrat determinatè, ac directè corpus Chriſti contentum ſub accidentibus panis, obliquè** etiam conſignificatis. Sic Vaſquez *diſp.* 205. Amic. cit. Bernal *diſp.39.num. 62.* Henaus *diſp.12.nu.19.*

Vaſq. Amic. Bern. Hena.

17 Ratio. Quia ibi ſignificatur demonſtrativè, ac determinatè cõtentũ ſub accidẽtibus panis, quod cõtẽtũ identificatur realiter cum corpore Chriſti: nam de contento non realiter identificato cum corpore Chriſti non poſſet verè dici, eſſe corpus Chriſti: atqui contentum realiter identificatum cum corpore Chriſti, nequit eſſe niſi ipſum corpus Chriſti, quocumque nomine, ſive pronomine ſignificetur, ſeu demonſtretur: ergo quod directè ſignificatur ibi pronomine demonſtrativo, Hoc, eſt determinatè ipſum corpus Chriſti, quamvis aliter ſignificatum.

18 Nec ideó dicas, ſic fieri illam propoſitionem omninó idemticam, ac ſi diceret: *corpus Chriſti eſt corpus Chriſti.* Negatur enim: ſicut propoſitio, *homo eſt animal rationale*, non eſt ſicut iſta, *animal rationale eſt animal rationale*, quamvis ex parte objectorum idem ſint; quia in una objectum idem ſignificatur eodem modo ex parte ſubjecti, ac ex parte prædicati; in alia obiectum idem diverſo modo.

19 Nec obeſt, quòd quando profertur initio propoſitionis pronomen, Hoc, nondum contentum ſub ſpeciebus panis ſit corpus Chriſti, non ibi poſiti donec finitur propoſitio. Vidimus enim *diſp. præc. ſect.7.* pet eam propoſitionem non ſignificari eſſe corpus Chriſti id quod ſub illis ſpeciebus continetur, quando incipitur propoſitio; ſed id quod continetur, quando abſolvitur.

Supra diſp.43

20 Quód autem ſimul conſignificentur obliquè accidentia panis, patet: nam ſenſus eſt, hoc quod continetur ſub his accidentibus, eſt corpus Chriſti: qui modus dicendi, quamvis non requirat ad ſui veritatem, accidentia eſſe corpus Chriſti, non poteſt non demonſtrare, & conſignificare obliquè illa accidentia: ſicut hæc propoſitio, *paries eſt candidus*, non prædicat directè de pariete candorem; nequit tamen prædicare directè de pariete ſubiectum candoris, quin obliquè conſignificet candorem adiacentem tali ſubjecto.

21 Objicies contra concluſionem: quód Chriſtus dixit: *manducate ex hoc omnes: hoc eſt enim corpus meum*: ſed in prioribus verbis, ablativus, *ex hoc*, utpotè præcedens ad verba conſecratoria, non ſignificat, nec demonſtrat corpus Chriſti: ergo neque in poſterioribus nominativus, Hoc: idem enim demonſtratur per unum, ac per alium. Reſpondetur negando minorem, ac proinde

Cum quis quatuor regionum. Et quia ex his quatuor regionibus, quæ sunt Asia, Europa, Africa, & Arabia, Asia est maior, & Europa minor, & Africa minor, & Arabia minor, ideo dicit, quod Asia est maior regionum. Et Europa minor, & Africa minor, & Arabia minor. Et quia Asia est maior, ideo dicit, quod in ea sunt quatuor regiones, quæ sunt Persia, Media, Babylonia, & Assyria. Et quia Persia est maior, ideo dicit, quod Persia est maior regionum. Et Media minor, & Babylonia minor, & Assyria minor. Et quia Persia est maior, ideo dicit, quod in ea sunt quatuor regiones, quæ sunt Parthia, Hyrcania, Carmania, & Gedrosia. Et quia Parthia est maior, ideo dicit, quod Parthia est maior regionum. Et Hyrcania minor, & Carmania minor, & Gedrosia minor. Et quia Parthia est maior, ideo dicit, quod in ea sunt quatuor regiones, quæ sunt Bactriana, Sogdiana, Arachosia, & Aria. Et quia Bactriana est maior, ideo dicit, quod Bactriana est maior regionum. Et Sogdiana minor, & Arachosia minor, & Aria minor. Et quia Bactriana est maior, ideo dicit, quod in ea sunt quatuor regiones, quæ sunt Margiana, Drangiana, Aracosia, & Gedrosia. Et quia Margiana est maior, ideo dicit, quod Margiana est maior regionum. Et Drangiana minor, & Aracosia minor, & Gedrosia minor. Et quia Margiana est maior, ideo dicit, quod in ea sunt quatuor regiones, quæ sunt Hyrcania, Carmania, Gedrosia, & Parthia. Et quia Hyrcania est maior, ideo dicit, quod Hyrcania est maior regionum. Et Carmania minor, & Gedrosia minor, & Parthia minor. Et quia Hyrcania

Quando ex Rescripto Principis Filius Familias Testamentum facere potest.

Si Filius Familias Testamentum facere ex Rescripto Principis petierit, & impetraverit, & Testamentum fecerit, & decesserit, Bona ejus Patri non adquirentur, sed ipsi Filio, quasi Patre mortuo.

Quando Filius Familias Testamentum facere potest sine Rescripto Principis.

Filius Familias Testamentum facere potest de Castrensi Peculio, sine Rescripto Principis, & de Bonis Maternis, de quibus Pater ejus Usumfructum habet.

Quando Filius Familias Testamentum facere non potest.

Filius Familias Testamentum facere non potest de Bonis Paternis, nec de Bonis Maternis, de quibus Pater ejus Usumfructum habet, nec de Bonis Adventitiis, nisi Rescripto Principis impetrato.

Quando Filius Familias Testamentum facere potest de Bonis Adventitiis.

Si Filius Familias Testamentum de Bonis Adventitiis fecerit, & Pater ejus Usumfructum habeat, & Filius ante Patrem decesserit, Bona Adventitia Patri non adquirentur, sed Filio, quasi Patre mortuo.

Quando Filius Familias Testamentum facere potest de Bonis Paternis.

Si Filius Familias Testamentum de Bonis Paternis fecerit, & Pater ejus Usumfructum habeat, & Filius ante Patrem decesserit, Bona Paterna Patri non adquirentur, sed Filio, quasi Patre mortuo.

Quando Filius Familias Testamentum facere non potest de Bonis Maternis.

Filius Familias Testamentum facere non potest de Bonis Maternis, de quibus Pater ejus Usumfructum habet.

Quando Filius Familias Testamentum facere potest de Bonis Maternis.

Si Filius Familias Testamentum de Bonis Maternis fecerit, & Pater ejus Usumfructum habeat, & Filius ante Patrem decesserit, Bona Materna Patri non adquirentur, sed Filio, quasi Patre mortuo.

Quando Filius Familias Testamentum facere non potest de Bonis Adventitiis.

Filius Familias Testamentum facere non potest de Bonis Adventitiis, nisi Rescripto Principis impetrato.

Quando Filius Familias Testamentum facere potest de Castrensi Peculio.

Si Filius Familias Testamentum de Castrensi Peculio fecerit, & Pater ejus Usumfructum habeat, & Filius ante Patrem decesserit, Bona Castrensia Patri non adquirentur, sed Filio, quasi Patre mortuo.

Quando Filius Familias Testamentum facere non potest de Castrensi Peculio.

Filius Familias Testamentum facere non potest de Castrensi Peculio, nisi Rescripto Principis impetrato.

Quando Filius Familias Testamentum facere potest de Quasi Castrensi Peculio.

Si Filius Familias Testamentum de Quasi Castrensi Peculio fecerit, & Pater ejus Usumfructum habeat, & Filius ante Patrem decesserit, Bona Quasi Castrensia Patri non adquirentur, sed Filio, quasi Patre mortuo.

Quando Filius Familias Testamentum facere non potest de Quasi Castrensi Peculio.

Filius Familias Testamentum facere non potest de Quasi Castrensi Peculio, nisi Rescripto Principis impetrato.

Quando Filius Familias Testamentum facere potest de Bonis Paternis.

Si Filius Familias Testamentum de Bonis Paternis fecerit, & Pater ejus Usumfructum habeat, & Filius ante Patrem decesserit, Bona Paterna Patri non adquirentur, sed Filio, quasi Patre mortuo.

Quando Filius Familias Testamentum facere non potest de Bonis Paternis.

Filius Familias Testamentum facere non potest de Bonis Paternis, nisi Rescripto Principis impetrato.

Quando Filius Familias Testamentum facere potest de Bonis Maternis.

Si Filius Familias Testamentum de Bonis Maternis fecerit, & Pater ejus Usumfructum habeat, & Filius ante Patrem decesserit, Bona Materna Patri non adquirentur, sed Filio, quasi Patre mortuo.

Quando Filius Familias Testamentum facere non potest de Bonis Maternis.

Filius Familias Testamentum facere non potest de Bonis Maternis, nisi Rescripto Principis impetrato.

Quando Filius Familias Testamentum facere potest de Bonis Adventitiis.

Si Filius Familias Testamentum de Bonis Adventitiis fecerit, & Pater ejus Usumfructum habeat, & Filius ante Patrem decesserit, Bona Adventitia Patri non adquirentur, sed Filio, quasi Patre mortuo.

Quando Filius Familias Testamentum facere non potest de Bonis Adventitiis.

Filius Familias Testamentum facere non potest de Bonis Adventitiis, nisi Rescripto Principis impetrato.

Quando Filius Familias Testamentum facere potest de Castrensi Peculio.

Si Filius Familias Testamentum de Castrensi Peculio fecerit, & Pater ejus Usumfructum habeat, & Filius ante Patrem decesserit, Bona Castrensia Patri non adquirentur, sed Filio, quasi Patre mortuo.

Quando Filius Familias Testamentum facere non potest de Castrensi Peculio.

Filius Familias Testamentum facere non potest de Castrensi Peculio, nisi Rescripto Principis impetrato.

Quando Filius Familias Testamentum facere potest de Quasi Castrensi Peculio.

Si Filius Familias Testamentum de Quasi Castrensi Peculio fecerit, & Pater ejus Usumfructum habeat, & Filius ante Patrem decesserit, Bona Quasi Castrensia Patri non adquirentur, sed Filio, quasi Patre mortuo.

Quando Filius Familias Testamentum facere non potest de Quasi Castrensi Peculio.

Filius Familias Testamentum facere non potest de Quasi Castrensi Peculio, nisi Rescripto Principis impetrato.

quamvis Sacerdos, eas non videns in ſe neque in pixide, dirigeret intentionem ad illas: quia ſic non ſunt ſufficienter præſentes, ut modus ſignificandi verborum poſſit congruè ad illas dirigi.

33 Circa menſuram realis propinquitatis variè, & incertè loquuntur Authores. Quidam iudicant, materiam centum paſſibus diſtantem invalidè; decem, validè; quinquaginta verò dubiè conſecrari: quam regulam quoad ſecundam partem approbat; quoad primam improbat Bernal. Diſtantiam viginti paſſuum non efficere conſecrationi', iudicat Henriquez contra Palaum apud Henaū *diſp. 5. num. 42.* Rectè monet Tannerus, in hoc attendi oportere ad magnitudinem, & ſitum materiæ: nam res grandiores demonſtrari ſolent præſentes a maiori diſtantia, quàm minutiores. In praxi ſtandum Eccleſiæ uſui, á quo ut diſcedamus vix caſus occurret.

Bern. Henrr. Palau. Hen. Tanner.

34 Circa præſentiam verò ſenſibilitatis notandum ſupereſt, non eſſe neceſſe quòd materia conſecranda ſit præſens viſibiliter in ſe ipſa; neque quod viſibilis ſit reſpectu cuiuſcumque conſecrantis. Sufficit, ſi videatur in aliquo continente, ut in pixide clauſa; vel penes aliquem ſui partem: & quòd ſit taliter coram oculis, ut videretur, ſi potentia viſiva foret expedita. Declarabitur hoc ex reſolutione aliquorum caſuum.

35 Primus eſt. Conſecrabitur materia clauſa in vaſe viſo, quamvis ipſa in ſe non videatur. Nam ita videtur in alio continente, ut res ſic nobis præſentes,& coram appoſitas ſoleamus abſolutè demonſtare per, *Hoc*, & *Hic*; ut quando videntes ſaccos plenos tritico, aut dolia plena vino, dicimus: *hoc eſt triticum: hoc eſt vinum.* Dices: ergo poſſemus ſimiliter baptizare puerum clauſum in utero, nullatenus viſui in ſe præſentem. Negatur conſequentia: non ob defectum præſentiæ;ſed ob defectum phyſicæ ablutionis alioquin pro Baptiſmo requiſitæ,& in eius forma verborum ſignificatæ.

36 Secundus. Hoſtias non ſuper altare clauſas in pixide,ſed aſſervatas in ſacrario obſerato, eſſe validè ſic conſecrabiles, affirmat Leander ob rationem dictam de pixide; negant Palaus, Diana, & Henaus: quia Sacrarium non eſt conſuetum continens panis cõſecrandi: prout opus eſt, ut demonſtrando illud per pronomen *hoc* intelligi congruè poſſit, ac deſignari panis. Delugo dubius eſt. Bernal diſtinguit: ſi Sacrarium eſſet plenum hoſtijs, ita ut jam quaſi panis arca cenſeretur, affirmat; aliter, negat.

Lean. Palau. Dian. Hen. Lug. Bern.

37 Tertius. Conſecrabitur materia propinqua coram appoſita Sacerdoti cæco. Quia ſic eſt iam expoſita viſui, quamvis ex imperfectione ſua non illam videnti. Quocirca cæcum quotidie celebrantem ex diſpenſatione Pontificis, memorat Amicus *diſp. 16 ſect. 3.* Addit Bernal, conſecraturum talem cæcum, etiamſi ex ſola Dei revelatione noſſet, hoſtiam eſſe coram ſe.

Amic. Bern.

38 Quartus, Si Sacerdos proferret verba ſuper profundiſſimum vas plenum vino, cuius ſuperior tantùm ſuperficies exponitur viſui; aut ſuper panem extenſum circum aduſque viginti paſſus; tota illa materia conſecraretur: quia jam eſt præſens oculis ſecundum aliquam ſui partem, cum qua reliquæ faciunt quodammodo unum. Quod ſufficere videtur, ut in eiuſmodi circumſtantijs tota demonſtretur per *hoc*,aut, *hic*.

39 Limitant Suar. Meratius, Martinon, & Delugo, dummodò materia illa non protendatur ultra diſtantiam, in qua poſſet remotior pars ſeorſim etiam conſecrari. Unde panis per leucam extenſus non poſſet hinc à Sacerdote conſecrari: alioquin, ſi totum mare foret vinum, conſecrari poſſet é portu Barcinonenſi.

Suar. Merat. Mart. Lug.

40 Recuſant tamen limitationem Gaſp. Hurt. & Caſpenſis cum Vaſq. favente Di caſtillo *num. 201.* Quia, cum ſtantes ad oram maris dicimus, *hoc eſt mare*, non ſolum ſignificamus partes maris nobis propinquas;ſed ſimul cum illis alias remotiſſimas. Profectò; ſi Calix plenus haberet duas leucas profunditatis, veriſimile eſt, totum conſecratum iri, prolatis ſuper illum verbis: *Hic eſt Calix, &c.* Videtur hoc pendere à varijs circumſtantijs: & ſaltem indubium eſt, propter circumſtantiam continuationis dici nobis præſentes, atqueadeò fieri validè conſecrabiles partes eiuſdem materiæ, quæ ſeorſim in tanta diſtantia locali non dicerentur præſentes, nec eſſent hinc conſecrabiles.

Vaſq. Hurt. Caſpen.

SECTIO IV.

Quam etiam determinationem?

41 SUpponitur etiam ex uſu loquendi, pronomina, *Hoc*, & *Hic*, ſignificare obiectum aliquod determinatè. Unde ſuper materiam ex intentione Sacerdotis non determinatam, ſed vagam invalidè proferrentur verba conſecrationis: quia diſtraherentur à ſuo modo ſignificandi. De quo Tambur. *in Methodo celebrandi.* Hinc reſolvuntur ſequentes caſus.

Tambur.

42 Si, decem Hoſtijs tibi Sacerdoti præſentatis, proferres verba cum intentione, unam,

Lawes, Statutes, and Customes, which are in force within this Realme, and which doe not, and how they doe bind the Subiect.

Sect. 1. Of the Lawes of this Realme, they are principally three, viz. the Common Lawe, Statute Lawe, and Customes.

Sect. 2. The Common Lawe is grounded upon generall Customes, which have been alwayes used throughout the Realme, and have been alwayes taken and approved for Lawe.

Sect. 3. The Statute Lawe is the Lawe declared, altered, or established by Act of Parliament.

Sect. 4. Customes are certaine usages, which have been alwayes used in some parts of the Realme, but doe not extend throughout the Realme.

Sect. 5. The Common Lawe is the most ancient and true Lawe, and is called the Lawe of Reason, and is the Lawe which governeth in all generall cases.

Sect. 6. The Statute Lawe is the Lawe which governeth in all cases concerning Matters established by Statutes.

Sect. 7. Customes are the Lawes which governe in cases concerning Matters ordained by Customes.

Sect. 8. The Common Lawe is not to be found in any Written Lawe, but in the Records and Monuments of Antiquity, and in the Reports and Bookes of Learned Men in the Lawe.

Sect. 9. The Statute Lawe is to be found in Written Lawes, that is to say, in Records, Rolles, and Bookes of Parliament.

Sect. 10. Customes are to be found in the Records of Courts, and in the Memories of Men.

Sect. 11. The Common Lawe is the Inheritance of the Subiect, and is his surest Birthright, and Protection, and Defence.

Sect. 12. The Statute Lawe is the Lawe which declareth, altereth, or establisheth the Inheritance of the Subiect, and his Birthright, and Protection, and Defence.

Sect. 13. Customes are the Lawes which declare, alter, or establish the Inheritance of the Subiect, and his Birthright, and Protection, and Defence.

Sect. 14. The Common Lawe is the Lawe which is most favourable to the Subiect, and which doth most favour and maintaine Mens Rights.

Sect. 15. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Subiect, and which favoureth and maintaineth Mens Rights.

Sect. 16. Customes are the Lawes which are favourable to the Subiect, and which favour and maintaine Mens Rights.

Sect. 17. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Prerogative, and which doth most favour and maintaine the Kings Prerogative.

Sect. 18. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Prerogative, and which favoureth and maintaineth the Kings Prerogative.

Sect. 19. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Prerogative, and which favour and maintaine the Kings Prerogative.

Sect. 20. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Subiects, and which favoureth and maintaineth the Kings Subiects.

Sect. 21. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Subiects, and which favoureth and maintaineth the Kings Subiects.

Sect. 22. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Subiects, and which favour and maintaine the Kings Subiects.

Sect. 23. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Crowne, and which favoureth and maintaineth the Kings Crowne.

Sect. 24. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Crowne, and which favoureth and maintaineth the Kings Crowne.

Sect. 25. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Crowne, and which favour and maintaine the Kings Crowne.

Sect. 26. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Dignity, and which favoureth and maintaineth the Kings Dignity.

Sect. 27. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Dignity, and which favoureth and maintaineth the Kings Dignity.

Sect. 28. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Dignity, and which favour and maintaine the Kings Dignity.

Sect. 29. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Power, and which favoureth and maintaineth the Kings Power.

Sect. 30. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Power, and which favoureth and maintaineth the Kings Power.

Sect. 31. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Power, and which favour and maintaine the Kings Power.

Sect. 32. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Authority, and which favoureth and maintaineth the Kings Authority.

Sect. 33. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Authority, and which favoureth and maintaineth the Kings Authority.

Sect. 34. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Authority, and which favour and maintaine the Kings Authority.

Sect. 35. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Revenue, and which favoureth and maintaineth the Kings Revenue.

Sect. 36. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Revenue, and which favoureth and maintaineth the Kings Revenue.

Sect. 37. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Revenue, and which favour and maintaine the Kings Revenue.

Sect. 38. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Treasure, and which favoureth and maintaineth the Kings Treasure.

Sect. 39. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Treasure, and which favoureth and maintaineth the Kings Treasure.

Sect. 40. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Treasure, and which favour and maintaine the Kings Treasure.

Sect. 41. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Subsidies, and which favoureth and maintaineth the Kings Subsidies.

Sect. 42. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Subsidies, and which favoureth and maintaineth the Kings Subsidies.

Sect. 43. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Subsidies, and which favour and maintaine the Kings Subsidies.

Sect. 44. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Tenths, and which favoureth and maintaineth the Kings Tenths.

Sect. 45. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Tenths, and which favoureth and maintaineth the Kings Tenths.

Sect. 46. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Tenths, and which favour and maintaine the Kings Tenths.

Sect. 47. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Fifteenths, and which favoureth and maintaineth the Kings Fifteenths.

Sect. 48. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Fifteenths, and which favoureth and maintaineth the Kings Fifteenths.

Sect. 49. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Fifteenths, and which favour and maintaine the Kings Fifteenths.

Sect. 50. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Tonnage, and which favoureth and maintaineth the Kings Tonnage.

Sect. 51. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Tonnage, and which favoureth and maintaineth the Kings Tonnage.

Sect. 52. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Tonnage, and which favour and maintaine the Kings Tonnage.

Sect. 53. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Poundage, and which favoureth and maintaineth the Kings Poundage.

Sect. 54. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Poundage, and which favoureth and maintaineth the Kings Poundage.

Sect. 55. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Poundage, and which favour and maintaine the Kings Poundage.

Sect. 56. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Customes, and which favoureth and maintaineth the Kings Customes.

Sect. 57. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Customes, and which favoureth and maintaineth the Kings Customes.

Sect. 58. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Customes, and which favour and maintaine the Kings Customes.

Sect. 59. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Impositions, and which favoureth and maintaineth the Kings Impositions.

Sect. 60. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Impositions, and which favoureth and maintaineth the Kings Impositions.

Sect. 61. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Impositions, and which favour and maintaine the Kings Impositions.

Sect. 62. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Subsidies, and which favoureth and maintaineth the Kings Subsidies.

Sect. 63. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Subsidies, and which favoureth and maintaineth the Kings Subsidies.

Sect. 64. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Subsidies, and which favour and maintaine the Kings Subsidies.

Sect. 65. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Tenths, and which favoureth and maintaineth the Kings Tenths.

Sect. 66. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Tenths, and which favoureth and maintaineth the Kings Tenths.

Sect. 67. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Tenths, and which favour and maintaine the Kings Tenths.

Sect. 68. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Fifteenths, and which favoureth and maintaineth the Kings Fifteenths.

Sect. 69. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Fifteenths, and which favoureth and maintaineth the Kings Fifteenths.

Sect. 70. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Fifteenths, and which favour and maintaine the Kings Fifteenths.

Sect. 71. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Tonnage, and which favoureth and maintaineth the Kings Tonnage.

Sect. 72. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Tonnage, and which favoureth and maintaineth the Kings Tonnage.

Sect. 73. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Tonnage, and which favour and maintaine the Kings Tonnage.

Sect. 74. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Poundage, and which favoureth and maintaineth the Kings Poundage.

Sect. 75. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Poundage, and which favoureth and maintaineth the Kings Poundage.

Sect. 76. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Poundage, and which favour and maintaine the Kings Poundage.

Sect. 77. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Customes, and which favoureth and maintaineth the Kings Customes.

Sect. 78. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Customes, and which favoureth and maintaineth the Kings Customes.

Sect. 79. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Customes, and which favour and maintaine the Kings Customes.

Sect. 80. The Common Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Impositions, and which favoureth and maintaineth the Kings Impositions.

Sect. 81. The Statute Lawe is the Lawe which is favourable to the Kings Impositions, and which favoureth and maintaineth the Kings Impositions.

Sect. 82. Customes are the Lawes which are favourable to the Kings Impositions, and which favour and maintaine the Kings Impositions.

perſeverare intentio habita in Sacriſtia. Quid ſi poſitæ fuiſſent ab ædituo extra corporalia? Quid ſi poſt oblationem? Quid ſi in corporalibus extra aram? In nullo iſtorum trium caſuum conferentur conſecratæ. Quia, quamvis præceſſerit conventio illa, & intentio in Sacriſtia, non præſumendus eſt Sacerdos id voluiſſe illicitè peragere: Sic pro primo, & ſecundo caſu cõmunis ſententia. Et pro tertio Suar & Gavantus apud Tambur. *á num. 11.* contra Tannerum apud Dian. *part. 5. tract. 14. reſol. 19.*

Suar. *Gavant.* *Tambur.* *Tanner.* *Dian.*

SECTIO V.

Quid ſignificet vox, CORPUS, *in Verbis conſecrationis Panis.*

51 COrpus accipi ſolet quadruplici ter. Primò, univerſaliſſimè pro ente corporeo, ſivé materiali cõtrapoſito ſpirituali: & ſic lapis, materia 1. formæ brutorũ, albedo, color, & ijs ſimilia, ſunt corpora, & in hoc ſẽſu, corpus. Secũdó, prædicamẽtaliter pro ſubſtãtia completà corporeâ, ut Homo, Leo, Lapis. Tertió, mathematicè pro quantitate trinæ dimenſionis, contradiſtinctim à puncto, lineâ, & ſuperficie. Quartò, phyſicé, Theologicé, & Euchariſticè pro parte carnea, & oſſeâ animalis diſtincta ab anima & in ordine ad quam definimus animam cum Philoſopho: *Actus corporis phyſici, & organici potentia vitam habentis.*

Ariſt.

52 Tres primæ acceptiones, quamvis ad illas interdum à vi rationum, & ab ſcopo veritatis diffugiatur, non ſunt é re præſenti. Cúm conſtet ex Trident. *ſeſſ. 13. cap. 3.* ſermonem hic nobis eſſe de corpore in quartâ acceptione. Agitur enim de corpore Chriſti; prout ſignificatur verbis conſecrationis, ut pars humanitatis Chriſti diſtincta ab anima, & à ſanguine, & quam, ut loquitur Concilium, comitantur anima, & ſanguis; hoc autem eſt corpus phyſicum organicum, ſcilicet pars carnea, & oſſea Chriſti: quam utique SS. Patres nomine carnis paſſim ſignificant, edocti ab ipſo Chriſto, qui de hoc corpore dixit Ioann. *6. Caro mea verè eſt cibus.* Idcircò minùs expoſitum eſſet, aut æquivocationibus, aut tergiverſationibus, in multis argumentis uti nominibus carnis, oſſis, aliarumque partium ſolidarum corporis Chriſti, quàm nomine corporis, ut evitarentur inutiles tranſitus ab una acceptione corporis ad alias æquè tritas, & vulgares.

Trid. *Ioann. 6.*

53 Difficultas præſens, & gravis, eſt: quid dicat conſtitutivé CORPUS iuxta quartam iſtam acceptionem? Aut explicatiùs: quid conſtitutivé dicat pars illa phyſica, & organica, carnea, & oſſea humanitatis? & conſequenter, quid ſignificet vox, *corpus*, in verbis conſecrationis: in quibus iuxta Cõcilium, & Theologos ſignificat iuxta quartam illam corporis acceptionem. Hinc pendet etiam reſolutio alterius difficultatis utiliter decidendę *ſect. 9.*

54 Prima ſententia fuit Marſilij, Gabrielis & Maioris, aſſentiente noviter Henao *diſp. 8. ſect. 3.* apud quos corpus ſolùm dicit eſſentialiter materiam primam. Haud æquidem crediderim, hos Authores hoc dicturos, niſi recedendo ab ſcopo quartæ acceptionis corporis pro carne, & oſſibus: nõ enim auderent aſſerere, carnem dicere eſſentialiter ſolam materiam primam: aut ſi id auderent, dici eâdem laxitate, aut potiùs abſurditate poſſet, converſo in pulverem, vel cineres cadavere, adhuc ibi manere carnem, cùm maneat materia prima: & alia huiuſmodi potiùs deſpicienda, quàm impugnanda.

Marſil. *Gabr.* *Mai.* *Hena.*

55 Præterea. Materia prima non magis eſt ſub ratione corporis, quam ſub ratione, aut ſub forma ſanguinis Chriſti. Si ergo nomine corporis ſolum ſignificatur materia prima, non eſſet maior vis in voce, *corpus*, ad ſignificandum corpus, quàm ſanguinem Chriſti: unde ſtare non poſſet ſolemnis doctrina, quod per conſecrationem panis ponitur ex vi verborum ſub ſpeciebus panis corpus Chriſti, & non ſanguis; ſicut per conſecrationem calicis ſub ſpeciebus vini, ſanguis, & non corpus.

56 Dices fortè: ideó poni corpus, & non ſanguinem, quia corpus dicit materiam primam ſolam; ſanguis verò dicit aliquid præter materiam primam, quod non ſignificatur nomine corporis. Contra tamen dupliciter. Primó: quia, quamvis corpus non dicat illud aliquid, quod præter materiam primam dicit ſanguis; at certè ſanguis præter illud aliquid dicit materiam primam: ergo nomine ſanguinis poneretur vi verborum conſecrationis ſub ſpeciebus vini illud aliquid, & materia prima, quæ iuxta ſententiam iſtam eſt adæquatum ſignificatum nomine corporis: ergo vi verborum conſecrationis ſanguinis poneretur in calice adæquatum ſignificatum nominis, *corpus*, ac proinde, & corpus Chriſti, ſicut & ſanguis vi verborum: quod eſt aperté contra Concilium.

57 Secundó: quia ſub ſpeciebus panis ponitur vi verborum caro Chriſti, & ea quidem nomine corporis, ut eſt certum: ergo, quia nomen, *corpus*, prout in illis verbis accipitur, ſignificat carnem Chriſti, iuxta illud;

Digitized by Google

Ioan 6. *caro mea verè eſt cibus:* ſed caro Chriſti, ut patefecimus *num* 50. non eſt ſola materia prima, cum non minus, quam ſanguis dicat ei ſentialiter aliquid præter materiam primam: ergo ſimiliter,& corpus Chriſti, prout ſignificatum in verbis conſecrationis.

Henr. 58 Nec ſatisfacit quod propterea addit Henaus, corpus eſſe aut dicere materiam primam, non utcumque ; ſed cum reſpectu ad animam. Etenim, vel reſpectus iſte addit materiæ primæ pro conſtitutione corporis aliquid à parte rei diſtinctum à materia prima; vel non. Si non addit, nihil addidit P. Henaus per iſtum reſpectum ſententiæ volenti, corpus eſſe ſolummodo materiam primam.

59 Si quidquam addit ; quid hoc eſt, prævor, à parte rei? An anima ipſa? At deberet anima poni ex vi verborum nomine corporis ſub ſpeciebus panis contra Tridentinum, ut urgebimus contra ſecundam, & quartam ſententiam? An unio materiæ ad animam ? At deberet ſaltem poni unio ad animam vi eorumdem verborum : quod tamen eſt falſum: cùm ſtaret eorum ſignificatio, & veritas in triduo mortis Chriſti, quo tempore, nec poneretur unio ad animam ſub ſpeciebus, nec eſſet, à parte rei, ſtante tamen à parte rei corpore Chriſti. An modus aliquis ſuperadditus materiæ? At hic, ſi eſſet, accidentalis eſſet, utpote, ut aiunt eius Aſſertores, de prædicamento Relationis; ſicque non potens eſſe de eſſentiali conſtitutivo corporis, ut dicemus contra tertiam ſententiam.

60 Quodſi ſermo eſt de reſpectu tranſcendentali eſſentiali materiæ ad animam, ut id ſui formam,& actum; certè eiuſmodi reſpectus, qui eſt ipſa entitas materiæ primæ, ſecundum ſe, non magis eſt ad animam, quã ad alias formas, quas ſecundum ſe ſimiliter appetit Aliquid ergo aliud eſt à parte rei præter materiam id quo materia conſtituitur in ſpeciali reſpectu ad animam potius, quàm ad alias formas : hoc autem aliud diſtinctum á parte rei à materia prima, eſt quod cum materia prima conſtituit eſſentialiter corpus, carneum, & oſſeum, ſpecialiter reſpiciens animam, ut formam,& ut actum corporis phyſici. Non ergo corpus ſic dictum eſt ſola materia prima, niſi conſtituta eſſentialiter in ratione corporis per aliquid à parte rei diſtinctum ab entitate materiæ primæ

Caiet. Duran. Ferrar. 61 Secunda ſententia fuit Caietani, Durandi, & Ferrariæ apud Dicaſtillum, exiſtimantium, corpus dicere eſſentialiter, non ſolam materiam primam ; ſed præterea animam: non quidem ſub ratione animæ ; ſed ſub ratione formæ. Quia, inquiunt, corpus eſt ſubſtantia completa, alioquin locum non haberet in Prædicamento : materia autem nequit conſtituere ſubſtantiam completam ſine forma ſubſtantiali. Et etiam tranſitum enormem à quarta noſtra acceptione corporis ad ſecundam, quæ ad rem non facit, prout eas diſtinximus *num.*47.

62 Diſputo ſic. In anima ratio animæ, & ratio formæ non diſtinguuntur reſiitter: ergo ſi corpus dicit eſſentialiter animam in ratione formæ, conſtituitur eſſentialiter per materiam primam, & per aliquid realiter idemtificatum cum anima, quantumvis ratione diſtinctum. Cum igitur ex Trid. per conſecrationem ponatur ſub ſpeciebus panis corpus ex vi verborum, prout nomine corporis ſignificatur, dicendum eſſet, poni etiam ex eadem vi verborum aliquid realiter idemtificatum cum anima. Unde anima in ratione animæ poneretur etiam realiter ex vi verborum: nequirent enim verba eſſe vera, niſi ibi poneretur anima in ratione animæ : quia ſi non poneretur anima in ratione animæ, non poneretur anima in ratione formæ: cum hæ rationes ſint realiter idemtificatæ in eadem anima. Præterea anima non ibi poneretur per ſolam concomitantiam explicatam ibi à Concilio per coniunctionem naturalem cum corpore ; potius enim poneretur per realem idemtitatem cum ratione formæ poſitã ex vi verborum. Quæ omnia ſunt planè contra ſenſum, & verba Concilij : ergo quia corpus in ratione corporis, prout ſignificatur nomine corporis in verbis conſecrationis, non dicit eſſentialiter,& conſtitutivè animam, nec in ratione animæ, nec in ratione formæ.

63 Inſuper. Quod nunc ſignificat vox *corpus*, reperiebatur in Chriſto mortuo : taliter, ut ſi in eo triduo Apoſtoli conſecrarent iiſdem verbis noſtræ formæ conſecrationis, poneretur ſub ſpeciebus panis veriſſimè corpus Chriſti cum eſſentiali ſua corporis conſtitutione: ſine qua ſcilicet res conſtituta ſtare nequit. Atqui tunc nullatenus poneretur anima, nec in ratione animæ, nec in ratione formæ: utpote nec in ratione animæ, nec in ratione formæ, mortuo Chriſto, coniuncta cum corpore, ut cum iis ipſis Authoribus dicunt reliqui Theologi : ergo corpus præter materiam primam non dicit eſſentialiter conſtitutivè animam, nec in ratione animæ, nec in ratione formæ. Facient contra ſententiam iſtam à fortiori, quæ contra quartam dicemus *ſect.*7.

SEC.

SECTIO VI.

Tertia ſententia communis.

Arriag. Delug.

64 TRaditur ab Arriaga,& partim à Card. Delugo, & nimis invaluit apud Recentiores Philoſophos , & Theologos: qui docent, Corpus in hac Phyſica,& Theologicà acceptione, dicere eſſentialiter, & conſtitutivé diſpoſitiones , ſeu organizationes accidentales, quibus ajunt,materiam conſtitui in eſſe carnis, oſſis , nervi , & aliarum partium ſolidarum corporis phyſici.

65 Animadvertere in primis debuiſſent, inter diſpoſitiones accidentales materiæ, ut præconſtituta in ratione corporis animetur,eſſe organizationẽ,& figurã ſitualẽ per debitã partiũ diſtantiã, extenſionem, & ſymmetriam.Hoc autem accidentale, & quidem vulgarius, non habet corpus Chriſti in Euchariſtia ; cùm totum ſit in puncto : ubi tamen cõſtitutivè eſt veriſimum corpus Chriſti: ergo, quia corpus in ratione corporis non conſtituitur eſſentialiter per diſpoſitiones accidentales vulgares ; ſed per aliquid omninó ſubſtantiale abſolutiſſimè , & perfectiſſimé exiſtente realiter in Euchariſtia.

66 Cavere deinde debuiſſent duo abſurda fœ diſſima: unum in Philoſophia ; alterum in Theologia. Primum, quòd homo eſſentialiter conſtitueretur per accidentia. Secundum , quód in Euchariſtia ponerentur ex vi verborum ſub accidentibus panis accidentia Chriſti, ut calor, color , & alia huiuſmodi : quod recuſant , & meritò Authores huius ſententiæ cum S.Thom.*quæſt.76. art. 4.* & cum communi ſenſu Theologorum, qui inhærentes rationi concomitantiæ traditæ per Tridentinum *ſeſſ. 13. cap. 3.* ajunt accidentia Chriſti poni in Euchariſtia ratione dumtaxat coniunctionis connaturalis cum corpore, vel ſanguine poſitis ex vi verborum.

S.Thom.

Trident.

67 Probatur primum. Corpus juxta hanc ſententiam dicit præter materiam primam tales diſpoſitiones accidentales. Vel ergo dicit illas eſſentialiter; vel non eſſentialiter. Si non eſſentialiter ; ergo materia prima ſine talibus diſpoſitionibus haberet quidquid eſſentialiter dicit corpus, caro , os, nervus , &c. ſicque ubicumque detur materia prima, neceſſe erit dari corpus, carnem,oſſa, & nervos, quia ubi datur tota eſſentia rei neceſſe eſt dari rem. Hoc autem eſſet miſeré incidere in primam ſententiam impugnatam *ſect. præced.* & cogi dicere, ex vi verborum in calice poni corpus Chriſti contra Tridentinum: quia poſito ſanguine ex vi verborum ponitur materia prima. Si eas dicit eſſentialiter; ergo homo dicit eſſentialiter accidentia contra totã Philoſophiã inficiantẽ accidẽtia eſſe de conſtitutivo ſubſtantiæ,& ſuppoſiti.

68 Oſtenditur autem iſta conſequentia. Homo dicit eſſentialiter corpus , & animam : ergo dicit eſſentialiter , quidquid eſſentialiter dicit anima , & quidquid eſſentialiter dicit corpus : ergo ſi corpus dicit eſſentialiter accidentia,homo dicit eſſentialiter accidentia. Quemadmodum, quia homo dicit eſſentialiter materiam primam, dicit eſſentialiter quidquid eſſentialiter dicit materia prima : unde ſi materia prima dicit eſſentialiter quantitatem , hanc dicit homo eſſentialiter; & accidentaliter, ſi materia prima illam dicit accidentaliter : pariterque , quia homo dicit animam rationalem, dicit eſſentialiter quidquid eſſentialiter dicit anima rationalis : unde , ſi anima dicit eſſentialiter potentias identificatas realiter cum ſubſtantia animæ, ſic eas dicit eſſentialiter homo; & accidentaliter, ac diſtinctas, ſi diſtinctæ ab anima ſunt. Quæ quis in dubium vertat?

69 Confirmatur. Si homo eſſet eſſentialiter albus diceret abs dubio eſſentialiter albedinem , qua nempe conſtitueretur in eſſe albi: cùm ergo ſit eſſentialiter corpus, carneum,& anima rationalis unitim , dicere debet eſſentialiter , & intrinſecé id quo conſtituitur in eſſe corporis carnei. Si ergo conſtituitur in eſſe corporis carnei per accidentia, dicere neceſſe eſt eſſentialiter accidentia.

70 Audivi reſpondentes: corpus dicere eſſentialiter materiam primam , & diſpoſitiones accidentales ; more tamen concreti adiectivi, illam in recto; iſtas in obliquo:hominem autem dicere eſſentialiter id quod corpus dicit in recto, non quod de obliquo. Sed fruſtra. Res enim , quæ dicit eſſentialiter concretum intrinſecum etiam adjectivum, dicit eſſentialiter, & intrinſecé rectum, & obliquum concreti , rectum ſcilicet in recto,& obliquum in obliquo : ut patet in re, quæ eſſentialiter eſſet alba ; eo enim ipſo diceret eſſentialiter albedinem, ſive in recto,ſive in obliquo: eo ſcilicet modo , quo illam diceret tale concretum albi : à differentia rerum, quæ accidentaliter tantum albæ ſunt. Atqui homo eſſentialiter intrinſecé dicit eſſe corpus carneum,& animam unitim : Si ergo corpus carneum eſſentialiter intrinſecé dicit materiam,& diſpoſitiones accidentales , ſive in recto, ſive in obliquo ; eodem modo ſive in recto, ſive in obliquo neceſſe erit , quòd illas dicat eſſentialiter homo.

Rur-

71 Rursùs. Si homo ſolùm diceret eſſentialiter, juxta iſtam reſponſionem, animam,& id quod corpus dicit in recto, nempé materiam primam : ergo poſitis unitim animâ, & materia primâ, circumſcripto undique omni accidente, dabitur quidquid eſſentialiter dicit homo. Hoc eſt innegabile, alioquin data eſſentia rei, quæ eſt ipſa res,non daretur res. Vel ergo tunc eo ipſo dabitur corpus; vel non. Si primum; ergo dabitur corpus, non datis diſpoſitionibus accidentalibus: ſicque iſtæ nullo modo,neque in recto, neque in obliquo erunt de eſſentia corporis, ſicut neque hominis. Si ſecundum: ergo dabitur homo ſine corpore: ſicque homo non dicit eſſentialiter corpus,& animam.

72 Dices, quód in eo caſu iam daretur corpus, quia materia ex ſe jam eſt ens corporeum. Cæterúm hoc eſt, luſu verborum reſilire à quarta acceptione corporis phyſici carnei, & oſſei propriâ noſtræ quæſtionis, ad primam univerſaliſſimam corporis contrapoſité ad ens ſpirituale. Loquimur plané de corpore carneo, & oſſeo, quo ſenſu lapis undecumque materialis, corpus non eſt,quia carneus non eſt: imò, & ſanguis quāvis materialiſſimus, corpus non eſt, quia caro non eſt: alioquin nomine corporis poneretur vi verborum in Euchariſtia ſanguis ſub ſpeciebus panis, ſicut ponuntur caro, & oſſa Chriſti, contra Concilium Tridentinum. Quid ergo ſibi vult iſta reſponſio? Certé corpus phyſicum carneum, & oſſeum, de quo eſt ſermo, prout ſignificatur in verbis conſecrationis nomine corporis, contrapoſité ad ſanguinem; non poteſt in eo eſſentialiter cōſiſtere, quòd æqué convenit ſanguini, ac carni: eſſe autem ens corporeum,ſcilicet materiale, conſtans utique ex materia prima,æqué ſanguini, ac oſſibus, & carni convenit,ut per ſe notum eſt. Ad rem ergo reſponſio iſta non eſt. Quodſi, ut erat argumentum de corpore carneo, & oſſeo, reſponſio velit intelligi, quoque de corpore carneo, & oſſeo, talemqué dicat fore hominem illum ſine accidentibus in caſu argumenti, quia jam haberet materiam primam, quę corporea eſt; dicere eâdem ratione tenebitur lapidem, & ſanguinem eſſe corpus, eſſeque carnem, & oſſa; contra evidentem Philoſophiam: & conſequenter, ſanguinem Chriſti poni vi verborum nomine corporis ſub ſpeciebus vini, contra expreſſam Theologiam Tridentini.

73 Probatur jam ſecundum abſurdum Theologicum, memoratum *num.60.* Quia,ſi corpus dicit eſſentialiter diſpoſitiones accidentales, eas ſignificat vi ſua nomen, *corpus*: ſignificat enim ſaltem quidquid eſſentialiter dicit corpus: ergo ex vi ſignificationis nominis, *corpus*, ac proinde ex vi verborum conſecrationis ponerentur ſub accidentibus panis accidentia Chriſti, quod ij Authores minùs conſequenter negant, ut notabitur *ſect.12.*

74 Nec momenti eſt dicere, ſignificari ſolum de obliquo: corpus enim materiam ſolam dicit de recto. Etenim, ſi re ipſa ponuntur ibi accidentia, & vi verborum ſignificārur,& quidē taliter,ut eo ipſo quód materia illa prima eſſet ſine illis accidentibus, nō verificarentur verba, ponuntur quidem ex vi verborum,ſivè ea in recto ſignificantium, ſivè in obliquo: hoc enim diſcrimen prodeſt quidem ad hoc,ut materia ponatur in recto, & accidentia non in recto, ſed in obliquo; non verò ad *hoc*, ut materia ponatur ex vi verborum, & non accidentia: ſiquidem vis ſignificationis nominis concreti rectum, & obliquum amplectitur, imó ſæpé expreſſiús obliquum. Confirmatur: ſi verba conſecrationis dicerent: *hoc eſt corpus meum album*; ſine dubio poneretur albedo Chriſti ex vi verborum: quia nempé re ipſa poneretur, & ſignificaretur per verba,quamvis de obliquo albi. Sic ergo de facto dicant neceſſe eſt hi Authores de accidentibus Chriſti, ſi nomen, *corpus*, illa concretè ſignificat, quamvis de obliquo, utpote eſſentialiter conſtitutiva corporis concretè ſignificati.

74 Dices: ut aliquid ponatur ſub ſpeciebus non ſufficit ſignificari per verba, ut nos ipſi dicemus *ſect.* 12. ſed taliter ſignificari,ut ſignificetur ibi eſſe,& requiratur quòd ibi ſit ad verificationem verborum. At quāvis nomen concretum, *corpus*, ſignificet de obliquo accidentia non ſignificat, ea ibi eſſe ſub ſpeciebus: nam id eſſet verum; quamvis ibi eſſet ſola materia habens in ſe illa accidentia non in eo loco, ſed in alio exiſtentia in eadem materia: ut patet in eodem exemplo albi: nam de corpore hìc exiſtente verum eſſet hoc eſſe corpus album, ſi alibi ſimul exiſtens haberet in ſe albedinem, non tamen exiſtentem in hoc loco.

75 Video veram doctrinam;ſed inſufficientem. Nam, quamvis verum propterea ſit, quód poni vi verborum ſub ſpeciebus aliquid amplius dicat, quàm utcumque ſignificari per verba, ut dicemus *ſect.* 12. at poni ſub ſpeciebus, virtute effectivâ verborum, & ſignificari per verba; hoc ipſum eſt poni ex vi verborum. At corpus ponitur realiter ſub ſpeciebus panis ſecundum totum ſuum intrinſecum conſtitutivum, ut omnes fatemur; & ſignificatur per nomen corpus, ſive in recto, ſive in obliquo: ergo ſi de intrinſeco

conſtitutivo corporis, ſive in recto, ſive in obliquo eſſent accidentia, hæc etiam ponerentur ex vi verborum. Et par eſt ratio pro albedine, ſi verba dicerent: *hoc eſt corpus meum album*: & re ipſa poneretur ibi albedo. Addit rectè Haunold. *cap. 4. num. 852.* vim verborum capi debere iuxta cõmunem ſignificandi modum: communiter autem verba, *hoc eſt album*, ſignificant, albedinem eſſe ibi præſentem. Caſu tamen illo nobis objecto, quo corpus illud eſſet album per albedinem in alio tantum loco exiſtentem, & informantem illud ipſum corpus; non poneretur in hoc loco albedo: quod autem non ponitur, non ponitur vi verborum, quãvis per verba ſignificetur. Addo quòd, quamvis ſic non poneretur ex vi verborum in hoc loco, poneretur in hoc ſubjecto demõſtrato per verba: atqueadeò ex vi verborum corpus quod ibi ponitur deberet eſſe albũ: cũ tamen non debeat ex vi verborum eſſe animatum. *Haunol.*

76 Ulteriùs impugnatur hæc tertia ſententia in eo in quo convenit cum quarta, de qua *ſect. ſeq.* Quòd nempè, cùm aſſereat, corpus præter materiam ſolummodo dicere accidentia, nè cogatur aſſerere, abeunte per mortem animâ, manere materiam cum ſolis accidentibus carneis, & oſſeis ſine forma ſubſtantiali; ait introduci in ipſo mortis inſtanti novam formam ſubſtantialem, quam vocant Cadavericam. Eodemque iure dicit, in fœtu jam carneo, & oſſeo ante animationem, nè ſola ſint in materia accidentia conſtituentia carnem & oſſa, dari formam quamdam ſubſtantialem, quam vocant Embryonicam.

77 Mihi quidem multò minùs paradoxum eſſet, quòd materia prima maneret aliquo tempore per aliquam violentiam non miraculoſam ſine forma ſubſtantiali, reclamante forſan Philoſophiâ; quàm quòd, reclamantibus certò Philoſophia, & experientiâ, intromittatur ſubitò poſt mortem nova iſta forma ſubſtantialis cadaverica, cùm ut moriatur homo, maneatque cadaver, nihil aliud neceſſe ſit, niſi quòd anima diſcedat. Rogo enim à quo producitur in illo articulo nova iſta forma? Non à materia, quæ quidẽ non eſt cauſa effectiva formarum: non ab anima, quæ jam ibi non eſt, quando forma illa ſibi inimica incipit eſſe: nõ à cauſis mortis: hæ enim diverſiſſimæ ſunt, ſi homo ſuffocatur aquâ, aut crematur igne, aut truncatur capite, aut ſtrangulatur laqueo, aut confoditur ferro, aut conſumitur febri; nec veriſimile ſit, cauſas ita diverſas conſpirare ad producendam formam eiuſdem ſpeciei: non ab aſtris, nec à Deo ſolo: quia nihil eſt quod exigat, nihil quod ſuadeat; imò multa, quæ diſuadeant homini Philoſopho eiuſmodi recurſum: ergo abs re, & ſine fundamento cauſâve competente introduci volunt eiuſmodi formam.

78 Dices: cùr ergo ad aſtra, vel ad ſolum Deum interdum recurrimus pro effectione aliarum formarum. V. g. metallorum, ac vermium in aliis caſibus? Reſpondetur: quia tunc ab experientijs docemur per accidentia, & effectus ibi adeſſe novas formas ſubſtantiales, quarum cùm non inveniamus cauſam ſufficientem effectivam ſpecialem, recurrimus ad generales. Cæterum, quòd moriente homine actutùm adveniat nova forma, à nulla accidentium, nec effectum experientiâ docemur; imò experientia ſuadet oppoſitum: antea enim experiebamur, illud corpus moveri, audire, loqui, videre, intelligere, &c. quæ poſtea non experimur: nec videmus, niſi carnem, & oſſa, quæ jam erant: unde nullum eſt nobis indicium, quòd advenerit nova forma ſubſtantialis; ſed quòd abierit antiqua.

79 Præterea. Cum illæ cauſæ generales naturaliter producunt aliquam formam ſubſtantialem in materia, eam producunt ad exigentiam alicuius. At ad cuius, precor, exigentiam producunt in articulo mortis formam cadavericam? Non ad exigentiam materiæ: quia materia prima ſecundum ſe non magis exigit hanc formam, quàm aliam. Non ad exigentiam animæ: quia anima truditur iuxta hanc ſententiam per formam cadavericam; ſicque eſſet exigere hoſtem ſibi infenſiſſimum, & in brutis deſtructionem ſui. Non ad exigentiam diſpoſitionum accidentalium: quia quando cauſæ generales, ut Deus, aut aſtra, producunt formas ſubſtantiales in materia diſpoſitâ ad exigentiam diſpoſitionum, pro diverſitate notabili diſpoſitionum diverſas ſpecie formas producunt, modò auri, modò argenti, modò plumbi, modò ranunculæ, modò lacertæ, modò culicis, modò alterius vermiculi ſpecierum notabiliter abſimilium. Quâ igitur Philoſophiâ credendum nobis eſt, cauſas illas generales ad exigentiam diverſiſſimarum, & ſæpius oppoſitarum diſpoſitionum, quæ contingunt, ſi homo, aut igne, aut aquâ, aut febri, aut laqueo, aut ferro moriatur, ſemper producere formam ſubſtantialem cadaveticam eiuſdem ſpeciei? Dicam quod aliò Magnus Auguſtinus *1. de peccat. mer. 36. Dicant iſta qui auſi fuerint, credant qui potuerint.* Supereſt reſpondere, formas cadavericas fore ſpecie quoque diverſas in eodem homine morientе, pro diverſitate diſpoſitionum ad mortem. Et certè pari fundamento, quo indu- *Auguſt.*

cun-

cuntur ferales istæ formæ, poterunt specie, genere,& ultra, liberrimè diversificari.

80 Similes difficultates patitur embrionica forma præcedens animationem, & cum anima non perseverans, quas oportunius expendemus *sect.* 8. pro nostrâ formâ Corporeitatis.Quò etiam remitto præcipuam aliam impugnationem huius tertiæ sententiæ,ex eo quód ad constitutionem essentialem corporis carnei, & ossei non possint sufficere cum materia prima dispositiones accidentales juxta principia Philosophica.

SECTIO VII.

Quarta sententia principalis.

Suar. Sot. Ledesm.

81 ESt Patris Suarez *disp. 51.* cum Soto, Ledesma, & alijs, quibus visum fuit, corpus præter materiam primam dicere essentialiter formam substantialem: non determinatè formam viventem; sed in communi, qua constitui possit materia in esse corporis carnei, & ossei: qualis est forma vivens, qua constituitur corpus vivũ; forma cadaverica, qua constituitur corpus mortuum: & forma embrionis, qua constituitur corpus animationi proximum.

Vasq.

82 P. Vasquea *disp. 186.* pauló aliter vult, corpus præter materiam dicere formam substantialem: non hanc determinatè; sed hanc, vel illam disiunctivè: viventem scilicet, vel cadavericam. Sic etiam Meratius *disput. 21. sect. 3.* & Dicastillus *disp. 5. dub. 11.* Discrepant à P. Suar. in eo quód ille vult, corpus dicere eas formas in communi, & non singulariter;isti verò vagè,& disiunctivè:quòd mihi perinde est; & alijs discrimen erit parvi momenti.

Mer. Dicast.

Lug.

83 Card. Delugo *disp. 1. sect. 4.* sentit cum Vasquez: cum aliquo tamen discrimine: quippé vult, corpus dicere in recto materiam primam; in obliquo organizationem, sive substãtialem à forma substantiali disiunctivé, vel vivente, vel cadavericâ; sive accidentalem ab accidentibus dispositionis organicæ. Quoad hoc impugnatus manet cum tertia sententia. Quoad reliqua mox cum alijs impugnabitur.

Bernal.

84 P. Bernal *disp. 36. sect. 2.* impugnato Delugo, sentit cum Suarez. Additque exemplum Personæ Divinæ, ut sic: quæ dicit hanc determinatè Naturam, & rationem abstractam ab hac, & illa personalitate. Impetitur tamen hoc ipso exemplo tam à longè petito: quo cogitur dicere, corpus Christi mortui distingui realiter à corpore Christi vivi, quamvis una sit ratio corporis dicentis hanc materiam, & rationem abstractam ab hac,& illa forma: quemadmodum Personæ sunt absolutè realiter distinctæ, quamvis conveniant in ratione personæ,dicentis hanc naturam,& rationem abstractam ab hac, & illa personalitate.

85 Omnes hi Authores tripliciter conveniunt. Primó in eo quód corpus præter materiam primam non dicat determinatam formam substantialem; sed universaliter, aut disiunctivé hanc, vel illam: Secundò in eo quód vox, *corpus*, in consecratione significet hanc materiam primam Christi, & aliquam formam substantialem, sive rationalem, sive cadavericam: sicque tam in Christo vivo, quàm in mortuo salvant significationem vocis, *corpus:* quodsi verba proferrentur,& consecrarent in triduo mortis Christi, poneretur corpus constitutum per formam cadavericam; nunc autem ponitur constitutum per rationalem. Tertiò in eo, quód admittant novam illam formam specialem substantialem cadavericam post animam; sicut, & embrionicam specialem ante animam, & neutram in consortio animæ.

86 Quoad hoc tertium, sine quo stare nequeunt alia duo, impugnati manent *sect. præced.* & impugnabuntur ulterius *in sequenti.*

87 Quoad primum autem, in quo conveniunt, impugnantur sic. Si materia constitueretur in esse corporis modó per unam, modo per aliam formam, corpus cõstitutum ex materia, & ex una forma substantiali esset specie distinctum à constituto ex eadem materia,& ex alia formâ specie distinctâ. Probatur: nam ex eadem materia,& ex formis specie distinctis constituuntur composita specie distincta: ut patet in materia, ex qua, & ex forma ligni constituebatur lignum; & ex eadem,& ex forma ignis constituitur ignis:quæ composita sunt absolutissimé specie diversa. Præterea: constitutum ex materiâ,& animâ; & constitutum ex materiâ, & formâ cadavericâ sunt compositâ specie diversa absolutissimé,haud minús,quàm constitutum ex materia,& forma ligni,& constitutum ex materia, & forma ignis; imò magis ob maiorem diversitatem formæ viventis à non vivente. Ergo,si corpus est utrumlibet illud constitutum, non sunt idem corpus,sed absolutè specie,& plusquam specie diversum, sicut sunt constituta specie diversa.

88 Absurditates autem sequelæ consideres. Sic enim corpus Christi mortui absolutissimé esset corpus substantialiter specie diversum à corpore Christi vivi. Sic esset absolutissimè verum, corpus, quod pependit

in cruce, non fuiſſe corpus, quod peperit virgo, neque quod adoramus, & comedimus in Euchariſtia: contra quod idemtidem loquuntur SS. Patres: ſicut non abſolutè verè, ſed falsò diceretur, facto ex ligno igne, compoſitum hoc eſſe idem, quod erat antea. Sic, ſi per hæc verba, quibus nos nunc conſecramus, conſecraſſent Apoſtoli, mortuo Chriſto, poneretur ſub ſpeciebus non idem phyſicè corpus quod poſuerat Chriſtus in Cœna, & quod nunc ponimus nos; ſed aliud ſpecie phyſicâ abſolutiſſimè diverſum. Quid plura? Magis phyſicè ſubſtantialiter differret corpus Chriſti vivi à corpore Chriſti mrotui, quàm à corpore Sancti Petri. Nam diverſitas phyſica compoſitorum ſubſtantialium ſumitur à formis: forma autem ſubſtantialiter intrinſecè conſtituens corpus Chriſti vivi ſolùm numero differret à forma conſtituente corpus Petri vivi, cum ſint juxta hanc ſententiam duæ animæ rationales: à forma vero phyſicè, & ſubſtâtialiter cõſtituente corpus Chriſti mortui differret ſpecie phyſicâ; quia una eſt forma vivens rationalis; alia cadavetica.

89 Reſponderi ſolet, non obſtante ea phyſicâ diverſitate, communi tamen æſtimatione eſſe moraliter idem corpus Chriſti vivum, ac mortuum. Occurrit tamen, & urget inde maturiſſimè P. Conine. *Conine.* Ea, inquit, communis, prudenique loquutio, & æſtimatio moralis veriſſima, & optima eſt, ſtante ut ſupponi neceſſe eſt, eâdem formâ ſubſtantiali corporis, quamvis penes aliqua accidentia eſſet modica phyſica diverſitas; redderetur tamen mala, & falſa, ſi verum eſſet quod docet iſta ſententia de diſtinctione, & mutatione totali ſpecificâ formarum ſubſtantialium viventis, & cadavericæ, quarum una, nec moraliter eſt alia, & utraque conſtitueret corpus. Nam corpus carneum conſtitutum per unam à corpore carneo conſtituto per aliam magis differret ſubſtantialiter, quàm homo, & vermis ex homine genetatus, ſuccedente in eamdem numero materiam hominis formâ vermis: minùs diverſa, utpote vivens, ab anima rationali, quàm ſit forma cadaverica non vivens. Quis ergo prudens, hoc ſuppoſito, & intellecto, æſtimet, moraliter eſſe idem?

90 Recurri ſolet ad accidentia conſimilia, quæ videntur in corpore vivo, ac mortuo, in quibus inquiunt, fundari poſſe æſtimationem prudentis illud pro eodem moraliter reputantis. Sed in primis inconſequentiſſimè. Hæc enim ſententia ad diverſitatem illarum formarum, aut movetur ſine fundamento, aut fundamentum habere debet in diverſitate accidentium: non enim niſi per accidentia dignoſcimus formas naturaliter, & per collectiones diverſorum accidentium diverſas formas; cùm eas in ſe minimè videamus. Si ergo ob diverſitatem accidentium agnoſcit ibi ſententia iſta diverſas formas ſubſtantiales; qua doctrinæ conſequentia ex accidentium conformitate poteſt prudenter judicare eſſe unum corpus? Vult itaque Philoſophia iſthæc, accidentia reputari notabiliter diverſa ad arguendam formam carnis ſpecie diverſam; & non ad arguendam carnem ſpecie diverſam: quod eſt non ex accidentibus, ſed ex libito philoſophari. Præterea, ſi à conformitate acidentium moraliter æſtimanda res eſſet, certè in Euchariſtia nulla corporis Chriſti accidentia videmus; unde ergo ſuppoſitâ formâ ſubſtantiali conſtitutivâ corporis ſpecie diversâ à forma, qua conſtituebatur corpus pendens in cruce, æſtimarent moraliter prudentes, eſſe idem corpus?

91 Accidentia igitur eatenus perſuadent hoc eſſe ſubſtantialiter corpus carneũ, quatenus perſuadent habere formam ſubſtantialem conſtitutivam corporis carnei: ſi enim aliunde ſciremus hoc non habere talem formam, neque verè, neque prudenter judicare per accidentia poſſemus, hoc eſſe ſubſtantialiter corpus carneum: ſicut neque prudenter, neque moraliter per accidentia judicamus, in Euchariſtia eſſe ſubſtantialiter panem; quia aliunde credimus ibi non eſſe ſubſtantiam panis. Similiter eadem, aut conſimilia accidentia, eatenus poſſunt prudentibus perſuadere, hoc eſſe idem corpus, quatenus perſuadent, habere eamdem formam ſubſtantialem conſtitutivam corporis, ut ait vera ſententia. Si autem aliunde judicaremus cum ijs, quos nunc impugnamus, in corpore eſſe poſt mortem formam ſubſtantialem conſtitutivam corporis carnei, ſpecie diveram à cõſtitutiva corporis carnei in vita; nec verè, nec prudenter iudicare moraliter poſſemus, eſſe idem corpus: ſed ſubſtantialiter ſpecie diverſum, quidquid ſuaderent accidẽtis. Quemadmodum ſimilitudo accidentium hominis, & ſimulacri, nulli prudenti, qui aliunde noverit ſubeſſe illis accidentibus formam ſubſtantialem lapidis, perſuadet, ut moraliter æſtimet, ſimulacrum eſſe idem cum homine: quamvis id perſuadere poſſet alteri, cui illa accidentia perſuadent ſubeſſe illis accidentibus formam ſubſtantialem conſtitutivam hominis.

92 Impugnantur deinde quoad ſecundum, in quo conveniunt. Verba conſecrationis ſunt determinativè demonſtrativa per pronomen, *hoc*: ergo determinatè ſignificant

quod

quod demonſtrant : cùm ergo determinatè ſignificent, ac demonſtrent hic, & nunc hoc corpus Chriſti carneum, & oſſeum, non ſignificant abſtractivè hoc, & illud; neq; diſiunctivè hoc, vel illud ; ſed hoc determinatè, quod hic, & nunc eſt *caro* Chriſti: ergo hanc determinatam formam, ſicut, & materiam, qua hic, & nunc eſſentialiter conſtituitur: atqueadeò non abſtractivè formam ut ſic, nec diſiunctivè hanc, vel illam : quia, ut nuper vidimus, per hanc, vel illam conſtitueretur hoc, vel illud, non verò hoc determinatè corpus carneum, & oſſeum.

93 Dices, nomen, *corpus*, ſignificare determinatè materiam in recto; formam verò de obliquo indeterminatè : ſicque eſſet hoc determinatè corpus, ſive per hanc, ſivè per illam formam conſtitueretur; ſicut pariet eſt idem album, ſive per hanc, ſive per illam albedinem conſtituatur concretè album. Cõtra tamen : ſic enim eodem iure eadem materia hominis converſi in vermem eſſet idem numero corpus cum corpore hominis, eadem numero caro, eadem numero oſſa, & his ſimilia : ſi verò converteretur in piſcem, idem numero corpus phyſicè ſubſtantialiter eſſet piſcis, quod fuerat caro. Unde mirifica imminent abſurda. Falſum ergo, abſurdum, & implicatorium eſt, quod nomen, *corpus*, ſumptum phyſicè, & Theologicè, ut in verbis conſecrationis, pro parte phyſicâ carneâ, & oſſeâ, hominis contradiſtinctim ab anima, & ſanguine, ſignificet de obliquo, & & indeterminatè formam ſubſtantialem indeterminatè, & diſiunctivè conſtitutivam huius determinati corporis, huius carnis, & horum oſſium, ad inſtar concreti accidentalis, Unde neceſſe eſt, quòd hoc corpus, & hæc caro; ſit hæc determinata materia, & hæc determinata forma: ſicut hic homo hæc determinata materia, hoc corpus, & hæc anima. Aut cur non ita?

94 Argumentor deinde magis Theologicè. Vox, *corpus*, in conſecratione, iuxta hos Authores, ſignificat, præter materiam ſubſtantialem, quæ re ipſa ponitur ſub ſpeciebus, ſive præciſſivè, ſivè diſiunctivè rationalem, vel cadavericam : ergo ex vi verborum ponitur ſub ſpeciebus panis aliquid ſubſtantiale præter materiam primam Chriſti. Vel ergo iſtud ſubſtantiale eſt determinatæ formæ cadaverica; vel eſt abſtractè, aut diſiunctim cadaverica, aut rationalis; vel eſt determinatè formæ rationalis. Primum eſſe non poteſt: quia nunc nullatenus ponitur ſub ſpeciebus forma cadaverica. Neque ſecundum: quia conceptus ille abſtractus, ſeu diſiunctivus non ſic ponitur à parte rei : nec eſt unquam corpus carneum à parte rei, niſi cum forma determinata. Tertium ergo dici neceſſe eſt : ex quo tamen ſequeretur juxta iſtã ſententiam, poni nunc de facto ſub ſpeciebus animam ex vi verborum : quòd eſt apèrte contra Tridentinum.

95 Confirmatur. Quamvis vox, *corpus*, ſecundum ſe ſignificaret præter materiam primam, formam aliquam ſubſtantialem præpræciſſivè, ſeu diſiunctivè hanc, vel illam; at eo ipſo, quòd nunc materia Chriſti conſtitueretur, ut ajunt, in eſſe corporis per animã, deberet poni de facto anima ex vi verborum: ergo manifeſtè contra Concilium. Probatur antecedens: nam ex eo quòd vox, *corpus*, ſecundum ſe ſignificet carnem, & oſſa aliaſque partes ſolidas, earumque particulas integrales; ſive iſtæ partes, & particulæ eſſent omninó eædem, quæ de facto ſunt, ſive plures, ſive pauciores; quia tamen nunc de facto corpus Chriſti integratur determinatè ex iſtis numero partibus, & particulis materiæ ſolidæ, omnes iſtæ, quæ de facto ſunt ponuntur ex vi verborum ſub ſpeciebus panis; ut cum Authoribus huius ſententiæ videbimus in ſequentibus alioquin aliquid carnis, & oſſis verique corporis Chriſti non poneretur vi verborum ſub ſpeciebus panis : pariter ergo, ſi vox, *corpus*, ſignificat, ut ajunt, præter materiam, formam ſubſtantialem hanc, vel illã, nempé, vel rationalem, vel cadavericam, vel, ſi placet etiam, embrionicam; cùm nunc de facto non conſtituatur materia Chriſti in eſſe carnis, & oſſis per formam cadavericam, nec per embrionicam, ſed per animam; hanc de facto ſignificarent ibi poni verba conſecrationis tamquam ipſorum verificativum de facto : atque adeò anima nunc poneretur vi verborum non minus, quàm multæ particulæ materiæ ſolidæ corporis Chriſti; quod eſt contra Tridentinum. Vim ſugebit huic argumentationi doctrina ipſorum Adverſariorum notanda *num 124*.

96 Si ſuccubueris dicens, poni quidem animam vi verborum, non in ratione animæ, ſed in ratione formæ; recidis in ſecundam ſententiam Caietani, & Durandi reiectam, *num. 55*. iuxta quam, ut ibi expendimus, non potuiſſet prudenter, & abſolutè dicere Concilium animam non poni vi verborum, cum poneretur vi verborum aliquid quod realiter eſt anima. Nihil huc faciunt eiuſmodi formalitatulæ.

97 Denique. Vel ſanguis dicit ſimiliter conſtitutivè, præter materiam primam, formam ſubſtantialem diſiunctim hanc, vel illam; vel dicit ſpecialem formam determinatam ſanguinis ſubſtantialem eamdem in

ho-

homine vivo, ac in mortuo. Si primum, ergo in homine vivo conſtituitur ſubſtantialiter ſanguis per materiam primam, & animã; ſicque non ſolum ſub ſpeciebus panis nomine corporis; verumetiam ſub ſpeciebus vini nomine ſanguinis veniret anima ex vi verborum iuxta argumentum à nobis factum: imò & nomine corporis veniret ſanguis, ſubſtantialiter, & è contra: utrumque enim in homine vivo nihil eſſet aliud ſubſtantialiter, quàm materia prima cum anima: quo funditùs evertitur tota doctrina Tridentini de ijs, quæ vi verborum, & quæ per concomitantiam ponuntur in Sacramento. Si verò dicatur ſecundum: cur, precor, caro non dicat ſpecialem formam determinatam ſubſtantialem carnis, ſicut ſanguis ſanguinis? Aut cur anima rationalis nata ſit conſtituere materiam primam in eſſe carnis, & non ita in eſſe ſanguinis?

98 Si tandem dicas, materiam non utcumque conſtitui per animam in eſſe corporis, ſed in eſſe corporis completi; eſt extra rem: non enim loquimur de corpore completo prædicamentaliter ſumpto, ut ab initio monuimus; ſed de corpore, carneo, & oſſeo, ente incompleto, quod eſt pars hominis entis completi. Aut dicant ſimiliter, ſi ſuperis placet, formam ſubſtantialem conſtituere materiam in eſſe materiæ, quia illam conſtituit in eſſe materiæ completæ, conſtituendo ſcilicet cum illo ens completum: quo ingenio dicerent, etiam formam conſtitui per materiam in eſſe formæ completæ. Sed quorſum hæc?

SECTIO VIII.

Vera ſententia: & plena, planaque expeditio difficultatis per Formam ſpecialem ſubſtantialem Corporeitatis.

Scot. 99 SCotus, plaudente Scholâ ſuâ ſubtiliſſima univerſâ, lucem attulit Philoſophiæ, ac Theologiæ in hac potiſſimùm difficultate. Eius doctrinæ ſubſtantia eſt, corpus dicere eſſentialiter, præter materiam primam, ſpecialem formam ſubſtantialem materialem, quâ conſtituitur in eſſe corporis, quod eſt pars phyſica viventis diſtincta adæquatè realiter ab anima: taleque conſtitutum ſignificari nomine, *corpus*, in verbis conſecrationis. Cuius forma, quam vocant Corporeitatis, præcedit, comitatur, & ſubſequitur animam eo modo, quo, ut oculis cernimus, corpus carneum, & oſſeum, præcedit animam in fœtu, & nomine embrionis; coexiſtit animæ, componens cum illa hominem in ſtatu vitæ; & remanet, abeunte animâ, in ſtatu, & nomine cadaveris: nulla abeunte antiqua forma ſubſtantiali, ſed adveniente novâ, quando animatur; nullâque novâ adveniente, ſed abeunte antiquâ, quando moritur. Idem, quamvis alijs verbis, tenuit olim Henricus *Quodl. 4. quæſt. 3. & Quodl 9. quæſt. 8. ex dictis Quodl. 3 quæſt. 6. & 8.* & noviter tenet doctus Capuccinus Gaudentius Bontempi *tom. 3. tract. 3. de Anima diſp. 1. quæſt. 7.* quem obiter lecturire potui in Bibliothecâ noſtrâ Lugdunenſi lucupletiſſimâ & politiſſimâ. Sic etiam innuit Maignanus in Philoſ. Nat. *c. 34. nu. 16. & 22.* *Henrr.* *Maign.*

100 E Ieſuitis hanc in re Sententiam, Formamque ſpecialem Corporeitatis, ex variis formis carnis, oſſis, nervi aliarumque partium ſolidarum corporis integratam, tuentur ſapientiſſimus Leſſius *l. 12. de Perf. div. num. 122. & quæſt. 76. de Euchar. art. 1. dub. 1.* Dandinus *2. de Ani. Tex. 11.* probans eſſe de mente Ariſtotelis: omnium optimè Coninc hic *quæſt. 76. art. 2.* Præpoſitus ibid. Tannerus *Tr. 4. diſp. 5.* Amicus *diſp. 19.* Martinon *diſp. 32.* Galtrucius *diſp. 2. Phyſ. cap. 3.* Faretque Quiros *diſp. 47 Phyſ. ſec. 3.* ſequentibus jam multis ſcholæ noſtræ Philoſophis, atque Theologis. Patres Vaſquez *diſp. 186. c. 7.* & Bernal *diſp 36. num. 17.* agnoſcunt eam aptiſſimam, & ſolidiſſimam ad veritates Theologicas. Sic etiam fermè Dicaſtillus *num. 113* quamvis ex Philoſophia ab ea devient. Ego quidem haud minùs veræ Philoſophiæ, quàm Theologiæ conformem judico; ideóque utràque manu amplectendam, illud veluti auſcultans: *Hanc utràque manu complexuque aſſere toto.* *Leſſ.* *Dandin.* *Conine* *Vaſq.* *Bern.* *Martial*

101 Fundamentum ſolidum deſumitur ex impugnationibus præcedentium ſententiarum. Vidimus enim corpus carneum, & oſſeum, prout in præſenti accipitur, non eſſe nudam materiam primam: *ſect. 5. à num. 48.* deinde nec eſſe materiam primam cum ſolis accidentibus, ſed debere dicere eſſentialiter, præter materiam primam, formam aliquam ſubſtantialem; *ſect. 6.* Hanc inſuper formam ſubſtantialem non poſſe eſſe animam in homine vivo, nec formam novam ſubſtantialem cadavericam in mortuo, ſicut nec ſimilem embrionicam decedentem animæ initio vitæ, *ſect. 7.* Supereſt ergo liquidò, quòd ſit ſpecialis forma ſubſtantialis ex partialibus formis carnis, oſſis, nervi, aliarumque ſolidarum partium corporis etherogenèe compacta; præcedens, & ſubſequens animam, quam utique animam præcedunt, & ſubſequun-

Digitized by Google

quuntur caro, & ossa; ipsamque comitans, quam caro, & ossa comitantur tempore vitæ. Hæc autem est forma corporeitatis essentialiter constitutiva corporis physici carnei, & ossei: in ordine ad quod definitur ab omnibus anima: *actus corporis physici & organici.* Duo restant pro hac doctrina ulteriùs expendenda circa secundam, & tertiam partem nostri antecedentis.

102 Primum contra constituentes huiusmodi corpus essentialiter ex materia prima, & solis dispositionibus accidentalibus. Unde dicant, necesse est, carnem essentialiter in esse carnis, os in esse ossis, nervum in esse nervi, ita constitui essentialiter per materiam primam, & accidentia, ut in homine, in quo, ut aiunt, non alia formâ substantiali informantur nisi per animam, eadem materia cum eadem forma substantiali, variatis solum accidentibus, sit caro, sit nervus, sit os, sit medulla & cartilago.

103 Hinc autem totam everti rectè Philosophandi rationem sic monstro. Primò namque, si accidentia cum materia prima sufficiunt ad essentialiter constituendam carnem, & ossa; cur non similiter alia accidentia ad constituendum lapidem, lignum, terram? Unde pessum abit tota doctrina formarum substantialium inanimatorum. Quis enim ex operationibus, & accidentibus arguat lignum, lapidem, terram formaliter indigere pro sui constitutione formis substantialibus, potius quàm ossa, & caro? Deinde, caro, aut alia pars molliot corporis humani consolidata transiret in os sine conversione substantiali, scilicet manente eadem materia, & eadem formâ, per solâ variationem accidentium. Cur non fic ær in aquam? Vinum in acetum? Aut quomodo persuadebunt sibi, aut alijs ij Authores in ijs alijsve rebus inanimatis formas, & conversiones substantiales? Si caro transit in os facta tantùm accidentali mutatione; cur non fic vinum in acetum? cum nullum ostendi possit indicium maioris diversitatis inter acetum, & vinum, quàm inter carnem, & ossa. Insuper, si materia prima cum solis certis accidentibus esset essentialiter verè, & propriè caro; posset certè licitè comedi vera, & propria caro non fracto ieiunio Ecclesiastico, imò nec naturaliter quia non fieret ex illa nutritio: cùm nutritio sit conversio substantialis alimenti in alibum. Quis hæc non abhorreat, & irrideat?

104 Quodsi sanguis, ut multi ex ijs authoribus aiunt, animatur, sanguis transiret in os sine conversione substantiali per solam accidentalem alterationem. At quo modo persuadebunt, sic non transire lignum in ignem, æ̃rem in aquam, vinum in acetum? An maior diversitas animadvertitur inter acetum, & vinum, quam inter sanguinem, & ossa? Aut forte maior inter sanguinem manentem in venis hominis vivi, & sanguinem recèns effusum; quam inter sanguinem, & ossa? Si verò dicant, sanguinem non animari; sed cõstitui essentialiter in esse sanguinis per specialem formam substantialem sanguinis; mirabilius est, ad constituendum essentialiter sanguinem verum, & proprium non sufficere accidentia, & materiam primam; cum sufficiant ad constituendam essentialiter carnem: & multò mirabilius juxta sententiam istam; quòd nequeat sanguis transire in pituitam, & bilem, aut è contra, sine conversione substantiali per solam accidentalem alterationem; & posset sic transire carnem in ossa? Ex quibus, precor, accidentium conjecturis ista hæc philosophandi ratio? Non certè nisi ex pura divinatione, pessumdatis veræ Philosophiæ rudimentis, quibus docemur, ex accidentibus rimari formas substantiales, & non è proprio cerebro illas, aut inducere, aut repellere.

105 Secundum, contra constituentes corpus physicum carneum, & osseum essentialiter per formam aliquam disiunctivè; sivè per Embrionicam præcedentem, ac decedentem animæ; sive per animam unicè manentem tempore vitæ; sive per cadavericam in morte succedentem. Quoad cadavericam, satis monstratum est *à num.72.* esse triste figmentum alienum à vera Philosophia: & *à num. 88.* veræ Theologiæ dissonum. Quoad animam, vidimus *à num. 87.* inde sequi, ponendam nunc fore animam Christi ex vi verborum in Eucharistia contra Theologiam Tridentini: & ex Philosophia non video, quo fundamento dicatur animæ inesse indolem constituendi per se formaliter cum materia prima, nudatâ etiam accidentibus, corpus carneum, & osseum; quò non posset pro arbitrio similiter dici, inesse ipsi pariter indolem constituendi formaliter quantum, candidum, & substantialiter calidum; facilè enim cuique fieret, ad hæc, & alia extendere lusum verborum.

106 Quoad formam autem Embrionicam superest aliquid dicendum. Ponitur in materia nondum satis dispositâ ad connaturalem animationem, ut eam ulteriùs disponat ad animam: & dicunt abire veniente anima. Quænam ista Philosophia est, quòd physica dispositio ad formam abeat veniente formâ ad quã disponit, quando urgentior est necessitas dispositionis ad formã? Profectò sicut quælibet forma definitur à Philo-

so-

ſophis: *Actus materiæ, &c.* ſic anima: *Actus corporis phyſici, & organici, &c.* ergo ſicut, advenientibus aliis formis ſubſtantialibus, non abeunt accidentia, quibus materia conſtituitur in eſſe diſpoſitæ ad illas; ſic, nec, adveniente animâ, abire credendum eſt formam embrionis, qua conſtituebatur materia in eſſe corporis carnei, & oſſei diſpoſitivè ad animam.

107 Reſpondent, abire quia ſubſtantialis eſt, ideóque naturaliter inconſotiabilis cum alia ſubſtantiali in eadem materia. Sed in primis hæc eſt ipſiſſima quæſtio: contendimus enim ſub ea regula non comprehendi formas ſubſtantiales diſpoſitivas ad alias, alijs ſubordinatas, & ſubminiſtras, qualis eſt forma embrionis reſpectu formæ viventis, quacum amiciſſimè conſociatur, perdurans eadem cum anima, & poſt animam, quamdiu perdurat corpus carneum, & oſſeum: & hæc eſt ipſiſſima forma corporeitatis, conſtituens carnem, & oſſa. Deinde non benè utuntur ea ratione, qui duas ſimul formas ſubſtantiales etiam non ſubordinatas, ut ignis, & ferri admittunt quandoque ſimul in una materia. Præterea formæ ſubſtantiales, cùm per ſe cõtrariæ non ſint ex Philoſopho, ſed ratione accidentium contrariorum non abit, aut corrumpitur, niſi defectu ſuarum diſpoſitionum accidentalium in materia: at certè diſpoſitiones accidentales ad formam embrionis conſtitutivam corporis carnei, & oſſei; tunc melius adſunt, quando advenit anima, manente corpore carneo, & oſſeo: Cur igitur abire deberet ea forma? Aut quodnam eſt ſui diſceſsûs indicium. Fortè eam in ſe intuentur abeuntem ij Philoſophi ijſdem conſpicillijs, quibus in morte vident, nullâ captâ ex accidentibus ſenſibilibus talis adventus conjecturâ, novas formas cadavericas ſeſe funebri ſilentio materiæ inſinuantes, quàm citiſſimè.

108 Dices, abire, quia eſſet ſuperflua, ideòque invila Naturæ ſuperfluum abhorrenti: quandoquidem anima ſuperveniens per ſe continens eminenter virtutem formæ embrionicæ, & accidentium ad ipſam diſponentium, ſufficiens etiam eſt conſtituere per ſe materiam in eſſe carnis, & oſſis. At hoc, quã ſit abſonum vidimus nuper. Quinimò ſuperfluè affingitur animæ virtus hæc per ſe conſtituendi carnem, & oſſa, cùm id muneris jam præoccupet forma Embrionis, quæ eſt ipſiſſima corporeitas. Contra deinde: quia forma ignis eminenter continet calorem, & faceret ſubiectum alioquin calidum iuxta modum quo ipſa calida eſt; quin perinde abeat calor, illâ ſuperveniente, eó ſcilicet quòd ad illam diſponat. Pariterque, ſi gradus qualitatis intenſæ, ut iudico cum P. Suar. diſſimilares ſunt, ſecundus continet eminenter primum, & octavus reliquos: qui tamen non pereunt accedente octavo: quia, cùm diſponant ad octavum, non eſt ratio, nec coniectura, cur abeant, octavo ſuperveniente. Sic ergo contra rationem omnem, & coniecturam diceretur embrionis forma, in quocumque conſiſtat, quæ materiam conſtituens in eſſe corporis carnei, & oſſei, illam ſic diſponit ad ingreſſum animæ, diſcedere in ipſo animæ ingreſſu, quando diſpoſicio magis neceſſaria eſt, & eſt manifeſtum manere cum anima corpus præconſtitutum in ratione carnis, & oſſis. *Suar.*

109 Conſulendum igitur omninò eſt veræ Philoſophiæ, & Theologiæ per prædictam noſtram Corporeitatis formam. Quâ admiſsâ, ſalvatur primò rectiſſimè in Philoſophia conſtitutio corporis phyſici carnei, & oſſei per aliquid ſubſtantiale præter materiã primam, excluſis accidentibus ab hominis eſſentiali conſtitutione. Secundó ſalvatur identitas eiuſdem numero corporis phyſici jam embrionici, jam vivi, jam mortui: quæ ſunt denominationes ipſi contingentes, permanente in ijs ſtatibus ſucceſſivis, eâdem formâ ſubſtantiali conſtitutivâ carnis, & oſſis, ſicut videmus permanere carnem, & oſſa. Tertio ſalvatur tranſitus carnis in os, ſicut ſanguinis in carnem, per veram converſionem ſubſtantialem, prout ad nutritionem opus eſt. Salvatur quartò in Theologia identitate phyſica corporis Chriſti Euchariſtici cũ corpore Chriſti aliquando phyſicè mortui, & quidem mortui per ſeparationem animæ, ſine nova illa forma ſubſtantiali cadavericâ commentitia, de novo à Verbo aſſumendâ non ſine abſurdi ſpecie pro triduo mortis Chriſti, brevique dimittendâ. Quintò ſalvatur ratio congruentiſſima cultús, & adorationis Reliquiarum, ut innuimus *diſp ult. de Incarn num. 143.* Sextó ſalvatur expeditiſſimè, quód nec accidentia, nec anima Chriſti ponuntur ſub ſpeciebus Euchariſticis ex vi verborum, ſalvâ ſcilicet ſignificatione nominis, CORPUS, per materiam primam, & formam iſtam, CORPOREITATIS, carnis, oſſis, &c. ſeorſim etiam ab anima, & ab accidentibus Chriſti, non minús, quàm à Sanguine, juxta planam doctrinam Tridentini, *Supra diſp. 19. ſect. ult.*

SEC-

SECTIO IX.

Obiecliuncula.

110 PRima: quòd forma iſthæc corporeitatis eſt ſupervacanea Sed certé objectio iſthæc ſupervacánea eſt: dum non probet,ſupervacare in vivente corporeo carnem,& oſſa: ad quorum eſſentialem conſtitutionem eſt non ſolum utilis; ſed etiam tam neceſſaria forma corporeitatis,quàm ad conſtituendum hominem anima rationalis.

111 Secunda: quòd eſt multiplicare formas ſine neceſſitate: cúm eidem animæ competere poſſit munus conſtituendi corpus carneum,& oſſeum. Sed certé arithmeticé demonſtrabile eſt,nos per pauciores formas ſubſtantiales præſtare ,quod objicientes per plures: quod enim præſtant per tres,embrionicam, viventem, & cadavericam, præſtamus per duas, corporeitatis, & viuentem. Supputent itaque, & recenſeant, quis multiplicet formas? Si dicant, noſtram formam adæquatam materialem corporeitatis componi ex multis partialibus, carnis, oſſis, nervi, &c. idem à ſe dicendum animadvertant de formis adæquatis materialibus embrionicâ, & cadavericâ: & duplò plures partiales ſuas invenient. Quod autem addunt, eidem animæ competere poſſe munera conſtituendi carnem,& oſſa; ſine fundamento dicitur, & cum fundamento negatur, ſicut ,& quòd animæ competat munus conſtituendi formaliter album, calidum,aut lapidem.

112 Tertia: quòd ex notabili, ac diuturnâ variatione accidentium colligi ſolet varietas formarum ſubſtantialium: cúm ergo in corpore vivo, & non vivo experiamur diverſiſſima diu accidentia, colligi debet mutatio formarum ſubſtantialium: ergo, & abire aliquam formam, ſcilicet embrionis ad ingreſſum animæ, & introduci cadavericam in egreſſu: ergo non variatis ſucceſſivé ijs formis, non fit ſatis experimento dictæ varietatis accidentium. Reſpondetur, conceſſo primo entimemate, falſas eſſe duas ſubillationes. Nam prædictæ varietati accidentium ſatis ſuperque fit, admiſsâ tunc mutatione ſubſtantiali, quam jam admittimus, ſuperveniente ſcilicet animâ embrioni in animatione; & abeunte in morte: qui ingreſſus, & egreſſus animæ non fit ſine mutatione ſubſtantiali:in ingreſſu,à non animato ad animatum; in egreſſu ab animato ad non animatum. Quód autem in ingreſſu animæ non egrediatur antiqua forma embrionis; nec in egreſſu, ingrediatur nova forma cadaveris, eſt conformiſſimum ipſi experientiæ: nam accidentia, & operationes, quæ ſentiuntur, nullatenus perſuadent, aliquid ſubſtantiale abijſſe; ſed adveniſſe in animatione; nec aliquid ſubſtantiale adveniſſe,ſed abijſſe in morte, ut dicebam *num.*73.perſtantibus pro triplici illo ſtatu accidentibus carnis, & oſſis. Unde colligere eſt,in animatione nullam abijſſe formam, ſed adveniſſe; in morte verò non adveniſſe, ſed abijſſe; in vita autem coextiſſe cum anima conjunctâ corpori carneo, & oſſeo, formam illam ſubſtantialem corporeitatis conſtitutivam carnis, & oſſis. Quid dilucidius,& expeditius?

113 Quarta: quòd hæc videntur opponi duplici axiomati Philoſophico. Primum eſt: *Natura non per ſe intendit deſtructionem.* Si autem in morte non ſuccederet nova forma, ſolũ intendiſſet natura deſtructionẽ antiquæ formæ, aut ſaltem compoſiti. Secundum: *Generatio unius eſt corruptio alterius.* Si autem in animatione non corrumperetur antiqua forma embrionis, daretur generatio, ſeu productio unius ſine corruptione alterius. Reſpondetur, ſalvari penitùs axiomata. Primum: quia naturales mortis cauſæ jàm intendunt introducere novam formam, & quidem diſtinctam a conſtitutivâ carnis,& oſſis:hanc enim jam habet illa materia; quamvis neceſſe non ſit, quòd illam ſtatim aſſequantur. At non ſemper aſſequitur ſtatim natura finem, quem intendit: ut patet in monſtris. Interim autem dum,expulsâ anima defectu diſpoſitionum accidentalium, non aſſequitur natura introductionem novæ formæ, manet in materia forma ſubſtantialis carnis,& oſſis: eò tardiùs expellenda, quò minori eget accidentium ſuppellectile: ideóque deficiente diſpoſitione accidentali requiſitâ ad naturalem conſervationem animæ; manet requiſita ad conſervationem corporis carnei,& oſſei. Secundum: quia ſumi debet cum grano ſalis: non quód introductio unius ſit alterius corruptio idemticé; cúm poſſet ſaltem divinitús unum introduci, non expulſo altero; ſed cauſaliter, quatenus in formis præferentibus naturalem incompoſibilitatem, introductio unius intenta à natura infert,& quodammodo cauſat ſaltèm finaliter expulſionem alterius. At forma embrionis, quæ eſt ipſa forma corporeitatis conſtitutiva formaliter carnis,& oſſis;nullam præfefert incompoſibilitatem, ſed amiciſſimum contubernium cum anima. Reſpectu autem formæ, quæ occupabat materiam ante formam embrionicam corporeitatis, ordinatam inſtar medij ad finem animationis, jã eſt verũ,quòd introductio animæ quaſi in genere cauſę finalis cauſat illius corruptionẽ.

114 Quinta: quòd anima, cùm ſit *actus corporis*, recipitur in corpore, aut informat

corpus : atqui recipitur in ſola materia , aut informat ſolam materiam, non verò formam aliam ſubſtantialem : ergo quia corpus dicit eſſentialiter ſolam materiam,& non formam illam ſpecialem ſubſtantialem. Hinc docti RR. quibus arriſit hæc ratiocinatio , conſtituentes corpus per accidentia cum materia prima, diſcurrunt,corpus phyſicum eſſe concretum accidentale : ſicque debere ſumi juxta quamcumque ſententiam , in ipſa definitione animæ : *actus corporis* ; id eſt materiæ habentis tales diſpoſitiones de obliquo importatas , quamvis eſſentialiter. Reſpondetur, negando abſolutè minorem: nam, ut ait optimè laudatus ſupra Gaudentius Bontempi *diſp. illa 1. num. 79.* Anima præ ſui nobilitate ſubiectatur,non utcumque in materia , ſicut aliæ formæ , quæ ſunt *actus materiæ*: ſed,cùm ſpecialiter ſit *actus corporis*, ſubiectatur in corpore ſubſtantiali phyſico carneo,& oſſeo,ac proinde in materia & forma ſubſtantiali corporeitatis. Hinc enervatur totus ille diſcurſus Reſtionũ. Si nõ acquieſcis,dic,animã receptã in materia iã carnea,& oſſea dici receptã in corpore, & actuare corpus eâ phraſi , qua candor receptus in materia animata dicitur recipi in homine,& denominare hominem candidum. *Bontem.*

115 Sexta: quòd abſque prædicta forma ſpeciali ſubſtantiali corporeitatis conſtitueretur corpus phyſicum carneum,& oſſeum: ergo ſuperfluè ad id ponitur. Probatur antecedens : abſque illa dari poſſet homo impotens eſſe abſque corpore : ergo abſque illa conſtitueretur corpus. Antecedens iſtud probatur: quia , ſi anima rationalis coniungeretur , ut poteſt materiæ primæ , ſeclusâ omni alia formâ ſubſtantiali , fieret homo : quid enim aliud eſſe poſſet illud coniunctum? Ergo abſque illa alia forma corporeitatis dari poſſet homo. Reſpondetur, negando triplex antecedens: nam materia non ſubſtantialiter conſtituta in eſſe corporis carnei,& oſſei non eſt ſubiectum capax actuari per animam,quę eſſentialiter eſt *actus corporis phyſici* , carnei,& oſſei. Unde coniunctum illud, ſi daretur, non eſſet homo Quid tunc eſſet? Nondum habet nomen , nec meum eſt cognominare. Non eſſet unum per ſe eſſentiale,ſed omninò per accidens coniunctum: quia non eſſet ex forma, & ſubiecto capaci actuari per illam. Eſſet ad inſtar coniuncti ex anima , & albedine; ex anima , & uno punctuculo materiæ , cum quo iuxta adverſarios non fieret homo , eſſet ſicut coniunctum ex anima , & angelo: qui intrinſecè connecti , & colligari poſſunt in unum tamen per ſe coniungi non poſſunt. Quid inde? Planè materia prima non eſt capax actuari ab anima , niſi quatenus eſt capax præactuari à formâ illam conſtituente in ratione corporis phyſici carnei , & oſſei, unde ſine iſtâ formâ , nec divinitùs actuari valet ab anima.

116 Septima : quòd, ſi ex materia , & formâ corporeitatis fieret unum per accidẽs; homo ex illis, & ex anima compoſitus , eſſet ens per accidens. Si verò ex illis fieret unum per ſe, ex hoc ente per ſe, & ex anima rationali, quæ eſt aliud ens per ſe , non fieret unũ, niſi per accidens ; quia ex duobus entibus per ſe nequit fieri unum per ſe: ergo ſic etiã eſſet homo unum per accidens. Reſpõdetur, ex materia,& forma corporeitatis fieri unum per ſe, quia mutuò ordinantur ad ſubſtantialiter componendum ; incompletum tamen, quemadmodum materia ex multis particulis continua eſt ens per ſe ſubſtantiale , incompletum tamen , & anima etiam incompleta eſt ens per ſe. Non tamen propterea illud, ens per ſe ex materia , & forma corporeitatis facit cum anima ens per accidens ; ſed aliud ens per ſe perfectius completum, nempè hominem. Quod autem dicitur, ex duobus entibus per ſe non poſſe fieri unum per ſe , ſed per accidens, falſum eſt,ut explicui *diſp.2.de Incarn. num.11.* præſertim ſi ſint entia alioquin incompleta,& ex ſe ordinata ad mutuò componendum : qualia ſunt anima , & corpus : quam ordinationem non tollit in materia forma corporeitatis,utpotè animæ ſubordinata. *Supra diſp.2. de Incar. ſect.1.*

117 Octava : quòd ſi corpus compoſitum ex materia , & forma corporeitatis eſt ſubſtantia incompleta; ſequitur primò, naturaliter eſſe non poſſe ſine alia forma , ut dici ſolet de materia prima. Secundò , compleri per animam in ratione corporis : ac proinde animam eſſe per ſe ipſam conſtitutivam carnis,& oſſis, ut volebat quarta ſententia Tertiò , fore quid imperfectius lapide , qui eſt ſubſtantia completa. Quartò, non habere ſedem in Prædicamento. Reſpondetur , primam ſequelam eſſe falſam : nam anima eſt ens incõpletum,& abſq; miraculo exiſtit ſine corpore. Quòd autem materia prima nequeat eſſe naturaliter ſine forma,non eſt præciſè,quia eſt ens incompletum; ſed ob alias forte rationes ſumptas ex imperfectione ſui eſſe,cùm ſit pura potẽtia phyſica. At per formam corporeitatis jam phyſicè actuatur, quamvis non compleatur , & facit corpus, quod non eſt pura potentia phyſica. Secunda ſequela æquivoca eſt; & confundit iniquè corpus prædicamentale alió pertinens cum corpore phyſico carneo,& oſſeo , de quo loquimur. Et cum eâdem æquivocatione, luſu-

que

que verborum, dicam corpus compleri per animam in ratione corporis completi, quod eſt homo,& non pars hominis; ſicut materia completur per animam in ratione ſubſtantiæ completæ; non verò in ratione corporis carnei,& oſſei, quod eſt pars hominis; ſicut neque materia in ratione materiæ, aut in ratione ſubſtantiæ incompletæ. Ludo verbis, quibus ludit obiectio, ut colludamus omnes. Tertia ſequela falſa prorſus eſt: quia multa ſunt entia incompleta perfectiora multis completis: ut patet in anima rationali multò perfectiore formicâ, arbore, lapide, igni. Quarta vera eſt: tam longé tamen ab abſurdo, quàm quód anima, quæ incompleta quoque ſubſtantia eſt, ſedem non habeat in Prædicamento Ariſtotelico, cuius caput eſt ſubſtantia completa. Fac tibi aliud Prædicamentum ſubſtantiæ, univerſaliús patens ad ſubſtantias etiam incompletas, & ibi colloca corpus, & animam, quæ in Ariſtotelico ſedem non habent. Proh dolor!

118 Nona: quòd, ſi homo v.g. quia eſt ens corporeum dicit formam corporeitatis diſtinctam ab anima; ſimiliter, quia eſt ſentiens, dicere deberet formam ſubſtantialem ſenſitivam diſtinctam ab anima rationali: & quia eſt ens vegetativum, formam aliam vegetantem: & ſic pro diverſis gradibus prædicatorum diverſas alias formas ſubſtantiales, ut dixiſſe dicuntur nonnulli. Reſpondetur, quicquid nonnulli dixerint, hanc obiectionem reincidere etiam miſerè in æquivocationem corporis prædicamentalis, aut univerſalioris cum phyſico carneo,& oſſeo. Non tribuimus homini prædictam formam corporeitatis carnis, & oſſis, quia utcumque eſt ens corporeum: nam etiam lapis ſine carne, & oſſibus eſt ens corporeum, id eſt materiale, & non ſpirituale. Sed quia conſtat animâ, & corpore carneo,& oſſeo realiter ſeparabili ab anima, præcedente animam, & permanente poſt animam: ſicut tempore præcedunt,& ſubſequuntur illam caro, & oſſa: ac proinde non conſtituta per illam. Hæc ratio non valet pro animâ ſenſitivâ diſtinctâ à rationali in homine: quia non experimur earum ſeparationem, ſicut ſeparationem animæ à forma corporeitatis non minús, quàm à corpore in homine mortuo. Nota, quód in hoc noſtro ſenſu non veré dicitur: *homo eſt corpus*: ſicut nec: *homo eſt anima*: ſed: *homo eſt corpus, & anima unitim*. Quando autem dicitur: *homo eſt corpus*: ſumitur corpus in alio ſenſu huc non pertinente; ſicut dicitur etiam: *lapis eſt corpus* id eſt: *ens corporeum*, ſive, *materiale*.

119 Decima: quòd hæc ſtare nequeunt cum doctrina à nobis ſuppoſita *diſput. 1. de Incarn. à nu. 76.* ſubſiſtentiæ humanæ conſiſtentis in unione. Nam eſſent in homine duæ ſubſiſtentiæ: duæ videlicet uniones duarum formarum ſubſtantialium cum materia. Reſpondetur, optimè ſtare. Nam unio formæ corporeitatis ad materiam non eſt per ſe complementum naturæ, cum ſubſtantiam corporis, quàm conſtituit relinquat incompletam, utpote intrinſecè ordinatam ad ulteriorem cum anima compoſitionem ſubſtantialem unius per ſe eſſentialis nempé hominis. Unde ſola unio animæ ad corpus eſſet hominis ſubſiſtentia, & ultimum complementum, ex anima, materia,& formâ corporeitatis, quas intrinſecé unit, conſtituens unũ eſſentiale ſubſtantialiter completum, quando hæc ipſa unio, non ordinat, & transfert humanitatem, quam conſtituit, ad ulteriorem conſtitutionem unius eſſentialis, ut evenire diximus in unione humanitatis Chriſti, non per ſe complente, aut faciente humanitatem in ſe ſiſtere; imò illam hypoſtaticé conſtituente in alieno Suppoſito Divini Verbi. *Diſp.1. ſec. 7.*

120 Undecima: quòd penes accidentia non minùs diverſificantur caro,& oſſa hominis vivi, quàm caro hominis, & caro belluæ: utrobique namque videtur ex accidentibus argui diverſitas ſpecifica formarum. Quod ſtare non poteſt cum doctrina noſtra: ſiquidem caro,& oſſa hominis vivi per eamdem numero,& caro hominis, & belluæ per eamdem ſpecie corporeitatis formam conſtituerentur. Reſpondetur, optimè id ſtare. Staret in primis diverſitas phyſica carnis belluinæ ab humana: quia formæ corporeitatis in homine,& in bellua ſunt ſpecie diverſæ: ut de formis ſuis cadavericis dicant neceſſe eſt Adverſarij, nè cadaver humanum eiuſdem faciant ſpeciei cum canino. Staret deinde diverſitas ſpecifica carnis,& oſſis hominis vivi: quia, quamvis forma corporeitatis humana ſit compoſitivè una, coaleſcit ex multis partibus etherogeneis ſpecie diverſis inter ſe: quas propterea vocamus formas partiales carnis, oſſis, nervi, cartilaginis,&c. adæquãtes unam formam corporeitatis pro homine humanam, pro bellua belluinam. Id ipſum de forma ſua cadaverica dicere debent Adverſarij: & cum multis ipſorum idem tenuimus in Philoſophia de formis viventibus materialibus etherogeneè compoſitis.

121 Duodecima: quòd homo nunc vivens, eſſet, vocarique deberet cadaver, & embrio: ſiquidem ſimul cum anima retinet eamdem numero ſubſtantialem formam, quę conſtituebat embrionem,& conſtituet poſtea cadaver. Reſpondetur: verum eſſe quód re-

tinet eamdem formam. Cæterùm illam retinet ſimul cum anima: ideóque dum animatur, nec eſt, nec dici poteſt embrio, neque cadaver. Quia embrio, aut cadaver, nec eſt nec dicitur utcumque intrinſecè habens illam corporeitatis formam; ſed illam habens cum varijs extrinſecis denominationibus: Embrio mox habituri, & nondum habentis animam; Cadaver, non habentis jam animam, quàm priùs habuerit. Sunt ergo ea nomina partim affirmativa partim negativa: & qua parte negativa ſunt convenire compoſito non poſſunt, dum habet animam: ſicut nec eſſe præteritum, nec futurum dum exiſtit.

SECTIO X.

Quid ſignificet vox, Sanguis, *in Verbis conſecrationis Calicis.*

S. Thom. Suar. Vaſq.

122 CEnſui in Animaſticis cum S. Thom. Suarez, & Vaſquez, ſanguinem non animari; ſed conſtitui in eſſe ſanguinis per formam ſuam ſpecialem ſubſtantialem materialem, non conſociatam formæ viventi in eadem parte materiæ. Alijs placet, cum Hurtado, Arriaga, Bernal, & Lynceo, ſanguinem animari. Quod quamvis verum eſſet, non propterea neganda erit ſanguini ſua forma partialis ſubſtantialis cõſtitutiva ſanguinis ſimul in eadem materia cum forma vivente; ut diximus de formis partialibus carnis & oſſis.

Hurt. Arriag. Bern Lynceo.

123 Utrovis modo ſit, dicendum nobis conſequenter eſt, quòd, ſicut vox, *corpus*, in verbis conſecrationis ſignificet conjunctum incompletum ſubſtantiale ex materia prima, & formis ſpecialibus ſubſtantialibus materialibus carnis, oſſis, nervi, aliarumque partium ſolidarum corporis; ita vox *ſanguis*, conjunctum etiam incompletum ſubſtantiale ex materia prima, & formâ ſpeciali ſubſtantiali materiali ſanguinis.

124 Quo ex dictis ſuppoſito, abundèque probato, ſuperſunt quinque. Primum: an nomine ſanguinis ſignificetur humor ſanguineus purus; an mixtus cum tribus alijs humoribus? Secundum: an continuus? Tertium: an totus? Quartum: an totus in Paſſione fuſus? Quintum: quid, ſi fieret conſecratio, patiente Chriſto?

P. Joann Paulus. Boxaſſa.

125 Circa primum exiſtimo cum me doctioribus, ſignificari coniunctum ex humore ſanguineo, & alijs humoribus mixtim cum illo contentis in venis & in alijs vaſculis corporis humani Chriſti. Tum quia in quotidiano modo loquendi totum illud mixtum appellari ſolet ſanguis. Tum quia totum illud mixtum intelligimus fluxiſſe de corpore Chriſti, quando audimus quod fluxit ſanguis. Tum quia nomine ſanguinis ſui intellexit absdubio Chriſtus conſecrans liquidum illud ſanguineum, quod effudit in Paſſione, & cõmuniter diſcernitur ab alijs, quæ ſunt in corpore; at ſanguis omninò purus vix diſcernitur à tribus alijs humoribus in venis, nec recèns fuſſis: Veriſimilius ergo eſt, quòd nomine ſanguinis venit tota illa mixtura quatuor humorum, ſanguinis, bilis, phlegmatis, & melancholiæ.

126 Circa ſecundum P. Suarez *diſp. 51. ſect. 3.* inſinuat poni in Calice ſanguinem Chriſti continuativè unitum. Quamvis enim intra corpus extenſum non ſit totus ſanguis continuus, ſed diſcretè diviſus in diverſis loculis invicem diſtantibus; at in Sacramento ponitur totus indiſtanter penetratus: ſed partes eiuſdem liquoris indiſtantes poſitæ uniũtur ſtatim ad invicem continuativè: ergo ponitur ibi totus ſanguis continuus. Meliùs tamen id negant Delugo *diſp. 8. num. 110.* & Bernal *diſp. 36. ſec. 3.* Nam in Euchariſtia ponitur ſanguis Chriſti ſine ſubſtantiali ſui immutatione: per novas autem uniones ſubſtantiales continuativas ſubſtantialiter, & intrinſecè immutaretur. Ad fundamentum oppoſitum, conceſsâ maiori, dico, minorem eſſe veram, rebus naturaliter diſpoſitis; at in Euchariſtiam non ſit ſanguis Chriſti indiſtanter penetratus naturali modo, ſed miraculoſo. Unde non eſt cur ſervetur ordo ille naturæ quoad continuationem partium ſanguinis.

Suar. *Delug.* *Bernal.*

127 Circa tertium putarunt aliqui, Chriſtum conſecrantem in Cœna non ſignificaſſe totum ſuum ſanguinem; ſed illum dumtaxat, qui fuit mox effuſus in Paſſione: Chriſtus enim addidit: *qui pro vobis effundetur.* Cæterum hoc Chriſti additamentum non fuit limitativum, ſed explicativum, ut ſignificaret, ſanguinem ſuum, quem totum exhibebat in Calice, eſſe effundendum in Paſſione: quod abſolutè verum eſt, quamvis aliquæ ſanguinis guttæ non effuſæ fuerint.

128 Card. Delugo cum alijs *ſect. 3.* ait, Chriſtum in Cœna conſecrantem ſignificaſſe totum omninò ſuum ſanguinem; quippé totus in Paſſione effuſus eſt; à nobis tamen nunc conſecrantibus ſignificari totum, quem nunc habet, & effudit in Paſſione, demptis guttulis, quæ adhærentes inſtrumentis Paſſionis, emiſſerunt ibi ſtatim formã ſanguinis. Non acquieſcit Bernal. Nam à Cœna ad mortem uſque partes aliquæ ſanguinis vi nutritivâ converſæ fuerunt in carnem: ergo nec totus omninò ſanguis, qui erat nocte

Lug. *Bernal.*

Cœ-

Cœnæ fuit effusus in Passione,& aliquid sanguinis interim decoctum,fuit effusum in Passione, quod non erat nocte Cœnæ: ergo stare nequit, quòd Christus consecrans significaverit, & poluerit in Calice totum omninò sanguinem, quem effudit in Passione.

Bern. 129 Melius ergo sit Bernal, nomine sanguinis in consecratione venire totum, solumque sanguinem existentem in Christo, quando fit consecratio. Unde in Cœna significatus, & positus fuit sanguis, quem tunc Christus habebat; nunc verò significatur, & ponitur sanguis, quem nunc habet. Quæ doctrina eò mihi magis arridet, quó magis firmat veritatem, & vim argumenti à nobis

Supra sect.7. instituti *nu.90.* contra ipsum Bernal,& alios, dùm diximus vocem, *corpus*, ab eo, quod de facto in re est, contrahi, ut significet formam, qua nunc constituitur materia in ratione corporis, ac proinde animam, si verum esset, quòd nunc per illam constitueretur. Hoc idem fatetur sponte Bernal in sanguine,dum ait,per sanguinem, qui in re est dum fit consecratio, contrahi vocem, *sanguis*, ut hic sanguis, significetur,& ponatur ex vi verborum. Verè quidem; sed minùs consequenter.

130 Applicanda est hæc vera doctrina pariter ad corpus. In quo ob similem rationem nutritionis occurrit eadem per illud ipsum tempus variatio, & difficultas. Unde

Hena. consequenter infert Henaus *disp.8. num.50.* aliquid Christi poni nunc in Eucharistia nomine corporis sub speciebus panis, quod nocte Cœnæ positum fuit nomine sanguinis sub speciebus vini: nempe illud quod Cœnam inter, & mortem conversum fuit à sanguine in carnem.

131 Circa quartum pendet resolutio ex quæstione, de qua Suar. *tom 3. par. disp.*

Suar. *47. sect.3.* & Vasq. *disp 36. cap.8.* an Chris-

Vasq. tus resurrexerit cum toto sanguine in Passione effuso. Negant aliqui testantes, alicubi servari reliquias sanguinis Christi, de quo sicut, & de particula præputij circumcisionis

Laurea. videndus Cardinalis de Laurea *disp. 29. de Incarn. art 8.* Fortè quæ dicuntur reliquiæ nunc extantes sanguinis Christi, aut sunt ex sanguine miraculosè effuso ab aliquibus Imaginibus Christi; vel est aliqua materia retinens ex contacta sanguinis Christi colorem rubrum. Probabilius mihi est, in Passione Christi nihil sanguinis periisse, totumque omninò fuisse restitutum Christo resurgenti: guttulas etiam adhærentes instrumentis Pas-

Lug. sionis, quas supra excipiebat Delugo, videndus etiam *disp. 14. de Incarn. sect. 6.* Ratio est: quia si res naturaliter consideretur, vix credi posset, quidquam sanguinis adeò dispersi retinuisse suam formam substantialem toto triduo cùm sanguis extra corpus brevissimè corrumpi soleat: ut ergo dicatur, ut oportet, quidquam sanguinis Christi retinuisse formam sanguinis, recurrere opus est ad miraculosam Dei providentiam. Hæc autem interposita, non video, cur minutissima quæque guttula sanguinis Christi effusi non fuerit etiam divinitus conservata, & Christo redivivo restituta. Unde nunc totus omninò Christi sanguis in Passione effusus significatur, & ponitur in Sacramento. Et in id inclinat meritò Suarez. *Suar.*

132 Miror deinde, aliquos Authores nimis in eo sollicitos, quòd nulla guttula sanguinis manserit adhærens venis, aut carni Christi; faciliùs sibi persudere potuisse,quòd aliqua perierit,aut manserit post triduum adhærens clavis,& lanceæ. Mihi quidem ut fi-que incredibile est. Hoc posterius ob rationem datam *num. præced* ex singulari Dei providentia miraculosâ. Illud prius: quia sine fundamento dicitur, & fieri non posset absque alio miraculo, sine necessitate,& utilitate multiplicando. Naturali namque, & ordinario modo non ita effluit totus omninò sanguis à corpore humano valde sinuoso, ut nihil prorsus liquoris sanguinei viscosi, & crassi, maneat, venis, aut carni adhærescens: cùm neque é calice nitidissimo sub speciebus vini fluidioribus,& liquidioribus, effluat ita facilè totus omninò, quantumvis aliqui celebrantes iterum, atque iterum ad labrum calicis exugant usque ad indecentiam, & tædium, ut prudenter notat Diastillus *disp. 5. dub. 10.* Unde pro maiori decentia consulit Bissus in Hierurgia verb. *Sanguis Christi* *Bissus.* *num. 18.* ut uno dumtaxat hausta sumatur sanguis.

133 Circa quintum ait Delugo *disp.8.* *Lug.* *num. 109.* quòd, si patiente Christo conse-crarent Apostoli, poneretur sub speciebus totus Christi sanguis, tam iamtum effusus, quàm mox effundendus: quia uterque esset sanguis Christi. Objcit sibi: digitus antea abscissus non poneretur sub speciebus panis nomine corporis: ergo nec sanguis antea effusus sub speciebus vini nomine sanguinis. Et permisso antecedente, negat consequentiam: quia corpus in ratione corporis humani dicit absolutè partes solidas invicem continuatas; sanguis verò, sive continuus, sive diffluxus. P. Henaus *num. 51.* videtur ad- *Hena.* mittere antecedens, quatenus ait, nomine corporis non ponendam sub speciebus panis particulam corporis abscisam in circumcisione.

Ref:

134 Reſpondendum videtur cum diſtinctione, quòd in eo caſu ſub ſpeciebus vini poneretur, totus ſanguis Chriſti, ille quoque, qui tunc jam effuſus erat: ob rationem datam à Delugo. Non verò ſub ſpeciebus panis: quia ſub ijs non ponitur ſanguis Chriſti ex vi verborum; ſed per concomitantiam: *Hena.* ille autem ſanguis tunc extra corpus effuſus non comitaretur corpus. Sic Henaus. Unde ad obiectionem dicerem cum ſimili diſtinctione, & ob eamdem rationem, quòd digitus ille abſciſſus poneretur ſub ſpeciebus panis; non vero ſub ſpeciebus vini: niſi forté illum recéns abſciſſum comitaretur aliquid ſanguinis: & idem de particula circumciſionis, dùm formam ſubſtantialem carnis, & unionem ad Verbum retinuerit.

SECTIO XI.

Deciditur ex præcedentibus doctrinis, quid ponatur Chriſti in Euchariſtia ex Vi Verborum, quid per Concomitantiam ad mentem Concilij Tridentini.

Trid. 135 TExtus Tridentini *ſeſſ.13. cap. 3.* ſic habet: *Semper hæc Fides in Eccleſia Dei fuit: ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri Corpus, verumque ipſius ſanguinem ſub panis, & vini ſpecie, unà cum ipſius anima, & Divinitate exiſtere: ſed Corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum; animamque ſub utraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantia, qua partes Chriſti Domini, qui jam ex mortuis reſurrexit non ampliùs moriturus, inter ſe copulantur: Divinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima Hypoſtaticam unionem.*

Vaſq. 136 Hinc cenſent Vaſq. *diſp.181. c.2.* *Dicaſt.* Dicaſt. *diſp.5. dub.5.* & Bern. *diſp.36. ſec.1.* *Bern.* diſcrimen iſtud concomitantiæ, & ex vi verborum eſſe de Fide. Benigniùs cenſet Suar. *Suar.* *diſp.51.* temeritatem fore, & errorem illud negare, ut negant Hæretici poſt Lutherum, & Petrum Martyrem. Horum aliqui eatenus illud negant, quatenus ajunt, ſub ſpeciebus id tantum poni, quod ſignificant verba; alia verò nec per concomitantiam: unde dicunt ſub ſpeciebus panis poni corpus ſine ſanguine, & anima; & ſub ſpeciebus vini ſanguinem ſine anima, & corpore: & hæc eſt clara *Trid.* hæreſis contra Canonem 3. Tridentini. Alij, quatenus aiunt, omnia hæc poni ex vi verborum, & nihil per ſolam concomitantiam; & hæc eſt ſaltem temeritas, & error.

137 Statuto igitur iſto Catholico diſcrimine, eſt labor in illo ritè conſtituendo, & explicando. Quid nempè ſit poni, aut eſſe ex Vi verborum? Quid per Concomitantiam? Dixi, *poni*, *aut eſſe*: quia quæſtio verſatur, tam de ijs, quæ ibi non erant, & de novo ponuntur, ut Corpus, Anima, & Sanguis; quàm de Divinitate, quæ iam erat ibi titulo immēſitatis, ideòque non dicitur poni, ſed eſſe ibi novo titulo poſt conſecrationem. Plura Ber- *Bern.* nal §.2. & Dicaſt. *dub.1.* *Dicaſt.*

138 Tria mihi ſupponenda videntur ex tenore Tridentini. Primum, attendi oportereé ad verba, prout in conſecratione ſignificantia. Id vidimus in voce, *corpus*, quæ, ut notavimus *num 45. & 46.* multas habet ſignificationes huc non pertinentes. Secundū, aliud eſſe, utrumque ſignificari per verba; aliud, poni ibi ſcilicet in eo loco, vel ſubiecto ex vi verborum: ſi enim verba dicerent: *hoc eſt corpus meum natum ex Virgine*, ſignificaretur per verba B. Virgo, quæ tamen non poneretur ibi id eſt, nec in loco, nec in ſubiecto ſic demonſtrato, ex vi verborum. Tertium, non rectè fundari diſcrimen iſtud in præciſſionibus metaphyſicis formalitatum taliter, ut illi rerum conceptus ponantur præciſé ex vi verborum, quos formaliter exprimunt verba; alijs verò in ijſdem rebus idemtificati ponantur ſolum per concomitantiam. Planè Concilium poſitionem ex vi verborum contraponit poſitioni per *concomitantiam*, ſeu per *connexionem naturalem*, qua partes Chriſti vivi *copulantur inter ſe*. Quis autem putet, per has loquutiones voluiſſe ſignificare Patres Tridentinos apprimè doctos, & in Scholis verſatos idemtitatem formalitatum? Id quod iam prænonui *num.56. & 91.*

139 Concluſio. Id ponitur, aut eſt ſub ſpeciebus ex vi verborum, quod Chriſti verba: *Corpus meum: ſanguis meus*: affecta verbo *Eſt*, & pronomine, *Hoc*, aut, *Hic*, ſignificant ibi eſſeidque quod conſtituit realiter eiuſmodi ſignificatum. Id autem ponitur, aut eſt per meram concomitantiam, quod ponitur, aut eſt ibi titulo conſecrationis, & non ſignificatur per verba; nec conſtituit id quod per verba ſignificatur. Dixi: *per meram concomitantiam*: nam aliquid eſt, quod ponitur vi Verborum, ſimulque per concomitantiam: ut forma ſanguinis, quæ ponitur in Calice vi verborum, quia conſtituit ſanguinem ſignificatum expreſſe per verba; ſimulque per concomitantiam ob connexionem cum materia ſanguinis poſitâ etiam vi verborum. Hæc explicatio videtur ſatis ap-

tè complectit doctrinam Tridentini, ut ex ſtatim deducendis liquebit.

140 Hinc fit primò, quòd ſi ſub ſpeciebus panis non poneretur corpus, aut deeſſet aliquid ſimpliciter ibi requiſitum, ut ibi verè poneretur corpus; non verificaretur ſignificatio enunciativa, & demonſtrativa verborum: verificaretur autem, quamvis ibi non eſſet ſanguis, qui ſub ſpeciebus panis ponitur per meram concomitantiam: quia nempe ſanguis non eſt corpus, nec conſtituit corpus in ſenſu, quò in conſecratione accipitur nomen, *Corpus*, pro carne, oſſibus, nervis, aliiſque partibus ſolidis humanitatis Chriſti. Non quòd omne verificativum verborum debeat eſſe ex vi verborum ſub ſpeciebus, ut patet ſi verba dicerent: *Hoc eſt corpus natum ex Virgine*. Nec quòd quidquid eſt ex vi verborum ſub ſpeciebus debeat eſſe omninò requiſitum ad eſſentialem verborum verificationem: nam quodlibet punctulum materiæ corporis Chriſti ponitur ex vi verborum ſub ſpeciebus panis; quo tamen punctulo deficiente verè etiam enunciaretur: *hoc eſt corpus meum*. Sed quia verba, prout hic, & nunc enunciativè, demonſtrativè prolata, ſignificant, quod hic & nũc eſt corpus Chriſti, & de toto illo enunciant abſolutè eſſe ſub ſpeciebus panis cum toto illo conſtitutivo intrinſeco, quo nunc corpus Chriſti conſtituitur: & eſt actuale illorum verificativum.

141 Fit ſecundò: ſub ſpeciebus panis poni ex vi verborum materiam primam, & formam ſubſtantialem corporeitatis, carnis, oſſis, nervi, &c. unitim: ex ijs enim conſtituitur corpus, prout hic ſumitur pro parte phyſica carnea, & oſſea hominis. Similiter ſub ſpeciebus vini ponitur materia, & forma ſubſtantialis ſanguinis unitim: quia ex ijs conſtituitur eſſentialiter ſanguis expreſsè ſignificatus nomine ſanguinis. Quodſi nomine ſanguinis, ut diximus *num. 120.* ſignificatur in conſecratione, ſicut in uſuali loquutione, mixtum illud ex quatuor humoribus; materiæ quoque & ſpeciales formæ ſubſtantiales illorum humorum unitim ponuntur in calice ex vi verborum: quia ſunt conſtitutiva talis ſignificati per nomen *ſanguis*.

142 Fit tertiò. Præſentiam ſacramentalem, & reproductionem Corporis Chriſti in Euchariſtia, quæ eſt unus, & idem modus intrinſecus accidentalis, poni ſub ſpeciebus panis; & præſentiam, ac reproductionem ſanguinis ſub ſpeciebus vini ex vi verborum. Ratio eſt, quia Corpus & Sanguis ponitur, & ſignificatur per verba præſens ſub ſpeciebus: ea autem ſacramentalis præſentia, quam Chriſtus non habet in Cœlo, & habet in Euchariſtia, eſt ipſa Chriſti poſitio, ſeu reproductio Euchariſtica, ut dicemus *diſput. ſeq. ſect. 1.*

143 Fit quartò. Perfectiones alias intrinſecas accidentales, quibus corpus, ſanguis, aut anima Chriſti informantur in Cœlo; non poni in Euchariſtia ex vi verborum: quia non conſtituunt corpus, nec ſanguinem expreſsè per verba ſignificatum. Idem dic de quantitate Chriſti, ſi accidens eſt. Si autem identificatur cum ſubſtantia materiæ primæ, dic de quantitate quod de materia prima. Refragantur Vaſquez, & Meratius. *Vaſq. Merat.* Quia, inquiunt, ſub ſpeciebus panis ponitur ex vi verborum corpus organicum, etherogeneum. Sed conſtituitur in eſſe organici, & etherogenei per quantitatem accidentalem, duritiem, mollitiem, aliaſque qualitates primas, & ſecundas: ergo hæc ſaltem accidentia ponuntur ex vi verborum. Hac ratione utebamur *ſect 6.* contra Authores abſolutè concedentes minorem, & minus conſequentes recuſantes conſequentiam Patris Vaſquez. Nos facilè diſtinguimus maiorem: ex vi verborum ponitur corpus ſubſtantialiter organicum, & etherogeneum, concedo: accidentaliter organicum, & etherogeneum, nego: & quidem præcipua ex organizationibus accidentalibus per extenſionem, collocationem, debitamque diſtantiam partium, nec per cõcomitantiam ponitur: cum in Euchariſtia ſit corpus Chriſti cum penetratione omnium partium homogèneatum, & etherogeneatũ. Minorem quoque diſtinguimus: in eſſe accidentaliter organici, & etherogenei, concedo; ſubſtantialiter, nego. nam in eſſe talis conſtituitur formaliter per formam corporeitatis, coaleſcentem ex multis formis partialibus ſubſtantialibus ibi penetratis, & conſtituentibus ſubſtantialiter carnem, oſſa, nervos, &c. Unde conſequẽtia nulla eſt: cũ ſatis, ſit, quòd eiuſmodi accidentia comitentur in Euchariſtia prædictas formas ſubſtantiales poſitas ex vi verborum.

144 Fit quintò: animam, ejuſque unionem ad corpus Chriſti ſub neutra ſpecie Euchariſticâ poni ex vi verborum. Quia neque ſunt corpus, nec ſanguis: nec conſtituunt corpus, nec ſanguinem.

145 Fit ſextò, idem eſſe dicendum, ob eamdem rationem de Divinitate, ſeu Perſonalitate Chriſti, ut dicemus ſeorſim *ſect. ſeq.* & de unione hypoſtaticâ. Nec obeſt, quòd hæc, utpotè identificata realiter cum unione corporis & animæ, ſit de conſtitutivo humanitatis. Nam ex hoc ſolùm inferretur, ponendam eſſe ex vi verborum, ſi humani-

tas

tas poneretur ex vi verborum. At non ponitur ex vi verborum humanitas; ſed corpus,& ſanguis: de quorum conſtitutivo non eſt unio corporis ad animam, nec ad Verbum. Unde falsò exiſtimavit Nugnus, uuionem hypoſtaticam poni ex vi verborum. *Nugn.*

146 Fit ſeptimò: animam, eiuſque unionem; Divinitatem, ſeu Perſonalitatem, & Unionem hypoſtaticam, qualitates, & accidentia intrinſeca entitativa corporis,& animæ Chriſti glorioſi,ſub utràque ſpecie; corpus ſub ſpeciebus vini; & ſanguinem ſub ſpeciebus panis, poni per concomitantiam. Dixi, *accidentia entitativa*: nam modus accidentalis actionis, qua ea omnia conſervantur in Cœlo, non ponitur in Euchariſtia: cùm ſit modus ipſe præſentiæ in Cœlo per ſe eſſentialiter alligatus tali loco; ſed pro illo eſt in Euchariſtia vi verborum modus alter reproductionis, qui eſt præſentia ſacramentalis. Per hæc ſalvatur expeditè tota doctrina Trident. recitata *n. 130.*

147 Quid de Natura Divina,& de Perſonalitatibus Patris, & Spiritûs Sancti? Certum eſt, has non eſſe in Eudhariſtia ex vi verborum. Addunt Hugo Cardin. Nugnus, & alij apud Dicaſtillum *dub. 7.* quód nec per concomitantiam. Communis tamen ſententia meritò docet, eſſe per concomitantiam: ita ſcilicet, ut quamvis alioquin ratione immenſitatis non eſſent ubique, eſſent in Euchariſtia ratione circuminſeſſionis,ſeu identitatis in tertio cum Perſonalitate Verbi. *Hug. Nugn. Dicaſt.*

148 Dices: Ex eo quòd Verbum incarnatur,& patitur non dicuntur Pater, & Spiritus Sanctus incarnari & pati: ergo neque ſpeciali titulo eſſe in Euchariſtia ex eo quòd Verbum ibi ſpeciali titulo ſit. Reſpondetur,conceſſo antecedente,diſtinguo conſequens: ſpeciali eo titulo, quo eſt Verbum, concedo; alio etiam ſpeciali, nego. Verbum enim eſt ibi titulo unionis ſui cum corpore; Pater verò,& Spiritus S. non titulo unionis ſui cum corpore, ſed titulo circuminſeſsionis, ſeu identitatis ſui cum Verbo in uno tertio, nempé in Natura divinà: qui ſunt diverſi tituli concomitantiæ. Sic in humanitate, in qua eſt Verbum per unionem, dicuntur eſſe aliæ Perſonæ per circuminſeſsionem: quin propterea dicantur incarnatæ, & paſſæ: ad id enim requiritur titulus unionis hypoſtaticæ illarum: qui titulus non eſt.

149 Ob ſimilem rationem negandum eſt Patrem, & Spiritum S. in Euchariſtia manducari, & bibi. Hoc enim cum dicat motum localem trajectionis, nec Verbo poteſt convenire, niſi per communicationem idiomatum ratione humanitatis unitæ ſibi in unitatem ſui Suppoſiti: non autem ſic aſſumpta eſt in unitatem Suppoſiti Patris, aut Spiritûs S. Oppoſitam loquutionem cenſurat Torres; non tamen omninò reſpuunt Vaſquez,& Dicaſtillus. *Torres. Vaſq. Dicaſt.*

150 Hinc dici nequit, demonſtratis accidentibus Euchariſticis: *iſte eſt Pater*: *iſte eſt Spiritus Sanctus*: ſicut dicitur: *iſte eſt Deus*: *iſte eſt Filius Dei*: quia huiuſmodi loquutiones non ſolum ſignificant, Filium, & Deum eſſe ibi utcumque præſentem; ſed ſubſtare illis accidentibus: quod de Filio dici poteſt per communicationem idiomatum ratione humanitatis unitæ hypoſtaticé ſibi; non autem de Patre, aut Spiritu S. non ſic unitis humanitati.

SECTIO XII.

An Perſonalitas Verbi ſit ſub ſpeciebus Euchariſticis ex vi Verborum.

151 PBernal *diſp. 39.* affirmat eruditè, citans pro ſe Sanctesium *repet. 9. c. 3.* Duos addo egregios Patronos Cardin. Bellarminum *lib. 4. de Euchar. cap. 23.*& Theophilum Raynaudum in Cãdelabro Septiluſtri *ſect. 3. c. 4. n. 12.* & habetur *to. 6 omnium operum.* *Bern. Sanctes. Bellar. Rayn.*

152 Probant primó. Ex vi verborum ponitur ſub ſpeciebus panis corpus Chriſti, ut exiſtens: ſed ut exiſtens dicit Perſonalitatem, vel Divinitatẽ Verbi: quia nihil humanitatis Chriſti exiſtit, niſi per increatam exiſtentiam Verbi: ergo ex vi verborum ponitur, aut eſt ſub ſpeciebus Divinitas, ſeu Perſonalitas Verbi. Thomiſtæ quorum eſt doctrina minoris ſibi conſulant. Mihi falſa eſt minor, eiuſque ratio ex dictis *diſput. 2. de Incarn. ſect. 2.* *Diſp. 2. de Incar.*

153 Probant ſecundò. Ex vi verborum ponitur ſub ſpeciebus Humanitas, ut producta: ſed ejus productio, nè ſit ſubſiſtentia creata, eſt ejus unio ad Suppoſitum verbi: ergo ex vi verborum ponitur unio hypoſtatica ad Verborum: ergo,& ipſum Verbum, quocum unio eſſentialiter connectitur. In primis major eſt falſa ex *num.* 139. quia ex vi verborum non ponitur humanitas. Quia tamen poſſet fieri idem argumentum de corpore, ut producto; permiſsâ maiori, negatur omninò minor ex latè dictis *diſp. 1. de Incar. ſect. 5. & 6.* contra Patrem Bernal. Sicque nulla eſt conſequentia, & ſubillatio. Addo, adhuc permiſsis minori,& conſequentia, ſubillationem non eſſe legitimam: quia ut unum ponatur ex vi verborum, non ſufficit, quòd *Diſp. 1. de Incarn.*

po-

ponatur ex vi verborum aliud, quo cum eſſentialiter connectitur: alioquin cogeretur dicere P. Bernal eſſe quoque ex vi verborum in Euchariſtia Patrẽ,& Spiritum Sanctum eſſentialiter connexiſſimos cum Verbo, quod iuxta ipſum ponitur ex vi verborum.

154 Probant tertió. Corpus dicit ſubſiſtentiam, qua ſubſiſtat: ſed in Chriſto non aliam niſi Verbi: ergo dicit ſubſiſtentiam Verbi: ergo poſito corpore vi verborum, ponitur vi verborum ſubſiſtentia, ſeu Perſonalitas Verbi.

155 Reſpondent quidam, corpus dicere quidem ſubſiſtentiam; hanc tamen non ſignificari per nomen corpus: quia, inquiũt hoc nomen ſolùm ſignificat corpus, ut partem hominis. At ſi corpus, ut urget benè Bernal, eſt in re concretum ex natura illa partiali, & ex ſubſiſtentia: cur totum id non ſignificabitur nomine corporis? ſicut nomine hominis concretum ex natura humana, & ſubſiſtentia. Aut, ſi incompletio corporis in eſſe naturæ non obeſt, quominus corpus ſit aparte rei ſubſiſtens; cur oberit quominus nomine corporis ſignificetur ſubſiſtens? Dant rationem, quia Verbum dicitur aſſumpſiſſe corpus: quod non poſſet dici, ſi corpus ſignificaret ſubſiſtentiam: ſicut quia homo ſignificat ſubſiſtentiam, nequit dici aſſumpſiſſe hominem. Recta doctrina ad negandum corpus dicere á parte re ſubſiſtentiam; non verò ad negandum, eam ſignificari nomine corporis, ſi corpus eam dicit à parte rei.

156 Reſpondetur ergo ſecuriús, & faciliús, negando abſolutè maiorem: corpus enim, ſicut neque anima ſeorſim, nullam dicit ſubſiſtentiam, quâ partialiter ſubſiſtat: hoc enim repugnat eius incompletioni eſſentiali: ut conſtat *ex diſp.3. de Incarn ſec.4.* & fuſiùs *diſp.6. de Attrib.* Unde liquidum eſt, quòd nomen corpus in præſenti acceptione non ſignificat rem ſubſiſtentem, cùm ſignificet rem ex ſe incompletam, acproinde nec ſubſiſtentiam Verbi, nec ullam aliam ex vi ſuæ ſignificationis.

Supra diſp.3. de Incar. Tom.1. diſp.6.

157 Probant quartó. In conſecratione dicit Chriſtus: *Hoc eſt corpus meum*: ubi, *meum*, ſignificat eſſe corpus Perſonæ id dicentis: ergo perſonam Chriſti: ergo ex vi verborũ poni debet ſub ſpeciebus Perſonalitas Chriſti, quę eſt Verbi. Probatio hæc nimia eſt: ſimiliter enim probaretur poni ex vi verborum animam, cum eſſentialiter conſtituat Chriſtum id dicentem. Et ex eo quód diceret Chriſtus: *Maria eſt Mater mea*: Chriſtum debere poni ubi eſt Maria: quia vox, *mea*, ſignificat Perſonam Chriſti, id veriſimé dicentem.

158 Reſpondetur, conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens: ibi, *meum*, ſignificat perſonam id dicentis eſſe ibi nego; ſignificat, ibi, ſeu illud eſſe corpus ſpectans ad Perſonam id dicentem, concedo conſequentiam, & ſubillationem. Nam ad hoc ut corpus illud ſpectet ad Chriſtum nõ eſt neceſſe quód Chriſtus ſit ubi eſt corpus: ſicut nec quòd ſit ubi eſt Mater, ad hoc ut Mater ſpectet ad Chriſtum, ſitque, ac dicatur veré Mater Chriſti: nec quód Petrus ſit ubi eſt ager, ad hoc ut veré dicatur: *hic ager Petri*: & ut Petrus dicat: *ager eſt meus*: nec & reproducto coram me corpore meo, non ibi reproductâ animâ, verè dicerem: *hoc eſt corpus meum*: quin proinde ſignificetur, me eſſe reproductum ubi reproductũ eſt corpus illud, quod ad me pertinet. Ad hoc autẽ ut ex vi verborũ poneretur in Euchariſtia Perſona Chriſti dicentis: *hoc eſt corpus meũ*: deberet per illa ſignificari illud quod ibi eſt, non utcumque eſſe Perſonæ Chriſti; ſed eſſe Perſonam Chriſti; non tamen id ſignificatur; ſed illud eſſe perſonæ Chriſti, ſive Perſona ibi exiſtat; ſive non.

159 Hinc perſpice, quàm ſit verum; quod obſervavimus *ſec. prec.* non eſſe idem rem ſignificari ex vi verborum, & rem poni aut eſſe ſub ſpecibus ex vi verborum. Concedam Patri Bernal, Perſonam Verbi ſignificari ex vi verborum conſecrationis; non tamen poni, aut eſſe ſub ſpeciebus ex vi verborum: Quemadmodum ſi verba conſecratoria eſſent: *hoc eſt corpus meum natum ex virgine*; ſignificaretur quidem vi verborum B. Virgo; non tamen poneretur hęc ſub ſpeciebus.

160 Obſerva: quòd P. Suarez concedens ob prædictam quartam probationem, poni ex vi verborum corpus, ut ſubſiſtens præciſim à ſubſiſtentia creatâ, & increatâ, nimis concedit Patri Bernal ſubinferenti legitimè, debere poni hic, & nũc ex vi verborum Perſonam increatam Verbi, cùm hic, & nunc non ſubſiſtat per aliam illud corpus: ut in ſimili arguebamus nos *ſec.* 7. Ubi obſervandũ quoque venit inconſequentia Patris Bernal, ſubinferentis, nunc ponendam ex vi verborum ſubſiſtentiam divinam ex eo quód ex vi verborum ponatur corpus ſubſiſtens, & quòd de facto ſubſiſtat per ſubſiſtentiam divinam: qui tamen ibi docebat cum Suarez, ex eo quód ex vi verborum ponatur corpus conſtitutum per aliquam formam ſubſtantialem, & quód de facto talis forma ſit anima, non inferri, animam ponendam fore ex vi verborum. En ex his Auctoribus corroboratum noſtrum argumentum ibi inſtitutum contra

Suar.

Bernal.

ipſos pro formâ noſtrâ corporeitatis.

161 Probant quintò. Quod ex vi verborum ſub ſpeciebus panis deſinit eſſe, & quod ſubijſdem incipit eſſe, ex vi verborum, debent ſervare proportionem: ſed quod ex vi verborum deſinit eſſe eſt panis dicens naturam, & ſubſiſtentiam: ergo quod ex vi verborum incipit eſſe eſt corpus dicens naturam, & ſubſiſtentiam; ac proinde Perſonalitatem Verbi. Blumbis probatio, funditús corruens, negata maiori, nunquam probandâ. Qua tamen admiſsâ aſſume pro minori: *ſed quod ex vi verborum deſinit eſſe, eſt ſubſtantia completa panis ex materia, & forma ſubſtantiali, & ſubſiſtentia*: & inferes, id quod ponitur ex vi verborum nomine corporis debere eſſe ſubſtantiam completam ex materia, & ex forma ſubſtantiali, & ſubſiſtentia; ac proinde animam poni ex vi verborum: aut aſſume: *ſed quod ex vi verborum deſinit eſſe eſt panis ſubſiſtens per ſubſiſtentiam creatam*: & inferes abſurdiſſimè eodem conſequentiæ filo, id quod ponitur ex vi verborum debere eſſe ſubſtantiam corporis ſubſiſtentem per ſubſiſtentiam creatam. Præſtat ergo negare maiorem. Aut, ſi mavis, diſtingue: debent ſervare proportionem aliquam, poſſibilem commodè haberi, concedo; aliter nego, Minorem relinquit ſub dubio Dicaſtillus *dub. 6. num. 55.* an ſcilicet ex vi verborum deſinat eſſe ſub ſpeciebus ſuppoſitum panis; an ſola natura panis, & reliqua per concomitantiam. Sed res mihi videtur vix ullius momenti: quam tetigit etiam Delugo *diſp. 8. num. 103.* Dic quod libuerit.

Dicaſt.

Lug.

162 Communis, & vera ſententia eſt, Perſonalitatem Verbi non eſſe ſub ſpeciebus ex vi verborum. Cuius ſufficiens probatio eſſe poſſet inefficacitas, & ſolutio probationum oppoſitarum. Illud præſertim quod in reſponſione ad quartam adnotavimus *num. 158.* circa vim ſignificationis vocis, *meum*.

163 Probatur tamen ulteriùs firmiter ex Tridentino recitato *num 150.* ubi poſt aſſignata illa, quę ſub alterutra ſpecie ponũtur ex vi verborũ, ſignat alia, quę ſunt *per concomitãtiã*: & inter hęc nominat *Divinitatẽ* ſub utraque. Tenendũ ergo eſt iuxta Concilium, hanc non poni, nec eſſe ſub ſpeciebus ex vi verborum.

Bern.

164 Reſpondet Bernal, nomine Divinitatis intelligi à Tridentino Naturam divinam, prout virtualiter diſtinctam à Perſonalitate Verbi: & de illa dici eſſe per concomitantiam, ſupponendo Perſonalitatem eſſe ex vi verborum nomine corporis concretè dicti. Idque ex eo maximè probat quòd Concilium in re doctrinali credendum eſt loqui iuxta rigorem Scholaſticum non promiſcuè, ſed diverſimodè loqui ſolitum de Divinitate, & Perſonalitatibus in Diſputationibus de Eſſentia, & Attributis de Trinitate, & de Incarnatione.

165 Subtilis evaſio, ſed parum ſecura. Primò namque, ſi nomine Divinitatis non intellexiſſet Concilium Perſonalitatem, mutilam doctrinam expreſſiſſet de ijs Chriſti conſtitutivis, quæ ſunt in Sacramento: cùm non expreſſiſſet Perſonalitatem Verbi, quæ præcipuè exprimenda foret: nec veriſimile eſt illam intellexiſſe nomine corporis, ut vult Bernal; cùm ad hoc ſupponere debuiſſent Patres Concilij. corpus dicere ſubſiſtentiam: quod non eſſe verum vidimus *num. 154.* & non eſſe certum, certò certius. Secundò: quia Concilium ait, Divinitatem eſſe in Sacramento per concomitantiam, *propter admirabilem eius cum corpore, & anima hypoſtaticam unionem.* Unde, ſi nomine Divinitatis intellexiſſet Naturam Divinam, aſſeruiſſet unionem hypoſtaticam factam fuiſſe ad naturam divinam: quod abſolutè, & ſine modificatione dici non poteſt: & certum eſt factam fuiſſe ad Perſonalitatem Verbi, ut latè vidimus *diſp. 2. de Incarn. à ſect. 2.*

Supra diſp. 2.

166 Tenenda igitur eſt communis, & ſolida Theologorum intelligentia, quòd Concilium ibi nomine Divinitatis intellexit perfectionem increatam Perſonæ Chriſti: in eo ſcilicet ſenſu planiſſimo, & uſitatiſſimo, quo ratio divinitatis, ſeu entis divini, eſt etiam prædicatum tranſcendens ad omnia divina, ut animadvertimus *diſp. 5. de Attribut. ſect. 2.* Ut mirum non ſit, huic loquutioni, Scholaſticis etiam familiari, ſeſe accomodaſſe Concilium: præſertim quando non erat ex profeſſo ſermo de diſtinctione divinarum perfectionum, quam & Scholaſtici ſcrupuloſiùs obſervamus, quando diſcriminatim differimus de perfectionibus divinis abſolutis, & relevatis, eſſentialibus, & notionalibus. Mirandum potius eſſet, quòd malit P. Bernal, Concilium intellexiſſe Perſonalitatem Verbi nomine corporis, quàm nomine Divinitatis. Intellexit ergo ſine dubio Perſonalitatem, docens hanc non ex vi verborum, ſed per concomitantiam, eſſe in Sacramento.

Tom. 1. diſp. 5.

Bern.

SEC-

SECTIO XIII.

Inquiritur ratio ſupradicta concomitantiæ.

167 VErumtamen facile non eſt, dare rationem firmam, cur poſito ex vi verborum eo quod verba ſignificant eſſe ſub ſpeciebus; debeant poni per concomitantiam alia, quæ per verba non ſignificantur. Oportet tamen id diſcutere: tùm propter Hæreticos ciuſmodi concomitantiam quaſi ratione firmâ deſtitutam aſpernantes: tùm etiam propter difficultates inde ſubortas inter Scholaſticos dignas examine.

Dicaſt. 168 Nonnulli cum Vaſquez apud Dicaſt. *diſp. 5. dub.* 1. dant rationem: quia illa quæ conveniunt rei antecedenter ad locum conveniunt rei ſecundum ſe: quapropter ita inſeparabiliter rem comitantur, ubicumque ſit, ut nec de potentia abſoluta poſſit res alicubi eſſe, quin ea inibi præſentia ſecum habeat. Multis non placet iſta ratio: nec mihi quidem. Quia, ne liberè dicatur, deſideramus fundamentum, quo dicitur, nec diviniùs poſſe rem poni in alio loco ſine illis etiã accidentibus, quæ illi competebant, indepenſlenter à loco. Cur enim Petrus hîc habens albedinem omninó repugnet poni Romæ, non ibi, ſcilicet in eo loco Romano, poſitâ albedine?

Lug. 169 Card. Delugo *diſp.8. ſect* 1. dat rationem miniùs arduam. Quia unio phyſica unius rei cum alia exigit, ut ſaltem connaturaliter una ſit ubi eſt alia. Unde, quamvis de abſoluta locari poſſit una alibi ſine alia; eſſet tamen contra exigentiam unionis phyſicæ: ideóque, poſito ſub ſpeciebus vi verborum corpore, vel ſanguine, ponuntur inibi reliquæ partes, & perfectiones Chriſti concomitanter ratione unionis, iuxta cuius naturã potius quã iuxta potentiam abſolutam, Deũ operari congruentius eſt. Sic ferè etiã Hen. *diſp.8. ſec.* 6. cum tribus limitationibus, quas etiam, præſertim quoad impulſum, agnovit Delugo, & ego omitto: quia quamvis præoccupent alias impugnationes, non tamen eas, propter quas nobis diſplicet iſta ratio; quæ tamen aliquando placuit.

Hen.

170 Diſplicet, inquam primò. Quia, poſito vi verborum corpore, ponitur concomitanter ſanguis, & é contra: quin tamen inter corpus, & ſanguinem, ſaltem quoad omnes ejus particulas, detur unio phyſica, ſed tantum continentia quædam inſtar liquoris in vaſe: & certé, quamvis ita eſſet, non dubito, quin ſinguis corpus, corpuſque ſanguinem comitaretur in Euchariſtia: id quod fundamentum horum Authorum etiam probat, ſi quid probat: nam, motis nobis, moventur ea, quæ ſunt in nobis, ſive unitim ſivé citrà unionem phyſicam contineantur. Ratio ergo concomitantiæ ſtatutæ per Trident. non unicè inhitur unioni phyſicæ.

171 Secundò. Quia animam præſentem in Cœlo eſſe ſimul præſentem in Euchariſtia eſt quid miraculoſum: ergo non exigeretur ab unione connaturali, quâ anima uniretur corpori: ergo quód anima præſens in Cœlo ponatur per concomitantiam ſub ſpeciebus, quibus ſubeſt corpus vi verborum, nequit eſſe ex exigentia unionis. Cur enim, bilocato corpore, concedatur unioni exigentia novi miraculi, quale eſt animæ bilocatio? Nec dicas, ſic intuliſſe Tridentinum, dans pro ratione concomitantiæ unionem. Non enim dubitamus de recta illatione Concilij, ſed inquirimus rationem illationis: quo nempè pacto, aut qua ratione ex unione phyſica unius ad alterum bilocatum ſequatur illius etiam bilocatio.

172 Dices, eatenus inferri, quatenus eſt de rerum natura, quód ea quæ alicui uniuntur, illud ubivis comitentur: quia unio eſt ſocietas perpetua unitorum: undè eſt illud Ariſtotelis, experimento firmatum, quod, *motis nobis, moventur ea, quæ ſunt in nobis*. Contra tamen. Quia eam eſſe rerum naturam, nec ex ſe patet, nec ex prædicto axiomate, aut experimento convincitur. Hæc enim procedunt, quando unum movetur naturaliter in alium locum, tunc enim moventur cum illo ea, quæ illi inſunt; non verò, quando id fit ſine motu locali, ſed miraculosé manendo ſimul in priſtino loco: tunc enim non eſt ratio ſufficiens unio phyſica, ut res phyſicè unita debeat etiam bilocari, quia eſſet exigere novum miraculum. Tum maximé, quia oppoſitum ſcimus in humanitate unita phyſicé Verbo, & non præſente ubicumque præſens eſt Verbum.

Ariſt.

173 Hinc urgeo argumentum. Non minus unitum eſt corpus Chriſti Verbo, quàm Verbum corpori. Sed unio hæc phyſica non eſt ratio, ut ubicumque Verbum eſt, ſit concomitanter corpus Chriſti: ergo neque ut ubicumque corpus eſt, ſit Verbum concomitanter: ſicque ex unione phyſica utcumque non ſumitur ſufficiens ratio concomitantiæ ſacramentalis.

Lug. 174 Et ratio huius eſt, ut obiter convellam aliud fundamentum Cardinalis Delugo: quia quamvis de natura unionis phycæ ſit, non reperiri ubi non reperiuntur ex-

gema, ob eſſentialem cum illis connexionem; non verò, reperiri ubicumque reperiuntur extrema, niſi id liberè ſupponatur, Nec id evincit ſocietas illa perpetua unitorum. Nam ſi per id vult dicere Delugo, eam ſocietatem eſſe quoad omnem locum, reddit quæſtionem pro ratione: ſi ſolùm vult dicere, unionem eſſe eſſentiale vinculum, & neceſſariam ſocietatem, & coniunctionem extremorum, ut ubicumque fuerit unio debeât eſſe extrema mutuò aſſociata, verum dicit; at nihil inde probat: nam cum hoc ſtat, quòd unum extremum ſit alicubi ubi non eſt aliud, nec unio ad aliud: ut patet in humanitate unita phyſicè Verbo, quin exinde ubicumque Verbum eſt, debeant eſſe humanitas, & unio, ut errant Ubiquiſtæ.

Suar. 175 P. Suar. *quæſt. 76. art. 1.* rationem concomitantiæ videtur innuere ex S. Thom. ne, ſi corpus ſine ſanguine, etiam bilocato, poneretur ſub ſpeciebus panis, multiplicarentur miracula ſine neceſſitate. At occurrit benè Bernal *diſp. 33. ſect. 5.* pauciora fore miracula, ſi ſanguis non poneretur ſub ſpeciebus panis: hoc enim patraretur per duas ad ſummum actiones miraculoſas, quarū una conſervaret ibi corpus ſine ſanguine inibi bilocato; & ſanguinem in calice ſine corpore inibi exiſtente; decſſent tamen plura miracula, quæ nunc patrari opus eſt: ſcilicet bilocatio ſanguinis in Hoſtia, & corporis in Calice, eorundem præſentiæ ſacramentales; mutua penetratio, &c. Quocirca Dicaſtillus *diſp. 5. num. 230. & 241.* falſum putat in univerſum, connaturalius eſſe, quòd uno bilocato bilocentur, quàm quòd non bilocentur cuncta cum illo connexa, vel unita.

Bern.

Dicaſt. Trid. 176 P. Dicaſtillus *diſp. 5. num. 16.* exiſtimat, Tridentinum non ex præciſſa utcumque unione inferre concomitantiam; ſed *vi naturalis connexionis, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur.* Itaq; diſtinguit benè unionē & naturalē connexionem: neque enim cuncta unita connaturaliter connectuntur, ut patet in calore ſubiectato in aqua; neque cuncta counaturaliter connexa phyſicè uniuntur, ut notabam nuper de ſanguine, & corpore. Ait ergo, non ex unione utcumque, ſed ex connaturali connexione dici a Concilio debere eſſe comitantiam illam: hancque eſſe bonam rationem dictæ concomitantiæ ſacramentalis, dum aliquid ſpecialiter non obſtat bilocationi alicuius partis, ſeu formæ, ut obſtat modo ubicationis, qui ex natura ſua nequit bilocari.

177 Tria adhuc deſidero in hoc Authore diligentiſſimo. Primum, ut declaret, an ea naturalis connexio ſit ratio adeò ſtricta concomitantiæ, ut propter eam non niſi divinitùs poſſit deſinere eſſe anima ubi bilocatur corpus. Secundum, ut det rationem, cur, poſito corpore, debeāt cum eo eſſe unita hypoſtatica, & Verbum; cùm unio, ſeu connexio inter illa non ſit connaturalis: aut cur ſimiliter non debeat eſſe corpus ubicumque eſt Verbum. Tertium, ut det rationem cur, poſito corpore vi verborum, debeat ibidem reproduci hic numero ſanguis; cùm æquè connaturaliter eſſet cum ſanguine numero diſtincto ibi producto. Recurri, me judice, debet ad ulteriorem rationem congruitatis, & decentiæ, quam ſubijcio.

Bern. 178 Pleniùs ergo ſatisfacit Bernal *diſp. 33. ſec. 1. §. 2.* Ait primò, neceſſitatem prædictæ concomitantiæ non eſſe metaphyſicam, ut volebat Vaſquez *num. 161.* nec phyſicam, ut volebat Delugo *num. 169.* & inſinuabat Dicaſtillus *num. 176.* quod mihi ſatis conſtans eſt ex dictis. Ait ſecundò, ſolùm eſſe moralem congruitatis, & decentiæ: pro quo citat Patrem Suarez *diſp. 51. ſect. 1.* quatenus id ſolùm probat eius ratio, inde ſcilicet petita, quòd non decet, glorioſum, ac deificatum Chriſti corpus alicubi eſſe exanime, & exſangue, aut ſine unione ad Verbum: quæ ratio pariter ſuadet, eſſe debere ſimiliter in Hoſtia, & Calice reliquos humores, & accidentia corporis: itemque dotes tam naturales, quàm ſupernaturales animæ: ſine quibus nullibi eſſent corpus, aut anima decenter, & cum plenitudine ſuarum perfectionum. Atque ſic tandem videtur in re conſentire Dicaſtillus *dub. 14. n. 144.*

Vaſq. Lug. Dicaſt.

Suar.

Dicaſt. 179 Et quod caput eſt, hæc eſſe potiùs videtur ratio ad mentem Tridentini, docentis, corpus eſſe in calice, ſanguinem in hoſtia, & animam utrobique, *vi naturalis illius connexionis, qua partes Xpi Dñi, qui iā ex mortuis reſurrexit non amplius moriturus, inter ſe copulantur.* Non ait præciſè, *vi naturalis connexionis*; aut *vi unionis*; ſed *illius connexionis, qua partes* Chriſti redivivi, & glorioſi *inter ſe copulantur.* Quatenus nimirum hic Chriſti ſtatus glorioſus, tamque perfectus ex morali quadam decentiâ, & æquitate poſtulat, ut nullibi jam corpus ſine ſanguine, ſanguis ſine corpore, aut anima ſine utroque, abſque mutua concomitantiâ, & ſocietate reperiantur: ijs dumtaxat accidentibus exceptis, quæ ſpeciali ratione, vel ex ſuis naturis non poſſunt, vel ex ipſa inſtitutione Sacramenti non debent bi-

lo-

locuti. Nec obeſt, quòd mox ſubjungit Concilium: *Divinitatem propter unionem hypoſtaticam.* Non enim id dicit, quia Divinitas pluſquam concomitanter ibi ſit; ſed ut ſignanter declaret mirabiliorem rationem connexionis corporis, & ſanguinis cum Divinitate: aut fortè, ne partis Chriſti vocabulo Divinitatem comprehendiſſe videretur, contra ſaniorem loquutionem, ut monuimus *diſp. 2. de Incarn n. 18.*

Supra diſp. 2. ſect. 1. de Incarn.

180 Sic pro ijs, quæ objecimus *nn. 177.* affulget etiam ratio, cur idem ipſe Chriſti ſanguis, qui eſt in Cœlo debeat comitari Corpus in Euchariſtia: quia nempe congruentiſsimum eſt, quòd ille ipſe numero ſanguis, qui effuſus eſt pro nobis in Paſsione, ſumatur à nobis in Euchariſtia ſub utralibet etiam ſpecie. Et cur non ubicumque Verbum eſt debeât eſſe Chriſti humanitas, & unio hypoſtatica; ſicut è contra: quia nempè nihil horum requiritur ad perfectionem, ſtatumque ſanctiſsimum Verbi; ſicut è contra. Sic etiam occurritur multiplicationi miraculorum: cùm ex prædictâ congruentiſsimâ decentiâ æquiſsimum ſit, miracula etiam, ſi opus eſt, multiplicari ad ornatum, ac decorem Corporis, & Sanguinis Chriſti in Sacramento, in quo Deus *fecit memoriam mirabilium ſuorum.* *Pſal. 110.*

181 Dubium. An, ſi, conſecratâ Euchariſtiâ, ſuperveniret Chriſto aliqua particula integralis, aut accidentalis aliqua perfectio, ponenda eſſet etiam in Euchariſtia. Affirmat Dicaſtillus *dub. 14. num. 236.* ob prædictam rationem congruentiæ. Notat tamen, quòd ſub neutra ſpecie poneretur ex vi verborum, ſed ſub utraque per concomitantiam. Mihi difficile eſt, quòd impulſus impactus corpori Chriſti nunc in Cœlo dum progreditur, aut dum labia, ſeu linguam movet, collocetur ſimul in Euchariſtia, ubi nec propterea, movetur, nec loquitur. Videndus Delugo *diſp. 5. ſect. 2. à num. 40.* Sed de hoc redibit fortè ſermo *diſp. ſeq ſect. 3.* *Dicaſt.* *Lug.* *Infra diſp. 6.*

181 Quidſi é diverſo, conſecratâ Euchariſtiâ, minueretur aliqua particula corporis Chriſti, aut deeſſet aliquod illius accidens intrinſecum? Reſpondetur, hoc pertinere ad difficultatem agitandam *diſp. ſeq. ſect 6.* de dependentia præſentiæ ſacramentalis à circumſcriptiva. *Infra diſp. 6.*

***

Digitized by Google

DISPUTATIO XXV. ET VI.

DE

PRÆSENTIA CHRISTI IN Euchariſtia.

Supra diſp. 1.

1 REALEM hanc Chriſti Domini præſentiam in Sacramento ſupponimus ex Fide, tanquam unum ex Articulis Symboli Apoſtolici, ut expoſuimus *diſp.* 1. Scripturas, Concilia, & Patres congerunt lato calamo Bellarminus *lib.* 2. *de Euch. ferè per totum*, Suar. *diſp.* 46. Vaſquez *diſp.* 179. & eleganter Bernal *diſp.* 3. *ſect.* 1. monſtrans, hanc veritatem luculentiùs commendari in ſacris Litteris, quàm ipſam Chriſti Divinitatem. Profectò, ſi dicente Chriſto, *Hoc eſt corpus meum*, ut teſtantur quatuor Canonici Scriptores; idque confirmante illis verbis: *Caro mea verè eſt cibus: Sanguis meus veré eſt potus*; audet Calvinus interpretari, *in ſimilitudine, in figura*; vel dicat, cur, dicente Chriſto, ſe eſſe Deum, & Filium Dei, non poſſit quis ſimili audacia interpretari, *in ſimilitudine*, *in figura*: vel dicat, quibus alijs verbis clarioribus potuerit id dici, aut diceretur à Chriſto, ſi non in ſimilitudine, ſed in realitate præſens eſſet in Euchariſtia? Quibus certè Chriſti Verbis, cùm nec per apparentem interpretationem reſiſtere potuerit Lutherus, hanc ſaltem veritatem coſeſſus eſt. Caietanus *quæſt.* 75. *art.* 1. propterea indè expunctus iuſſu B. Pij Quinti, quamvis Catholicè fateatur realem Chriſti præſentiam Euchariſticam; negavit tamen, eam colligi ex prædictis Scripturis, ſeclusâ Eccleſiæ authoritate; quia, inquit, exponi poſſent in ſenſu metaphorico. Hoc tamen adverſatur Concilijs, & Sanctis Patribus, arguentibus paſſim ex prædictis Scripturis pro reali Chriſti præſentia.

Bellarm. Suar. Vaſq. Bern.

Ioan. 6.

Caiet.

SECTIO I.

Inſurgunt Hæretici contra realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia.

Tertul.

2 TRibuunt in primis errorem ſuum Tertuliano 4. *contra Martion* 4. exponenti: *hoc eſt corpus meum*, id eſt, figura corporis mei. Idque firmant ex alijs Patribus dicentibus, Euchariſtiam repræſentare corpus, & ſanguinem Chriſti: ergo quia non eſt realiter corpus, & ſanguis Chriſti. Reſpondetur, manifeſtam eſſe pro noſtra Fide mentem Tertulliani, & aliorum Patrum idemtidem conteſtantium realem Chriſti præſentiam apud Bellarminum. Nec illam negant, quando vocant Euchariſtiam figuram, & repræſentationem: ſolùm enim volunt dicere, eſſe commemorationem Sacrificij cruenti corporis Chriſti: ita videlicet, ut Chriſtus in Euchariſtia præſens ſecundum corpus tantùm vi verborum in hoſtia; & ſecundum ſanguinem vi verborum in calice, repræſentet, & figuret nobis ipſius mortem per effuſionem ſanguinis é corpore: juxta illud Chriſti: *in mei memoriam facietis*: in

Cellarm.

Cor.11. *in mei*, ſcilicet patientis & morientis *memoriam*: & juxta Paulum: *Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.*

3 Arguunt deinde à ratione. Implicat idem corpus eſſe ſimul realiter præſens in duobus locis: ergo nequit corpus Chriſti præſens in Cœlo, eſſe ſimul realiter in Euchariſtia. Antecedens probant multis Calvinus, Petrus Martyr, Ecolampadius, Uvicleph, & alij Heterodoxi noſtri temporis. *Auguſt.* Primò ex Auguſt. *10. contra Fauſtum 11.* dicente, Chriſtum non potuiſſe ſimul eſſe in Cruce, Sole, & Luna: idque indicari Matt. ult. ubi dicitur de Chriſto: *non eſt hic, ſurrexit enim:* *Matt. ult.* quæ cauſalis invalidam redderet rationem, ſi corpus redivivum alibi exiſtens, poſſet eſſe ſimul in ſepulchro. Secundò: quia corpus nequit eſſe ſimul in duplici tempore: ergo nec loco. Tertiò: qui ſi poſſet eſſe in duobus locis, poſſet in mille: ergo, & in omnibus quantumvis infinitis: atque adeò, & ubique: ergo eſſe poſſet immenſum. Quartò: quia verisimile eſt nocte Cœnæ ſuperfuiſſe aliquas reliquias panis conſecrati: ergo permanentibus illis in triduo, idem Chriſti corpus extitiſſet in cruce mortuum, & in illis vivum. Quintò: quia poſſet in uno loco quieſcere, & in alio moveri: quippé quieſcens in Cœlo Chriſtus, poſſet in Euchariſtia ferri ſurſum, atque deorſum. Sextò: quia corpus bilocatum eſſet unum, & non eſſet unum: eſſet, & non eſſet indiviſum: unum, & indiviſum, ut ſupponitur: non eſſet unum, quia non eſſet indiviſum, cùm eſſet à ſe divilum, utpoté alibi procul exiſtens. Has Sectariorum probationes conglobatas poſui, ut uno ictu conſpiciatur, qua ex pharetra hujuſmodi jacula proferantur.

4 Reſponſio Thomiſtarum eſt diſtinctio antecedentis: implicat idem corpus eſſe ſimul realiter præſens in duobus locis, circumſcriptivé, concedunt; ſacramentaliter ad modum præſentiæ definitivæ, negant antecedens, & conſequentiam. Quia corpus Chriſti circumſcriptivè, & extenſé exiſtens in Cœlo, non fit in Euchariſtia præſens circumſcriptivè, & cum debitâ partium extenſione; ſed in extenſé ad modum ſpiritûs. Thomiſtis *Vaſq.* in re acceſſit Pater Vaſquez.

5 In hac reſponſione non inſtingunt, ſed reſumunt vires Heterodoxi in hunc modum. Implicat id circumſcriptivè, & extenſé: ergo, & inextenſè, ſacramentaliter, ſeu quaſi ſpiritualiter, ac definitivè. Probant hanc conſequentiam. Primò, quia fere omnes implicantiæ objectæ *num.3.* ſuam habent vim, ſive corpus Chriſti exiſtens in Cœlo poſſit ſimul etiam circumſcriptivè extra Cœlum, ſive extra Cœlum non circumſcriptivè, dummodo phyſicé, & realiter ponatur, ut verè ponitur in Sacramento: quod fiet perſpicuum illas percurrenti, & retorquenti ex vera Philoſophia: Si ergo probant repugnantiam bilocationis circumſcriptivæ unius corporis, expugnant, aut ſaltem vehementer concutiunt realem præſentiam ſacramentalem Chriſti ſimul præſentis in Cœlo circumſcriptivé: quod ex Fide tenemus.

6 Probant ſecundò, & præcipué conſequentiam à fortiori. Quia minus difficilis, & admirabilis eſt duplex præſentia ſimultanea corporis circumſcriptiva, quàm duplex ſacramentalis, aut quàm una circumſcriptiva, & alia ſacramentalis: falsò ergo & implicanter, illa impoſsibili, aſſereretur poſsibilis iſta. Antecedens monſtratur. Nam ſecunda præſentia circumſcriptiva unum miraculum importaret, nempé corpus jam alibi exiſtens fieri ſimul realiter præſens hic: ſecunda verò præſentia ſacramentalis importaret præterea corpus realiter præſens hic tali præſentiæ modo, qui ſecundum ſe, ſeorſim etiam ab altera præſentia, eſt indebitus, & naturaliter repugnans corpori: nempé fieri realiter præſens ad modum ſpiritûs cum partibus ſuis quantitativis inextenſis, & compenetratis. Unde per duplicem præſentiam circumſcriptivam eiuſdem corporis unum punctum eſſet in duobus locis; per unam verò circumſcriptivam, aliamque ſacramentalem, idem punctum corporis Chriſti eſt in duobus locis, ſimulque penetratum cum alijs punctis. Quis autem non videat, hoc eſſe difficilius multò, & admirabilius? Hoc autem irrident Hæretici ſibi proponi verum, & credibile ab ijs, qui primum illud impoſſibile judicatur.

7 Torquet Thomiſtas, & Vaſquez hæc vis: quam declinare varié ſtudent. Dicunt aliqui, ineſſe ſpecialem rationem eſſentialis repugnantiæ duplici præſentiæ circumſcriptivæ: ex eo, quòd una, utpoté debité extenſa, adæquat rem ſic præſentem; non autem rem adæquaret, ſi res ipſa alibi extenderetur. Dicunt alij: quòd præſentia circumſcripta eſt extenſio corporis ad locum: implicat autem quod una quantitas habeat duas extenſiones: nam eo ipſo eſſet duplex quantitas, quod implicat.

8 Adverſus primam reſponſionem arguitur. Nam una præſentia circumſcriptiva ſic per vos adæquat corpus, ut idem alibi eſſe non poſſit circumſcriptivé: ergo ſic adæquat, ut alibi eſſe realiter non poſſit ſacramentaliter. Æquè enim difficulter percipi-

tur,

cur, quòd corpus ſit circumſcriptum infra hunc locum ſibi adæquatũ, & quód ſimul ſit realiter præſens alibi extra hunc locum ſibi adæquatum, ſive circumſcriptivé, ſive quoquo alio modo alibi ſimul ſit, ſi verè, phyſicè, ac realiter præſens alibi eſt, ut Catholicé credimus eſſe corpus Chriſti realiter præſens in Sacramento. Reſpondere autem, unam circumſcriptivam dicere eſſentialiter ex ſpeciali ſua conſtitutione exluſionem alterius circumſcriptivæ; excipietur, ut liberé dictũ, ab eo, qui contendit eam non eſſe ſpecialem conſtitutionem præſentiæ circumſcriptivę: & cum plauſu ab ijs, qui libertate pari dicent, ex ſpeciali quoque conſtitutione unius præſentiæ circumſcriptivæ ſibi eodem jure videri excluſionem alterius etiam ſacramentalis, ut Euchariſtię Fidem ab impoſſibili contemnant, & irrideant.

9 Adverſus ſecundam reſponſionem arguitur. Nam quamvis verum habeat, quód præſentia circumſcriptiva ſit extenſio corporis ad locum; falsó tamen, aſſumitur, & ſine fundamento, quód extenſio localis ſit ipſa quantitas: ac proinde quòd corpus, ſeu quantitas cum duplici præſentia circumſcriptiva, ſeu extenſione locali, eſſet eo ipſo duplex quantitas. Patet: nam quantitas poteſt eſſe ſine extenſione locali: ſi nempe tria puncta quantitatis compenetrarentur: ut in eadem Euchariſtia dicuntur compenetrari omnes partes quantitatis Chriſti: gratis ergo falsòque dicitur, quòd unam quantitatem habere duas extenſiones locales, ſeu præſentias circumſcriptivas: aut extendi ſimul in duplici loco, ſit eſſe duas quantitates. Confirmatur: Duæ quantitates poſſunt eſſe in eodem loco penetratæ per modum unius extenſionis, quin propterea ſint una quantitas: ergo poteſt eſſe una in duplici loco per modum duplicis extenſionis localis, quin propterea ſit duplex quantitas. Aut certè ſi hoc modo duo corpora per compenetrationem, fieri unum quo ad extenſionem localem non implicat; cur implicabit unum corpus fieri duplex quo ad extenſionem localem per bilocationem?

S. Thom. 10 Reſpondere tentant adhoc ex S. Tho. de ratione unius eſſe, quód ſit indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio; indiviſionem verò in ſe eſſe magis eſſentialem uni, quàm diviſio à quolibet alio. Cum autem compenetratio duorum in uno loco opponatur diviſioni à quolibet alio, & poſitio unius in duobus locis indiviſioni in ſe; hinc eſt, ajunt, quòd hoc implicet potius, quàm illud.

11 Contra tamen primò. Quia de ratione unius eſt quidem indiviſio entitativa; non localis; alioquin mutaret unitatem ſuam corpus, quando localiter movetur ſucceſſivé loca multiplicans, ſive varians. At duplex præſentia, ſive circumſcriptiva, ſive ſacramentalis unius corporis non opponitur indiviſioni entitativæ, quamvis opponatur locali; faciens nimirum, quòd una entitas ſit in duobus locis diviſis non per diviſionem entitatis, ſed locorum, & præſentiarum. Quód ſi duplex præſentia circumſcriptiva, & extenſionis tolleret á corpore rationem unitatis, ſeu indiviſionis entitativæ: cur non etiam duplex ſacramentalis? De hoc deſideratur ratio, ne detur Calvinianis anſa dicendi, ſe cum maiori fundamento negare poſſibilitatem duplicis realis præſentiæ corporis Chriſti in Sacramento, quàm negatur à Catholicis poſſibilitas duplicis circumſcriptivæ.

12 Contra ſecundò. Per compenetrationem duorum, vel tollitur diviſio entitativa unius ab alio; vel ſolùm localis. Primum dici nequit: nam diviſio entitativa unius ab alio eſt illorum diſtinctio: quæ per penetrationem non tollitur. Si dicatur ſecundum; ergo neque per bilocationem circumſcriptivam tollitur à corpore indiviſio entitativa; ſed ſolùm localis: ſicque ſemper urget inæqualitas. Non ergo ſequitur, quòd corpus diſtingueretur à ſe ipſo, aut quòd non eſſet indiviſum in ſe eâ indiviſione, nempe entitativâ, quæ eſſentialis eſt uni corpori. Unde neque ratione extenſionis, quam dicit præſentia circumſcriptiva partium extra partes; neque ratione indiviſionis, quam eſſentialiter dicit unũ corpus à ſemetipſo; nec alio ex capite aſſignatur pro diſparitate ratio repugnãtiæ duplicis præſẽtiæ circũſcriptivę, uni⁹ corporis, quæ nõ urgeat arctiús cõtra realẽ ſacramẽtalem. Quo inſolescunt Hæretici obtendentes, ſemel ſibi conceſsâ repugnantiâ in eo quód Corpus Chriſti in Cœlo circumſcriptum, poſſit circumſcriptivé bilocari in mundo; non ſolvi à Catholicis rationem paris, imò, & maioris repugnantiæ in eo, quód in Cœlo circumſcriptum, fiat realiter præſens ſacramentaliter ſimul in Euchariſtia.

SECTIO II.

Derelictis prædictis reſponſionibus, reſpondetur aliter ad argumenta Sectariorum ex meliori Philoſophia.

13 QUoniam é re præſenti maximé eſt, longiús avertere inſultus Hæreticorum contra realem Chriſti præſentiam ſacramentalem, né ad preſuras con-

consequentiæ veniamus,præstat omninó negare primum antecedens argumentationis initæ *num.3.* Sic olim Scotus,& Nominales. Deinde Bellarminus,& Suarez cum securiori,& laniori parte Theologorum, & Philosophorum nostri temporis, eorum præsertim, qui controversias exercent contra Sectarios.

Scot. *Nomin.* *Bellarm.* *Suar.*

14 Ad primam probationem, rei veritas est, quòd August. ibi scribit contra Manicheos dicentes, Christum fuisse corpus phantasticum absque vera carne:& post crucifixionem fuisse distentum per Solem, & Lunam. Utitur autem hoc dilemmate: Si Christus est spiritus, non potuit pati; si est corpus, non potuit esse simul in Cruce, Sole,& Luna. Loquitur ergo Augustinus juxta potentiam naturalem in posterioti parte sui dilemmatis; sicut in priori. Unde sicut ex priori non fit, spiritum, nec de absoluta potentia posse pati, ut patet in animabus, & Angelis malis; ita neque ex posteriori fit, Christum, nec de potentia absolutè posse bilocari, etiam circumscriptivè: ut bilocatus creditur, quando existens jam in Cœlo, apparuit Saulo juxta Damascum: de quo Cornelius *Act.9.* Illud ex Matt. ult. *non est hic, surrexit enim*, congruentissimam continet causalem, quamvis corpus bilocari possit divinitús: cùm enim sepulchri locus sit pro mortuis, rationem dedit Angelus appositissimam Christum non esse in eo loco sepulchri; quia redivivus jam erat.

Cornel.

15 Ad secundam, quæ contra duas simul præsentias sacramentales pariter agit; concesso antecedente, negatur consequentia ob rationem claram. Cùm enim tempus sit successivum, non sunt simul duo tempora, sicut duo loca: ideòque non mirum, quòd simul nequeat res esse in duplici tempore, quamvis in duobus locis simul permanentibus esse possit.

16 Ad tertiam concedo totum, usque ad ultimam consequentiam, quam absolutè, nego ex dictis *disp.12. de Attrib. sect.1 & 4.* nam esse immensum, ut Theologicè sonat, non utcumque est esse ubique, sed addit intrinsecam necessitatem essendi ubique: quod non competeret illi corpori,quantumvis plurilocato,& ubique existenti; cùm posset nullibi existere. Certè, cùm dixit S.Tho. *1.par.quæst.8. art. 4. Quòd granum milij esset ubique, supposito quòd nullum aliud corpus esset*; non eo ipso dixerit granum illud fore immensum: cùm de necessitate illius, sicut nec ullius entis creati non sit,ubique esse, nec alicubi esse, imó, nec esse.

Tom.1. disp.12. *S.Thom.*

17 Ad quartam nego, verisimile esse,quòd illa nocte tales particulæ panis superfuerint. At quid si supersuissent? Verisimilius quidem est, quód separatis in cruce sanguine, & animâ à corpore, defuissent ex tunc in particulis illis Eucharisticis sanguis, & anima: quia deesset pro tunc ratio concomitantiæ. Sic Dicastillus *dub.14. num. 234.* quamvis posset Deus, si vellet, aliter facere, conservans etiam pro tunc animam cum corpore in illis particulis. Quomodo autem tunc idem Christi corpus esset, aut non esset mortuum simul, & vivum, videbimus *sect. sequent. à num.28.*

Dicast.

18 Ad quintam, nullam in ea sequelam video implicantiam. Nam corpus motum in uno loco quiescere simul in alio duo dicit: scilicet,& esse simul in alio; & in alio non moveri. Ex ijs duobus primum, scilicet esse simul in alio, non est sequela absurda nostræ doctrinæ; sed est ipsa verissima nostra doctrina: quippé ultrò dicimus,quód corpus esiens in uno loco, esset in alio etiam circumscriptivé. Secundum, scilicet, non moveri in alio loco nullam dicit contradictionem cum eo quód idem corpus moveatur in uno loco. Quandoquidem de me non bilocato verificatur simul, quód moveor in uno loco, & non moveor in alio. Mira res! Nec quod in uno loco sursum,& in alio deorsum ferretur, quidquam obest: quia hoc nihil est aliud,nisi aliter bilocari: quod ultró concedimus: nec á Catholicis negari potest in Eucharistia,quomodocumque sit ibi corpus Christi veré, & realiter præsens, unâ hostiâ motâ sursum, & simul aliâ motâ deorsum.

19 Ad sextam constat satis ex *num. 11. & 12.* falsam esse sequelam. Concedimus enim,quòd corpus bilocatum sive sacramentaliter, sive circumscriptivè esset unum; negamus vero, quòd non esset unum: nec id probatur ab Adversarijs. Concedimus, esse indivisum indivisione entitativâ, quæ pertinet ad rationem unitatis; negamus verò non esse indivisum indivisione entitativâ. Quód autem esset localiter divisum, non est divisio entitativa corporis oppositi unitati corporis; sed divisio locorum, & præsentiarum non oppositi unitati corporis, quamvis oppositæ unitati locorum,& præsentiarum: hoc autem ipsum est unum,esse in duobus locis per duas rèales præsentias, sive circumscriptivas, sive sacramentales, quod ad rem argumenti perinde est. Unde corpus, hìc, & procul existens, non esset divisum à se, nec procul à se entitative, sed localiter: quod est loca illa, & præsentias esse mutuo ipsarum respectu à se divisas,& procul, non respectu corporis, sed respectu sui: quia neutra distaret à corpore,

ſed ab altera: & corpus præſens eſſet, ſimul-que diſtaret ab alterutra, ut mox magis explico, ſine contradictionis umbra.

SECTIO III.

Obiectiones adversùs doctrinas reſponſionis noſtræ.

20 OBijcitur primò. Quod eſt Barcinone dividitur, ſeparatur,& diſtat ab eo, quod eſt Matriti: ergo ſi corpus eſſet Barcinone ſimul,& Matriti, divideretur,ſepararetur,& diſtaret à ſe ipſo:non ergo eſſet indiviſum in ſe adhuc entitativè. Præterea, propiùs accedens poſſet ſibi ipſi occurrere, ſe ipſum tangere, & ſecum ipſo penetrari: hæc autem involvunt diſtinctionem oppoſitam indiviſioni entitativæ. Reſpondetur, quidquid de vocibus contendat *Dicaſt.* Dicaſtillus *diſp.5.num.183.* negando antecedens, quando quod eſt Barcinone,& Matriti idem eſt: & nego utramque conſequentiam. Diſtaret ergo tunc illud corpus à Matrito; non verò á ſe ipſo:ut patet in Chriſto Euchariſticé præſenti Barcinone,& Matriti,nec ideò diſtanti à ſemetipſo, quamvis diſtanti à Mattito: hoc eſt longè poſito à Matrito, quamvis ſimul etiam poſito Matriti: patet etiam in anima exiſtente in capite,& in pede: ideòque diſtanter à pede quamvis etiam præſentet pedi; non verò diſtanter à ſe ipſa. Similiter nego, quód corpus illud poſſet ſibi occurrere reverà; ſe contingere, ſecumvé penetrari: niſi fortè ſolùm ſecundum dici: hi enim ſunt reſpectus realiter diſtinctorum. Nota, in eo caſu fore quoque verum, quòd illud corpus indiſtaret a Matrito; non autem, quod non diſtaret à Matrito: nam prior illa loquutio affirmat de corpore præſentiam Matriti, quod verum eſſet; iſta poſterior negat de eodem præſentiam in loco diſtanti, quod eſſet falſum, quandoquidem Barcinone ſimul præſens eſſet. Sic etiam verum eſſet, quòd corpus illud eſſet intra,& extra Matritum; ſicut *Tom.1. diſp.12.* nunc etiam verum eſt de Chriſto, & de Deo juxta loquutiones SS.Patrum,quas dedi *diſp. 12. de Attrib. ſect.2. & 3.* imò, & de anima exiſtente intra, & extra caput; quamvis verè non dicatur eſſe intra, & non eſſe intra caput.

21 Obijcitur ſecundò. Eo ipſo quòd corpus in eo caſu eſſet Matriti, non eſſet circumſcriptũ Barcinone: ergo præſentia in alio loco pugnat ſimul eſſentialiter cum alia circumſcriptivà in alio loco. Probatur antecedens: nam corpus circumſcribi eſt ita eſſe in loco, ut nihil corporis ſit extra locum. Confirmatur: ſi dimidium corporis eſſet extra locum, non circumſcriberetur loco totum corpus; ergo multò minùs, ſi totum corpus eſſet extra locum. Si hoc, & ſimilia argumenta ſunt Catholicorum, ipſimet reſpondere debent; cùm Chriſtus circumſcriptus in Cœlo ſit realiter extra Cœlum in Euchariſtia. Si verò ſic arguant Heterodoxi, pro Euchariſtia, & pro me reſpondeo, negando antecedens, ciuſque probationem. Corpus enim eſſe in dimidio loco circumſcriptivé ſolùm eſt, ita eſſe in loco penes omnes ſui partes, ut cuilibet parti totius corporis pars loci correſpondeat; ſive præterea ſit corpus alibi,ſive non. Ad confirmationem, verum eſt antecedens ſi dimidium illud corporis poſitum extra locum non eſſet etiam cum alio dimidio intra locum; falſum autem, ſi eſſet: eodemque modo falſa conſequentia.

22 Obijcitur tertiò. Illud corpus eſſet, & non eſſet æquale vni loco: æquale,quia locus circumſcriptivus adæquatè commenſurat locatum, & locatum æquat locum: non eſſet uni æquale;nam eſſet æquale duobus locis á ſe occupatis: ergo eſſet inæquale; ac proinde non æquale uni. Quod enim eſt æquale toti collectioni, eſt eo ipſo inæquale parti collectionis:V. G.quod eſt æquale palmo, eſt inæquale ſemipalmo. Patitur inſtantiam obiectio in duorum corporum penetratione: quà admiſsà, locus iuxta hunc diſcursũ eſſet æqualis uni corpori, quia illud circumſcriberet; & eſſet inæqualis, quia eſſet æqualis duobus ibi compenetratis. Reſpondetur ergo, diſtinguendo antecedens: eſſet uni loco æquale, & inæquale eodem modo, nego;æquale entitativé, & inæquale præſentialiter, concedo. Eſſet, inquam, æquale uni loco entitativé;quia unus é duobus illis locis eſſe ſufficiens menſura capiens partes omnes talis corporis debité extenſas: quod ſufficit ad circumſcriptionem, & adæquationem locati in loco, & loci ad locatum. Eſſet verò loco inæquale præſentialiter;quod in re eſt præſentias corporis bilocati excedere duplò extenſionem loci: quia corpus illud bilocatum bis extenſum, non capitur ſecundum utramque præſentiam in uno loco non ſic bis extenſo. Cum hac autem diſtinctione, & ſine ulla contradictione eſſet æquale duobus locis, & inæquale uni. Sicque tenet probatio antecedentis, quòd æquale collectioni eſt inæquale parti collectionis: ſcilicet ſumptis æqualitate, & inæqualitate eodem modo, & ſecundum idem.

23 Obijcitur quartò. Corpus bilocatum poſſet Matriti approximatum igni calefieri; & ſimiliter approximatum nivi Barcino;

none frigefieri intensè : ibi propoſitæ veritati aſſentiri; hîc ſimul diſſentiri, propoſitis rationibus contrarijs : ibi tentatum peccare ; hîc non tentatum perſeverare in gratia : ibi occidi gladio ; hîc ſimul non occiſum vivere : & conſequenter inde hominem ad infernum detrudi ; dum hinc moriens in gratia evolaret ad ſuperos. Hæc autem implicant abs dubio: ergo,& corpus bilocari.

24 Sunt qui , cæcâ Minervâ , cunctas, aut ferè cunctas iſtas ſequelas avidè ineant: non ſine plauſu Sectariorum: quibus,ut prudenter admanent Vaſquez, & Hurtadus, ſimilies occaſiones inſultandi contra Fidem noſtram Euchariſticam miniſtrandæ non ſunt. Nec prodeſſe poteſt aliquorum recurſus ad diſtinctionem virtualem corporis bilocati. Falsò namque hîc obtruditur virtualis diſtinctio, ut ſimili illam repuli *diſp. 7. de Attributis á num.159.* in divina Immenſitate reſpectu locorum. Addo, ſimiliter fingi poſſe duas virtualitates in eodem ſubjecto non bilocato,in quarum unâ reciperetur una forma, & in alia oppoſita. Vereor , ne Virtualiſtis placere incipiat hæc ſequela : nevé, ſicut dicunt , hominem bilocatum poſſe ſimul peccare,& non peccare , ac proinde ſimul Deum offendere,& non offendere ; dicant , de facto Chriſtum Euchariſticé bilocatum Barcinone , & Matriti, offendi ſimul, & non offendi à peccatore Barcinonenſi. Abſint, precor, iſthæc.

Vaſq. Hurt.

Tom. 1. diſp.7.

25 Reſpondetur ergo , negandam eſſe totam ſequelam , & uno verbo dicendum, eas, ſimileſque formas , ſeu denominationes oppoſitas repugnare in corpore bilocato,pariter,ac in non bilocato. Ratio: quia incompatibilitas mutua formarum non eſt reſpectivè ad locum, ſed ad ſubiectum: ut patet in gratia , & peccato, quæ, cùm in eodem ſubjecto eſſe nequeant , ſunt naturaliter in uno loco, quando dæmon penetratur cum anima ſancta. Unde , quantumvis loca ſubiecti multiplicentur , formæ ſervant eamdem incompatibilitatem, & oppoſitionem reſpectu uniùs ſubjecti , ſive bilocati , ſive non bilocati.

26 Hinc formæ contrariæ, ut calor, & frigus , quæ naturaliter eſſe non poſſunt in uno ſubjecto non bilocato , nec in bilocato poterunt naturaliter eſſe. Itaque ſi corpori bilocato applicarentur Barcinone ignis , & Matriti nix, agerent circa illud nix , & ignis, ſicut ſi ambo applicarentur Barcinone tali corpori : non quia ignis Barcinonenſis produceret calorem Matriti, aut bilocandum eo ipſo Matriti, ut cum Lynceo,& Delugo dixi minùs benè in Phyſicis ; ſed quia calor hîc productus ab igne Barcinonenſi in hoc corpore, quamvis non poneretur Matriti, poneretur in corpore exiſtente Matriti: atque adeò reſiſteret frigori ne introduceretur in hoc eodem corpore, quod eſt ſubjectum , reſpectu cuius tota verſatur opoſitio eorum formarum. At quomodo, inquis , calor Barcinone tantùm exiſtens , redderet calidum corpus diſtantiſſimé exiſtens Matriti ? Reſpondeo : quia tale corpus , cùm exiſtat quoque Barcinone, præſens eſt calori Barcinonenſi: agens autem naturale , petens ut paſſum ſit propé , non eo ipſo petit, ne ſit procul etiam diſtans. Dicis: ergo ſi tunc homo Matritenſis applicaret manum tali corpori ſic calido, calefieret ab eius calore. Negatur conſequentia: quia homo Matritenſis non eſſet Barcinone , ubi tantùm eſſet ille calor. Urgeſt quomodo ergo ab hoc calore Barcinonenſi impeditur frigus Matritenſe, ne introducatur in illud corpus? Aio;quia calor Barcinonenſis eſt formaliter calefaciens illud ipſum corpus. Aliud autem eſt, ſedulòque notandum, quod calor Barcinonenſis in genere cauſæ formalis reddat calidum ſubiectum exiſtens Matriti:& hoc eſt verum;ſiquidem tale ſubjectum exiſtit etiam Barcinone : aliud eſt, quód in genere cauſæ efficientis , ſeu diſpoſitivæ introducat calorem in alio paſſo applicato Matriti tali corpori : & hoc eſt falſum: ſiquidem tale paſſum non eſſet approximatum calori Barcinonenſi , quamvis eſſet approximatum corpori bilocato habenti talem calorem non bilocatum.

Lyne. Lug.

27 Hinc ſecundó: aſſenſus , & diſſenſus eſſentialiter incompatibiles in homine non bilocato , nec divinitùs ſimul eſſe poſſent in bilocato. Rationes enim , ſeu motiva contraria , quæ homini exiſtenti Barcinone proponerentur Matriti, perinde illum moverent, ac ſi Barcinone proponerentur ſimul cum rationibus oppoſitis. Sicque homo omnibus utrinque auditis , ſive in uno , ſive in utroque loco ſibi propoſitis, ſtaret judex ſeſeque determinaret ad actum aſſenſûs , vel contritionis omninó incompoſsibiliter cum diſſenſu, in eodem intellectu , aut cum peccato in eadem anima. Dices : aſſenſus ille poſſet eſſe Matriti,quin eſſet Barcinone:ergo Barcinone poſſet eſſe diſſenſus. Negatur conſequentia pro eodem intellectu: nam formalis oppoſitio talium actuum non eſt reſpectu loci, ut patet in duobus ſpiritibus penetratis, uno aſſentiente , & alio diſſentiente ; ſed eſt reſpectu ſubiecti: diſſenſus autem ille,quamvis non eſſet Matriti , in quo loco eſſet aſſenſus , eſſet tamen in intellectu , in quo eſſet aſſenſus: & in hoc ſtat tota implicantia per-

iude, ac ſi intellectus idem non eſset bilocatus. Similiter dicendum eſt de gratia, & peccato.

28 Hinc tertiò: nec poſſet homo bilocatus vivere Barcinone, ſimulque mori Matriti: nisi reſpondeatur, ad inanes voces reducatur. Nam, ſicut non exiſtit Matriti, qui abſolutè non exiſtit, ſic nec moritur Matriti, qui abſolutè non moritur: non autem abſolutè moritur homo, dum eius corpus animatur: colligitur ipſo, quod abſolutè in eo corpore maneat anima informans, nequit abſolutè dici mortuus; ergo nullibi mortuus, & proinde, nec Matriti mortuus. Dices: homine illo exiſtente Barcinone, poſſet eius corpus bilocari Matriti, non ibi bilocatâ ipſius animâ: ergo præexiſtentibus Barcinone, & Matriti ipſdem corpore, & anima utrobique unitis, poſſet poſtea, manente utrobique corpore, manere anima Barcinone non manens Matriti: ergo maneret ibi corpus ſine anima: ergo mortui: ſicque eſſet idem corpus ibi mortuum, & hic vivum. Reſpondetur, conceſſo enthimemate, diſtinguo ſecundum conſequens: maneret ibi corpus ſine anima exiſtente ibi, id eſt in eo loco, concedo: abſolutè ſine anima, aut ſine anima exiſtente ibi, id eſt in eo corpore, nego conſequentiam, & ſubſillationem: quia, animam non eſſe ibi, id eſt, in eo loco Matriti, ſi non ſufficit, ut homo ille dicatur mortuus, ſicut neque quod nihil mei ſit Matriti ſufficit, ut ego dicar mortuus: alioquin Chriſtus dici poſſet mori Matriti, quando deſiit eſſe ibi vivus, corruptis ſpeciebus: quod admittetur à nemine. Redibit de ijs ſatis *diſp. ſeq.* præſertim *á nu. 38.*

Infra diſp. 7. ſect. 3.

29 Urgent. Poteſt abſcindi caput ab eo corpore Matriti, quin abſcinderetur Barcinone: ergo corpus eſset ibi decapitatum, & non hic: ergo ibi mortuum, & hic vivum. Conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens: eſſet decapitatum ibi, hoc eſt, non habens caput ibi in eo loco exiſtens, concedo: hoc eſt, eſset ibi abſolutè ſine capite, nego: ibi enim eſset illud corpus habens abſolutè caput in ſe ipſo, quamvis non caput exiſtens in eo loco: ut autem corpus non ſit abſolutè decapitatum, non eſt neceſſe, quòd habeat caput in eo loco exiſtens: nos enim non habemus caput exiſtens Matriti; quin tamen ſimus decapitati. Dices: ergo qui vulnus illi infligeret Matriti, infligeret etiam Barcinone. Negatur: non enim eſt cur, aut gladius, aut actio illa infligendi debeat eſſe utrobique: ut autem hominem lædant, & interficiant, ſufficit quòd lethaliter pungant hominem ſibi proximum, quamvis ſimul etiam procul exiſtentem. Quodſi vellet nihilominus Deus hominem alibi conſervare, beré poſſet; fient æquè poſſet, ſi vellet, ipſum conſervare hîc ubi vulnus infligitur: at eo in caſu mortuus non eſſet, quippé animatus eſſet.

30 Inſiſtunt. Mors, & vita competere poſſunt eidem corpori pro diverſo tempore: ergo, & pro diverſo loco. Nam implicantia formarum eſt reſpectu ejuſdem temporis, & loci, ut inſtruimur in Summulis. Conceſſo antecedente, negatur conſequutio: quia de ijs, quæ diverſis temporibus exiſtunt non dicitur abſolutè quòd ſimul ſint, & coexiſtant; ac proinde, neque quod ſimul ſint, & coexiſtant in eodem ſubjecto, in ordine ad quod ſibi repugnent. Quæ verò ſunt ſimul in diverſis locis, veré, & abſolutè ſimul ſunt, & coexiſtunt: ac proinde, ſi eſſent in eodem corpore, quantumvis bilocato, verè, & abſolutè eſſent ſimul in eodem ſubjecto, in ordine ad quod habent totam ſuam oppoſitionem, & repugnantiam. Summiſticum illud non eſt ad rem: traditur enim, non de oppoſitione phyſicâ formarum; ſed de oppoſitione logicâ propoſitionum. De ijs autem veriſſimè dicitur, quòd earum veritas non pugnat, nec ſibi contradicit, quando una propoſitio loquitur de uno loco, ſicut & tempore; & alia de diverſo. V.g. *Sedeo Barcinone: non ſedeo Matriti: vivo Barcinone, non Matriti: Morior Matriti, & non Barcinone.* Quæ quidem de me non bilocato veriſſimè dici poſſunt. Inquies: ſic ergo de corpore bilocato dici verè, & ſine contradictione poterit, quòd moritur Matriti, & non moritur Barcinone. Concedam libentèr ſicut de non bilocato, quando abſolutè moritur: quando verò abſolutè non moritur, ut dum reipſa corpus illud animatur; nec de bilocato verè id dicetur: nam quod non moritur, neo Matriti, nec Barcinone moritur. Atque hinc eſt quòd ſupra diximus, corpus ratione bilocationis, etiam circumſcriptivæ, nullam contrahere diſtinctionem virtualem: quia nullatenus ſit capax verificationis contradictoriorum.

31 Objicitur tandem, ſequi, quòd, ſi poſſet divinitùs, poſſet etiam naturaliter bilocari corpus circumſcriptivè. Primò: quia lapis ſic bilocatus in duplici parte æris, ex utrâque recta deſcenderet gravitate ſuâ naturali; Sicq; deſcendêdo adquireret naturaliter alia duo loca deorſum. Idemque eſſet de lapide, ſi bilocaretur in duplici bilance ſtateræ: præponderans enim aliunde naturaliter una bilanx, ſecum ferret lapidem deorſum; idemque ſimul lapis eo ipſo ferretur naturaliter ſurſum in altera bilance: ſicque naturaliter adquireret duo loca. Secundò: quia

quia unus ignis Barcinonensis, alterque Matritensis habent naturalem vim productivam ignis A: ergo Barcinonensis applicatus passo potest hic naturaliter producere ignem, A.& similiter Matritensis ibi applicatus alteri passo: virtus enim unius non tollit, aut impedit virtutem alterius: Si ergo bilocatio non repugnat, naturali virtute duorum ignium posset ignis, A, duobus in locis naturaliter produci. Respondetur, negando sequelam.

32 Ad primam probationem responderi solet, quòd lapis ille sic bilocatus nõ descenderet naturaliter à duobus illis locis. Quamvis enim naturalis gravitas lapidis petat descendere, non tamen descendere è duobus locis ad alia simul duo loca: hoc enim superat limitationem corporis commensurantis suam extensionem uni loco, in quo circumscribitur. Unde descenderet ex uno loco, quem determinatet in illo casu Deus; in alio verò sisteret, nisi Deus vellet miraculum variare, volens illud corpus in locis inferioribus bilocare, sicut voluit in superioribus. Similiter ad illud de bilancibus dico, simile ibi sese offerre secundæ bilocationis miraculum, deorsum, & sursum, quam gravitas, & impulsus naturalis exigere nequeunt contra limitationem lapidis ad unum locum. Sic Dicastillus *disp. 5. dub. 13.* & apud ipsum Hurtadus alijque communiter.

Dicast. Hurt. Lug.

33 Cui tamen responsioni non acquievit omninò Card. Delugo *disp 5. sect. 1.* Quia, inquit, suppositio primo miraculo bilocationis, non est cur negetur naturali gravitati corporis virtus sua descendẽdi; sicut nec impulsui impellendi simili connaturalitate corpus à loco, ubi imprimitur: alioquin corpus circumscriptivè bilocatum non posset connaturaliter ambulare, nec loqui: imò nec Christus in Cœlo ex quo sacramentaliter est reviicet præsens in Eucharistia. Quidquid enim disparitatis obtendat Dicastillus, innegabile nobis esse debet ex dictis *sect. 1.* non minus obstare adquisitioni cuiuslibet novæ præsentiæ corporis bilocati alia præsentia sacramentalis mirabilior, quàm alia circumscriptiva minùs mirabilis. Supposito itaque miraculo bilocationis unius corporis, videtur dici posse, quòd deinceps connaturaliter moveretur sicut videretur, tangeretur, & loqueretur corpus in uno loco ad exigentiam, sive gravitatis, sivè impulsûs, non motum, aut aliter motum in alio. Quinimò novum miraculum esset, aut extrinseca vis, si impediretur descensus lapidis bilocati à propria gravitate ab utroque loco: ut quidem miraculum est, quòd corpus Christi habens secum bilocatam intrinsecam gravitatem, non gravitet in Eucharistia, sicut, & quod ibi non videantur eius colores juxta doctrinam Nominalium, quam adstruemus *sect 9.* Nec propterea dicas, per impulsum impressum Barcinone corpori bilocato Barcinone, & Matriti, motum iri corpus utrobique. Negatur enim; nisi fore impulsus similiter bilocetur: quia ex natura sua non impellit corpus, nisi ab eo loco ubi imprimitur, & versus locum, ad quem imprimitur: at in eo casu impulsus impressus corpori Barcinone, imprimeretur quidem corpori existenti Matriti, at non eo ipso imprimeretur Matriti, ut jam insinuavi *ad finem disp. præcedentis.* Atque hinc constat ad illud de corpore bilocato in bilancibus, & ad similia. Neque hoc est corpus utcumque naturaliter bilocari, ut inferre volebat obiectio; sed connaturaliter ad primum bilocationis miraculum iam præsuppositum. Sicut abs dubio corpus circumscriptivè bilocatum Barcinone, & Matriti, utrobique naturaliter videretur à præsentibus, supposito primo miraculo; sicut, & corpus redivivum.

Supra disp. 5. sect. ult.

34 Ad secundam probationem sequelæ distinguendum est antecedens: illi duo ignes habẽt vim productivã ignis A, eo modo, quo ipse est naturaliter producibilis, concedo; aliter, nego antecedens: & cum eadem distinctione concedo, aut nego consequentiam. Nego autem absolutè subillationem. Non quia virtus unius tollat virtutem alterius; sed quia neutrum illorum habuit unquam virtutem naturalem producendi ignem. A. alibi simul productum: eo quòd ignem alibi productum simul hic produci, repugnet limitationi ignis. A. ex naturali sua limitatione commensurati uni loco ipsum circumscribenti.

SECTIO IV.

An Christus Eucharistice præsens, sit in loco: an habeat figuram, & organizationem.

35 RAtio dubitandi circa primum est: quia ex una parte SS. Patres, & præsertim Trident. *sess. 13 c. 1.* supponere videntur, Christum in Eucharistia esse in loco, quatenus ajunt, poni multis in locis per consecrationem. Ex alia verò parte S. Tho. *q. 76 ar. 5.* negat, Christum in Eucharistia esse in loco.

Trid.

S. Thom

36 Quocirca tres modos essendi in loco distinguere oportet. Primò, *circumscriptivè*, per extensivam commensurationem partium locati, cum partibus loci: & sic est corpus in loco, quando naturaliter locum occupat

pat ad menſuram ſuarum partium extenſarũ. Secundò, *definitivè*: ita ſcilicet, ut locatum, quamvis non commenſuretur totum toti loco, & pars parti, ſed totum ſit in toto loco, totumque in qualibet parte loci; ita tamen continetur, ſeu definitur intra determinatum locum, ut juxta illum modum ſuum eſſendi non poſſit implere maiorem locum. Sic eſt in loco Angelus, ita aſſiſtens v. g. juxta ſuæ naturæ limitationem uni leucæ ſpatij totus in tota leuca, totuſque in ſingulis partibus leucæ, ut connaturaliter ad talem modum eſſendi, non poſſit ultra, vel extra leucam ſimul aſſiſtere. Tertiò, *indefinitè*, ſeu *ſacramentaliter*: quando nempé res eſt tota in toto loco, totaque in ſingulis partibus; ita tamen, ut juxta modum illum eſſendi, aſſignatis quibuslibet finibus loci, poſſit eodem eſſendi modo, maiori loco, aut locis plurib us, ac plurib us aſſiſtere.

37 Per hæc dicendum eſt, quòd Chriſtus Euchariſticè realiter præſens, non eſt in loco primo modo, ut per ſe conſtat. Neque ſecundo modo: quia non ita eſt in una hoſtia, ut juxta illum módum ſacramentalem nequeat ſimiliter eſſe in alijs, atque alijs fine fine: ideòque Chriſtus, prout Euchariſticé præſens, non dicitur definiri loco, ſicut definitur Angelus. Sicque vult intelligi S. Tho. ſe ſatis explicans in *Corp. & ad 1.* Eſt autem in loco tertio modo *indefinitè*. Hoc ſaltem ſupponi videtur à Trident. nec, ut credo negatur à S. Thom. imó ſic cum Concilio conciliandus eſt. *S. Thom.*

38 Probatur hoc ultimum: quia Chriſtus exiſtens in hac hoſtia verè indiſtat ab ſpatio horum accidentium, quibuſcum utique penetratur; diſtatque à Luna, & à loco, ubi Luna eſt. Præterea ita eſt intra illam ſuperficiem aeris, qua circumſcribuntur accidentia hoſtiæ, ut niſi aliæ fiant conſecrationes, non ſit extra illam infra Lunam: ergo realiter, ac verè eſt in hoc loco hoſtiæ. Inſuper Catholica loquutio eſt, Chriſtum manducari, deferri per vicos, & aſſervari in templis: quæ nequeunt intelligi, niſi Chriſtus verè ſit in ore, in gutture, in vicis, in templis. Eſt igitur realiter, ac verè in ejuſmodi locis, & ſimiliter in alijs poſt conſecrationem, ſaltem tertio illo modo eſſendi in loco.

39 Hinc, rectiùs loquendo, præſentia Chriſti Euchariſtica non eſt præſentia definitiva. Quòdſi ſæpé ſic vocatur, eſt per ampliationem vocabuli ad ſignificandam præſentiam limitatam non circumſcriptivam in eo convenientem cum præſentia ſpirituum, quòd ponat rem totam in toto, totamque in qualibet parte; ideóque vocari etiam ſolet præſentia ſpiritualis, ſeu ad modum ſpiritus. Diſtinctiùs, ac meliùs nominatur præſentia ſacramentalis, ſeu Euchariſtica. Sed aliquid dandum conſuetudini vocum, dummodo de ſenſu conſtet.

40 Circa ſecundum, dicendum eſt, quòd Chriſtus in Euchariſtia non habet figuram, nec organizationem ſitualem; habet verò eſſentialem, & ſubſtantialem. Probo, & explico. Figura, & organizatio ſitualis, ſeu localis ſtat in tali, vel tali extenſione, & diſtantia partium corporis ad invicem. V. g. quod caro non ſit ubi eſt os, nec oculi ubi ſunt pedes; ſed cum certâ ad invicem diſtantia unum integrent. At Chriſtus in Euchariſtia non eſt ſic, cùm omnes eius partes ſint compenetratæ in quolibet hoſtiæ ſpatio: propterea igitur non habet ibi figuram, nec organizationem ſitualem. Habet verò ſubſtantialem; quia habet partes ſingulas cum ſuo qualitatum temperamento, v. g. oculos diſtinctos á pedibus, manus à pectore, nares à crinibus, carnem, ac nervos ab oſſibus: & hoc quidem haud inconcinné, & omninò promiſcué, ſed quodammodo ordinatim: ſic nimirum ut caput ſit ibi cum ſua unione immediata ad collum, non ad pedes; pectus cum ſua ad collum, non ad caput; crura cum ſua ad pedes, non ad pectus, &c. quamvis omnes hæ partes ibi æquè indiſtent ad invicem. Hæc ergo eſt organizatio ſubſtantialis: &, quamvis cum maiori violentia vocabuli, vocari quodammodo poteſt ſi placet, ſubſtantialis figura, & proportio partium inter ſe: quamvis non penes locum, aut penes accidentalem ſitum. De ijs Suarez *diſput. 48. ſect. 1.* *Suar.*

SECTIO V.

Quid ſit præſentia Sacramentalis Chriſti, & an ſit entitativè ſupernaturalis.

41 ESSE ſubſtantialem quemdam modum, voluerunt nonnulli, quibus acceſſiſſe fertur Cabezudus. Eo quia Tridentinum ait, Chriſtum in Euchariſtia contineri *ſubſtantialiter*: & S. Thomas, Chriſtum eſſe in Sacramento *per modum ſubſtantiæ*. Tum quia, *ubi*, eſt circumſcriptio locati proveniens ex circũſcriptione loci: ſed hoc nõ cõvenit præſentiæ Chriſti Euchariſticæ: ergo modus ille ibi ſic eſſendi non eſt de prædicamento *ubi*: ergo ſubſtantiæ: atqueadeò eſt modus ſubſtantialis. *Cabez.*

42 Ad hæc tamen reſpondetur, veriſſimè dici à Trid. contineri Chriſtum in Eucha-

chariſtia *ſubſtantialiter*, id eſt, non ſecundum ſimilitudinem, quaſi Euchariſtia ſit purum Chriſti ſignum, ut ajunt Hæretici; ſed realiter ſecundum ipſam Chriſti ſubſtantiã cum quo ſtat, quòd modus præſentiæ, ſeu ubicationis non ſit ſubſtantia, ſed accidens. Sic eſt quidem in Cœlo ſubſtantialiter, quãvis modus ibi eſſendi accidens ſit. Ad S. Thomam dico, ſolùm velle, quòd ſubſtantia Chriſti non eſt in Euchariſtia ſicut in Cœlo modo quantitativo extenſo; ſed ad modum ſubſtantiæ indiviſibilis: ac ſi quoad hoc non haberet quantitatem. Ad rationem dico, majorem ſolũ eſſe veram de *ubi* circumſcriptivo: quod non habet Chriſtus in Euchariſtia: habet tamen alium modum ubicationis: nec propterea ſubſtantialem, ſed ſimiliter accidentalem. Unde negatur tota conſequentia.

43 Eſt ergo juxta ferè omnes Theologos, & Philoſophos præſentia Chriſti Euchariſtica, non ſubſtantia, ſed accidens. Conſtat ex definitione ſubſtantiæ. Quia nempè talis præſentia ſacramentalis, non eſt de conſtitutivo ſuppoſiti; ſicut nec circumſcriptiva. In quo autem conſiſtat ejuſmodi præſentia, res eſt difficilis, & ex principijs Philoſophicis decidenda. Varia varij: & unus ipſe varia in varijs Manuſcriptis huc illuc diſcurrens profatus ſum, dum in conſtituendo modo ubicationis pedem non fixeram.

44 Inſeuit jam animo doctrina Philoſophica de modo phyſico præſentiæ, ſeu ubicationis, quam leviter inſinuavi *diſp 12. de Attrib. á num. 37.* illum increatis idemtificans realiter cum modo productionis: taliter nimirum, ut rem creatam ſic, aut ſic ubicari, hic, ibi, aut alibi eſſe, nihil ſit aliud, niſi ſic, aut ſic produci.

om.1. ſp.12. ct.3.

45 Quocirca dicendum hic venit, præſentiam Chriſti Euchariſticam eſſe modum phyſicum accidentalem ſubſtantiæ Chriſti realiter ſuperadditum: non quidem phyſicè affigentem Chriſti ſubſtantiam loco, ſeu *ubi* extrinſeco, ut imaginantur multi; ſed conſtituentem formaliter illam taliter ubicatam, & præſentem, ut ibidem expiicui *num.* 37. qui modus eſſentialiter immobilis, eſt realiter ipſa productio, ſeu reproductio ſubſtantiæ Chriſti, ſic, & non aliter ex ſpeciali ſua taleitate eam producens, aut reproducens *ut quo*: vel exinde immobilis eſſentialiter, quia eſſentialiter inſtantanea eſt, cùm ſit etiam formalis ſui, ſuique termini duratio, ut ibidem dixi. Quo in modo reproducendi Chriſtum Euchariſticè, duo diſtinguenda ſunt: unum, quód ſingulas Chriſti partes conſtituat in ſpatio hoſtiæ: aliud, quòd eas miraculosè compenetratas ibi conſtituat, pro ſingulis punctis talis ſpatij. In ijs autem duobus ſtat tota eſſentia præſentiæ ſacramentalis.

46 Unde circa ſecundam Sectionis partem emergit difficultas. In qua Dicaſtillus *diſp. 5. dub. 15.* Amic. *diſp. 19. ſect. 8* & Henaus *ſect. 2.* citans Lugum, Ripaldam, Granadum, Becanum, Meratium, Caſpenſem, cum Caiet. & Suarez, exiſtimant ejuſmodi præſentiam eſſe entitativè ſupernaturalem. Primò: quia eluſmodi præſentia prædicatur mirabiliſſima, ac diviniſſima Secundó: quia modus ille, quo Chriſti corpus ſit ſacramentaliter præſens, aut eſt indiviſibilis, aut diviſibilis in tot puncta, quot ſunt puncta corporis. Si indiviſibilis, totus ille modus ex natura ſua peteret partes corporis Chriſti eſſe compenetratas, & plurilocatas: ergo eſſet entitativé ſupernaturalis: nihil enim naturale id petere poteſt. Si eſſet diviſibilis, unum punctum illius modi peteret, ut per aliud punctum locaretur ſimul in eodem *ubi* pars alia corporis Chriſti. Quinetiam, & modus præſentiæ animæ debet eſſe propterea entitativè ſupernaturalis: quia peteret talem modum replicativum corporis ſupernaturalem.

Dicaſt. Amic. Hen. Delug. Rip. Gran. Dec. Merat. Caſpen. Caiet. Suar.

47 His tamen haud obſtantibus, opinor cum Herize, & Quiros à me citatis *ſec. 9. de Ent. Supern. num. 98.* præſentiam Euchariſticam Chriſti non eſſe entitativè ſupernaturalem; quantumvis miraculoſiſſima ſit quoad modum. Sic etiam Francit. Delugo *diſp. 8. de Deo, num. 9.* Vaſq. Arriag. Præpoſitus, & alij apud eumdem Henaum. Ratio: quia, ut eus ſit entitativè ſupernaturale, utpoté altioris ordinis, nempé divini, non ſufficit eſſe ſupra vires, ſeu exigentiam aliquarum naturarum, ſed omnium; ita quód omnem naturam debeat ſuperare, ut expendi loc. cit. præſertim *num. 98.* modus autem præſentiæ ſacramentalis, quamvis ſuperet naturam corporum; non tamen animarum rationalium, & angelorum: quamvis igitur non niſi miraculosè competat naturæ corporis ſupra ipſius debitum, & exigentiam; entitativè tamen, & in ſe competere poteſt alijs naturis: atqueadeó non eſt enticativé, & abſolutè ſupernaturalis.

Tom.1. diſp.18. Heriz. Quir. Lug. Vaſq. Arri. Præpoſ. Hen.

48 Confirmatur, & explicatur. Nam ad ejuſmodi Chriſti præſentiam conſtituendam ſufficit repetitio, & conjunctio miraculoſa multorum moderum ubicationum, aliàs ſeorſim naturalium, ponentium formaliter puncta corporis replicati in hoc, aut illo *ubi*. V.g punctum, A. corporis ſecundum ſe modo naturali ubicari poteſt in puncto, A. ſpatij; & ſeorſim per alium modum in punc-

cto. B. ſimiliter punctum. B. corporis alio naturali modo poteſt ubicari in puncto, A, ſpatij,& ſeorſim in puncto. B. Eo autem ipſo, quòd quatuor prædicti modi ubicationis, ſecundum ſe, ac ſeorſim naturales, ponantur ſimul,& coniunctim, fiet miraculoſa poſitio eorum punctorum corporis in uno *ubi*, & ſingulorum in duplici. Sic ergo ſine interventu modi intrinſeci entitativè ſupernaturalis fiet miraculoſa eorum punctorum corporis penetratio, & bilocatio per ubicationes, ſeu præſentias alioquin ſeorſim naturales ſic miraculosè coniunctas. Applicatâ autem hac doctrinâ ductum punctorum plurimis punctis,invenietur conſtituta tota præſentia ſacramentalis Chriſti ſine interventu modi præſentiæ entitativè ſupernaturalis: ea enim præſentia nihil aliud dicit, niſi quód omnia puncta Chriſti ſint ubicata in ſingulis punctis ſpatij per penetrationem, & ſingula in omnibus punctis tanti ſpatij per multilocationem. Non igitur opus ad id eſt modo entitativè ſupernaturali.

49 Ad primam rationem contrariam ex *num. 46.* fateor ejuſmodi præſentiam eſſe mirabiliſſimam: non tamen, quia ſit modus intrinſecè ſupernaturalis,ſed propter miraculoſiſſimam combinationem, & coniunctionem ubicationum ſeorſim naturalium ſupra jura, ac debitum naturæ corporeæ. Mirabiliſſimæ quidem fuerunt immunitas trium Puerorum ab igne Babilonico, & Lazari reſurrectio, quin tamen ad id opus fuerit re, aut modo entitativè ſupernaturali: ex eo ſolum, quòd in talibus circumſtantijs ultra naturæ debitum,& ordinem contigerint.

50 Ad ſecundam dico, talem modum præſentiæ Euchariſticæ corporis Chriſti eſſe diviſibilem, utpote materialem ratione dependentiæ à corpore, cui eſſentialiter ineſt. Nego tamen inde inferri, quòd unum punctum illius modi peteret, ut idem punctum corporis locaretur per alium modum in alio puncto ſpatij, aut aliud punctum corporis in eodem: ſicque non peteret ſui puncti bilocationem, nec cum altero puncto penetrationem. Et à fortiori falſum eſt, quòd modus præſentiæ animæ petat ejuſmodi ubicationes partium corporis:unde nec neceſſe eſt, eſſe entitativè ſupernaturalem.

Hen. Omitto leviora videnda apud Henaum cit.

***

SECTIO VI.

Vnde colligatur eiuſmodi præſentia? An pugnet cum alia ſacramentali? Et quomodo pendeat à circumſcriptivâ?

51 TRidentinum *ſeſſ. 13. cap. & can. 3.* ſtatuit, Chriſtum in Euchariſtia eſſe indiviſibiliter totum in toto, totumque in qualibet parte. Unde tamen altiùs ejuſmodi præſentia colligatur, inexploratum eſt. Quamvis enim ex Scripturâ per verba conſecrationis credamus Chriſtum eſſe realiter ſub ſpeciebus; taliter tamen eſſe ſub ſpeciebus, ut qualibet pars Chriſti ſit ſub quolibet ſpecierum puncto, non videtur ſatis inde conſtare: cum ſat vera forent verba, veraque converſio, ſi Chriſtus præſentaretur ibi, quamvis non totus in toto, totuſque in qualibet parte. *Trid.*

52 Idcircó P. Amicus *diſp. 19. ſect. 1.* benè docet, id deduci ex decentiori modo exiſtendi ibi, ſuppoſita tali Chriſti præſentiâ ſub ſpeciebus. Si enim aliter modo diviſibili exiſteret ibi Chriſtus,aut requireterentur ſemper ſpecies tantæ dimenſionis, quantæ eſt corpus humanum: & hoc non; cùm in parvula hoſtia totus ſit: aut ſaltem non totus Chriſtus, ſed eius pars eſſet in hoſtia; aliæ autem eius partes protenderetur ultra ambitum hoſtiæ: & neque hoc dici decet: nam quando hoſtia manducatur reduci deberet ad hoſtiæ ambitum totus Chriſtus,alioquin non totus manducaretur. Oportet ergo dici Chriſtum taliter eſſe in hoſtia, ut totus ſit in tota,& totus in qualibet parte: & ſimiliter in calice. Alioquin Chriſtus diſtribuens Apoſtolis calicem per modum unius conſecratum,non dediſſet ſingulis totum ſanguinem. Accedit congruentia ex parte panis, & vini converſi in corpus,& ſanguinem Chriſti:cùm enim integrentur ex partibus homogeneis, non eſt cur potius una quàm alia convertatur in unam potius quàm in aliam partem Chriſti: congruit ergo, quamlibet partem converti in totum corpus Chriſti:ſicque partes omnes Chriſti poni ſub qualibet parte ſpecierum. *Amic.*

53 Circa ſecundum P. Suarez *diſp. 58. ſect. 3.* utrinque rem conſiderans manet dubius. Delugo *diſp. 5. num. 176.* ait, unam præſentiam ſacramentalem Chriſti non minùs pugnare cum alia ſacramentali ſimul in alio loco, quàm cum alia circumſcriptiva; aut quàm una circumſcriptiva cum alia etiã circumſcriptiva. Nam, inquit, una præſentia *Suar. Lug.*

ſive

ſive definitiva, ſive circumſcriptiva alligatur eſſentialiter uni loco: ergo poni nequit in alio: ergo petit, quòd corpus tuum non ſit in alio loco per aliam ſivé circumſcriptivam, ſive definitivam: unde, quocumq; ex his modis ponatur tale corpus in alio loco, erit cõtra exigentiam illius præſentiæ definitivæ. Antecedens, & prima conſequentia admittitur communiter contra nonnullos anonymos, quos nec impugnare dignatur Dicaſtillus *diſp. 5. dub. 4.* Probatur autem ſubillatio: quia modus ille præſentiæ per ſe unitus corpori petit eſſe ubicumq; ſit corpus: ac proinde, quòd corpus non ſit alibi ipſe non eſt, nec eſſe poteſt.

Dicaſt.

54 Me tamen non movet iſta ratio, cuius ſubillationem nego, & ſubillationis probationem, utpotè nixam doctrinæ, quam reiecimus *diſp. præc. ſect. ult.* ubi vidimus, neque unionem, neque extremum unitum petere poni ubicumque divinitus ponitur alterum extremum.

Supra diſp. 5.

55 Aliunde dari poſſet aliqualis ratio, ſumpta videlicet ex limitatione corporis ad certam extenſionem loci, & puncti corporis ad punctum ſpatij: ob quam limitationem nequit unum corpus eſſe naturaliter in duobus locis, ut vidimus *ſect. 3. à num. 31.* Quod militat etiam contra bilocationem ſacramentalem: per quam ſcilicet deberet etiam punctum corporis ubicari in duplici puncto ſpatij. Sic fermè Arriaga *tom. 7. diſp. 37. de Euch. ſect. 2.* Quapropter videtur dicendum, unam præſentiam ſacramentalem pugnare naturaliter cum alia ſacramentali eiuſdem corporis, ſicut cum alia circumſcriptiva; cõponi tamen non niſi divinitùs.

Arr.

56 Circa tertium poteſt eſſe quæſtio, aut ex natura rei, aut ex præſenti Euchariſtiæ inſtitutione. Caietanus, & Ledeſma apud Dicaſtillum *dub. 13.* ajunt præſentiam Chriſti ſacramentalem ita pendere à circumſcriptiva, ut non potuerit fieri hoc Sacramentum, quin Chriſtus præceſſerit alibi circumſcriptivè præſens. Favetque S. Thom. *quæſt. 73. art. 3.* dicens Euchariſtiam non potuiſſe inſtitui ante Incarnationem: quod ideó dictum videtur, quia modus, quo Chriſtus eſt in Euchariſtia, ſupponit neceſſariò modum, quo poſt incarnationem erat circumſcriptivè præſens.

Caiet. Ledeſ. Dicaſt. S. Thom.

57 Argumentum Caietani eſt: quia præſentia ſacramentalis ſupponit Chriſtum exiſtentem. Nihil tamen probat: nam, ſi ſtemus ſententiæ communi, modus præſentiæ ſupponit rem exiſtentem; non quidem prius tempore, aut alibi exiſtentem; ſed priùs natura: quòd de præſentia circumſcriptivâ rei in unico loco eodem modò verùm eſt, non minùs quàm de una, vel duplici ſacramentali. Si autem ſtemus veritati, falſum mihi eſt, quod ſupponit Caietanus: opinor enim rei creatæ præſentias, ſive circumſcriptivas, ſive definitivas, ſive ſacramentales, eſſe realiter ipſarum productiones, ut inſinuavi *num. 45.* Sicque non ſupponit exiſtẽtia rei præſentiam rei: imó præſentia præcedit origine rem, rei que exiſtentiam.

58 Dicendum videtur primò, præſentiam ſacramentalem ex natura rei non pendere neceſſariò à circumſcriptivâ; benè verò prout de facto junta hanc inſtitutionem: unde Euchariſtia non ſupponit eſſentialiter Incarnationem ex natura rei; benè verò prout de facto. Probatur prima pars: quia nullatenus implicat, quòd Deus nullâ alia præcedente præſentia Chriſti, produceret ſub accidentibus panis hoc idem corpus indiviſibiliter præſens, unitum ad animam, & ſimul cum anima ad Verbum: ſic autem daretur ſubſtantialiter Euchariſtia, cum præſentia reali ſacramentali, nullâ præcedente præſentiâ circumſcriptivâ Chriſti. Secunda pars probatur: quia hæc inſtitutio facta fuit verbis Chriſti naturali modo prolatis: ergo ſupponebat Chriſtum præſentem tali modo præſentiæ, cui connaturalis eſſet ea verborum prolatio ſucceſſivé protracta per guttur, & labia diſtenta: huiuſmodi autem loquutio dicit partium extenſionem, & circumſcriptionem, ut per ſe patet. Et juxta ſecundam hanc concluſionis partem intelligi vult S. Tho. cit. *nu. 56.*

59 Dicendum ſecundò: juxta præſentem inſtitutionem Euchariſtia in fieri ſupponit Chriſtum præexiſtentem: non verò Euchariſtia in facto eſſe. Probatur prior pars: quia in confectione Euchariſtiæ Chriſtus eſt principalis Sacerdos concurrens cum ſuo Miniſtro: ergo ſicut prærequiritur præſentia Miniſtri, ita etiam Chriſti. Atque hinc infert Dicaſtillus *num. 276.* contra aliquos, ad id non ſufficere præexiſtentiam animæ Chriſti; quia anima non eſt Sacerdos: & ſubinfert, quòd iuxta præſentem inſtitutionem non poſſent Apoſtoli conſecrare, mortuo Chriſto, quamvis manere poſſent hoſtiæ antea conſecratæ continentes Chriſtum. Sufficeret tamen, ut ipſi poſſent conſecrare, quòd Chriſtus permaneret tunc alicubi exiſtens ſacramentaliter, quamvis nullibi circumſcriptivé: quia ſic maneret verus homo Sacerdos, & novam conſecrationem efficeret cum Miniſtro proferente verba.

Dicaſt.

60 Poſterior pars concluſionis proba-

tur. Quia, ſemel conſecratâ hoſtiâ, neutiquam repugnat præſenti inſtitutioni, quòd maneret in illa Chriſtus ſacramentaliter, quamvis nullibi maneret circumſcriptivé præſens, & ibi dumtaxat ſacramentaliter: ergo præſentia ſacramentalis in facto eſſe, adhuc juxta hanc inſtitutionem de conficiendo Sacramento, non pendet eſſentialiter à ſimultaneâ aliâ Chriſti præſentiâ condutante cum iſta.

61 Dixi: *Juxta hanc inſtitutionem de conficiendo Sacramento.* Quia, ſi quantum ad conſervationem Sacramenti Chriſtus habuit voluntatem non manendi in hoſtia, niſi quandiu circumſcriptivè maneret alicubi; dicendum etiam eſſet juxta talem Chriſti voluntatem non poſſe conſervari in facto eſſe præſentiam ſacramentalem abſque circumſcriptiva. An de facto Chriſtus habuerit hujuſmodi voluntatem; negat ibi Dicaſtillus. *Dicaſt. Vaſq.* Affirmat apud ipſum Valquez: & quidem veroſimiliùs, quia conformiùs ad doctrinas univerſaliùs receptas á Theologis. Quippé dicunt communiter, quòd ſi Chriſtus, conſecratâ Euchariſtiâ, deperdiſſet alicubi particulam aliquam ſuæ ſubſtantiæ, in Euchariſtia quoque deſineret eſſe ea particula: unde inferre licet, quòd quando ponitur Chriſtus in Euchariſtia, ponitur manſurus ſacramentaliter ſub ſpeciebus, dependenter ab eo quòd ſpecies illæ perſeverent incorruptæ, & quòd Chriſtus perſeveret alibi circumſcriptivé præſens.

SECTIO VII.

An, & quomodo totus Chriſtus ſit præſens ſub quacumque ſpecierum parte, vel puncto.

62 Factâ partium ſeparatione, nullam eſſe ita minimam ſpecierum panis, aut vini, in qua non ſit realiter Chriſtus, conſtat ex Trid. *ſeſſ. 13. can. 3.* *Trid.* Antè factam ſeparationem eſſe totum Chriſtum in ſingulis partibus determinatis aſſignabilibus, & ſeparabilibus, eſt quoque certum, & Fidei ſaltem proximum: quamvis nondum ſit omninò definitum. Ratio: quia factâ ſeparatione, totus Chriſtus eſt in qualibet ſpecierum parte: ergo, & ante ſeparationem Concilium enim *cap. 3.* fine mentione ſeparationis ait, ſub qualibet parte ſpecierum eſſe totum Chriſtum. Alioquin, factâ mox ſeparatione, inciperet eſſe Chriſtus ſine nova conſecratione ſub aliqua parte, ſub qua non erat ante ſeparationem: quod eſt pluſquam abſurdum.

63 Inter Ariſtotelicos compoſitores continui ex partibus proportionalibus, & ex indiviſibilibus eſt exagitatiſſima quæſtio: an totus Chriſtus ſit ſub ſingulis indiviſibilibus, ſingulíſque partibus proportionalibus ſpecierum. Negant aliqui cum Scoto, Richardo, & Valquez. *Scot. Rich. Vaſq.* Affirmant alij cum Suarez, Capreolo, Soto, & Meratio. Utrinque labor, & opus eſt. *Suar. Capreol. Sot. Merat.*

64 Quippe qui negant, tenentur dicere, præſentiam Chriſti in Euchariſtia non eſſe undique continuam, interjectis ſcilicet aliquibus punctulis, ſeu particulis ſpecierum, ſub quibus non eſſet Chriſtus: & Chriſtum non fieri Euchariſticé præſentem ubicumque erat ſubſtantia panis: nec enim erat ſub cunctis etiam particulis, & indiviſibilibus ſuarum ſpecierum, ne aliquid accidentium eſſet ſine ſubjecto: atqui juxta ſententiam iſtam non fit per conſecrationem Chriſtus realiter præſens ſub ſingulis particulis, & indiviſibilibus ſpecierum.

85 Qui verò affirmant tenentur dicere, fractâ hoſtiâ, poni Chriſtum abſque novâ conſecratione Sacerdotis ſub aliquibus punctulis ſpecierum, ſub quibus ante fractionem non erat. Docent enim, quòd quando continuum dividitur, ponitur de novo unum ſaltem indiviſibile terminativum in uno fragmento, cùm enim indiviſibile, quo antea continuabantur partes, nequeat manere, niſi in extremitate unius fragmenti, ut extremitas alterius terminetur debet apponi aliud indiviſibile, quod antea non erat. Vel ergo ſub hoc alio indiviſibili ſpecierum ponitur Chriſtus; vel non: ſi ponitur, ponitur ubi non erat: ſi non ponitur, ponitur ibi ſubtia panis, ne indiviſibile illud ſpecierum ſit ſine ſubſtantia panis, & Chriſti ſub illo contentâ. Utrumque autem eſt clarum inconveniens.

86 Propter hæc, & alia fundamenta, quæ à Zenoniſtis jaciuntur in Philoſophia, invaluit jam in Scholis oppoſita ſententia mihi veriſſima de compoſitione continui ex ſolis punctis indiviſibilibus. In qua prædictæ difficultates evitantur dicendo, totum Chriſtum eſſe ſub ſingulis punctis indiviſibilibus ſpecierum conſecratarum, ſive ſeparatis, ſive non ſeparatis.

87 Sic quoque benè percipitur, qua ratione corpus Chriſti poſſit ad punctum loci reduci: nempé compenetratis invicem omnibus punctis quantitatis Chriſti, ſicque poſitis ſub puncto ſpecierum: & qua ratione totus Chriſtus ſit in tota hoſtia, & totus in qualibet parte hoſtiæ; nempè toties cõpenetratis invicem punctis quantitatis Chriſti, & re-

redactis toties ad punctũ spacij, quot sunt pũcta specierũ extentarum hostiæ consecratæ: Quàm difficulter hæc, & similia explicentur ab Aristotelicis compositoribus continui, videre est apud ipsos.

SECTIO VIII.

An, & quatenùs Christus, ut in Eucharistia præsens, cognosci valeat ab intellectu creato.

68 CErtum est, Eucharistiam, eam quoad præsentiam corporis Christi sacramentalem, quàm quoad permanentiam accidentium sine subjecto, cognosci à nobis abstractivè per Fidem: & posse ab intellectu nostro sublimiùs elevato intuitivè videri cognitione supernaturali. Difficultas est de cognitione naturali, non tantùm apprehensivâ suspicativâ, seu probabili; quin etiam de assertivâ, & evidenti, seclusо lumine Fidei, aliâque elevatione supernaturali. De quo Bernal *disp. 23.* Dicastill. *disp. 6. à dub. 5.* Amic. *disp. 21.* Arriaga *disp. 37.* & Henaus *disp. 9. & 10.*

Bern. Dicast. Amic. Arriag. Hen.

69 Doctrina communis est, nihil supernaturale posse à creaturis naturali evidentiâ cognosci. Unde neque existentia accidentiũ sine subiecto, utpote involuens per se existentiam accidentium entitativè supernaturalem; neque præsentia sacramentalis corporis, utpotè involuens modum ubicationis supernaturalem, poterunt ab intellectu creato cognosci naturaliter evidenter.

70 Ipse in primis doctrinam illam cõmunem de incognoscibilitate omnis generaliter entis supernaturalis à lumine naturæ creatæ reieci *disp.18. de Attrib. sect.12.* ut etiam memini *disp. 1. de Incarn. sect 15.* Deinde existimo, nec existentiam accidentium sine subjecto, nec præsentiam sacramentalem corporis Christi involuere quidquam creatum entitativè supernaturale, ut partim vidimus *sect. 5.* & partim videbimus *disp. 8. sect.3.* Nihilominus, quidquid sit de incognoscibilitate entis supernaturalis in genere; videndum hîc sese offert, an speciale hoc ens supernaturale Eucharisticum involuens multa miraculosa, & supernaturalia, saltem quoad modum, possit naturali assensu cognosci à creaturis, seclusâ revelatione, & lumine alio superno.

Tom.1. disp.18.

Infra disp.8.

71 S. Thom. *quæst. 76. art. 7.* docet, corpus Christi secundum modum essendi, quem habet in Sacramento, non posse ab intellectu hominis viatoris concipi, nisi per Fidem: neque intellectum angelicum per sua naturalia sufficere ad hoc intuendum: sicque dæmones non posse intueri Christi præsentiam in Eucharistia, nisi per aliqualem fidem, cui non voluntariè assentiuntur; quãvis ad eam evidentia signorũ convincantur: ad eum nempè modum, quo dicitur Iacob. 2, *Dæmones credunt, & contremiscunt.* Dici tamen posset, S. Tho. loquens quòd de intellectu humano, loquitur de intellectu viatorum, ut inferiùs explico; quando verò loquitur de angelico, intelligi posset de Angelis nunc existentibus, non disputans, an repugnet intellus Angeli multò perfectior, qui naturaliter id intueri posset. Dici aliter posset, S. Thom. loqui de Eucharistia quoad omnia quæ involvit: sic autem, cùm involvat Mysterium Incarnationis naturali evidentiâ incognoscibile, ut vidimus *disput. 1. sect. 15.* prætervolat naturalem evidentiam creaturæ.

Iacob.2.

Supra disp.1.

72 Tridentinum *sess.13. cap 1.* indicat, opus esse cogitatione per Fidem illustratâ ad assequendum cognitione certa Mysterium Eucharistiæ. Sicque SS. Patres ioquntidem illud vocant inscrutabile: & ab Ecclesia vocatur antonomasticè *Mysterium Fidei.* Ergo quia cognoscibile non est certo, & evidenter lumine naturali. Dici tamen similiter posset, eam inscrutabilitatem prædicari de hoc Mysterio, ut involuente Mysterium Incarnationis, & mortis Christi: sicque vocari etiam per excellentiam Mysterium Fidei Christianæ. Dici secundó posset, vocari inscrutabile quoad ejus institutionem, & existibilitatem, quamvis semel positum possit naturaliter cognosci: est enim opus tam admirabile, ut incredibile fieret creaturis, nisi per fidem ex divina revelatione, tanti signum amoris patrandum à Summo Deo propter nos homines. Aut tertió, vocari inscrutabile: quia, quamvis posset forté alioquin ab Angelo naturaliter cognosci; Deus tamen ob fines altissimos illud abscondere voluit, non solùm nostris sensibus, ut dicam *sect. sequ.* quin etiam mentibus angelicis naturali lumine agentibus. Hoc autem satis est, ut absolutè dicatur inscrutabile, quemadmodum Hierem.17. dicitur *cor hominis inscrutabile*: occultante scilicet Deo naturali Angelorum intuitioni secreta cordis humani pro recto moderamine Reipublicæ rationalis; quamvis ex natura rei possent, utpote naturalia, ab Angelo naturali evidentiâ cognosci.

Trid.

Hier.17.

73 Ratione solet etiam argui. Nam in primis possibilitas præsentiæ sacramentalis non potest per se ipsam determinare intellectum creatum ad immediatam sui cognitionem

nem evidentem ob neceſſitatem ſpecierum intelligibilium, ut intellectus creatus compleatur, & determinetur ad cognoſcendum. Deinde non eſt naturaliter poſſibilis ſpecies propria, & quidditativa ejuſmodi præſentiæ: quia ſpecies infunditur vice objecti ad cognitionem: ſpecies autem, quæ infunderetur vice præſentiæ ſacramentalis ſupernæ, deberet eſſe ſupernaturalis; ac proinde cognitio illam prærequirens non poſſet eſſe naturalis: nihil enim naturale poteſt eſſentialiter prærequirere quidquam ſupernaturale. Denique, nec defectus ſpeciei poteſt à Deo ſupplerì naturaliter: quia Deus non ſupplet naturaliter, niſi quod ſupplet, ut Autor naturæ: non autem ſic ſupplet defectum rei ſupernaturalis, qualis eſſe deberet illa ſpecies: ſicque cognitio habita Euchariſtiæ per huiuſmodi ſupplementum non poſſet eſſe naturalis. Igitur repugnat undique cognitio naturalis evidens creatæ præſentiæ Euchariſticæ.

74 Solet tamen etiam ex adverſo reſponderi, per hæc ad ſummum probari, Chriſtum, ut ſacramentaliter præſentem non poſſe naturali lumine creato cognoſci intuitivè, & quidditativè in ſe, ad quem modum cognoſcendi requiritur ſpecies objecti propria. Cum quo ſtat, quòd poſſit cognoſci cognitione evidenti abſtractivâ: nam ad hunc modum cognoſcendi, quo evidenter naturaliter cognoſcimus Deum ex creaturis per ſpecies creaturarum, non requiruntur ſpecies propriæ obiecti ſic cogniti. Reſpondet ſecundò Coninc, non eſſe certum id quod ſupponitur de neceſſitate ſpecierum.

Coninc.

75 Reſpondetur ſecundò, Angelum jam habere ſpecies naturales ſibi debitas corporis, & animæ Chriſti, & modorum entitativè naturalium, ex quibus coaleſcit præſentia ejuſdem Chriſti ſacramentalis ſine alio modo intrinſeco quoad entitatem ſupernaturali, ut vidimus *ſect. 5.* Non eſt autem, cur per eas ſpecies naturales nequeat Angelus intueri evidenter naturaliter Chriſtum, ut ibi præſentem? Obſtat Bernal ex eo quòd illæ ſpecies naturales excitari non poterunt à corpore Chriſti ſic ibi præſente. Id tamen negabitur: ſicut, & quòd corpus exiſtens Matriti, ſi hic quoque exiſteret miraculosè præſens, non excitaret nos ad ſui intuitionem.

Bern.

Coninc.

76 Addit Coninc, quòd, quamvis modus ille præſentiæ eſſet entitativè ſupernaturalis, nec poſſet propterea Angelus illum naturaliter intueri, non ſequitur, Chriſtum ibi præſentem non intuendum ab Angelo: nos enim intuitivè intuemur parietem præſentem, quamvis modum præſentiæ neutiquam intuemur.

77 In oppoſitum, quòd naturali lumine poſſet intellectus creatus Euchariſticam præſentiã cognoſcere, argui poteſt ſic. Angelus in primis naturaliter evidenter intuetur, meliùs quàm nos, accidentia Euchariſtia: videt præterea deeſſe ibi ſubſtantiam panis: ſcit enim ſe ibi non videre talem ſubſtantiam, à ſe, ſi foret ibi videndam, utpotè naturalem: inferet ergo naturali evidentiâ, ibi non eſſe. Dices, ſciri etiam ab Angelo, poſſe ſibi occultari à Deo talem ſubſtantiam, quamvis ibi adeſſet. Contra: nam etiam ſcimus nos, Deum poſſe nobis occultare elephantem, quamvis exiſtentem coram nobis in platea: & tamen evidenter ſcimus non hìc adeſſe, quia ſcimus non videri à nobis, alioquin eum viſuris, ſi adeſſet. Addam juxta principia Ripaldæ, & aliorum, quòd potuiſſet Deus naturaliter revelare Angelo, illam non occultationem, utpotè naturalem, & quòd Angelus naturaliter ſic crederet: quo in caſu evidentiſſimè inferret Angelus, ibi non videns ſubſtantiam panis, ibi non adeſſe: ut in ſimili urſimus ad homines *diſput. 1. de Incarnat. ſect. 17.*

Rip.

Supra diſp. 1.

78 Angelus præterea naturaliter evidenter noſſet, ibi eſſe Chriſtum: nam anima Chriſti naturalis eſt, ejuſque ſpeciem habet Angelus: nec modus præſentiæ definitivæ eſt animæ incompetens: cur igitur eam Angelus ibi non videret; ſicut videremus nos lucem, quæ eſt Matriti, ſi hic coram nobis ſimul collocaretur? Dices: quia anima illa eſt alibi. Sed contra: quia incredibile eſt, hominem bilocatum Matriti, & Barcinone, eo ipſo quod ſimul eſſet Matriti, non videndum fore naturaliter à nobis Barcinone, ſi nobis præſens occurreret, haud ſecùs, ac videmus hanc papyrum: non eſt ergo cur Angelus non videat naturaliter animam Chriſti præſentem in Euchariſtia, quamvis aliter alibi præſentem. Ergo, & unionem eiuſdem animæ ad corpus ob eamdem rationem: ergo evidenter cognoſceret, eſſe animam, & corpus Chriſti ſub accidentibus panis: cùm evidens ipſi ſit, animam, & unionem ad corpus non poſſe eſſe ſine corpore. Atqui videret etiam, corpus non eſſe ibi circumſcriptivè: ergo evidenter inferret, eſſe ibi definitivè, ſivè alio modo mirabili. Probatur iſta minor: quia non videret ibi præſentiam circumſcriptivam connaturalem corporis, cùm non detur: ac proinde evidenter inferret, eſſe ibi præſens corpus Chriſti, & non circumſcriptivè: atque adeò modo alio mirabili præſentiæ. Videret inſuper, ſub extenſione accidentium parvæ hoſtiæ non poſſe circumſcribi totum corpus humanum, ſine quo anima unita eſſe

nequit. Urgeri hæc poſſunt per ea, quibus nuper probatum eſt, angelum evidenter inferre, ibi non eſſe ſubſtantiam panis ex eo quòd ab ipſo non videatur.

79 Confirmatur. Anima Chriſti naturali lumine poſſet evidenter cognoſcere totum hoc, quod diximus: cur ergo repugnabit naturali lumini angelico, non minùs ſecundum naturalia cognoſcitivo? Antecedens patet: nam anima Chriſti exiſtens in Euchariſtia, & relicta naturali ſuæ virtuti cognoſcitivæ: cognoſceret evidenter, ſe ibi eſſe: quis dubitet? Deinde, ſe eſſe ibi unitam corpori: quis neget? Ergo cognoſceret evidenter naturaliter, ibi eſſe corpus ſuum, ſimulq; alibi: quia ipſa eſſet etiam alibi, & non ſine corpore alibi etiã præſente. Et tandem de homine, ſeu angelo videtur innegabile, quòd evidenter naturaliter cognoſceret ſe eſſe bilocatum; imò & in uno loco ſedere, & in alio ſtare. Ergo quoad miraculoſam ſaltem multilocationem cognoſci poſſet naturaliter evidenter ab angelo Myſterium Euchariſticum. Hæc quidem momenta momenti ſunt.

80 Prima concluſio. Haberi poteſt naturaliter ab homine, vel angelo iudicium probabile tam de exiſtentia, quam de poſſibilitate Euchariſtiæ; non verò quoad omnia metaphyſicè formaliter certum, & evidens. Prior pars videtur abundè probata ex diſcurſu nuper facto pro cognoſcibilitate naturali evidenti Euchariſtiæ: ſaltẽ enim probat probabilem. Poſterior, quoad metaphyſicam certitudinem, ex eo mihi ſuadetur quod exiſtimem valdè veroſimile, nullam eſſe cognitionem naturalẽ metaphyſicè certã certitudine formali adhuc de obiectis omninò naturalibus, ut innui *diſp.18. de Attrib. nat.2.* & firmabo *in diſputationibus de Fide*. Quoad metaphyſicam autem evidẽtiam probatur, & explicatur: hæc enim certitudo ſolùm datur in nobis naturaliter circa prima principia: quale nec nobis, nec angelis eſt Myſterium Euchariſtiæ tot implexum difficultatibus occurrentibus. Negotium ergo præſens eſt de certitudine, & evidentia phyſicâ.

Tom 1. diſp. 18. ſec.12.

81 Secunda concluſio. Suppoſitâ divinæ incarnationis notitia, de qua nunc non agimus, ſed egimus *diſp 1 ſec.16*; poſſet intellectus creatus naturali lumine formare iudicium phyſicè certum, & evidens de poſſibilitate divinæ Euchariſtiæ; imò, & de exiſtentia. Ut autem, poſitis vocibus, ſtatim veniamus ad rem, nomine iudicij phyſicè certi, & evidentis, intelligo aſſenſum, qualem habemus de poſſibilitate, & de exiſtentia ſolis, ſeu accidentium ipſius Euchariſtiæ. Quo ad poſſibilitatem videtur admitti concluſio à Delugo *diſp.9. ſec.2. num 29.* contra multos communiter. Quoad exiſtentiam traditur à Becano, & alijs apud Bernal. Eam tenet perdoctus Coninc *q.76. art.3.* citans Scotum, Maiorem, Ochamum, & Gabrielem: additque, ſe nõ videre cur ea notitia negetur angelis de facto. Pluta Martinonus *diſp.32. ſec.4.*

Supra diſp.1.

Lug. Becan. Bernal Conine Scot. Mai. Ocham. Gabr. Mort.

82 Probatur prima pars concluſionis de poſſibilitate. Quia ſi aliquæ difficultates occurrentes impedire poſſent eiuſmodi aſſenſum evidentem, maximè, vel exiſtentia accidentium ſine ſubiecto; vel præſentia corporis Chriſti ſub illis ad modum rei indiviſibilis. Atqui difficultates iſtas evidẽter ſuperare poſſet intellectus angelicus creatus, aut ſaltem creabilis, perfectiſſimè penetrans rerum naturalium eſſentias: ergo. Probatur minor: quia benè noſſet non eam eſſe naturam accidentium, ut eſſentialiter repugnet illis eſſe ſine ſubiecto: neque eam eſſe naturam corporis, cui repugnet eſſentialiter eiuſmodi multilocatio, & compenetratio, & conſequenter nec eiuſmodi præſentia: quæ ut vidimus *ſec.5.* nihil dicit aliud quàm poſitionem multorum punctorum corporis in puncto ſpatij per compenetrationem; & cuiuſlibet puncti corporis in multiplici puncto ſpatij per multilocationem. Evidenter igitur inferret poſſibilitatem Euchariſtiæ. Aut aſſignetur repugnantia intellectûs creati, cui hoc repugnet.

83 Secunda pars concluſionis de exiſtentia videtur convinci diſcurſu facto *à num.76.* cui multa reſpondent Bernal, Henaus, & RR. meo videri parum ſolida, ac liberè aſſumpta. Confirmatur ex eo quod diximus *ſect.5.* in Euchariſtiæ Myſterio, præter ſupernaturalitatem Incarnationis, quàm ſupponimus; nihil aliud intervenire entitativè ſupernaturale. Porrò rerum omnium entitativè naturalium ibi intereſſentivum habet Angelus ſpecies cõnaturales: quibus poſſe noſci evidenter ab Angelo multa miraculoſa quoad modum ſupernaturalia eſt mihi fere certum per ea, quæ dixi *diſp. 18. de Attrib. ſect. 12.* Quis enim dubitet, Angelum evidenter intuitum naturaliter hominem, divinitùs bilocatum intra ſpatium leucæ, quam occupat ipſe; ſicut naturaliter intuemur nos accidentia Euchariſtica ibi divinitus permanentia? Aut quis dubitet hominem, qui evidenter naturaliter noverat, ſe fuiſſe cæcum à nativitate & poſt horam nullis adhibitis remedijs expeditè videre, evidenter illaturum, ſe non naturaliter, ſed miraculosè habuiſſe viſum? Reliqua de ijs loc. cit. *de Attrib.*

Tom.1. diſp.18.

Tom 1. diſp.18.

Tex-

84 Tertia concluſio. Homo viator mortalis nequit naturaliter formare iudicium certum, & evidens de exiſtentia Euchariſtiæ. Iuxta hanc concluſionem intelleximus ſupra S. Thomam, aliaſque auctoritates de inſcrutabilitate huius Myſterij nobis citra Fidem occultiſſimi. Ratio autem, præter experientiam, eſt. Quia nihil hîc poſſumus intueri, niſi per ſenſus: ſenſus autẽ non ita ferri poſſunt in Euchariſtiam, quantumvis præſentem, ut moveant intellectum ad aſſentum evidentem exiſtentiæ Euchariſtiæ. Quippé oculi ſolum percipiunt colores panis, ac vini, ex quibus potius iudicaretur ſubeſſe ibi eorum ſubſtantias, quàm ſubſtantiam Chriſti: auditus perciperet quidem verba Sacerdotis: *hoc eſt corpus meum*: at illa verba eſſe Chriſti, & eſſe vera non niſi lumine Fidei percipitur. Addo, quòd quamvis concederetur, poſſe oculos noſtros, niſi divinitùs impedirentur, intueri naturaliter ipſos Chriſti colores præſentes in Euchariſtia, ita confuſé, ac permixtè illos cernerent, ut exinde non poſſet à nobis evidenter diſcerni, & judicari, ibi eſſe corpus Chriſti: de quo *ſec. ſequ. præſertim n. 90.*

SECTIO IX.

An, & quatenus Chriſtus in Euchariſtia præſens videri poſſit oculis corporeis.

85 TRiplicem invenio ſententiam. Prima affirmat, etiam, naturaliter. Ita Martinon *ſect. 4.* cum doctiſſimis Nominalibus: aſſerentibus tamen ex præſenti providentia impediri divinitus oculos noſtros, ne Chriſtum in Euchariſtia videant, ut myſterium Fidei augeatur. Secunda, omnino negat etiam de potentia abſolutâ. Ita Bonav. Durand. Palud. quos citatos ſequuntur Becanus, Henaus, & Dicaſtillus *diſp. 6. dub. 5.* Tertia communiùs recepta negat id quoad naturaliter; affirmat verò quoad potentiam abſolutam.

Martin. Nomin. *Bonav. Duran. Becan. Henau. Dicaſt.*

86 Prima concluſio. Saltem de abſolutâ poſſent oculi corporei videre Chriſtum præſentem in Euchariſtia. In hoc conveniunt prima, & tertia ſententia. Ratio: quia corpus Chriſti in Euchariſtia habet per concomitantiam colores ſuos naturales, quos habet in cœlo, & lucem etiam naturalem, quâ ibi clarificatur: cur ergo videri non poterit ab oculis noſtris corporeis perceptivis colorum, & lucis, ſaltem de poteſtate abſoluta, quæ ſuperare poteſt improportionem, & diſtantiam, ſi quæ eſt, ex modo ibi exiſtendi? Hoc autẽ eſſet videre Chriſtum ibi præſentem: nec aliter oculi noſtri vident hominem, arborem, aut lapidem, niſi percipiendo eorum colores: ſubſtantias enim in ſe ipſis non vident.

87 Obijcies. Nequit elevari potentia ultra ſuum obiectum adæquatum: ideoque nequeunt oculi elevari ad videndum ſpiritum, Deum, ſonum, odorem, &c. Sed Chriſtus prout præſens in Euchariſtia eſt ultra obiectum adæquatum oculorum: ergo nec de abſoluta poſſunt elevati ad id videndum. Probatur minor: quia ibi eſt ad modum rei ſpiritualis abſque extenſione, & figura ſituali; ipſique Chriſti colores ſunt ibi ad modum ſubſtantiæ. Reſpondetur, conceſsâ maiori, notando æquivocationem minoris, qua paſſim laborare videtur Henaus. Si reduplicatio, *prout præſens*, cadit ſupra modum preſentiæ ſuperadditum, ut ſenſus ſit, eum eſſe ultra obiectum oculorum, minor eſt vera: quia oculi nec naturalem præſentiæ modum vident, cùm nec ſit color, nec lux. Si reduplicatio illa ſolũ conſignificat Chriſtum eo modo præſentem, ut eſt ſenſus legitimus quæſtionis, negatur minor: quia Chriſtus ibi eſt veré res corporea colorata, & lucida, atqueadeò obiectum de ſphæra oculorum. Ad probationem, concedo antecedens: at nihil inde contra nos. Nam modus ille præſentiæ, ſeu exiſtentiæ, nec facit quòd Chriſtus, eiuſque qualitates deſinat eſſe veré coloratum, & lucidum, aut color, & lux; nec tollit quominus Chriſti colores vera ſint accidentia. Nec obeſt quòd Chriſtus non habeat ibi figuram, & extenſionem: nam etiam punctum albedinis id non habet: & tamen eſt viſibile ſaltem divinitùs, & forté etiam naturaliter, ut indicavi *diſp. 3 ſec. 13.* *Supra diſp. 20.*

88 Obijcies ſecundò. Senſus alij materiales nequeunt elevari ad ſentiendum corpus localiter inextenſum: ergo neque oculi. Concedit antecedens Amicus: quia olfactus, guſtus, & tactus exercentur circa obiectum per contactum phyſicum quantitativum, qui repugnat ad corpus inextenſum; auditus verò, quamvis non ita requirat contactum, fertur tamen in ſonum, qui, cùm eſſentialiter dicat motum ſucceſſivum diviſibilem, dari nequit ſine extenſione locali. Melius negat antecedens Lugo *diſp. 9. nu. 28.* neque enim in eo contactu, quem ad olfactum, guſtum, & tactum requirit Amicus apparet repugnantia: neque quoad auditum in eo quod Chriſtus exiſtens in Sacramento formaret divinitus ſonos, qui audirentur. Addo, quòd ſi quoad aliquem ſenſum reperitur ſpecialis repugnantia, ea erit ratio cur Chriſtus Euchariſticè præſens non poſſit ab

Amic. *Lug.*

eo

eo sensu percipi. At quoad sensum oculosum ea non apparet.

89 Secunda conclusio. Verisimile mihi est, & ab intrinseco probabile, ex natura rei posse corporeos oculos videre naturaliter Christum in Eucharistia præsentem, nisi divinitùs impedirentur, ut explicabat prima sententia *nu.85.* Hanc probabilitatem commendant ex Auctoribus tertiæ sententiæ Arriaga *disp.37. sec.7.* Coninc *disp.76. num.95.* & Suarez *disp.61 sec 2.*

Arriag. Coninc. Suar.

90 Ratio. Quia non obstat in primis modus, quo exitit ibi Christus indivisibiliter: nam oculi possunt naturaliter videre indivisibile coloris, ut adstruximus *disp.3. sec. 13.* Nec deinde obstat confusio illa partium corporis, & compenetratio colorum Christi sacramentaliter præsentis: ex hoc enim solùm sequitur, quód propter multitudinem colorum ibidem penetratorum, videretur Christus valde confusè, & sine figura situali, atqueadeò insufficienter ad discernēdas eius partes ex vi talis visionis; non verò, quòd nullatenus videretur: quemadmodum videmus eminús exercitum instar confusæ nigredinis, quin discernamus hominem ab homine, brachium à pectore, &c.

Supra disp.3.

91 Præterea: nec replicatio, partium corporis, & colorum obstat emissioni suarum specierum ad oculos. Nam inde solúm fit, quód confusé, & permixtim emitterentur. Nec equidem rationem invenio, cur si ignis bipalmaris per compenetrationem reduceretur ad palmum, vel ad digitum spatij, non comburceret, & illuminaret, & consequenter, cur non videretur? Imò quodammodo magis, propter virtutem magis unitam: ergo similiter, si reduceretur ad punctum. Sic igitur colores corporis Christi replicati, & compenetrati poterunt similiter emittere species, & videri Nec item video, cur, si punctum lucis replicaretur per spacium palmare, non videretur à nobis naturaliter. Adhunc autem modum est quodlibet punctum coloris, & lucis Christi replicatum per spacium hostiæ.

92 Nec tandem obstare posset naturali visioni oculari compenetratio unius puncti coloris, & lucis cum alijs eiusdem, aut diversæ qualitatis. Nam etiam puncta singula coloris panis Eucharistici sunt compenetrata cum coloribus corporis Christi, haud secús, ac colores Christi cum singulis punctis coloris panis: & tamen oculariter videntur à nobis: & tactus sentit in aqua humiditatem, & frigiditatem invicem penetratas: & abs dubio eas sentiret, quamvis non nisi divinitus penetrarentur. Alterutro igitur opus esse videtur: aut non nisi divinitus videmus candorem panis, aut non nisi divinitus impedimur ne videamus candorem corporis Christi in Eucharistia, ubi invicem compenetrantur: occultante videlicet Deo singulari providentiâ nostris oculis corpus Christi, ut celetur mysterium mysteriorum, & nostræ Fidei meritum augeatur. Plura Martinonus, & Arriaga cit.

Mart. in Arria

93 Obijcitur primò, quód opacitas accidentium panis impedit, ne colores Christi species suas emittant ad oculos: ergo, & ne oculi naturaliter illos videre possint. Respondetur, existimationem esse vulgarē, quód accidentia panis mancant quasi velum materiale obtegens colores Christi. At reverà non est sic: sed Christus est ibi non materialiter obuelatus extimâ superficie accidentium panis; imò cum illa etiam extimé compenetratus. Qua penetratione non obstante, videntur à nobis naturaliter colores panis: cur ergo non similiter videretentur colores Christi? Unde tectè monuit S. Thom. non impediri ejusmodi visionē nostram, ac proinde, nec emissionem specierum colorum Christi per accidentia panis, quasi per tegumentum. Negandum igitur est antecedens objectionis.

S. Thom.

94 Obijcitur secundó. Colores corporis Christi in Eucharistia nequeunt naturaliter illuminari: erg neque videri. Probatur antecedens: quia non à luce naturali illuminante accidentia panis: nam agens naturale illuminativum non producit effectum suum materialem inextensum. Si verò dicas illuminari à claritate suâ gloriosâ, hæc quidem tanta est, ut eam ferre naturaliter nequeant oculi mortales. Respondetur: hoc non obstare, quominùs Christus adhuc mortalis nocte Cœnæ posset naturaliter videri in Eucharistia. Adde, quòd quamvis id repugnaret ex dote impassibilitatis; non tamen repugnat ex natura rei lucem Solis materialem illuminare corpus Christi glorioſum, ut fortè illuminabat Christum post resurrectionem oculariter visum interdum ab Apostolis. Nec fortè omninò repugnat, quód per tempus brevissimum ictus oculi mortalis feratur in claritatē corporis glorioſi: aut attemperari à Christo species suæ claritatis glorioſæ ad oculos nostros; ut in Transfiguratione, & quando redivivus apparebat Apostolis.

95 Obijcitur tertiò. Corpus Christi nequit in hostia videri per unicam visionem; quia oculi non habent virtutem eliciendi visionem unicam sic representantem objectum in omnibus, ac singulis partibus hostiæ, ac si non esset unica; sed plures visiones. Neque

que per totidem viſiones, quot ſunt in hoſtia particulæ; quia neque virtute pollent ad tot ſimul viſiones eliciendas, & recipiendas in una ſui parte limitatiſſimâ, nec in pluribus: ſi enim pro pluralitate viſionum multiplicandæ eſſent partes receptivæ in pupilla, aut non poſſet videri Chriſtus in hoſtia maiori, quàm ſit pupilla, aut in eadem parte pupillæ recipi deberent ſimul multæ viſiones. Neque per viſiones plures, aut pauciores, quàm ſint in hoſtia particulæ; quia, ſi ſemel concedatur, Chriſtum videri per plures, vel pauciores viſiones, quàm ſint in hoſtia particulæ, non eſt unde definiri queat earum viſionum numerus. Non ergo eſt modus, quo poſſint oculi noſtri videre naturaliter Chriſtum Euchariſticè præſentem.

95 Reſpondetur negando primam partem antecedentis: non enim eſt convincens ratio negandi eam virtutem oculis ſaltem poſſibilibus. Id quod probari poſſet à ſimili ex quæſtione illa animaſticâ: an ſpecies impreſſa materialis diviſibilis in eſſendo, ſit etiam diviſibilis in repreſentando: taliter nimirum, ut ſingulæ partes ſpeciei ſerviant pro ſingulis partibus objecti extenſi; an verò indiviſibiliter repreſentet tota totum objectum. Si dicatur primum, cur ſimiliter dici non poterit, corpus Chriſti videri poſſe oculariter à nobis viſione in tot partes diviſibili etiam in repreſentando, quot ſunt partes hoſtiæ; & recipi in pupilla tot partes viſionis, ſicut tot partes ſpeciei impreſſæ, quot ſunt partes hoſtiæ: ac ſicut neceſſe eſt dicere, recipi ſimul in pupilla tot viſiones, quot ſunt partes hemiſpherij, quod uno ictu intuemur? Si dicatur ſecundum, cur dici ſimiliter non liceat, elicibilem eſſe naturaliter à nobis viſionem ocularem, quæ, cùm indiviſibilis ſit in repreſentando, totum Chriſtum repreſentet in toto ſpatio hoſtiæ, & in ſingulis partibus? Utrolibet modo ſit, non eſt cur pupilla, quæ capax eſt ſimul ſuſcipere ſpecies totius hemiſpherij, non ſit naturaliter capax viſionis, aut viſionum omnium colorum Chriſti præſentium in ſpatio hoſtiæ.

Arriag. 97 Objicitur quartò ex Arriaga. Ut oculi videant Chriſtum præſentem, videre debent ejus præſentiam: ſaltem ergo, ſi ſacramentalis Chriſti præſentia ſit entitativè ſupernaturalis, atque adeò naturaliter inviſibilis, non poterunt naturaliter oculi noſtri videre Chriſtum in Euchariſtia. Reſpondetur negando antecedens ex *nu.* 87. nec enim præſentiam naturalem Solis vident oculi, cum Solem naturali obtutu vident.

98 Objicitur tandem, quòd Chriſtus in Euchariſtia prædicatur abſolutiſſimè inviſibilis, & oculis noſtris abſconditus: ergo quia ſaltem naturaliter oculis videri nequit. Reſpondetur diſtinguendo conſequens: ſpectatis præciſè naturis rerum, nego; ſpectatâ ſpeciali Dei lege, ac providentia occultandi ibi Chriſtum oculis noſtris, & impediendi emiſſionem ſpecierum, & noſtram viſionem ocularem, concedo. Hoc autem ſufficit ut abſolutiſſimè dicatur Chriſtus inviſibilis: ſicut interdum circumſcriptivè etiam præſens fiebat in mundo inviſibilis: quod de alijs quoque Sanctis legitur. Sic ignis, cui decreviſſet Deus nunquam offerre concurſum ad urendum dici poſſet incombuſtivus, ex lege ſcilicet Dei, quamvis ex natura ſuâ combûrere poſſet. Dices, hoc eſſe addere ſine neceſſitate perpetuũ miraculum corpori Chriſti Euchariſtico, ſcilicet denegationem emiſſionis ſpecierum. Reſpondetur, id eſſe ſic neceſſarium, ſuppoſitis naturis rerum, ut ſupra viſum eſt. Certè denegatio ſpecierum corporis Chriſti Euchariſticè præſentis ab omnibus admitti debet: quòd autem ea ſequatur neceſſariò ex illo modo præſentiæ, aut aliunde fiat à Deo ad occultandum oculis mortalibus hoc arcanum ex altiſſimis finibus, non videtur diſcrimen magni momenti, propter quod aliter debeamus judicare de naturis rerum.

99 Ex ijs omnibus videtur ſententia Nominalium valde probabilis ab intrinſeco: quamvis communiſſimè reijciatur à Theologis cum S. Tho. agnoſcentibus fortè in argumentis ſupra propoſitis, & ſolutis vim, quam tenuitas mea non aſſequitur.

100 Addo multos ex S. Thom. *quæſt. 76. art. 7.* ocularem hanc viſionem Chriſti in Euchariſtia negare ipſi Chriſto de facto, & oculis Beatorum. At quoad ipſum Chriſtum optimè diſtinguit S. Doctor, quod nos ſupra diſtinximus, aliud eſſe Chriſtum videre oculariter ſuum corpus in Euchariſtia præſens; aliud eſt videre modum illum præſentiæ. Hoc poſteriùs fieri non poſſe fatemur: quia modus præſentiæ non eſt objectum oculorum: illud prius poteſt, ac debet dupliciter ſubintelligi. Uno modo, quòd Chriſtus ſe ipſum præſentem in Euchariſtia videat, viſione oculari ibi in Euchariſtia exercitâ: & hoc modo fatemur, quòd non, ex dicendis *ſect. ult.* quia non habet organa viſualia ibi ſitualiter diſpoſita ad exercendam ſenſationem viſionis. Alio modo, quòd Chriſtus é Cœlo circumſcriptivè præſens habeat viſionem ocularem corporis ſui præſentis in Sacramento. Hoc autem non eſt cur oculis Chriſti denegetur de facto. An verò viſio illa, quam Chriſtus exercet in Cœlo de corpore ſuo in Euchariſtia,

Digitized by Google

tia, ponatur etiam in Eucharistia per concomitantiam sicut aliæ perfectiones accidentales Christi; affirmant Suar. Gran. Merat. & alij apud Henaum, id negantem cum Præposito, Tannero, & Coninc.

Suar. *Gran.* *Merat.* *Hen.* *Tanner.* *Prap.* *Con.*

101 Verisimile mihi quoque, est hoc etiam modo videri in Eucharistia Christum ab oculis Beatorum: quibus utique manifestat Deus, quæ non licet homini loqui: nec incredibile, visum sic fuisse in Eucharistia præsentem ab oculis Beatissimæ Virginis adhuc mortalis, ut piè autumant nonnulli apud Henaum *disp. 20. num. 40.*

Hen.

SECTIO X.

Doctrina incidens circa apparitiones miraculosas Christi in Eucharistia.

102 Apparitiones istæ dupliciter possunt contingere juxta S. Thom. Primò, factâ immutatione specierum sacramentalium: & de ijs agemus *disp. 8. á num. 68.* ubi discernemus, an tunc permaneat ibi Christus. Secundò, immutatis speciebus; ac proinde, permanente ibi sacramentaliter Christo. Et in his casibus quærimus nunc, an videatur oculis ipse Christus, ipsivé sui corporis colores.

S. Thom. *Infra disp. 8. sect. 5.*

103 Alensis apud Henaum *disp. 11. sect. 2.* rem existimat valdé incertam: inclinat tamen in partem affirmantem, quam eruditè promovet Bresserus *lib. 6. de Consec. c. 24.* citans Majorem, Algerum, & alios veteres. P. Coninc *quæst 76. art. 8.* verisimile sibi ait, Christum ipsum in Sacramento aliquando realiter videri instar pulchri puelli, aut in alia figura. Idque piè credit Palaus *tract. 21. de Sacram.* P. Martinon probabile putat Christum in Eucharistia videri in ipso, quando non apparet corpore lacero, & confisso.

Alen. *Hen.* *Bress.* *Mai.* *Alger.* *Conin.* *Palau.*

104 Communiter tamen alij Theologi opinantur, in prædictis apparitionibus non videri à mortalibus Christum in se ipso, ejusve colores; sed in aliqua figura miraculosè efformata in aere, aut per aliquam conjunctionem specierum factam in oculis. Fundamenta expendit Henaus: quæ tamen mihi solùm probant ex indecentia, quód quando accidentia panis immutarentur in casu nuper prætermisso, & alieno á præsenti quæstione, taliter ut in hostia, immutatis ad corruptionem usque accidentibus panis, apparet sanguis, aut caro, non videtur tunc Christus ipse, sed aliquid loco ipsius.

Hen.

105 Loquendo igitur de apparitionibus, quæ fiunt, manentibus accidentibus Eucharisticis, existimo in primis, utrolibet modo fieri posse dictas apparitiones. Deinde facilé credam, sic fieri interdum de facto, ut retuli ex P. Coninc, suspendente Deo legem occultandi Christum in Eucharistia pro casu illo extraordinario.

Conine.

106 Quo circa advertit Delugo *disp. 9. num. 27* quòd, quamvis in hostia sit Christus totus in toto, & totus in qualibet parte, posset sic videri ipse Christus in se cum aliqua figura, & ordine situali membrorum: ostendente nimirum Deo, aut occultare cessante, prout vult, ac potest, intra hostiæ ambitum illa dumtaxàt puncta colorum Christi, ex quibus componeretur figura carnis, manús, brachioli, faciei, &c. manentibus occultis alijs punctis, aut partibus, quæ si simul etiam apparerent perturbarēt figuram, & dispositionem situalem colorum. Sic etiam Arriaga *disp. 37. num. 23.*

Lug. *Arriag.*

SECTIO XI.

Quid, & quomodo possit Christus in Eucharistia præsens agere, & pati.

107 Prima conclusio. Christus, ut in Eucharistia præsens, nequit naturaliter exercere operationes sensuum. Quia hæ operationes, ut naturaliter exerceantur, requirunt certam organizationem accidentalem, & situalem, debitamque partium corporis symmetriam: quam non servat modus ille præsentiæ Eucharisticæ. Divinitús verò id minimè repugnat. Quinimó putant Suarez, & alij apud Henaum *disp. 10. sect. 4.* de facto sensus Christi sic præsentis divinitus elevari ad percipienda objecta debitè approximata ad Eucharistiam.

108 Secunda. Potest ibi connaturaliter exercere operationes vitales spirituales intellectùs, & voluntatis. Sic Henaus cum Suarez, Tannero, Granado, & Meratio. Atque in primis de actibus scientiæ beatæ, & infusæ, qui omninò fiunt independenter à sensibus, & à phantasmatibus, per se patet. Deinde de alijs actibus pendentibus etiam à phantasmate, probatur. Quia ad hoc ut Christus exerceat eos actus spirituales pendentes etiam à phantasmatibus, sufficit, quód moveatur per phantasmata, quæ exercet in Cœlo circumscriptus.

Hen. *Suar.* *Tann.* *Gran.* *Merat.*

109 Tertia. Christus in Eucharistia præsens movetur per accidens localiter ad motum specierum. Hoc est certum: alioquin non diceretur Christus manducari, elevari, deferri per vicos, &c. hæc enim im-

portant localem motum. Et ratio eſt : quia Chriſtus eſt inſeparabiliter annexus ſpeciebus ſacramentalibus: ergo ijs per ſe loco motis, Chriſtũ per accidens loco moveri neceſſe eſt. *Per accidens*, inquam: nam ipſe non recipit, aut patitur impulſum, ſicut accidentia, ratione ſuæ impaſſibilitatis, ut declaro in ſequentibus.

110 Quarta. Nequit naturaliter ſic præſens moveri progreſſivè: benè verò alio motu locali, niſi divinitùs impediretur. Unde à dote agilitatis, aut ab alia divina voluntate impeditur, né per innatam ſibi graviratem moveatur deorſum. Non enim video, cur plumbum magni ponderis replicatum, & compenetratum non retineret ſuam gravitatem, & iuxta illam deſcenderet.

111 Quinta. Alios motus phyſicos, ut calefieri, infrigidari, non poſſe imprimi Chriſto in Euchariſtia iuxta ſtatum ſuum impaſſibilem, & legem Dei ordinariam; benè vero ex natura rei, aut iuxta legem aliam abſolutam. Utraque pars eſt communis inter Theologos. Quia quoad ſecundum nulla obſtat repugnantia: quidquid dicant Vaſq. & Gaſp. Hurt. apud Henaum *ſect.* 3. Quoad primum verò, conſtat ex dote impoſſibilitatis, quæ nunc gloriolum Chriſti corpus comitatur. Imò comitaretur ipſum in Euchariſtia, etiam dum erat Chriſtus in carne paſſibili, ut notat Coninct de quo etiam Arriaga *diſp. 27. ſec. 3.*

Vaſq. Hurt. Hen.

Coninc. Arria.

112 Sexta. Spectatis naturis rerum, poſſent forté naturaliter agentia naturalia agere in corpus Chriſti Euchariſticé præſens. Ita Nominales, & Alliacenſis apud Henaum *ſect.* 3. id negantem cum communiori ſententia. Ratio eſſe poteſt: quia veritas corporis Chriſti, ſeclusâ dote glorioſæ impaſſibilitatis, ex ſe intrinſecé capax eſt recipere qualitates ab agẽtibus naturalibus, & agẽtia naturalia debité applicata virtutẽ habẽt intrinſecã eas producendi, & imprimendi: modus autẽ præſẽtię ſacramẽtalis Corporis Chriſti replicativus, & cõpenetrativus non videtur obſtare: quia non tollit, quominus poſſum ſit propé agens: ut patet in manu multilocata compenetratã cum pede: cui quidem, quominus calefieret ab igne proximo Barcinonenſi, nequaquam obſtaret, quòd eadem manus exiſteret ſimul Romæ, aut quòd exiſteret ubi eſt pes.

Nomin. Alliacen Hena.

113 Dices. *Quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur*: ergo ſi calor productus ab igne proximo recipiendus eſſet in Corpore Chriſti indiviſibiliter præſentiũ, recipi deberet indiviſibiliter totus in toto, & totus in qualibet parte corporis Chriſti. Atqui modus hic præſentiæ cauſari naturaliter non poteſt ab ullo agente naturali: ergo. Reſpondetur, axioma valere quoad aliquas propietates recipientis, & recepti; non quoad omnes, alioquin accidens deberet recipi ſubſtantialiter, quando recipitur in ſubſtantia. Unde conceſſa minori, negatur conſequentia. Nam in eo caſu ignis produceret calorem in toto corpore Chriſti exiſtente intra ſphæram ſuæ activitatis: cùm autem intra ſphæram eſſet corpus ſæpius replicatum, ſæpius produceret ignis calorem in tale corpus; non eumdem calorem, ſed diverſum: ſicque non ſequetur replicatio caloris. Rem explico duobus exemplis. Primum eſt: ſi igni applicaretur manus circumſcriptivè multilocata intra ſphæram activitatis ignis, ille ageret calorem in manum hinc, & inde præſentem; non tamen eumdem numero calorem in qualibet ubicatione manûs. Secundum: ſi manus penetrata cum pede applicaretur igni, ignis ageret abs dubio calorem, quamvis diverſum, in manum, & in pedem. Unde nec multilocatio, nec penetratio partium Corporis Chriſti in Euchariſtia obſtat operationi naturali ignis in ipſum: cùm ex neutra ſequatur multilocatio eiuſdem caloris, aut compenetratio multorũ calorum in eodẽ ob multa ſubiecta penetrata, quæ miraculoſa eſſet.

114 Septima concluſio. Idem eſt dicendum quoad agendum: ſcilicet, quòd, ſpectatis naturis rerum, Corpus Chriſti Sacramẽtaliter præſens poſſet naturaliter agere in paſſũ ſibi applicatum, producendo in paſſo calorẽ, impulſum, aliaſq; qualitates, niſi divinitus impediretur ad occultandum myſterium. Ita doctiſſimi Nominales, Alliacenſis: & ex novioribus Arriaga *ſec.* 4. & Martin. *d* 32. *ſec* 4. Itemque Amicus, Præpoſitus, & Coninc apud Henaum: qui id quoque probabile putat cum Suarez, Becano, & Caſpenſi. Ratio ſumenda eſt ex dictis. Quia nullo ex capite probatur, agens naturale corporeum requirere extenſionem localem, aut connaturalem modum præſentiæ ad agendum: aliud enim eſt id requiri, ut agens connaturaliter exiſtat, quod eſt verum; aliud eſt id requiri, ut agens iam exiſtens, connaturaliter operetur: & hoc negatur. Non enim credo, quòd ſi magnus ignis reduceretur per penetrationẽ ad ſpatiũ palmare, non viderctur à nobis, aut non calefaceret naturaliter manum applicatam, quamvis ille modus exiſtendi non eſſet igni connaturalis: aut quòd homo bilocatus non audiret connaturaliter voces circumloquentium, quamvis non eſſet ſic præſens connaturaliter.

Nom. Alliac. Arr. Martin. Amic. Prep. Coninc. Hena. Suar. Becan. Caſp.

Di-

115 Dices. *Modus operãdi ſequitur modũ eſſendi*: ſed modus eſſendi corporis in Euchariſtia non eſt naturalis: ergo nec poſſet eſſe naturalis modus operandi, ſeu agendi. Confirmatur. Corpus Chriſti non agit in ſpecies ſacramentales, nec in manum Sacerdotis: ergo quia naturaliter non poteſt: gratis enim id miraculo tribueretur. Reſpondetur, axioma eſſe verũ benè intellectum, ſi ſolũ aſſerat modũ operandi ſequi, id eſt, conſequi, & poſteriorem eſſe ad modum eſſendi: unde nihil contra concluſionem. Si verò malè intelligatur, quaſi aſſerat modum operandi ſequi, id eſt, imitari modum eſſendi, ut plurimum eſſe falſiſſimum. Deus enim, qui in eſſendo infinitus, & ſubſtantia eſt, habet modum operandi ad extra finitum, & accidentalem: anima, cuius modus eſſendi ſpiritualis eſt, habet modos operandi materiales: & accidentia Euchariſtia, quæ habent modum eſſendi miraculoſum, humectant, infrigidant, & mittunt ſui ſpecies connaturaliter. Quid plura? Ad confirmationem conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Neque hoc eſt recurrere gratis ad miraculum, ſed cum magno fundamẽto ut vidimus. Addo, quoad agere in ſpecies ſacramentales, concedi poſſe conſequentiam ob ſpecialem rationem; nam agens agere in ſpecies deberet eſſe introducendo in paſſum, ſcilicet in earum ſubiectum, accidentia contraria, per quæ à ſubiecto expellantur: hoc autem nequit eſſe, dum ſubiecto carent, ut in Euchariſtia.

***

DISPUTATIO XXVI. ET VII.

DE

CONVERSIONE, SEV TRANSVBSTANTIATIONE Euchariſtica.

1 CONVERSIO eſt tranſitus, ſeu deſitio unius rei in aliam. Includit quatuor. Primò, terminum *à quo*, qui eſt res converſa. Secundò, terminum *ad quem*, qui eſt res, in quam alia convertitur. Tertiò, tertium commune, præcedens apud terminum *à quo*, & permanens apud terminum *ad quem*. Quartò, oppoſitionem terminorum *à quo*, & *ad quem*: ratione cuius oppoſitionis dicitur terminus *à quo* deſinere ad adventum termini *ad quem*: quia ſub tertio communi non ſimul capiuntur. Terminus *ad quem*, & *à quo* in converſionibus naturalibus, aut eſt totalis, aut formalis. Totalis dicitur illud compoſitum, quod in converſione deſtruitur, vel producitur. Formalis dicitur ille, propter cuius adæquatam deſtructionem, vel productionem compoſitum denominatur deſtructum, vel productum. V. g. cum lignum convertitur in ignem, lignum eſt terminus totalis *à quo*: & ignis, *ad quem*: terminus verò formalis *à quo* eſt forma, vel unio ligni; & terminus formalis *ad quem*, eſt forma, vel unio ignis: nam materia ligni non deſtruitur, neque materia ignis producitur, quamvis ex illa eàdem componatur priùs lignum deſtructum, & mox ignis productus. Converſio dicitur *accidentalis*, quando termini ſunt accidentales, ut cum calidum convertitur in frigidum; *moralis*, quando termini ſunt aliquæ denominationes morales, ut cum ſubditus convertitur in Prælatum: *ſubſtantialis*, quando termini ſunt ſubſtantiæ, ut cum lignum convertitur in ignem: *ſubſtantialis partialis*, quando aliquid manet ſubſtantiæ termini *à quo*, ut cum convertitur lignum in ignem, aer in aquam, manente ſcilicet materia primâ ligni, & aeris. Dicitur tandem *ſubſtantialis totalis*, quando nihil manet ſubſtantiæ termini, *à quo*, ut cum in Euchariſtia, totâ prorſus ſubſtantiâ panis deſtructâ, convertitur panis in Corpus Chriſti: & hæc vocatur ſpeciali vocabulo, *Tranſubſtantiatio*.

SECTIO I.

Statuitur veritas Catholica de Tranſubſtantiatione Euchariſtica.

Trid. 2 TRidentinum *ſeſſ. 13. cap. 4* ſic ſtatuit: *Quoniam autem Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum id quod ſub ſpecie panis offerebat, vere eſſe dixit; ideò perſuaſſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuò ſancta hæc Synodus declarat, per conſecrationem panis, & vini converſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini Noſtri;*

Nostri; & totius substantiæ vini in substãtiam sanguinis eius: quæ conversio convenienter, & propriè à sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata.

3 Tria hic statuta sunt contra varios hæreticos, præcipuè nostri temporis, Sacramentarios inde vocatos. Primum: in Eucharistia fieri propriam conversionem panis in corpus,& vini in sanguinem Christi: ut jam definiverat Lateranen, sub Innoc. Tertio,& refertur in cap. *Firmiter de Sum. Trinit.* & in Florentino *sub decreto Eugenij.* Secundum: hanc conversionem colligi ex verbis consecrationis, dicente Concilio, quòd,quia Christus veré dixit super panem, illud esse corpus suum *ideò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit,&c. conversionem fieri,&c.* Tertium: hanc conversionem aptè vocari *Transubstantiationem:* quidquid heterodoxi vocem hanc uti peregrinam, & barbaram fugillent: quasi supra Grammaticos Ecclesia non esset, potens appropriare voces præter usum purè Latinorum ad arcana Fidei commodiùs explicanda. Nec quidem ea vox tam nova est, ut non fuerit jampridem usurpata in Concilio Lateranen. utpotè aptissima ad significandam singularem hanc conversionem substantialem totalem totius termini, *à quo*, nullâ eius parte substantiali remanente, in alium terminum substantialem, *ad quem.*

Lateran. *Florent.* *Later.*

4 Hinc dissipati corruunt errores varij. Primus, Berengarij, Uvicleffi & Lutheri dicentium, totum panem manere simul cum Christo in Eucharistia cum aliqua unione ad Christum. Secundus, Ioannis Parisiensis, dicentis, in Eucharistia manere naturas panis, ac vini unitas hypostaticè Personæ Christi: quem errorem propterea, *Impanatorum*, dictum, quia Deum impanatum voluit, sicut incarnatum, aliqui tribuunt, forté non benè, Ruperto; alij verosimiliùs Gelasio, non Papæ, ut videtur confundere Deluge, graviter super hoc notatus à Bernal ex Bellarmino *disp 35. num. 9. & 48.* sed alteri Gelasio Episcopo Cizyceno, aliorum insuper errorum notato apud Bernal. Tertius, aliorum apud S.Thom. *quæst. 75. art 6.* dicentium, in Eucharistia manere formas substantiales panis, ac vini. Quartus, aliorum dicentium, manere saltem materias primas, tanquam tertium commune, in quo introducatur formæ corporis,& sanguinis Christi;quod probabile judicavit malè Durandus *in 4. dist.11.q 2.*

Bereng. *Vvicief* *Luth.* *Parisien.* *Ruper.* *Gelas.* *Lug.* *Bern.* *Bellarm.* *S.Thom.* *Duran.*

5 Dissipantur, inquam, errores isti per Tridentinum quatenus docet, in Eucharistia veram fieri conversionem panis in corpus: cùm ex Philosophia constet, ad conversionem requiri definitionem termini, *à quo*, seu termini conversi. Ne verò responderet aliquis, jam salvari rationem conversionis, ac definitionis,quamvis materia panis ibi maneat, sicut salvatur conversio ligni in ignem manente materia primâ; addidit Concilium, in Eucharistia fieri conversionem *totius substãtiæ* panis, ac vini: quod ampliùs declarans *can.2.* statuit, mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem fieri, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini. Nihil ergo panis, aut vini,præter accidentia, dici potest in Eucharistia permanere.

Trid.

6 Hinc quoque improbantur aliæ Catholicorum existimationes. Prima, Gotfredi asserentis, in Eucharistia manere subsistentiam panis, qua subsistant accidentia: quod tamen adversatur Concilio, nihil omninò substantiæ panis ibi manere permittenti. Secunda tribuitur Henrriquo,& Cajetano,quasi dixerint, manere ibi eam numero entitatem, quæ erat panis; non in ratione specificâ panis; sed factum jam corpus Christi. Haud tamen crediderim, id dictum si ab hominibus Scholasticis: ùm certum esse debeat, destructo totaliter pane, non ibi manere posse substantiam, aut entitatem,quæ erat panis. Tertia, Dominici Bannez *1. par.q.4. art.2. dub.2.* dicentis, in Eucharistia desinere essentiam panis, manente existentia panis, qua existant accidentia. Id verò retractavit ipse in alia editione, significans tamen adhuc esse sibi probabile: & fortè non nisi verbis differt ab existimatione Gotfredi.

Gotfr. *Henrr.* *Cajet.* *Bann.*

7 Ducitur autem Bannez hac ratione pro eâ probabilitate. Accidentia existunt in Eucharistia per eamdem existentiam, ac antea: sed probabile est, antea extitisse per existentiam panis: ergo probabile est existere in Eucharistia per existentiam panis manentem ibi, destructâ essentiâ panis.

8 Hæc tamen non est legitima ratio probandi adhuc probabiliter probabilitatem dictæ doctrinæ. Nam ex simili forma syllogizandi probari posset probabilitas conclusionis hæreticæ: prout ecce: *In Eucharistia manet quantitas panis: sed probabile est quantitatem panis esse idem cum substantia panis: ergo probabile est manere substantiam panis.* Et rursùs ad hominem: *In Eucharistia manet existentia panis;sed probabile est, existentiam panis esse ipsam essentiam panis:* ego manet *essentia panis.* Eu,inquam conclusionem hæreticam ex præmissis probabilibus: quinimò ex una probabili,

&

& alia certa: certum enim eſt, eſſe probabile, mihique verum quantitatem panis eſſe idē, ac ſubſtantiam panis, & exiſtentiam panis eſſe ipſam panis eſſentiam.

9 Reſpondetur ergo in primis, hos ſyllogiſmos non eſſe legitimos: quia in minori deflectunt à dicto in modum, & fiunt quatuor terminorum. Deinde non infertur probabilitas concluſionis ex probabilitate utcumque præmiſſarum, quæ ſeorſim ſunt probabiles, niſi ſimul ſint comprobabiles: hoc eſt, niſi altera admittatur, ut probabilis in conſortio, aut ſuppoſitione veritatis alterius. Unde ad ſyllogiſmum dico, dictum minoris eſſe probabile, ſuppoſito, quòd major non ſit vera: in conſortio autem veritatis majoris, quod nempé accidentia exiſtant in Euchariſtia per eamdem exiſtentiam ac antea, non eſſe probabile quod dicitur in minori, exiſtere per exiſtentiam panis. Unde improbabilis eſt illatio: ut videre eſt etiam in duobus ſyllogiſmis, quos nos oppoſuimus, & in alijs ſexcentis in materijs præſertim moralibus, ubi multi ſimilibus fallacijs decipiuntur, & decipiunt, & ſibi ac alijs deſipiunt.

SECTIO II.

Quomodo ex Verbis conſecrationis colligatur deſitio ſubſtantiæ panis, ac proinde Converſio.

10 RAtio dubitandi eſt duplex. Prima: quia alia ejuſdem Chriſti verba ſignificare videntur, in Euchariſtia eſſe panem. *Ioann. 6. Ego ſum panis: Qui manducant hunc panem: Panis, quem ego dabo.* Unde Gelaſius *lib. 1. contra Eutychem*, ait: *Sacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti divina res eſt, & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia, vel natura panis.* Sic quoque videntur loquuti Chriſoſtomus *in Epiſt ad Ceſarium*, alijque PP. apud Suar. *diſp 45. ſect 2.* Neque ergo ex Trident. nec aliunde colligi poteſt deſitio ſubſtantiæ panis in Euchariſtia: ac proinde, nec vera converſio.

Ioan 6. Gelaſ. Chriſoſt. Suar.

11 Reſpondetur, ibi Chriſtum ipſum dici panē: nó propriè, ſed metaphoricé ſicut dicitur alibi, vitis, agnus, lapis angularis: non quòd in in re ſit panis materialis, ſed quia eſt quaſi panis, & alimentum ſpirituale animæ. Adde, ſic potiſſimúm vocari Chriſtum in Euchariſtia, ubi Chriſti corpus ſit ex pane, retinens ſpecies panis in illud converſi: cúm ſit uſitatum in Scripturis, rem in quam fit converſio retinere nomen rei converſæ, ut *Gen. 2.* de Eva dixit Adamus: *hoc nunc os ex oſſibus meis.* Et *Ioan. 2.* Vinum ex aqua factum vocatur *aqua: cúm vidiſſet Architriclinus aquam vinum factam.*

Gen. 2. Ioan. 2.

12 Ad authoritatem Gelaſij dico, librum illum non eſſe Gelaſij Papæ, ſed alterius cognominis, ut monui *num. 4.* Credibile etiam eſt, nec epiſtolam illam ad Cæſarium eſſe Chriſoſtomi, ut monet Dicaſtillus *diſp. 4. num. 66.* Quidquid ſit, reſponderi adhuc poteſt utcumque, quòd manet ibi ſubſtantia panis, non in ſe quoad rem ipſam, ſed in accidentibus quoad aliquas eius proprietates: aut ſenſum eſſe, quòd ibi non definit ſubſtantia panis omnimodé, & in nihilum; cúm deſinat converſivé ſubſtantia panis materialis in ſubſtantia corporis Chriſti, quod eſt panis ſpiritualis, panis angelorum, & panis ſuperſubſtantialis. Unde nego conſequentiam.

13 Secunda ratio dubitandi eſt: quia verba, *Hoc eſt corpus meum*, æquivalent illis: *Corpus meum continetur ſub his accidentibus*: hoc autem verum eſſet, quamvis, præter corpus Chriſti, contineretur ibi ſubſtantia panis: ergo ex veritate verborum conſecrationis, quamvis colligatur præſentia ſubſtantiæ Chriſti, non tamen deſitio ſubſtantiæ panis. Confirmatur primò: quia demonſtrato ferro candente: veré dicitur, *hoc eſt ferrum*, quamvis ibi ſimul ſit ignis. Secundó: quia demonſtrato Chriſto, veré dicitur: *hic eſt homo*; & æqué veré: *hic eſt Deus*: quin requiratur ad veritatem harum enunciationum, quod exprimantur duæ Naturæ ibi præſentes: ergo, quamvis ſub accidentibus panis eſſent ſubſtantia Chriſti, ſimulque ſubſtantia panis, veré diceret Chriſtus: *Hoc eſt corpus meum*: ſicque ex veritate eorum verborum non colligitur, ibi non eſſe ſubſtantiam panis. Tertiò: quia veré dixit Chriſtus, *hoc eſt corpus meum*; quamvis non expreſſerit animam, ſanguinem, & divinitatem, quæ ſunt ſimul cum corpore ſub accidentibus panis: ſimiliter ergo veré id etiam dixiſſet, quamvis non exprimatur ſubſtantia panis ibi ſimul manens cum corpore Chriſti.

14 Propter hæc Scotus, Durand. & Palud. apud Martinon *diſp. 31. num. 12.* dixere, deſitionem ſubſtantiæ panis ſub accidentibus non colligi ex veritate verborum conſecrationis; ſed ex verbis, ut ab Eccleſia intellectis, & uſurpatis. At hoc videtur ſtare non poſſe cum Tridentino poſt eos Authores celebrato. Quia non ſolum docet, fieri converſionem panis in corpus; ſed addit etiam, id intellexiſſe Eccleſiam ex veritate verborum, quibus aſſeruit, illud eſſe corpus ſuum, ut retulimus *num. 2.* & expendimus *num. 3.* Ergo

Scot. Dur. Palud. Mart.

ex

ex veritate verborum colligitur defectio substantiæ panis requisita ad veram conversionem.

Bernal. 15 Notandum ex Bernal *disp. 35. num 52.* quòd quando circa rem sensibili tegumento contentam dicimus demonstrativè: *hoc est talis res*; vel tegumentum illud est quasi vas artificiale, ut dum monstrantes dolium dicimus: *hoc est vinum*; vel est quasi accidens naturale, ut dum monstrantes pomum suis affectum accidentibus, dicimus, *hoc est pomum*. Si tegumentum est, quasi vas artificiale, sensus propositionis esse solet, ac si dicat: *quidquid hoc vase continetur est vinum*. Si tegumentum est, quasi accidens naturale, sensus est: *quidquid subsistat his accidentibus est pomum*. Unde, concluso intra pomum auro, verè diceretur, hoc est pomum; non ita, *hoc est aurum*: quia aurum, quamvis localiter contineatur intra pomum, non subsistat illis accidentibus, per quæ fit ea demonstratio. Ad hunc autem secundum modum est corpus Christi in Eucharistia: non in accidentibus panis, ut in vase; sed sub accidentibus panis, quasi substantia subsistans accidentibus suis, per quæ sentitur: salvo semper discrimine, quòd accidentia illa Eucharistica sunt aliena, & ex se demonstrativa substantiæ panis, & ex institutione dumtaxat appropriata, suppositis verbis consecrativis, ad corpus Christi factum demonstrabile, & sensibile ibi per verba.

16 Respondetur ergo ad rationem dubitandi, negando majorem: non enim est ille sensus æquivalens verborum consecrationis; sed iste: *quidquid subsistat his accidentibus est corpus meum*. Id autem verum non esset, si tunc simul subsistaret substantia panis: unde necesse est ad veritatem verborum, quòd adæquatum subsistans sit corpus Christi, ac proinde, quòd desierit substantia panis. Quodsi, monstratis accidentibus materialibus Petri, verè dicimus, *hic est Petrus*, quamvis non totus Petrus illis subsistet, sed sola materia, in qua subjectantur; ideò est, quia denominativè subjectantur in toto composito. Nota, quòd non sic verè diceremus tunc: *hæc est anima*: nam accidentia illa, per quæ fit ea demonstratio, non subjectantur in anima illis subsistanti. Unde negatur consequentia.

17 Ad primam confirmationem dico, quòd, si candente ferro, detur ibi ignis, & ferrum penes varias partes intermixtas materiæ, monstratis omnibus accidentibus illius magnitudinis, non verè diceretur absolutè: *hoc est ferrum*; nec absolutè: *hoc est ignis*. Communiter tamen id verè dicimus, quia nolumus tunc demonstrare omnes partes illius magnitudinis; sed interdum illas, quæ ferrũ; interdum illas, quæ ignem continent. Supponimus enim in ferro candenti porulos repletos corpusculis ignis: quorum utrique accidentia tunc demonstrantes, non verè diceremus: *hoc est ferrum*. Quòdsi, ut volunt aliqui, in eâdem parte materiæ simul essent tunc temporis formæ ferri, & ignis, verè diceretur, *hoc est ferrum*, monstrando accidentia ferri; & verè diceretur, *hic est ignis*, monstrando accidentia ignis: nam adæquatum subsistans accidentibus ferri esset conjunctum ex materia, & formâ ferri; non verò conjunctum ex materia, & forma ignis: & adæquatum subsistans accidentibus ignis esset conjunctum ex materia, & forma ignis, ad quod conjunctum non pertinent accidentia ferri. Cæterùm, si simul cum substantia Christi maneret sub suis accidentibus substantia panis, non esset corpus Christi adæquatum subsistans illis accidentibus, per quæ fit demonstratio: imò præcipuum subsistans esset substantia panis, cujus propria sunt accidentia; ac proinde non verè dixisset Christus in eo casu: *hoc est corpus meum*.

18 Ad secundam, concesso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est nota: quia termini, *Deus*, & *homo*, sic concreté prolati, prædicantur ad invicem in Christo. *Deus est homo*: *homo est Deus*, ut explicuimus *disp. 2. de Incarn. sect. 7.* hinc non mirum, quòd per accidentia, per quæ ex institutione monstratur Christus, dicatur verè demonstrativè: *hic est Deus*; & æquè verè: *hic est homo*. Non sic, si sub accidentibus subsistarent subsistantia panis, & subsistantia Christi, quæ non prædicantur ad invicem, ideóque, nec subsistantia panis esset subsistantia Christi, nec é converso. Non igitur dici verè posset, illud esse corpus Christi: quia neque totum illud subsistans illis accidentibus esset corpus Christi, nec de subsistantia panis verè prædicaretur esse corpus Christi. *Supra disp. 2.*

19 Ad tertiam, verum est antecedens: cum discrimine tamen, quòd sanguis, & anima Christi non sunt sub speciebus panis, sicut corpus: corpus enim est ibi subsistans speciebus panis, supplens munus subsistantiæ panis, cuius propterea erant accidentia, illa quasi approprians sibi: sanguis verò, & anima non sic, sed dumtaxat concomitantes corpus. Unde est, quòd, quamvis verè ibi sint anima, & sanguis, verè dicitur absolutè: *hoc est corpus*; id est: *quidquid subsistat his accidentibus est corpus meum*: quia solum corpus subsistat accidentibus succedens in id muneris subsistantiæ panis: cùm sanguis, anima,

ma, & Divinitas ; quamvis ibi ſint, non ſubſtent accidentibus cum eo munere Quemadmodum, quamvis intra panum ſit aurum, verè dicitur abſolutè: *hoc eſt pomum*: quia totum, quod ſubſtat illis accidentibus perquæ id demonſtratur, ſubitque munus ea ſuſtentandi, eſt ſubſtantia pomi: cùm aurum, quamvis ſit ibi aliter contentum, non ſit ſubſtans illis accidentibus cum munere ea ſubmentandi. Sic igitur, conceſſo antecedente, negatur conſequentia: quia, ſi maneret ibi ſubſtantia panis, maneret ſubſtans ſuis accidentibus ſimul cum corpore Chriſti; imó potiori jure naturæ, quia accidentia eſſent ſua: ideóque non quidquid ſubſtaret illis accidentibus eſſet corpus Chriſti, prout opus eſt ad veritatem verborum Chriſti: *Hoc eſt corpus meum.*

20 Obicies. Factâ converſione ligni in ignem, verè dicitur: *hic eſt ignis*; quamvis remaneat materia ligni ſub nova forma ignis: ſimiliter ergo verè diceret Chriſtus, *hoc eſt corpus meum*, quamvis maneret ſaltem materia panis ſuccedente loco formæ panis forma corporis Chriſti, ut ex Durando retulimus *num.* 4. aut ſaltem error ille non diſſipatur ex veritate verborum. In hoc poſtremo videtur hæſitare Vaſq. apud Dicaſtillum *diſp 4. dub.4*. Reſpondetur, conceſſo antecedente, negando conſequentiam: nam ignis ſolum dicit materiam, & ſuam formam unitis, variatâ autem numero materiâ, adhuc eſſet ignis, quamvis non hic ignis. At hoc numero corpus Chriſti, quod verba, *Hoc eſt corpus meum*, ſignificant ibi eſſe, dicit hanc numero formam, & hanc numero materiam, ex quibus conſtituitur hoc numero corpus Chriſti: unde non eſſent vera, ſi loco materiæ corporis Chriſti ſubeſſet in Euchariſtia materia ignis.

Vaſq. Dicaſt.

21 Objicies ſecundó. Saltem, ergo ex veritate verborum, non colligitur, aut non conſervari alibi, aut non ibidem permanere ſubſtantiam panis penetratam cum corpore Chriſti, ſine munere tamen ſuſtentandi accidentia ſua; ſed ad ſummum non permanere unitam ſuis accidentibus. Probatur: quia, quamvis alibi, aut ibi maneret ſubſtantia panis inunita ſuis accidentibus, verè dicere potuiſſet Chriſtus: *hoc eſt corpus meum*; id eſt: *quidquid ſubſtat his accidentibus*: ſiquidem in eo caſu ſubſtantia panis, quamvis eſſet, nõ eſſet ſubſtans accidentibus juxta doctrinam noſtræ reſponſionis. Urgeri id poſſet ex dicendis *ſect. ſequ.* de deſitione requiſitâ ad rationem verę converſionis: nam deſitio requiſita eſt deſitio, quæ ſit abſoluta deſtructio termini *à quo* nullibi remanentis: ſi ergo totum id non colligitur ex veritate verborum, non colligitur vera converſio, ut vult Concilium. Inſuper, adde, verum eſſet, *hoc eſt corpus meũ*, ſi numquam ubi libi producta ſubſtãtiâ panis, poneretur corp⁹ Chriſti ſub accidẽtibus panis: tunc autem non daretur deſitio ſubſtantiæ panis, quæ ſcilicet ſubſtãtia nũquam præextitiſſet: ac proinde non daretur converſio: ergo neque vera converſio, neque deſitio ſubſtantiæ panis colligitur ex veritate verborum, ut videtur declarari à Concilio.

22 Reſpondetur, ſeduló penſandam eſſe declarationem Concilij, quam pro viribus tuemur. Declarat in verbis relatis *nu. 2.* panis *converſionem*, ac proinde deſitionem ex eo quòd *Chriſtus corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat*, verè eſſe dixit. Supponens nimirum, quòd Chriſtus *accepit panem in ſanctas, ac venerabiles manus ſuas*, ac proinde ſupponens præexiſtentiam panis: & ex toto hoc declarat inferri converſionem. Ad ejuſmodi autem legitimam illationem ſufficit, quòd ſub illis accidentibus debeat poni corpus Chriſti ſubſtans accidentibus, & debeat non ibi permanere ſubſtantia panis ſubſtans accidentibus: ex quo ſequitur debere deſtrui, quatenus ſpoliata ſuis accidentibus nequit naturaliter conſervari, nec eſt ratio præſumendi conſervandam eſſe miraculoſè. Hæc eſt mens genuina Concilij in ſua celebri declaratione, ut in re habet Henaus *diſp 6. num. 16. & 17.* favente Patre Suarez *diſp 50. ſect. 4.* aliſque id ſubobſcurè inſinuantibus, præſertim Cardinali Delugo *diſp. 11.*

Hen. Suar. Lug.

23 Contra quam mentem non procedit objectio. Negatur enim illa conſequentia, ut iacet. Ad eius probationem verus eſt diſcurſus ille metaphyſicus; ſed nihil concludit adverſus id quod diximus juxta mentem Concilij de veritate verborum Chriſti, taliter ea proferentis in illis circumſtantijs, quas expendimus *num. præc.* Nam verba in illis circumſtantijs ſupponunt præexiſtentiam ſubſtantiæ panis naturaliter inconſervabilis inunitæ ſuis accidentibus, ac proinde eo ipſo deſtruendæ, niſi fiat miraculum, quod non niſi temerè admitteretur, cùm nullum ſit, vel apparens fundamentum illud admittendi. Hoc autem ſufficit, ut abſolutiſſimè dicatur, ac declaretur à Concilio, converſionem, atque adeò deſitionem ſubſtantiæ panis colligi ex verbis, quæ in prædictis circumſtantijs dixit Chriſtus, ut iterum firmabimus *ſec. ſeq.*

24 Hinc ad illud, quod urgeri poſſet ex ibidem dicendis, concedo antecedens, & nego ſuppoſitum conſequentis, quód nempè

totum

totum id non colligatur ex veritate verborum, ut explicuimus, & iterum explicabimus. Ad ultimum additamentum, concedo majorem, & minorem pro casu illo metaphysico: & nego consequentiam de veritate verborum prolatorum in prædictis circumstantijs, quas casusille metaphysicus submovet, quibusque innititur Concilij declaratio. De hoc etiam *sect. seq.*

SECTIO III.

Qualis desitio substantiæ panis inferatur in Eucharistia ex conceptu veræ conversionis.

25 HÆc difficultas, & alia, quam discutiemus *sect. seq* valde affines sunt, & exagitantur acriter á Theologis in præsenti, & à Philosophis *in Libris de Ortu, & Interitu*: pendent enim à naturâ, & constitutione conversionis substantialis. Si namque de conceptu conversionis substantialis est non qualiscumque desitio, seu amotio termini *à quo*; sed talis desitio, ut terminus *à quo* debeat destrui, & omnimodè desinere esse in rerum natura; benè inferetur, ex eo quòd Concilium asserat in consecratione fieri conversionem Panis in Corpus, non solùm, quód substantia panis desinat substare accidentibus, verumetiam quòd desinat prorsus esse in rerum natura: quod tamen non sic benè inferretur juxta conceptum conversionis, si de conceptu conversionis non est ejusmodi absoluta desitio termini *à quo*.

Suar. 26 P. Suarez *disp. 50 sect. 2.* docet, requiri ex conceptu conversionis absolutam illam desitionem termini *á quo*, taliter ut nullibi mansura sit ejus substantia: sicque eo ipso quód juxta Trident. fiat in Eucharistia vera conversio, *totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi*, debet nihil manere substantiæ panis in rerum natura. Sic etiam Conine *quæst. 75. num. 137.* Amicus *disp. 18 sect. 1.* Henaus *disp 6. sect. 1.* & complures alij.

Conine. Amic. Hen. Scot. Ferrar.

27 Scotus, & Ferrara è contra docent, sufficere ad conversionem, quòd terminus *à quo* desinat esse in eo loco, aut in eo manere substandi accidentibus, succedente in id termino *ad quem*. Sicque verè fieret conversio panis in Corpus, quamvis substantia panis alibi, aut aliter conservata maneret in rerum natura, dummodò desineret substare illis accidentibus, sub quibus ponitur substantia corporis Christi. Sequuntur Delugo *disp. 7. num. 131.* & in re Lynceus *6. Phis. tract. 4.* quamvis cum aliqua vocum ambiguitate.

Lug. Lyne.

28 P. Bernal *disp. 35. sec. 2.* mediâ incessit viâ, quatenus non requirit tam absolutam desitionem termini *à quo*, ac vult Suarez; nec contentus est adeò latâ, ac vult Scotus; sed talem ait requiri, ac sufficere, quæ sit destructio termini *à quo*, per suspensionem alicuius actionis totalis, quâ antea conservabatur, quamvis maneat conservatus per aliam in rerum natura. Sequuntur passim Nostrates Recentiores cum egregio Antecessore nostro Barcinonen. P. Ioan. Paulo Boxassa in suis præclaris Manuscriptis de hac Materia Eucharistica optimé merito.

Bern. *Boxassa.*

29 Placuit mihi semper sententia Patris Suarez, Philosophis, atque Theologis familiarior. Iuxta quam observandum venit, quód in Eucharistia non fit tantum conversio panis, id est concreti ex substantia, & accidentibus panis, in corpus Christi, id est, in concretum ex substantia corporis, & accidentibus panis; sed ex Concilio fieri conversionem *substantiæ* panis *in substantiam* corporis Christi. Unde juxta hanc sententiam non sufficeret ad conversionem assertam á Concilio, quòd prius illud concretum destruatur, sed debet destrui substantia panis. Quoniam verò conversio est *totalis*, ac verè *Transubstantiatio*, tota prorsus perire debet substantia panis, ita absolutè, ut nullibi maneat quidquam illius.

30 Fundamentum Theologicum est: quia per hanc doctrinam rectè firmatur, quod pro declaratione Tridentini diximus *sect. prac.* quodque indubitatum est in Ecclesia, scilicet, factâ conversione Eucharistica absolutè desinere, ac nullibi manere substantiam illam panis: id enim sententia hæc nostra rectè fundat in verbis Concilij statuentis veram *conversionem totius substantiæ panis.*

Trid.

31 Dices: satis id colligi ex verbis Christi consecrativis, ut ex mente eiusdem Concilij adstruximus nos ipsi *sect. prac.* Fateor. Cæterum definiente exinde Concilio fieri ibi veram conversionem, robur additur ingens prædictæ veritati in Ecclesia indubitatæ, si ejusmodi desitio absolutissima dicatur esse de conceptu conversionis, qui videtur fuisse scopus Concilij.

32 Occurrunt Adversarij dicentes, potiùs ex Tridentino corrigendam esse à Theologi hanc nostram Philosophiam de conversione. Probant: quia iuxta Trid. conversio panis colligitur ex verbis consecrationis, ut perspicué videre est in eius declaratione recitata *nu. 2.* Atqui ex verbis consecrationis non colligitur, substantiam panis taliter debere absolutè desinere, ut nullibi maneat in re-

rum natura: ergo quia modus iſte ſtrictè deſinendi non eſt de ratione converſionis. Minor probatur: quia vera eſſent verba Chriſti, *hoc eſt corpus meum*; quamvis ſubſtantia panis ibi deſinens, ſuccedente ſubſtantiâ Corporis Chriſti in munere ſubſtãdi illis accidẽtibus, alibi divinitùs conſervaretur. Hoc eſt potiſſimum fundamentum, quo graves Theologi negant in præſenti, requiri ad converſionem omnimodam illam deſitionem termini *à quo* & ſimiliter productionem termini *ad quam*.

33 Quare, ut ſemel hæc obiectio repellatur, relictis aliorum reſponſionibus, planè levioribus, quamut huius puncti gravitas exigit, iudico ex ijs, quæ præmiſi *ſec. prec.* & ex alijs legendis apud Suar. citatum, negandam eſſe eam noſtræ Philoſophiæ correctionem ex Trid. Ad probationem diſtinguenda eſt maior ex tenore Concilij, ut iam expendimus *num* 21. iuxta Trid. converſio panis colligitur ex verbis conſecrationis omnino nudè ſumptis, nego; ab rationes ſupra datas, & infra dandas: colligitur; ex verbis conſecrationis in talibus circumſtantijs à Chriſto prolatis, prout ipſum Concilium in ſua declaratione ſupponit, ac ſignificat, concedo maiorem. Diſtinguo autem minorem: ex verbis conſecrationis nudè ſumptis non colligitur ſubſtantiam panis taliter abſolutè deſinere, concedo: non id colligitur ex verbis cõſecrationis dictis à Chriſto in talibus circumſtantijs iuxta ipſam Concilij declarationem & mentem, nego minorem. Sic enim, & non aliter procedit tenor declarationis Concilij, ut expendimus *num. 21. & 22.* Unde negatur conſequentia. Probatio minoris diſtinguenda eſt, & concedenda, ſeu neganda repectivè iuxta diſtinctionem minoris, & applicando doctrinam prælibatam *ad finem ſec. prec.*

Suar.

34 Hanc verò doctrinam eſſe ab ipſis Adverſarijs inregabilem monſtro, cùm ex dictis *nn. 23.* tum ex eo quòd ſi illa accidentia præextitiſſent iam ſine ſubſtantia panis, & Chriſtus per eadem conſecrationis verba poſuiſſet ſub illis ſubſtantiam Corporis ſui, veriſſimè diceret, haud ſecus, quàm nunc *Hoc eſt corpus meum*, ut nemini poteſt eſſe dubium: ſicut nec quòd in eo caſu non daretur converſio ſubſtantiæ panis in Corpus Chriſti; ſiquidem non præextitiſſet ſubſtantia panis. Certum ergo omnibus eſſe debet, ex nudâ veritate verborũ non colligi converſionẽ. At quomodo, inquis, id intulit Concilium? Dicendum, id non intuliſſe ex nudâ veritate verborum; ſed ex veritate verborum in illis circunſtantijs à Chriſto prolatorum, panis ibi præexiſtentis, & eo ipſo deſtruendi, quòd ſubſtantia illa panis nullibi queat naturaliter conſervari, ſemel deſinens ſubſtare ſuis accidentibus, ut verba ſignificant.

35 Quinimò, & hoc ſic explicatũ ſufficere, ut abſolutè dicatur colligi ex verbis omnimodam illam deſitionem, ſubſtantiæ totamque converſionem, patet. Quia ex veritate præciſâ verborum colligitur quidquid ibi difficile creditu, niſi ex fide, poſſet eſſe; ſcilicet, ibi non ſubſtare illis accidentibus ſubſtantiam panis, ſed loco illius ſubſtantiam corporis Chriſti; cætera autem naturali curſu indubitabiliter ſequuntur. Quemadmodum rectè, & abſolutè diceremus nos inferre, victoriam contigiſſe ex eo quod Petrus, dixit ſe eam vidiſſe: quamvis reverâ id non ſufficeret, ſi alioquin Petrus non eſſet vir gravis, & verax: quando tamen id omnibus aliundè notum eſt, ſufficit noſſe quòd ipſe dixerit, de qua atteſtatione dubium eſſe poſſet, ad hoc ut abſolutiſſimè dicatur morali modo loquendi, nos inferre reportationem victoriæ ex eo quòd Petrus dixerit ſe eam vidiſſe: quia ſcilicet de cæteto non eſt prudens dubium. Sic etiam verè dicimur colligere eſſe noctem, & abeſſe ſolem ex eo quod inſonat hora duodecima, quamvis poſſet illa ipſa horâ divinitus adeſſe Sol.

36 Secundum ſententiæ noſtræ fundamentum eſt. Quia quando, corruptis aliquibus accidentibus, & alijs manentibus, deſinit eſſe Corpus Chriſti in hoſtia, & generantur vermes, aut chilus, non dicitur Corpus Chriſti converti in vermes, aut in chilum, ut videbimus *ſec. 8.* At certè, ſi ad converſionẽ non requireretur abſoluta illa, & ſimpliciter dicta deſitio, ſeu deſtructio termini *à quo*, non eſſet cur in ijs caſibus non diceretur fieri vera converſio Corporis Chriſti in vermes, aut in chilum: ergo quia ad rationem veræ converſionis requiritur abſoluta illa deſitio, & deſtructio termini *à quo*, taliter ut debeat nullibi manere. Sic autem clara datur ratio, cur in ijs caſibus non dicatur fieri converſio Corporis Chriſti: quia nempe, quamvis deſinat eſſe ibi, non abſolutè deſinit eſſe, nec deſtruitur, cùm maneat in rerum natura. Minor prædicti ſyllogiſmi cõſtabit *d. ſeq. ſ. 7.*

Infra diſp. 8.

37 Similiter ad homines formam ſpecialem corporeitatis negantes, & admittentes ſpecialem cadavericam, quando moritur homo, dicitur homo converti in cadaver; non verò anima: quia nempe anima, quamvis deſinat eſſe ibi; non tamen abſolutè deſinit eſſe in rerum natura; benè verò deſinit eſſe homo abſolutiſſimè: ergo quia de conceptu converſionis eſt abſ dubio abſoluta-

ta

ta illa desitio, & destructio termini *à quo*. Hinc animæ brutorum, absolutè pereuntes dum moritur brutum, dicuntur benè converti in substantiam succedentem. Quodsi sufficeret ad conversionem, quòd terminus à quo desinat alicubi esse ad ingressum alterius, homo trusus à loco per alium hominem, aut per lapidem, dici posset conversus in alium hominem, & in lapidem.

38 Insuper Sancti PP. probant, in Incarnatione Naturam divinam non fuisse conversam in humanam contra Apollinarem, multosque Euthychianos; quia destrui, aut desinere esse non potest ob suam indefectibilitatem. Et quoniam aliquando dixerat Euthyches, humanam conversam fuisse in divinam, inferebant, humanam fuisse omninò destructam, ut rectè expendit Bernal ex testimonio Leonis Primi, quod allegat. Igitur constans erat inter Sanctos PP. requiri ad conversionem, absolutam desitionem termini *à quo*.

Bern.

39 Hoc argumento utitur Delugo *n.* 12, Sed plane militat contra ipsum: quippé concesserat *num.* 10. substantialem conversionem sine ullius substantiæ destructione. Nec meliori iure utitur illo Bernal *num.* 9. quippè concedit ibidem dabilem conversionem substantialem, manente in rerum natura termino *à quo*. Profectò modus ille argumentandi Sanctorum PP. syncerè spectatus supponit nostram sententiam, & iuxta illam requiri ad rationem veræ conversionis talem desitionem termini *à quo*, ut nullibi maneat in rerum natura.

Lug.

Bern.

40 Atque hinc eodem impetu labefactatur sententia Patris Bernal expositа *nu.* 27. Quia rationes nostrę probant, ad veram conversionē requiri absolutā desitionē termini *à quo*, taliter ut debeat nullibi manere. Porrò illud quod excogitavit Bernal, placuitque multis, scilicet suspensio alicuius actionis totalis conservativæ, quamvis persistente aliâ conservativâ eiusdem termini, non est absolutè destructio termini: ergo non est desitio sufficiens ad absolutam destructionem termini. Antecedens patet. Tum quia si illa eadem substantia panis conservaretur substans suis accidentibus duplici actione, & unione totali, & suspenderetur una, nemo diceret, panem non manere sub accidentibus, aut fuisse destructū, neque conversum in corpus, quod tunc poneretur sub ijsdem accidentibus. Tum quia, destructâ actione, quâ unicè conservabatur terminus, si in eo ipso instanti quo illa deesset, succederet alia, ita ut nullum esset instans, in quo terminus ipse non conservetur per aliquam, nequit dici terminus destructus: alioquin ignis productus à Deo, & ab igne, & postea alia actione conservatus à solo Deo, diceretur destrui, quando, destructo, seu amoto primo igne, incipit á solo Deo conservari. Et homo diceretur destrui, ac moti, quando destructâ actione, quâ conservabatur totaliter in utero à Deo, & á Matre, incipit natus conservari alia actione totali à solo Deo: sicque moreretur, quando nascitur: quod est ridiculum, & absurdum. Ergo quia suspensio unius actionis totalis, quamvis sit desitio, & destructio talis actionis, non est nec dici potest desitio, nec destructio sui termini, dum manet per aliam conservatus.

41 Ratio autem perspicua est, quàm sæpè dedimus *disp. 6. sect. 3.* Quia rem destrui non est desinere esse in uno loco, alioquin, & nos destrueremur, quando abimus à templo. neque est suspendi unam rei conservationem manente, aut succedente alia; nam, præter id quod diximus *num. prac* sicut una actio sufficit, ut terminus dicatur primò productus, & redactus ad esse, quamvis per multas alias non producatur; ita una actio postea manens sufficit, ut dicatur, sitque conservatus in esse, atqueadeò non redactus ad non esse, quamvis aliæ desint. Fixum ergo sit, quòd destructio rei est suspensio omnis actionis conservativæ rei. Cùm autem ad conversionem benè requirat Bernal absolutam destructionem termini *à quo*, nequit illi sufficere suspensio unius actionis totalis conservativæ talis termini, dum manet alia totalis illum conservans.

Supra disp. 6.

42 Opponunt Bernal, & Recentiores. Si Philosopho proponeres, Petri substantiam alibi persistentem fuisse abductam à suis accidentibus, & sub illis positam esse substantiam Pauli; diceret quidem, substantiam Petri cessisse substantiæ Pauli, hancque successisse in loco, & in accidentibus substantię Petri; rideret tamen, si propterea audiret, Petrum conversum fuisse in Paulum. Si verò eidem proponeres, Petrum duobus in locis præsentem, in uno sanum perseverasse, & in alio ægrotasse, deinde perijsse, & tandem ex eius corpore generatos vermes; diceret profectò, Petrum conversum fuisse in vermes. Ergo quia ex communi Philosophiæ sensu requiritur, & sufficit ad veram conversionem, quòd res conversa desinat per suspensionem actionis totalis, qua alicubi conservabatur, quamvis alibi per aliam conservata maneat, ut eveniret in secundo casu.

Bernal.

43 Salva pace, levis est ista consideratio ad tantam doctrinam stabiliendam. Concedo in primis contra Delugo, quòd in ptio-

Lug.

ri casu nemo Philosophus admitteret physicam conversionem. Deinde nego contra Bernal, quòd illam admitteret in posteriori casu, si saperet, sciretque, substantiam illam Petri alicubi manere: nam eo ipso sciret, sapienterque diceret, Petrum nõ fuisse destructum, ut monstravimus nuper; ac proinde nec verè, ac absolutè conversum. Quodsi nesciret bonus ille Philosophus, substantiam Petri hîc ægrotantis, ac deficientis, alibi manere, admitteret sinè conversionem: at falleretur egregiè ex insciția: sicut falleretur, qui admitteret, factam conversionem in Hostia, dictis verbis consecrationis ab eo, quem falsò putabat Sacerdotem: & sicut falleretur apud ipsum Bernal, qui abductâ clam substantia panis à suis accidentibus & alibi manente, existimaret nullibi manere. Unde consequentia nulla est. Itaque tam in priori, quàm in posteriori, ac similibus casibus, daretur mutatio, successio, & commutatio unius substantiæ, aut in loco, aut in munere alterius; neutiquam verò absoluta, veraque conversio unius substantiæ in aliam: quia in neutro casu daretur vera unius destructio. Rectè ergo ex conceptu conversionis, & transubstantiationis stabilitæ à Concilio infertur vera desitio, & destructio substantiæ panis taliter absoluta, ut nullibi manere debeat in rerum natura illa substantia.

SECTIO IV.

An ex conceptu conversionis requiratur talis positio Christi in Eucharistia, quæ sit substantialis eius productio.

44 PRo certo supponendum est, ad conversionem non requiri talem positionem termini *ad quem*, quæ sit absoluta eius inceptio. Nam conversio Eucharistica verissima est: in qua tamen terminus *ad quem*, nempè Christus, quamvis incipiat esse ibi substans accidentibus Eucharisticis; non tamen absolutè incipit esse, cùm jam supponatur essens in rerum natura.

45 Dices. Terminus *à quo* debet absolutè desinere *ex sec. prac.* ita ut non sufficiat desinere esse, aut substare ibi: ergo terminus *ad quem* debet absolutè incipere, ita ut non sufficiat incipere esse, aut substare ibi, sive productus, sive adductus. Negatur consequentia: & disparitas petenda est à natura conversionis. Conversio namque est, desitio unius rei in aliam: absolutè autem non est desitio rei, nisi res definat esse in rerum natura, ut necessum manifestum *sect. prac.* at verò, quin res absolutè incipiat dicitur absolutè poni & produci in rerum natura per novam productionem, ac proinde poni sub accidentibus alterius: quòd sufficit ut in istam illa definat, & convertatur. De quo si ulteriorem petis rationem do potissimam ex terminis: quia desinere, vel destrui sunt termini per modum negationis malignantis: qui, ut absolutè dicantur verè de subjecto debet subjectum nihil habere, ratione cujus dici possit absolutè manens in rerum natura: nos enim non sumus absolutè destructi, quamvis non conservemur per alias multas actiones, dum per unam conservamur. At produci, seu poni à parte rei est terminus positivus, & affirmativus: qui, ut absolutè dicatur verè de subjecto, sufficit si per unam actionem ponatur, vel producatur, quamvis per alias multas non producatur. Sic enim, & non aliter sumus nos positi, & producti à parte rei: quippè non producimur, nec ponimur per omnes actiones, sed per unam.

46 *Hoc* posito difficultas gravis est, an ea nova positio termini *ad quem*, ac proinde Christi, in conversione Eucharistica, debeat esse vera talis termini productio; an sufficiat alius modus ponendi, seu collocandi corpus Christi sub accidentibus panis, qui non sit corporis Christi productio, nec reproductio. Duplex est Authorum sententia extremè dissidens.

47 Prima constanter affirmat, ad conversionem essentialiter requiri, quòd terminus *ad quem*, ac proinde Christus in Eucharistia, verè producatur, aut reproducatur. Suarez *ubi supra*, Martinon *disp. 3a. sect. 3* Bernal *cit.* Granados, Coninc, Hurtados, Arriagas, & alij. *Suar. Martin. Bern. Gran. Con. Hurt. Arr.*

48 Secunda negat, id requiri ad veram conversionem. Unde ait, in conversione Eucharistica non requiri actionem productivam, aut reproductivam corporis Christi; sed sufficere actionem adductivam, non habentem pro termino productio, aut reproductio corpus Christi, sed modum accidentalem præsentiæ, seu unionis ad accidentia, quo corpus Christi constituatur formaliter ibi præsens, & substans. Scotus, Bellarminus, Valentia, Delugo, Amicus, Gasp. Hurt. Caspen. Alphons. Lyncens, & in re Dicastillus *disp. 4. dub. 1.* & à fortiori Vasquez, Torrez, & Affectæ. *Scot. Bellarm. Valen. Lug. Amic. Hurt. Casp. Alphons. Lync. Dicast. Vasq. Torrez.*

49 Placuit mihi semper prima sententia affirmans cum Suarez. Et quidem juxta meã Philosophiam, quam non semel superiùs insinuavi ex dictis *disp. 12. de Attrib. à num. 37.* quòd modus præsentiæ rerum creatarũ, est ipsemet modus physicus actionis, qua pro- *Tom. 1. disp. 12. sect. 3.*

Digitized by Google

producuntur; in promptu est clara, & efficax ratio. Nam ipsa præsentia, qua formaliter fit præsens corpus Christi, est ipsamet corporis Christi productio: ergo eo ipso quòd per illam collocetur formaliter corpus Christi sub accidentibus Eucharisticis, collocatur, & ponitur ibi per actionem productivam, seu reproductivam corporis Christi. Quoniam verò hæc Philosophia nondum satis trita videtur, probo aliter conclusionem juxta principia magis communia.

S. Thom. 50 Et primò quidem propter id, quod docet S. Thom. nihil in Deum converti posse, quia Deus est improducibilis: supponit igitur, ad conversionem requiri productionem termini *ad quem* Consonat August. *lib. & cap. 8. de Civit.* dicens, translationes invisibiles substantiarum factas à dæmonibus, non esse veras conversiones, quia illæ substantiæ non producuntur, sed adducuntur. E diverso mutatio aquæ in vinum in nuptijs Galileæ, quæ vera fuit conversio, semper visa fuit Sanctis PP. contigisse per productionem vini; non per adductionem.

Aug.

Gran. Alij PP. apud Granad. *contr. 6. tract. 1. dis. 6. sect. 4.* explicant conversionem Eucharisticam exemplo Incarnationis; quatenus, sicut in Incarnatione productus est Christus per generationem, ita in Eucharistia per conversionem. Et tandem alij in terminis asseverant, Christum in Eucharistia produci. *Cypr.* Cyprian. *serm. de Cœna Dom. Vsque hodie veracissimum, & sanctissimum corpus suum creat Christus, & per sumentibus dividit,* Ambros. *4. de Sacr. cap. 4. Post consecrationem dico tibi, quòd jam corpus est Christi: ipse dixit, & factum est* Hieronym. Epist. ad Heliodorum: *Sacerdotes ore suo corpus Christi conficiunt.* Et *Epist. ad Evagrium,* ait: *Ad eorum preces Christi corpus, sanguisque conficitur.* August. relatus *in cap. Verum sub figura dist. 2.* ait: *Consecratione carnem potentialiter creari.* Unde Paschasius *cap. 12. de corp. Christi*, ait, Christum efficere carnem suam in Sacramento & subdit *Quod semel factum est Verbum caro, quotidiè fieri non dubites.* Plura Suar. *disp 50.*

Ambros. *Hieron.* *Aug.* *Pasch.* *Suar.*

51 Secundò ab inductione conversionum, quas à natura didicimus, in quibus apud ipsos Adversarios verè producitur terminus *ad quem.* Unde inferre expedit, eam esse naturam conversionis, nomenque *conversio*, quod usurpat Concilium, institutum esse ad significandam non quamcumque mutationem; sed illam, qua terminus *ad quem* producitur, destructo termino *à quo.* Hinc est quod cum alijs observat Arriaga in nutritione leonis. V.g. fieri conversionem alimenti in leonem, & formæ alimenti in formam leonis: quia, destructâ formâ alimenti, producitur in illa materiâ pars formæ leonis: non sic in nutritione hominis, in qua alimentum quidem convertitur in hominem, quia productâ novâ parte unionis producitur nova pars hominis; non verò forma alimenti in formam hominis; quia nihil formæ hominis, seu animæ tunc de novo producitur ex vi nutritionis.

Arriag.

52 Tertiò à paritate. Nam ad conversionem requiritur destructio termini *à quo*: ergo, & productio termini *ad quam.* Antecedens admittitur à multis Adversariorum, & ostensum est á nobis *sect. prec.* Consequentia probatur: quia nulla est ratio, cur salvetur conceptus conversionis, adducto, & non producto termino *ad quem*; & non salvetur similiter, amoto, & non destructo termino *à quo.* Dant disparitatem, quia terminus *à quo* dicitur conversus, ac proinde desinens; at terminus *ad quem* dicitur succedens, ad quod non requiritur produci: nam, abeunte uno, succedit alius loco illius, quin is succedens producatur. Sed contra, & ludum ludo verborum impugno. Sicut res, in quam fit conversio, succedit rei conversæ; ita res conversa cedit rei, in quam fit conversio: si ergo cessio ista debet esse non solum penes locum, aut penes munus dumtaxat aliquod, sed etiam penes esse, taliter ut res conversa debeat absolutè desinere, & destrui; cur pariter non debeat illa successio esse, non solum penes locum, aut penes aliquod dumtaxat munus, sed etiam penes esse, taliter ut absolutè accipiat esse per veram sui esse productionem? Dices, hac paritate probari quoque contra nos, & contra omnes, ad conversionem requiri, quòd terminus *ad quem* absolutè incipiat esse per conversionem; sicut requiritur, quod terminus *à quo* absolutè desinat esse. Cœterum jam id negavi, datâ bonâ ratione *nn* 45.

53 Quartò à priori. Conversio, aut est actio, aut dicit essentialiter actionem, ut admittunt communiter Adversarij contra Vasquez: ergo conversio substantialis, aut est actio substantialis, aut dicit essentialiter actionem substantialem: ergo dicit terminum productum, qui sit substantia; non enim aliter actiones dicuntur substantiales, nisi quatenus producunt terminos substantiales, ut est notum. Atqui actio tantùm adductiva substantiæ, & non productiva substantiæ non esset actio substantialis: ergo non sufficeret ad rationem conversionis substantialis, qualis est transubstantiatio Eucharistica. Probantur hæc

Vasq.

minor, & ſubillatio: quia ejuſmodi actio non haberet pro termino productionẽ ſubſtantię, ſed adductionem, ſeu præſentiam ſubſtantię, quæ adductio accidens eſt, quamvis faciat præſentem ſubſtantiam. Quòdſi hoc ſufficeret, ut actio ſit, & dicatur ſubſtantialis ſufficiens ad converſionem ſubſtantialem, productâ de novo præſentia accidentali Petri in hoc loco, quamvis eo ipſo ſubſtantia Petri non produceretur, ſed adduceretur factus ibi præſens, inde amoto lapide, daretur productio ſubſtantialis, imó, & ſubſtantialis converſio lapidis in Petrum: quod pluſquàm falſum eſt; cùm illla ſucceſſio ſubſtantiarum in loco non ſit niſi mera commutatio localis, ſeu translocatio accidẽtaliſſimma; nullatenús verò converſio, neque mutatio ſubſtantialis, neque tranſubſtantiatio.

54 Reſpondent, converſionem ſubſtantialem non eſſe utcumque ſucceſſionem unius ſubſtantiæ in loco alterius; ſed ſucceſſionem etiam in munere ſubſtantiali ſubſtandi accidentibus: hoc autem dato in Euchariſtia, datur converſio ſubſtantialis, non productâ ſubſtantiâ Chriſti, ſed unione illius ad accidentia panis. Contra tamen: quia non ſolum accidentia panis, ſed etiam ſuſtentatio illorum, & unio ad illa, in quocumque conſtituatur iſta unio, de quo *diſp. ſeq ſec.* 8. eſt quid purè accidentale: ergo unam ſubſtantiam ſuccedere alteri in eo munere non eſt ſuccedere in aliquo ſubſtantiali, ſed in accidentali: ergo inſufficienter ad rationem converſionis ſubſtantialis. Aut ſi id ſufficeret ad converſionem ſubſtantialem, cur Petrum ſuccedere in loco lapidis non erit converſio ſubſtantialis, aut ſaltem ſubſtantialis mutatio, ſi forté ob alia requiſita recuſatur nomen converſionis?

Infra diſp. 8.

55 Quidquod rememorari oportet quod notatum eſt *ſect. 3. num. 28.* in Euchariſtia non ſolùm fieri converſionem concreti ex ſubſtantia, & accidentibus, in concretum ex alia ſubſtantia, & accidẽtibus; ſed *ex ſubſtantia in ſubſtantiam*, ut loquitur Tridentinũ. Unde, quamvis doctrina reſponſionis permitti poſſet ad converſionem accidentalem ex uno concreto accidentali, in aliud ſimiliter accidentale; minimé verò ad converſionem ſubſtantialem *ſubſtantia* panis, in ſubſtantiam corporis Chriſti, ut tueri debemus motem gerentes Tridentino: ergo ad hanc converſionem, quæ propterea ſingulariter tranſubſtantiatio eſt, requiritur productio ſubſtantialis habens pro termino producto, ſeu reproducto ſubſtantiam corporis Chriſti.

56 Objicitur primò. In nutritione, ut alimentum dicatur converti in hominem, non requiritur produci animam, quæ eſt terminus formalis *ad quem* talis converſionis: ut ergo panis dicatur ſubſtantialiter converti in corpus Chriſti, non requiritur produci corpus; ſed ſufficiet produci præſentiam corporis, ut volunt aliqui; aut, ut alij volunt, apud Suarez *ſec. 4* produci unionẽ corporis Chriſti cum accidentibus, quæ productio ſit adductio corporis Chriſti. Falsó in primis ſupponitur in antecedente, quòd in nutritione hominis terminus formalis actionis nutritivæ ſit anima; non enim eſt niſi unio; anima autem eſt terminus formalis unionis, non actionis. Deinde, dato antecedente, falſa eſt conſequentia. Diſparitas eſt in aperto: quia in nutritione humana producitur unio ſubſtantialis ratione cuius tota illa pars ſubſtantialis novi compoſiti denominatur producta; ſicut in prima generatione tot' homo denominatur productus ratione unionis, quæ formaliter producitur. Cæterum ex eo quòd produceretur præſentia accidentalis corporis Chriſti, aut accidentalis unio illius ad accidentia panis, nullo ex capite diceretur producta ſubſtantia corporis Chriſti: atqueadeò non eſſet unde dici poſſet fieri ſubſtantialis converſio, & tranſubſtantiatio *ſubſtantiæ* panis in *ſubſtantiam* corporis Chriſti, ut loquitur Tridentinum. *Suar.*

57 Objicitur ſecundò. Ex verbis conſecrationis colligitur in Euchariſtia converſio: ſed ex verbis non colligitur productio corporis Chriſti: ergo quia hæc non eſt de ratione converſionis. Minor probatur: quia quomodocumque poneretur ſub illis accidentibus corpus Chriſti adductum illuc ſine ſui productione, aut reproductione, verum eſſet: *hoc eſt corpus meum.* Simile argumentum poſuimus, & ſolvimus *ſect. prec. à nu.* 31. Ex ibi dictis reſponderi poteſt juxta communiores ſententias de præſentia, converſionem non colligi á Concilio, ut indicat ſatis eius declaratio, ex verbis nudé acceptis; ſed prout in circumſtantijs, quibus dicuntur, & cum adminiculo aliorum principiorum ſcitu facilium. Colligitur quidem ex verbis, deſinere ſubſtare illis accidentibus ſubſtantiam panis, quod erat difficile, & loco illius ſubſtare accidentibus panis ſubſtantiam corporis Chriſti ibi realiter præſentem, quod etiam erat difficile: quibus veritatibus notis ex verbis conſecrationis, cætera converſionis requiſita facilè inferuntur, & inter illa productio, ſeu reproductio corporis Chriſtis cùm nõ veniẽte illuc Chriſto per motũ localem, vix appareat modus ibi eum collocandi, niſi reproductivus. Quod ſufficere, ut abſolutè

lutè dicat Concilium, colligi conversionem ex verbis consecrationis, vidimus *num. 35.* Ipse, qui præsentias rerum creatarum identifico cum ipsarum productionibus, expeditiùs aliter respondeo, negando minorem: eo enim ipso quód ex verbis colligatur ibi præsentia Christi, colligitur eius productio, quæ quidem est ipsa præsentia. Probatio minoris implicat in terminis juxta sententiam istam: nam poni ibi corpus præsens sine productione, esset poni præsens; sine præsentia.

58 Objicitur tertiò. Quamvis detur productio termini *ad quem*, nempé corporis Christi, ea nequit esse conversiva panis in corpus: ergo frustra poneretur ad rationem conversionis. Antecedens probatur: nam actio convetsiva facit, quòd terminus *ad quem* succedat pro termino *à quo* sub tertio communi; atqueadeò, quód corpus succedat ibi subsians accidentibus panis: sed hoc non facit ea productio: ergo non esset conversiva. Probatur minor: quia id facit unio corporis Christi ad accidentia panis, quæ distincta est à productione corporis Christi. *Bernal.* Propter hoc P. Bernal, doctique alij dicunt, *Infra disp.8.* ipsam productionem corporis esse eius unionem ad accidentia, de quo nos *disp. seq. sec.* 4. Respondetur seorsim ab ista doctrina, distinguendo antecedens: ea productio nequit esse conversiva ex intrinsecis suis, concedo; denominativè partim extrinsecé ab alijs constitutivis conversionis, nego antecedens, & cõsequentiam: ea enim ipsa productio denominatur extrinsecè conversiva ab unione sui termini producti cum accidentibus, à destructione termini à quo, & ab alijs requisitis ad conversionem: sicut actio productiva termini inhærentis denominatur extrinsecé eductiva ab unione sui termini ad subiectum cui inhæret, ut cum P. Lessio teneo alibi. *Lessio.* Ad probationem antecedentis fateor, quód productio, quæ dicitur conversiva, per se solam non facit, quòd terminus *ad quem* per ipsam productus succedat sub tertio communi, subsians scilicet accidẽtibus panis; hoc enim est munus unionis; at per istam unionem advenit illi productioni denominatio extrinsecæ conversivæ. Unde negatur consequentia.

59 Objicitur quartò. Ea sola productio corporis Christi, non sufficeret ad conversionem sine alia actione adductiva corporis Christi sub accidentibus panis: sed sola hæc actio sic adductiva sufficeret: ergo in hac potius, quàm in illa stat ratio conversionis. Respondetur, concessâ majori, negando minorem, & consequentiam. Neutra enim seorsim sufficeret: cùm posset reproduci corpus Christi, & adduci etiam ad illum locum, quin subsiaret accidentibus loco substantiæ panis. At utraque requiritur; productiva, ut producat terminum ad quem; adductiva, ut producat eius præsentiam ibi; & præterea unio ad accidentia, quæ sunt tertium commune, cum munere illis subsiandi loco subsiantiæ panis desiructæ: ex ijs enim omnibus coaleicit ratio conversionis. Iuxta meam Philosophiã de præsentijs, actio ipsa productiva corporis, est adductiva formaliter corporis ad illud ubi: non quia sit productiva presentiæ, sed quia ipsa est formalis præsentia corporis in eo loco, ut dixi *disp. præc.* *Supra disp. 6.* *sec.5.*

60 Objicitur quintò S. Thom. *quæst. 78 art.5.* dicens, verba consecrationis non efficere, *quòd corpus Christi sit corpus Christi, sed quód contentum sub speciebus, quod priùs erat panis, sit Corpus Christi.* *S. Tho.* Respondetur, per hæc non negari à S. Tho. corpus Christi verè reproduci in Sacramento; cùm admittat ibi veram conversionem, ad quam ipse S. Doctor *cit.* supertús supponit requiri productionem termini *ad quem.* Solùm ergo negat, corpus ibi primò produci, ita ut per illam productionem Eucharisticam incipiat esse. Cave autem, ne hoc S. Thomæ testimonium intelligas, sicut illud visus est intelligere Caietanus apud Dicastillum *dub 8.* taliter nimirum, ut idem, quod erat ante contentum sub speciebus, nempe subsiãtia panis, incipiat esse corpus Christi: hoc enim non potuit venire in mentem S. Tho, quod iam reiecimus *sec.1.num.6.* Sic ergo intellige, ut, cùm antea contentum sub illis speciebus esset subsiantia panis, per consecrationem fit, ut contentum sit corpus Christi, non tamen idem contentum ac antea, ut monuit rectè Suarez *sec.9.* *Caiet. Dicast.* *Suar.*

61 Scias, aliquos hanc conversionem Eucharisticam nolle vocare productionem; quia sonat ipsis inceptionem; sed vocant reproductionem, futuram scilicet productionem, si Corpus Christi non supponeretur per aliam iam productum, & existens, ut vult Sotus aliter ab alijs intellectus, frustraque impugnatus. A quo modo loquendi minimé discrepabo, dummodo constet de re conclusionis nostræ. *Sotus.*

***

SEC-

SECTIO V.

Quomodo ſubſtantia panis, & ſubſtantia Corporis Chriſti ſervent oppoſitionem mutuam ſub tertio communi requiſitam ad rationem converſionis.

62 REquiri aliquam oppoſitionem ſuppoſuimus *num.* 1. ideoque non dicitur paries converti à frigido in album, quamvis deſinat eſſe frigidus, & incipiat eſſe albus: quia frigus, & albedo nullatenus opponuntur. Ratio autem eſt: quia in converſione debet deſinere terminus *à quo* ad ingreſſum termini *ad quem*, quod indicat aliquam in compoſibilitatem utriuſque ſub tertio communi. Eſt difficultas alicuius negotij in reperienda hac oppoſitione requiſita pro converſione Euchariſticâ. *Nomin.*

63 Docti Nominales apud Bernal *n.* 57. aiunt, poſito Corpore Chriſti ſub accidentibus Euchariſticis deſinere eſſe ibi ſubſtantiam panis, non quia phyſicè opponantur; ſed ex purâ lege Dei nolentis illas ſubſtantias ſimul conſervare: hocque ſatis eſſe ad converſionem. In primis, quod ſatis hoc ſit ad converſionem improbabile iudicatur à Martinon: falſum, & meritò à reliquis. Sic enim, ſi Deus pro libito deſtrueret calorem quoties Sol illuminat ſubiectum, diceretur calor converſus in lucem. Quinimò, ſiquis efficaciter vellet non producere impulſum in lapide, niſi amittente calorem dici poſſet converſus calor in impulſum: quæ tamen abſonant. Deinde falſum præſertim eſt in ſententia Nominalium identificantiũ ſubſtantias materiales cum quantitate, quòd ex natura rei non detur oppoſitio intrinſeca ſubſtantiarum panis, & Chriſti ſub iiſdem accidentibus, ut infra dicemus. *Nomin* *Martin.*

64 P. Suarez *ſec.* 6. docet productionem Corporis Chriſti non opponi per ſe cum ſuſtantia panis in Euchariſtia; benè verò quatenus coniunctam cum actione, quâ accidentia ſeiunguntur à ſubſtantia panis, accipiendo modum exiſtendi per ſe. Et ad finem Sectionis ait, actionem, quâ accidentia ſeiunguntur à ſubſtantia panis, non eſſe connexam ex natura rei cum productione Corporis Chriſti, ſed ex Dei beneplacito, prout colligitur ex verbis conſecratorijs. Hanc etiam eſſe quoad hoc in re ſententiam Patris Vaſquez vidimus *ſec.* 7. *num.* 87. Similiter diſcurrit Delugo, dicens, poſitionem Corporis Chriſti ſub accidentibus eſſe, ita poni ſub illis, ut ea ſuſtentet ſine ſubiecto, deſtruendo eorum unionem cum ſubſtantia panis, quâ deſtructâ, ſequitur deſtructio panis non potens naturaliter conſervari ſpoliata ſuis accidentibus. *Suar.* *Lug.*

65 P. Bernal, & in doctiſſimis manuſcriptis. P. Ioannes Paulus Boxaſſa non acquieſcentes ijs doctrinis, addunt alias: ſcilicet, actionem ipſam productivam, Corporis Chriſti eſſe phyſicam eius unionem cum accidentibus panis: ſicque explicant incompoſibilitatem ibi ſubſtantiarũ panis, & Chriſti. Cùm enim naturaliter nequeant uniri ſimul accidentia utrique ſubſtantiæ, eo ipſo quòd per productionem ſubſtantiæ Chriſti uniantur ad Corpus Chriſti, manent inunita ſubſtantiæ, panis, tunc eo ipſo deſtruendæ, quòd naturaliter nequeat ſpoliata ſuis accidentibus conſervari. *Bern.* *Boxaſ.*

66 In primis, quamvis non putem impoſſibilem productionem Corporis Chriſti, quæ ſimul eſſet unio eiuſdem corporis ad accidentia panis; nec tamen neceſſarium eſt, nec ſufficienti nixum fundamento, quòd ſic dicatur de facto, de quo *diſp. ſeq. ſec.* 4. Et ſatius eſſet dicere, Corporis Chriſti productionem eſſe non ſolum unionem ad accidentia, ſed ſimul etiam deſtructionẽ ſubſtantiæ panis; cùm neque hoc videatur ullo ex capite repugnare: quinimò dictũ iam olim fuiſſe non improbabiliter à doctiſſimo Patre Granado refert Bernal: quo meliùs ſtaret oppoſitio productionis ſubſtantiæ Chriſti cum conſervatione ſubſtantiæ panis. *Infra. diſp.* 8. *Gran.*

67 Deinde neque ſic obtineri ſatis intentum à Bernal probari poteſt. Quia productioni unitivæ corporis Chriſti ad accidentia panis non minus debetur ſeparatio, quàm non ſeparatio ſubſtantiæ panis à ſuis accidentibus, ergo ex eiuſmodi productione non ſequitur hæc ſeparatio tanquam illi phyſicè debita ex natura rei. Probatur antecedens: ſi eiuſmodi productioni deberetur hæc ſeparatio, maximè, quia accidentia panis nequeunt ex natura ſua utramque ſubſtantiam panis, & Chriſti continere. At hæc ratio nulla eſt: nam accidentia panis non ita ſunt incapacia continendi ſimul naturaliter utramque ſubſtãtiam, ut indifferenter ſe habeant æque ad utramliber; ſed ita, ut determinatè exigant ſubſtantiam Chriſti, à qua propterea non niſi miraculosè ſuſtentantur, ſive adeſſet ſimul, ſive non adſit ſubſtantia panis; à ſubſtantia verò panis ſubſtentabantur naturaliter. Igitur, ſuccedente ſub illis accidentibus ſubſtantiâ Chriſti, quamvis accidentia ex natura rei nequeant utrumque continere, at non ex eo eſt, quòd indifferenter exigant alterutrum deſtrui, aut determi-

minatè destrui substantiam panis; sed ex eo quòd illis præter naturam supervenit contentum corporis Christi determinatè illis indebitum: ergo, adhuc posito sub ipsis hoc contento indebito, non exigunt ex natura rei seperari à suo contento connaturali: imò potius à contento corporis Christi: sicque ex natura rei non sequitur destructio substantiæ panis ad ingressum substantiæ Christi. Quòd autem Deus sic volens ibi producere substantiam Christi, ut per eamdem productionem eam uniat accidentibus panis, eo ipso, velit, destrui substantiam panis, non est destrui terminum *á quo*, nempè substantiam panis ex natura rei propter oppositionem cum substantia Christi, quæ est terminus *ad quem*; sed aut ex Dei beneplacito, aut ex oppositione cum ejusmodi productione unitiva, quæ non est terminus *ad quem* conversionis, sed ipsa conversio: sicque venitur ad doctrinas Nominalium, aut Suarij ab ijs Authoribus impugnatas.

68 Præterea, adhuc dato, quòd productioni unitivæ corporis Christi ad accidentia panis deberetur separatio substantiæ panis à suis accidentibus, non sequitur destructio substantiæ panis, ut physicè ex natura rei debita tali productioni: ergo neque sic salvatur oppositio requisita ad conversionem. Probatur antecedens: si enim id sequeretur, maximè, quia substantia panis spoliata suis accidentibus, nequit naturaliter conservari. At hæc ratio non tenet: nam exinde solùm sequitur, quòd ea substantia, aut deberet destrui, aut deberet sibi producere accidentia nova sibi connaturalia, ut sibi producit aqua novam figuram, quando illam amittit: & ab dubio substantia illa panis hoc potiùs sibi exigeret, quàm destrui præsertim penes etiam materiam primam, ex se incorruptibilem, sicut, & ingenerabilem. Igitur ex eo, quòd productio illa corporis Christi unitiva eiusdem ad accidentia panis inferret separationem substantiæ panis à suis accidentibus, non sequeretur destructio panis, ut physicè debita ex natura rei tali productioni: ergo quòd potiùs contingat destructio substantiæ panis, quàm adquisitio novorum accidentium non est ex natura physicè rei, sed ex Dei beneplacito sufficiente de mutuo ad oppositionem moraliter juxta Nominales, ut agnoviſſe videtur Suarez.

69 Hinc edoceris quoque discussis relatis *num.* 63. ex Suar. & Delugo de quibus propterea dixit Bernal; quòd physicam prædicant oppositionem inter terminos Eucharisticos: & asserunt dumtaxat moralem. Nec satis est dicere, quòd, quamvis corpus, ejusque productio, uniovè ad accidentia, si res ita sint autem, non opponantur cum permanentia panis, bene verò, si sumantur affecta verbis consecrationis, utpote significantibus, taliter ibi esse corpus Christi, ut non subsistat substantia panis. Non, inquam, satis hoc est. Primò: quia verba non sunt physicè, quando fit transubstantiatio: ergo solum moraliter afficiunt corpus Christi, dum ponitur sub accidentibus: atque ad ejus positio à verbis derivata in corpus Christi cum substantia panis, est dumtaxat moralis, & non physica. Secundò: quia parem, imò majorem oppositionem salvant Nominales: nempè substantiæ corporis Christi, ajunt, affectæ placito physicè existente Dei volentis, illâ veniente, destruere panem, omnino repugnat permanentia panis: & tamen hæc oppositio reputatur insufficiens, utpotè extrinsecùs, & moraliter tantum afficiens terminum *ad quem* versùs terminum *à quo*: idem ergo erit à fortiori de oppositione subnixâ verbis.

70 Ipse Bernal §. 6. supponens, quantitatem indistinctam realiter à materia primâ, docet, substantiam corporis Christi includentem essentialiter materiam primam, ac proinde quantitatem, eo ipso quòd penetret sub accidentibus panis, potestate, permaneat ibi substantia panis includens eodem modo essentialiter quantitatem suam. Identificatam cum sua materia prima; ratione scilicet impenetrabilitatis duarum quantitatum. Sicque ait salvari physicam oppositionem ex natura rei substantiæ panis, & substantiæ Christi sub tertio communi earumdem accidentium.

71 Mihi, qui eā indistinctio: ē ex alijs quā- *Infra*
titatis à materia prima defendo *disp. seq. á n.* *disp* 8.
21. hic modus insinuatus à Bernal videtur *sec.* 2.
aptior ad expediendam præsentem difficultatem. Quoniam verò non omninò placebit communi sententiæ eas realiter distinguere, addo hanc doctrinam prodesse quoque posse communi sententiæ. Sive enim quantitas identificetur, sive non, cum materia prima, hæc quidem, cùm nequeat esse naturaliter sine quantitate, nequit esse naturaliter penetrata cum alia materia prima. Unde materia prima Christi posita in loco hostiæ habet physicam exigentiam, ut non sicubidem alia materia prima. Quod si ibidem, ubi est materia pedis Christi est simul materia capitis, id fit miraculosè; quod miraculum nec debet, nec vult patrare Deus in eodem corpore Christi respectu substantiæ panis.

72 Hujusmodi autem oppositionem, repugnantiam, seu incompatibilitatem physicam

ſicam inter ſubſtantias Xpi & panis ſufficere ex hac parte ad rationem converſionis, quin requiratur omninò deſtrui ſubſtantiam panis ex phyſica exigentia poſitionis ſubſtantiæ corporis ibi, patet: quia ad oppoſitionem phyſicam caloris cum frigore ſufficientem ad converſionem ſufficit, quòd repugnent in eodem ſubjecto, quin ſit de exigentia caloris quod frigus non conſervetur alibi. Aliud ergo eſt quod ad converſionem Euchariſticam neceſſe ſit panem omninò deſtrui, ut vidimus eſſe verum: & quod ſervent phyſicam incompatibilitatē ſubſtantiæ panis, & Chriſti ſub ijſdem accidentibus, quod etiam dicimus eſſe verum; aliud eſt, quód ſubſtantia panis debeat non ſolùm non manere ſub ijſdem accidentibus, ſed etiam omninò deſtrui, & nullibi manere ex phyſica exigentia ſubſtantiæ Chriſti ſubſtantis illis accidentibus: & hoc dicimus non requiri ad rationem converſionis; quia ſine hoc invenimus phyſicam incompatibilitatem earum ſimul ſubſtantiarum ſub ijſdem accidentibus ſufficientiſſimam ad rationem converſionis: ut patet in exemplo nuper adhibito caloris, & frigoris. Cum quo ſtat quod ſupra diximus, aliunde ſequi deſtructionem ſubſtantiæ panis ſpoliatæ ſuis accidentibus: quia nempé ſine fundamento. & non niſi temerè diceretur aliò deportari, & miraculosé conſervari.

73 Objicit ſibi duo Bernal. Primum, quòd Corpus Chriſti in Euchariſtia eſt modo ſpirituali, & inextenſo, taliter affectum dotē glorioſæ ſubtilitatis; ut naturaliter jam valeat penetrari cum alia quantitate, ſicut ibi penetratur quantitas capitis cum quantitate pedis: ergo quamvis corpus Chriſti includat in Euchariſtia ſuam quantitatem, non expelleret inde ex phyſica natura rei ſubſtantiam panis, quantumvis identificatam cum ſua quantitate. Secundum: quód, quamvis corpus Chriſti poſitum in Hoſtia exigat phyſicè non penetrari cum ſubſtantia panis; huic tamen exigentiæ fieret ſatis, ſi panis inde truderetur, quin eſſet neceſſe deſtrui: ergo neque ſic ſalvatur, ſequi ex phyſica natura talis oppoſitionis deſtructionem ſubſtantiæ panis à poſitione corporis Chriſti, niſi recurratur ad ſententias ſupra impugnatas: aut ſaltem quin illarum impugnationes enerventur.

74 Reſpondetur tamen ex ipſo Bernal. Ad primum, corpus Chriſti eſſe in Euchariſtia inextenſum, & modo ſpirituali, indebito tamen, & miraculoſo, quamvis connaturali ſtatui glorioſo ſupernaturali; quod non tollit, quominus ſecundum naturam phyſicam exigat expellere à loco ſuo aliam quantitatem. Hinc, ſi ibidem comp enetrantur partes quantitativæ ejuſdem corporis Chriſti inter ſe eſt ſupra phyſicam ipſius naturam, & per miraculum, & ſimiliter poſſet fieri ejuſdem cothpenetratio cum materia panis: hoc tamen aliud miraculum non eſt cur fiat, ſicut neque cum digitis Sacerdotis: ac proinde, ut inde expellatur ſubſtantia panis eſt ex natura rei iuxta exigentiam phyſicam quantitatis Chriſti potius per ſuſpenſionem miraculi, quàm per miraculum.

75 Ad ſecundum ſatis occurrimus *nn.* 72. Ex ibi dictis, dato antecedente, negatur conſequentia: nam, ut veriſſimé dicatur, ex phyſica natura oppoſitionis, ſeu incompatibilitatis naturalis ſubſtantiarum Chriſti, & panis in eodem loco, ac proinde ſub ijſdem accidētibus, ſequi deſtructionē panis, ſufficit, quòd ex natura phyſica talis incompatibilitatis, poſitâ ſubſtantiâ Chriſti ſub accidentibus panis, ſubſtantia panis nequeat conſervari, niſi miraculosè, cùm nequeat in inſtanti producere ſibi naturaliter alia accidentia: nec aliter deſtruitur calor ad ingreſſum frigiditatis in alteratione, quæ eſt converſio veriſſima accidentalis. Fateor, ſic enervati poſſe vim aliquarum impugnationum contra priores ſententias: tenent tamen ad homines.

SECTIO VI.

An dicta Corporis Chriſti productio ſit creatio? An deſtructio panis annihilatio?

76 Circa primum eſt ratio dubitandi. Quia ex una parte videtur, ad converſionem requiri productio generativa termini *ad quem*, cùm hic nō fiat ex nihilo, ſed ex termino *à quo*: dicimus enim ignem fieri ex ligno in converſione naturali, & Chriſti corpus ex pane in Euchariſtica. Ex alia verò parte productio hæc corporis Chriſti videtur eſſe creatio: nam corpus Chriſti, claudens utique materiam primam ingenerabilem; ibi quoque reproductam, non fit ex ſubiecto, nec ineſt ſubjecto.

77 Nominalę hoc diſſidium reſolvit ſatis aptè Bernal *num.* 47. dicens: eiuſmodi productionem ſecundum ſe eſſe potiùs creationem: quamvis non ſoleat ſic appellari, quia creatio ſonat primam rei productionē. Quare concludit, nec abſolutè vocandam creationem, nec abſolutè generationem; ſed productionem, aut meliùs, reproductionem ſubſtantialem alterius rationis ob ſingularitatem Myſterij. Poſſet vocari reproductio *Bern.*

crea-

Digitized by Google

creativa, ut quodammodo concilientur rationes dubitandi. Nec est cur de essentia conversionis sit productio generativa. Cum autem dicitur terminus *ad quem* fieri ex termino *à quo*, non significatur, fieri ex illo tanquam ex subiecto termini *ad quem*, prout opus esset ad rationem generationis.

78 An ea productio fluat effectivè ab ipso Christo se ipsum ibi reproducente, tractabitur *disp. 9. sect. 1.* Aliqui volunt, esse eãdem numero bilocatam, qua Christus conservatur in Cœlo. Hoc tamen, si ut opinor, præsentia rerum creatarum est ipsarum præsentia, est impossibile; cùm pro diversitate locorum variari necesse sit præsentias, atque adeó productiones cum ipsis identificas. Alioquin, nec video in eo repugnantiam, nec fundamentum sufficiens ad id asserendum de facto; sicut neque ad negandum.

Infra disp 9.

79 Circa secundum Scotus, & suorum multi, & ex nostris Hurtadus *disp. 1. de Gener. sect 8.* dixere, destructionem substantiæ panis in Eucharistia esse anihilationem: quia nempè nihil substantiæ panis manet, sicut manet materia prima in conversionibus naturalibus. Idque judicat probabile Suarez, miratus, & meritó, dixisse Sotum, non posse id ab errore excusari; & posset mirari Caietanum, ratum & hæresim etiam esse. Sed nimis audacter: cùm nullam mereatur censuram Theologicam sententia Scoti subtilissimi: ideóque delatam, & absolutam vidi apud Tribunal Inquisitionis Hispaniæ.

Scot. Hurt. *Suar.* *Scot. Caiet.*

80 Ipse tamen Suarez eam Scoti loquutionem recusat cum S. Thom. *quæst. 75. art. 3.* ut alienam à communi sensu, quod probat eruditè Vasquez *disp. 185.* Ubi ponderat graviter, Uvicleffum, Calvinum, Petrum Martyrem, aliosque Sectarios ex eo impugnasse conversionem Eucharisticam, quòd desitio panis, quam credit Ecclesia, deberet esse anihilatio: quod quasi absurdum nobis exprobrant, hinc arma sumentes contra Fidem Eucharistiæ. Præstat ergo id illis negare cum communi loquutione Theologorum, dicendo eam desitionem substantiæ panis non esse anihilationem. In reddenda ratione variant Authores.

Suar. S. Thom. Vasq.

81 Vasquez dat rationem: quia sicut stricta creatio est productio rei ex nihilo; ita anihilatio est destructio, sive desitio rei in nihilum. Substantia autem panis in Eucharistia non desinit in nihilum; sed in corpus Christi, quod ex illo fit, quando in illud fit conversio.

Vasq.

82 P. Suarez dat rationem: quia substantia panis ibi non desinit per meram suspensionem concursûs conservativi; sed ex vi actionis terminatæ ad accidentia permansura destructo pane. De ratione autem anihilationis est, quòd actio, vi cuius res destruitur, non maneat in aliquo quod fuerit rei destructæ; nihil enim rei anihilatæ manere debet.

Suar.

83 P. Bernal *num 66.* acquiescit huic rationi, dicens, panem non anihilari: quia non omninó reducitur in nihilum, cùm maneat aliquid ipsius, nempe accidentia.

Bern.

84 Fagundez verò illam rejicit ex Vasquez: quia, si Deus suspenderet concursum conservativum animæ rationalis, hæc anihilaretur absque dubio, quamvis maneret corpus; quod non minùs est aliquid animæ quã accidentia sint aliquid substantiæ panis. Posset fortè responderi, accidentia panis, utpotè strictiùs alligata substantiæ panis, quam corpus animæ; cùm sine illa naturaliter esse non possint; specialiùs dici esse aliquid substantiæ panis, quám corpus sit aliquid animæ, sine qua naturaliter esse potest.

Fagund.

85 Henaus dat rationem: quia anihilatio est rerum, quæ dicuntur creatæ, contrapositè ad generatas, quæ non anihilari dicuntur; sed corrumpi. Panis autem non sic dicitur creatus, sed generatus ratione unionis eductæ, sicut dici solet generaliter de alijs compositis physicis: ideòque eius desitio nõ est anihilatio.

Hen.

86 Approbatè non possum rationem istam: cuius utique fundamentum mihi falsum est in Philosophia. Quippè censui, & censeo, composita physica, neque ab eductione unionis, neque formæ interdúm eductæ esse, nec dici posse generata, sicut neque educta, aut inhærentia; sed esse, ac dici absolutè creata contrapositè ad res generatas, sive ad eductas. Unde hinc potiùs destructio panis deberet dici anihilatio, utpotè desitio rei creatæ, & non eductæ: quia panis non est eductus, cùm non sit in subiecto inhæsionis, ut ibi adstruxi ex professo. Quodsi homo dicitur genitus, & generatus, non sic dicitur in hoc sensu generationis pro eductione contrapositã creationi; sed in alio longè diverso generationis viventium pro origine *viventis à vivente à principio coniuncto, &c.* Ideóque Adamus, & Eva nullo modo dicuntur generati, nec geniti; sed creati.

87 Dices: hinc sequi, quod panis Eucharisticus dici deberet anihilatus: nam anihilatio correspondet creationi, & quæ creata dicuntur, quando fiunt, dicuntur anihilata, quando desinunt: quatenus, cum fiunt, fiunt independenter à subiecto inhæsionis, & quando desinunt, desinunt, non manente subiecto. Confirmatur. Ea panis destructio

non eſſet corruptio, cùm non ſit deſtructio rei, manente ſubiecto, aut aliquo ſubſtantiali illius: ergo eſſet anihilatio: cùm inter hos modos deſinendi non detur medius.

88 Reſpondetur, negando ſequelam: non enim ita correſpondet anihilatio creationi, ut omnis utcumque deſtructio rei creatæ ſit anihilatio: ulteriùs requiritur, quòd deſinat in nihilum, & non in aliquid, ex aliquo ipſius confectum: at panis Euchariſticus deſinit in corpus Chriſti ſacramentaliter confectum ex accidentibus panis. Quemadmodum non omnis utcumque deſtructio rei generatæ eſt corruptio cum poſſet res generata à Deo deſtrui in nihilum, nihil prorſus ipſius remanente. Ad confirmationem, fateor, eam panis deſtructionem non eſſe propriè, ac ſtrictè corruptionem; benè verò laxiùs pro deſitione rei aliquo intrinſeco ipſius manente. Non eſt autem cur non ſit dabile mediũ, inter ſtrictam corruptionem, & ſtrictam anihilationem: admodum quo diximus *nu.* 77. productionem Euchariſticam corporis Chriſti eſſe quid medium ſingulare inter creationem, & generationem; cùm abſolutè ſtrictè, nec ſit creatio, nec ſit generatio.

89 Ex ijs patet, recurrendum eſſe ad rationem P. Vaſquez cum aliquo adminiculo rationis P. Suarez, ut negetur, deſtructionem panis Euchariſtici eſſe anihilationem.

SECTIO VII.

Quomodo nomen converſionis Euchariſtica importet deſitionem & productionem: & an ſignificet phyſicam mutationem.

90 SUpponit quæſtio cum communi ſententia contra Vaſquez, converſionem Euchariſticam dicere actionem, ſive productivam termini *ad quem*, nempe Chriſti; ſive præſentiæ illius: cùm enim aliæ converſiones claudant actionem, non eſt cur actio excludi debeat à converſione Euchariſtica. Nec obeſt, quòd hæc converſio ſit alijs mirabilior: non enim in hoc ſtat ejus mirabilitas. Nec item obeſt S. Thom. explicans converſionem Euchariſticam per ordinem ſubſtantiæ deſinentis ad ſuccedentem: unde Vſquez hanc co.. ionem adæquatè conſtituit in eo ordine, qui ſit extrinſeca denominatio, qua panis dicitur converſus, & corpus Chriſti ſuccedens: fundamentum autem eius denominationis ait eſſe deſtructionem panis inductam à poſitione corporis Chriſti: non ob intrinſecam connexionem huius poſitionis cum illa deſtructione; ſed ex eo quòd corpus ponatur per verba ſignificantia illud, eſſe corpus, & non panem: & hanc dumtaxat oppoſitionem ponit inter illos terminos *à quo*, & *ad quem*. Reſpondetur enim, S. Thomam ex eo quòd aſſeruerit illum ordinem, non negare actionem in qua fundetur. Reliquam doctrinam, quàm inde adſtruit Vaſquez, vidimus *ſect. 5.* inſufficientem eſſe ad oppoſitionem phyſicam terminorum converſionis.

Vaſq.

S. Thom.

91 Hoc poſito, quæritur, quid ſit quod in recto dicit nomen *converſio*? An productio termini *ad quem*; an potius deſitio termini *à quo*? Bernal *ſect. 3.* cenſet, quod directè denominatur *converſio* eſſe deſitionem termini *à quo*; productionem verò termini *ad quem*, & reliqua eſſentialiter requiſita ad converſionem, dici de obliquo. Quia converſio eſt deſitio, ſeu tranſitus unius in aliud: hoc autem directè dicitur dumtaxat de deſtructione termini *à quo*. Tum quia id eſt directè converſio, quo terminus denominatur converſus: in converſione autem ſolus terminus *à quo* denominatur converſus: & quidem directè à ſui deſtructione, ſeu deſitione, ut per ſe patet, conſignificatis alijs requiſitis de obliquo.

Bern.

92 Alij malunt è contra, quòd converſio eſt in recto productio termini *ad quem*, dictis deſitione termini *à quo*, & alijs de obliquo. Quia converſio eſt ſpecies actionis, ac proinde converſio directè eſt actio. Ad rationes P. Bernal reſpondent, quòd etiam productio termini *ad quem*, poſitis alijs de obliquo, dicitur deſitio termini *à quo*; non formaliter; ſed cauſaliter: ad modum quo dicitur, quòd *generatio unius eſt corruptio alterius*. Unde licèt verum ſit, quòd ſolus terminus *à quo* denominatur converſus; verum etiam eſt, quòd modo explicato poteſt dici converſus cauſaliter à productione termini *ad quem*. Quæſtio eſt generalis Philoſophica.

93 Hinc, ſi quæras ſubiectum converſionis Euchariſticæ; invenies, ſubiectum denominationis eſſe terminum *à quo*, quatenus denominatur converſus; & ſuo etiam modo, terminum *ad quem*, quatenus denominatur converſivè productus. Subiectum inhæſionis non habet: neque enim inhæret deſitio, cùm nihil ſit extra Deum: neque inhæret, ſed adhæret productio, cùm non præſupponat ſubiectum: neque unio Chriſti ad accidentia, cùm phyſica non ſit, ut videbimus *diſp. ſequ. ſect. 4.*

94 S. Thom. multique Theologi negant, converſionem Euchariſticam eſſe motum, ſive mutationem phyſicam apud Suar. *ſect.*

S. Thom.

Suar.

sect. 5. Quia Christus jam impassibilis non mutatur physico motu: ac proinde sine motu physico collocatur in Sacramento.

Suar. 95 P. Suar. distinguit unam mutationem physicam propriam, afferentem genus quoddam passionis circa subjectum præsuppositum: & hoc modo, ait Christum non mutari per consecrationem: quia nec mutatur phisicè per detractionem, cùm nihil amittat; nec per adjectionem, cùm nihil in se admittat, tã quam subjectum inhæsionis: reproductio enim; & præsentia cum reproductione identificata, non inhæret, sed adhæret Christo. Aliam distinguit mutationem physicam impropriam pro quolibet modo se habendi de novo intrinsecé perfectibiliter: & hoc modo ait, Christum in Eucharistia mutari: quia aliter se habet de novo intrinsecé, reproductus scilicet, & præsens per modum sibi intrinsecum, suique perfectivum.

SECTIO VIII.

Observantur aliquæ loquutiones circa terminos Conversionis Eucharistica.

Bern. 96 MUlta de hoc Bernal *sect. 5.* agens de Prædicationibus, sive admittendis, sive recusandis inter Panem, & Corpus Christi.

97 Ait primò, falsas esse enuntiationes prædicantes panem de corpore Christi absolutè, & simpliciter prolatas. V.g. *Panis est corpus Christi*: *Vinum est sanguis*: aut é converso. Quòdsi in Concil. Romano dicitur, panem post consecrationem esse corpus Christi; est quasi dicatur, *fit corpus*, seu *convertitur in corpus Christi*: quem sensum indicat additio illa: *post consecrationem*; quin tamen conversio identificare possit terminos antea distinctos: quamvis benè faciat, quòd postea contentum sub speciebus sit corpus Christi, cùm antea fuerit substantia panis, modo quo explicuimus S. Thom. contra Cajet. *num. 60.* Sic etiam capitur loquutio illa Ambrosij *lib. de Sacram. Quomodo potest qui panis est esse corpus Christi? Cõsecratione*: solùm enim vult, consecratione effici Christi corpus sub accidentibus, ad quę intenti; dicebamus antea: *hic est panis*; & postea: *hoc est corpus.*

Conc. Rom: *Ambr.*

98 Ait, secundò veras esse, quamvis improprias enuntiationes significantes, terminum *à quo* fieri terminum *ad quem*. V.g *Panis fit corpus Christi*: *Fit q; sanguis Christi merum.* Rationem dat S. Thom. quia in conversionibus naturalibus dicimus: *Aer fit aqua.* Scilicet figuratè per Synecdochen: quia aliquid aëris, ponitur sub forma aquæ. Sic ergo in conversione totali transubstantiativà Eucharisticà, cùm aliquid panis, nempè accidentia fiat continens corpus Christi, dicitur per similem figuram: *Panis fit corpus Christi*: ut sensus proprius sit: *Quod antea erat continens panem est continens corpus Christi.*

S. Thom.

99 Ait tertiò: enuntiationes idipsum significantes per vocem, *ex*, veras, & propias esse: V.g. *Ex pane fit corpus Christi.* Quia per id non significatur identitas inter panem, & corpus; sed defitio panis ad positionem corporis Christi sub tertio communi accidentium: quod proprijssimè verum est:

100 Ait quartò: quód id ipsum enunciare per vocem, *de*; non est in usu: quia ea vox sonat consubstantialitatem terminorum juxta illud Symboli: *Deum de Deo.* Nihilominus aliqui *de*, & *ex*, usurpant quasi synonima in similibus loquutionibus: sicque dixit Ambrosius ibidem: *ubi accesserit consecratio, de pane fit corpus Christi.* Oportet cautè loqui in re dogmatica.

Symb. Ambr.

DISPUTAT. XXVII. ET VIII.

DE

ACCIDENTIBVS, SEV SPECIEBVS Euchariſticis.

Trid. 1 TRIDENTINUM *ſeſſ. 13. can. 2.* ſtatuit, Tranſubſtantiationem Euchariſticam fieri, *manentibus dumtaxàt ſpeciebus panis, & vini.* Quod intellige de ijdem numero ſpeciebus, quæ antea erant: ſic enim indicat vox illa: *manentibus*: contra quod per gravem errorem exiſtimarunt aliqui cum Marſilio apud Martinon *diſp. 32. ſect. 5.* non manere eaſdem, ſed diverſas ibi de novo produci.

Marſil. Martin.

SECTIO I.

An ſpecies Panis, & Vini, manentes in Euchariſtia, ſint accidentia phyſica intrinſeca diſtincta ab ſpeciebus intentionalibus.

2 RECens quorumdam Philoſophia eſt, albedinem, calorem, ſaporem, frigiditatem, ſiccitatem, & ſimilia, non eſſe accidentia phyſica intrinſeca ſubſtantijs, & abiſtis ſeparabilia; ſed eſſe ipſas ſubſtantias. Itaque in Euchariſtiâ, deficiente per tranſubſtantiationem ſubſtantiâ panis, non manere, re ipsâ ejuſmodi accidentia, albedinem, colorem, ſaporem, &c. ſed apparere ibi ſenſibus, quod antea erat: non quidem per ejuſmodi accidentia phyſica ibi reſidua; ſed per ſpecies intentionales preſentes panis, coloris, & caloris præteriti, viſui, tactui, odoratui, & guſtui noſtro impreſſas, intentionaliter dumtaxat, ſpectri, aut præſtigij ad inſtar, præſentantes, ac ſi eſſet, colorem, calorem, & ſaporem, qui ibi non eſt. De ijs autem ſpeciebus intentionalibus ad ſenſus noſtros; non verò aliter de accidentibus realibus phyſicis veri coloris, caloris, aut ſaporis, intelligi volunt quod dicunt Concilia manere in Euchariſtia ſpecies panis, & vini. Hanc ſententiam tenuere Iosephus quidam Ballus, & Doctor Chianetta Panormitanus, alijque ſiculi; quos inter Magiſt. Candia Dominicanus apud Raynaudum *to. 6. in Lucubratione de Ag. cid. Euchar. ſect. 2.* Eamque è mente ſuâ tuetur Maignanus Minimita *in Phil. Nat. Append. de Spec. Euchar. pag. mihi 583.* & alibi. Quidam non omninò abſimile confinxerunt ante quingentos annos nonnulli exploſi ab Algero *lib. 1. c. 7.* apud Rayn. cit.

Balli. Chian. Candia. *Maign.* *Alger.*

3 Hæc in primis aperte ſunt contra rationem naturalem inductam à quotidianis experientijs. Aër enim de tenebroſo fit lucidus, ferrum, & lignum de frigido calidum, & è contra: ergo ab aliquibus formis phyſicis accidentalibus advenientibus, & abeuntibus citra ſubiecti corruptionem: hæc ergo ſunt accidentia phyſica à ſubſtantijs ſeiungibilia. Quo evaneſcit aliquorum reſponſio dicentium, eſſe modos ſubſtantiarum. Rationamque Theologica, qua infra probabimus has eaſdem numero formas manere in Euchariſtia deſtructis ſubſtantijs panis, & vini, quibus antea inerant, probat eſſe formas accidentales, non modales, ſed entitativas, ſeparabiles à ſuo ſubjecto.

4 Magiſque exoticum eſt, atque paradoxum quod ſecundò dicunt alij ſine probatione, & fundamento, calorem v. g. in terra nihil eſſe aliud, niſi motum localem quarumdam particularum, quas Sol, aut ignis huc illuc agitat. De hoc enim motu locali, qui jam adeſt, fateri tenebuntur eſſe accidens phyſicum impreſſum ejuſmodi corpuſculis. Præterea, lapis iniectus igni ſtatim incaleſcit: & aliquantiſper decentus, ingentem concipit calorem, quem experimur, eodem lapide manente; cùm autem totus caleſiat, ita ſaltem

ut

ut nullo experimento diſcerni à nobis queãt particulæ calidæ à non calidis; omnes eius particulæ, aut ſaltem plurimæ deberent tunc eſſe in velociſſimo motu locali, quem tamen nullo ſenſu experimur. Et é contra ſæpius in vento valido experimur maximam frigiditatem cum motu velociſſimo. Qua ergo ratione ducit nos iſthæc Philoſophia, ut credamus, motum eſſe ipſiſſimum calorem, & frigiditatem eſſe quietem? aut qua fide hæc, & ſimilia oracula ſine probatione quaſi é Tripode prolata auſcultemus orthodoxæ præſertim Fidei minus conſona? Credant, qui lateres ignitos in fornace auſint dicere, eſſe potius in continuo motu locali, quam ſit aquilo vehementiſſimus. Vide, ſis, Thomam Cõptonum luculentiùs hoc rationibus Philoſophicis expugnantem *diſp. 18. Phyſ.* & Theophilum Raynaudum *tom. 6.* eruditiſſimè de ijs diſſerentem.

Compto.

Raynau.

5 His tamen ad Phyſicos remiſſis, utor, quod noſtrum eſt, Theologicâ ratione Fidei Euchariſticæ regulis ſubnixa. Concilia Lateranen. cap *Firmiter*, Florent. *in Decr. Eugen. ad Armen.* & Trid. *ſeſſ. 13. can. 2.* expreſſè docuere, poſt verba conſecrationis manere panis, & vini ſpecies, deſtructa eorum ſubſtantiâ: ergo iuxta doctrinam Conciliorũ aliquid panis ibi verè remanet, quod non eſt ſubſtantia panis: hæc ergo ſunt accidentia panis.

Later. Florent. Trid.

6 Reſpondet Renatus Deſchartes, manere quidem ſpecies: at, inquit: *nullibi unquam, ſaltem quod ſciam, docuit Eccleſia, ſpecies panis remanentes in Sacramento Euchariſtiæ, eſſe accidentia realia.* Addit Magnanus, ſingularem fuiſſe providentiam, quòd Eccleſia in ſuis definitionibus non uſa fuerit nomine *accidentium*; ſed *ſpecierum*: ne rem purè Philoſophicam definiret; ſicque locum relinqueret, ut negatis accidentibus phiſicis coloris, ſaporis, odoris, & alijs huiuſcemodi inhærentibus intrinſecè ſubſtantijs panis, ac vini, dici poſſet, imò & in rigore vocabuli deberet, ſolummodò manere ſpecies intentionales panis, & vini impreſſas ſenſibus noſtris: hæ enim communi vocabulo dicuntur, *ſpecies*.

Deſchar.

Magnã.

7 Verum in primis eſt, has intentionales vocari, *ſpecies*. At Latinorũ nemo neſcit, nomen, *ſpecies*, alia quoque habere propriſſima ſignificata: *ſpecies* ſignificat pulchritudinem: *ſpecies* ſignificat appatentiam obiectivam rei ad viſum, alioſve ſenſus noſtros: & apud logicos ſignificat ſecundum prædicabile pro tota ſubſtantia, ſive eſſentia, communi rerum. Quoniam autem in ſenſu ab unoquoque accipiatur, diſcernendum eſt ab hominum uſu iuxta ſubiectam materiam. Atqui inveriſimile prorſus eſt, Concilia definientia, manere in Sacramento ſpecies panis, & vini, aliud intellexiſſe, niſi accidentia, ſenſibilia, per quæ ſenſibus appatent ſubſtantiæ, per ſe, & in ſe ſenſu imperceptibiles: ergo ea intellexerunt nomine ſpecierum, colorem ſcilicet per ſe viſibilem, ſaporẽ per ſe guſtabilem, odorem per ſe odorabilem, calorem, ſeu frigiditatem, ſoliditatem, ſeu liquiditatem per ſe tangibiles: & de ijs definierunt manere in Sacramento.

8 Minor probatur. Patres enim illorum Conciliorum doctiſſimi erant, & prudentiſſimi: quâ doctiſſimi, ignorare non poterant, quod nec hi novi Philoſophi negant, communẽ ſenſum Theologorum in Libris & in Scholis, eſſe & ab antiquo fuiſſe, pro eodem accipere ſpecies ſacramentales, & accidentia phyſica intrinſeca panis, ac vini, remanentia poſt conſecrationem; & promiſcuè in hoc eodem ſenſu uſos fuiſſe, modò nomine ſpecierum: ut cernere eſt in S. Thom. S. Bonav. Scot., Halen. Uvalden. & alijs SS. Patribus, ac Theologis. Quâ verò prudentiſſimi, in re doctrinali uti minimè debebant nomine ſpecierum in ſenſu alieno à communi tunc omnium acceptione in eadem ſubiectâ materiâ: eſſet enim ineptire, & ſubdolè agere cum maiori, & ſaniori Orthodoxorum Scolaſticorum parte: qui propterea deinceps in eodem ſuo ſenſu pro accidentibus phiſicis intrinſecis conſtanter receperunt nomen ſpecierum à Concilijs uſurpatum, & nullatenus pro ſpeciebus intentionalibus: ut cernere eſt apud Cardinales Petronium, Alanum, Bellarminum, Toletum, & Lugum: itemque Ruardum, Syvium, Stapletonum, Gamachæum, Kelliſonum, Leſſium, Suarez, Vaſquez, Valentiam, & ſexcentos alios. Inveriſimile igitur omninò eſt, alium fuiſſe ſenſum, & mentem Conciliorum in ſuis definitionibus; idque cogitare, ac dicere, ingens, ut minimum, temeritas.

S. Tho. S. Bonav Scot. Alen. Uvald.

Peron. Alan. Tolet. Lug. Suar. Vaſq. Valent.

9 Accedit, quòd Concilia ipſa id interdum ſatis expreſſerunt. Colonienſe ſub Paulo 3. an. 1536. *par. 2. cap. 15.* ſic fatur: *Quid enim panis, vinique ſpecies aliud ſunt poſt conſecrationem, quàm ſpecies ſacramentales, & accidentia ſine ſubiecto?* Nihil clarius dici potuit à Concilio: quod quamvis Provinciale fuerit, doctrinam hauſit à Generalibus. A Romano an. 1413. ubi damnata eſt ut hæretica hæc Uvicleffi propoſitio: *accidentia panis, & vini non manent ſine ſubiecto in eodem Sacramento.* A Conſtantienſi an. 1414. in cuius *ſeſſ.* 8. iterum hæ ſpecies vocantur accidentia, iterumque dam-

Conc. Colon. Rom. Conſt.

natur eadem Uvicleffi propoſitio: approbante poſtea damnationem Martino. 5. Quæ damnationes, ut eſſent ad rem, & ex æquo ferirent Uvicleffum, certum eſt, accepiſſe accidentia in ſenſu Uvicleffi pro accidentibus phyſicis intrinſecis: quæ aliter vocantur ſpecies panis ac vini, longiſſimè quidem à ſenſu ſpecierum impreſſarum intentionalium: quæ nec Uvicleffo, nec Concilio venerunt in mentem. Quoniam verò Joannes Hus quaſi alienum putans à negotio Eccleſiæ punctum Philoſophicum, dixit, *quòd non eſſet determinatio Eccleſiæ quòd accidentia ſtarent in Sacramento Altaris ſine ſubiecto*: hoc ipſum dictum condemnavit idem Concilium *ſeſſ. 15.* iterum intelligens nomine accidentium ſpecies panis, & vini in Euchariſtia remanentes.

10 Ex quibus tria ſubinferuntur, ut omnino occludatur aditus novæ huic Philoſophiæ in præiudicium veræ Theologiæ renaſcenti. Primum, quòd, quamvis puncta purè Philoſophica non concernentia ad veritates Theologicas Fidei, non ſint é directo negotium definitionum Eccleſiæ; indirectè tamen ex definitionibus Eccleſiaſticis circa veritates Fidei, manent ſæpe innegabiliter ſtatua multa puncta Philoſophica, à quorum veritate pendent veritates Fidei definitæ: ita videlicet, ut deinceps abſque cenſura Theologica negari non poſſint.

11 Secundum, quòd, quamvis nomen, *ſpecies*, ſecundum ſe indifferens ſit ad ſignificanda, ſive accidentia phiſica intrinſeca ſubſtantiarum per ipſa ſenſibus apparentium; ſive ſpecies intentionales obiectorum impreſſas ſenſibus; ſive aliud quidpiam; at in ſupradictis definitionibus conciliorum iuxta ſubiectam materiã appoſitè ad hæreſes, quas damnant; alteri ſignificationi locum non eſſe, niſi accidentium veri coloris, ſaporis, aliarumque qualitatum per ſe ſenſibilium panis, & vini: atqueadeò de ijs intelligendas eſſe certiſſimè definitiones priorum Conciliorum, & poſtea Tridentini, dum ſtatuunt, manere in Sacramento ſpecies panis & vini: ne, Concilia ipſa faciant ineptiæ ineptientes iſti Philoſophi, leviſſimo, vel nullo fundamento proprijs ſpeculatiunculis à cramite veritatis exorrantes, cum orthodoxæ doctrinæ iactura.

12 Tertium, quòd vertendum non eſt ſingulari providentiæ, ut ſignificari eo nomine poſſent ſpecies intentionales, ſi Concilia nomine ſpecierum frequentiùs utantur, quàm nomine accidentium. Non enim fuit niſi oculatiſſima Patrum Conciliorũ circumſpectio ob duas potiſſimùm rationes. Una eſt, quòd, ut erant in Scholis verſatiſſimi, bene noverant communiorem iam Scholaſticorũ ulum eſſe, accidentia phyſica panis, & vini manentia in Sacramento vocare ſpecies Euchariſticas. Altera, & magis notanda, quòd inter accidentia phyſica panis, & vini, alia ſunt qualitates per ſe ſenſibiles, ut color, odor, ſapor, ſoliditas, liquiditas, & aliæ huiuſmodi aliquo ſenſu externo perceptibiles; alia non ita, ut unio earum qualitatum ad ſua ſubſtantias, & actio productiva earundem, & ſi quæ ſunt alia, de quibus *ſec. ſeqq.* Nomine accidentium poſſent hæc omnia intelligi, cùm tamen non de omnibus certum ſit, nec forte verum, manere in Sacramento nomine verò ſpecierum illa dumtaxat accidentia veniunt, quæ ſenſibus exterioribus rem præſentant eo quod ſpecies ſit, & dicatur quaſi exterioritas rei, quales ſunt ſupradictæ qualitates: & de ijs certum eſt, quòd manent in Sacramento. Ideo Concilia, & Theologi prudentiſſimè utuntur potius in hac materia nomine ſpecierum, quam accidentium: ut contractiùs loquantur de ijs cũtaxat accidentibus phyſicis panis, & vini quæ iuxta definitiones Conciliorum in ſenſu Eccleſiæ certiſſimè manent.

13 Longiùs multò exerrant alij ſequuti Carteſium apud Comptonũ doctè illos, inſequentem *ſec. 4.* qui ſine ſupradicto recurſu ad ſpecies intentionales, negant univerſim in rebus quæcumque accidentia phyſica realia. Forté excipient actus intentionales; niſi in anima etiam, & angelis, ac ſi primas agerent inſtar corporum fatiſcentium, ſtatuere quaſi porulos velint, corpuſculis, ſeu vitalibus atomis, aut pulviſculis, noſtra illicam, ſpiritualibus replebilesad modum, quo dicunt, ſaporem, colorem, odorem, calorem, imò & lucem non eſſe accidentia, ſed ſubſtantiolas corporeas tenuiſſimas atomorum infinuantium ſe intra poros aliorum corporum. Quoad ſpecies autem Euchariſticas, dicunt, non eſſe accidentia phyſica, ſed corpuſcula quædam fluida intra poros panis, & vini contenta: quæ quamvis ſubſtantiæ ſint, quia tamen contingenter advenium ſubſtantijs panis, & vini poſſunt dici accidentia logica. Et hæc, inquiunt, manent in Euchariſtia deſtructis ſubſtantijs panis, & vini.

Deſcart. Compt.

14 Exercitio iſta clariùs opponitur definitionibus Cõciliorum iuxta ſenſum Theologorum, quàm præcedens. Accedit, quòd, cùm corpus Chriſti ſuccedat paniꝰ eoque præciſè ſit ſacramentaliter in loco, ubi erat ſubſtantia panis; hæc autem non fuerit penetrata iuxta hos Philoſophos, cum ſpecie-

bus

bus ibi refellitur, sed solum cum iis intercalatim permista respritur, nec corpus Christi esse ibi penetrandum cum reliquis illis probatur, sed in vacuitatibus relictis à particulis panis inde exclusis, intermistis cum corpore Christi fulsilantibus atomorum theriacalium. Cum quo flare nequit veritas verborum consecrationis eorum illam fulsilantiam assentiam esse corpus Christi cum illa mistam modice particulæ fulsilantiæ, quæ non sunt corpus Christi: Absurda Philosophica inde sequuta expendit Cæpenus citatus sect. 3. punct. 7. cum fulsilantia praticum discrimen sentiendi, erroneum, & hæreticam compellare.

Compt. Rayn.

17 Meum in iis judicium esto. Primò, certissimum est communem Theologorum doctrinam, species Eucharisticas esse accidentia physica realia intrinseca panis, & vini, id est qualitates primas aut secundas caloris, coloris, saporis, odoris, &c. Secundò, constat ratio novorum Philosophorum doctrinas tuta ratione contra receptissimum Scholæ sensum levitimis fundamentis inniti, esse falsum eorum axioma, aut etiam proximus propter loquutiones ac definitiones Conciliorum supra memoratas. Sic quoque latens centum Rationibus *sect. 3. punct. 1.* Compagnus cit. & Hamoldus *cap. 7 centr. 1.* Arriaga ubi supra Rayn. *sect. 2. punct. 7.* quas propter Inquisitio Hispanica potuisti doctrinam non tenuit, ut audio, coercuit. Et exegit litteris datis Lutetiæ 1688. à petitullis Dño meo D. Didaco Vincentio de Valentia Inquisitore nec Panormitano Librum *Tirsene à Bello* confectum, nec ejus tempus, *quod accidentia Eucharistica non sunt accidentia realia; sed mera illusiones, & præstigia oculorum*; prohibitum fuisse ab Inquisitione Panormitana juste Supremæ Hispanicæ. Itemque à sacra Congr. Romana ad annum 1649. Tertiò, frustra vim fieri ab Adversariis in eo, quòd multa fint vix Philosophandi diversis ab Aristotelis, per quæ res naturæ circa contradictionem compoti possint. Ego quidem non ita juravi in Aristotelis verba, ut præsulum ipsorum ab illo dissidendere: fatemque multa compotum posse per alia principia Aristotelicis invisa. Quo fit ad summum, de possibili potuisse aliter, & aliter à Deo inditas res naturæ: quod non eft sufficiens fundamentum ut poscandum de facto. Quando vero ex ipsa Fidei regula colligere posfumus res, quæ secundum se aliter & aliter subpoti possint, fic, & non aliter pleasuit Deo Omnipotenti eas disponere, huic lumini certe debet nostra mens contempta putorum Philosophorum speculationibus minùs reconfentiens, resistat, fortiter. Adhuc melium explabilis ipsema Capentus de quæ in hac loci motu tenet, quamvis centum sufficienter eo opus ne esqua diffonat, capturg prout de facto.

Rayn. Compt. Hamold. Baliol.

Suar.

SECTIO II.

Quænam Panis, aut Vini accidentia sint Species Eucharistica, manentes post consecrationem. Et quid de Quantitate?

16 QUæ quidam Panis, & Vini accidentia per se existentè sensibilia, ut color, odor &c. fantalia per se non sensibilia, ut actiones, & passiones eorum ad fulsilantiam, & occultæ, quas mentatur tot aliqui, qualitates radices temperamenti, De illis prioribus conventimus, quod manent, & figuificant nomine specierum. De iis posterioribus est dubium.

17 P. Vasquez de iis citatus affirmat Vasq. conftare ex Fide: quia Concilia tradituat eloquenta manere accidentia tac pendente omnia. P. Suar. de omnibus affirmat manere; sed de posterioribus non id judicat certum ex Fide quia Concilia ut monuimus non id. tre semper nomine nomine specierum, quali contrarie loquentur de iis accidentibus, quæ sensibus per se apparent exteriùs.

18 Mihi certum eft, non omnia omnino manere ? nam uniones accidentium per se sensibilium ad fulsilantiam, cibus fint modi effentiales affu in fulsilantia, ijs pendentibus, manere non posfunt. Circa consumens ac edentium productiones, qui dicunt, actiones omnes cibolibus esse unitones communem ad suas fulsilantias, diverse, non manere sed loco illarum actionum succedere alias conservativas transivas. Qui cilliguntur actiones cibolibus ab unionibus dicent manere productionem earidem, nisi veliet productiones esse quoq; rerum durationes ac positiones modus non perdurantes sed fulsilantiæas, & fluxibiles: de qua *sec. fey.* Pro nunc convenimus, quòd in Eucharistica actione consumentibus actiones, quibus conservatur, sive fine eadem, sive diverse numero, aut specie ab actionibus, quibus in suo subjecto antea conservabantur.

19 Circa qualitatem illam occultam radicem temperamenti meus sensus eft, esse fictitium: cum quia formæ fulsilantiales per se exigant accidentia fua temperamentaria quin ad id exigendum requiratur occulta

qualitas: sicque id illam exigendam concedi posset non tria sola qualitas, & sic in infinitum. Quodli permittantur gaudmodi accidentiæ qualitates, dicendum videtur de illis quod de aliis accidentibus non per se existentibus certatum.

Suar. Vasq. Bern.

20 De ijs autem communior sententia sit, manere in Eucharistia cum Suar. & Vasq. contra P. Bernh. Eaillimo tamen cum Suar. contra Vasquez & Lugoni puto esse certum ob rationem datam num. 17. per quam reponitur satis ad fundamentum P. Vasquez.

21 Major est difficultas de Quantitate. Communis sententia cui sugui restet quantitatem ab omni substantia; & ita, in Sacramento, deficiente substantia, manere cum ijs accidentibus quantitates panis, & vini cum manere videtur eandem extendendi, & mensurandi per se actum.

Nomin. 22 Ita dicimus Nominales identificant quantitatem cum substantia materiæ primæ, & cum quolibet ente materiali, sive substantiali, sive accidentali: & consequenter dicunt in Sacramento, cessantibus quantitatibus manifestis cum substantijs panis, & vini, manere quantitates identificatas cum accidentibus materialibus ibi manentibus: & per has quantitates accidentales salvare extensionem, & mensuram.

23 Placuit mihi in Philosophia cum alijs doctissimis Interioribus quantitatem cum ipsa materia prima de qua ratione ita ut effectaces, & expeditas ibi dedi. Quia nempe effectus formales, seu concepus essentiales, & constitutivus quantitatis non eli formaliter existentes extra, in puncto, & in toto corpore Christi, posito inexistisse cum tota tua quantitate in Sacramento: nec eli actualis impenetrabilis, ut patet in eodem corpore Christi, cum patres quantitatem inexistere in Sacramento comperiantur sunt: sed eli impenetrabilitas localis, hoc eli, repugnantia naturalis actualis penetrationis, seu exigentia extensa existendi, ex qualibet parte, seu punctum essiens a parte rei debeat alis extra locum alterius secundum naturæ jura. Hic autem concepus essentialis effectualisime materiæ primæ, ex quo quod ut alterius communiter, exigit quantitatem ut proprietatem sibi necessariam: pars ex opio exigit extensionem & expansionem ex quam dicunt dari quantitatem: ergo ex opio concepus materiæ prima concepitur ipse formaliter effentialis una quantitatis: sequendo finitia ad id pertinet residentialis quantitas, cum suis in ipsa substantia materia prima.

24 Juxta hanc ego mentem dicendum eli, in Eucharistia non relidere quantitates panis, & vinigua tales quantitates, cum non sine accidentia, sed ipsamet substantiæ panis, ac vini; venire nequeunt nomine accidentium, sed ipsemet panis, ac vini, quæ nata Fidem manent in Eucharistia. Unde in Eucharistia nulla ala quantitas eli, nili quantitas corporis, & sanguinis Christi, identificata cum substantia materiæ primæ Christi. Nec verum eli quod ajunt Nominales, esse ibi quantitates accidentium materialium. Nam accidentia materialia, sicut nec formæ substantiales cum nullo ente nili naturaliter localiter impenetrabilia, ac proinde quantitates non sunt. Hoc ergo speciale quantitatis eli, quod eo ipio quod sit in uno loco, impedat alias eius entitatis existere in eo loco connaturaliter: quod quia materiæ primæ ab intrinseco luis competit, ideo dicimus esse quantitatem. Hæc lumantur ex Philosophia.

25 Objicies, quòd in Eucharistia manet eadem panis, ac vini extensio, ut oculis sentimus; eademque speciem panis, ac vini experientiæ tam inter te, quam cum diligentis Sacerdotis, ut manu tangimus; ergo manent panis, ac vini quantitates. Negatur consequentia: quia formalis extensio, & expenetratio, quamvis sint effectus connaturaliter indueli a quantitate, idéque forte apud multos, præsertim antiquiores, veniant nomine quantitatis; non sunt tamen formales effectus essentiales quantitatis, ut manifeili est ex 23. ied sunt effectus patientiæ, cum eli nonnunquam in loco formaliter conlistentes. Unde cum eli ex divinis ordinationibus effectus reperiri nequeant sine quantitate; fieret quantitas cum fine illis.

26 Objicies aliter cum Delogo *disp. Delog. 10. sect. 1.* inde sequi panis, colorem, sapotem, & odorem, aliaque accidentia esse ibi sine subiecto; quod tamen evitat sententia communior, dicendo, dicta accidentia ibi subsistere panis, manere miraculose quantitatem panis, & in ea subsistam alia accidentia existere multis aliis miraculis. Secundò, quòd li albedo ita, & lapor nullo modo possit informenter, non dicetur ibi album, & lapidum, quamvis dicretur albedo, & lapor. Tertio, quòd, applicato naturaliter igne ad hostiam consecratam, produceretur ibi calor absque ulla subiecto, se proinde per creationem: cum tamen creare omnino lit ibi ma nomine Dei. Quarto, quòd accidentia ibi non ponent corruptio: non enim poterunt expelli a subiecto, siquidem eliam non subsistio. Nectio ergo, aut subiem contium

est, quòd maneat quantitas panis in qua subjectatum.

Conf. 27 Respondent primum frequetam non esse inconvenientem; imò congruentiam è sensu Ecclesiæ communis in Conc. Constantien. Unde illum, quòd negaret, accidentia Eucharistica manere sine subjecto, *S. Thom.* Unde Theologi non vix est cum S. Thom. in Sacramento conservari species sine subjecto: nomine autem speciorum veniunt albedo, color, sapor, odor, & alia hujusmodi. Addit Bernal *disp.31. sect.2.* non ex toti dem illa miracula, adhuc ibi manente quantitate panis: hæc enim non est subjectum extra quantitatem, sed immediatum manentia panis, quæ scilicet per eas disponitur ad formam substantialem: sequendo, destructâ ibi materiâ, quamvis maneret quantitas, maneret quidquid ad qualitates sine illo subjecto, aut migrare debeat: à tuo in non tuum, æquè miraculosè. Quòdquid de hoc sit, me non multum movet illud de pluralitate, aut pauciotate miraculorum: in quo mihi placet sic, qui eum eloquium in Philosophia sensisse, & fuisse vere, quòd tales subjectum immediatum materia prima, docent posse, fuisse falsò, in Theologia, subjectari in quantitate, ut pauciora fint miracula mirabilissima Eucharistiæ. Pauciora fine dubio inveniuntur, si hic contra Philosophiam dicerem, accidentia posse naturaliter esse sine subiecto. Retinere oportet veram Philosophiam, & juxta illam ex hoc miracula plura, vel pauciora, posse ostendi fieri.

28 Secunda sequela in iis etiam veritate concedenda est, si res absurdo, physis & frequentis: quamvis quoad sensus tria præsertim panis color, sapor, & alia, ac & datur physicè, & concretè ejusdem, album, & odoriferum. Quid inde?

Tom.1. disp.2. de Accrib. sect.3. 29 Tertia infigne diffinctione, quam solidè exponit ex S. Thom & aliis Patribus Tertius Theologus ex principiis Philosophiæ probat, accidentia posse, & fungere Philosophicè proxi fectibus inter se independenter à subiecto, sive ex nihilo subiecti, contrapositè ad eductionem; quæ est effectio rei ex subiecto, seu dependenter à subiecto. Creare in primo illo sensu Theologico, & magistrali ita solius Dei est, ut omnino requiratur creatura, quia nequit creatura quidquam effecte ex nihilo, cum effectuliter supponat Deum ex quo omne, in illi explicitum. In hoc autem sensu, qui absolutè esset, non tenet sequela. Creare in secundo sensu Philosophico contrapositè ad eductionem competere potest creaturæ: hic autem sequelam esse absurdam: cum in hoc sensu eadem numero actio posse esse, sive creatio, sive eductio ex inhærente, vel non inhærente subiecto, producti: à subiectum, ignis itaque in præsidio cui crearet calorem in secundo illo sensu, non autem in illo primo, qui solius est Dei.

30 Ad quartum dico, destrui tunc ex accidentia, volente Deo sic celare rantum mysterium, ad præsentiam agentis contrarij, quòd agens deberet introducere juxta notatam ibi quantitatem, & non alia, quia tempore ad subjectum adesset ibi. An autem eiusmodi destructio dicenda sit corruptio, an annihilatio, inest illi vanus. Rem compone, & loquere, ut materiis. Quæstio autem cupio vide Arriaga *disp.3.t. sect.2.* ubi bene tandem declarat, quomodo nolla conservata certam quantitate panis, dicatur à debiti manducari, & trajici ad stomachum, qua ratione ad id fatis est, quòd ea actiones tantùm exercentur circa species ratione proprium præsentiarum impenetrantes, & impertransibiles ex voluntate Dei fit volentis conservare, quæ communiter dictas præsentias ad celandum mysterium.

Arriag.

SECTIO III.

Quomodo accidentia Eucharistica conservantur, & per se existant sine subjecto.

31 PRaterea docet primò, accidentia, dum sunt in subiecto, producti per actionem, quæ est eductio, inhærentiam verò ipsorum produci per alium actionem distinctâ ab eductione. Secundòdum accidentium productionem non connectis eam productione inhærentiæ ipsorum aut hæc deficiente, nequeat illa perstitere. Tertiò in Eucharistia, cum deficiat inhærentia accidentium, ne proinde eius productio, deficere quoque antiquum productionem accidentium, fuæcedente non à fuæque accidentia ibi conservari sine subiecto per actionem effentialiter diversam ab eductione, quà productæ fuerunt, & conservabantur in subiecto. Quarto, præter actionem illam creativam, qua conservantur in Eucharistia accidentia, & modum illum positivum perseitatis productum per aliam actionem, quo reddantur formaliter per se existentia. Ex in hoc postremo conveniunt Vasquez, & Lugo apud Bernal. *Suar.*

Vasq. Lug. Bern.

32 P. Bernal *disp.31.* docet, inhærentiam accidentium, dum erant in subiecto, esse actionem, qua tunc conservabantur indistinctam ab inhærentia, seu unione ipsorum.

Quòd

rum ad subiectum post consecrationem verò conseruari eadem accidentia per aliam actionem per se intrinsecè creativam, quæ est ipsa perenne, seu perseuerantia accidentium, in Eucharistia: quin superadditi necesse sit motum aliquem percutaneum. Sequuntur multi & docti Magistri non diffitigentes in Philosophia unionem formarum ad subiectum esse adductis earumdem.

Lessi. 31 Lessius lib. 3. de Summo Bono, c. 6. nu. 49. convenit cum nostra in eo quod inhærentia accidentium, sive eorum unio ad subiectum, sit distincta realiter ab ipsorum productione. Dicit deinde, factâ consecratione, manere ibi accidentia sine subiecto conseruata per eandem nomore actionem, qua nuper conseruabantur dum erant in subiecto: Subiectali seiungi eorum unione ad subiectum sine nouo alio modo positivo perfectionis succedente. Sequitur Antitus *disput. 23. num. 32* nec differunt Lyncei in Physicis. Eis celebrata placita Doctissimus.

Amic. Lync.

34 Conuenit in primis cum Suar. & Lessio contra Bernal, & alios, in eo quòd inhærentia accidentium, siuè unquæ formæ sunt, utpote realiter identificata cum unione ad subiectum, sit modus unionis realiter distinctus à productione accidentium. Hoc ipsum insigniter *disput. 6. de Incarnat. sect. 6.* ex dictis, & probatis uberiùs in Philosophia.

disp. de Incarn.

35 Iudico deinde, hos productionis, & inhærentiæ aut unionis modos non esse omnino à parte inadæquatos. Non enim video ex quapiam ipsorum distinctione, nequeat manere modus productionis, quo forma ponitur in rerum natura, destructo, seu non posito modo unionis, seu inhærentiæ, quo forma ponitur in subiecto: cùm nequeat inmere modus idem unionis, sine inhærentiæ, non manente eodem productionis modo. Hæc modi enim mutua differentia tantæ est ex communi sententia ligentur, ut nec de pondere. Bernal *num. 22.*

Bern.

36 Patrem, ut rotum, quod semio aperiam, atque cum Ipsemissimo Lessio, accidentia Eucharistica, perenne unionem qua nunc inhærentiam subiectibilem, manere sine subiecto conseruata per eandem actionem, qua antea conseruabantur, *aut qua conseruantur*, cæ unione non percunte: quin opus sit nouo alio modo, superadito perfectibilitate. Dixi, *aut qua conseruantur*: quia si productio, & conseruatio, ut autumo, est ipsa rerum duratio; cum duratio rerum creatarum non una perseveret, nisi per unam influxum, fit nec rerum productio nec productæ ex hoc capite non manet, ut olim dicebam cum Lessio eadem manere actio conseruativa accidentium sine subiecto, quæ erat antea; sed succedit alia eadem in specie, quæ eisdem succedentes per manentem in subiecta. Quod in substantia non variat sententiam Lessij.

Lessi.

37 Prior nobis dicit pars probantur que ex productio cum non sit unio sui terminij ad subiectum, non est modus per se affixus subiecto, sed agens, & termino productor ergo ex destructione subiecti, & unionis sui termini ad subiectum non est destructa. Probatur ex productio à calefaciente ad talem terminum ac proinde existens, quæ conseruare accidentia illa, dum essent in subiecto, ex eodem, dum sint sine subiecto, unico influxum influxum exhibente in illam actionem. Sic dicitur sati communiter, materiam primam, non potuisse conseruari naturaliter sine forma, conseruata, posse diuinitus sine forma per eandem actionem, qua conseruaretur cum forma.

Amic. Lync.

Sect. Bellarm. 6. fol. 2.

38 Pollerior dicti pars, quam tenent etiam Scotus, Bellarminus, Albertinus, & Mastinon apud Bernal cit. & Henum *disp. 6. fol. 2.* Itemque Gaspar Hurt. Herize, Aluarez apud Tellez in Metaph. *disp. 15. sect. 3.* probatur. Nam eo ipso, quod dicitur *Bern.* unio, qua accidentia inhærent subiecto, & *Hen.* accidentia manent; iam manent sine subiecto, & terra subiecto, & non igitur ad id *Herize.* non est nouo modo superaddito perfectibilitatis. Sicut, ut materia sit sine forma, sufficit manere, destructâ formâ, quia ad id præcisè ab ipsa modo Tellez in Metaph. *disp. 15. sect.* 3. probatur. Nam eo ipso, quod dicitur *Bern.* unio, qua accidentia inhærent subiecto, & *Hen.* accidentia manent; iam manent sine subiecto, & terra subiecto, & non igitur ad id *Herize.* non est nouo modo superaddito perfectibilitatis. Sicut, ut materia sit sine forma, sufficit manere, destructâ formâ, quia ad id præcisè ab ipsa modo *Tellez.*

disp. de Incarn.

39 Hæ Lessij doctrinæ, quibus adhæsit *Bernal.* plurimum in Physicis, impugnatur eleuo- *Bern.* interuio à Bernal, & Henno ex quibus obiicies primo. Actio, quæ conseruat accidentia pauis ante concreationem, erat eductiua actio vera, quæ posset conseruantur eli exercere ergo non tam eadem actio numero, per speciei est effentialiter diuersa. Antea. Negat secundam partem antecedentis Amic. Amicus, dicens esse quoque eductionem, & non continuem, actionem illam, qua accidentia Eucharistica conseruantur sine subiectoquia, inquit, semper est productio accidentium ibi quoque dependentium à subiecto substantiæ, quod est Christus, unio, qua accidentia inhærentiâ, quæ fit unio informativa. Veriùs hoc non cohæret dicendis *sect. 6.* circa unionem accidentium cum Christo.

40 Respondeor ergo aliter, concessio toto antecedente, negando consequentiam. Nam actio eductiva est productio termini inhærentis, creativa vero, illi contrapositi, est productio termini non inhærentis. Quamuis modum autem terminus talis actionis, ut apè accidentis, extra essentialiter habent, sive in-

inhærere, ut autes; sive non inhærere, ut potera; hæc actio eorum productiva extrellentialiter habet, sive esse conclusionem terminis inhærentes, sive non inhærentis & consequenter esse eductionem, vel creationem. Itaque in aliquo esse creativum, vel eductivum non sint differentiæ effentiales entitatis actionis; nec divisio actionis in eductivam, & creativam in hoc fenlu Philosophico est, ut quod illa sit in accidentia: dicit eum divinitus aqua in calidam, & frigidam; aut paries in viliam, & non visam.

42 Objicies secundo. Actio illa prior, quæ erat eductiva effentialiter eft dependentia accidentium à subiecto; creatiua vero eft independentia fui termini à subiecto: ergo in Sacramento deftructiue dependentia accidentium à subiecto, non tempe in non inhærendo ergo necesse eft, deftrui priorem actionem, fuccedente alia specie diuersa, quæ fit independentia à subiecto, & perfectiuentia accidentium. Respondetur negando maiorem. Nec enim actio eductiua eft formalis dependentia, nec creativa eft formalis independentia fui termini à subiecto: sed utraque eft formalis dependentia fui termini ab agente: illa quidem, termini dependentia à subiecto non quidem dependentia per ipfam; fed per aliquem, per quam terminus inhæret fubiecto & ab illo non inhærendo inhærenda per naturalem actio denominatur eductiua: illa vero, terminii non dependentia à subiecto, à qua independentia denominatur creativa. Itaque, quamvis in Euchariftia deftruatur dependentia formalis accidentium à subiecto, non propterea perit actio conservativa accidentium, utpote diftincta, & incontexa cum ea dependentia, quamvis eo ipfo amittere neceffe fit denominationem eductionis includentem, pereat effectionem terminii eductio, formalem eius inhærentiam, feu animem ad subiectum, fine quo naturaliter effe non poffit.

42 Objicies tertiò. Actio illa prior productiva accidentium ante confecrationem, vel eft effentialiter pendens à subiecto accidentium; vel non. Si primum; ergo deftructo fubiecto accidentium in confecratione, illatio eft eo ipfo neceffe eft. Si fecundum; ergo illa non faciebat antea terminum fuum dependentem à subiecto: ergo nec eductiuus ergo neque nunc erat eductio. Respondetur: illam actionem non effe per fe effentialiter dependentem à subiecto fui termini, fed ad fummum mediate, & extrellentialiter; quatenus eius terminus, nempe accidentia, cui ipfa effentialiter adhæret, dependent à subiecto: undefiçut in Euchariftia manet eius terminus, nempe accidentia, abiq; formali dependentia à subiecto, fic etiam manet eorum actio productiva, feu conservativa, nifi abilet eiusmodi ratio formalis durationis. Ad fubfiftionem ex hac poftetiori parte dilemmatis, dillingue primum consequens: illa actio non faciebat fuum terminum dependentem per ipfam à subiecto, concedo; dependentem à subiecto formaliter per inmanens ad subiectum, nego. Sic ergo faciebat subiectum, & erat actio: non per ipfam formaliter; fed extrellentialiter denominatiue ab unitiue fui termini. Tunc inhærentia subiecto deftructa, deftruitur actio eductiua, quando per conlecrationem deftructo subiecto, terminus eius actionis, nempe accidentia, deffinit inhærere subiecto. Unde patet ad reliquas conlequentias à quibus facilè poteft applicari eadem diffinctio.

43 Objicies quarto. Illa prior actio erat naturalis; quæ verò conlervat accidentia deftructo fubiecto eft fupernaturalis, & miraculosa: ergo funt actiones effentialiter ipecie diverlæ. Respondetur, negando conlequentiam: Nam actio conservans accidentia Euchariftica fine fubiecto eft naturalis, & fupernaturalis extrinfecè, & quoad modum; non intrinfecè, & quo ad fubftantiam, ut egregiè docet *Tom. 1. Disp. 18. n. 97.* ex Heriæ, & Quiròs. Hoc autem non *dilp. 18. fec. 9.* obfupernaturalitatis Philolophicæ, & quoad *Herrer. modum, potelt res eadem, quæ naturalis Quiroz.* eft, effe fupernaturalis, & miraculosa, in circumftantiis, fi nempe inftarus ipfe, qui præfertur a Deo in effectu connaturaliter ad exigentiam dispolitionum, feu circumftantiarum, præfertur citra, feu contra earum exigentiam: eo enim ipfo præfertur miraculole, quia ad hoc requiritur maior virtus activa, nec actio fortior; fed Dei conlequentis voluntas, ut hic, & nunc præfertur, aut contra exigentiam naturæ excreatæ illa ipfa virtus activa eo ipfo influxa, vàve actione; quæ in alijs circumftantijs id exigentibus naturalis effet, ac minimè miraculosa. Sic effet miraculosa reluirrectio per eandem unionem animæ, & corporis eodem inftanti reproductivæ & conservativa materiæ primæ: fic forma per naturalem actionem, fimilem actionem, qua cum forma conservabatur.

44 Urgebis. Si actio illa conservans in Sacramento accidentia eft eadem numero, vel specie, ac erat antea, non requiretur in causa maiorem virtutem, ac antea. Ex quo fequuntur duo. Primum, quòd idem ignis miraculus, & cum concurfu fimultaneo generali conservaret accidentia fine fubiecto. Se-

cun-

cundum, quòd eâm actio conferens accidentia ita creata, non requirerent instar, aut fulcire vi activa ad eruendum, quam ad educendum. Quamvis igitur, qui naturaliter, & ut causa principalis, producit calorem in lubricis proximis, producatur extra subiectum, subiectumque, quod postea ipsis principiet exercendæ actiones de hoc loquuntur Hostia consecrata calefacit ab igne, vel insrigidatur ab aere vicino. Hæc autem abiicienda abhorrent ab naturalibus dictatis, ideò

Mart. Suar. Dux attributæ prærogativam creandi, ut docet monstrat Martinus *tom. 1. disp. 32. sect. 3.* & eamdē hanc *disput. 22. Metaph. sect. 4.*

Lef. 47 Totam hanc vim obiicerat sibi ipse quidam Lessius *1. num. 32.* & eo lubrior doctrinam ita propugnantes, ut mutatis principiis Martinianis in proclivi, non immutare prudulii existimem, qui improbabiliter vocat improbabilem opinionem tanti Theologi, simul & præstantissimi Philosophi, & quo sitio.

46 Reſpondetur eum diffinditione minimè præterendā; non requiritet in causa naturem creaturæ actionem pro influxu positivo talis actionis, concedo; pro emotionem creationis illi actioni positivæ extra essentialiter superexistere, nego: ad hanc enim denominationem patet virtutem ad ponendum talem actionem positivè concreatam accidentium, requiritur virtus primâ accidentium ita subiectaque virtus non lubrica, quamvis talis ita natus, prædictus circa talium quam cumulem tunc exercet in circumstantiis, in quibus non debetur ipsi concursus simultaneus, & quasi modum superexistaret, afferente Deo ultra debitum, & exigentium connaturalem, concursum unum igni ad producendum calorem, similique dubitante dubitatum, in quo debuerit recipi calor ille, nisi intercurrente miraculum. Unde eſt, quòd non nisi miraculosè dicitur calor creari, quāvis per virtutem activam, & actionem igni non tam interne, nec formentem entitative in ordine ad calorem.

47 Hinc prima ſequela negatiua eſt. Nam, ut illa talis actio conferens accidentis fit creata, dicit, & poſitivum influxum actionis in accidentia, & sim privativum lubricis accidentium; hoc autem totum non fit naturaliter, nec per concursum simultaneum generalem, & ordinarium, sed miraculosè, & in illis circumſtantiis ſupernaturaliter quasi modum tantum tamen proinde existat in naturalibus suis essentiæ virtutis, & actionis productivæ, seu conservativæ, seu alterius, & alio ter denominatā extraeſſentialiter. Atque ſine eſt causa, quòd cumulus Deo tunc exhibitus, quem ad producendum accidentia quamvis instinctè ita idem, non ſit generalis, & ordinarius, sed extraordinarius, ſpecialis, & miraculosus, ut puta in illis circumſtantiis dictus. Et cumulus ingra debitum, & exigentiam naturæ, modo extraordinario, & miraculoſe.

48 Ad ſecundum ſequelam, meminiſſe quod ex dictis ſupra de creatione *tom. 2.* diſtinximus *num. 29.* ex dictis ſuprà *diſp. 8. de actione ſect. 2.* prout ſatis etiam colligitur ex *S. Thom. num. 3.* & Molina *1. part. quæſt. 8. artic. 1. diſput.* Quamvis dum in illis actio in tam Theologice, & dogmatice, in quo recte prædicta ſententia P. Martini negatur ſequela; ſit tamen id creandum nihil eſt ritus ad ſimpliciter infinita loli. Deo competens, & omni omnino creaturæ repugnantium ſibi monſtravi. Loquendo autem prout in practica, de creatione Philoſophica eſt ſumpta contrapoſitā eduſtioni, non implicat creaturam creare, imò de facto igni producit calorem in Hoſtia per actionem creaturam, de quā Lyncæus *1. Phyſ. dell. c. 2. q. 10.* citans Durandum, & Molinam.

49 In hac igitur tota Philoſophica, concedo ſequelam, quod naturem actionem practicè, quia in tempo de veritas eſt, ſed minus *num. 40.* quod ad creandum etiam in hac tenui Philoſophica, requiritur virtus miraculoſa, parvum terminum ſit creatum ſub Deo, cui igni virtus non debetur ingenita naturalis. Ideoque abſolutè veram non eſt, quòd non requiratur maior virtus ad creandum, quàm ad educendum. Similiter, nec eſt verum abſolutè, quod ignis naturaliter, & ut cauſa principalis producetur calorem extra ſubiectum: quia quod calor ſit extra lubricum non ſit naturaliter, ſed miraculoſe, non ex virtute activa ignis; ſed ex virtute activa ignis in calorem, & ex virtutis privativa Dei privantis calorem ſubiecto ſuo, & in illis circumſtantiis concurrentis ex igne ad creandum calorem, præter debitum, & exigentiam naturæ; idcòque principaliter, & ut cauſa ſpecialis.

50 Tandem ſubſequela falſa eſt: cum perfectum ſit ens ex dictis, nec poſſe ignem principaliter creare: nec id evenire de facto, quando calefit Hoſtia ab igne vicino. Nam calor ille producitur ab igne extra ſubiectū, quo private calorem non poſſet ignis, non ſic producitur ab igne naturaliter, ſed miraculoſe, Deo ſpecialiter, & principaliter operante quin propterea non ignis, virtutem actio ſortitur, imò nec diverſa, quia

Lyncæus. Durandus. & alii.

ejus

ratur. In quibus nihil est abhorrium ; tenuit Martinonium bene contra huc applicatis illis Sanctorũ Patrum, loquentiũ de creatione in finis Theologico, & dogmatico in quo creare repugnat prorsus omnis creatura, ut supra *locat. de Attributis.*

SECTIO IIII.

Quomodo accidentia Eucharistica uniantur cum subſtantia Christi.

Suar. 51 P. Suarez hic *disp. 47. sec. 3.* docet, accidentia unit, ac perdere à subſtantia Christi per actionem mutuam Christi conſervantis accidentia effectivè extra ſubſtantiam ; & accidentium productorum Christi præſentiam in ipſorum ſpatio, ſicque attribuentium ad ſe ſubſtantiam Christi, hic etiam Deluge *disp. 6. ſect. 2.* non latens tomen illam efficientem vocare unionem ; addendique eam attractionem fieri ab accidentibus per qualitatē divinitū illis infuſam. Hoc additamentum duplicem valde Diceaſtus. Dicaſtillo, quaſi inutiliter fingatur quidem illis attractio, ſed facto, dato quod effet poſſibilis. Tenuit id haſ tenpſit Arriaga *disp. 53. a ſec. 4.* Unum ſuppono videtur præſtecta ſententia mihi prorſus falſum : quod ſcilicet in re quacumque detur actiua virtus obediendialis, quæ ſimiliter effectum ſuum quod refpicit in Phyſica, & ſæpe aliàs cum P. Vaſq. Vaſq. Bern. 52 P. Bernal *diſp. 54.* multis impugnatis præſertim tenentibus, tam tradit, mutuā Modernis appetimē doctis pergetam, inquiens ; ſubſtantiam Chriſti in Euchariſtia produci, ſeu reproduci per actionem, quæ ſimul eſt mera phyſica Chriſti cum accidentibus. Quemadmodum *diſp. 12. de Incarn.* docuerat, productionem humanitatis Chriſti eſſe ſimul unionem humanitatis cum Verbo : ſeu in Phyſica eſſiones eſſubtiua eſſe ſimul unionem formarum cum materia. Hæ doctrinæ, quarum memini *diſp. 1. de Incarn. ſec. 6.* ibi, & ſæpius dimiſi : non qui rem dicant in omnibus impoſſibilem ; ſed quia nullibi neceſſarias, aut in Theologia, aut in Philoſophia, aut redè expendit Henius *diſp. 8. ſec. 3.* diſſolvens etiam ſpeciale Bernalis argumentum ex ratione ſacrificij ſibranda in confeſſione huius Sacramenti, de quo nos *diſp. 16.* Incidit præterea hæc ſententia in difficultates ſequentes, cum qua convenit in conſtituendi, extra unionē phyſicā inter ſubſtantiam Chriſti & accidentia Sacramentalia, *Suar. Lug. Arriag. Suara diſp. 6. ſect. 2. Hen. Iuſta diſp. 16. Dicaſt.* 53 P.D. Dicaſtillus *diſput. 5. dub. 18.* Amic *diſp. 29.* Monteus *diſp. 22. part. 2.* Albertinus ſubiuſque graves Theologi animaduerunt quinque phyſicam unionem ſubſtantiæ Chriſti cum accidentibus panis ; & vini ; non tantum cuius effectiuam, ut vult Suarez ; ſed effectiuam, aut reproductiuam Chriſti : vide Bernal, ſed diſtinctam ab ijs productionibus eum eo tamen diſtincte, quod Dicaſtillus, Monteus, & Albertinus eam ponunt ſubſtantiā in Chriſto, & terminatam ad accidentia ; Amicus vero ſubſtantiam in accidentibus, & terminatam ad Chriſtum. Illud omnino reſpuendum, quod attentauit Alonus apud Henanum, eam unionem vocari quaſi Hypoſtatica. Quomodocunque prædicta unio phyſica exiſtetur, & applicetur, rejicitur meritò ab Henno, Primumquia non neceſſaria ſubeundō, quia abſurdas nimiabilibus tali unione phyſica intrinſecā, non eſſent accidentia Euchariſtica ſine ſubiecto, ut videtur ab Eccleſia ſupponi. Deinde, Caluo, albedo, hæc, aliaque panis accidentia uniuntur phyſicè intrinſecè corpori Chriſti, non eſt cur ab illo diſtinxit à proprio Chriſti albedine, colore & luce, non redderetur phyſicè colorata, album, & lucidum, ac ingebimus *ſec. 8.* non corpus Chriſti ſecundum ſe caput eſt humanoidi denominationem : ne cauſam ſe formaliter reperiatur, nihil aliud requiritur ad hoc, ut in formam intrinſecè unitum ſubiecto capaci. Quoſſi ſtatus gloriæ impaſſibilitatis obſtat, quominus Chriſti humanitas, ſeu Chriſti, ſhoc idem dicam obſtare, quominus ſit phyſicè intrinſecè unitur accidentibus panis. Ex ſalem id non obſtaret in vita mortali Chriſti. *Amic. Mont. ſeſſuar. Hena. Dicaſt. Arriag. Vaſq. Fabri*

54 Quæ propter probabilior eſt mihi ſententia Scoti, & Nominalium aſſerentium, inter ſubſtantiam Chriſti, & accidentia Euchariſtica non dari phyſicam unionem, ſed moralem. Sic etiam è noſtris Conine *quæſt. 73. art. 4. dub. 2.* Martinon *diſp 32. num. 21.* Fabri *in ſum. tract. 8. cap 2.* & Arriaga cit. Ratio : quia unio dicitur moralis eorum, quæ primis inconvenientia, quæ ſupradicte unionis phyſicæ incurrunt. Deinde commodè, & expediè præſtat ea omnia minuta, quæ ſalvari oportet ad veritatem Sacramenti, cum aliquin deceniſſimus fit, nec leuibus nitatur fundamentis, ſicut phyſici prædictarum unionum modi, præſertim is eſt. Hæ verò ſtatur in ſecunda antecedenti parte ; quam ſi probatus, præualet alijs ab dubio ſententia illud qua aliena non eſt mens Patris Suarez. *Scot. Nomil Conine Martin. Arriag. Fabri*

55 Quocirca quotuot veniunt conſide-

randa munera; propter quæ ponitur hæc unio. Primum, ut ex accidentibus, & ex subſtantia Chriſti fiat unum Sacramentum. Secundum, ut ſuper accidentia illa dici vere poſſit, *hoc eſt corpus meum*. Tertium, ut corpus Chriſti, & accidentia panis, durante conſecratione, ſint localiter inſeparabilia, fateor, ut quiſcentibus accidentibus, quietent, ſtique localiter moti, moveatur corpus Chriſti. Quartum, ut illis manentibus in rerum natura, maneat ſub illis corpus Chriſti, ſtique prorſus non deſinat eſſe ibi. Atqui quatuor hæc munera habentur & intelliguntur commodiſſime per unionem ſolum moralem accidentium cum Chriſto: ergo. Minor hæc probatur per partes.

56 Atque in primis quod ad primum munus Nomiſtæ ſibi unum conſtituti ex accidentibus panis, & corpore Chriſti, ſufficit, quod ſit unum ſimiliter moraliter: ſicut in aliis Sacramentis ex variis materiæ & formæ, non phyſice, ſed tantùm moraliter compoſitis, conſtituitur in omnium ſententia unum Sacramentum ut patet dicentendo per ſingula. Quid eſt ergo, quòd non coget ad minus hoc phyſicam moralem Sacramenti Euchariſtiæ? Ad hæc autem ſufficit moralis unio, ſin conſiderabile accidentium ſacramentalium cum ſubſtantia Chriſti.

57 Deinde quoad ſecundum, probatur. Nam, ut verè dicatur ſuper accidentia panis, *hoc eſt corpus meum*, ſufficit, quòd ſubſtantia corporis Chriſti vice ſubſtantiæ panis ſubſit ſenſibiliter illis accidentibus: ad hoc, aut ſufficit unio moralis, aut non probatur ab phyſica: ergo moralis tantùm aſſerenda eſt. Minor probatur: quia nec ea phyſicis unio eſſet per ſe ſenſibilis nec accidentia per eam magis, quàm ſint ea ſuperius Chriſtum imò panem, niſi ratione verbotti, quibus adhibitis, ſignatur ibi corpus Chriſti, ſive unitus, ſive non unitus phyſicè accidentibus nec per eam unionem phyſicam ſuppleret omnino Chriſtus vices ſubſtantiæ panis, cùm nec accidentia panis inhærent Chriſto, nec illum denominent album, & rubrum, ut denominabant album, & calidum panem. Satis igitur eſt, quòd Chriſtus ſupplet vices panis quoad conſervationem, & ſuſtentationem illorum accidentium intuitu Chriſti ibi latentis, qui intuitu ſubſtantiæ panis antea conſervabantur. Ad hoc autem ſufficit influxus, & unio moralis Chriſti ad accidentia, conſervante ſolicet Deo illa ibi ſubſiſtentia intuitu Chriſti ibidem præſentis: ſic enim dicitur ſufficienter Chriſtus accidentia ſuſtentare, ut loquuntur Sancti Patres: quemadmodum corpus Chriſti, & ſpecies ſacramentales dicuntur *ſenſare* gratiam, quamvis iuxta veram, & communiorem ſententiam non phyſicè, ſed moraliter illam cauſent, ut ſole Sacramenti in genere videre eſt apud Bernal *diſput. 28.* n. 10. Unde eſt, quòd per ea accidentia, ſic ſibi quaſi appropriata, Chriſtus ea dicto modo ſuſtentans demonſtrari valeat per verba: *hoc eſt corpus meum*, ſtique hæc ſecundum munus ſufficiat unio moralis ſubſtantiæ corporis Chriſti cum accidentibus panis. *Bern.*

58 Demum quoad tertium, & quartum munus probatur planius. Nam ad utrumque ſufficit, aut volentes Dei volentis conſervari ſibi ſubſtantiam Chriſti dum conſervantur talia accidentia, & ubicumque talia accidentia collocentur: aut ex ipſorum moraliter perſeverantium veritate, requirentium, nunquam, & nullibi poſſe conſervationem reperiri talis accidentia, quia ſub illis repertatur corpus Chriſti: ſic enim neceſſe erit, quòd manentibus talibus accidentibus, aut loco motis; manerat, aut loco moveatur corpus Chriſti: ſicque neque ad id materia neceſſaria eſt unio phyſica intrinſeca, cùm ſatis ſuperque ſit moralis.

59 Dicet ex Deluga, Si Angelus conſervet localiter penetrativè eam accidentibus panis cum voluntate efficaci non recedendi, haberet omnimodè eorum eum illis, quamlem non admittimus Chriſti cum accidentibus, quin tamen ſubſtaret, ut dictum eſt: ergo ex ſententia Deluga, & Nominaliſtarum ſic accidentibus vere dicetur: *Hic eſt Angelus*: ergo neque ſufficiet exiſtendi moralis unio ad Euchariſtiæ Myſterium, in quo, demonſtrato accidentium panis, vere dicit Chriſtus: *Hoc eſt corpus meum*. Reſpondetur, nec Patri Bernal admittenti unionem phyſicam ſpecialis Chriſti influxum cum quo propterea negandi eſt, conceſſo antecedente. Nam ex ſola illa extrinſeca inſeparabilitate angeli non fieret unum, ſtique per illum unum Chriſtus ipſum corpus, & accidentibus panis ſit unus cibus ſpiritualis ſpiritualiter refectiens animum cauſando inviſibiliter gratiam nutritivam: unde eſt quòd panis accidentia ex Chriſti influxu non ſupplacito affecta verborum ſignificatione, ſunt inſtituta in ſignum corporis Chriſti, non vero ſic in ſignum Angeli: utcumque ibi latentis: & quòd potius intuitu corporis Chriſti, quàm intuitu Angeli ibi latentis dicantur à Deo conſervari: ideòque corpus Chriſti, potius quàm Angelus, dicitur ſubſtare illis accidentibus, ſibi ob rationem dictas appropriatis; & demonſtratis illis accidentibus, dicitur verè: *hoc eſt corpus meum*: & non ita eodem tenus: *Hic eſt Angelus*: de quo *Log.*

Arriag. quo fusiùs Arriaga citat. contra Lugum, & alios.

60 Hinc dicerem, stante prædictâ Nominalium sententiâ de unione dumtaxat morali, eiusmodi unionem accidentium panis, & vini cum substantijs corporis, & sanguinis Christi, esse verba ipsa consecratoria respectivè moraliter perseverantia quoad munus, & effectum formalem uniendi accidentia cum Christo, sicut quoad munus reddendi corpus, & sanguinem Christi ibi sensibilem, ut diximus *disp.1.sect 2.* Itaque duplici titulo intrant verba essentiam Sacramenti: nimirum titulo formæ constituentis illud in ratione sensibilis, ut ibi adstruximus; & titulo unionis moralis accidentium cum substantia Christi in unum Sacramentum. Sicut ergo prius illud munus præstant dum durat Sacramentum, perseverando tantùm moraliter; similiter & istud posterius: quatenus eorum veritas stare nequit, nisi quod subsistat talibus accidentibus super quæ proferuntur, sit corpus, aut sanguis Christi, dum perseverant eadem accidentia.

Supra disp.2.

61 Nec officit, quòd verba sint causa Christi ibi præsentis. Non enim implicat, quòd efficienter causent, simulque formaliter uniant: sicut nec quod potentia efficienter caulet actum vitalem, eumdemque recipiat, & ab eodem formaliter reddatur vivens.

62 Nec item officit, quód verba significent unionem inter Christum, & accidentia. Non enim inde sequitur, verba debere supponere extrema illa jam præunita: cúm possint significare id quod per ipsa formaliter fit, & in quo verificantur: ut patet cum dico: *ego loquor*: tunc enim simul id facio, & id dico: & tale dictum per id ipsum, quod facit, verificatur. Et quidem illa ipsa verba significant veré corpus Christi ibi præsens, quin supponatur præsens ad verba, sed per ipsa verba caulaliter fiat præsens, ut vidimus ex communi sententia *disp 4.sect.7.*

Supra disp.4.

SECTIO V.

Quomodo accidentia Eucharistica agant, patiantur, aut immutentur, etiam extraordinariè.

63 Circa ea, quæ ordinariè contingunt, dicendum est primó, quòd supposito iam miraculo existentiæ accidentium in Eucharistia sine subiecto, ea debitè applicata naturaliter agunt in corpora vicina, calefaciendo, humectando, &c. Quia non amittunt virtutem suam, & activitatem. Nec propterea inferas: ergo similiter calefacient, & humectabunt corpus Christi applicatissimum. Negatur enim illatio. Quia, vel illud calefaceret calor Eucharisticus per se formaliter; & hoc non; cùm illi physicè non uniatur: vel caulaliter per calorem à se productum in corpore Christi, sicut in alijs corporibus vicinis: & neque hoc: quia corpus Christi cum sit ibi inflatu, & modo impassibili, est incapax huiusmodi impressionum peregrinarum ad instar spiritûs.

64 Dicendum secundò: quando accidentia ibi intenduntur, ut quando calix calefit, & mox se reducit ad pristinam frigiditatem, absque ope etiam extrinseci agentis frigefactivi; tunc intensionem illam non effici à gradibus remissis, qui remanserunt, quia inferioris virtutis sunt; nec à substantia, cuius fuerat proprietas, cúm ibi desit; nec à qualitate occultâ radice temperamenti, cum semper defuerit; sed à Deo miraculosè supplente absentiam substantiæ, cui deberetur ea intensio, ad occultandum Mysterium. Non enim est assignabilis ibi causa secunda connaturalis.

65 Dicendum tertiò: accidentia Eucharistica non patiuntur naturaliter, sed miraculosè. Loquor cum multis de passione impropriè dictâ respectu ipsorum, nempè de diminutione, seu remissione, augmento, seu intensione, corruptione, seu expulsione, aut destructione ipsis proveniente per agentia contraria: nam mutatione, seu passione propriè dictâ, adhuc cúm sunt in subiecto, non dicuntur mutari, aut pati accidentia, sed subjectum. Ratio conclusionis est: quia eiusmodi immutationes fiunt per qualitates cõtrarias introductas: nullum autem est agens naturale potens producere ibi qualitates contrarias; cùm nullum sit potens illa producere extra subiectũ, sed in subiecto, seu in passo, quod intendit assimilare sibi. Tunc igitur producuntur in Sacramento illæ qualitates ab agente naturali; non nãturaliter, sed miraculosè operante cum speciali concursu Dei, ut explicuimus *sect 3.*

66 Dicendum quartò: quando accidentia Eucharistica dictis modis immutantur, vel destruuntur, non id fit formaliter, & physicè à qualitatibus contrarijs ibi productis; sed specialiter à Deo destruente tunc accidentia ad præsentiam qualitatum contrariatum, ut celetur Mysterium, rebus ad sensus nostros evenientibus, ac si ibi esset substantia illorum accidentium. Ratio est: quia formalis oppositio qualitatum per se solùm est respectu subiecti, ut vidimus *disp. 6. à n. 25.* Cúm ergo in Eucharistia, non detur sub-

Supra disp.6. sec.3.

ſubiectum eárum qualitatum, non eſt pro quo pugnent, nec ſunt in caſu oppoſitionis formalis.

67 Similiter diſcurrendum eſt de motu locali: quatenus nec poſſunt accidentia Euchariſtica à nobis localiter moveri per impulſum impreſſum illis naturaliter, ſed miraculosé. Nam impulſus etiam eſt qualitas, quæ naturaliter cauſari nequit extra ſubiectum. Moventur igitur ſpecialiter à Deo ad præſentiam agentis naturalis impulſivi, ut celetur Myſterium.

Supra diſp. 6. 68 Circa immutationes extraordinarias, ut cum Hoſtia viſa eſt converti in ſanguinem, carnem lapidem, &c. dixi nonnulla *diſp 6. ſect 10.* ex multis, quæ legi oportebit apud *Suar.* hic *diſp. 55.* Poſſunt evenire dupliciter. Primò apparenter, factâ dumtaxat immutatione in noſtris ſenſibus, aut in medio: & tales præſumuntur, quando aut breviſſimè durant, aut non cunctis adſtantibus apparent. Secundò realiter, factâ immutatione in ipſis accidentibus.

Suar. 69 Si priori modo eveniant, notat Suarez, non propterea putandum eſſe, homines ſic videntes decipi à Deo. Quamvis enim ibi appareat in ſua figura Puer, caro, vel cruor effluens; non id eſt, ut indicetur, Chriſtum ibi eſſe circumſcriptivé, aut in realitate Pueri, aut ſanguinem Chriſti ibi cruentè fluere; ſed, ut ea Chriſti myſteria alioquin exercita repreſententur. Quod ſi quis aliter indicaret, falleretur: non à Deo, ſed ab ſpiritu proprio, vel diabolico. Docet deinde, quòd quando eo modo fiunt dictæ apparitiones, non propterea pereunt, nec immutantur in re ſpecies ſacramentales.

Suar. 70 Si verò eveniant modo poſteriori, ait primó, quód neque propterea eſt ibi, aut ſignificatur à Deo eſſe caro aut ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus modo illo circumſcriptivè extenſo. Secundò, quod neque propterea Chriſtus deſinit eſſe ibi realiter præſens, niſi tanta foret realis ſpecierum immutatio, ut iam non retinerent temperamentum ex ſe ſufficiens, ut ibi conſervarentur ſubſtantiæ panis, aut vini, ſi ibi manſiſſent. Tertiò, quod in aliquibus ex ijs apparitionibus diutiús durantibus, Chriſtus deſinit tandem eſſe realiter ibi: quia non tamdiu permanet temperamentum accidentale panis, aut vini. Quartó, quód ſpecies illæ Euchariſticæ ſic immutatæ ſumendæ non ſunt; ſed decenter reſervandæ, niſi fortè redeant ad ſtatum priſtinum.

71 Unde, ſi factâ à celebrante utrâque conſecratione, contingant in Hoſtia prædictæ immutationes extraordinariæ, aiunt aliqui, debere aliam hoſtiam conſecrari, ut compleatur ſacrificium per utriuſque ſpeciei ſumptionem. Sicque ſentit noviter *Baſſus tom. 2. ver. Materia, §. 38.* addens §. 37. & aliud etiam vinum in ſimilibus caſibus conſecrandum, ut ſervetur ordo conſecrationis corporis ante ſanguinem. Alij verò id negant: quia, inquiunt conſecratio ſecundæ Hoſtiæ jam non pertineret ad idem ſacrificium: cùm perfecta iam primò fuerit tota conſecratio, in qua ſtat ratio ſacrificij, ſumptio verò ſit extra eſſentiam. Si autem dicatur eſſe quoque ſumptio de eſſentia ſacrificij, fiet quòd prior conſecratio Hoſtiæ non fuerit ſacrificium, niſi incompletum, & ex conſecrationibus calicis; & ſecundæ Hoſtiæ earumque ſumptionibus fieret unum ſacrificium completum, manente conſecratione primæ Hoſtiæ in ratione ſacrificij incompleti. Priori ſententiæ faveat Rubricæ Miſſalis. *Baſſus* *Rubr.*

SECTIO VI.

Qualis immutatio, ſeu deſtructio accidentium requiratur, & ſufficiat, ad deſitionem præſentiæ Chriſti ſub illis.

72 NOn ſufficit quælibet: quia non ſufficeret quælibet ad deſitionem ſubſtantiæ panis, aut vini, ſi illis accidentibus ſubeſſent: cùm videamus, manente ſubſtantiâ panis, aut vini, intendi, & remitti ſæpè colorem, calorem, aut ſimiles qualitates. Illa ergo immutatio, ſeu deſtructio accidentium ſufficiet, ut deſinat ſub illis eſſe Chriſtus, quæ ſufficeret, ut deſineret eſſe ſubſtantia panis, aut vini.

73 Quocirca tres circumferuntur Hæreticorum errores. Primus, Chriſtum deſinere eſſe ſub ſpeciebus, accedente indigno ad eas ſumendas. Secundus, deſinere eo ipſo quod ſpecies cadant in lutum, aut quid ſimile. Tertius, deſinere ſtatimatque ſpecies ſumuntur, quamvis non ſtatim corrumpantur. His tamen ad Controverſiſtas remiſſis, difficultas nobis eſt de ea deſtructione ſpecierũ, quæ ſufficit ad deſitionem præſentiæ Chriſti, & ſufficeret ad deſitionem ſubſtantiæ panis, aut vini.

74 S. Thom. *quæſt. 77. art. 8.* docet, Chriſtum deſinere ibi eſſe, ſi ſpecies conſecratæ vini miſceantur cum alio liquore, ſive eiuſdem, ſive diverſæ ſpeciei, ſi tantus ſit, ut ſpecies conſecratæ mixtæ cum illo dividantur per omnes earum partes; ſi verò non ſit tantus, Chriſtum deſinere eſſe ſub illis ſpecierum partibus, quæ minutiſſimè dividuntur, *S. Thom.*

tur, & intermiſcentur; manere tamen in alijs grandioribus. Dat rationem, quia factâ eâ mixtione, non maneret idem individuum vini, quod erat antea: ut autem Chriſtus conſerveturſub ſpeciebus, debent hæ taliter eædem manere, ut eſſent aptæ retinere ſubſtantiam eiuſdem individui vini, quod erat ante conſecrationem; fuit enim conſecratum illud numero vinum. Cæterùm ex hac ratione videtur ſequi, quòd, ſi ſpecies conſecratæ intermiſcerentur cum alijs etiam conſecratis, deſineret eſſe ibi Chriſtus: nam factâ ea intermixtione non eſſent apta continere idem numero vinum. Quapropter hæc doctrina communiter relinquitur, ut videre eſt apud Suar. *diſp.77. ſect.4.* Vaſq. *diſp.195. c.6.* & Henaum *diſp.7. n.76.*

Suar. Vaſq. Henan.

75 P. Valentia, Granadus, Meratius, Sotus, & alij apud Hen. *num.*80. trahentes in ſenſum ſuum S. Thomam, dicunt, factâ ſpecierum conſecratarum mixtione cum alio liquore, recedere Chriſtum, ſi ſpecies conſecratæ diſpertiantur in particulas minutiores minimò naturali requiſito ad retinendam formam vini; non verò, ſi aliter. Contra hoc tamen vidimus *diſp.3. ſect.12. & 13.* ad punctum uſque non dari minimum naturale vini: quod firmari poſſet ab authoritatibus adducendis *num. 77.* indicantibus, manere Chriſtum in prædictis mixturis, quomodocumque in illis fiat particularum intermixtarum diviſio. Quin, & adhuc datâ eâ ſententiâ, non ſequitur Chriſtum non manſurum ſub ſpeciebus, factâ earum mixtione cum alio vino conſecrato: nunquam enim fieret earum diviſio, quin quantulacumque particula ſpecierum continuaretur cum accidentibus vini non conſecrati: ſicque ſemper manet apta retinere ſub ſe ſubſtantiam vini, ſi adeſſet.

Valent. Gran. Merat. Sot.

Supra diſp. 3.

76 Pro reſolutione obſervanda eſt duplex mixtio. Una ſtrictior, quæ eſt mixtilium alteratorum unio: ita ſcilicet alteratorum, ut ipſis ſubſtantialiter corruptis, fiat ex ipſis unum tertium: & ſic mixta naturalia dicuntur communiter eſſe ex elementis non manentibus formaliter ſubſtantialiter in mixtis. De mixtione autem in hoc ſenſu certum eſt, poſt mixtionem ſpecierum conſecratarum cum alio liquore deſinere ibi eſſe Chriſtum: nam hoc eſſet deſtrui ſpecies aduſque ineptitudinem retinendi ſub ſe connaturaliter ſubſtantiam vini. Altera eſt mixtio minùs ſtricta: quâ mixtilia non ita alterata ſolùm intermiſcentur, & coniunctur per interpoſitionem particularum mutuò interciſarum, non omninò amittentium temperamentum accidentale ſuæ ſubſtantiæ. Sic communiter miſcentur liquores ad invicem, ſaltem per breve tempus.

77 De mixtione autem ſpecierum conſecratarum cum alijs liquoribus in iſto ſenſu poſteriori procedit præſens difficultas. In qua communis eſt, & vera ſententia, propter huiuſmodi mixtionem nõ deſinere eſſe Chriſtum ſub illis ſpeciebus conſecratis. Sic colligi videtur ex *c. Cùm Marthæ*; ubi dicitur, quód, ſi vinum non conſecratum miſceatur ſpeciebus conſecratis, manet Chriſtus ſubiſtis. Et ex Ordine Romano antiquitûs jubente, ſpecies conſecratas Calicis miſceri cum vino, ut ex illo mixto Populus poſſet accipere, & ſanctificari: non quia perinde tota illa mixtura fieret conſecrata, ut putarunt aliqui rejecti à S. Bernardo apud Henaum *nu. 70.* rectè reſpondentem ad exempla aquæ benedictæ, & olei ſancti, quibus paritatibus illi fallebantur; ſed quia, factâ illâ mixtione minutatim, manebat Chriſtus ſub quantuliſcumque particulis ſpecierum ante mixtionẽ conſecratarum.

C. cùm Marth. *Ord. Rom.* *Bernar. Hena.*

78 Quid ſi ſpeciebus conſecratis intermiſceatur vinum alterius rationis, cujus fortior activitas deſtruat temperamentum accidentale ſpecierum prioris vini, introductis loco ſpecierum conſecratarum accidentibus fortioris vini non conſecrati? Plerique cum Suarez videntur ſupponere, omnia vina eſſe ſubſtantialiter ejuſdem rationis, ac ſpeciei, ſolumque differre accidentaliter per qualitates: ſicque affirmãt in eo caſu manere Chriſtum ſub illis ſpeciebus. Negant é diverſo alij cum Vaſquez, ſupponentes, illud aliud vinum non conſecratum eſſe diverſæ rationis, ac ſpeciei ſubſtantialiter. Sic etiam Bernal *diſp.31. ſect. 6.* & Henaus *num. 85.* latè id diſputans contra Lugum, & Meratium: in eo mihi minùs placens, quod inconſequenter ait *num. 85.* non manere Chriſtum ſub ſpeciebus vini de novo per activitatem vicinarum ſpecierum productis loco ſpecierum aquæ converſæ immediatè in ſanguinem.

Suar. *Vaſq.* *Bern.* *Hen.* *Lug.* *Merat.*

79 Quamdiu denique durent in ſtomacho ſumentis ſpecies conſecratæ panis, ac vini, ac proinde Sacramentum, & Chriſtus ibi præſens, pendet à varijs circumſtantijs modó ſtomachorum debilium, aut robuſtiorum; modò ſpecierum tenuium, ſive fortiorum.

80 Cardin. Delugo regulariter loquẽdo ex judicio Medicorum, quos pro praxi conſuluit, ait, Hoſtiam laicorum, utpotè minorem, durare quaſi per horæ minutum, quod eſt ſexageſima pars horæ; Hoſtiam verò grandiorem, & Calicem Sacerdotum, per dimidium quadrantis. Conſentit Bern. *n.68.*

Lug. *Bern.*

81 Arriaga *diſp. 39. ſect. 5.* requirit regulariter tempus quo quinquies recitaretur *Pater* & *Ave*. Hæc tamen regula quamvis pro judicio ſpeculativo probari poſſit, pro praxi tamen non ſatis tuta videtur propter ea, quæ ſcribit Tamburinus citandus, ſcrupuloſiùs loquens.

Arriag.

Tambur.

82 Leander ex alijs Medicis apud Henaum *num* 92. requirit in Sacerdote celebrante quaſi unum quadrantem; in alijs verò quaſi quatuor minuta. Secundùm id eſt pro praxi ad caſus occurrentes evomitionis. Granadus requirit aliquanto plus temporis.

Leand. Hen.

Gran.

83 Poſthæc Tamburin. *in Methodo Communionis, c. 3. §. 4.* ait, licitum eſſe ei, qui animadvertit cum ſpeciebus ſumpſiſſe venenum, ſtatim provocare ſe ad vomitum. Idemque ait, ſi ex alia cauſa neceſſarius eſſet tunc vomitus ad evadendum periculum mortis, aut gravis morbi. Vomitus tamen ille religioſè excipiendus, & aſſervandus eſſet, uſque ad conſumptionem ſpecierum. Biſſus *verb. Euchariſtia n. 177.*

Tambur.

Hen.

84 Sunt tandem apud Henaum, qui damnent peccati ſaltem venialis eos, qui ſine cauſa comedunt, vel expuunt ſtatimatque communicatunt. Sunt alij, qui id à peccato excuſent: quia per ſe loquendo nullum eſt periculum extrahendi cum ſputo ſpecies ab ſtomacho. Conſilium tamen eſt religionis causâ pauliſper abſtinere, præſertim ſi non eſt ſubſumpta ablutio aliqua: hæc verò ſubſumptâ unâ, vel duplici, ut in Miſſa, non eſt ita reformidandum, cùm ſatis cautum ſit, ne quidquam ſpecierum remanſerit in ore. Unde Tamburinus cit. ait ex Marchino, non eſſe illicitum ſtatim expuere, dummodo nihil ſpecierum hæſerit in ore. Plura Gran. *tract. 10. diſp. 1.* & Palaus *tract. 21. punct. 3.*

Tambur. Marchi. Gran. Palau.

SECTIO VII.

An, & quomodo deſtructis ſpeciebus conſecratis, fiat nova generatio, converſio, vel nutritio.

85 FUere qui dixerunt, quòd quando deſinunt eſſe ſpecies, & ibi Chriſtus, nulla fit nova generatio, aut ſubſtantialis productio: prò quo citat Hen. *n. 51.* Bonaventuram, Innocentium, & Uvaldenſem. Quidquid tamen ſit de iſtorum mente, oppoſitum docet communis ſententia ex experientia, qua videmus generatos vermiculos, corruptis accidentibus Euchariſticis, hiſque combuſtis ignem ali. Et certè nutriretur homo, vitamque tranſigeret, abſque dubio magnam comedens panis conſecrati copiam.

Hen. Bonav. Innoc. Uvald.

86 Ne tamen putes, ut rectè monet Dicaſtillus *diſp. 7. dub. 11* nutriri tunc hominem ex corpore Chriſti: nam corpus Chriſti non convertitur in ſubſtantiam hominis, ut latius *à num. 91.* Nec nutriri proprié ex ſpeciebus: non enim conſtant materia ſubſtantiali, in quam introducatur forma vivens. Neque immediatè ex ſubſtantia panis: nam improbatur communiter quod dixerunt quidam apud Dicaſtillum *dub. 7.* definente Chriſto ſub ſpeciebus panis, reproduci ibi ſubſtantiam panis, quæ perierat per conſecrationem.

Dicaſt.

87 Nutritur ergo tunc homo ex ſubſtantia, quæ de novo reſultat ex materia prima, quam ibi producit Deus, & ex forma ſubſtantiali, quæ ante viventem in ea materia generatur ad præſentiam diſpoſitionum accidentalium, quæ deſtruxerunt temperamentum accidentale panis. Poteſt nihilominus dici aliquatenus per quamdam analogiam, quòd nutrimur ex ſpeciebus ſacramentalibus, quatenus, manducatis ſpeciebus, occaſionaliter evenit nutritio illa ex prædicta ſubſtantia illis ſuccedente.

88 Circa modum, quo generationes eiuſmodi peraguntur docuiſſe fertur S. Thomas, fieri ex quantitate Euchariſticâ elevatâ vice materiæ ad excipiendas forma illas ſubſtantiales ſuccedentes. Meritò tamen Sotus fatetur ingenuè, vix hoc poſſe ſibi perſuaderi, propter abſurditates videndas apud Bernal *ſect. 5 & Hen. num. 53.*

S Thom. Sot.

Bern. Hen.

89 Communis igitur, & vera ſententia docet, ſubſtantias illas non generari ex aliquo accidente panis, quaſi ex ſubjecto; ſed ex materia prima, quæ ibi producitur à Deo in inſtanti, quo ita deficit temperamentum accidentale panis, immiſſis qualitatibus contrarijs, ut ſpectato naturali curſu converteendus foret panis, ſi ibi adeſſet eius ſubſtantia, in aliam ſubſtantiam, puta, cineris, vermis, chili, &c. An verò materia illa prima, ibi tunc à Deo producta, ſit eadem numero, quæ ante conſecrationem erat ſub forma panis, eſt mihi res inexplorata. Affirmant Suarez, Delugo, & Arriaga videndus *diſp. 38. ſect. 3.*

Suar. Lug. Arriag.

90 Supereſt: à quo agente producatur tunc in prædicta materia forma illa ſubſtantialis ibi ſuccedens? A quo unio accidentium, quæ erant ſine ſubjecto, ibique permanent, ad prædictam novam materiam? Reſpondetur ad primum, eam formam produci ab eodem agente à quo produceretur, ſi materia illa tempore præceſſiſſet, & ſucceſſivè fuiſſet conaturaliter diſpoſita. Aliter ſenſiſſe dicuntur Scotus, & Vaſq. Ad ſecundum di-

Scot. Vaſq.

cen-

endum, eam accidentium unionem produci ab agente, à quo accidentia conſervabantur ſine ſubiecto. Illud enim idem agens habens virtutem producendi, conſervandique accidentia, habet etiam virtutem ea uniendi ſubiecto: ergo adveniente ſubiecto, quod deerat, non eſt cur non illa uniat ſubiecto propriori naturæ ad unionem novæ formæ ſubſtantialis, cuius ſunt diſpoſitio. Itaque virtus nutritiva, quæ agens in ſpecies ſacramentales produxerat qualitates diſpoſitivas ad formam ſubſequutam, producit unionem illarum ad materiam in inſtanti quo Deus, deſtructo temperamento accidentali panis, producit ibi materiam primam: in quo eodem inſtanti producitur in materia forma ſubſtantialis á ſuo agente.

91 Subdubitatur: an quando in prædictis caſibus, deſinente Chriſto eſſe ibi, producitur ibi nova ſubſtantia, dicatur Chriſtus converti in talem novam ſubſtantiam: nempè in vermem, ignem, cinerem, aut hominem alium. Affirmare attentarunt nonnulli, quibus nimis favet Bernal *diſp. 4.* Immeritò tamen, & contra rectum loquendi modum in Philoſophia, & Theologia. Non eſt autem omnibus facilis ratio id negandi. *Bern.*

92 Ratio aliqua eſt: quia deeſt ibi tertiũ commune ſubſtantiæ Chriſti, & ſubſtãtiæ ſuccedenti, requiſitum ad converſionem illius in iſtam: iſtâ enim veniente non perſeverant accidentia, ſub quibus erat Chriſtus. Caterũm aliqua ſaltem accidentia communiora convenientia utrique ſubſtantiæ manere, ferè certum eſt: cùm neque in naturalibus fiat ſemper reſolutio uſque ad materiam primam, ut ex verâ Philoſophia ſupponimus.

93 Ratio eſt aliis ex Oviedo: quia ad converſionem debet deſinere terminus *á quo*, ad ingreſſum termini *ad quem*. Chriſtus autem non deſinit eſſe ibi ob adventum alterius ſubſtantiæ; ſed ob defectum accidentium panis. Hæc tamen ratio ſatis apparens ſuas patitur difficultates videndas apud Bernal cit. & Henaum *nu* 103. *Ovied.*

94 Ratio nobis eſt planiſſima ex dictis *diſp.7. ſec.3.* Quia ad converſionem unius in aliud requiritur deſtructio termini, qui dicitur converti. Chriſtus autem non deſtruitur, quando ſuccedente ibi aliâ ſubſtantiâ deſinit eſſe ſub illis accidentibus, ut ibidem patefecimus. *Supra diſp.7.*

95 P. Bernal *à num.* 24. longum ſtruit diſcurſum, ut contra omnes probet, deſtructionem accidentalis temperamenti panis, & deſitionem Chriſti ſub ijs acidentibus non evenire in eodem inſtanti temporis, in quo producuntur ibi materia, & forma ſubſequãs ſicque, & non aliter ait negari poſſe, ac debere, non fieri ibi converſionem corporis Chriſti in illam novam ſubſtantiam. *Bern.*

96 Quoniam, inquit, aliter, incidere nobis neceſſe eſt in unam foveam è tribus. In eo enim inſtanti, quo deſinunt ibi Chriſtus & accidentia panis & ponitur nova materia, & forma; vel diſpoſitiones ad hanc novam formam educuntur ab hac nova materia: quod eſſet has diſpoſitiones educi ſimul, & creari: educi, ut ſupponitur; creari, quia cùm illæ diſpoſitiones ſint pro priori naturæ ad materiam, nequeunt eſſe in materia, ut in ſubiecto inhæſionis, quod deberet naturâ præcedere terminum eductum. Vel non educuntur ex illa materia: & ſic materia illa reciperet indiſpoſita formam ſubſtantialem, utpote non præinformata accidentibus diſpoſitivis, ipſi inhærentibus. Quòdſi propterea expectare deberet formam utique ad ſequens inſtans; in illo inſtanti priori ſuæ productionis, ſeu reproductionis eſſet materia prima, abſque ulla forma ſubſtantiali. Quartam foveam per hoc ultimum aperuit, quam non vidit: quòd nempè in illo primo inſtanti eſſent accidentia illa, quin jam ſub ſe continerent Chriſtum, & nondum contineret aliam formam ſubſtantialem.

97 Non me premit hic diſcurſus. Dicã enim facilé, quòd in eo inſtanti primo, quo deſinunt ibi Chriſtus & accidentia panis, & ponitur nova materia, & nova forma, diſpoſitiones illæ educuntur ex illa nova materiâ ipſi inhærentes: ac proinde non poſſent dici creari: nam creari eſt fieri ſine ſubiecto inhæſionis, quod tamen ſubiectum iam haberent illæ diſpoſitiones in eo ipſo inſtanti inhærentes novæ materiæ.

98 Dices: illæ eſſent pro priori naturæ ad materiã & materia pro poſteriori ad illas; utpote productæ ad preſentiam, & exigentiam illarum: ergo nec eſſent eductæ, nec eſſent in materia, ut in ſubiecto inhæſionis: hoc enim debet eſſe prius natura ad terminum eductum. Confirmatur. Pro eo priori, quo illæ diſpoſitiones præſupponuntur ad materiam, ſunt productæ: ſed non per eductionem; hæc enim non intelligitur ſine ſubiecto præſuppoſito ad terminum eductum: ergo per creationem.

99 Reſpondetur, conceſſo antecedente, negando conſequentiam, ciuſque rationem. Poſſet enim Deus producere formam materialem ſine ſubiecto, & poſt annum producere ſubiectum, illamque unire ſubiecto, cui abs dubio inhæreret. Quo in caſu, quis dicat ſubiectum illud fuiſſe natura prius ad illam formam? cùm ex terminis implicet

cet

cet quidquam tempore poſterius eſſe natura prius ad id quod tempore præceſſit, ut ex Hurtado monſtravimus *diſp. 5. de Incarn. ſect. 11.* Quidquod poni poſſet caſus, in quo forma illa concurreret effectivè ad productionem talis ſubiecti. Quòdſi ſolùm intenderetur, ſubiectum debere præcedere naturâ formam, ut eductam, & ut inhærentem, ſcilicet formalem ipſam inhæſionem, ſeu unionem ad ſubiectum, fatebimur: ſic autem in noſtro caſu, quamvis materia illa non ſit naturâ prior ad illa accidentia, eſſet tamen prior ad eorum unionem, ſeu ad inhæſionem.

Diſp. 5. de Incar.

100 Ad confirmationem, conceſsâ maiori, negatur minor, eiuſque probatio. Quamvis enim eductio pro nullo inſtanti, & pro nullo priori intelligi queat ſine ſubiecto ſui termini exiſtente in inſtante temporis, quo eſt eductio, eiuſque terminus; optimè tamen intelligitur, quin ſit, aut intelligatur ſubiectum exiſtere pro priori ad terminum eductum: per id ſcilicet ſolùm, quòd in eo inſtanti reali eius terminus inhæreat ſubiecto, ſive præſuppoſito, ſive non præſuppoſito ad terminum: nam per id ſufficientiſſimè eſt productio termini inhærentis, id eſt termini exiſtentis in ſubiecto, ſine quo naturaliter eſſe non poteſt. Hoc enim, & non aliud eſt inhærere, modò ſubiectum præcedat, modò non præcedat naturâ ad formam. Hinc falſa eſt conſequentia: quia é diverſo fieri per creationem, ſeu creari in præſenti ſenſu, eſt fieri independenter à ſubiecto inhæſionis, & creatio eſt productio termini non inhærentis. Itaque pro nullo priori illius inſtantis ea accidentium productio eſt creatio; quia nullatenus eſt productio termini in eo inſtanti reali non inhærentis.

101 Hæc iuxta Philoſophiam mihi vetam, & planam: quæ non relinquit locum diſcurſui quo probare voluit P. Bernal intentum ſibi propoſitum contra omnes *n. 95.* Alij in alio ſuo ſenſu abundantes ſibi conſulant, & Bernali, ſi poſſunt, ſatisfaciant.

Bern.

SECTIO VIII.

Quænam denominationes deriventur in ſuſtantiã Chriſti ex accidentibus Euchariſticis.

102 PRimò. Denominationes formales, quas darent ſuo ſubiecto accidentia, non derivantur in ſubſtantiam Chriſti. Hinc Chriſtus non dicitur candidus, aut lucidus à calore, candore, aut luce panis. Rationem firmam dedimus *ſec. 4. à num. 53.* quia nempè eiuſmodi accidentia non uniuntur phyſicè ſubſtantiæ Chriſti: ad eiuſmodi autem denominationes formales phyſicas opus eſt unione phyſicâ. Aſſertores phyſicæ unionis, quos ibi reiecimus, non ita facilem rationem dant. Quippé ſi dixerint, quia accidentia panis non uniuntur ſubſtantiæ Chriſti inhæſivé; contra eſt in primis quòd conceptum inhæſionis pro hoc, & alijs caſibus non ſatis explicant. Deinde apud ipſos anima rationalis non inhæret materiæ, & illi phyſicé unita illam formaliter denominat: Verbum, quin inhæreat humanitati, eam formaliter denominat ſubſiſtentem: unio humana inhærens materiæ, & apud ipſos non formę, utramque denominat formaliter unitam. Quinetiam, & illa ipſa unio phyſica Euchariſtica, quam ponunt, quin inhæreat ſubſtantiæ Chriſti denominat Chriſtum apud ipſos phyſicé formaliter unitum. Cur ergo calor, & candor non denominent album, ſi phyſicé illi uniuntur, quamvis non inhæſivè? Amplectenda ergo eſt ratio noſtra.

103 Secundò. Denominationes ſignificantes motionem localem, veré, & propriè derivantur in Chriſtum, illiqué conveniunt, quando localiter moventur ſpecies Euchariſticæ. Chriſtus enim in Sacramento proprié dicitur aſcendere, & deſcendere, ferri ad infirmos, & cum manducatur traijci per guttur ad ſtomachum. Sic Delugo *diſput. 6. ſect. 3.* cum S. Thom. Suar. & communi.

Lug. S. Thom. Suar.

104 Tertiò. Nõ quòd Xps formaliter moveatur motu ipſo ſpecierum, ſed occaſionaliter, & tanquam à conditione. Nam præſentia Chriſti, & ſpecierum ſunt præſentiæ diſtinctæ: cùm autem motus localis dicat formaliter uniuſcuiuſque rei præſentiam: unaquęque res movetur formaliter à mutatione præſentiæ ſuæ. Eatenus ergo dicitur moveri Chriſtus ad motum ſpecierum, quatenus motis ſpeciebus Chriſtus ex Dei lege illas comitatur. Hinc miraculosè, aut in lege alia poſſet Chriſtus ſacramentaliter præſens moveri immotis ſpeciebus, ſeu motis tunc à Deo ſpeciebus concomitanter ad motum Chriſti. Aliqua circa hoc diximus *diſput. 6. ſect. ult.* Plura Henaus *diſp. 9. ſect. 5.*

Supra diſp. 6. Hen.

105 Quartò. Denominationes obvenientes ſpeciebus ab actibus noſtrorum ſenſuum derivantur aliquomodo in Chriſtum: non proprié; ſed improprié, tropicè, & figurativè ratione ſcilicet methonymicâ quaſi contenti, & continentis. Sic dixit Chriſoſtomus: *Ecce eum vides, eum tangis*: ſcilicet Chriſtum: Cyrill. Alex. *præbet nobis ſuam carnem tangendam.* Magnus Gregor. *Chriſti corpus ante oculos Sacerdotis in altari*

Chriſoſt. Cyrill. Greg.

vi-

Victor. videri: & Hugo Victorin. ait, *manibus contrectari*. Quæ improprié, & tropicè dicta intelligito. Quatenus nempè similes denominationes tribui solent communiter substantijs, quæ propriè in se, nec videntur, nec tanguntur, sed in alio continente: ut cum dicimur, tangere panem, aut pomum tangentes saccum, quo continentur: & videre parietem, & audire hominem, quando videmus colorem, aut vocem audimus.

106 Quintò. Aliæ multæ denominationes propriæ specierum, nō ita solent in Christum derivari, adhuc improprié. Unde madefactis, induratis, aut congelatis speciebus non dicitur Christus madefieri, obdurescere, aut congelari: nec frangi, aut misceri, quando franguntur, aut miscentur: quia hoc dicit separationem partium á partibus, quod *Henaus.* ibi Christo non convenit.

107 Nihilominus Henaus *num.* 67. ait, dici quodammodo posse Christi corpus dividi, & frangi: affert in id confessionem Berengarij, relatam in Canone, profitentis, corpus Christi tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Quòdsi dicitur ab Ecclesia *Off. Eccl.* Christus in Sacramento, *non confractus, non divisus*; intelligitur, formaliter, & in se, quatenus totus á singulis *integer accipitur*: illud autem prius intelligitur in signo. Ait etiam *num.* 68. corpus, & sanguinem Christi dici similiter posse misceri juxta illud: *Hæc com-* *Canon.* *mixtio corporis, & sanguinis, &c.* scilicet in signo.

108 Difficile est quod conatur Bernal dare pro ijs omnibus regulam generalem. *Bern.* Præstat cum Suar. & Delugo dare pro ratione consensum SS. Patrum, & Theologorum attentis varijs circumstantijs, & inconvenientibus, usurpantium alias loquutiones, alias recusantium. Plura Suar. *disp.* 47 *sect.* 4. & Vasquez *disp.* 193. *c.* 2. *Suar. Lug. Suar. Vasq.*

DISPUTAT. XXVIII. ET IX.

DE

CAVSIS, ET MINISTRIS EVCHARISTIÆ.

1 DE cáusis accidentium dictum est satis *disp. precedenti*. Nunc de causis Christi, ut ibi sacramentaliter præsentis. Et sermo est de efficientibus: nam de causis materiali, & formali satis diximus agentes de Constitutivo, Materiâ, & Formâ Eucharistiæ præsertim *disp.* 2. 3. & 4. De Finali nihil speciale disputandum occurrit. Ministros intelligo, sive consecrantes, sive distribuentes Eucharistiam. *Supra disp.* 2. 3. & 4.

SECTIO I.

An, & quomodo verba consecratoria, & ipse Christus sint causa efficiens Eucharistiæ.

2 DEum Opt. Max. esse causam effectivam Eucharistiæ, certum est. Pro verbis est ratio dubitandi ex *disp.* 2. *sect.* 2. Diximus enim, verba esse de essentia, deque constitutivo formali Eucharistiæ: ex quo videtur inferri, non esse causam effi- *Supra. disp.* 2. cientem. Falsam tamen esse illationem ibidem vidimus, & exemplis firmavimus. *num.* 23.

3 Conclusio. Verba sunt causa efficiens Eucharistiæ, quatenus efficiunt, corpus, aut sanguinem Christi esse sub speciebus: non tamen causalitate physicâ; sed morali. Prior pars est conformis loquutionibus Cōcil. Florent. & SS. Patrum, quas audivimus *Supra disp.* 7. *num.* 15. Posterior est communis nostrorum Theologorum. Quia, quando causatur Christus sub speciebus iam verba phy- *Supra disp.* 7. *sect.* 4. sicé

ſicè non ſunt, ſed præterierunt: non ergo cauſant phyſicè, ſed moraliter: quatenus nempè Deus, ſuppoſitâ Chriſti inſtitutione, intuitu eâdem verborum, & quia debitè prolata ſunt ſuper ſtatutam materiam, ponit ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti ſub accidentibus panis, & vini reſpectivè, actione phyſicè repreſentativâ Chriſti, deſtructis phyſicè divinitus panis, vinique ſubſtantijs.

4 Ad hunc quem modum dicitur Miniſter celebrans canon Euchariſtiæ per verba, quæ profert: cauſa videlicet moralis inſtrumentaliter effectiva. Imò quâdamtenus dici poteſt cauſa phyſica, quatenus phyſicè efficit verba, quæ ſunt de conſtitutivo Euchariſtiæ, & ſunt unio moralis Chriſti cum ſpecie- bus. Videndus in genere Bernal *diſp. 17. de Sacram ſect. 3.* — *Bern.*

5 Chriſtum ipſum ſui præſentiam, ſeque ipſum effectivè phyſicè cauſare in Euchariſtia, dicunt multi. Quod aliqui temperant dicentes, quòd Chriſtus ſe ipſum ibi cauſat, non ſecundum idem, ſed ſecundum diverſitica ſcilicet ut corpus cauſet animam, & anima corpus. Totum hoc refutat meritò Card. Delugo *diſp. 7. ſec. 2.*

6 Mihi certum eſt primò, Chriſtum, ut Deum, cauſare effectivè humanitatis ſuæ præſentiam, ipſamque ſuam humanitatem in Euchariſtia. Nam eiuſmodi opus, cùm ſit ad extra, eſt commune Trinitati, ac proinde Perſonæ Verbi, quæ eſt Chriſtus: Secundò, ſi præſentia humanitatis eſſet modus poſitivus ſuperadditus diſtinctus à productione, ſeu reproductione humanitatis; poſſe Chriſtum talem præſentiam ſui Euchariſticam phyſicè efficere. Nec video cur non efficeret de facto. Cùm tamen opiner, eam præſentiam eſſe modum ipſum actionis reproductivæ Chriſti, eadem eſt mihi repugnantia eo quòd eiuſmodi ſui præſentiam efficiat Chriſtus, ac eſt in eo quòd efficiat ſeipſum. Tertiò, ſaltem moraliter Chriſtum cauſare ſe ipſum, promptè in Euchariſtia, quidquid ſubdubitet Lugus. Quia Chriſtus eſt principalis Sacerdos conſecrans, & ſacrificans, ſolus in nocte ſuæ Cœnæ, & nobiſcum conſecrantibus, & ſacrificantibus in omnibus Miſſis, ut videbimus *diſp. ult.* ergo cauſat ſe, ſuique præſentiam, & accidentium perſexiſtentiam ad eum ſaltem modum, quo id ipſum cauſant Sacerdotes inferiores. — *Lug.* — *Infrà diſp. ult.*

7 Reſtat diſſidium de cauſalitate effectivâ phyſicâ Chriſti in ſe ipſum: in quo partem teneo negantem. Quia phyſica cauſalitas effectiva eiuſdem rei in ſeipſam nullatenus poſſibilis eſt, nec toleranda in Philoſophia, nec in Theologia, ut obiter innui *diſp. 2. de Attrib. num. 58.* Et quamvis ſecundum diverſa id eſſet aliquomodo poſſibile, non eſt ſufficiens fundamentum, ut aſſeratur de facto. Addo, mihi faltam eſſe doctrinam, quam, ut id aſſerant aliquomodo poſſibile, aliqui ſupponunt, quòd nempè in re quacumque detur virtus obedientialis ad quoſlibet effectus, ut innui *diſp. 4. de Incarn. à num. 27.* — *Tom. 1. diſp. ſect. 3.* — *diſp. 4. de Incar. ſect. 3.*

8 Circa ſupradictam cauſalitatem moralem verborum eſt dubium, an eo modo verba cauſent id ſolum, quod in Sacramento ponitur ex vi verborum; an etiam quod per concomitantiam. Ea ſimo, quòd ſolum id, quod ex vi verborum. Nam reliqua non tam ponuntur intuitu verborum, quam intuitu corporis, & ſanguinis poſiti intuitu verborum. Unde, ſi aliæ partes non ſpectarent ad perfectionem corporis non ibi ponerentur, quamvis proferentur verba: *Hoc eſt corpus, &c.* E contra verò ponerentur, ſi non prolatis verbis poneretur ibi corpus. Id quod, permiſſo phyſico verborum influxu, poſſet à ſimili declarari: namque verbis conſecrantibus panem ſola fluceret phyſicè actio productiva corporis: id enim verba illa efficiunt, quod ſignificant. Sic Henaus *diſp. 8. ſect. 6.* cum Vaſq. Conine. & Martinon.

9 Manet, quòd abſolutè loquendo cauſa phyſicè effectiva Euchariſtiæ eſt ſolus Deus: quippè ſolus reproducit ibi Chriſtum, & privat accidentia ſuo ſubiecto. — *Hen. Vaſq. Conine. Martin.*

SECTIO II.

Quiſnam ſit Miniſter conſecrationis Euchariſtiæ, à quo debent verba proferri.

10 PRincipalis conſecrans eſt Chriſtus, *Sacerdos in æternum*: de quo Trid. *ſeſſ. 22. c. 1.* ait: *Una eademque eſt Hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio.* Non ſolùm quia Euchariſtiam inſtituit, ut ſuo deinceps nomine conſecraretur; verùmetiam, quia nunc quoque ſimul offert, & conſecrat cum Sacerdotibus, ut explicabitur *diſp. ult.* Sermo nunc eſt de Chriſti Miniſtris, conſecrantibus minùs principaliter. — *Pſ. 109. Trid.* — *Infrà diſp. ult.*

11 Uvicleffus, & Lutherus cum Sectarijs ſuis tenent, Laicos etiam, hoc eſt à nullo Epiſcopo ordinatos, poſſe conſecrare: contra quos agit Bernal *diſp. 45.* De Fide tamen eſt eos id non poſſe, quacumque ſtante neceſſitate, aut diſpenſatione Eccleſiaſticâ, aut civili. — *Vvicl. Luth.*

12 Soli ergo Sacerdotes ritè per Eccleſiam

fiam ordinati sunt Ministri cum potestate conficiendi, & consecrandi Eucharistiam. Et quidem quoad validè, quamvis non quoad licitè, omnes Ecclesiastici Sacerdotes, etiam suspensi, excommunicati, irregulares, degradati, Hæretici, & Apostatæ. Quia per hæc non amittunt potestatem, sicut nec caracterem indelebilem Ordinis semel suscepti: quamvis eius exercitium ipsis interdicat Ecclesia, propterea non nisi illicitè consecraturis.

Innoc. 13 Nec obest primò, quòd Innocentius *Epist.18.* scripserit de Hæreticis: *solum* *August.* *Baptismum illis ratum esse permittimus.* Nec secundò, quòd Augustinus dixerit, extra Ecclesiam non esse verum sacrificium, nec sacramentum. Nec tertiò, quòd dixerit Hieronymus, panem Hæreticorum esse pollutum. *Hieron.* Nec quartò, quòd S. Martyr Hermenegildus noluerit sumere Paschalem Communionem ab Episcopo Hæretico. Nec quintò, quòd in ore fœminæ Eucharistiam sumentis ad Hæretico, versa fuerit Hostia in lapidem.

14 Respondetur enim ad primum, quòd ibi significatur prohibitio exercitij aliorũ Sacramentorum pro Hæreticis; non tamen invalidatio. Ad secundum, Hæreticos, utpotè baptizatos, iam subiacere iurisdictioni Ecclesiæ, effeque quodammodo intra Ecclesiam. Ad tertium, à Hieronymo vocari pollutum panem consecratum Hæreticorum; quia peccaminosè confectum, & non licitè ab alijs per eorum manus participandum: non quia validè consecratus non sit. Ad quartum, & quintum, per ea facta solum probari, eas sumptiones esse illicitas, & sacrilegas. *Magist.* Unde non benè propter hæc dixit Magister Sent. in hoc relictus à cæteris Theologis, Sacerdotem Hæreticum non validè consecraturum.

15 Anima Sacerdotis à corpore separata non validè consecraret: quia, quamvis retineat caracterem Sacerdotalem, non est subiectum capax, cùm nec sit homo. Institutio autem Christi solos homines viatores capaces fecit talis potestatis.

SECTIO III.

An plures Sacerdotes possint simul eamdem materiam consecrare validè? an, & licitè.

16 ABsolutè affirmandũ est quoad validè. Quoad licitè verò, pro aliquibus dumtaxat casibus à iure permissis. Undé fuit, quòd apud Græcos, teste Vasquez, simul cum Episcopo celebrante, consecrabat aliquis Presbyter. Quinimò, & nunc apud Latinos ex Romano ritu in consecratione Episcoporum sacrificant simul Episcopus consecrans, & consecratus, & in ordinatione Presbyterorum consecrant simul Episcopus Ordinans, & Presbyteri tunc ordinati. Quam praxim post præscriptum Clem.8. non auderet reprehendere Durandus apud Suar. *disp.61. sec.4.* *Vasq.* *Clem.8.* *Duran* *Suar.*

17 Nec fas est dicere cum alijs apud Arriaga *disp.40. sec.9.* in eo casu Ordinationis, Episcopum proferre verba cõsecrationis affirmativé; Neomistas verò, qui tunc ordinantur, tantùm recitativé. Hoc enim est contra praxim: cùm non soleant admoneri Neomistæ de huiusmodi discrimine. Omnes ergo affirmativé proferunt verba, & consecrant. *Arriag.*

18 Obversari videntur duo. Primum, quòd postea Neomistæ in ea celebratione non sumunt calicem: ergo non nisi illicitè consecrarent: cùm enim sumptio sit pars sacrificij, relinquerent sacrificium suum inchoatum. Sed respondetur, quòd, quamvis sumptio sit pars sacrificij, imò & quamvis esset essentialis pars, quod negabimus *disp. ult.* non tamen sumptio ab eodem, qui consecrat; sed vel ab eodem, vel ab alio, ut patet in casu quo unus consecrat, & eo tunc emortuo, vel impedito, alius Sacerdos consummat idem sacrificium. Sic ergo in nostro casu omnes consecrant, & unus consumit in utraque specie. Sicque quoad valide salva est essentia, & integritas sacrificij. Quoad licitè verò, cùm ritus consummandi, & integrandi omnimodè sacrificium ab eodem Sacerdote sit ex præcepto Ecclesiastico, benè potest Ecclesia in eo dispensare pro aliquo casu, ut licitè fiat: & talis est casus Ordinationis. *Infra disp.ult.*

19 Secundum, quòd potest contingere unum Neomystarum anticipari in prolatione verborum: sicque Episcopus, & alij verba proferant irritè, utpotè supra materiam iam consecratam. Respondetur, id fore per accidens in rarò casu: iam enim monentur ab Ecclesia, ut simul proferant. Quoniam verò pro praxi omnino securà non videtur sufficere ea monitio, varia circa id consulunt Auctores: de quo videri præsertim possunt Dicastillus *disp. 3 de Sacrif Missæ dub.12.* & Arriaga cit. *Dicast.* *Arriag.*

20 Consulunt aliqui, quòd Neomystæ in eo sacrificio intendant consecrare, remittendo effectum ad instans quo Episcopus absolvat verba: sic enim, quamvis ipsi fortè priùs absolvant, non priùs, sed simul consecrant

Suar. erant ratione intentionis. Obſtat tamen Suarez, quia ſequeretur, verba Neomyſtarum ex ſe ſignificantia de præſenti, proferri, ſuſpenſo ſuo effectu ad ipſorum libitum, quod non caret difficultate: non in eo ſitâ, quòd ex defectu intentionis ſuſpendatur effectus; ſed in eo quód effectus ſemel ſic ſuſpenſus, habeatur poſtea per eorum verba ad ipſorum libitum

21 Conſulunt alij, quòd Neomyſtæ proferant verba cum intentione, ſi ea finiant ſimul cum Epiſcopo, & non aliter. Obſtat tamen Delugo *diſp. 11. ſec.* 8. quia nec Eccleſia monere ſolet de tali modo habendi *Lug.* intentionem; nec eiuſmodi intentio ſatis evitat inconvenientia: ſic enim multi proferrent verba condicionatè ſuper materiam iam conſecratam: quod etiam caveri oportet.

Lug. 22 Conſulit Delugo, quòd unuſquiſque intendat conſecrare ſub conditione, ſi materia non ſit iam conſecrata: eorumque improbat morem, qui Neomyſtas admonèt, ne finiant verba niſi poſtquam Epiſcopus finierit. Obſtat tamen Dicaſtillus: quia neque *Dicaſt.* ſic evitantur inconvenientia. Poſſet enim evenire, quòd unus conſecraſſet Hoſtiam dicens oportunè verba, & alius non, & hic alius mox, dicens oportunè verba, conſecraret calicem, & ille primus non: ſicque neuter ſacrificaſſet.

Dicaſt. 23 Conſulit ergo Dicaſtillus, quód procuretur præſertim, ne Epiſcopus deſinat cõſecrare, & ſacrificare: quod fiet ſi ipſe abſolutè id intendat; Neomyſtæ verò ſuper Hoſtiam, conditionatè, ſi ſimul cum Epiſcopo finiant verba; non verò, ſi ante, aut poſt: additâ ſuper calicem aliâ conditione, ſi nempe hoſtiam conſecraverint.

24 Conſultius eſt, & practicabilius: in primis, quód Epiſcopus procuret à nemine antecedi: deinde, quòd Neomyſtæ procurent, quoad poſſunt, verba proferre ſimul cum Epiſcopo. De cætero intendant gerere ſe meliori modo quo poſſunt in eo caſu ad mentem Eccleſiæ. Sic Suar. *diſp. 61. ſect. 4.*

Suar. 25 Quid, ſi duo Sacerdotes proferrent ſimul verba ſuper eamdem hoſtiam, taliter ut uterlibet illorum intenderet eam conſecrare, ſi non conſecretur ab alio, & non aliter. Supponendum in primis eſt, hoc eſſe illicitum. Deinde quoad validè, videtur quod conſecrarent. Nam Petrus v.g. vel conſecrat, vel non conſecrat: ſi conſecrat, iam maneret Hoſtia conſecrata: ſi non conſecrat, ergo eã conſecraret Paulus, utpote intendens conſecrare, ſi Petrus non conſecrat: ſicque etiam maneret hoſtia conſecrata. Et eadem ratio eſſet vice verſâ pro Paulo.

26 Nihilominus dicendum eſt, quód neuter conſecraret, cùm non ſit maior ratio unius, quàm alterius, ut eſt per ſe clarum. Certum autem eſt, utrumque non conſecrare; cùm alter habeat intentionem non cõſecrandi, ſi alter conſecrat: ſequitur ergo in eo caſu neutrum conſecrare.

27 Ad rationem oppoſitam admitto poſteriorem partem, nempé, Petrum non conſecrare: nego tamen conſequentiam, quod eam hoſtiam conſecraret Paulus. Nã intentio illa condicionata eſt perplexa, ſibique repugnans, ac proinde invalida: quãdoquidem ad ſui validitatem requirit conditionem, ex cuius poſitione ſequitur ipſius invaliditas: nam requirit invaliditatem alterius intentionis, pro qua par omnino eſt ratio. Sic in ſimili Dicaſtillus de Baptiſmo *Dicaſt. Suar.* *diſp. 1. dub. 6.* ex Suar. *diſp 22. ſect* 3.

SECTIO IV.

Quiſnam ſit Miniſter diſtributionis Euchariſtiæ, à quo poſſit, aut debeat conferri communicaturis.

28 MIniſter hic ordinarius eſt Parochus proprius. Quo nomine veniunt etiam Papa, Epiſcopus, & alij reſpectivè habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ut Abbates exempti, aliqui Priores, Archipreſbyteri, & alij huiuſmodi. Ratió eſt: quia Parochi utpoté animarum Paſtoris eſt, oves paſcere ex officio, & ordinariâ poteſtate.

29 Uſqueadeo, ut per ſe loquendo peccatum ſit ex genere ſuo mortale iuxta *Suar.* Suar. apud Dicaſtillum *diſp. 11 num.* 20. ſi *Dicaſt.* quis Sacerdos abſque delegatione, ſeu privilegio ullo, ſeu licentiâ Parochi Euchariſtiam adminiſtret. Eſt enim uſurpare iuriſdictionem in alienas oves.

30 Parochus ergo Miniſter ordinarius eſt non ſolum poteſtatis, verum etiam obligationis. Circa quam obligationem dixerũt Sylveſter, & alij apud Suar. *diſp 72. ſect.* 3. *Sylv.* tunc ſolùm urgere, quando ſubditi tenentur *Suar.* ex obligatione communicare. Communis tamen ſententia Theologorũ eſt cum Suar. ibi, & Vaſq. *diſp. 209.* urgere quoties ſubditi rationabiliter petunt ex devotione cõmunicare. Uſqueadeo, ut etiam tempore peſtis cum periculo vitæ teneantur reſidere in ſuis Parochijs, & per ſe, vel per alios Euchariſtiam miniſtrare, ut monſtrat erudité P. Cardenas in Criſi *diſp. 26. c 3. art 2.* oppoſitum *Card.* cenſens non certó probabile, atq; adeó in praxi minimé tutum. Et colligitur ex Epiſ-

cola

Greg. Dicaſt. Dian. tola ſeveriſſimâ Greg. 13. ad S. Carolum Borromeum, legendâ apud Dicaſtillum *dub.7.* Eam memorat Diana *par.5. tract.3. reſol.53.* legendus etiam *par.3. tract.4. reſolut.174.* ſed cautè.

31 Ex delegatione Parochi poteſt eius Vicarius, & quilibet alius Sacerdos Euchariſtiam ſuis ovibus licitè miniſtare. Ad quam delegationem non requiritur expreſſa commiſſio, ſive licentia; ſed ſufficit conſenſus interpretativus, & præſumptus: aut quòd Parochus non cenſetur invitus. Et quidem facilius preſumitur licentia Parochi pro adminiſtratione Euchariſtiæ, quàm Epiſcopi pro adminiſtratione Pœnitentiæ, ob rationes videndas apud Dicaſt. *dub.3.* & faciliùs licentia eiuſdem Parochi pro cõmunione ex devotione, quam ex obligatione, ut ex Delugo *diſp. 18 num. 51.* Obſervat idem *Dicaſt. num.20.*

Dicaſt.

Lug. Dicaſt.

32 Sacerdotes Regulares mendicantes, & qui participant cum eis in privilegijs poſſunt ex privilegijs Pontificijs cunctis Chriſti Fidelibus Euchariſtiam adminiſtrare: exceptis comunionibus ex præcepto pro Paſchate, & pro Viatico in periculo mortis. De quo Tamburinus *in Method. Comm. cap.4. § 4.*

Tambur.

33 Bulla Cruciatæ iuxta multos cum Vaſquez, adlibitâ eadem exceptione Comunionis Paſchalis, & viatici in periculo mortis, concedit aliam facultatem ſingulis accipiendi Euchariſtiam, à quocumque Sacerdote: quamvis id negaverint alij cum Suarez: de quo etiam Dicaſt. *à n.29.*

Suar. Dicaſt.

34 Diaconus, quamvis ex Ordinatione ſua non habeat facultatem principaliter adminiſtrandi Euchariſtiam, habet tamen aliquam habilitatem, ut eligatur à Sacerdote valde occupato v. g. in audiendis confeſſionibus, tanquam famulus pro miniſterio Euchariſtiæ diſtribuendæ. *Tanquam famulus*, inquam: in quo differt à Sacerdote ſimplici, cui Parochus id muneris committeret: is enim, præterquam quod eiuſmodi cauſam non requireret, illud miniſterium exerceret, non tanquam famulus, ſed ex poteſtate ſui Ordinis, expeditâ per legitimum conſenſum circa perſonas alienæ iuriſdictionis.

35 Liceret quoque id Diacono ex cauſa iuxtâ abſque expreſsâ licentiâ, præſumpto, & tacito conſenſu Parochi. Quinimo, ex cauſa neceſſitatis extremæ; & illi liceret, invitò, & renuente Parocho. Sic Suarez, Rodriguez, & alij contra Sylveſtrum, & Sotum apud Dicaſtillum *dub.5.*

Suar. Rodr. Sylv. Sot. Dicaſt.

36 Qui propter ſpecialem illam habilitatem Diaconi ex vi Ordinis ſui, addit, quòd ſi Diaconus, & Subdiaconus adminiſtarent Euchariſtiam abſque neceſſitate, & conſenſu Parochi, uterque peccaret, & quidem graviter iuxta dicta *num.29.* irregularitatem tamen non contraheret Diaconus; benè verò Subdiaconus: quia miniſtraret in Ordine, quem non habet.

37 Subdiaconus in caſu neceſſitatis extremæ, ne ſcilicet homo moreretur ſine communione Euchariſticâ, poſſet licitè illam adminiſtrare, iuxta multos. Imò, iuxta aliquos apud Dicaſtil. etiam Laicus, contra Vaſq. Bernal & alios. Unde non improbo factũ quod multi approbant, pijſſimę, ac Sereniſſimæ Mariæ Scotorum Reginæ, quæ cum duceretur ad mortem, ſuis ipſa manibus ſumpſit Euchariſtiam. De quo videndi per otiũ Delugo *diſp. 18.* & Dicaſt. *diſp.11. dub. 5.* qui benè advertunt, ad id Laicos non teneri, quamvis poſſint.

Dicaſt. Vaſq. Bern.

Lug. Dicaſt.

38 Sacerdos autem, & Diaconus in prædictis caſibus neceſſitatis, & poſſet, & teneretur, alijs, ſibique ipſi Euchariſtiam miniſtrare. Illud minimè probare auderem, quòd Sacerdos tempore peſtis ratione periculi exponeret ſacras hoſtias, ut laici ipſi peſte infecti eas ſibi manibus ptoprijs aſſumerent. Quod etiam reprobat Diana *par.5. tract.3. reſol.50.* alia utiliter adnotans pro tempore peſtis. Extra caſum verò neceſſitatis ex devotione poſſet Sacerdos ſibi miniſtrare, deficiente alio Sacerdote. Ijdem Delugo *num.20.* Dicaſtillus *dub.6.*

Dian.

Lug. Dicaſt.

39 Poſſet etiam celebrans, deficientibus Hoſtijs parvulis pro communione Laicorum, præbere Laico particulam ſuæ Hoſtiæ grandioris ex cauſis ſatis levibus, rationalibus tamen. V.g. ſi poteſt oblationem veniret Laicus ex devotione communicaturus, non potens commodè expectare aliam Miſſam, pro conſecratione hoſtiæ parvulæ. Quia id nullo iure prohibetur, ut diſcutit Dicaſt. *à num. 111* In caſu verò neceſſitatis urgente præcepto communionis pro Viatico, vel etiam Paſchalis, poſſet, & deberet. Plura ijs ſimilia Tambu rin. *in Method. Com. cap.6.* Arriag *diſp.18. ſec.2.* & Diana *par.2. tract.2 reſol.37.* præter Delugo, & Dicaſtillum citatos.

Dicaſt.

Tambur. Arriag. Dian. Lug. Dicaſt.

SECTIO V.

An, & qualiter peccet Miniſter indignè diſtribuens Euchariſtiam. Ubi nonnihil de uſu opinionis probabilis.

40 INdignè. intelligo de Miniſtro, qui exiſtens in peccato mortali miniſtraret extra ſacrificium.

41 Circa quod convenitur in eo quòd idſit ſaltem peccatum veniale contra religionem ratione irreverentiæ: & in eo quòd non teneatur Miniſter peccator præmittere confeſſionem ſacramentalem: hæc enim ſolùm præcipitur peccatoribus communicaturis. Quare Miniſter peccator non celebraturus, ſufficit quod conteratur, ut legitimè diſtribuat Euchariſtiam.

Suar. Sot. Bonac.

42 Caſus ergo eſt, ſi manens in peccato mortali eam diſtribuat. In quo graves Theologi cum Suarez, Soto, & Bonacina graviter peccari aſſevérant: imò iuxta Bonacinam Sacerdos adorans dumtáxat, & oſculans hoſtiam peccaret, & iuxta Sotum, fortè mortaliter: quamvis in hoc diſſentiat Suar. non reputans mortale, quòd Sacerdos exiſtens in peccato mortali adoret, & tangat hoſtiam, niſi eam porrigat communicaturo.

Vaſq. Lug. Arr. Tambur. Diana.

43 Nihil horum auderem ego damnare peccati mortalis, cùm graves etiam Theologi hæc omnia à mortali excuſent, ut Vaſquez, Delugo, Arriaga, Tamburin. Diana, & latè Bernal *diſp. 17. de Sacr ſec. 6.* Quia huiuſmodi miniſtratio non eſt confectio Sacramenti, quæ, ut licitè fiat, requirit, Miniſtrum eſſe in ſtatu gratiæ. Non eſt ergo cur de mortali damnetur.

44 Hinc pro praxi ſubotitur dubium, ad multa de conſcientia probabili applicandum. Certum eſt, utramque prædictarum opinionum habere pro ſe graviſſimos Authores, & ſuas quoque ſufficientes rationes. Undé in hoc conſucto, & exiſtimativo probabilitatis ſenſu utraque eſt ſolidé probabilis; alterutra in ſe verà; neutra nobis certa.

45 Hinc caſus celebris. Conſcius Sacerdos ſui ſtatûs in peccato mortali, vocatur ad miniſtrandam Euchariſtiam communicaturis. Doctus eſt, & ſcit utramque prædictarum opinionum directarum eſſe dicto modo probabilem, hoc eſt, habentem pro ſe rationes, & Patronos maximæ notæ. Quæritur an, & quatenus in praxi per poſteriorem opinionem, quam cum Vaſquez tenuimus, excuſari valeat à peccato mortali novo irreligionis, miniſtrans Euchariſtiam in eo ſtatu peccati mortalis, de quo non doleat.

46 Ex communibus doctrinis in uſu conſcientiæ probabilis, excuſabunt quoquo modo multi à mortali prædictû Miniſtrum ſic in praxi operantem, nec graviter obligabunt ad præmittendam contritionem. Quia, quoquo modo ſit, habet pro ſe opinionem certò probabilem gravium Theologorum, negantium eſſe mortale ſic adminiſtrare, & conſequenter excuſantium à mortali ſic miniſtrantem. Poſſet ergo ductus notitiâ tantæ probabilitatis in eo ſtatu peccati miniſtrare abſque novo peccato mortali, quin obligetur ſub gravi præmittere contritionem.

47 Iudico tamen, reſpondendum cum diſtinctione utiliſſimâ. Vel enim talis Miniſter opinatur directé cum Vaſquez, non eſſe mortale obiectivum, miniſtrare Euchariſtiam in eo ſuo ſtatu; vel opinatur é contra directé cum Suarez, id eſſe mortale obiectivum. Si opinatur primum, ductus eo ſuo iudicio opinativo, & probabili, excuſabitur à mortali ſic miniſtrans: ut pote habens pro ſe, & pro ſua impeccantia formali certitudinem, quam pro conſcientiæ regula exprimit reflexio illa: *Quiſquis operatur iuxta opinionem certò probabilem de bonitate facti ſui obiectivi, ſeu materialis, non operatur malè formaliter, ſed talis operatur iuxta opinionem certò probabilem de bonitate facti ſui obiectivi: ergo non operatur malè formaliter.* Et hoc quidem, quamvis fortè operetur malû, eoquòd fortè vera non ſit opinio ſua probabilis de bonitate facti ſui obiectivi: & in terminis præſentis, quæſtionis de eo quod ſic miniſtrare Euchariſticam non ſit mortale. Et hoc probat diſcurſus *num. præced.* Si verò opinatur ſecundû, & ſic opinans miniſtrat in eo ſtatu, neutiquâ excuſabitur à mortali per probabilitatem opinionis oppoſitæ; quidquid multi reclament laxiores Probabiliſtæ.

48 Circumſpectiores alij non apertè reclamant; ſed dicunt, hanc Probabiliſtarum excuſationem intelligendam eſſe, deponendo ad nutum in caſu talis operationis é mente ſic operantis opinionem ſuam directam de malitia obiectiva ſui facti materialis, & induendo pro tunc opinionem oppoſitam directam de non malitia. At in primis pro praxi paſſim occurrente inveriſimilis eſt facilitas illa deponendi, & reaſſumendi pro libito voluntatis operaturæ, ſeu conſulturæ, iudicia illa opinativa, nunc unû, nuncaliud oppoſitû, prout operãti, aut conſulenti libuerit; ea enim variatio non ſit in re, ſed, ut vereor ſolùm imaginariè, niſi per nova rationis, vel auctoritatis fundamenta, ad quæ propenſiùs inquirenda prodeſſe poteſt imperium voluntatis, ut ſic, aut ſic iudicet intellectus, quando non rapitur ab evidentia veritatis, non verò ad ſic, vel ſic ſeriò, ac re ipſa iudicandum adhuc opinativé, eo ſolùm, quia *ſic volo ſic iubeo; ſit pro ratione voluntas.* Deinde, ſi rem ingenuè conſiderare velimus, è mille imbutis iſtis Probabiliſtarum doctrinis, vix erunt quinque, qui in caſu operandi iuxta opiniones, ut aiunt, probabiles, curent de mutando ſuo iudicio directo, eo contenti, quòd ſuam operationem, prout ipſis expedit, accommodent

dent ad iudicium opinativum aliorum : de quo teſtem advoco experientiam. Sicque ea aliquorum circumſpectio, quamvis ad tergiverſandum in diſputationibus de hoc puncto valere poſſit; neutiquam verò ad rectificandam praxim frequenter operantium utcumque in fide opinionis oppoſitæ contra opinionem, quæ ipſis altè inſedit. Denique, quamvis prædicti Theologi circumſpectiores ſic iam id intelligant, ut operans iuxta opinionem aliorum debeat deponere ſuam; at certum eſt, alios non id requiviſſe, ut videre eſt apud Caſtropalaum, eos inſectantem *to.1 d.2.pun.2.n.4.* à quibus non ſatis diſcedit Cardenas ut ſe explicat in Criſi *d.56.n.979.* nec puto ſic intelligi à cõmuniter operãtibus & conſulẽtibus iuxta conſuetas ſuas probabilitates. Profectò id quod circumſpectiores illi dicunt, iam eſt operantem agere iuxta proprium iudicium ſuum opinativum directum; quandoquidẽ iam pro tunc conformat ſe non ſolũ in operando, ſed etiam in opinando cum ſententiæ Auctoribus alterius.

Palan.

Carden.

49 Cæterùm, quidquid de ijs ſit, ratio pro iuditio noſtro ſtatuto *num.* 47. mihi ſolida eſt. Quia Miniſter ille ſic opinans cum P. Surez, iudicat eſſe mortale opus ſic miniſtrandi : alioquin, quid re ipſâ opinatur? cum quo ſuo iudicio directo, quamvis tantùm probabili, incompatibile eſt iudicium, quo directé opinetur cum P. Vaſquez, opus ſic miniſtrandi non eſſe mortale : ſunt enim iudicia contradictoria. Sine hoc autem iudicio ſuo nequit licité velle opus ſic miniſtrandi; imo id volens peccaret mortaliter: quia vellet agere opus, quod ſeriò iudicat eſſe mortale, quidquid alij directé opinentur: ut ſcitè proſequitur Palaus citatus. Et idem dicerem, ſi purè dubius hæreret inter utramque opinionem directam, nec iudicans tale opus eſſe, nec iudicans non eſſe mortale : quia ſimiliter careret iudicio, quo iudicaret, opus ſic miniſtrandi non eſſe mortale; ſicque ſe exponeret ad peccatum, quatenus vellet opus peragere, de quo, utrinque re perpenſâ, manet anceps, an ſit peccatũ, nec ne, non magis iudicans, non eſſe, quàm eſſe peccatum: & hoc ipſum eſt, peccare, & certó malè agere formaliter, quamvis forté non agat opus obiectivum mortaliter malum.

Palm.

50 Dices: quamvis opinetur cum Suarez, ſic miniſtrare eſſe mortale, ſcit aliorum graviſſimorum opinionem eſſe, quòd ſic miniſtrare non eſt mortale : ergo poterit licité iuxta hanc opinionem certò probabilem operari & quidem prudenter, ut pote ſe conformans iudicio multorum prudentum Theologorum, quod exiſtimare debet forſan eſſe verum, nec dubitare poteſt eſſe probabile. Unde ſunt ſolẽnes illę reflexiones: *Operans iuxta opinionem certò, & practice probabilem, benè, aut ſaltem non malé operatur: ſed ego,* (inquit apud ſe dictus Miniſter) *operans iuxta opinionem Patris Vaſquez, & aliorũ ſummorum Theologorum, operor iuxta opinionem certò, & practicé probabilem de eo quòd ſic adminiſtrare, non eſt mortale : ergo benè, aut ſaltem non malé mortaliter operor: ac proinde ſic operando non pecco mortaliter.*

51 Reſpondetur antecedens eſſe verum præſertim de mortali obiectivo, circa quod directé verſantur illæ duæ opiniones oppoſitæ, una in re verâ, altera in re falſa, utraque probabilis, hoc eſt habens pro ſe rationes, nõ leves, & patronos apprimè doctos. Falſa tamen eſt conſequentia, dum ille Miniſter opinatur, eam opinionem directam oppoſitam ſuæ, quantumvis exiſtimatam veram ab alijs Authoribus, eſſe re ipſa falſam. Illa quidem aliorum opinio facit, quòd alij, qui ſic opinãtur, poſſint abſque mortali ſic operari; quatenus nempe ea opinio eſt eorum conſcientia, aut eam fundat; non verò, quòd iſté, qui non ſic opinatur, poſſit ſimiliter abſque mortali ſic operari. Iſtius enim conſcientia, aut conſcientiæ fundamentum, non eſt ea aliorum opinio; ſed oppoſita, quæ ipſe opinatur, & iudicat, eum, qui ſic operatur, & miniſtrat, peccare mortaliter, ſeu exercere opus obiectivũ, quod iudicat cum Patre Suarez eſſe peccatum mortale : quòdſi hoc non iudicat, quid precor, per ſuam opinionem iudicat? Unde non operatur prudenter, ſi ſic operatur: quippe operatur quod ipſe ſeriò, & abſoluté iudicat cum P. Suarez eſſe opus mortaliter peccaminoſum, ſeu materiam peccati mortalis.

52 Neque ſic operari eſt conformare ſe iudicio illorum prudentum Theologorum, Vaſquij ſcilicet, Lugonis, aliorumque, quos retulimus *numer.* 43. quibus, ſi lubet, addas Sanctum Thomam. Iſtorum ſe planè iudicio conformat qui, aut rationum, aut tantæ authoritatis pondere motus opinatur, & iudicat, quod ipſi opinantur, & iudicant, ſcilicet ſic adminiſtrare non eſſe mortale : at talis Miniſter, ut ſupponimus, iudicat, & opinatur oppoſitum cum Patre Suarez, ſcilicet miniſtrare cum mortali eſſe mortale: non ergo conformat ſe iudicio illorum prudentum, ut conformamur Bernal, & ego; ſed retinendo iudicium opinativum, illorum iudicio diſformiſſimum, & contradictorium, vult conformare perperam operationem ſuam conſcientiæ aliorum, quaſi ex aliorum conſcientijs,

tijs,& non potiùs ex propriâ unuſquiſque iudicandus ſit : eſtque velle rectificare operationem ſuam difformem conſcientiæ propriæ per conſcientias alienas : quòd eſſet tortuoſa monſtruoſitas; cùm regula proxima morum, & applicativa aliarum regularum, ſive legalium, ſive doctrinalium, ad mores pro unoquoque operante, propria conſcientia ſit. Profectò ſi tanti eſt, uti certé eſt, illorum prudentum authoritas,& ratio,propter quam liceat tali Miniſtro ſic operari; tanti debet eſſe, ut iudicium ſuum directum illorum iudicio directo conformans,directè cum illis opinetur. Velle tamen, non obſtante pondere tantæ authoritatis, & rationis,contra illos directé opinari iudicando directè eam adminiſtrationem obiectivam eſſe mortale, quam illi directé opinantur non eſſe obiective mortale, ſicque velle miniſtrare,eſt difformiſima conformatio, & ſubdola confuſio conſcientiæ propiæ cum conſcientijs alienis, *ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Pſal.18.

53 Exiſtimari autem,aliorum iudicium *forté eſſe verum*, nec dubitari eſſe probabile, non eſt iudicari adhuc opinativé eſſe verum; ſed eſt formido iudicantis eſſe falſum,& certitudo probabilitatis illius,quód nempe multi graves iudicent eſſe verum.Hoc autem nõ tollit iudicium opinativum, quo prædictus Miniſter é contra iudicat eſſe falſum,& falsò ab illis authoribus iudicari verum:Quomodo ergo poteſt operationem ſuam conformare illorum iudicio,niſi illam difformando conſcientiæ propriæ innixæ iudicio ſuo iudicanti illorum iudicium eſſe falſum ? Omnium Iudex tuo te iudicio condemnabit.

54 Confugiunt tandem ad illas reflexiones,in quibus plerique inveniſſe ſe putant iudicium proximum evidens, quo, & à peccato,& á difficultate abſolvantur. Ego tamen non ita facilé acquieſco illi ſyllogiſmo, nec ſimilibus reflexivis in hac materia, quamvis multi eos quaſi demonſtrativos, ac evidentes iactitent. Explicatione ſaltem opus eſt,ut verum in illis à falſo, & certum ab incerto diſcernatur, Scio, maiorem illam eſſe nimis cõmunem; ſcio à non paucis, nec contemnendis Authoribus in hac tempeſtate abſoluté negari propter rationes non vulgares : tales, me iudice,ut ſufficere deberent ad deturbandam illam maiorem à gradu certitudinis, & evidentiæ, in quo eam retinere nituntur,qui, ut certam habeant, & evidentem pro practico conſcientiæ dictamine concluſionem, indigent extremé, quód prædictus ſyllogiſmus ſit demonſtrativus : an autem id obtineant, hoc opus,hic labor.

55 Mihi quidem maior illa propoſitio ambigua eſt. Vel enim dicit univerſaliſsimè, quód *omnis operans iuxta opinionem certò, & practicè probabilem benè, aut ſaltem non malè operatur*, etiamſi ipſe operans,utpote contradictoriè opinans,iudicet opinativè eam aliorum opinionem non eſſe veram.Et in hoc ſenſu nimis communi, falſa eſt maior : undé, conceſſâ minori,non niſi falſa evadet concluſio ſub ijſdem terminis. Vel dicit, quód *operans iuxta opinionem certó,& practicè probabilem*, quam ipſe quoque iudicio ſuo ſequitur iudicans ſaltem opinativè cum illis Auctoribus eſſe veram ; *benè, aut ſaltem non malè operatur.* Et in hoc ſenſu ſano, & rationabili, & quantum ferri poteſt, utili pro uſu opinionum probabilium, vera eſt maior. At in ſuppoſitione noſtri eatûs diſtinguenda eſt minor : *operor iuxta opinionem practicé probabilem*, quam ipſe (ipſe, inquam, ille Miniſter) cum Vaſquez iudicov eram, nego: quam ipſe cũ Suarez: iudico falſam,concedo minorem: & nulla eſt conſequentia egregiæ demonſtrationis.

56 Oportet maximopere, non confundere iudicium de probabilitate opinionum cum iudicio de veritate rei : & diſcernere inter probabiliter iudicare de veritate propoſitionis aſſerentis miniſtrationem prædictam obiectivam in peccato mortali eſſe materiam peccati mortalis : & inter veré iudicare de probabilitate propoſitionis aſſerentis, id non eſſe materiam peccati mortalis.Prius illud eſt probabiliter iudicare de veritate, poſterius iſtud eſt veré iudicare de probabilitate : prius illud non ſtat cum iudicio de falſitate opinionis directæ ; benè veró iſtud poſterius : ipſe namque, qui veré iudicat opinionem eſſe probabilẽ, hoc eſt,à bonis Auctoribus ex bonis rationibus aſſertam,poteſt iudicare ſimul, eſſe falſam.Prius illud iudicium eſt opinio directa Patris Suarez,& omnium, qui cum illo ſentiunt, atqueadeò,& prædicti Miniſtri; nihil iudicans reflexé de ſe, ſed de obiecto ſuo directé opinans eſſe materiam peccati mortalis: cuius oppoſitum directé opinamur qui ſentimus cum Patre Vaſquez,nihil etiam reflexé proinde iudicantes de iudicio noſtro contradictoriè opinante:ideoque veritas, ſeu falſitas alterutrius iudicij directè opinativi contradictorij, dicitur ex eo quod res eſt vel non eſt;ſeu quod obiectum ſe habet,aut non ſe habet, ſicut aſſeritur. Poſterius autem iudicium eſt reflexio ſupra iudicium illud directum opinativum: eſt iudicium de opinione; non opinio;eſt iudicium verum apud utriuſque opinionis Auctores,imò certũ,& evidens; non de evidentia, certitudine, aut veritate iudicij opinativi Patris Vaſquez; ſed de eius pro-

probabilitate: hoc eſt, niſi terminos alienare velimus, reflexum de eo quòd Vaſquez, & alij graviſſimi ſuis ſubnixi rationibus ſic iudicent: ideoque talis iudicij reflexi veritas nec ſumitur nec pendet ab eo quòd iudiciũ directum opinativum Patris Vaſquez verum ſit, cùm id reflexè non aſſerat; ſed ex eo quod iudicium illud directum opinans eam miniſtrationem non eſſe materiam peccati mortalis, habeat pro ſe, & pro ſua veritate Patrem Vaſquez & alios Patronos, ſuaſque rationes; quod non ſolum eſt verum, ſed etiam apud utriuſque opinionis directæ Authores, certum, ac manifeſtum.

57 Porrò ex veritate, evidentia, & certitudine huius iudicij reflexi, in quo utriuſque opinionis directæ aſſertores ultrò convenimus, de probabilitate opinionis Patris Vaſquez; ſequitur benè, non ſolum ab ijs ſius ſequacibus, ſed à ſequacibus etiam opinionis oppoſitæ ſentiendum, & dicendum eſſe, Patrem Vaſquez, & alios, cum illo opinantes, ſic miniſtrare non eſſe mortale, ſi iudicio illo conſcientiæ ſuæ ducti ſic miniſtrent, nõ mortaliter peccaturos, aut quamvis fortè malum, non tamen malè graviter facturos. Non verò ſequitur, ſentiendum á quoquam, aut dicendum eſſe, quod tamen multi dicunt, ac ſcribunt, alios cum Suarez opinantes, ſic miniſtrare eſſe mortale, ſi, hoc iudicio conſcientiæ ſuæ non obſtante, ſic adminiſtrent, non mortaliter peccaturos: agunt enim contra conſcientiam ſuam, quam ſeriò iudicant probabilem, & veram, volentes conformare operationem ſuam conſcientiæ, ſeu iudicio aliorum, quod, quamvis iudicent probabile, ſeriò iudicant falſum. Hoc autem, ſemotis verborum, & reflexionum involucris, nihil eſt aliud, quã ſeriò apud ſe iudicare, tale iudiciũ à multis alioquin ſapientibus exiſtimari verum, quãvis verum re ipſa non ſit. Stante autẽ hoc propriæ conſcientiæ dictamine, qua reflectẽdi arte poteſt practicè id fieri licitum iudicanti, opus, quod voluntariè facit, eſſe materiam peccati mortalis, ex eo quod iudicio aliorum, quod ipſe falſum iudicat, materia peccati mortalis non ſit. Certè dum aliorum, quicũque ſint, aut authoritas, aut rationes, tanti apud me non ſunt, ut propterea iudicem, id quod ipſi dicunt eſſe verum, quod eſt cum ipſis opinari; tanti non erunt, ut propter illas, quibus non oſtantibus, ego aliter opinans eos falli iudico, excuſare ego poſſim apud Deum in caſu propoſito meam operationem. Excuſet in pace opinio certò practicè probabilis eos, qui illam mente, & opere ſequuntur: quòd autem alios etiam, qui eam mente non ſequuntur, imò é diverſo opinantes inſequuntur, ſimiliter excuſet in opere, reclamante iudicio conſcientiæ propriæ aut fundante conſcientiam propriam; nullæ affectatæ reflexiones apud me, nec, ut puto, apud Deum obtinebunt.

58 Unde reflexio illa ſyllogiſmi diſpoſiti *num. 50.* valet quidem pro operantibus iuxta opinionem probabilem, quam ipſi mẽte tenent, & veram ſeriò iudicant iudicio ſcilicet ſito probabili de veritate: pro ijs enim malor, & minor predicti ſyllogiſmi ſunt apud omnes utriuſque opinionis aſſertores veræ, & certæ; unde & certa concluſio, prout expedit ad regulam proximam conſcientiæ ſufficientiſſimam, ut taliter operans, quamvis fortẽ operetur malum in ea miniſtratione; non tamen graviter operetur malè, quia excuſatur á formali peccato gravi per opinionem probabilem, quam veram putat: Sicut excuſari etiam aliàs poſſet per ignorantiam, ſeu per errorem invincibilem. Attamen pro operantibus iuxta opinionem probabilem, quam mente non tenent, nec veram ſeriò, iudicant, imò iudicant eſſe falſam, non valet eiuſmodi reflexio: pro ijs enim maior prædicti Syllogiſmi negabitur à ſaniori parte Theologorum, ut viſum eſt. *num 55.*

59 Haud equidem præſumpſerim, per hæc me difficultatem iſtam noſtro ſeculo exagitatiſſimam exhauſiſſe: cùm benè noverim, multa ſupereſſe hinc, & inde complananda ad complementum doctrinæ. Animus dũtaxat fuit, incidente in præſentiarum occaſione, ſenſum meum ingenuè propalare in puncto graviſſimo, ac celebertimo ad rectitudinem morum præcipuè pertinente.

SECTIO VI.

An, & qualiter peccet Miniſter diſtribuens Euchariſticam indigno.

60 EXtra dubium eſt, non licére Miniſtro Euchariſtiæ, hortari, ſeu invitare indignos ad communicandum: eſſet enim hortari ad ſacrilegium, & ſacrilegè exercere poteſtatem ſui Ordinis. In quo *Suar.* Suar. duplex agnoſcit Sacrilegium ſic miniſtrãtis: unum ſacrilegæ adminiſtrationis, quaſi Sanctum daret canibus; aliud, cooperationis ad indignam ſuſceptionem; ut expendit latè, ac doctè Dicaſtillus *diſp. 9. dub. 3* pro Suar. contra Vaſquez. *Dicaſt. Vaſq.*

61 Obſtare videtur, quòd Chriſtus Matt. 26. per illa verba: *accipite, & comedite, &c.* invitavit ad communionem Diſcipulos ſuos, quos inter aderat Iudas indignus. *Mat.26.*

Sed

Sed reſpondetur, dato quòd tunc adhuc adeſſet Judas, de quo nonnihil ex mente SS. Patrum diximus *diſp. 1. n. 32.* illa verba quoad Judam non fuiſſe invitativa, & inductiva, ſed permiſſiva: aut meliùs, fuiſſe quidem invitativa, ut, depoſito peccato, digné communicaret. *Supra diſp. 1. ſect. 4.*

62 De cæterò citra invitationem, & inductionem poſſet accedere ad illicitè communicandum peccator indignus: & quæritur, quo ſe modo gerere debeat Miniſter id ſciens. Reſpondetur cum diſtinctione publici, vel occulti peccatoris.

63 Si peccator eſt publicus, & notorius, certóque indignus, tenetur Miniſter illi Euchariſtiam denegare ſive privatim, ſive publicé illam petenti. Sic Theologi communiter cum S. Tho. *quæſt. 80. art. 6.* ad hunc caſum applicante illud *Mat. 7. nolite Sanctum dare canibus.* *S. Thom. Mat. 7.*

64 Obſtare videtur factum Chriſti: qui miniſtravit Euchariſtiam Judæ peccatori iam publico poſt manifeſtatam proditionem, quando interroganti coram alijs: *numquid ego ſum Rabbi*, reſpondit Chriſtus affirmativè: *tu dicis*: & quando dedit illi panem intinctum in ſignũ, quòd proditor eſſet ipſe. Non tamen obſtat: per illud enim prius, quod præceſſit communionem, nondũ manifeſtata fuit proditio: nam illa verba, *tu dicis*, ita ſubmiſsè direxit Chriſtus ad Judam, ut ſolus intellexerit. Sic colligunt Interpretes ſacri ex ipſa ſerie Evangelicâ. Illud verò poſterius de buccellâ intinctâ fuit poſt communionem: & ſic tempore communionis nondum erat notorium Judæ peccatum. *Mat. 26.*

65 Si peccator eſt certus, ſed occultus, & occultè petit Euchariſtiã, tenetur Miniſter denegare. Niſi fortè eius peccatum, & indignitatem noverit ex confeſsione ſacramentali: quamvis in hoc ſint etiam varia Theologorũ iudicia, alijs affirmantibus, alijs negantibus, per id ſemper violari ſigillum, ut videre eſt apud Dicaſtillum *dub. 12. à n. 227.* *Dicaſt.*

66 Si verò peccator occultus publicè accedat, & petat, tenetur Miniſter Euchariſtiam non denegare: ratione ſcilicet infamiæ quod firmari videtur facto Chriſti erga Judam. Sic cum Suar. & Vaſquez communis ſententia: de quo multa in genere, & in ſpecie Dicaſtillus *diſp 3. de Sacr. dub. 12.* Quia lex denegandi Euchariſtiam indignis tunc ſolum obligat, quando non eſt cauſa rationabilis eam non denegandi. Nec probanda eſt *Suar. Vaſq. Dicaſt.*

aliquorum cogitatio porrigendi tunc peccatori occulto, publicé accedenti, hoſtiam non conſecratam pro conſecrata. Hoc enim minimé licet, adhuc præmonito de hoc ipſo peccatore: nam eiuſmodi fictiones valde pernicioſæ ſunt, & execrandæ in uſu ſacramentorum, ut colligitur ex Innocentio 3. *in cap. De homine de Celebr. Miſſ.* Porrigat igitur in eo caſu Miniſter Hoſtiam conſecratam ob rationem dictam; ſibique imputet ſuum facinus indignè communicans. *Innoc.*

67 Nec propterea Miniſter cooperatur ad rem intrinſecé malam, quod nullo modo liceret. Nam actio materialis ſuſcipiendi Euchariſtiam, ad quam cooperatur Miniſter illam porrigens, non eſt intrinſecé, & ex ſe mala, ſed indifferens: ad peccatum verò indigni, & ad voluntatem intrinſecé peccaminoſam ſic volentis indignè communicare, non cooperatur, nec illam perinde vult Miniſter: ſed iuſtis de cauſis permiſſivè ſe habet.

68 Atque hinc eſt etiam, quòd apud eumdem Dicaſtillum *num. 292.* docet cum alijs Suarez *diſp. 67. ſec. 1.* excuſari à peccato poſſe Miniſtrum non denegantem Euchariſtiam peccatori etiam publico v. grat. publico uſurario, meretrici, & alijs huiuſmodi; ex gravi cauſa v. g. metu mortis, aut notabilis infamiæ propriæ. Excepto caſu, quo metus incuteretur in odium, ſeu in contemptũ Fidei, aut Religionis: tunc enim potius eſſet ſubeunda mors. *Dicaſt. Suar.*

69 Monuerim ex Dicaſtillo *num. 271.* miniſtrantem Euchariſtiam, quidquid ſit de Miniſtris aliorum Sacramentorum, non debere eſſe ſollicitum de indignitate accedentium; ſed poſſe illam miniſtrare eo ipſo quòd ipſi non conſtet indignitas: & in dubio quẽlibet accedentem debere præſumi dignum. Sic fert communis praxis: & oppoſitum eſſet expoſitum magnis inconvenientibus. Plura quoque Tambur *cap. 6. §. 2.* & Arriaga *diſp. 21. de Sacram. à ſec. 2.* Doctè ſibi obijciens, ac ſolvens utiliter multa contra doctrinas communes, quas perſtrinximus. *Dicaſt. Tambur. Arriag.*

70 Hinc ait meritò Dicaſtillus *diſp. 9. de Euc. dub. 12.* infirmo, de quo non conſtat an ſit bene diſpoſitus, necné, miniſtrari debere Euchariſtiam: quia in dubio præſumitur diſpoſitus.

* * *

DIS-

DISPUTAT. XXIX. ET X.

DE

EFFECTIBVS EVCHARISTIÆ.

GRATIAM ſanctificantẽ eſſe effectum Euchariſtiæ, ſupponimus: nã eſt effectus generalis omnium Sacramentorum novæ legis, ut diximus *diſp. 2. ſec. 4.* ubi etiam expoſuimus ſpecialem modum cauſandi gratiam per modum alimoniæ, prout ſpecialiter competit Sacramẽto Euchariſtiæ. An gratiam cauſet phyſicè, an moraliter, difficultas generalis eſt de omnibus Sacramentis in genere: quamvis pro cauſalitate phyſica Euchariſtiæ ſpecialis ſit ratio ex parte Chriſti eſſentialiter illam conſtituentis. Reſtant graves difficultates circa hunc, & alios effectus Euchariſtiæ, quas exagitat fusè Bernal *diſput. 41.*

Supra diſp. 2.

Bern.

SECTIO I.

An prima gratia iuſtificans ſeu peccatorum remiſſio, ſit quandoque effectus Euchariſtiæ.

2 GRavium Theologorum opinio celebris eſt, quòd, quamvis per ſe Euchariſtia, utpote Sacramentum vivorum, non cauſet primam gratiam; illam tamen cauſat in caſu per accidens. Sic P. Suar. ex Scoto, & S. Tho. Valentia, Amicus, Granad. Sotus Caſpen. Philip. S. Trin. Martinon *diſput* 54. Henaus *diſput. 13.* & cum Tannero, & alijs Arriaga *diſput. 16. de Sacram. ſect. 1.* Caſu videlicet quo quis accederet cum mortali, quod ignorat, vel exiſtimat ſe ritè confeſſum, cùm ritè confeſſus non ſit. Diſcrepant in eo quòd alij requirunt pro eo caſu dolorem attritionis; alij non ſatis diſcernunt, an ſine attritione ſufficiat bona fides. Aliqui hoc idem dicunt de cunctis alijs Sacramentis vivorum; alij de ſolâ Euchariſtia; alij id negantes Euchariſtiæ, ſoli concedunt Extremæ unctioni, & fortè cum ſpecialiori fundamento ſumpto ex eius inſtitutione: ut Meratius, Delugo, & Dicaſtillus.

Suar. Scot. S. Th. Valent. Amic. Sot. Gran. Caſpen. Philipp. Martin. Hen. Arria. Tanner.

Merat. Luz. Dicaſt.

3 Solidior Theologia eſt quam cum S. Bonav. & Nominalibus tenet P. Vaſquez *diſp. 205. cap. 4.* in nullo caſu Euchariſtiam cauſare primam gratiam, ſed hanc ſemper in anima ſupponendo, & non aliter, cauſare augmentũ gratiæ. Sic etiam Card. Delugo *diſp. 12.* Dicaſtillus *diſp. 8. dub. 7.* Bernal *diſp. 11. de Sacr. ſec. 2.* cum Meratio, & Gaſpare Hurt. Itemque Haunoldus *cap. 9. con. 1.* cum Eſparza, & Cathechiſmo Rom.

Bonav. Nomin. Vaſq.

Lug. Dicaſt. Bern. Merat. Hurt. Haunol Eſpar. Cateh.

4 Ratio. Quia Euchariſtia eſt Sacramentum vivorum; hoc eſt ſupponens in ſuſcipiente vitam ſpiritualem gratiæ: & ſingulariter inſtitutum eſt, & datur per modum alimoniæ, qui modus ſupponit ſpecialiter vitam: nam alimentum nihil prodeſt homini mortuo: ergo non cauſat primam gratiam expellentem peccatum mortale; ſed illam neceſſariò ſupponens, cauſat nutritivè augmentum gratiæ, ſicut nutritio corporalis augmentum vitæ, quam ſupponit.

5 Communis eſt reſponſio, id procedere per ſe loquendo, & ex primaria inſtitutione: quo non tollitur, quominus piè ſentiamus, in caſu per accidens cauſari quandoque primam gratiam per Euchariſtiam. Sic è contrario Sacramenta mortuorum, quæ ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia, ſunt per ſe inſtituta ad primam gratiam, & tamen per accidens in aliquibus caſibus non eam cauſant, ſed eius aug-

mentum, ut cum quis iam antea iuſtificatus accedit ad Baptiſmum, vel Pœnitentiam.

6 Contra tamen multipliciter. Primó: quia Sacramenta utpote ſigna practica gratiæ ad placitum Dei, vel Chriſti inſtituta prout de facto, quidquid ſit de poſſibili, eos effectus cauſant, ad quos ſunt inſtituta iuxta ſignificationem ipſis de facto impoſitam: Sed Euchariſtia ſecundum præſentem inſtitutionem iuxta ſignificationem ſuam eſt per modum alimoniæ: ergo ſignificat, & cauſat gratiam nutritivam per motũ alimoniæ, ac proinde ſupponentem ſpiritualem gratiæ vitam in anima, & non aliter.

7 Secundó: quia dicere hoc eſſe verum iuxta primariam inſtitutionem; at iuxta ſecundariam poſſe cauſare primam gratiam; eſt loqui ſine ſufficienti fundamento in re graviſſimâ. Primaria illa inſtitutió conſtet nobis ex Scripturis, & per authoritatem Eccleſiæ. At inſtitutio iſta ſecundaria dicant nobis, unde conſtat prout de facto: neque enim ex Scripturis, neque ex Conciliis, neque ex traditionibus Apoſtolicis, neque ex SS. Patribus aliquio piiſſimis erga hoc myſterium. Ubinam ergo eſt manifeſtatio eiuſmodi divinæ voluntatis, ſeu inſtitutionis ſecundariæ?

8 Tertiò: quia vel eſt aliqua voluntas Chriſti aut Dei, quòd ex opere operato Euchariſtia cauſet in prædictis caſibus primam gratiam, vel non eſt. Si non eſt, ergo neque in illis caſibus illam cauſat; non enim gratiam cauſant Sacramenta ſine voluntate Dei. Si eſt: ergo per ſe, & non per accidens gratiam cauſant in illis caſibus: nõ enim aliter cauſant Sacramẽta per ſe gratiã in alijs caſibus, niſi quatenus voluntas Dei eſt, quòd in illis eam cauſant. Hoc eſt certé, per ſe cauſare gratiam, ſive ſit ex primariâ, ſive ex ſecundariâ inſtitutione; & eſt non cauſari per accidens, quod eſſet cauſari præter intentionem.

9 Quartò: quia doctrina illa de Sacramẽtis vivorum, qua à contrario ſenſu utitur cõmunis reſponſio, cum vera non ſit, nequit ſolidé fulcire reſponſionem. Falſum, inquam, eſt, quòd Sacramenta mortuorum Baptiſmus, & Pœnitentia, minús per ſe cauſent ſecundã gratiam, quàm primam: cum utramlibet pro ſuis caſibus cauſent ex inſtitutione ſua. Per ſe enim cauſant gratiam in ſubiecto diſpoſito, quamvis per accidens ſit eſſe primam, vel ſecundam: quia per accidens eſt, ſubiectum ſic, vel ſic diſponi; aut per diſpoſitionem, quæ nõ dum ſecum afferat gratiam; aut, quæ iam ſecum afferat gratiam ante Sacramentum in re. Itaque non cauſant per accidens ſecundam gratiam, niſi in eo ſenſu in quo primam etiam cauſant per accidens: non quidem, quiã etiam ſecundam non cauſent per ſe, & ex inſtitutione ſua, ut aliquorum é vulgò ſenſus eſt; ſed quia cùm per ſe ſint ad utramliber, per accidens eſt quód gratia illa ſit ſecunda, ſicut etiã quòd ſit prima. Oportet ergo vulgarem hanc exiſtimationem, ſeu æquivocationem corrigere; rectéque intelligere, quòd Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt, & vocantur ſpecialiter Sacramenta mortuorum; non quia gratiam non per ſe cauſent etiam in vivis; ſed quia etiam in mortuis illam per ſe cauſant: videlicet in caſibus, quibus ſupponitur ſubiectum mortuum per peccatum: cum diſcrimine nimirum à Sacramentis vivorum, quæ ita ſupponunt ſubiectum vivum per gratiam, ut in nullo caſu neque per accidens cauſent gratiam, in mortuo, ſed in ſubiecto iam vivo per primam gratiam. Unde corruit tota reponſionis ſtructura falſo nixa fulcimento doctrinæ, quam perperam ſupponit de Sacramentis mortuorum quaſi per ſe cauſent primam gratiam, & non per ſe, ſed per accidens ſecundam.

10 Quintó: quia prætextus ille pietatis, quo obſequium ſe præſtare putant Euchariſtiæ dicentes, in prædictis caſibus cauſare primam gratiam, ne homo ſic accedens bonâ fide ad Euchariſtiam, quæ fons eſt gratiæ, maneat ſine effectu gratiæ; inanis eſt, dum ſolido non adſtruatur fundamento veritatis: quale non habet ſententia contraria, ipſo fatente Patre Suarez, ſolâ quadam congruentiâ niti: quæ meo videri incongruentia potius eſt, inſpectâ, uti debet, præſenti inſtitutione Chriſti iuxta intelligentiam Eccleſiæ. Quòdſi eiuſmodi pietatibus aperitur ianua, magis pium etiam multis videri potuit, ſolam bonam fidem ſufficere ſine contritione, & attritione, ut in caſu per accidens iuſtificaretur peccator accedens ad Euchariſtiam, quod mihi improbabile eſt. Dicat fortè alius ex verbis Chriſti Joan. 6. *qui manducat hunc panem vivet in æternum*, congruum ſibi, piumque videri, omnes qui ſemel Euchariſtiam digné manducant, eſſe prædeſtinatos, & in æternum victuros. Alius dicet, credibile ſibi eſſe de divina bonitate, quòd quamvis per ſe attritio ſola non iuſtificet, per accidens tamen caſu, quo peccator exiſtimaret bona fide ſe contritum, iuſtificatus decederet cum ſola attritione cum bona fide, cuncta verò teſtimonia, quibus contrarium probari ſolet, eluderet dicendo, intelligi de eo quod fit per ſe. *Ioan. 6.*

11 Negotium poſſet nobis faceſſere auctoritas à S. Tho. quo ſe muniunt Adverſarij. Sed fortè non ſatis tutó. Nam dato, quòd in Sententiarijs opinionem noſtræ contra- *S. Thom.*

riam

riam videatur docuisse; eam tamen aut retractavit, aut rité explicuit *3. p. quæst. 79. art. 3. in corp.* Postquam enim absolutè dixerat, quòd *non est nisi viventis*, hoc spirituale nutrimentum suscipere, subdit: *potest tamen operari remissionem peccati dupliciter: Uno modo non perceptum actu, sed voto, &c.* S. Thom *Alio modo perceptum actu ab eo, qui est in peccato mortali, cuius conscientiam, & affectum non habet; fortè tamen primò non est sufficienter contritus; sed devotè, & reverenter accedens, consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.* En quomodo non dicit, primam gratiam immediatè conferri ex opere operato per Eucharistiam; imò dicit oppositum: sic nempè, quòd *fortè*, id est non infallibiliter, sed ex misericordia Dei quandoque intuitu Eucharistiæ in eiusmodi casu devotè susceptæ detur auxilium gratiæ actualis excitans ad veram contritionem, quâ immediate remittatur peccatum, & conferatur gratia ex opere operantis. Hoc vocat scitè S. Thom. causari aliquando per accidens primam gratiam ab Eucharistia. Quod longe abest à sensu opinionis nobis oppositæ: nec à nobis negatur. Hinc dixit Delugo *num* 36. S. Thomam ancipitis ad Lug. summum esse suffragij.

12 Objcitur deinde authoritas aliorum Patrum dicentium, hoc Sacramentum esse remissionẽ peccatorum: in eo lavari, & mundari Fideles: ablui scelera. Quò assonare videntur verba consecrationis Calicis: *qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Clariùs Augustinus, apud S. Tho. & Durandum, dicens, per Eucharistiam Can. *mortuos vivificari.* Respõdetur, eas loquutiones, ut ipse fatetur Suar. ab adversarijs etiã esse Aug. interpretandas contra Hæreticos illis abutentes, ut asserant, Eucharistiam esse per se institutam ad remi ssionem peccatorum. Dicendum est ergo, debere intelligi de Eucharistia, ut sacrificium est: quo pacto delet mortalia Suar. quo ad pœnam: aut etiam quo ad culpam causaliter quidem; non inmediatè per se; sed mediatè quatenus nempe oblatum pro peccatoribus, est valdè impetrativum auxiliorum, quibus se ad iustificationem disponant, sicque remissionem consequantur. Quem etiam sensum aptissimum habent verba illa consecrationis: præsertim relata ad effusionem cruentam Sanguinis Christi in Sacrificio Crucis, ut exposuimus *disp. 4. nu. 19.* Ad illud Augusti. asseverat Vasquez, tale dictum non legi in eius scriptis. Alij id exponunt, ut supra de Eucharistia impetrativè, ut sacrificium est.

Supra disp. 4. sec 6. Vasq.

13 Objcitur tertiò Tridentinum *sess. 12. can. 5.* eos damnans, qui dixerint, præcipuum effectum Eucharistiæ esse remissionem peccatorum: hanc ergo supponit esse effectum, quamvis non præcipuum. Respondetur illationem esse valde voluntariam. Agitur ibi contra Hæreticos memoratos *n. præc.* contra quos statuitur doctrina Catholica, quòd præcipuus effectus Eucharistiæ non sit remissio peccatorum, quasi per se fuerit instituta ad causandam primam gratiam; an verò in aliquo casu per accidens, ut aiunt, illam causet, reliquit disputationi Scholasticorum: in qua disputatione nos negamus contra alios affirmantes. Non ergo infertur ex illo Canone, partem hanc affirmantem esse veram præ negante; sed utramque relinqui disputationi Theologorum. Trid.

14 Objcitur quartò idem Trid *sess. 7. can. 6.* statuens, Sacramentis ineſse vim causandi gratiam ex opere operato in suscipiente non ponente obicem. Atqui peccator, qui in casibus superiùs expositis sucipit Eucharistiam bona fide, non ponit obicem: quippe ex bonâ illa fide non peccat: ergo in illis casibus Eucharistia suscepta causat gratiam ex opere operato: non secundam; quia in eo homine non suponitur prima gratia: ergo primam, saltem per accidens. Respondetur, admisso libentissimè pro maiori Canone Tridentini, distinguendo minorem: non ponit novum obicem tunc, actualiter concedo; moraliter, habitualiter; nego: habet enim obicem peccati, quem posuit, & nondum sustulit: cùm debeat præsupponi ablatum, & homo in gratia, ad Eucharistiam cum fructu suscipiendam. Unde falsa est consequentia, vera minor subiuncta, & nulla subillatio. Nec Concilium definiens, Sacramenta conferre gratiam *non ponentibus obicem*, contrahit suam doctrinam ad illos, qui actu non ponunt obicem, sed extendit ad habentes, sive quiâ actu ponunt, sive quia potuerunt, & non auferunt, quo fit ut obex persevèret. Porrò in prædictis casibus illa bona fides prodest, ut tunc homo sic suscipiens non peccet; sicut peccaret, si conscius sui mali status accederet; non verò ut effectum Sacramenti consequatur. Sic peccator bona fide iudicans se habere dolorem peccatorum, cùm re ipsa nullum habeat, sicque accedens ad Pœnitentiam, & recipiens absolutionem, excusatur quominus tunc non peccet; nemo tamen dicet quòd aut per se, aut per accidens fortiatur effectum gratiæ.

15 Objcitur quintò, quòd dixit Christus *Ioan. 6.* hunc panem dare vitam mundo, & esse panem vitæ: ex quo videtur sequi, *Ioan. 6.*

quòd aliquando ſaltem vivificat mortuum, conferens primam gratiam, quaſi primam vitam. Reſpondetur, dare vitam, ut Hæreticis, ijs teſtimonijs in reprobum ſuum ſenſum abutentibus morem geramus, intelligendum eſſe de hoc Sacramento per modum alimoniæ inſtituto ad eum modum, quo alimentum naturale dat vitam, illam ſcilicet conſervando, & augendo, quin in caſu ullo per accidens det primam vitam. Unde nihil ſequitur pro obijcientibus. Si dicas in hoc differre alimentum Euchariſticum à naturali, quod iſtud convertitur in alitum; illud è contra convertit alitum in ſe; verum eſt: At ex hoc diſcrimine ſolum infertur, alimentum Euchariſticum eſſe alimentum vivum iuxta illud, *ego ſum panis vivus*, in ſe convertens dignè manducantem mortuum peccato per diſpoſitionem antecedentem; non verò manducantem indignè, qualis eſt homo mortuus per peccatum. *Ioan. 6.*

16 Obijcitur tandem paritas Extremæ unctionis, quæ cùm ſit Sacramentum vivorum, ideoque per ſe non cauſativum primæ gratiæ; tamen in aliquo caſu per accidens illam cauſat; ſi ſcilicet homo verè attritus, & bona fide exiſtimans ſe contritum, illam recipiat: Ergo ſimiliter dici poteſt, ac debet de Euchariſtia: cùm præſertim non ſolum cibus, verum etiam ſpiritualis medicina ſoleat appellari.

Lug. Bellarm. Merat. Dicaſt. Iacob. 5. 17 Cardinales Delugo, & Bellarminus, Meratius, Dicaſtillus, & alij concedunt antecedens de Extrema-Unctione & negant conſequentiam de Euchariſtia. Et ſumunt diſparitatem ex verbis Jacobi Apoſtoli *cap. 5* ubi ſcribens de Inſtitutione Extremæ Unctionis, ait: *infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes, &c. &, ſi in peccatis ſit, remittentur ei*: & conſonare videtur eiuſdem Sacramenti forma: *indulgeat tibi dominus quidquid per. N. Deliquiſti* Quid autem ſimile non inuenitur in inſtitutione, aut forma Euchariſtiæ. In eo mihi probatur minùs hæc doctrina, quòd nimis probat. Si enim eius ratio ſuſtinetur, probat Extremam Unctionem non ſolum per accidens, ſed per ſe quoque, utpotè ex inſtitutione ſuâ, eſſe collativam primæ gratiæ, ac proinde eſſe Sacramentum mortuorum: ſiquidem verba illa Inſtitutionis, & Formæ non diſcriminant inter caſum per ſe, & per accidens.

Tolent. Vaſq. Comit. Bern. 18 Reſpondetur ergo melius cum Cardin. Tolcto, Vaſquez, Comitolo, Bernal, & alijs per generaliorem doctrinam, negando antecedens tam de Extremâ-Unctione, quàm de alijs Sacramentis vivorum. Nec oppoſitum convincunt Verba illa Inſtitutionis, & Formæ: intelliguntur enim de peccatis venialibus quoad culpam, & de mortalibus quoad pœnas temporales, quæ dici ſolent reliquiæ peccatorum iam remiſſorum per Pœnitentiam: cui ſenſui conſonat Tridentinum Extremam Unctionem vocans complementum Pœnitentiæ. De ijs latiùs, & dignius Bernal, *ſect. 1. num. 19. & ſect. 2. §. 3.* *Trid.* *Bern.*

19 Ad illud tandem quod dicitur, Euchariſtiam eſſe quoque medicinam, dico, eſſe quidem: non ex opere operato reparativam à mortalibus commiſsis; ſed quodammodo præſervativam ab ulterioribus, curativam venialium, roborativam virium ad benè agendum, & diminutivam paſsionum, quæ ſunt velut animæ infirmitates. Quicquod in naturalibus medicina ſupponit hominem vivum; quia non reſuſcitat mortuos iuxta illud: *Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt?* *Pſal. 87.*

SECTIO II.

An, cæteris paribus, Communio ſub utraque ſpecie Euchariſticâ uberiorem gratiæ effectum cauſet, quàm ſub unicâ.

20 Dixi *cæteris paribus*. Cùm enim Sacramenta cauſent gratiam, etiam ex opere operato maiorem, vel minorem, iuxta maiorem, vel minorem diſpoſitionem ſuſcipientis; ſi diſpoſitio communicantis ſub utraque ſpecie eſſet maior, quàm communicãtis ſub unâ, uberiorem gratiæ fructum in illo cauſaret Euchariſtia. Undè etiam extra præſentem controverſiam eſt, ut benè notat Dicaſtillus *diſp. 10. dup. 10* quòd, ſi Sacerdos, ſumptâ hoſtia, ſe denuò magis diſponat ante ſumptionem calicis, uberiorem accipiet gratiam ex opere operato per ſumptionem calicis. Et ſimiliter dicerem de laico, qui fortè per modum unius comeſtionis ſumeret ſucceſſivè duas hoſtias, diſponéns ſe denuò magis ante ſumptionem ſecundæ: quia non eſt cur ſecunda illa ſumptio non cauſet gratiam iuxta diſpoſitionem, quam tunc invenit. Imò poſſet evenire, quòd Sacerdos poſtquã indignè, ac proinde ſine fructu ſacrilegè ſũpſit hoſtiam, diſponat ſe per veram contritionem ad ſumptionem calicis: quo in caſu per ſumptionem calicis perciperet augmentum gratiæ Euchariſticæ: & ſimiliter laicus, qui in caſu nuper poſito, poſtquam indignè ſumpſit primam hoſtiam, ſe diſponeret per contritionem ad ſecundam. Suar. *diſp. 63. ſec. 6.* *Dicaſt.* *Suar.*

21 His præmiſſis, ad quæſtionem propo-

Vasq. Merat. Lug. Bern. D. cast. Martin. Hurt Caspen Palauf. Lean. Philip. Haunol Henau.

positam respondent affirmativè graves Theologi. Vasquez, Meratius, Delugo, Bernal, Dicastillus, Martinon, Gasp. Hurt. Caspensis, Palaus, Leander & cum modernis Thomistis Philippus à S. Trin. in Idque propendet Haunoldus *cap. 9. contr.* 1. & consentit Henaus d 13. *sec. 2.* referens, Illustrissimum D. D. Franciscum Blanco Archiepiscopum Compostelanum testatum esse, se Tridenti vidisse ferè omnes Patres Concilij, quotum & erat ipse; sic sentientes, quamvis noluerint pro tunc id definire. Fortè tamen inde conjecteur quispiam, prædictam sententiam non esse veram; ideòque ab Spiritu Sancto provisum, ne Tridentini Theologi extraconciliariter in eam propensi, ad definitionem conciliatem progrederentur.

Clem. 6.

22 Moventur deinde authoritate Clementis sexti in Bulla; quâ dicitur indulsisse Regi Galliæ, (alij dicunt Angliæ), ut posset sub utraque specie cõmunicare, nans pro ratione: *ad augmentum gratiæ*: ergo quia cæteris paribus uberiorem confert gratiam communio sub utraque. Hoc tamen non convincit: illa enim ratio, *ad augmentum gratiæ*; accipi potest de uberiori gratia, non præcisè, & per se ex sumptione utriusque speciei potius quàm unius; sed occasionaliter, quatenus ea singularitas permissa laico illum excitet ad specialem devotionem, & dispositionem, ratione cuius uberiorem ab Eucharistia gratiam recipiat. Aut dici etiam posset, id dictum à Pontifice, ut voluntchi Auctores, si fortè sit vera eorum opinio, quæ certè probabilis est: quo tamen non probatur, Pontificem sic cum illis sensisse.

Trid.

23 Moventur insuper ex Trid. *sess 21. cap. 3.* dicente: *quoad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt*: ubi videtur supponi eos defraudari aliquâ gratia non necessariâ, id est aliquo augmento gratiæ, proprio illorum, qui sub utraque specie communicant. Verùm, si mens Concilij attendatur, potiùs ex illis verbis fit argumentũ pro sententia negãte cæteris paribus, uberiorem gratiæ effectum conferri communicantibus sub utrâque. Id enim dixit ad sedandas querimonias hæreticorum, quibus prohibebatur suus usus utriusque speciei, & ad solamen laicorum, quibus non permittitur nisi usus unius speciei: ad quos fines non dixisset Concilium illa verba in sensu quo ij Auctores eâ utuntpote volunt: esset enim fovere hæreticorum querelas, quas sedare studebat.

24 Certè, si non addidisset Concilium eas voces, *necessariâ ad salutem*; videri posset ibi definita sententia negans infra proponenda. Quòd autem id addiderit, nequit favere sententiæ nunc id affirmanti: nam Concilium nomine gratiæ necessariæ ad salutem non potuit intelligere gratiam habitualem, quæ sit effectus Eucharistiæ ex opere operato, cùm Eucharistia non causet primam gratiam, sed gratiæ augmentum, quod simpliciter necessarium non est. Respondetur itaque ex illo termino universali, *nullâ gratia*, satis colligi verba Concilij respexisse ad omnes gratias etiam auxiliantes, quæ radicantur in Eucharistia & necessariæ sunt ad perseverantiam; ita ut sensus planus sit, quòd communicantes sub unica specie nulla gratiâ necessariâ defraudantur: quatenus eamdem gratiam habitualem suscipiunt, ac si sub utraque communicarent, cum eâdem congruitate ad gratias etiam auxiliantes subsequi solitas, necessarias ad finaliter perseverandum. Unde potiùs impugnatur, quàm adstruitur prædicta sententia.

25 Arguunt tandem securiùs hac ratione. Sacramenta, cùm signa practica sint, eatenus causant gratiam, quatenus eam significant: sed utraque species, quatum quælibet est veré Sacramentum, & signum practicum gratiæ, uberiorem gratiam significat: ergo uberiorem causat. Probatur minor: nam panis, & vinum sunt diversæ refectiones, diversosque causant effectus in corpore: ergo eorum species ex quibus conficitur cibus, & panis Eucharisticus ad refectionem spiritualem, diversos effectus gratiæ significant, ac proinde causant in anima proportionaliter: sic nempé, ut cibus animam roboret, & famem satiet; potus verò animam exhilaret, & sitim expleat: ergo qui Eucharistiam in specie panis, & vini sumit hos omnes effectus gratiæ sic significatos percipit, quos omnes non percipit cæteris paribus, qui solũ sumit in specie panis. Dicente præsertim Florẽtino, Eucharistiam eosdem effectus causare in animâ, quos in corpore cibus, & potus.

26 Respondetur, concessâ maiori, negando minorem. Quamvis enim duæ species sint diversa signa gratiæ, & diversimodè, ac expressiùs significent gratiam, non significant gratiam uberiorem, sed eiusdem gratiæ sunt duplex signum, & quodãmodo expressius signum: diversum quidem ex parte modi significandi, non ex parte rei significatæ. Negatur etiam consequentia: nam ex perfectiori modo significandi non arguitur maioritas, aut perfectioritas rei significatæ. Patet in naturalibus, ubi verba idem sæpe significant quod nutus; perfectiùs tamen in modo significandi: & in duabus imaginibus unâ a-

liâ

liâ exactiore eiuſdem rei: & in Sacramentalibus Baptiſmus per trinam immerſionem perfectior ex parte modi ſignificatio eſt ablutionis internæ in nomine Trinitatis; quin proinde gratiam cauſet perfectiorem, aut uberiorem quam per unam immerſionem.

27 Hinc ad probationem minoris, concedo antecedens, & nego conſequentiam quoad eius explicationem: aut potius explicationem ipſam explico, & diſtinguo: ſic nempé, ut cibus Euchariſticus animam roboret, & famem ſatiet, & potus ſitim tantummodo, nego: ſic, ut tam cibus, quàm potus animam exhilaret, ac roboret, ſitimque ac famen ſatiet, concedo: quamvis enim ij effectus diverſi ſint, omnes cauſat cibus, omnes etiam potus Euchariſticus, & omnes uterque ſimul. Non deſunt in naturalibus cibi, nec deſunt potus, qui ſimul, & ſeorſim utroſque illos effectus præſtent: quidquid tamen de hoc ſit non valet quoad hoc paritas, nec omnimoda proportio á cibo, & potu materialibus, qui diverſæ ſubſtantiæ ſunt, & naturaliter agunt, ad cibum, & potum Euchariſticum qui realiter eamdem Chriſti ſubſtantiam cõtinent, & ex beneplacito Dei ſignificant, & cauſant: quemadmodum nec valet paritas, aut proportio in eo quòd cibus materialis convertitur in ſubſtantiam aliti, cùm Euchariſticus potius alitum in ſe convertat: nec in eo quód cibus materialis non nutriat ſtatimatque comeditur; cùm Euchariſticus ſtatim ſuum gratiæ effectum cauſet. Quòdſi ea proportio omnimodé tenenda eſſet per effectus diverſos cibi, & potus materialis; ſpecies vini albi, & rubri diverſos effectus ſignificarent, & cauſarent ſumenti calicem, quia in naturalibus diverſos habent effectus vinum rubrum, & album.

28 Nec rem evincit diverſitas illa famis, & ſitis. Quamvis enim in corporalibus diverſæ ſint, & uni potus, alteri cibus reſpondeat; at in ſpiritualibus idem ſignificati ſolet per metaphoram ſitis, & famis, ut Matt. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam.* Falſa ergo eſt ultima conſequentia. Nec illi favet Florentinum: ſic ſcilicet intelligendum, quód unicuique ſpeciei Euchariſticæ tribuantur omnes illi effectus. Unde eſt quòd Chriſtus *Ioan 6.* eoſdem effectus, quos attribuerat manducanti ſuam carnem, & bibenti ſanguinem; attribuit mox manducanti carnem.

Matt. 5.

Ioan. 6.

29 Concluſio negativa mihi verſimilior, conformior ſenſui Eccleſiæ, & ad compeſcendas obloquutiones Hæreticorum Utriquiſtarum multó accomodatior. Eam tenent Eximius Doctor, Cardinales Caiet, Alan. & Bellarm. PP. Salmeron, Caniſius, Valentia, Henriquez. Uterque Sotus, Conine, Tannerus, Arriaga, & Amicus afferẽs SS. Tho. & Bonav.

Snar.
Caiet.
Alan.
Bellar.
Salmer.
Caniſ.
Valen.
Henrr.
Sot.
Conine.
Tanner.
Arriag.
Amic.
S. Thom.
Bonav.

30 Senſus hic fuit Patrum Concilij Baſileenſis, qui flagitãtibus Bohemis permiſſionẽ cõmunionis ſub utraque ſpecie, annuebant, dummodo profiterentur, non maiorem fructum capi ex utraque, quàm ex una. Et quamvis hoc Concilium non admittatur, ut approbatum, quoad id, à Pontifice, magni tamen ponderis eſt conſenſio illa Patrum intereſſentium.

Baſileen.

31 Accedit Moguntinum ſtatuens *cap. 23.* communem ſub una ſpecie comunicandi morẽ æqué utilem, ac efficacem eſſe ad ſalutem ſumẽtium, ac ſub utraque. Quòd Concilium, quamvis non fuerit generale, magnæ tamen authoritatis eſt. Et in eumdem ſenſum explicuimus Tridentinum *num 24.*

Mogunt.
Trid.

32 Et quidem ſic ſentire, ac docere cõgruentiſſimum eſt, cùm ad perſuadendam omnibus veritatem de reali totius Chriſti, tam quoad corpus, quàm quod ſanguinem, præſentia ſub qualibet ſpecie; tùm ad ſedandos animos Utriquiſtarum, ea maioris fructũs colore ægré ferentium, Eccleſiam laicis prohibere uſum utriuſque ſpeciei: tum ad ſolamen etiam Catholicorum ſub unica ſpecie communicantium ex Eccleſiæ præſcripto.

33 Ratio demũ ſit. Quia, ut vidimus inter reſpondendũ ad contrarias, diverſitas ſpecierũ non arguit diverſitatẽ effectum, aut diverſum finẽ Euchariſticæ inſtitutionis, aut ſumptionis in una, ac in alia: ergo quoad ſignificandum effectum gratiæ perinde ſe habent ſpecies panis, & vini, aut ambæ ſimul: quemadmodum ſpecies vini albi, & rubri, quamvis in corpore diverſos effectus cauſent vinum rubrum, & album, generoſum, aut debile. Itaque quando effectum gratiæ, perinde eſt communicare ſub ſpecie panis, & ſub panis, & vini, ſicut per inde eſt communicare ſub ſpecie vini albi & ſub albi, & rubri, & ſicut ſub duplici ſpecie panis. Sicut ergo ſumens duas hoſtias per modum unius convivij, cæteris paribus, non percipit uberiorem gratiæ pactum, quàm qui unicam; ſic nec cælebrans ſumens calicem, & hoſtiam, quàm Laicus, qui ſolam hoſtiam. Ita cum alijs etiam Franciſc. Delugo *l. 4. cap. 4. quæſt. 1.* Mendo *in ſtet. differt. 11. quæſt. 3.* Abre. *lib 9. Inſtit. Par. cap. 4.* & recentiſſimé Biſſus *litt. S. num. 218.*

Lug.
Mend.
Abre.
Biſſus

***

SECTIO III.

Quo tempore cauſet Euchariſtia ſumpta ſuum effectum gratiæ.

34 ATque in primis eſt ſpecialis difficultas iuxta noſtram doctrinã ſectionis præcedentis. Diximus, quód unica ſpecies, cæteris paribus, eamdem gratiam cauſat, quam utraque: ac proinde, quòd Sacerdos celebrans, & communicans ſub utraque, non maiorem gratiam, percipit quàm ſi ſub unica communicaret. Hinc dubium: quandonam eam gratiam percipiat? an ſtatim ac ſumit hoſtiam? an non niſi peractâ ſumptione Calicis?

35 Dicendum cenſeo contra aliquos, eam gratiam cauſari ſtatim ac ſumitur hoſtia. Quia non eſt cur differatur effectus ille Sacramenti iam ſuſcepti: quæ dilatio faceret Sacerdotem deterioris conditionis; cum laicus non ſumpturus calicem, ſtatim ac ſumit hoſtiam percipiat gratiam Euchariſticam. Dices: ſi ergo poſtmodùm ſumens calicem novam gratiam non perciperet, ea ſumptio calicis non eſſet ſumptio ſacramentalis. Negatur conſequentia: quia eſt ſumptio veri Sacramenti ex ſe collativi eiuſdem gratiæ, ſi iam non inveniſſet collatam, ideoque illam pro tunc conſervantis eodem influxu Sacramentali, quo illam primó effeciſſet. Imò dici poteſt, illam quodammodo primó effeciſſe per ſui compartem nempè per ſumptionem hoſtiæ, cum qua integrat unum convivium Euchariſticum. Nec eſt inconveniens, quód in eiuſmodi caſibus non niſi prædicto modo cauſet gratiam ſecunda ſumptio: cùm idem ab omnibus dicendum ſit caſu quo aliquis ſumat per modum unius ſumptionis moralis duas hoſtias, aut unius hoſtiæ duas partes ſucceſſivè unam poſt aliam. Quid, ſi à ſumptione hoſtiæ uſque ad Calicem ſe magis diſponat Sacerdos? dictum eſt *ſec. prac. num. 20.*

36 Difficultas deinde generalior eſt: quo tempore eiuſdem ſumptionis comeſtivæ ſucceſſivum tractum habentis, cauſet gratiam Euchariſtiæ. Dicendum primó: non quidem dum hoſtia infertur in os, nec dum perſtat in ore. Undè, ſi ibi immorans corrumperetur, maneret homo abſque effectu Sacramenti: cuius utique fructus non niſi manducanti, & bibenti promittitur Joan.6. *ſi quis manducaverit: qui manducat meam carnem, & bibit, &c. Qui manducat hunc panem, &c.* Illa autem non eſt abſoluta manducatio, nec bibitio: cùm nec naturale ieiunium frangat. Dicendum ſecundò: gratiam cauſari, dum primó per phyſicam trãſglutionem, hoſtia tranſmiſſa eſt in ſtomachum, & peracta eſt vera comeſtio, & manducatio. Conſtat ex locis prædictis. Qui motum, qualis eſt manducatio, non ex punctis indiviſibilibus, ſed ex partibus in infinitũ proportionaliter diviſibilibus componunt, difficulter id explicant, ut legere eſt apud Suar. *diſp.56. ſec.4.* *Joan.6.* *Suar.*

37 Cenſetur autem communiter peracta abſolutè comeſtio, cùm hoſtia attingit talem ſtomachi locum ubi cibus virtute nutritivâ alterari poteſt ad nutritionem, ut ait Dicaſtillus *diſp.8.dub.2.num 14.* aut, ut alij explicant; unde cibus non niſi per vomitum retrahitur. Quòdſi una pars eiuſdem hoſtiæ illuc perveniat, & aliæ partes continuæ non, ait Delugo *diſp.12.ſec.2.* illam priorem nondum cauſare gratiam; quia quamvis illa ſeorſim retrahi non poſſet, niſi per vomitum; bene verò cum comparte continuã, quæ non ita receſſit à faucibus. Hinc addit Bern. *diſp. 41.ſec.4.* non ſatis eſſe, quod hoſtia utcumque primò attingat ſtomachum, nam poſſet ſic aliquatenus attingere, quin eſſet abſolutè manducata, utpotè nondum intra ſtomachum contenta: ut accideret ſi pars altera continua adhuc eſſet in gutture: quia, inquit, ſi ſic accideret in cibo naturali, homo poſtea totum id extrahens per os, maneret in ieiunio naturali. De quo tamen meritò dubitat Henaus *diſp 13. ſec. 1.* & pluſquam dubitat *Dicaſt.num.19.* *Dicaſt.* *Bern.* *Lug.* *Hen.*

38 Tertia difficultas. An ſi Sacramentum aliquomodo inferretur in ſtomachum abſque manducatione, cauſaret gratiam. Affirmant Amicus, & Leander apud Henaum ex evẽtu apud Salmeronem cuiuſdam moribundi, qui cupiens, & non potens communicare, obtinuit, ut hoſtia ſibi aplicaretur ad pectus: quo divinitùs aperto, illam intromiſſam retinuit, & obijt. Negant nihilominus cum communi ſententia Suar. Conine, & Raynaudus apud Henaum *num. 5.* qui cum Delugo rem in medio relinquit; inclinans tamen, & meritò in communiorem ſententiam. Quia verba Chriſti, requirentis veram comeſtionem, ſatis ſunt clara. *Amic.* *Leand.* *Suar.* *Conin.* *Rayn.* *Hen.* *Lug.*

39 Quarta. An Hoſtia iam primò manducata cauſet iugiter gratiam dum permanet in ſtomacho, eó nempé maiorem, quò diutiùs perdurat. Affirmant Caietanus, Suarez, Reginal, Lugus, & Amicus apud Dicaſtillum *diſp 8. dub.3.* ſequuntur graves Recentiores: eo moti; quòd, quandiu ſpecies durant in ſtomacho, eſt ibi tota virtus Sacramenti cauſativa gratiæ applicata ſubiecto: ergo toto *Caiet.* *Suar.* *Regin.* *Lug.* *Amic.*

illo

illo tempore, ſi homo diſponatur, cauſa ſuum effectum gratiæ: quemadmodum cibus naturalis, quandiu retinetur, prodeſt ad vitam. Verùm in primis hoc de cibo naturali non valet: nã in ſuis effectibus causãdis non omnino imitatur cibus Euchariſticus naturalem alioquin, ſicut hic non auget alitum, donec corrumpitur, ſic nec Euchariſticus augeret gratiam quando comeditur, donec deſinat eſſe: quod dicet nemo. Deinde, conceſſo antecedente, nego conſequentiam: quia deeſt conditio ex Dei lege requiſita ad cauſandam denuò gratiam, nempé comeſtio.

Vaſq. Valen. He rr. Lodeſ. Dicaſt. Hen. Bern.

40 Merito igitur id negant Vaſquez, Valentia, Henriquez, Ledeſma, Dicaſtillus, Henaus, & Bernal *ſec t.* & hoc quidem, quamvis de ſuò diſponatur ſic retinens hoſtiam. Quia ciuſmodi effectus Sacramentorum ex opere operato, ut expendimus *ſect 1.* non ſunt adſtruendi ſine gravi fundamento in inſtitutione Chriſti: ex hac autem totum manducationi, ut conditioni requiſitæ, invenitur promiſſus effectus gratiæ. Undè Dicaſtillus *num. 42.* laudatâ pietate Auctorum contrariæ ſententiæ, miratur eorum facilitatem in ea doctrina promovenda, præſertim in Caietano contra S. Tho. quod ſint in cauſa aliquibus, præſertim mulicrculis importunè procurandi maiorem ſolito hoſtiam, aut plures ſimul ſibi conferri, ut diutiùs durarent in ſtomacho, & eò magis gratiam augerent.

Dicaſt. Caiet. S Tho.

Card. Zapata. Hen.

Quem poſtea morem iure coercuit Card. Zapata generalis Inquiſitor, quaſi ſuperſtitioſum, & inconvenientibus obnoxium: ut ponderat Henaus *nu 8.* infelices exiſtimans, ſi vera eſt oppoſita ſententia, illos qui robuſtiori vigent ſtomacho, breviùs propterea conſumpturo ſpecies cum gratæ detrimento.

41 Quinta. An Euchariſtia ſuſcepta cum obice impediente effectũ gratiæ, amoto poſtmodùm obice, gratiam cauſet. Affirmare videntur Caiet Sotus, & Cabezudus contra S. Tho. *in 4. diſt. 4. quæſt 3. art. 2.* Cumquo tamen id negat communis, & vera ſententia ut videre eſt apud Suar. *diſp 63. ſec 8.* Incredibile namque videtur, indignè & ſacrilegé communicantes eó plús gratiæ poſtea percepturos, quó plures ſacrilegas communiones exercuerunt.

Caiet. Sot. Cabez. S. Tho. Suar.

42 Obſtat paritas aliorum Sacramentorum, quæ, amoto poſtea obice, ſuum effectum gratiæ cauſare dicuntur At circa obſtaculum iſtud occurrunt multa, quorum examen aliò pertinet. In primis, quamvis id eſſet verum de omnibus alijs Sacramentis, non eſt par ratio pro Euchariſtia: fortè, quia eius ſumptio non eſt eius confectio, ſicut in alijs Sacramentis: quorum utique ſuſceptio eſt eorundem confectio & ex parte Miniſtri actio effectiva Sacramenti nomine Chriſti, iuxta illud Auguſtin *tract. 6. in Joan. Petrus baptizet, hic eſt qui baptizat*: nempé Chriſtus: ex qua ſpecialitate poſſet fortè fumi aliqualis ratio diſparitatis congruæ, cur valida confectio aliorum ſacramentorum cum obice cauſet ſuam gratiam potiús quàm indigna ſumptio Euchariſtiæ.

Aug.

43 Accedunt aliæ congruitates. Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo imprimunt ſpecialiter caractèrem: ideoque iteiterabiles ſunt, quamvis indigné, & peccaminosè ſuſcipiantur; Ne ergo, qui validè illa ſuſcepit, poſtea iuſtificatus, maneat ſine gratia eorum Sacramentorum, quorum caractè e inſignitus; cõgruum eſt, ut amoto poſtea obice illam gratiam cauſent, quã antea cauſavi ſ ẽt, ſi non fuiſſet obex Et præſertim pro Baptiſmo ſtat celebre teſtimonium Aug. *de Bapt. contra Donatiſtas*, quod expendit digné Dicaſtillus pro communi ſententia *d. ſp 2 de Baptiſm dub 15.* Pœnitentia; ſi nequit eſſe Sacramentum validum informe, ut cum Vaſquez tenet ſententia mihi vera, eſt extra præſentem litem; ſi verò poteſt, ideò dicendum videtur cauſare ſuam gratiam, amoto obice, quia cùm, iuxta hanc ſententiam, nõ maneat obligatio confitendi illa peccata iam validé confeſſi, quamvis propter obicem nõdum remiſſa; ſi Sacramentum illud validum, ablato obice, non illa remitteret cauſando ſuum effectum gratiæ ea peccata, quamvis alioquin deleta per gratiam, nunquam tamen eſſent abſoluta, directèquè remiſſa per claves Eccleſiæ. Matrimonium nequit iterari inter eoſdem nec Extremaunctio in eâdem infirmitate. Nihil horum habet ſumptio Euchariſtiæ: ideoque nõ fit pro illa ratio congrua, cur dicatur cauſare debere ſuũ gratiæ effectum, ablato obice, in illo, qui indigné comunicans iudicium ſibi manducavit, & bibit.

Aug. Dicaſt.

44 Mihi quidem uſquedeó diſſonat, quód comuniones indignæ, ſaltem formaliter, & advertenter ſacrilegæ, cauſent unquam effectum gratiæ, quomodocumque poſtea ſublato obice, ut minùs mihi diſſonaret, ſi non ſubſiſtunt rationes diſparitatis ſupra poſitæ, dicere, nullum omninò Sacramentum validè ſuſceptum cum obice ad gratiam, cauſare deinceps ſuam gratiam amoto obice. Id quod de Baptiſmo, ubi difficultas maior eſt, ſatis doctè promovet ſapientiſſimus Vaſquez *1. p. diſp 159. cap 4.* cum Scoto, Gabriele, & alijs, reſpondens profundè ad Auguſtini teſtimonia, quibus nititur communis ſententia: quid-

Vaſq. Scot. Gabr.

Digitized by Google

quidquid reclamat noviter Dicaſtillus citatus.

SECTIO IV.

An,& quos alios effectus, præter augmentum gratiæ, habeat proprios Euchariſtia.

45 PRimus adnumerari ſolet remiſſio venialium,etiam quoad culpam.Sic Theologi communiter cum S.Tho. & colligitur ex Trident *ſeſſ. 3.cap.2.* Euchariſtiam appellante, *antidotum,quo liberamur à culpis quotidianis & à peccatis præſervamur*, & quidem ex opere operato, ut cum Suar. & Vaſquez tenent alij apud Dicaſtill. *diſ 8.de Euchar.dub.8.* Sufficit autē ad hunc effectum,ait Suarez,quód accedat homo dignus ſine affectu actuali ad venialia.Nec propterea putes, eo ipſo remitti ex opere operato cuncta venialia; ſed aliqua iuxta Dei legem nobis non omninó notam.

S. Thom. *Trid.* *Suar.* *Vaſq.* *Dicaſt.*

46 Secundus,remiſſio mortalium quóad aliquam pœnam temporalem reſiduam ex illis iam alioquin remiſſis quoad culpam. Quem etiam effectum præſtari ſimiliter ex opere operato diſcurrit Dicaſtillus *num.131.*

Dicaſt.

47 Tertius, præſervatio à mortalibus, etiam quoad culpam Colligitur ex verbis Trident. nuper citati. Quod multifariam intelligitur Primó,quatenus confert abundantiam gratiæ roborantis animā ad bene operandum. Secundó:quatenus Euchariſtici cibi potúſque dulcedine quaſi inebriatur anima, ut minus ſentiat tentationes. Tertió: quatenus Euchariſtia avertit, & fugat dæmones tē-ctores: & ut ait Chriſoſtomus, per eam efficimur diabolo terribiles. Quartó: quatenus cauſat ſpeciale lumen, & ſpirituale fomentū, quo pravi motus minuuntur, quaſi ſopitur peccandi fomes, debilitantur inſultus carnis incitamenta peccati, & iuxta Bernardum, *ſedat ſavientem membrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.*

Trid. *Chriſoſt Hom.61. ad Pop.* *Bern.*

48 Quartus, acquiſitio gloriæ: ex Joa. *6. qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Hinc Eccleſia canit: *futura gloria nobis pignus datur*: quod ſpecialiús de gratia Euchariſticâ, quàm utcumque de gratia venit intelligi; & concinit Trid. cit. Eo quia ſpiritualis hæc nutritio perducit hominem in virum perfectum, illum inſtruendo ſpecialibus auxilijs ad perſeverandum in gratia: & per eam poſſidetur iam ipſe Chriſtus pignus æternæ poſſeſſionis Dei.

Ioan.6. *Offi.Ecc.* *Trid.*

49 Quintus, dulcedo quædam, & delectatio ſpiritualis: orta videlicet ex ſpeciali unione cum Chriſto, & ex abundantia auxiliorum divinæ gratiæ: de quo Suarez, *diſput. 62. ſectio. 9 &* Delugo *diſput. 12. num 90.*

Suar. Lug.

50 Sextus, Unio ſpiritualis cum Deo, & proximo. Ideò vocatur *Communio*, & Sacramentum *unitatis* Unde Trid. ait, Chriſtum reliquiſſe nobis Euchariſtiam in ſymbolum eius unitatis, & charitatis, qua chriſtianos unius menſæ convivas inter ſe conjunctos eſſe voluit. Cauſat autem dictæ unionis effectus,quatenus ſpecialiter accēdit charitatem.

Trid.

51 Septimus, Unio etiam noſtra cum Chriſti corpore. Huc Cyrill. Hieroſolym. *Catechef. Myſtag.4. concorporei ut ita dicam, & conſanguinei Chriſti facti eſtis.* De quo latè Vaſq. *diſp.204.* & latis Dicaſt. *dub. 5.* Nonnulli nullam aliam videntur agnoſcere unionem noſtri corporis cum corpore Chriſti virtute huius Sacramenti, niſi localem Alium verò ſpecialiorem agnoſcunt alij ex ſenſu SS. Patrum: non quidem phyſicam, ſed moralem: in eo nempè ſitam,quód Chriſtus ad inſtar ſponſi ſpeciali vinculo conſtituti dignè communicantium, eorum etiam corpora, quaſi ſpeciali titulo ſua, reſpiciat, & protegat. Videndus etiam Suar. *diſp.64 ſec. 4.* Quó reduci poſſunt alij effectus inde derivati in corpora etiam communicantium: nempé iubilus ſenſibilis in corde, lætitia in vultu,modeſtia in oculis,moderatio in linguæ tranquillitas in paſsionibus:imò & interdum robur, & ſanitas in membris dignè communicantium;ſicutè contra infirmitate,& mors in indignis, ut innuit Apoſt.1. Corinth.11. *qui enim manducat indignè, iudicium ſibi manducat,&c. ideó inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Hinc Anſelmus apud Cornel.ſuper hunc locum: *multi poſt Paſcha variis morbis corripiuntur, quia indignè corpus Domini acceperunt.*

Cyrill. *Vaſq.* *Dicaſt.* *Suar.* *1. Cor.11.* *Anſel. Cornel.*

52 Octavus, glorioſa corporum reſurrectio: iuxta illud Chriſti: *& ego reſuſcitabo illum in noviſſimo die.* Unde Concil. Nicenum Euchariſtiam vocat, ſymbolum reſurrectionis; & Martyr Ignatius, pharmacum immortalitatis. Ex eo ſcilicet quòd ſit pignus æternæ beatitudinis in corpora refundendæ; & quia carnem noſtram unam quodammodo facit cum carne Chriſti, qui eſt primitiæ dormientium, & primogenitus mortuorum cum ipſo ſuſcitandorum ipſi conſimilium. De hoc, & alijs eximijs Euchariſtiæ effectibus præter Auctores citatos ſcribit luculenter, & perquàm eruditè Raynaudus *tom. 6. in Candelabro ſec.3. & ſec.4. cap.2.3.& 4 & deinceps.*

Ioan.6. *Nicen.* *Ignat.* *Rayn.*

illo tempore, si homo disponatur, causa suum effectum gratiæ : quemadmodum cibus naturalis, quandiu retinetur, prodest ad vitam. Verùm in primis hoc de cibo naturali non valet : nũ in suis effectibus causãdis non omnino imitatur cibus Eucharisticus naturalem alioquin, sicut hic non auget alitum, donec corrumpitur, sic nec Eucharisticus augeret gratiam, quando comeditur, donec desinat esse: quod dicet nemo. Deinde, concesso antecedente, nego consequentiam : quia deest conditio ex Dei lege requisita ad causandam denuò gratiam, nempé comestio.

Vasq. Valen. Herr. Lodes. Dicast. Hen. Bern.

40 Merito igitur id negant Vasquez, Valentia, Henriquez, Ledesma, Dicastillus, Henaus, & Bernal *sec* 1. & hoc quidem, quamvis de nuò disponatur sic retinens hostiam. Quia eiusmodi effectus Sacramentorum ex opere operato, ut expendimus *sect* 1. non sunt adstruendi sine gravi fundamento in institutione Christi : ex hac autem tolum manducationi, ut conditioni requisitæ, invenitur promissus effectus gratiæ. Undè Dicastillus *num.* 42. laudatâ pietate Auctorum contrariæ sententiæ, miratur eorum facilitatem in ea doctrina protnovenda, præsertim in Caietano contra S. Tho. quod fuit in causa aliquibus, præsertim mulierculis importunè procurandi maiorem solito hostiam, aut plures simul sibi conferri, ut diutiùs durarent in stomacho, & eò magis gratiam augerent.

Dicast. Caiet. S Tho.

Card. Zapata. Hen.

Quem postea morem iure coercuit Card. Zapata generalis Inquisitor, quasi superstitiosum, & inconvenientibus obnoxium : ut ponderat Henaus *nu* 8. infelices existimans, si vera est opposita sententia, illos qui robustiori vigent stomacho, breviùs propterea consumpturo species cum gratæ detrimento.

41 Quinta. An Eucharistia susceptа cum obice impediente effectũ gratiæ, amoto postmodùm obice, gratiam causet. Affirmare videntur Caiet Sotus, & Cabezudus contra S. Tho. *in 4. dist. 4. quæst 3. art.* 2. Cumquo tamen id negat communis, & vera sententia ut videre est apud Suar. *disp 63. sec 8.* Incredibile namque videtur, indignè & sacrilegé communicantes eó plús gratiæ postea percepturos, quó plures sacrilegas communiones exercuerunt.

Caiet. Sot. Cabez. S. Tho. Suar.

42 Obstat paritas aliorum Sacramentorum, quæ, amoto postea obice, suum effectum gratiæ causare dicuntur At circa obstaculum istud occurrunt multa, quorum examen aliò pertinet. In primis, quamvis id esset verum de omnibus alijs Sacramentis, non est par ratio pro Eucharistia: fortè, quia eius sumptio non est eius confectio, sicut in alijs Sacramentis : quorum utique susceptio est eorundem confectio, & ex parte Ministri actio effectiva Sacramenti nomine Christi, iuxta illud Augustin tract. 6. in Joan. *Petrus baptizet, hic est qui baptizat*: nempé Christus: ex qua specialitate posset fortè tumi aliqualis ratio disparitatis congruæ, cur valida confectio aliorum sacramentorum cum obice causet suam gratiam potiùs quàm indigna sumptio Eucharistiæ.

Aug.

43 Accedunt aliæ congruitates. Baptismus, Confirmatio, & Ordo imprimunt specialiter caractèrem : ideoque irreiterabiles sunt, quamvis indignè, & peccaminosè sucipiantur; Ne ergo, qui validè illa suscepit, postea iustificatus, maneat sine gratia eorum Sacramentorum, quorum caractè, e insignitur; cõgruum est, ut amoto postea obice illam gratiam caulent, quã antea causavisset, si non fuisset obex Et præsertim pro Baptismo stat celebre testimonium Aug. *l. de Bapt. contra Donatistas*, quod exquirit dignè Dicastillus pro communi aliorum sententia *d. sp. 2 de Baptism. dub* 13. Pœnitentia, si nequit esse Sacramentum validum informe, ut cum Vasquez tenet sententia mihi vera, est extra præsentem litem; si verò potest, ideò dicendum videtur causare suam gratiam, amoto obice, quia cùm, iuxta hanc sententiam, nõ maneat obligatio confitendi illa peccata iam validé confessa, quamvis propter obicem nõdum remissa; si Sacramentum illud validum, ablato obice, non illa remitteret causando suum effectum gratiæ ea peccata, quamvis alioquin deleta per gratiam, nunquam tamen essent absoluta, directèquè remissa per claves Ecclesiæ. Matrimonium nequit iterari inter eosdem: nec Extremaunctio in eâ lem infirmitate. Nihil horum habet sumptio Eucharistica: ideoque nõ stat pro illa ratio congrua, curdicatur causare debere suũ gratiæ effectum, ablato obice, in illo, qui indignè comunicans iudicium sibi manducavit, & bibit.

Augst. Dicast.

44 Mihi quidem usqueadeó dissonat, quód comuniones indignæ, saltem formaliter, & advertenter sacrilegæ, causent unquam effectum gratiæ, quomodocumque postea sublato obice, ut minùs mihi dissonaret, si non subsistunt rationes disparitatis supra positæ, dicere, nullum omnino Sacramentum validè susceptum cum obice ad gratiam, causare deinceps suam gratiam amoto obice. Id quod de Baptismo, ubi difficultas maior est, satis doctè promovet sapientissimus Vasquez 3. p. *disp 159. cap 4.* cum Scoto, Gabriele, & alijs, respondens profundé ad Augustini testimonia, quibus nititur communis sententia:

Vasq. Scot. Gabr.

quid-

quidquid reclamat noviter Dicastillus citatus.

SECTIO IV.

An, & quos alios effectus, præter augmentum gratiæ, habeat proprios Eucharistia.

45 PRimus adnumerari solet remissio venialium, etiam quoad culpam. Sic Theologi communiter cum S. Tho. & colligitur ex Trident *sess. 3. cap. 2.* Eucharistiam appellante, *antidotum quo liberamur à culpis quotidianis & à peccatis præservamur*, & quidem ex opere operato, ut cum Suar. & Vasquez tenent alij apud Dicastill. *disp. 8. de Euchar. dub. 8.* Sufficit autē ad hunc effectum, ait Suarez, quòd accedat homo dignus sine affectu actuali ad venialia. Nec propterea putes, eo ipso remitti ex opere operato cuncta venialia; sed aliqua iuxta Dei legem nobis non omninò notam.

S. Thom. Trid. Suar. Vasq. Dicast.

46 Secundus, remissio mortalium quòad aliquam pœnam temporalem residuam ex illis iam alioquin remissis quoad culpam. Quem etiam effectum præstari similiter ex opere operato discurrit Dicastillus *num. 131.*

Dicast.

47 Tertius, præservatio à mortalibus, etiam quoad culpam. Colligitur ex verbis Trident. nuper citati. Quod multifariam intelligitur. Primò, quatenus confert abundantiam gratiæ roborantis animā ad benè operandum. Secundò, quatenus Eucharistici cibi potúsque dulcedine quasi inebriatur anima, ut minus sentiat tentationes. Tertiò: quatenus Eucharistia avertit, & fugat dæmones tentatores: & ut ait Chrisostomus, per eam efficimur diabolo terribiles. Quartò: quatenus causat speciale lumen, & spirituale fomentū, quo pravi motus minuuntur, quasi sopitur peccandi fomes, debilitantur insultus carnis incitamenta peccati, & iuxta Bernardum, *sedat sævientem membrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit.*

Trid. Chrisost. Hom. 61. ad Pop. Bern.

48 Quartus, acquisitio gloriæ: ex Ioa. 6. *qui manducat hunc panem vivet in æternum.* Hinc Ecclesia canit: *futura gloria nobis pignus datur*: quod specialiùs de gratia Eucharisticâ, quàm utcumque de gratia venit intelligi; & concinit Trid. cit. Eo quia spiritualis hæc nutritio perducit hominem in virum perfectum, illum instruendo specialibus auxilijs ad perseverandum in gratia: & per eam possidetur iam ipse Christus pignus æternæ possessionis Dei.

Ioan. 6. Offi. Ecc. Trid.

49 Quintus, dulcedo quædam, & delectatio spiritualis: orta videlicet ex speciali unione cum Christo, & ex abundantia auxiliorum divinæ gratiæ: de quo Suarez, *disput. 62. sectio. 9* & Delugo *disput. 12. num 90.*

Suar. Lug.

50 Sextus, Unio spiritualis cum Deo, & proximo. Ideò vocatur *Communio*, & Sacramentum *unitatis*. Unde Trid. ait, Christum reliquisse nobis Eucharistiam in symbolum eius unitatis, & charitatis, qua christianos unius mensæ convivas inter se coniunctos esse voluit. Causat autem dictæ unionis effectus, quatenus specialiter accēdit charitatem.

Trid.

51 Septimus, Unio etiam nostra cum Christi corpore. Huc Cyrill. Hierosol. m. *Cateches. Mystag. 4. concorporei ut ita dicam, & consanguinei Christi facti estis.* De quo latè Valq. *disp. 204.* & latis Dicast. *dub. 5.* Nonnulli nullam aliam videntur agnoscere unionem nostri corporis cum corpore Christi virtute huius Sacramenti, nisi localem. Aliam verò specialiorem agnoscunt alij ex sensu SS. Patrum: non quidem physicam, sed moralem: in eo nempè situ, quòd Christus ad instar sponsi speciali vinculo constituti dignè communicantium, eorum etiam corpora, quasi speciali titulo sua, respiciat, & protegat. Videndus etiam Suar. *disp. 64 sec. 4.* Quò reduci possunt alij effectus inde derivati in corpora etiam communicantium: nempè iubilus sensibilis in corde, lætitia in vultu, modestia in oculis, moderatio in linguā: tranquillitas in passionibus: imò & interdum robur, & sanitas in membris dignè communicantium; sicut è contra infirmitate, & mors in indignis, ut innuit Apost. 1. Corinth. 11. *qui enim manducat indignè, iudicium sibi manducat, &c. ideò inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* Hinc Anselmus apud Cornel. super hunc locum: *multi post Pascha variis morbis corripiuntur, quia indignè corpus Domini acceperunt.*

Cyrill. Vasq. Dicast. Suar. 1. Cor. 11. *Anselm. Cornel.*

52 Octavus, glorioſa corporum resurrectio: iuxta illud Christi: *& ego resuscitabo illum in novissimo die.* Unde Concil. Nicenum Eucharistiam vocat, symbolum resurrectionis; & Martyr Ignatius, pharmacum immortalitatis. Ex eo scilicet quòd sit pignus æternæ beatitudinis in corpora refundendæ; & quia carnem nostram unam quodammodo facit cum carne Christi, qui est primitiæ dormientium, & primogenitus mortuorum cum ipso suscitandorum ipsi consimilium. De hoc, & alijs eximijs Eucharistiæ effectibus præter Auctores citatos scribit luculenter, & perquàm eruditè Raynaudus *tom. 6. in Candelabro sec. 3. & sec. 4. cap. 2. 3. & 4. & deinceps.*

Ioan. 6. Nicen. Ignat. Rayn.

53 Prædicti effectus sunt ut plurimum ex opere operato. Non tamen omnes conferuntur statim ac sumitur Eucharistia; sed vel tunc, vel oportunè postea, datâ necessitate, aut occasione: confertur verò tunc titulus ad illos. Nec eos semper experitur homo: quod multiplici causæ tribuit Suarez. Primò, quia alij accedunt indigni. Secundò, quia alij subsequentibus peccatis fiunt illorum indigni. Tertiò, quia sæpè impediuntur à voluntate nostra resistente auxilijs. Quartò, quia post cælestem panem distrahimur ad terrena. *Suar.* Quintò, quia sæpè auxilia, quæ nobis dantur intuitu Eucharistiæ, non á nobis dignoscuntur: & licèt consistant in actibus nostris, non facilè dijudicamus, motus ille undè veniat, aut quò vadat. Atque hinc solatur Suarez timoratos, qui adhibitâ ad dignè communicandum diligentiâ, tristari nimiũ solent, quòd non sentiant suavitatem illam, ac fervorem, roburque spiritûs, aliosque effectus, quos de alijs legunt, aut audiunt, inde sibi nimis anxie timentes, ne forsan indignè communicaverint.

DISPUTATIO XXX. ET XI.

DE

DISPOSITIONIBVS EVCHARISTIÆ.

1 ALIÆ sunt ex parte animæ; aliæ ex parte corporis: aliæ necessariæ; aliæ convenientes ad dignè, & fructuosè sumendam Eucharistiam. De quibus omnibus agemus seorsim sub brevibus, multa remittendo ad Summistas.

SECTIO I.

Quænam dispositiones requirantur ex parte animæ ad dignè communicandum.

2 PRimò requiritur Baptismus. Hic enim, cùm sit janua sacramentorum, prærequiritur, & quidem in re susceptus, ad reliqua Sacramenta legis gratiæ. Unde catechumeni nondum sunt capaces Eucharistiæ. Quòd si illam susciperent, sine fructu Sacramentali susciperent.

3 Secundò: unio cum Ecclesia, ut membrum ipsius non abscissum per excommunicationem. Undé excommunicati, quivis fortè sint in statu gratiæ, incapaces sunt. In eo tamen dispares à non baptizatis, quòd excommunicatus existens in statu gratiæ, & inadvertenter ad excommunicationem, aut quóquo alio modo, licitè communicans, Eucharisticam gratiam reciperet. Casus autem aliquos, in quibus excommunicatus posset licitè communicare, affert, & discutit Dicastillo *disp. 9. à num. 126.* Ut si Sacerdos excommunicatus, inceptâ Missâ, recordetur excommunicationis: si laico non communicanti ingens immineret infamia, scandalum, aut vitæ periculum. Quo in casu, addit, cum Suar. & Delugo, quód, cúm sibi conscius sit peccati nondum confessi, tenetur si potest, præmittere confessionem, quamvis non adsit qui possit illum absolvere ab excommunicatione: quia præceptum divinum præmittendi confessionem ad communionem prævalet præcepto Ecclesiastico præmittendi absolutionem ab excommunicatione ad absolutionem à peccatis. E contra sentiunt Vasquez, & alij, opinantes, in eo casu tali excommunicato non licére confiteri, sed debere contritum communicáre. Addit insuper *nu. 130.* pulchrum casum, in quo posset excomunicatus conscius, urgente necessitate, licitè communicare, non interpositâ confessione, nec contritione. *Dicast.* *Suar.* *Lug.* *Vasq.* *Dicast.*

4 Tertiò. Status gratiæ. Colligitur à fortiori ex dictis *disp. 10 sect. 1.* & definitur à Trident. *sess. 13. cap. 7. ex Apostolo 1. Corinth.* *Supra disp. 10.* *Trid.* *1. Cor. 11.*

*rinth.11. Qui mãducat,& bibit indignè iudicium sibi manducat:id est,damnationem,*ut
Chrisost. ex Chrisostomo glossat Corn. Unde in nullo
Cornel. prorsus casu cõmunicans in peccato mortali percipit fructum Sacramenti. Quò facit iustissima prohibitio Innocentiana propositionis in decreto an. 1679.quinquagessimæ sextæ,quæ sic habebat:*frequens confessio & Cõmunio etiam in ijs,qui gentiliter viuunt est nota prædestinationis :* notam dixerim potiùs damnationis ex Apostolo nubi nuper. Quale peccatum sit in peccato comunicare: & an aliquandò fieri possit absque novo peccato , videbitur oportunius *disp. 13. sec.2.*

Infra disp.13.

5 Quartò:Confessio Sacramentalis. Ita videlicet , ut conscius peccati mortalis post Baptismum commissi, & nondum confessi, teneatur ad dignè communicandum,illud sacramentaliter confiteri,quãvis per contritionem extra Sacram ẽtum fuerit iam remissum. Sic Trid.*sess.14.cap.7.*ibi:*Communicare volenti revocandum est in memoriam eius præceptum probet se ipsum homo Ecclesiastica autem consuetudo declarat,eam probationem necessariam esse,ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissâ Sacramentali confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat.*Unde quod ante Trid. scripsit Caiet.
Trid.
Caiet. in Sũma,& super dictum Pauli Locum , nullum esse nec fuisse in Ecclesia præceptum præmittendi communioni confessionem,improbabile iam est, & temerarium censetur à
Cabez. Canus. Syx. Sen. Conrad. Cabezudo,errori proximum à Cano; erroneũ à Syxto Senenensi;& hæreticum à Conrado, & alijs.

6 Quale autem sit eiusmodi præceptum,variant Theologi.Nonnulli dixerunt,esse iuris naturæ:cũm enim Eucharistia iure naturali requirat statum gratiæ, eodem iure videtur teneri homo , eum statum procurare per media certiora, ut est confessió Sacramentalis. Alij volunt esse præceptum humanum Ecclesiasticum impositum à Paulo illis verbis 1.Cor.11 *probet autem se ipsum homo:*unde Trid. ait : *revocandum est in memoriam eius præceptum:*id est,Pauli.
1. Cor.11. Trid.

7 Communis tamen iam,& vera Sententia cũ Suar.*disp 63.*& Vasquez *disp. 207.* tenet esse præceptum divinum à Paulo quidem traditum,ut a Christo impositum.& acceptum iuxta illud:*ego autem accepi á domino quod & tradidi vobis,&c.* Sicque colligitur ex Trid ibi:*Ecclesiastica autem consuetudo declarat, &c.* ubi non ait, hoc præceptum oriri ex consuetudine Ecclesiæ , sed per consuetudinẽ Ecclesiæ declarati significatum
Suar. Vasq.
1. Cor.11. Trid.
fuisse per prædicta verba Pauli : non quasi à Paulo impositum, nam sic impositum fuisset solis Corinthijs ad quos scribebat;sed quasi à Paulo traditum, ideoque potuit quodammodo vocari *præceptum eius* ; à Christo autem impositum , id attestante Paulo. Quò facit Augustini regula. *lib.4. contra Donat. cap. 24.* ibi : *id, quod semper in Ecclesia fuit, nec eius initium agnoscitur , ex Apostolica traditione profectum rectissimè creditur.* *Augustin.*

8 Nihilominus sunt aliqui casus, in quibus conscio de mortali liceret communicare urgenti causa,non præmissâ confessione Sacramentali in re;sed tantum in voto contritionis :& quidem perfectæ:nam attritionem fore satis in ijs casibus,improbabile est.

9 Primus casus est, si urgeat mors , & deest copia confessarij. Quo in casu, si opus esset , né Proximus moreretur sine viatico, posset etiamSacerdos sibi conscius de mortali,contritus,& inconfessus celebrare,deficiente confessario. Secundus : si Sacerdos inconfessus inchoavit Sacrum : & hoc quidem,addit Dicastillus *nu.78 & 79.*ex Suarez,quamvis sine nota posset,aut recedere ab altari, aut illuc advocare confessarium : de quo etiam Diana *par.3 tra.4. res. 48.* Tertius: si Laicus iam communicaturus , est ad mensam communionis in ordine cum alijs , non potens , sine nota infamiæ recedere. Quartus: si Sacerdos non habens copiam confessarij nequeat die festo citra notam omittere sacrum quod alij audire desiderant. Quintus est dubius,videndus cũ bonis authoribus pro utraque parte apud Dicast. *disput 9. à num. 96.* & Dianam *par.4. tract.4. res.99. & par 3. tract 13.resol.63.*si nempe in Paschate urgeat præceptum annuæ communionis ; & peccator etiam Laicus sibi conscius de mortali non habeat copiam confessarij: & idem est, si Sacros , aut alij non possint adesse sacro in die festo , nisi Sacerdos sibi conscius de mortali, carensque confessario , celebret Aiunt enim Sotus , Delugo , Conine , & alij apud Dianam *part. 4 tra. 4. resol 96.* posse etiam contritum celebrare causâ precepti de Sacro in die festo, aut Comunionis annuæ. Negant verò probabiliùs alij cum Suar.in id etiam inclinante Dicast.*dub.6 n 97* quamvis affirmẽt *num.93.*pro casu,quo Parochus ex officio teneretur , ne Parochiani manerent sine sacro in die festo:contra Vasquez existimantem,ex eo capite non esse sufficientem causam , nisi accederet infamiæ nota Et ratio id negandi est : quia illa præcepta Ecclesiastica non videntur urgere stante præcepto divino non communicandi, nisi præmissâ confessione.
Dicast. Suar.
Diana.
Dicast. Diana.
Sot. Lug. Conine. Diana. Suar. Dicast.
Vasq.

Tridēt. 10 Tridentinum *ſeſſ.13.c 7.* addit: *Quodſi, neceſſitate urgente, Sacerdos abſque prævia confeſſione celebraverit, quam primùm confiteatur.* Quæ verba continent præceptum Eccleſiaſticum: ut eſt iam certum, poſtquam *Alex.7.* Alexand. 7. per ſecundum ſuum Decretum ann. *1666.* prohibuit hanc aliquorum propoſitionem, ibi trigeſimam octavam: *Mandatum Tridentini factum Sacerdoti Sacrificanti ex neceſſitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm; eſt conſilium non præceptum.*

11 Quo in præcepto occurrunt duæ difficultates. Prima: ad quas perſonas extendatur? Reſpondetur primò, extendi ad Sacerdotes inconfeſſos, & contritos de mortali neceſſitate vrgente celebrantes: eos etiam, qui inchoatâ celebratione ſuum malum ſtatum animadverterint, & in altari conteruntur & ſic iuſtificati conſūmant. Reſpondetur ſecundo non extendi ad laicos ſimiliter in aliquo caſu communicantes: nec ad eoſdem Sacerdotes non ſacrificantes, ſed communicantes more laicorum: nec ad eos, qui non conſcij, ſed obliti ſui mali ſtatus celebrant: nec ad eos qui celebrant conſcij, & omnino impœnitentes cum formali ſacrilegio. Hæc, & *Dicaſt.* alia Dicaſtillus *dub.9.* & *Amic.* *Amic. diſp.26* Quorum eſt ratio: quia Tridentini lex loquitur de Sacerdote in caſu ſibi permiſſo, ratione neceſſitatis urgentis: ac proinde de Sacerdote peccati ſui conſcio, & non aliter potenti iuſtificare ſe, niſi per contritionem, eo quòd confeſſarij copiam non habeat. Non eſt autem cur legis obligatio ultra mentem, & verba protēdatur.

12 Altera dificultas eſt: quam temporis brevitatem ſignificet, & præcipiat vox illa, *quamprimùm.* Dicunt aliqui, prædictum Sacerdotem teneri procurare abſolutionem ſtatim ac recedit ab altari. Sed hoc eſt nimis rigidum. Dicebant alij, nullam aliam brevitatem ibi ſignificari, & præcipi; niſi quòd peccatum illud confiteatur antequam iterum celebret, aut cōmunicet. Sed hoc eſt nimis laxum, & omnino improbabile, præſertim poſt- *Alex.* quam Alexander prohibuit hanc propoſitionem in eodem Decreto trigeſſimam nonam: *Illa particula, quamprimùm, intelligitur, cùm Sacerdos ſuo tempore confiteretur.*

13 Certum igitur eſt, ſpeciale illud præceptum imponere ſpecialem obligationem quoad tempus ſignificatam voce: *quamprimum.* *Dicaſt.* Dicaſtillus *dub 9.* partim ſequens, *Lug.* partim inſequens Cardinalem Delugo, reſolvit, non fore mortale *per ſe loquendo*, niſi ultra triduum confeſsio differretur: venit enim hic etiam conſideranda ſuō modo parvitas materiæ ſicut, & multiplex alia circumſtantia. Quod autem aiunt alij, peccaturum contra hoc præceptum Sacerdotem, qui eodem die, ſi poſſet, non confiteretur, intelligi poſſe videtur venialiter, quidquid dicat P. Dicaſtillus *Dicaſt.* contra Delugo. Dixi *per ſe loquendo*: nam per accidens obligari poſſet ſub mortali in eadem die, ſi nempe ea die ſuperveniſſet copia confeſſarij mox defutura per dies ſequentes.

SECTIO II.

An, & quomodo requiratur præterea ad communionem Euchariſticam actualis devotio.

14 MAgiſter Lumbier poſt expoſitum Decretum SS. P. N. *Lumbier.* Innocentij Undecimi à nobis adducendum *diſ. ſeq ſec.3.* circa communionem quotidianam, tenuit antiquatam aliquorum ſententiam, quam nullis ei rationibus per familiares litteras diſſuadere potui, requirentem ad fructum gratiæ Euchariſticæ ex opere operato, præter ſtatum gratiæ, actualem aliam diſpoſitionem ſpecialis devotionis, præparationis, reverentiæ, ſeu fervoris ſpiritualis: cuius diſpoſitionis defectu ait, in multis frequenter communicantibus, quamvis alioquin exiſtentibus in ſtatu gratiæ, nullum effectum augmenti gratiæ cauſari. Sic in *Obſervat. Latinâ 14.§ 4.* Quod olim tenuere *S.* Tho. Alexand. Antonin, Sylveſter, Durandus, Palud. & Caiet. apud Vaſquez *diſp.206.* cum aliquo tamen inter ſe diſcrimine: nec ſine aliqua limitatione Magiſtri Lumbier: qui non utcumque ad cōmunionem, ſed ad frequentem cōmunionem, ſpecialem illam diſpoſitionem actualem requirit.

infra diſp.23.

S.Thom. Alex. Anton. Sylveſt. Duran. Palud. Caiet. Vaſq.

15 Moventur primò authoritate SS. magnam devotionem ac reverentiam commendantium in ijs, qui ad Euchariſtiam accedunt. Sed reſpondetur, id meritiſsimè à *Ss.* PP. commendari: non quidem ut neceſſariū ad Euchariſtiæ gratiam utcumque ſuſcipiendam; ſed ut perutile ad uberiorem, & ut maxime conveniens dignitati Sacramenti: non præciſe ad effectum gratiæ habitualis; ſed ad alios effectus gratiarum actualium, quos recenſuimus *diſp. prec. ſec.4.* Sicque ſeſe explicuit S. Tho. *q.79. art.8.* modificans, ſeu retractans quod docuerat *in 4. diſt. 12.* ut ingenuè *S.Thom.* facetur Petrus Sotus apud Vaſquez *cap 2.* *Sot.* *num.7.* *Vaſq.*

16 Moventur ſecundo: quia Sacramenta operantur in nobis iuxta modum ſuæ ſignificationis: ergo iuxta eum etiam modum pe-

petunt dispositionem in suscipiẽtibus, ut operentur.Sed modus significationis Eucharistiæ est refectivus,& nutritivus,significans,& operans spiritualem animæ nutritionem; quemadmodum ergo non nutrimur, velut inanimes cibo corporali, quin aliquam operationem vitæ cum illo exerceamus; sic debemus aliquo actu vitæ, qui sit devotio aliqua, seu fervor charitatis, disponi, ut spiritualiter alamur,& nutriamur cibo Eucharistico.Respondetur, concesso antecedente, distinguendo consequens: iuxta cum omnem modum,nego;iuxta aliquem cum sufficienti analogia,& proportione, concedo. Ad id autem,satis est actio manducandi, quæ in adultis debet esse aliquo modo voluntaria,ut supponimus. Hinc concessâ minori,nego consequentiam de ulteriori alia cooperatione nostra ad actum ipsum nutriendi. Ratio peti potest ex notabili discrimine cibi spiritualis Eucharistici à corporali: quòd hic convertitur in alitum, ideoque alitus agit in cibum; ille verò,utpotè panis vivus,non convertitur in alitum, sed convertit alitum in se: ideoque activitas ad eiusmodi spiritualem nutritionem tenet se ex parte cibi,dummodò applicetur animæ vivæ per gratiam.

17 Moventur tertiò. Quia accedere irreverenter,indevotè,ac tepidè,& cum evagatione mentis est peccatum: accedenti autem cum peccato non prodest Eucharistia: ergo, ut possit,& effectum causet,requiritur actualis illa dispositio devotionis,reverentiæ,ac fervoris. Sic Petrus Sotus,sed non satis distinctè. *Sot.* Respondetur cum distinctione. Vel enim irreverentia talis est,ut sit peccatum mortale:& sic certum est,impedire augmentum Eucharisticum gratiæ, quia gratiæ requisitæ statum evertit. Vel est moralis tantum imperfectio, aut ad summum, peccatum veniale: sic autẽ, quamvis impediat fructum uberioris gratiæ, alioquin plurimum effectus Eucharistiæ, non tamen omnem effectum augmenti gratiæ:quidquid dixerit Marsilius apud Vasquez *cap.1. num.* 5. per peccatum veniale fieri indignum effectu gratiæ Eucharisticæ hominẽ, alioquin existentẽ in gratia. An verò sit peccatum veniale accedere cum veniali ad Eucharistiã,tractat latè Dicast. *dub 3.* Alij affirmant; alij negant; alij distinguunt, affirmantes cum actuali, & negantes cum habituali: quam distinctionem posuit S. Thom. ubi supra. Difficile est,quòd advertenter accedens cum veniali saltem actuali non involvat denuò culpam aliquam venialem irreverentiæ, & irreligionis.Quòd autem id omninò impediat effectum gratiæ habitualis Eucharisticæ, non probat Marsilius,nec probari potest.

Marsil. Vasq.

Dicast.

S. Thom.

18 Moventur quartò. Quia si tepiditas illa, & indevotio actualis non obstaret effectui gratiæ Eucharisticæ,sequeretur, innumeros Sacerdotes per annos multos quotidiè communicantes, & plures quidem sine peccato mortali, ingens gratiæ,ac proinde virtutum incrementum acquisituros: quod videtur incredibile,& absurdũ. Nec obstat,quòd multi interim labantur in aliqua mortalia. Nam mox iustificantur, & omnem gratiam pristinam revivicentem recuperant, ut est communis Theologorum sententia.

19 Hanc rationem extollit supra modum Lumbier *num.* 501 illam firmans experimento exigui profectûs spiritualis in maiori parte Sacerdotum quotidie celebrantiũ, &, ut creditur, in statu gratiæ, passionibus æquè vividis,& fortè in dies vividiùs pungẽtibus,animâque torpẽte, ac difficili ad actus virtutũ: quod non sic experiremur,nisi augmentum gratiæ Eucharisticæ, & virtutum omninò impediretur defectu devotionis, & fervoris in communicãdo; supponimus enim non impediri à peccato mortali,cùm sint in statu gratiæ inter tot venialia.Igitur quia præter statum gratiæ,requiritur ad fructum augmenti gratiæ Eucharisticæ,& virtutum actualis illa devotio,fervor spiritus,& reverens præparatio,saltem in frequenter communicantibus.Et pro quotidiè communicantibus retulit *num.*507. opus esse multâ oratione, magnâ intentionitate, magno fervore, magnâque cutâ evitandi etiam venialia. *Lumbier.*

20 Respondetur,sequelam esse verissimam:at nec incredibilem,nec absurdam,sed valdè conformem efficacie huius Sacramenti,& munificentiæ Dei. Qui autem hoc iudicet incredibile, vix facile credet cumulum gratiæ impendendum homini iusto per annos multos exercenti opera bona inter multos defectus veniales. Posito tamen semper ob oculos ingenti discrimine inter magis,aut minùs dispositos,tepide, aut fervidè,reverenter, aut irreverenter communicantes: ob inæquales enim dispositiones inæquale quoque recipient ex Eucharistia susceptâ incrementum gratiæ: ita ut una communio cum magnâ dispositione,actualique devotione,ac fervore, tum in effectu gratiæ, tum in alijs Eucharistiæ effectibus recensitis *disp praced. sec.vlt.* æquivaleat, & præcellat multis communionibus cum exiguâ dispositione. *Supra disp.10.*

21 Nec rem evincit experimentum illud,quòd expendit,magnique facit Lumbier. Primò: quia,cùm habitus virtutum infusarũ, qui augentur ad augmentum gratiæ,non sint ad facilè sicut habitus adquisiti; sed sint ad simpliciter posse ad instar potentiarum; mirum

rum videri non debet, Sacerdotes quotidie dignè celebrantes, tepidé tamen viventes, parumque verſatos in exercitio virtutum, quamvis à frequentia Euchariſtiæ ingens accipiant augmentum gratiæ, & virtutum infuſarum, non ſentiant in dies ſe faciles ad opera virtutum, imó torpeant, & paſsiones vitiorum vividas ſentiant: ea namque facilitas ad actus virtutum, & victoria paſsionum, ac vitiorum eſt per ſe effectus habituum virtutum adquiſitarum, qui non á frequentia communionum, ſed à frequentia actuum illarum virtutum per ſe augentur. Secundò: quia quamvis illæ communiones augeant ſemper gratiam, & habitus virtutum infuſarum, huncque ſemper ex opere operato cauſent effectum; non tamen æqualiter in omnibus communicantibus, ſed inæqualiter pro inæqualitate diſpoſitionum. Tertiò, & maximé: quia præter gratiam, & virtutes infuſas ſunt multi alij effectus Euchariſtiæ dignè ſuſceptæ, ut explicuimus *diſp. præc. ſec. ult.* in quibus ſubijcitur magis experimento noſtro inæqualitas tepidé, aut fervidé communicantium: & quoad aliquos iſtorum effectuum procedit experimentum illud exaggeratum à Magiſtro Lumbier; non verò quoad effectum præciſſé gratiæ habitualis, & virtutum infuſarum cum magno, aut parvo intenſionis incremento: hoc enim non ita cadit ſub prædictum experimentum. Rationes, ex quibus deſumi poteſt quòd tepidè, & indevoté communicentes, quantumvis frequenter, non experiantur, nec percipiant multos ex illis effectibus, dedimus ex P. Suarez ibidem *num. 33.*

Supra diſp. 10.

Supra diſp. 10. ſect. 4.

22 Addo, quòd, quamvis per ſe loquendo ex opere operato frequenter indevotè cõmunicantes maius gratiæ, ac virtutum infuſarum acciperent incrementum, quàm rarò, & devoté comunicantes; at, cùm alij effectus Euchariſtiæ, qui potiores, & ſecuriores ſunt in ijs qui fervidé, ac devotè communicant, multum proſint ad exercendos multos actus virtutum, ad reprimendas paſsiones, & ad evitanda peccata; intelligitur facillimè, quòd occaſione Euchariſtiæ fervidé ac devotè ſuſceptæ maius gratiæ augmentum percipiant interdùm ex opere operantis, intuitu Euchariſtiæ qui rariùs devotè, quàm qui frequentiùs indevotè communicant.

23 Per hoc videtur plenè ſatisfieri diſcurſui Magiſtri Lumbier. Ad cuius ultimam conſequentiam fatendum eſt, eas ſpeciales diſpoſitiones maximè expedire, imò & requiri ad multò maiores proventus ſpirituales per Euchariſtiam percipiendos; non verò utcumquem ad effectum cuiuſlibet augmenti gratiæ: taliter ut ex præciſſo illarum defectu communicans alioquin iuſtus ſivè ratò, ſive frequenter, ſive quotidie, non ſemper accipiat aliquod augmentum gratiæ per Euchariſtiam in ſtatu gratiæ ſuſceptam.

24 Standum igitur eſt pro communi, mihi que feré certâ Theologorũ ſententia, & omnino dicendum, ſpecialem illam diſpoſitionem devotionis actualis non ita requiri, ut ex eius defectu privetur homo, alioquin iuſtus communicans, ſive rarò, ſive crebrò, effectu augmenti gratiæ Euchariſticæ. Sic S. Th. Suar. & Vaſq. Delugo *diſp. 14. nu. 39.* Dicaſt. *diſp. 8. dub. 4.*

S. Th. Suar. Vaſq. Lug. Dicaſt.

25 Sanè Trident. *ſeſſ. 13. cap. 7.* ſatis hunc noſtrum ſenſum indicavit, dum agens de præparatione ad dignè cõmunicandum, & cõmendans ſanctitatem, qua accedi debet, iubet, ne cõſcius peccati mortalis accedat ſine prævia confeſſione: & pro aliquibus caſibus, non datâ copia confeſſarij, ne ſine contritione: quæ ſunt media ad adquirendum ſtatum gratiæ: diminutè autem proceſſiſſet Trid. ſi ultra id requireretur ſpecialis devotio ad dignè communicandum.

Trid.

26 Tria reſpondet Lumbier *num. 503.* Primum, quòd Trid. ibi ſolum intendit ſtabire neceſſitatẽ cõfeſſionis: an verò ultra id ſit etiam neceſſaria aliqua alia ſpecialis devotio, indeciſum reliquit. Sed certè hoc ipſum eſt diminutè proceſsiſſe, quod in re doctrinali credi non debet; & ſatis indicaſſe, non fuiſſe de mente Concilij neceſſitatem ulterioris diſpoſitionis ad effectum gratiæ. Secundum, quòd Trid. ibi potiùs favet neceſsitati ulterioris diſpoſitionis præter ſtatum gratiæ: cùm inpeccatore iam iuſtificato per contritionem requirat ibi confeſsionem. At quid precor ſibi vult iſta reſponſio? an quòd conſcio de mortali præter contritionem neceſſaria ſit confeſsio, ut dignè communicet? Hoc non negamus, ſic declarante Tridentino: an quòd non conſcio de mortali neceſſaria ſit ſpecialis illa devotio, ut ſufficienter ad fructum diſponatur? At hoc ex quo Concilij verbo vel leviter infertur? Quòd ſi non infertur, hoc eſſet, Concilium diminutè proceſsiſſe, nec curaſſe de diſpoſitione iſtâ ulteriori requiſitâ pro iuſtis nõ conſcijs de mortali, quãdo tan ſeveré egit de requiſitâ pro peccatoribus. Tertium, quòd id colligitur ex primis verbis illius capitis: *cum magna reverentia, & ſanctitate.* Cæterũ nec ex illis, nec ex ullis verbis totius capitis colligi neceſsitatẽ præparationis ad Euchariſtiã ultra id quod ibi declaratur à Concilio, compertum eſt. Utilitatem magnæ reverentiæ, & ſanctitatis commendat quidem, & meritò; neceſsitatem ex

Lumb.

præ-

præcepto ibm postea declarat. Quodsi non contentis quoad necessitatem, & præceptum declaratione Concilij; ultra id quod Concilium declarat, requirenda est de necessitate & præcepto præparatio *cum magnâ reverentiâ, & sanctitate*; quis hanc reverentiæ magnitudinem nobis definiet?

27 Atque hinc videre est, quanta sequatur animarum perturbatio, & anxietas. Quosque scilicet pertingere debeat actualis illa devotio, magna reverentia, vitæ sanctitas, oratio, fervorque charitatis, ut dignè & cum fructu accedatur ad Eucharistiam. Quodsi verum est, eò intensiùs hæc requiri ad valide, & cum fructu, quo frequentius accediturjecce negotium difficilius, & scrupulosiùs tam pro frequêtantibus, quâ pro Patribus spiritualibus dirigentibus. Deberent profectò prædicti Authores aliquid nobis penticulatiùs definire circa requisitum illud tuum actualis devotionis, magnæ reverentiæ, orationis, fervensque charitatis: alioquin nihil afferunt nisi caliginem: ea, quæ utilia maxim é sunt ad uberiores Eucharistiæ fructus; & ea, quæ ad aliquem fructum, & effectum gratiæ necessaria sunt, non satis discernentes. Quæ autem specialiter affert Magister Lumbier pro necessitate huius specialis dispositionis, quoad illos, qui crebrò præ alijs, qui raró communicant; faciunt quidem ad maiorem congruentiam, vel incongruentiam; ad necessitatem verò, nisi irreverentia, & irreligiositas in genere tuo pertingat ad materiam gravé, momenti non sunt.

28 Gravius inde inconveniens emergit, quód nempe ponere obicem gratiæ Sacramenti, sic que sacramentum susceptum reddere irritum, & omninó frustrare suo effectu, est peccatum grave irreligiositatis, & irreverentiæ: ut cernere est discurrendo per reliqua Sacramenta. Ergo qui alioquin existens in statu gratiæ accederet ad Eucharistiam sine illa devotione actuali, reverentiâ, ac fervore, requisitis omninó iuxta hanc sententiam ad effectum augmenti gratiæ, non solum nó acciperet augmentum gratiæ, verum etiam eo ipso graviter peccaret, & gratiam, quam habebat amitteret. Quodsi verum esset, væ tot millianibus Sacerdotum quotidie celebrantium.

Lumb. 29 Vidit hanc absurditatem acutus Lumbier, & occurrit, illos excusans à mortali *num. 302.* propter opinionem nostram probabilem suæ oppositam. Impar tamen remedium tanto malo. Nã, ut in simili expendimus *disp 9. sect.5* habenti iudicium opinativum directum de pravitate operationis materialis, quam voluntariè exercet, nullum iudicium reflexivum de probabilitate opinionis oppositæ potest illi facere licitam talem operationem, illumque à peccato formali excusare. Unde prædicta responsio in eo solùm sustineri valet, quòd qui nobiscum serió ac directè opinantur, sic communicare non esse peccatum mortale, mortaliter non peccent sic communicando non vero in eo quòd à mortali excusentur illi, qui contra nos opinantur, sic operari esse peccatum mortale. Evitat igitur egregiè prædicta responsio absurdum illatum contra sententiam istam pro illis tantum qui talem sententiam in re falsam esse iudicamus; at pro illis, qui veram illam opinantur, si quid rei opinantur, nihil prodest responsio ad effugiendum absurdum peccati mortalis: quod est responsores ipsos nobis favere, non sibi, quomodocumque frustra reflectant quandiu in quæstione directa, quam tractamus, serió nobiscum non sentiant, nostram, & communem sententiam esse veram, & suam falsam.

Supra disp.9.

SECTIO III.

Quanam dispositiones requirantur ex parte corporis: & primó de ieiunio naturali.

30 REquiritur ex præcepto Ecclesiastico ad dignam Cõmunionem ieiunium naturale, ut contra nostri temporis Hæreticos evincunt Bellarm. *lib. 1. de Missa ca 14.* & Valq *disp 111.* ex Con. Constantiensi *Sess.13.* Sic id intelligendo, ut hodie cõmunicaturus, *nihil deglutierit ab extrinseco, nec per modum materialis cibi, nec potús, nec medicinæ, post mediam noctem.* *Bellarm. Vasq. Constan.*

31 *Nihil*, inquam. Quia in hoc non admittitur parvitas materiæ: cùm ieiunium naturale consistat in indivisibili, & præceptũ istud non tam sit positivum deservando ieiunio, in quo posset esse materiæ parvitas; quàm negativum de non communicando, si fractum quomodolibet fuerit ieiunium: communicare autem, vel non communicare materia gravissima est. Addo, quòd, quamvis respectu ieiunij buccella cibi, aut stilla aquæ esset quid modicum; respectu tamen reverentiæ Sacramenti ex Ecclesiæ significatione, est quid gravissimum: ut in simili dicitur de omnissione guttæ aquæ admiscendæ Calici. Plura Dicastillus *disp. 9. à num. 268.* *Dicast.*

32 *Deglutierit.* Quia non frangitur ieiunium per ablutionem oris, aut per masticationem, si nihil traijciatur. Undé licebit com-

mu-

municaturò aromata masticare contra noxium aerem. Bonacina, Coninc, Tannerus,& alij apud Dianam : itemque Busembaum *l. 6.tra.3 cap.2 dub.2.art.2.*

Bonac. *Coninc.* *Tanner.* *Dian.* *Busemb.*

33 *Ab extrinseco* : hoc enim videtur requirere absolutè loquendo manducatio, & bibitio. Unde sanguis effluens é capite, aut gingivis,traiectus in stomachum non frangit hoc ieiunium. Benè verò si quis ebiberet sanguinem emissum é brachio suo. Quia hoc & non illud reputatur moraliter bibitio.

34 *Nec per modum cibi, nec potùs, nec medicinæ.* Sic enim, & non aliter fit comestio, aut bibitio absolutè dicta. Hinc primò tabbaccus, sive fumi, sive pulveris, nec aqua per nares in stomachum transfusa præter intentionem non frangunt. Secundò nec lapillus, aut nummus,aliavé res prorsus inalterabilis, etiamsi voluntariè deglutiatur; non tamen audent Dicastillus, & Henaus excusara à fractione mulieres comedentes terram, gypsum,carbonem,& similia: quia,inquiunt, hoc & non illud vocatur absolutè comestio. Tertiò, nec culex, aut musca, si casu involet in os, & per respirationem traijciatur in stomachum præter intentionem; secús, si datâ operâ. Quartò, nec aquæ stilla post ablutionem, aut iuiculi post degustationem immixta salivæ,& per modum salivæ traiecta. Quintò nec reliquiæ, aut frustula cibi remanentia post cœnam inter dentes, & post mediam noctem ibi reperta: nisi forté essent maiuscula, & datâ operâ deglutirentur: tunc enim frangerent; sicut, & liquor sacchari sumpti ante mediam noctem, & colliquentis in ore, traiectique post mediam noctem. Ex ijs possunt alia colligi,viderique latè apud Dicastillum *à num. 270.* ubi benè notat, quòd in aliquibus ex prædictis casibus attenditur intentio, in alijs non ita, ut frangatur ieiunium: quia in aliquibus non reputatur moraliter, & absolutè comestio, si præter intentionem fiant; benè verò si ex intentione : in alijs verò reputatur, etiamsi fiant præter intentionem; in alijs non reputatur, quamvis ex intentione fiant: ut ibi latiùs discutit. Magna quantitas Hostiarum consecratarum violare posse ieiunium non solùm naturale,sed etiam Ecclesiasticum, docet Tanered. apud Dian. *par.11.tra.6 r.15.& 35.* cùm hominem nutriant eo modo quo diximus *disp.7. sect.7.* At cur non etiam per se loquendo modica quantitas quoad naturale?

Dicast. *Hen.* *Dicast.* *Tanner.* *Dian.* *Supra disp 7.*

35 *Post mediam noctem.* At quomodo hæc computanda? Communiter dicitur, quòd à primo pulsu recti horologij incipientis insonare duodecimas horas noctis. Probabilius tamen est sententia Bresseri, Pasqualigi,& Leandri apud Henaum *disp.12.num.72.* quòd potest ab ultimo pulsu horæ duodecimæ: quia moraliter totum illud tempus quo pulsat horologium reputatur quasi punctum horæ duodecimæ, præsertim cùm non constet per horologia punctum mathematicum. Sic etiam Dicastillus *dub.17.nn.265.* & Trullench *tom.1. decal. lib.3. cap.2. dub.4.* Undè non damnarem illum,qui inter horæ duodecimæ pulsus bibens, aut manducans, postea communicaret, dummodo ad pulsum postremum abstinuerit. Quid verò si sint duo horologia æquè probata, & unum alterum antecedat,nec facilé dignoscatur, alterius præ altero rectitudo? Responderi solet, posse te cui malueris conformare : faciunt enim quasi opiniones probabiles. Potiùs videtur dicendum, procedendum tunc esse iuxta regulas conscientiæ dubiæ.

Breff. *Pasqual.* *Leand.* *Hen.* *Dicast.* *Trull.*

36 Hinc celebre subdubium latè controversum à Delugo *disp.15.num.46.* à Dicastillo *disp.19. à num. 312.* & à Cardenas in Crisi. Quæri sabbato, auditâ iam duodecimâ noctis unius horologij, licitè manducasses carnem; poterisne, audito mox alio tardiori, manducatâ iam carne, communicare die dominicâ? Respondendum iudico iuxta varios modos, quibus potest casus èvenire.

Lug. *Dicast.* *Card.*

37 Aut enim à principio noveras,unum horologium insonasse, & aliud æquè probatum nondum insonuisse; & sic habent se horologia ut duo auctores diversim opinantes: & in eorum medio hæres dubius,cùm nequeas nisi temerè unum alteri præferre : in eo autem dubio, siquidem nullatenus potes illud aliundé deponere, ut pro veritate alterius partis iudicium opinativum feras, obligatus fuisses non comedere carnes: cùm enim præceptum abstinendi possideat, ad eas licitè comedendas requiritur iudicium tuum saltem opinativum, quo directè iudices verum, iam esse tempus duodecimæ evasivum præcepti: quo iudicio tunc reipsa cares,quãvis iudices,& scias unum horologium horam insonuisse. Quod si tunc carnes comedisti, eàdem ratione teneris postea non communicare : quia similiter cares iudicio, quo saltem opinativé iudices verum, te ieiunum esse à tempore duodecimæ : sine quo iudicio non potes licitè communicare.

38 Aut à principio insciùs, vel immemor secundi horologij, audito primo, iudicasti verum, esse iam tempus duodecimæ; sicque licitè potuisti comedere carnes: audito autem forté, & præter spem secundo,suspendis iudicium, & manes dubius : & sic licitè non poteris postea communicare. Non

ob

ob rationem, quam ab abſurdo dant multi cum utroque Lugo, & Bernal, certo violandi fraudulenter alterutrum ex illis præceptis; de quo videndus Dicaſtillo á *num.312.* ſed præcipuè fundamentaliter, & à priori ob defectum judicij, quo iudices verum, te eſſe ieiunum à duodecimâ.

Lug. Bernal. Dicaſt.

39 Aut, audito poſt comeſtionem ſecundo horologio communiter rectiori, & probatiori, corrigis prius tuum iudicium per iudicium oppoſitum, iudicans verum, quód nunc ad pulſum ſecundi eſt tempus dimidiæ noctis, teque deceptum priùs fuiſſe, & materialiter erraſſe in comeſtione carnis. Et ſic poteris licitè poſtmodum communicare, ut benè Dicaſtillus *n.326* non ut multi contendunt, propter iudicium evidens reflexum de probabilitate ſecundi horologij, quod mihi ſemper abſonat; ſed propter iudicium ſaltem probabile directum de veritate rei, ad quam utique reſpici oportet, in moribus pro fundamento regulæ proximæ bene, aut ſaltem non malè, operandi.

Dicaſt.

40 Quid iam in puro dubio, an quidquam cibi aut potús tranſglutieris, ſiſvé ieiunus naturaliter, necnè? Dicunt, te in hoc dubio poſſe communicare Laymann, Ioan. Sanchez & alij, quos citat ſequiturque Diana *pp. 3.tr.4.reſ.29.* Negant Tho. Sanchez, Fagundez, Palau, & alij apud Dicaſtillum *num. 286.* Cardinalis Delugo *diſp.13.num.42.* mediam tenet viam pro diverſitate dubiorum: eam tamen improbat ibi Dicaſtillus. Qui multus eſt in adſtruendâ primâ ſententia tolutis doctè difficultatibus opponi ſolitis. Quapropter in eam etiam inclino: ex eo præſertim, quod purum dubium ſufficiens non eſt ad deturbandum te à poſſeſſione libertatis communicandi, in qua conſtitutus eras ante ſubortum dubium.

Laym. Sanc. Dian. Sanc. Fag. Palau. Dicaſt. Lug.

41 Præter alia generaliora, videnda apud Dicaſtillum, duo poſſunt nobis obijci ſpecialiter, quæ momenti ſunt. Primum, quòd ad dignam communionem, & requiritur ieiunium corporale à cibo; & ſpirituale à peccato mortali: ſed hoc taliter requiritur, ut in dubio puro de peccato mortali nequeat quis licitè accedere iuxta doctrinam ipſius Dicaſtill. *dub.1.* ergo ſimiliter neque in dubio de ieiunio. Secundum, quòd in eo qui ſic dubitat de ieiunio, eſt iudicium de eo quod ieiunus accedat: ergo deeſt iudiciũ ſaltem probabile requiſitum, ut in praxi licitè, dignéque communicet.

Dicaſt.

Dicaſt.

42 Reſpondetur tamen ad primum, conſequentiam fore legitimum à paritate, ſi ſolum intervenirent præcepta non communicandi poſt peccatum, nec poſt comeſtionẽ. At circa peccatum intervenit aliud præceptum de eo quòd peccata mortalia dubia ſint de neceſſitate confitenda, ita certum, ut aliquorum exiſtimationem eximentem peccatores ſic dubios ab hac obligatione, improbabilem cenſeat, & probet doctiſsimè Cardenas *tom.3. Criſis totâ diſp 74.* Simile verò præceptum non eſt circa ieiunium eiuſque dubium: quamvis imponi poſſet ab Eccleſia: ſicut legem tulit, quòd dubius de irregularitate ex homicidio habeatur irregularis. Sic Dicaſtill. *num.311.*

Card.

Dicaſt.

43 Ad ſecundum, conceſſo antecedente, negatur conſequentia. Quia, ut in praxi licitè, dignèque communicet, ſufficit non habere iudicium de eo quód non ſit ieiunus, & habere iudicium de eo quòd cum eo dubio ieiunij communicare non eſt peccatum. Prius illud iudicium ille non habet, cùm ſit in puro dubio de ieiunio directè. Secundum autem habet, ſequens aſſenſu ſuo opinionem noſtram: cui, ſi non aſſentiretur, ut veræ, imó falſam opinaretur, non excuſaretur per eam à peccato ſic communicans, nec per iudicium, quo iudicaret eſſe probabilem, ut expoſuimus *diſp.9.ſec.5.* Quocirca ſedulò diſcernere oportet inter ſtatum puri dubij circa veritatem obiecti directi, ut in præſenti caſu, cum quo dubio non pugnat iudicium illud reflexum opinativum, aut certum, de eo quod liceat ſic operari; & inter ſtatum iudicij probabilis directè opinantis, rem obiectivam eſſe materialiter malam, ſeu prohibitam; cum quo iudicio pugnat in eodẽ intellectu quodcumque iudicium reflexũ de eo quod liceat illam operari, aut velle: eſſet enim ſimul iudicare operationem eſſe licitam, & illicitam: quod implicat etiam opinativè per quæcumque diverſa motiva.

Supra diſp.9.

44 Excipiendi veniunt à prædicta Lege ieiunij naturalis aliqui caſus, in quibus non ieiunus licitè communicat. Primus eſt caſus infirmitatis periculoſæ per modum Viatici. Quod extendit Dicaſtillo *nn.241.* cum Suar. & alijs, ad caſum mortis violentæ, cum quis capite plectendus eſt, & communio nequit commodè anticipari, nec differri. Addunt iam multi apud Dianam *par. 9. tr.a 9. reſol. 45.* cum quibus ipſe Dicaſtillus *num. 312.* ſumpto iam Viatico poſſe infirmum durante per dies infirmitate, & periculo iterum atque iterum communicare non ieiunum, ſi aliter commodè non poteſt, eá frequentiâ, qua prudens Confeſſarius iudicabit. Secundus eſt caſus perficiendi ſacrificij: ut ſi celebrans moreretur poſt conſecrationem, & nullus alius Sacerdos inveniretur, niſi non ieiunus, qui conſummaret ſacrificium. Tertius ſi celebrans

Dicaſt. Suar.

Dian. Dicaſt.

poſt conſecrationem recordaretur,ſe non eſſe ieiunum : imò & quamvis ante conſecrationem;præſertim,ſi citra notam non poſſet iam ab altari diſcedere.Quartus eſt caſus per accidens,ut ſi cõmunicans ſumat aquam ad traijciendam hoſtiam , & fortè prius traijcit aquã. Quod an extendi poſſit ad caſum , quo Sacerdos in prima Miſſa Nativitatis , muſcam, froſtulum ceræ , aut panis ebiberit , ut ad alias duas Miſſas progredi poſſet , non decerno. Quintus , ſi celebrans , ſumptis iam ablutionibus , invenit reſiduas in patena, vel corporali aliquas particulas conſecratas, poteſt illas iam non ieiunus ſumere. Addunt aliqui , etiam ſi illas inveniat exuens iam ſacras veſtes , ſi commodè nequeunt aſſervari, aut commẽdari alteri celebraturo. Sextus eſt caſus imminentis irreverentiæ : ut ſi neceſſe eſſet ſumi hoſtiam à non ieiuno, nè ab hoſtibus,aut beſtijs conculcaretur.

Gran. Dian. Dicaſt. 46 Addunt aliqui ex Granado apud Dianam *par 5 tra. 3. reſol. 15.* nec improbabiliter , apud Dicaſt. *num.* 344 Sacerdotem non ieiunum poſſe celebrare, ne aut ipſe, aut alius defectu hoſtiæ conſecratæ moriatur ſine Viatico: quamvis cõmuniùs id licere negent *Suar. Lug. Toler. Abreu. Gobat. Biſſns.* Suarez Delugo,Toletus,& alij apud eumdem *num.* 341. quibus adhæret, & ipſe : nec non Buſus citans pro ſe Abreu , & Gobat verb. *Sacerdos num.*29. §.3.

Lug. Dicaſt. 47 In Sacello Pontificio ſolet prima Miſſa celebrari ante mediam noctem Nativitatis à Cardinali non ieiuno.Quod ſine diſpenſatione Pontificia in lege ieiunij ſalvare contendit Delugo *diſp.15 à num.55.* Meliùs id tamen ſalvat Dicaſtillus *à num. 404.* per diſpenſationem ſaltem tacitam. Advertens tamen *num. 408.* ſi vigilia Nativitatis eſſet dies Dominica , neminem per auditionem illius Miſſæ ſatisfacere præcepto Miſſę pro illa die Domini ã,benè verò pro die Nativitatis, & *num* 411 talem celebrantem debere abſtinere ab ablutionibus ut licitè poſſit alias duas Miſſas poſt mediam noctem celebrare.Plura ibi:

SECTIO IV.

Quid de Parvulis , Amentibus , Energumenis, ſordidis , & ſupplitio afficiendis.

Suar. Vaſq. Lug. Trident. 48 MOS fuit olim in aliquibus Eccleſijs,miniſtrare Parvulis Euchariſtiam,de quo Suarez *diſp.69 ſec.2.* Vaſquez *diſp.212* & Delugo *diſp.13.*& conſtat ex Miſſali vetere Gregorij Magni. Unde extra dubium eſt,id olim licuiſſe, ut ſupponit Tridentinum *ſeſſ.21.cap.4.* quamvis definiat ibidem neceſſarium non fuiſſe;hodieque nobis, iuſtas ob cauſas,nõ liceat, ipſoque fecundum ſe eſſe capaces huius Sacramenti , ſicut Baptiſmi,Confirmationis,& Ordinis. An verò non ſolum Sacramentum licitè; ſed etiam cũ fructu gratiæ potuerit illis miniſtrari,negarunt cum alijs uterque Sotus ; affirmant melius cum ſententia communiori Suarez,Vaſquez, & Dicaſtillus, eos,& alios citans. *dub. 11.* *Sot. Suar. Vaſq Dicaſt.*

49 Dices. Adultus,qui ignoranter omnino ſumeret panem conſecratum , credens eſſe communem, non ſumeret Euchariſtiam Sacramentaliter , & cum fructu : ergo neque Parvulis; cùm id etiã ignorent,ſicque materialiter dumtaxat ut beſtiolæ,& non Sacramentaliter Euchariſtiam ſumerent;& à fortiori abſque ullo fructu. Reſpondetur, conceſſo ante cedente,negando conſequentiam. Et eſt diſparitas : quia adultus non ſolum ignoraret quod manducat ; ſed haberet voluntatem contrariam,volens utique illud ſumere,ut panem cõmunem.Parvulus autem, quamvis ignoret, illud eſſe Sacramentum,ſicque non habeat voluntatem ſumendi Sacramentum;non tatem habet voluntatem contrariam ſumendi illud,ut non Sacramentum.Et quidem cõſequentiſſimè Chriſtus legem tulit pro adultis,ut ſine aliquali illorum voluntate,& intentione, nullum Sacramentum ſuſcipiant valide , ſecùs pro parvulis, ut patet in Baptiſmo.

Dicaſt. Lug. 50 Infert Dicaſtillus *nu.204.* cum Delugo , ſuffragantibus gravioſimis Theologis Hiſpaniæ,quòd ſi fortè Parvulus , aut amens à nativitate nunquam doli capax,caſu comederet Euchariſtiam,acciperet fructum gratiæ. Quid in ſimili de amente,aut phrenetico,qui aliquãdo habuit uſum rationis, & ſigna contritionis;vide apud Dicaſtillum *dub.10. à nu. 183.* *Dicaſt.*

51 Circa Amentes cum diſtinctione loquendũ eſt. Alijenum ſunt à nativitate,qui nunquam omnino rationis ac doli compotes fuerunt.Hi autem incapaces ſunt,quibus licitè miniſtretur Euchariſtia , capaces tamen quoad valide, & cum fructu , ut diximus nuper de Parvulis,quibus æquiparantur,ut benè Dicaſt.*dub.*10 *num. 190.*

Carthag. Araus. Toler. S. Thom. Suar. Dicaſt. 52 Alij ſunt , qui aliquando rationis compotes fuere , moxque incidunt in amentiam , aut phreneſim. Hos autem per ſe loquendo capaces eſſe cõſtat ex Con.Carthag. 4.Arauſicano.1.& Tolet.2.& traditur à S.Th. 3.80.ar 6.& à Suar.*diſp 64.ſec.2.*& communiter à reliquis apud Dicaſt *dub.*10. Pro praxi autem licitæ adminiſtrationis hæc habe. Primò, incidenti in amentiam,aut phreneſim non

Digitized by Google

non esse statim ministrandam Eucharistiam, sed expectandum reverentiæ causâ, si fortè habeat intervalla, nisi periculum vitæ aliter suadeat: hoc enim urgente, ministranda erit iuxta doctrinam sequentem. Secundò, si amentia, seu phrenesis iam videatur esse continua, & perdurans, ministrari debet Eucharistia in articulo mortis tali amenti, seu phrenetico, si dum fuit sui compos illam petijt explicitè, vel implicitè; dummodò non sit periculum vomitûs, vel alterius irreverentiæ. Tertiò: Parochum facturum contra iustitiam, si in eo casu non ministraret: quia eiusmodi amentes, cùm sint capaces, habent ius ad Sacramenta in suo casu: & faceret contra Sacros Canones allegatos à Dicast. *num.185.*

Dicast.

53 Hinc moribundo, qui ante amentiam piè, ac timoratè vivebat, aut dedit signa contritionis, danda est Eucharistia, si alioquin irreverentiæ positivæ periculum desit. Id significat Catechism. Rom. illis verbis: *si antequam in amentiam inciderint, piam, & religiosam animi voluntatem præ se tulerint.* Imo Navarrus in Manua. *cap.26.num.27.* ait, dandam esse phrenetico, qui antea signa contritionis dederat, elevando manus, tundendo pectus, dicendo *Miserè, &c.* quamvis diu vixerit in peccatis, & Sacramenta non petierit. Et ratio est: quia in ijs iam censetur involvi voluntas implicita communicandi. Conveniunt in hoc Lugus *disp.13.nu.* 25. & Dicastillus *num.183.* discordes tamen in eo quòd affirmat Lugus, & negat Dicastillus, prædictum amentem susceperum gratiam Eucharistiæ, casu etiam, quo postea in amentia, seu phrenesi arriperet, & materiali irreligiositate manducaret Eucharistiam.

Catech.

Navar.

Lug.

Dicast.

54 Circa Energumenos, quid olim senserint varij Patres, & Theologi, refert Dicastillus *dub.11. à num.206* Qui cum S. Tho. *quæst.80. art.9.* Suar. *disp.69. sec.2.* & Vasquez *disp.212.* meritò docet, non eo ipso esse incapaces: nec quibuscumque denegandam esse Eucharistiam, etiamsi propter peccata obsideantur à dæmone: dummodo rationis usu non careant; aut, si carent, dederint post peccatum signa pœnitentiæ. Imò servatis servandis quoad reverentiam, & spirituales alias dispositiones, poterit illis ministrari quoties prudens Sacerdos iudicaverit citra periculum etiam vitæ. Quia id nullo iure prohibetur.

Dicast. S.Thom. Suar. Vasq.

55 Circa munditiem ab alijs sordibus corporis; nec lepra, nec alius morbus, quantumvis horridus reddit per se loquendo hominem incapacem Eucharistiæ: dummodò non impediat physicè manducationem minimæ hostiæ: aut non causet eius evomitionem ante tempus requisitum: de quo diximus *disp.7.sec.6.* esse brevissimum. Nec pollutio involuntaria, nec usus coniugalis, imò nec copula carnalis illicita eiusdem dici, per se loquendo impediunt communionem, ita ut sit mortale ad illam accedere, expiato priùs debitè peccato, si fuit. Aliqui cum Suar. id censent regulariter veniale, etiam in coniugibus ex nimia concupiscentia coeuntibus: quod tamen alij negant cum Vasquez apud Dicastillum videndum *dub.14.* Plura Sanchez *lib.9. de matrim disp.13.* & Delugo *disp.15. sec.1.* rectè distinguentes inter obligationem sive gravem, sive levem, & inter congruitatem ex consilio.

Supra disp.7.

Suar.

Vasq. Dicast. Sanch. Lug.

56 Circa reos capite plectendos olim erat usus alicubi Eucharistiam illis denegandi; correctus tamen posta à B. Pio an.1589. ideoque talibus reis debet conferri, quia non est cur eâ refectione priventur, aut à præcepto divino communicandi in articulo mortis eximantur. Præterea Philippus. 2. legem tulit pro Judicibus in Hispania, né reus capite plectatur, nisi post viginti quatuor horas à susceptâ communione. Addit cum Joan-Sâ, chez Dicastillus *disp.10. dub.2.* post acceptam pridie communionem posse reo iterum ministrari in ipsa die supplicij: imò iuxta Dianam, & Fagundez unâ horâ ante supplicium. Ex ijs tenetur Judex in conscientia dare tempus ad communionem, quamvis adsit aliquod periculum, né impediatur aliquomodo supplicium: nisi forte aliquibus adhuc in locis, aut casibus, præsertim in castris excusetur per consuetudinem contrariam. Quòdsi, dato tempore iuris, reus noluerit cõmunicare, non tenetur Judex ulterius expectare, ut ex Soto, & Reginaldo notat Dicastillus *n.27.* quòd tamen pie temperat Bonacina *disp. 4.q.7. pun.1.* apud eumdem Dicastillum *num.30.*

Pius.5.

Philip.2

Sanc. Dicast.

Sotus. Regin. Bonac. Dicast.

DIS-

Digitized by Google

DISPUTAT. XXXI. ET XII.

DE

PRÆCEPTIS EVCHARISTIÆ.

1 NECESSITATEM *Medij* explicuimus *diſp. 1. ſec. 5.* ubi vidimus, Euchariſtiæ ſumptionem non eſſe de neceſſitate *medij*: & ſuppoſuimus, ut certũ, ex *c. Omnis utriuſque ſexũs 12. de Pœn. & Remiſſionibus*, eſſe de neceſſitate *Præcepti*; ſive Divini, ſive Eccleſiaſtici, ſive utriuſque reſpectivè: de quo præcepto communicandi nunc agere ſupereſt cum diſtinctione. *Supra diſp. 1.*

SECTIO I.

Exponitur præceptum divinum communicandi & multiplex difficultas circa illud.

2 SEntentia negans præceptum divinum communicandi tribui ſolet S. Tho. *in 4. diſt. 6. qu. ult. art. 2. quæſt. 2.* & alijs antiquis. Jam verò Theologi communiſſimé id affirmant cum eodem S. Tho. *quæſt. 80. art. 11.* Suar. *diſp. 69.* Vaſq. *diſp. 213.* & citari ſolet Auguſtinus *Epiſt. 118. ad Ianuar.* apud Delugo *diſp. 16.*

S. Thom. *Suar.* *Vaſq.* *Auguſt.* *Lug.* *Luc. 22.* *1. Cor. 11.*

3 Probant autem ex Chriſti verbis Luc. 22. & 1. Corint. 11. *Hoc facite in meam commemorationem*: in quibus contineri præceptum ſignificat ſatis Trident. *Seſſ. 13. cap. 2.* ibi: *illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit.* Et iterũm ex verbis Joan. *6. niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quomodo ex ijs locis non benè inferant Hæretici præceptum divinum communicandi ſub utraque ſpecie, videbimus *diſp. ſeq. ſec. 1.*

Trid. *Joan. 6.* *Infra diſp. 13.*

4 Occurrit difficultas: an hoc divinum præceptum obliget non ſolum Fideles, ſed etiam Infideles. Pro ſolis Fidelibus ſtat Sotus. Communis tamen, & vera ſententia cum Suar. & Vaſq. apud Dicaſtill. *diſp. 10 dub. 5.* pro infidelibus etiam latum intelligit. Quia Chriſtus ea verba dixit, non ad ſolos Diſcipulos, ſed generaliter ad turbas, ut omnes comprehenderet ea lex: ac proinde etiam infideles. Non quidem taliter, ut communicent, cum infidelitate; ſed, eâ depoſitâ.

Sot. *Suar.* *Vaſq.* *Dicaſt.*

5 Nec ſequitur, obligari ſimiliter non baptizatos præcepto confeſſionis: aut eos, qui religionem voverunt, præceptis ſtatûs religioſi. Neque enim peccata non baptizatorum ſunt materia confeſſionis ſacramentalis: nec illi poſſunt ullo pacto obligari ad nova committenda poſt Baptiſmum. Neque vovens ille eſt eo ipſo ſubditus Prælati regularis imponentis præcepta religioſis. At Chriſto omnes ſunt ſubditi, ipſeque poteſt obligare ad omnia illa, quæ ad ſuſcipiendam Euchariſtiam requiruntur.

6 Alia difficultas: Pro quo tempore obliget præceptum divinum communicandi. Aliqui apud Dianam *par 9 tr. 9. reſ. 46.* dixerunt quòd ſemel in vita: nihil ſpeciale dicentes pro articulo mortis. Communis tamen, & vera ſententia duo docet cum Suar. *diſp. 69.* & Vaſq. *diſp. 214.* Primum, obligare aliquoties in vita, quamvis Chriſtus non determinaverit quoties, ſed id Eccleſiæ determinandum reliquerit: de quo Dicaſtillus *diſp. 10. dub. 4.* Secundum, obligare determinatè in periculo mortis: id enim ſupponunt Concilia ex communi Fidelium ſenſu ita recepto, ut non niſi temerè negari poſſit. Et ratio congrua eſt: quia tunc eſt maior neceſſitas, ut roboretur anima contra tentationes, & magis uniatur cum Chriſto. Mortis autem periculum intelligitur, vel ab intrinſeco ex infirmitate; vel ab extrinſeco ut cum quis aggreditur prælium arduum, aut navigationem valde periculoſam; aut cum im-

Dian. *Suar.* *Vaſq.* *Dicaſt.*

impendet mors sive injusta ab hoste, sive iusta à Judice, ut diximus *disp.prec.num.57.* Plura Dicast. *dub.2.*

Supra disp.12. Dicast.

7 Duplex casus. Primus: an qui heri citra mortis periculum ex devotione communicavit, & hodiè, vel cras incidit in periculum mortis, satisfacerit iam præceto divino communicandi in periculo mortis per hesternam communionem, an verò teneatur eo præcepto communicare denuò per modum Viatici. Secundus: an qui hodie sanus communicavit, & corripitur repentino morbo, possit aut debeat hoc ipso die, instante morte, iterum communicare. Utrumque casū tractant latè, & eruditè Delugo *disp.16.* Dicast. *dub.3.* apud quos Diana varijs in locis præsertim *par.3.tra.3.resol.33. & par.6. tra.6.res.*18.

Lug. Dicast. Dian.

8 Ad primum iudico, iam satisfecisse: ac proinde non teneri ex præcepto divino in alia ex ijs diebus communicare: quòd verò possit non est dubium. Sic Suar. contra Vasquez, & alios. Quia iam communicavit in tempore habili circum circa mortem: quod tempus extenditur ad duos saltè vel tres dies; & sunt apud Amicum *disp.19.nu.71.* qui extendere illud velint ad octo, vel quindecim. Nec obest, quòd non communicaverit ex intentione, imò nec cum notitia præcepti pro periculo mortis. Quia, ut reipsa impleatur præceptum aliquod, non requiritur intentio illud implendi, ut est communis doctrina.

Suar. Vasq.

Amic.

9 Ad secundum, iudico à fortiori illum non teneri eodem die iterum communicare; posse tamen. Prior pars est communis, & à fortiori sequitur ex *num. prec.* Posterior est contra communem: eam tamen sequor: quia illam in praxim vidi deduci, annuentibus, & plaudentibus viris doctis. Nec puto, pro eo casu urgere præceptum Ecclesiasticū non cōmunicandi bis in die. Id quod probabile censet Dicastillus, quamvis oppositum opinetur. Et in id inclinat Diana *par. 3.tr.3. res.33.*

Dicast. Dian.

10 Quid, si infirmus, sumpto iam Viatico, peccet denuò mortaliter in eadem infirmitate? Sotus voluit, eum obligari iterum communicare. Contra hoc tamen stat communis sententia, & Ecclesiæ praxis omnino tenenda. De indignè tunc communicante dicam *sec.3.*

Sot.

SECTIO II.

Expenitur præceptum Ecclesiasticum communicandi: cum suis etiam difficultatibus.

11 CVm præceptum divinum cōmunicandi, utpotè affirmativum, non obliget pro semper, nec Christus illi determinaverit certa tempora; hæc postea determinavit præceptum Ecclesiasticum. In Ecclesia primitiva communicabant quotidie cuncti Fideles: an ex præcepto, ut vult Vasq *disp.214.* an ex devotione, ut volunt Suar. *disp.69.sec.3.* & Bellarminus apud Amicum *num 23.* non satis constat. Circa quod studiosè scrutatur primitivos Canones P. Cardenas *disp.66.cap.5.* Trinam præcepit in anno communionem Fabianus Papa. Postea Innocent. *3.* in Lateranen. id reduxit ad unam tempore Paschatis: & habetur in cap. *Vtriusque sexus de Pœn. & Remiss.* his verbis: *Omnis utriusque sexūs Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, semel saltem in anno confiteatur, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum: nisi forte de proprij Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi receptione duxerit abstinendum: alioquin, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur; & moriens Ecclesiasticâ careat sepultura.* Id quòd firmavit Trid. *sess.* 13. *cap* 9. anathematizans eum, qui tale præceptum negaverit.

Vasq. Suar. Bellarm. Amic. Card. Fabian. Innoc.3. Later. c. vtriusq.

Trid.

12 Undé hoc præceptum, cui satisfit Communione Paschali, in substantia est divinum; quoad determinationem verò temporis Paschalis est Ecclesiasticum. Tempus autem istud Paschale no est sola dies Resurrectionis; sed ex usu Ecclesiæ iuxta declarationem quamdam Eugenij .4. computatur à Dominica Palmarum inclusivé. In aliquibus Diœcesibus à Feria 5. cœnæ; in alijs à Dominica Passionis; in alijs á Dominica prima Quadragessimæ, ad usque Dominicam in Albis inclusivè: & potest ulterius per aliquos dies differri *de consilio propij Sacerdotis*, id est, ut explicat Dicastillus *num.* 90. legitimi cōfessarij ex causa, ut cōstat ex verbis recitatis.

Eugen.

13 Circa verba illa, *semel saltem in anno*, dubitatur: quomodo cumputetur annus iste? Dicendum est cum Suarez, & communiori sententia à Paschate in Paschā.

Suar.

14 Hinc aliud dubium. An qui in Paschate non communicavit, teneatur postea quamprimùm communicare. Negant non pauci cum Cardin. Toleto *lib.5.cap 18.* apud Di-

Tolet.

Dicaſt. Dicaſtillum *dub. 6.* id ùt probabile adſtruentem. Quemadmodum, inquiunt, qui die feſto defuit ſacro peccavit; non tamen tenetur quamprimum audire Sacrum. Affirmat tamen, & meticò cum Suar. *diſp. 70. ſec. 2.* & Delugo *diſp. 18. à num. 66.* communior, & ſolidior ſententia: quam etiam Dicaſtillus ait in praxi ſequendam. Cuius ratio eſt, ſimulque reſponſio ad oppoſitam. Quia præceptum iſtud Eccleſiaſticum duo iubet: unum: communicare ſemel in anno; aliud, quòd id fiat in Paſchatè, ut clariùs explicatur in illo can. 9. Tridentini: *teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum iuxta præceptum ſanctæ Matris Eccleſiæ.* Quamvis ergo ex vi talis præcepti, quatenus præcipiebat iubet communicare in Paſcha, valeret exemplum auditionis Sacri; non tamen, quatenus iubet teneri ſingulis annis. Mihi quidem incredibile eſt, quod Eccleſia, cum per ſuum iſtud præceptum determinativum temporis voluit corrigere multorum negligentiam in communicando, taliter illud impoſuerit pro tempore Paſchatis, ut elapſo ſive ex impotentia, ſive ex malitia Paſchate, liberos relinqueret ab ea obligatione Fideles aduſque Paſcha ſequentis anni. Semper ergo urget præceptum illud, & quamprimùm urget: niſi forte non tranſierit annus ab ultima Communione: ſi enim annus non tranſierit ab alia ultima Communione videtur, non urgere, donec ab ultima communione complectur annus.

Suar. Lug. Trid.

15 Inferuntur duo. Unum, quòd is, qui communicavit ante tempus Paſchale, tenetur nihilominus in Paſchate communicare, ut impleatur altera pars præcepti de tempore Paſchatis. Aliud, quòd is, qui ſcit, ſe tempore Paſchatis impediendum fore, teneretur anticipare communionem, ſi in eo anno à tempore Paſchæ præcipientis non communicavit: ut nempè ſatisfaciat præcepto non differendi ultra annum. Secus, ſi intra eum annum iam communicavit: quia tunc nec ad id obligatur præcepto non differendi ultra annum, ſiquidem tali præcepto iam ſatisfecit; nec præcepto communicandi tempore Paſchatis; ſiquidem tale tempus nondum advenit. Quodſi caſus hic eveniat, incepto iam tempore communionis Paſchalis, tenebitur in prioribus illis diebus communicare, qui ſe impediendum ſcit in poſterioribus: ſicut audire primum ſacrum in die feſto qui ſe reddit impotentem audire ſecundum. Plura Dicaſtillus *à num. 149.*

Dicaſt.

16 Quæritur; à quo Miniſtro teneantur in Paſchate Fideles Euchariſtiam ſumere. Reſpondit ſacra congregatio Cardin. 20. Martij 1638 in hunc modum: *Conqueſti ſunt coram Sanctiſſimo Domino Rectores Eccleſiarum Parochialium:* de quibuſdam ſcilicet Regularibus, *quòd aſſerere audeant, perſonas laicas aſſumentes in eorum oratorijs, ſeu congregationibus Euchariſtiæ ſacramentum in die Paſchatis, Eccleſiæ præcepto ſatisfacere. Cùmque id minimè ſit permiſſum, ſed Fideles ſacram communionem tempore Paſchali à proprio, vel ab alio de ipſius Sacerdotis licentiâ ſuſcipere teneantur; Sanctitas ſua iuſſit Eminentiæ ſuæ ſignificandum, & ſub pœna ſuſpenſionis à divinis, & alijs ſibi benè viſis, id prohibeat præfatis religioſis: moneatque ipſos laicos, Sacramentum Euchariſtiæ, ut ſupra de manu proprij Sacerdotis teneri ſuſcipere, ut Eccleſiæ præcepto ſatisfaciant.* Congr.

17 Stant cum hoc oraculo. Primò, quòd Sacerdotes celebrantes ſatisfaciunt in quolibet loco. Secundò, quòd ſimiliter Peregrini, & itinerantes. Tertiò, quòd de licentia Parochi poteſt laicus ubicumque, & à quolibet. Quartò: quòd ubi, aut Parochi, aut Epiſcopus qui eſt Paſtor totius Diœceſis, cõſentiunt, ſatisfacit quilibet diœceſanus communicans in Eccleſia Cathedrali; ut habet Dicaſtillus *dub. 7.* cum Bonacina, & alijs. Quintò iuxta eumdem ibidem, quòd ij, qui tempore Paſchatis in aliena Parochia degunt, ſatisfaciunt, ſi in ea communicent ex declaratione Eugen. 4. apud Calet. in ſum. ver. *Abſolutio* Azor *lib. 4. cap. 41. quæſt. 8.* Navar. *cap. Placuit de Pœn. diſt. 6. num. 27.* Suarez ubi ſupra. Sextò, quod aliquæ Religiones habent privilegium, ut famuli viventes intra ſepta loci exempti ſatisfaciant, ſi in eorum Eccleſijs communicent tẽpore Paſchatis P. Dicaſtillus ibidem ex Bonacina *diſp. 4. quæſt. 9. par. 2.* & Sanchez *lib. 3. de Matr. diſp. 23. num. 12.*

Dicaſt. Bonac. Navar. Suar. Dicaſt. Bonac. Sanc.

18 Contra violantes præceptum communionis annuæ ſtatuitur in d. cap. *Omnis utriuſque ſexûs* pœnâ carendi ingreſſu Eccleſiæ, & ſepulturâ Eccleſiaſticâ. Et in aliquibus Diœceſibus ſolet à Superioribus imponi pœna excommunicationis, conceſsâ alia hebdomadâ poſt Dominicam in Albis. Quæ pœnæ, ſi aliunde non conſtet eſſe latæ ſententiæ, intelliguntur eſſe, ferendæ: ut notat Dicaſtillus *num. 134.* c. Omnis utriuſq. Dicaſt.

SEC-

SECTIO III.

An eiuſmodi precepta adimplcantur per Communiones ſacrilegas : & quâ ætate obligent Pueros doli capaces.

19 CIrca primum, gravium Theologorum erat opinio, quòd *Præcepto Cõmunionis annuæ ſatis fit per ſacrilegam Domini manducationem.* Nunc tamen illa Propoſitio prohibita eſt ordine quinquageſimaquinta in Decreto anni 1679. SS. P. N. Innocentij Undecimi. Et quidem merito. Nam Eccleſia, quoad præceptũ Communionis ſicut,& Confeſſionis,de qua ſimilem propoſitionem ordine decimaquartam prohibuerat in primo ſuo Decreto anni 1665.Alexãder Septimus,addit dumtaxat determinationem temporis ad ſubſtantiam præcepti divini.Cùm autem certum ſit, præceptum divinum eſſe de Communione dignâ, neutiquam expleri poſſet per indignam,& ſacrilegam ſubſtantia præcepti divini ac proinde nec præceptũ Eccleſiaſticũ illam ſubſtantiam comprehendens, & addens determationem temporis.

Innoc.11.

Alex.7.

20 Hinc qui ſacrilegè communicarunt in Paſchate manent quaſi non communicaſſent, quoad adimplctionem Eccleſiaſtici præcepti : & tenentur quamprimùm dignè cõmunicare iuxta dicta *ſec prac* Idem per ſe loquendo de eo,qui in periculo mortis ſacrilegè ſuſcepit Viaticum: & quidem à fortiori, cum etiam quo ad tempus illud præceptum tunc communicandi ſit divinum.

21 Circa ſecundum dixerunt aliqui, præceptum Eccleſiaſticũ Communionis Paſchalis non obligare Pueros, quantumvis doli capaces, uſque ad annos pubertatis. Sed hoc eſt nimis laxũ,niſi forte intelligatur dictũ dũtaxat quoad pœnas. Sotus, uſque ad annum duodecimũ.Suarez *diſ.*70. cum ſententia cõmuniori duo docet.Primum, neceſſe obligationem dicti præcepti pro pueris ubiprimùm doli ſunt capaces, & pertingunt ad uſum rationis:nam ex uſu,& praxi Eccleſiæ non tam citò Pueros obligat hoc præceptum Communionis,quàm Cõfeſſionis,cui maiori dilationi videtur dari fundamentum in ipſis verbis C.*Omnis utriuſque ſexũs:* ibi : *niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio, &c.* Secundum, neque differri poſſe uſque ad pubertatem, aut regulariter uſque ad annum duodecimũ; ſed iuxta prudentiam confeſſarij circiter nonum, aut decimum regulariter loquendo: nam experientia docet, in illa ætate ſufficienter iam diſcernere Pueros inter cibum,& cibum ut plurimum, niſi hebetiores ſint. Sic fermè Dicaſtillus *diſp.* 10. *à num.* 107. *Sot.* *Suar.* *Dicaſt.*

22 Quoad præceptum verò divinum communicandi in periculo mortis, quando obliget Pueros infirmos,doli iam, ac peccati mortalis capaces;video multos in ea eſſe exiſtimatione,&quod caput eſt,in ea praxi,quòd hoc divinum præceptum communicandi in periculo mortis æquipareant quoad Pueros præcepto Eccleſiaſtico communicandi in Paſchate,Sicque Pueros moribundos novennes,aut etiam decẽnes peccati capaces ſatiſque diſcernentes inter cibum, & cibum, non obligant ad Viaticum, nec illis curant miniſtrari;quia nondum eos cenſuerunt obligatos ad Communionem Paſchalem. Fundamentum,ſi quod eſt,ad ſic ſentiendum,& agendum legi poteſt apud Dicaſtillum *à num.*110.

23 Ego quidem in praxi aliud fundamentum latis indecorum comperi. Cùm enim hoc non ſemel pro facti contingentia propoſuiſſẽ Illuſtriſſimo Dño D.Ildephonſo de Sotomayor,Archiepiſcopo Epiſcopo Barcinon. ipſe pro ea qua pollebat doctrinæ, ac prudentiæ præſtantiâ rem maturè perpendens,& præ eo, quo ardebat animarum zelo, ſuper hoc providere cupiens, aliquos Parochos ad ſe vocavit, à quibus intellexit id ita fieri : non ipſorum culpâ, quia præſtò erant paratiſſimi cuiuſcumque miniſtrationi Sacramentorum:nec culpâ puerorum, quia aut id non animadvertunt, aut advertentes exoptant;ſed culpa Parentum,aut aliorum,qui non ſolum non curant admonere Parochos, quin etiam curant non admoneri,ne Viaticum deferant: quo nimirum delato, funus eſſet illis ſumptuoſius. Indoluit ad hæc mecum pijſſimus Antiſtes;eoſque Parochos ſerió monuit ut in id invigilarent, Parenteſque oportunè exhortarentur, ne cum propriæ conſcientiæ damno,propter pluſculum illud expenſarum, privarent ingenti fructu, & ſolatio eiuſmodi pueros moribundos, eiſque adimpletionem divini præcepti tunc urgentis impedirent: quantumvis Eccleſiaſticum de Communione Paſchali nondum impleverint,eo quòd iuxta Eccleſiæ morem,& latitudinem eos forte nõdum obligaret : quam utique latitudinem non ita patitur ex Eccleſiæ tolerantia præceptum divinum. *Illuſtriſſ. D.Ild. Sotomay.*

24 Quocirca poſt exactam huius puncti utiliſſimi diſcuſſionem,concilians in quãtum poteſt Theologorum iudicia P. Dicaſtillus dub.5 concludit rectè num. 116. Primò: *quantum ad capacitatem, ætatem, & pru-* *Dicaſt.*

den-

Dicaſt. Dicaſtillum *dub.6.* id ũt probabile adſtruentem. Quemadmodum, inquiunt, qui die feſto defuit ſacro peccavit; non tamen tenetur quamprimum audire Sacrum. Affirmat tamen, & meritó cum Suar. *diſp. 70. ſec. 2.* & Delugo *diſp. 18. à num. 66.* communior, & ſolidior ſententia: quam etiam Dicaſtillus ait in praxi ſequendam. Cuius ratio eſt, ſimulque reſponſio ad oppoſitam. Quia præceptum iſtud Eccleſiaſticum duo iubet: unum: communicare ſemel in anno; aliud, quòd id fiat in Paſchate; ut clariùs explicatur in illo can. 9. Tridentini: *teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum iuxta præceptum ſanctæ Matris Eccleſiæ.* Quamvis ergo ex vi talis præcepti, quatenus præcipit iubet communicare in Paſcha, valeret exemplum auditionis Sacri; non tamen, quatenus iubet teneri ſingulis annis. Mihi quidem incredibile eſt, quod Eccleſia, cum per ſuum iſtud præceptum determinativum temporis voluit corrigere multorum negligentiam in communicando, taliter illud impoſuerit pro tempore Paſchatis, ut elapſo ſive ex impotentia, ſive ex malitia Paſchate, liberos relinqueret ab ea obligatione Fideles aduſque Paſcha ſequentis anni. Semper ergo urget præceptum illud, & quamprimùm urget: niſi forté non tranſierit annus ab ultima Communione: ſi enim annus non tranſierit ab alia ultima Communione videtur, non urgere, donec ab ultima communione compleatur annus.

Suar. Lug. Trid.

15 Inferuntur duo. Unum, quód is, qui communicavit ante tempus Paſchale, tenetur nihilominus in Paſchate communicare, ut impleatur altera pars præcepti de tempore Paſchatis. Aliud, quòd is, qui ſcit, ſe tempore Paſchatis impediendum fore, teneretur anticipare communionem, ſi in eo anno à tempore Paſchæ præcipientis non communicavit: ut nempé ſatisfaciat præcepto non differendi ultra annum. Secus, ſi intra eum annum iam communicavit: quia tunc nec ad id obligatur præcepto non differendi ultra annum, ſiquidem tali præcepto iam ſatisfecit, nec præcepto communicandi tempore Paſchatis; ſiquidem tale tempus non dum advenit. Quodſi caſus hic eveniat, incepto iam tempore communionis Paſchalis, tenebitur in prioribus illis diebus communicare, qui ſe impediendum ſcit in poſterioribus: ſicut audire primum ſacrum in die feſto qui ſe reddit impotentem audire ſecundum. Plura Dicaſtillus *à num. 149.*

Dicaſt.

16 Quæritur; à quo Miniſtro teneantur in Paſchate Fideles Euchariſtiam ſumere. Reſpondit ſacra congregatio Cardin. 29. Martij 1638 in hunc modum: *Conqueſti ſunt coram Sanctiſſimo Domino Rectores Eccleſiarum Parochialium:* de quibuſdam ſcilicet Regularibus, *quòd aſſerere audeant, perſonas laicas aſſumentes in eorum oratorijs, ſeu congregationibus Euchariſtiæ ſacramentum in die Paſchatis, Eccleſiæ præcepto ſatisfacere. Cũque id minimè ſit permiſſum, ſed Fideles ſacram communionem tempore Paſchatis à proprio, vel ab alio de ipſius Sacerdotis licentiâ ſuſcipere tententur; Sanctitas ſua iuſſit Eminentiæ ſuæ ſignificandum, & ſub pœna ſuſpenſionis à divinis, & alijs ſibi benè viſis, id prohibeat præfatis religioſis: moneatque ipſos laicos, Sacramentum Euchariſtiæ, ut ſupra de manu proprij Sacerdotis teneri ſuſcipere, ne Eccleſiæ præcepto ſatisfaciant.* Congr.

17 Stant cum hoc oraculo. Primò, quòd Sacerdotes celebrantes ſatisfaciunt in quolibet loco. Secundó, quòd ſimiliter Peregrini, & itinerantes. Tertió, quòd de licentia Parochi poteſt laicus ubicumque, & à quolibet. Quartó: quòd ubi, aut Parochi, aut Epiſcopus qui eſt Paſtor totius Diœceſis, cõſentiunt, ſatisfacit quilibet diœcesanus communicans in Eccleſia Cathedrali; ut habet Dicaſtillus *dub. 7.* cum Bonacina, & alijs. Quintò iuxta eumdem ibidem, quòd ij, qui tempore Paſchatis in aliena Parochia degunt, ſatisfaciunt, ſi in ea communicent ex declaratione Eugen. 4. apud Cajet. in ſum. ver. *Abſolutio* Azor *lib. 4. cap. 41. quæſt. 8.* Navar. *cap. Placuit de Pœn. diſt. 6. num. 27.* Suarez ubi ſupra. Sextò, quod aliquæ Religiones habent privilegium, ut famuli viventes intra ſepta loci exempti ſatisfaciant, ſi in eorum Eccleſijs communicent tẽpore Paſchatis P. Dicaſtillus ibidem ex Bonacina *diſp. 4. quæſt. 9. par. 2.* & Sanchez *lib. 3. de Matr. diſp. 23. num. 12.* Dicaſt. Bonac. Caiet. Azor. Navar. Suar. Dicaſt. Bonac. Sanc.

18 Contra violantes præceptum communionis annuæ ſtatuitur in d. cap. *Omnis utriuſque ſexûs* pœnâ carendi ingreſſu Eccleſiæ, & ſepultutâ Eccleſiaſticâ. Et in aliquibus Diœceſibus ſolet à Superioribus imponi pœna excomunicationis, conceſsâ alia hebdomadâ poſt Dominicam in Albis. Quæ pœnæ, ſi aliunde non conſtet eſſe latę ſententiæ, intelliguntur eſſe, ferendæ: ut notat Dicaſtillus *num. 134.* c. Omnes utriuſq. Dicaſt.

SECTIO III.

An eiuſmodi præcepta adimpleantur per Communiones ſacrilegas: & quâ ætate obligent Pueros doli capaces.

19 CIrca primum, gravium Theologorum erat opinio, quòd *Præcepto Cõmunionis annua ſatis ſit per ſacrilegam Domini manducationem.* Nunc tamen illa Propoſitio prohibita eſt ordine quinquageſimaquinta in Decreto anni 1679. *Innoc.11.* SS. P. N. Innocentij Undecimi. Et quidem merito. Nam Eccleſia, quoad præceptũ Communionis ſicut,& Confeſſionis,de qua ſimilem propoſitionem ordine decimaquartam prohibuerat in primo ſuo Decreto anni *Alex.7.* 1665.Alexãder Septimus,addit dumtaxat determinationem temporis ad ſubſtantiam præcepti divini.Cùm autem certum ſit, præceptum divinum eſſe de Communione dignâ, neutiquam expleri poſſet per indignam,& ſacrilegam ſubſtantia præcepti divini: ac proinde nec præceptũ Eccleſiaſticũ illam ſubſtantiam comprehendens, & addens determinationem temporis.

20 Hinc qui ſacrilegè communicarunt in Paſchate manent quaſi non communicaſſent, quoad adimpletionem Eccleſiaſtici præcepti: & tenentur quamprimùm dignè cõmunicare iuxta dicta *ſec prac* Idem per ſe loquendo de eo,qui in periculo mortis ſacrilegè ſuſcepit Viaticum: & quidem à fortiori, cum etiam quo ad tempus illud præceptum tunc communicandi ſit divinum.

21 Circa ſecundum dixerunt aliqui, præceptum Eccleſiaſticũ Communionis Paſchalis non obligare Pueros, quantumvis doli capaces, uſque ad annos pubertatis. Sed hoc eſt nimis laxũ,niſi forte intelligatur dicta dũtaxat quoad pœnas. Sotus, uſque ad annum *Sot.* duodecimũ.Suarez *diſ.*70. cum ſententia cõ- *Suar.* muniori duo docet.Primum, neceſſe obligationem dicti præcepti pro pueris ubiprimum doli ſunt capaces, & pertingunt ad uſum rationis:nam ex uſu,& praxi Eccleſiæ non tam citò Pueros obligat hoc præceptum Communionis,quàm Cõfeſſionis,cui maiori dilationi videtur dari fundamentum in ipſis verbis C.*Omnis utriuſque ſexũs:* ibi : *niſi forte de proprij Sacerdotis conſilio, &c.* Secundum, neque differri poſſe uſque ad pubertatem, aut regulariter uſque ad annum duodecimũ; ſed iuxta prudentiam confeſſarij circiter nonum, aut decimum regulariter loquendo: nam experientia docet, in illa ætate ſufficienter iam diſcernere Pueros inter cibum,& cibum ut plurimum, niſi hebetiores ſint. Sic fermè Dicaſtillus *diſp.* 10. *à num.* *Dicaſt.* 107.

22 Quoad præceptum verò divinum communicandi in periculo mortis, quando obliget Pueros infirmos,doli iam, ac peccati mortalis capaces;video multos in ea eſſe exiſtimatione,&quod caput eſt,in ea praxi,quòd hoc divinum præceptum communicandi in periculo mortis æquipareant quoad Pueros præcepto Eccleſiaſtico communicandi in Paſchate.Sicque Pueros moribundos novennes,aut etiam decẽnes peccati capaces ſatiſque diſcernentes inter cibum, & cibum, non obligant ad Viaticum, nec illis curant miniſtrari;quia nondum eos cenſuerunt obligatos ad Communionem Paſchalem. Fundamentum,ſi quod eſt,ad ſic ſentiendum,& agendum legi poteſt apud Dicaſtillum *à num.*110.

23 Ego quidem in praxi aliud fundamentum laxis indecorum comperi. Cùm enim hoc non ſemel pro facti contingentia propoſuiſſe Illuſtriſſimo Dño D Ildephonſo de Sotomayor,Archiepiſcopo Epiſcopo Barcinon. ipſe pro ea qua pollebat doctrinæ, ac prudentiæ præſtantiâ rem maturè perpendens,& præ eo, quo ardebat animarum zelo, ſuper hoc providere cupiens, aliquos Parochos ad ſe vocavit, à quibus intellexit id ita fieri: non ipſorum culpâ, quia præſtò erant paratiſſimi cuiuſcumque miniſtrationi Sacramentorum:nec culpâ puerorum, quia aut id non animadvertunt, aut advertentes exoptant;ſed culpa Parentum,aut aliorum,qui non ſolum non curant admonere Parochos, quin etiam curant non admoneri,ne Viaticum deferant: quo nimirum delato, funus eſſet illis ſumptuoſius. Indoluit ad hæc mecum pijſſimus Antiſtes;eoſque Parochos ſerió monuit ut in id invigilarent, Parenteſque oportunè exhortarentur, ne cum propriæ conſcientiæ damno,propter pluſculum illud expenſarum, privarent ingenti fructu, & ſolatio eiuſmodi pueros moribundos, eiſque adimpletionem divini præcepti tunc urgentis impedirent: quantumvis Eccleſiaſticum de Communione Paſchali nondum impleverint,eo quòd iuxta Eccleſiæ morem,& latitudinem eos forte nõdum obligaret: quam utique latitudinem non ita patitur ex Eccleſiæ tolerantia præceptum divinum. *Illuſtriſſ. D.Ild. Sotomay.*

24 Quocirca poſt exactam huius puncti utiliſſimi diſcuſſionem,concilians in quãtum poteſt Theologorum iudicia P. Dicaſtillus dub.5.concludit rectè num. 116. Primò: *quantum ad capacitatem, ætatem, & pru-* *Dicaſt.*

den-

dentiam neceſſariam ad hoc vt poſſit conferri Puero Euchariſtia, eamdem omninò requiri, ac ſufficere tam in articulo mortis, quàm extra illum. Secundò: *hoc tamen eſſe diſcrimen; quòd in articulo mortis eo ipſo quòd ſic capax quantum præciſè ſufficit, teneatur communicare, extra illum verò articulum cum eadem capacitate non ſtatim in primo Paſchate teneatur, quin poſſit ad tempus vnius, vel alterius anni differre de conſilio propry Sacerdotis.* Quæ ultima verba ſumpſit ex Concilio Lateranenſi: quod, loquens de communione Paſchali extra articulum mortis, aliquam quoad tempus latitudinem permiſit, *de proprij Sacerdotis conſilio:* quod nequit habere locum pro cõmunione pueri moribundi, ut expendit optimè Dicaſtillus *num.113.*

Lateran.

Dicaſt.

25 Huius doctrinæ monitos velim Parochos omnes, & Confeſſarios Puerorum ægrotantium, & maximè Parentes, nè eorum culpâ, & quidem graviſſimâ, hoc divinum præceptum violetur, miſerique ac devoti pueri ac puellæ pluſquam ſeptennes decedãt, gratiâ Euchariſticâ iniquè fraudati cum ingenti æternæ gloriæ diſpendio. Pijſſimorum Parentum laudabilia exempla contra prædictam corruptelam poſſem afferre. Recentiſſimum pro multis afferam, quod ijs diebus reſcivi, ſcilicet Excellentiſſimorum Comitum de Alba Filiam, Excellentiſſimorum Ducum de Villahermóſa Agnatam nobiliſſimam Puellam D. Mariam Nicolaſiam Henrriquez de Velaſco, Guzman, & Borja, nondum omninò ſeptennem, hoc anno Matriti in articulo mortis de conſilio ſapientum Theologorum Euchariſticum Viaticum ſuſcepiſſe, quo refecta brevi migravit ad ſuperos. Quam pietatẽ, & erga divinum præceptum religioſam reverentiam hic placuit exſcribere ab alijs utinam imitandam.

26 Ulteriùs diſcutit Dicaſtillus *à nu. 118.* Quid in dubio, an Puer ſit doli capax? pervenerit, necnè, ad diſcretionem? diſcernat, necne, ſatis inter cibum, & cibum? Et reſolvit cum Delugo poſſe illi Euchariſtiam miniſtrari: imò, & oportere. Quia in illo dubio, aut revera Puer eſt doli capax; & ſic percipitur fructus, & ſatisfit præcepto iam obliganti: aut non eſt doli capax; & ſic percipit ſaltem Puer fructum gratiæ Euchariſtiæ, ex dictis *diſp.12 ſec.4.* Cur ergo non ſic provideatur in ſpiritualibus Puero moribundo? Quam doctrinam extendit *à num.122.* ad homines à nativitate ſemiſatuos, de quorum ſufficienti diſcretione dubitatur: & multa ijs affinia, congerit utiliter.

Dicaſt. Log.

Infra diſp.11.

DIS-

DISPUT. XXXII. ET XIII.

DE

VSV, ABVSV, ET FREQVENTIA Euchariſtiæ.

1 VSUS, & Abuſus eſt multiplex. Frequentia ſecundũ varias circumſtantias iam ad bonum uſum, iam ad abuſum ſpectat. Abuſus, ſive uſus malus, modò cum peccato mortali, modò cum cum veniali ſit. Quæ præcipuè occurrunt circa hæc hac diſputatione diſcriminatim perſtringemus.

SECTIO I.

Quid olim? quid nunc circa uſum Sanguinis?

2 ERrant in hoc turpiter Hæretici Utraquiſtæ: indè dicti, quòd ſub utraque ſpecie omnes communicare neceſſe eſſe contendant, nec præcepto divino fieri ſatis per unius ſpeciei ſumptionem, nec Eccleſiam potuiſſe laicis interdicere uſum ſanguinis. Id quod perſuadere conantur ex Verbis Chriſti Joann. 6. *niſi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Ex quibus, ſi ut vidimus *diſp. præc. num. 3.* colligitur præceptum divinum communicandi, videtur colligi præceptum communicandi ſub utraque ſpecie, comedendo corpus, & bibendo ſanguinem.

Utraq.

Ioan. 6.

Supra diſp. 12. ſec. 1.

3 Reſponſio tamen Catholica eſt, neutiquam id colligi: cùm ſatis ſeſe poſtmodum explicuerit Chriſtus dicens: *qui manducat hunc panem vivet in æternum*: quod utique verum non eſſet, ſi præter manducare panem, requireretur ad vitam bibere ſanguinem. Itaque in prioribus illis verbis particula, *&*, ut alibi ſæpè, non ſumitur copulativè ſed diſtributivè, ut cum dicimus impotentia, & cognatio, & votum ſunt impedimenta matrimonij: non quod tria illa requirantur ad impediendum; ſed quod ſingula diſtributivè ſufficiant. Senſus ergo eſt, aplicatâ negatione ad utrumque, quod ſi nec comederitis carnem, nec biberitis ſanguinem, non habebitis vitam: hoc eſt, ſi utrumque omittatur: eo autem ipſo quod manducetur corpus, non omittitur utrumque, ſitque ſatis præcepto.

4 Obijciunt etiam alia Chriſti verba Matt. 26. *bibite ex eo omnes*, & Luc 22. ac 1. Cor. 11. *hoc facite in meam commemorationem:* quaſi dicat hoc, quod ego feci: ipſe verò utramque ſpeciem miniſtraverat. Sed reſpondetur, priora verba dicta eſſe ad Apoſtolos tunc ibi præſentes, ut conſtat ex contextu: *& biberunt ex eo omnes.* Poſteriora verò dirigi ad manducantes, & bibentes, ſive coniunctim, ſive diviſim. Undé apud Lucam ea verba habentur poſt ſumptionem corporis. Et apud Paulum additur mox: *hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem*: quo ſolum ſignificatur, quòd quando bibitur ſanguis, bibatur in Chriſti memoriam: non verò quòd à cunctis debeat bibi.

Mat. 26. Luc. 22. 1. Cor. 11.

5 Obijciunt inſuper multos Patres. Primò Ignatium Martyrem, Tertullianum, & alios ſcribentes, Populum calicem domini bibere. Secundò Clementem Alexandrinum, Tertulianum, Ciprianum, & Auguſtinum, æquè tribuentes vitam ſpiritualem ſumptioni ſanguinis, ac Corporis. Tertiò Iuſtinum qui in Apolog. 2. pro Chriſtianis indicare videtur præceptum utriuſque ſpeciei. Quartò Auguſtinum, cuius refertur hoc dictum: *nec caro ſine ſanguine, nec ſanguis ſine carne iure communicatur.* Quintò Geloſium

Ignat. Tertul. Clem. Tertul. Cypr. Aug. Iuſtin. Aug.

Papam appellantem ſacrilegium unam ſpeciem ſumere ſine alia.

6 Reſpondetur ad primum, inde ſolum probari, fuiſſe olim Eccleſiæ morem, quòd omnes ſub utraque communicarent. Ad ſecundum, verum id eſſe: non tamen perinde tolli, quòd ſûptioni etiâ corporis ſeorſim tribuatur vita ſpiritualis. Ad tertium: de nullo alio præcepto ibi ſermonem eſſe, ut expendit rectè Vaſq. *diſp. 216. num. 68.* niſi de illo Chriſti: *hoc facite in mei commemorationem*: quod iam explicuimus. Ad quartum, dictum illud non eſſe Auguſtini, ſed Paſchaſij *l. de corpore, & ſanguine domini cap. 19.* Cuiuſcumque autem ſit, venit intelligi iuxta morem antiquum communicandi ſub utraque: quaſi tunc dedeceret ſub una dumtaxat ſpecie communicare. Ad quintum, dictum illud Gelaſij referri in Can. *Comperimus de conſecr diſt. 2* ibique exponi à Gratiano quo ad Sacerdotes ſub unâ tantum ſpecie celebrantes.

Vaſq. *Paſchas.* *Ca. comperimus.* *Grelian.*

7 Conqueruntur tandem hæretici quòd iniuſtè impediat Eccleſia laicis uberiorem fructum Communionis ſub utraque. Sed huic quærimoniæ iam occurrimus *diſp. 10. ſec. 2.* negando cæteris paribus fructum uberiorem ex utraque, quàm ex una. Et quamvis fructus pro ſingulis communicantibus eſſet uberior, poſſet Eccleſia ob iuſtas, & graves cauſas id prohibere: ſicut, & quod bis in die communicetur, non obſtante uberiori forte aliquorum fructu. Plura latè Card. Bellarm. *lib. 4 de Euchar. cap. 20. & ſeqq.*

Supra diſp. 10. *Bellarm.*

8 Uſus ergo Sanguinis Euchariſtici pro omnibus etiam laicis, quamvis olim licitus fuerit, & forte ex præcepto Eccleſiaſtico neceſſarius; nunquam tamen fuit ex præcepto divino, ut definit Trident. *ſeſſ. 21. cap. 1. & can. 1.* Nunc autem ſanctiſſimè graves ob cauſas laicis prohibitus eſt ex eodem Trid. *cap. 2. & can. 2* Solis celebrantibus in præcepto: & aliquibus laicis ex indulgentia ſpeciali permiſſus.

Trid. *Trid.*

9 Qua lege ſupoſitâ, dubium eſt: an in aliquibus caſibus liceat laico uſus ſanguinis? Reſpondetur, licere caſu, quo maxima irreverentia immineret: ut ſi irruentes hoſtes occidiſſent celebrantem poſt cõſecrationem, effuſuri, & conculcaturi ſacrum ſanguinem, niſi à laico ibi præſente conſumeretur. Sic Vaſquez *diſp. 216. nn 47.* & communis ſententia contra Sotum apud Dicaſtillum *dub. 11. & Dianam p 5. tr. 3. reſ 34.* Non tamen ſic licerè exiſtimarem caſu, quo, niſi laicus ſanguinem ſumeret, omnino aceſcerent, & corrumperentur ſpecies, quamvis id affirmare videatur Dicaſtillus *n. 228.*

Vaſq. *Sot.* *Dicaſt.* *Dicaſt.*

10 Aliud dubium: an infirmo non poſſit deglutire hoſtiam, potenti verò guttas calicis; miniſtrari poſit, aut debeat ſanguis, ne ſine Viatico moriatur. Affirmant aliqui apud Dicaſtillum *dub. 11.* quibus in parte favet Gobat apud Biſſum *ver. Locus §. 7.* Ipſe tamen Dicaſtillus meliùs id negat cum Suar. *diſp. 80. ſec. 3.* Ceſſat enim tunc præceptum divinum communicãdi in articulo mortis, non latum pro eo caſu: ſicut neque pro caſu, quo non ſũt veſtes ſacræ ad ſacrificandum pro moribundo communicando. Sic etiam Mendus in Epiſt. Append.

Dicaſt. *Gob.* *Biſ.* *Dicaſt.* *Suar.*

11 Nota tamen, quòd in Provincijs, in quibus permittitur uſus utriuſque ſpèciei, in prædicto caſu poſſet, & deberet miniſtrari tali laico ſolus ſanguis, ne abſque Viatico deceſſeret.

SECTIO II.

Expenditur, præter alios, enormis abuſus ſacrilegæ communionis.

12 DIctum eſt *diſp præc ſec. 3.* præcepta communicandi non adimpleri per Communiones ſacrilegas: & *diſp. 10 à num. 41* has nullum fructum ſpiritualẽ cauſare in anima, remoto poſtea obice peccati. Supereſt nunc, quale quantumque ſint peccatum,

Supra diſp. 13. ſec. 3. *diſp. 10. ſec. 3.*

13 S. Thom. *quæſt. 80. art. 3.* docet, eſſe peccatum ſacrilegij: & quidem omnium, quę in uſu Sacramentorum perpetrantur, graviſſimum: quia eſt immediatè contra Chriſti humanitatem; non tamen eſſe omnium omninò peccatorum graviſſimum, quia non eſt immediatè contra divinitatem ſicut infidelitas, & odium Dei.

14 Intellige nimirum, *ex genere ſuo*, & cæteris paribus: nam ex imparitate circumſtantiarum, videlicet intentionis, advertentiæ, finis, &c. poſſet peccatum, quod eſt ex genere ſuo minùs grave, taliter accreſcere, ut fiat hic, & nunc gravius alio, quod gravius eſſet ex genere ſuo, & ratione ſui obiecti eſſentialis, ac ſpecifici. Quinimò, & ipſum odium Dei poſſet fieri levius furto: quandoquidem furto conſtituto in eſſe peccati mortalis, poſſet odium Dei fieri veniale defectu plenæ advertentiæ. Quod non tollit, quominus ex genere ſuo odium Dei dicatur gravius furto.

15 Ad hunc ergo modum, cùm Euchariſtia ſit omnium Sacramentorum excellentiſſimum, ſicque realiter ipſe Chriſtus, ex genere ſuo ſacrilegium in ipſius uſu perpetratum enormius eſt, cæteris paribus, præ ſacrilegijs

gijs commiſſis in ſuſceptione aliorum Sacramentorum. Quamvis in individuo ex diſparitate grandi circumſtantiarum ſacrilegium aliquod in alijs Sacramentis poſſet eſſe gravius peccatum, quàm aliquod ſacrilegium in Euchariſtiæ ſuſceptione. Imó aliquod ſacrilegiũ in Euchariſtię ſuſceptione poſſet eſſe peccatũ veniale, ut eſſet communicare cum voluntaria diſtractione ad multa venialia; cùm ſint in alijs Sacramentis multa ſacrilegia gravia.

16 Solet á Sanctis Patribus æquiparari hoc ſacrilegium ſacrilegio Judæ, vendentis, & Judæorum crucifigentium Chriſtum. Quod forté non dicitur propter omnimodam paritatem; ſed propter ſpecialem analogiam, & ſimilitudinem.

17 Inter hæc, gravius peccatum ſacrilegij eſt communicare cum pluribus, aut gravioribus peccatis, quàm cum paucioribus, aut minùs gravibus. Non tamen eſt obligatio, nec conſuetudo eam circumſtantiam aggravantem aperire in confeſſione; ſed ſufficiet confiteri, ſe in peccato mortali ſacrilegè toties communicaſſe.

18 Verumtamen Sacerdos, qui in mortali ſacrilegè celebravit non ſatisfaciet, ſi confiteatur, ſe communicaſſe ſacrilegé in mortali; ſed debet exprimere ſe ſic celebraſſe. Nam in tali celebratione includuntur duo ut minimum peccata mortalia: ſcilicet & conſecrare in mortali, & ſumere in mortali: *Dian.* & iuxta aliquos tria: ſcilicet, præter illa duo, obtuliſſe in mortali. Vide Dianam *par. 2. tr. 14. reſol. 24.*

19 Communicans in mortali, & cum excommunicatione, aut non ieiunus, non ſatisfacit confitens, ſe indignè communicaſſe: hoc enim ſonat cum peccato: debet ergo exprimere excommunicationem, & communicaſſe non ieiunum. Quia, quamvis ſint peccata irreligionis; ſub hoc tamen genere ſunt ſpecies atomæ moraliter diverſæ. Sic Dicaſtillus *diſp 9. dub.* 1. Bonac. *diſp. 4. quæſt. 6. punct.* 1. Raynaudus de Monit. *par. 2. cap. 2.* contra Vaſquez, & alios. Notat verò benè Dicaſt. *num.* 19. ſatisfacere ſi confiteatur ſe communicaſſe cum excommunicatione: quia hoc iam involuit communicaſſe cum peccato. *Dicaſt. Bonac. Rayn. Vaſq.*

20 Solent aſſignari caſus, in quibus poſſet homo exiſtens in mortali non confeſſus, nec contritus licitè communicare. V.G. in periculo conculcationis Hoſtiæ ab hoſtibus, ſi ibi adeſſet peccator Fidelis, non potens id aliter impedire, niſi illam ſumendo, nec in illa temporis preſſurâ potens confiteri, nec conteri. Addunt alij caſum, quo celebrans iam iam ſumpturus advertit, ſe eſſe in mortali, & præ temporis anguſtia non niſi difficillimè, & cum notabili nota poteſt excitari ad contritionem. Tunc aiunt, poſſe etiam in illo ſtatu peccati ſumere. Ego quidem *Dian.* caſus iſtos non facilè admitterem, & multò *Lug.* minùs ſecundum de quibus Dian *par. 4. tra. Dicaſt.* 4. *re. 91.* Delugo *diſp. 14. num. 3.* & Dicaſtillus *diſp. 9. dub. 1.* Quia in illis anguſtijs cum urgeat obligatio communicandi, incredibile videtur à Deo non provideri auxilia ſufficiẽtia ad eam obligationem ritè implendam, digneque communicandum: ac proinde ad depellendum peccatum per contritionem, niſi talis communicaturus voluntariè reſiſteret præſentiſſimis auxilijs.

21 Alius erat olim abuſus miniſtrandi, & ſumendi Euchariſtiam pro purgatione delicti: qui faviſſe videri poſſet Concilio Uvormatienſe *cap.* 10. relatum *in Ca. Si Epiſcopo 2. quæſt 5.* quatenus ſtatuebat, quód ſi Sacerdoti crimen aliquod inputaretur, celebraret: ſique ſe oſtenderet innocentem: & *cap.* 15. quòd ſi in Monaſterio furtum contigiſſet, cuncti fratres cõmunicarent dicente, *ſi corpus Domini ſit mihi ad probationem hodie.* *Concil Vorm. Can. ſi Epiſcopo. Vaſq.*

22 P Vaſquez. *diſp. 210.* ait id non eſſe prohibitum iure naturali: poſſet enim accipi quaſi forma iurandi execratorié; nec iure poſitivo divino, aut humano ſcripto: quia non conſtat de tali prohibitione: dummodó id non fieret, ut certificarentur de innocentia, ſi Deus tunc miraculosè non puniret reum ſic communicantem: hoc enim eſſet tentare Deum. *Dicaſt.*

23 Nihilominus ait cum ipſo Vaſquez Dicaſtillus *diſp. 9. dub. 15.* id eſſe prohibitum ſaltem ex conſuetudine fundata non leviter in cap. *Ex tuarum* de Purgatione Canonicâ ibi: *quia verò peregrina iudicia ſunt prohibita. &c.* Hoc autem abs dubió eſt iudicium valdé peregrinum: ideoque meritò prohibitum, tanquam multis inconvenientibus obnoxium. *C. Ex. ſuarum.*

24 Ad Vvormantienſe reſpondetur, non fuiſſe Concilium generale, nec conſtare approbatum eſſe per Papam. Nec mirum, quód probatio, quæ pro aliquo tempore recepta fuit in aliqua Provincia, poſtea generaliter reprobetur.

25 Erat etiam abuſus deferendi Euchariſtiam adorandam ad infirmos impéditos eã manducare. Hoc tamen prohibuit Sac. Cong. Cardinal. teſte Zerola apud Biſſum. *Sac Con. Zerol. Biſſus.*

Ver. *Encariſtia num.* 180. §. 8.

SECTIO III.

Uſus, & abuſus frequentioris Communionis, præſertim Quotidiana.

26 OPeræpretium in præſenti duxi, ut dicta, ſcriptaque varia evaneſcant, quæ indiſcreto aliquorum zelo in ijs præſertim temporibus ſerpebant nimis ſ ponere ob oculos, uti normam doctrinæ ſuper hoc tradendæ, & tenendæ, prudentiſſimum Decretum Sanctiſſimi P. ac D.N. Innocentij 11. promulgatum anno 1679. Eſt autem huiſmodi:

Innoc. 11.

SS. P. N. INNOCENTII Papæ XI. Decretum circa frequentiam Communionum.

Clauſ. I. *CUm ad aures Sanctiſſimi D. N. fide dignorum teſtimonio pervenerit, in quibuſdam Diœceſibus vigere uſum quotidianæ Communionis etiam in feria 6. Paraſceve: & ſimul affirmari, eamdem quotidianam Communionem præceptam eſſe à iure divino: quin etiam in illius adminiſtratione aliquos abuſus inoleviſſe. Videlicet, quòd aliqui non in Eccleſiâ, ſed in privatis Oratorijs, Domi, imò cubantes in lecto, & non laborantes ullâ gravis infirmitatis noxâ, ſumant Sacroſanctam Euchariſtiam, quam argenteâ thecâ incluſam in crumena, aut ſecretè illis deferunt Sacerdotes Seculares, aut Regulares: aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores ſolito: ac tandem quis confiteatur peccata venialia ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Cùm autem hæc Sanctiſſimus conſideranda commiſerit S. Congregationi Cardinalium Concil. Trident. Interpretum, eadem S. Congregatio, prævia matura diſcuſſione ſuper prædictis, unanimi ſententia ita cenſuit.*

II *Etſi frequens; quotidianumve Sacroſanctæ Euchariſtiæ uſus à SS. PP. fuerit ſemper in Eccleſiâ probatus; nunquam tamen, aut ſæpius illam percipiendi, aut ab ea abſtinendi, certos ſingulis menſibus, aut Hebdomadis dies ſtatuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præſcripſit; ſed quaſi humanam infirmitatem ſecum reputaret, nihil præcipiens, quidcuperet tantùm indicavit, cum inquit*: Optaret quidem Sacroſancta Synodus, ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes Sacramentali Euchariſtiæ perceptione communicarent: *idque non immeritò: multiplices enim ſunt, conſcientiarum receſſus, varia ob negotia ſpiritûs alienationes, multa è contra gratia, & Dei dona parvulis conceſſa: quæ cum humanis oculis ſcrutari non poſſimus; nihil certè de cujuſque dignitate, atque integritate, & conſequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis eſu poteſt conſtitui.*

III *Et propterea, quod ad negotiatores ipſos attinet, frequens ad ſacram alimoniam percipiendam acceſſus, Confeſſarioru̇ ſecreta cordis exploratissimi judicio eſt relinquendus*: qui ex conſcientiarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu, *laicis negotiatoribus, & coniugatis, quod proſpicient eorum ſaluti profuturum, id illis præſcribere debebunt.*

IV *In coniugatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apoſtolus nolit eos invicem fraudari, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi; eos ſeriò admoneant, tantò magis ob Sagratiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam continentiæ vacandum*, puriorique mente *ad Cœleſtium Epularum Communionem eſſe conveniendum.*

V *In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimùm invigilabit, non ut à frequenti aut quotidianâ Sacræ Communionis ſumptione, unicâ præcepti formulâ aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur; ſed magis, quid ſingulis permittendum, per ſe, aut Parochos, ſeu Confeſſarios ſibi decernendum putet: illudque omninò provideat, ut nemo à ſacro Convivio, ſeu frequenter, ſeu quotidie acceſſerit, repellatur: & nihilominùs det operâ, ut unuſquiſque dignè pro devotionis, & præparationis modo ratiùs, aut crebriùs Dominici corporis ſuavitatem deguſtet.*

VI *Itidem Moniales, quotidie Sacram Communionem petentes, admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis cõmunicent*: ſi quæ verò puritate mẽtis eniteant, & fervore ſpiritûs ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidianâ Sanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint; *id illis à Superioribus permittatur.*

VII *Prodeſt etiam præter Parrochorum, & Confeſſariorum diligentiam, operâ quoque Concionatorum uti, & eum eis conſtitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctiſſimi Sacramenti frequentiam, (quod facere debent) acceſſerint, ſtatim* de magna ad illud ſumendum præparatione orationem ha-

habeant: *generatimque ostendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam salutiferi Cibi sumptionem devoto studio excitantur,* debere, *sivè laici negotiatores sint, sivè coniugati, sivè quicumque alij, suam agnoscere infirmitatem, vt dignitate Sacramenti, ac divini iudicij formidine discant cœlestem mensam, in quâ Christus est, revereri & si quando se minùs paratos senserint, ab eâ abstinere,* ieque ad maiorem præparationem accingere.

VIII *Episcopi autem, in quorum Dioecesibus viget huiusmodi devotio erga Sanctissimum Sacramentum, pro illâ gratias Deo agant, eamque ipsi, adhibito prudentia & iudicij temperamento, alere debebunt, & ab eorum Officio postulari sibi maximè persuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, vt omnis irreverentia, & scandali suspicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtutesque, ac dona in sumentibus augeantur: quod abundè consinget, si ij, qui devoto huiusmodi studio, divinâ præstante gratiâ, tenentur, seque Sacratissimo Pane frequentiùs refici cupiunt, suas vires expendere, seque probare cum timore, & charitate assueverint: quibus Christum Dominum, qui se fidelibus manducandum, & se pretium in morte tradit, atque in cœlesti Regno se præmium est daturus, precatur Sacra Congregatio, vt suam spem, ad dignam præparationem, & sumptionem largiatur.*

IX *Porrò Episcopi, & Parochi, seu Confessarij redarguant asserentes Communionem quotidianam esse de iure divino.*

X *Doceant in Ecclesijs, seu Oratorijs privatis ex dispensatione, seu Privilegio Pontificis de manu Sacerdotis sumendam Sanctissimam Eucharistiam: nec eam ullo modo deferendam in Crumena, aut secretò ad existentes Domi, vel cubantes in lecto, præterquam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad loca prædicta accedere non valeant: & ad eos, si ab Ecclesia deferatur, publicè & cum pompa iuxta formam Rituales; si verò ab Oratorio privilegiato, cum formâ decenti.*

XI *Curent etiam, vt circa communionem in feria 6. Parasceve, Missalis Rubrica, & Ecclesia Romana vsus seruentur.*

XII *Insuper admoneant, nulli tradendas plures Eucharistiæ formas, seu particulas, neque grandiores; sed consuetas.*

XIII *Non permittant, vt venialium Confessio fiat simplici Sacerdoti, non approbato ab Episcopo, aut Ordinario.*

XIV *Si Parochi, Confessarij etiam Regulares, aut quicumque alij Sacerdotes secus egerint, sciant, Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse, neque defuturam Episcoporum, & Ordinariorum instam, ac rigorosam animadversionem in contra facientes, etiam Regulares, etiam Societatis Iesu: facultate ipsis Episcopis, & Ordinarijs per hoc Decretum per Sedem Apostolicam specialiter attributâ.*

XX *Et factâ de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas sua approbavit, ac præsens Decretum Typis dari, ac publicari voluit. In quorum &c. Datum Romæ 12. Februarij 1679.*

F. Card. Columna, Præf.

S. Archiepisc. Branccatius. Episc. Viterbien. Secret.

29 Ex hoc Oraculo multa manent extra dubium, de quibus acri contentione hinc inde disceptabatur, non tam in Scholis à Theologis, quam à varijs Directoribus animarum in privatis colloquijs, & publicis exhortationibus, nec non in libris, aut pijs, aut etiam satis liberis, qui lucem hac tempestate viderunt. Pro quibus omnibus discernere maximè oportet inter quæstionem; *an liceat*: & quæstionem: *an expediat*: ut distinguebat Apostolus *omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Ea licent, quæ sine peccato fiunt; ea expediunt, quæ cum laude alijs præferuntur. *1. Cor. 6.*

28 Atque hinc est primò: reprimendam iam esse eorum Doctrinam, qui generaliter dicebant: quamvis licitè, hoc est, absque peccato mortali, posset quilibet Fidelis quotidie communicare; non tamen id expedire, nec decere; sed statutis in genere certis diebus. Ex clausula 5. *in hoc igitur Pastorum diligentia potissimum invigilabit, non vt à frequenti, aut quotidianâ sacræ communionis sumptione unicâ præcepti formulâ aliqui deterreantur, aut sumendi dies generaliter constituantur, sed magis quid singulis, &c.* Quocirca Sacra Congreg. Cardinalium iuxta mentem Concilij Tridentini improbavit decretum cuiusdam Episcopi, qui certos dies præscribebat quibus permitteret communionem Negotiatoribus, & Coniugatis: quasi videlicet in hoc expediret pro omnibus illis una regula. Et in eadem clauſ. 5. *Provideat, vt nemo à sacro convivio, seu frequenter, seu quotidie accesserit, repellatur.* Et clauſ. 6. permitti vult Monialibus Quotidiana communio, *si puritate mentis emineant, & fervore spiritûs, &c.* Et clauſ. 7. *Congr. Card.*

nec

nec *Negotiatores*, nec Coniugatos eo titulo exclusos vult à *Frequenti*: & clauſ.7. nec à *Quotidianâ*. Docuerat id ex Auguſt. S. Tho. *quæſt.80.ar.10. Si aliquis ſe quotidiè ad hoc paratũ inveniat laudabile eſt, quod quotidie ſumat: vndé Auguſtinus, cum dixiſſet quotidie, ut accipe quotidie tibi proſit, ſubiũgit: ſic vive, ut quotidie merearis accipere.*

S. Thom. Auguſt.

29 Secundo: reprimendam ſimiliter eſſe aliorum doctrinam, quòd generaliter omnibus expediret, ac conſulenda eſſet Quotidiana. Clauſ.2. ibi: *Nihil certè de cuiuſque dignitate aut integritate, & conſequenter de frequentiori; aut quotidiano Vitalis Panis eſu poteſt conſtitui.* Et Clauſ.5. *quod ſingulis permittendum per ſe, aut Parochos, aut Confeſſarios ſibi decernendum putet.* Et mox: *det operam, ut unuſquiſque dignè pro devotionis, & præparationis modo rariùs aut crebriùs Dominici Corporis ſuavitatem deguſtet.* Et Clauſ.6. de Monialibus: *Si quæ verò puritate mẽtis eniteant, & fervore ſpiritûs ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidianâ Sanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint; id illis à Superioribus permittatur.* Et Clauſ.7. *Si quandò ſe minùs paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad maiorem præparationem accingere.* Conſonant hæc omnia Auguſtini dicto: *quotidie Euchariſtia Communionem accipere, nec laudo, nec vitupero*: ſcilicet, quia in uno poſſet eſſe laudabile, et in alio vituperabile: cùm indifferenter pro cunctis non ſit una regula. Quæ omnia manifeſtè convellunt eorum ſententiam, qui cunctis fidelibus iuſtis expedire, & conſulendum eſſe dicebant quotidie cõmunicare. Contra quos ante præſens decretum ſcripſere multi poſt Patrem Suar. *diſ. 69.* & Vaſquez *diſp.214.*

Auguſt. Suar. Vaſq.

30 Tertiò: improbari penitùs doctrinam dicentium, expedire, quòd Fideles frequenter, & quotidie communicent, invito etiam Confeſſario, vel Superiore. Clauſ.3. *Quod ad negotiatores ipſos attinet frequens ad ſacram alimoniam percipiendam acceſſus, Confeſſariorum ſecreta cordis explorãtium indicio eſt relinquendus: qui ex conſcientiarũ puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu id illis præſcribere debebunt.* Similia habentur *claſ.5.* ubi ad id exigitur *Paſtorum* diligentia: & *clauſ.6.* quoad Moniales Superiorum permiſſio *pro frequentiori, aut quotidianâ Sanctiſſimi Sacramenti perceptione, & clauſ.8.* ubi *prudentiæ, & indicij tẽperamento* Epiſcoporum id ſubijcitur. Ut procerto poſthac habeatur, nec expedire, nec eſſe conſulendam communionem frequentem, aut quotidianam contra præſcriptum Superiorum, & Confeſſariorum.

31 Quartò: improbari quoque aliorum doctrinam dicentium, ad Communionem quotidianam eſſe ſatis diſpoſitum Fidelem eo ipſo quòd non ſit in mortali: in eo videlicet ſuo ſenſu acceptam, quòd ea ſit ſufficiens diſpoſitio, ut expediat, & conſulenda ſit quotidiana Communio. Nam in alio ſenſu, quòd nempe ea ſit ſufficiens, ut extra peccatum mortale, imo & cum aliquo gratiæ fructu frequenter, imò, & quotidie communicetur; verum id eſſe diximus *diſp.11. ſec.2.* In illo, inquam, priori ſenſu, prout eſt termino, reſiſtit dictæ doctrinæ præſens Decretũ. Dicitur enim clauſ.3. *frequens ad Sacram alimoniam acceſſus, Confeſſariorum ſecreta cordis explorantium indicio eſt relinquendus: qui ex cõſcientiarũ puritate, & frequẽtia fructu, & ad pietatem proceſſu Laicis negotiatoribus, & Coniugatis quod proſpiciens eorum ſalutì profuturum id illis præſcribere debebunt,* & clauſ.5. *pro devotionis & præparationis modo, rariùs aut crebriùs &c.* Et clauſ.6. quoad Moniales: *Si quæ verò puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritus ita incaluerint, ut dignæ quotidianâ perceptione videri poſſint, id illis à Superioribus permittatur.* Et clauſ.7. iniungitur Epiſcopis, quòd Concionatores, dum communionis frequentiam ſuadent, *ſtatim de magna præparatione rationem habeãt generatimq; oſtẽdant, eos qui ad frequẽtiorẽ, aut quotidianã ſalutì ſeri Cibi ſumptionẽ devoto ſtudio excitantur, debere ſuam agnoſcere infirmitatẽ, ut dignitate Sacramenti, ac divini iudicij formidine diſcant, cæleſtem mẽſam reverẽri.* Et ad hunc modum *clauſ.8.* Quæ omnia ſatis indicant Sanctiſſimi mentẽ contra eos, qui expedire docebant quotidianam etiam communionem pro omnibus cum ſóla ſtatûs gratiæ diſpoſitione. Conſonat Chathechiſmus Rom. *par.2. ca.4. num.48.* ubi dans rationem, cur in Eccleſia primitiva omnes quotidiè laudabiliter communicare conſueverint, ait: *omnes enim verâ, & ſincerâ charitate ita ardebãt, ut cum ſine intermiſſione orationibus, & alijs pietatis officijs vacarent, quotidie parati invenirentur.* Non ergo eſt ſufficiens præparatio ad quotidianam communionem laudabiliter, & convenienter frequentandam, carere peccato mortali.

Supra diſp.11. Catech.

32 Quintò: improbari quorundam uſum communicandi etiam in Paraſceve. Clauſ.1. *etiam in Fer.6. Paraſceve*, & clauſ. 21. ad Epiſcopos: *curent etiam, ut circa Communionem in Fer. 6. Paraſceve Miſſalis rubrica, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſervetur.* Rubrica autem Miſſalis monet ut Fer.5. reſerveptur aliquæ particulæ conſecratæ, ſi

opus

opus fuerit pro infirmis : ſupponens utique, pro aliis reſervandas non eſſe, & hunc eſſe uſum Eccleſiæ Romanæ, & communem Fidelium praxim, dubitari nequit. Sic ergo vult Sanctiſſimus omninó poſt hac obſervari cõtra prædictam opinionem hoc ſuo decreto antiquatam. Nec opponi poteſt profectus ſpiritualis, qui animabus obveniret communicantibus in illa die. Huic enim profectui particulari prævalet univerſalis Eccleſiæ uſus in ſignum mœroris pro Chriſti morte : alioquin nec iuſtè prohiberetur Sacerdotibus ſacrificare in illa die: quod dici nequit.

33 Sextó : improbari tandem eorum doctrinam, qui aſſerebant, communionem quotidianam eſſe de iure divino. Quod intelligi, ſive iure divino præceptam, taliter ut Eccleſia nequeat deobligare ; ſive iure divino permiſſam, taliter ut Eccleſia nequeat illam prohibere *Clauſ.9.* ad Epiſcopos, & Cõfeſſarios ibi: *redarguãt aſſerentes communionem quotidianam eſſe de iure divino.* Ubi ſupponitur eam doctrinam, quaſi iam antea minimé ſanam, debere reprehendi, & redargui.

SECTIO IV.

Reliqua de hoc puncto : & tandem de Communione Spirituali.

34 DOctrinæ igitur, iam poſt hoc Decretum omninò tenendæ pro praxi, ſumma ſit Primò, non dari prohibitionem ſub gravi frequentis, nec quotidianæ Communionis pro fidelibus confeſſis, & iuſtis, & non excomunicatis. Secundò non omnibus indiſcriminatim per eam ſolam diſpoſitionem ſtatûs gratiæ expedire, nec conſulendam eſſe quamvis optandum eſſet, ut optabat Trid. *Trid.* *ſeſſ 22. cap. 6. quód in ſingulis Miſſis omnes Fideles adſtantes* Sacramentaliter *communicarent* : ſcilicet, quatenus optandus eſt, quód omnes ita perfectè viverent, ut digni eſſent eâ frequentiâ, exemplo primitivorum, de quibus Catechiſmus Rom. citatus *num.31.* & non aliter. Tertió, id relinqui oportere iudicio, aut diſcrimini Superiorum, & prudentum Confeſſariorum : quorum utique iudicio communionis etiam Paſchalis aliqua dilatio cõmittitur in *C. Omnis utriuſque ſexùs*, ut vidimus *diſp prac. nu.11.* Quartó, abſtinendum eſſe in Paraſceve. Quam doctrinam eſſe valde conformem antiquis Canonibus, Concilijs & Sanctis Patribus, oſtendit eruditè contra Pintum, Velaſquez, & alios noſter Cardenas *in Criſi diſp.66.* poſt Card. Delugo *diſp.17.* & Dicaſtillum *diſp.9.dub.18.* monſtrans hunc fuiſſe ſenſum conſtantiſſimũ SS. Thom. & Bonav. aliorumque ſummorum Scholaſticorum.

Catech. *Supra diſp.13. ſec.2.* *Carden.* *Leg.* *Dicaſt.* *Thom.* *Bern.*

35 Unde ſententiam, quam tenuerunt Scotiſta, & Sa, id licitum opinati, nec probabilem iam cenſent Biſſus *Verb Euchar num. 174.§.18.ex Decr.Sacr.Congr.Rit* an 1622. cuius meminit Mendus *in ſtat diſſert. 11. quæſt.5.num.55. & in Epit. Verb. Euchar. num* & Nec mirum: cùm, & Sacerdotibus prohibitum ſit in illa die ſacrificare *ex Decr.* eiuſdem Congr. quod ex Gavan. *tom.1.par. 4. tit.9. num. 24.* refert diſſus *Verb. Feria num.46 §.1.* in quo nec Epiſcopi poſſunt diſpentare, ut contra Homob. & Gobat tenet Biſſus ibi adhuc pro caſu, quo infirmus moriatur abſque Viatico. §.5.

Scor. *Sa.* *Biſſus.* *Con.Rit.* *Gavan.* *Mend.* *Homob.* *Gobat.*

36 Nec verendum eſt, de rariùs ac devotiùs communicantibus ex præſcripto Superiorum, aut Confeſſariorũ minor fructus accreſcat, quã crebriùs, ac minùs devotè é proprio cerebro á dextris, & a ſiniſtris, quamvis ſine peccato. Quia gratia, etiam quæ obvenit ex opere operato, eſt maior, aut minor pro maiori, vel minori diſpoſitione : ſicque continget uberiorem gratiam obvenire ſæpe ex una communione, quàm ex pluribus. Tum quia præter augmentum gratiæ collatæ tunc communicanti, pendèt à communione pleraque auxilia ad actus meritorios ulteriotis gratiæ : quæ auxilia credibile eſt fore plura, vel pauciora, efficacia, vel inefficacia à maiori potiùs, vel minori diſpoſitione, quàm à numero ecmunionũ. Quo Deus cõpenſat congruiſſimé, diſparem numerũ communionũ. Tum quia ut innuimus *num. 32.* detrimentum aliquod gratiæ alicuius privati laudabiliter abſtinentis, aut prohibiti à ſuſceptione Euchariſtiæ, præponderat bonum cõmune reverentiæ Sacramenti. Quo ex capite cohoneſtantur prohibitiones communicandi multoties in eodẽ die, dandi parvulis Euchariſtiam, celebrandi ſine veſtibus ſacris, & aliæ huiuſmodi.

37 Hæ verò doctrinæ non loquuntur eodem modo de Sacerdotibus. Qui nimirûm omnes ratione ſui Ordinis laudabiliter quotidie ſacrificantes, quotidie communicant, ut benè diſtinguit Lumbier *Obſerv.14. nu.508.* An verò ratione ſui ſtatûs ultra obligationem laicos etiam comprehendentem ſemel in anno communicandi tempore Paſchatis, & ultra obligationem Parochorum, aut Beneficiatorum ratione Beneficij ; teneantur ſub gravi aliquoties celebrare ; non unum eſt Theologorum iudicium. S. Thom. Suar. Vaſq. & alij apud Dicaſtillum illos obligant ſub mortali ; alij ad ter ſaltem in an-

Lumb. *S.Thom.* *Suar.* *Vaſq.*

no;

Dicaſt. no; alij in præcipuis Feſtivitatibus; alij ſæpius.
Bonav. S. Bonav. Alen. Caiet. Delugo, & alij non o-
Alen. bligãt ad id ſub mortali: quod probabile cen-
Caiet. ſet Suar. *diſp. 80. ſec. 1* & Dicaſtillus *tr. de Sa-*
Lug. *crif. Miſſæ diſp. 4. dub. 1*. Difficile mihi eſt
Suar. liberare à mortali ſimplicẽ Sacerdotem nun-
Trid. quam celebrantem, præſertim ex Trid. *ſeſſ.* 23. *cap* 14. de Ref. monente Epiſcopos, ut curent, Sacerdotes ſaltem in Dominicis, Feſtiſque ſolemnibus celebrare. Quocirca tolẽ-
Beda. nis eſt Venerabilis Bedæ ſententia *in cap. 2. Act.* ibi: *Sacerdos legitimè non impeditus, celebrare prætermittens, privat, quantum in ſe eſt, Beatam Trinitatem laude & gloriâ; Angelos, lætitiâ; peccatores venià; iuſtos ſubſidio & gratiâ, in Purgatorio exiſtentes, ſuffragio, & refrigerio, Eccleſiam ſpeciali Chriſti beneficio; & ſe ipſum medicinæ remedio.*

38 Hoc intellige per ſe loquendo: nam per accidens, caſu V. G. quo alioquin in die Feſto Populus manſurus eſſet ſine Miſſa, teneretur ſimplex Sacerdos celebrare. Et à fortiori, ſi quis aliàs moreretur ſine Viatico. Di-
Dicaſt. caſt. *num. 13.*

39 Alium abuſum Euchariſtiæ corrigit ſeveritiſſimè ſupradictum Decretum Innocentij clauſ. 10. ibi: *Nec eam deferendam in ſtrumena, aut ſecretò præterquam ad infirmos, &c. iuxta formam Ritualis.*

40 De frequentia pluſquam quotidiana hoc eſt, pluſquam ſemel in die communicandi, ſunt aliqui caſus, in quibus licet, & non
Supra diſp. 13. ſec. 1. aliàs. Primò in caſu, quem expreſſimus. *diſp. 13 num. 9.* Secundò, in caſu, quo Sacerdos, qui iam celebravit, teneatur conſumare ſacrificium alterius Sacerdotis, qui iam conſecravit, & conſumare non potuit. Tertiò, in caſu, quo qui iam in illa die communicavit debeat abſumere Sacramentum, ne conculcetur. Quartò ex ſpeciali Eccleſiæ indulgentia ter celebrandi in die Nativitatis: & in aliquibus Regionibus bis, aut ter in die Defunctorum ex conſuetudine. Quintò, in caſu, quo unus tenetur in Feſtis celebrare in duplici Eccleſia ſuis Parochianis. Sextò, caſu quo neceſſe eſſet, ne quis moriatur ſine Viatico: quam-
Vaſq. vis hoc neget P. Vaſquez. Septimò, iuxta bonos Theologos, caſu quo ante ſumptam ablutionem primæ Miſſæ in die Feſto ſuperveniret Epiſcopus, Magnuſve Princeps, aut magnus Peregrinorum concurſus ſatisfacturus præcepto: quamvis hoc negẽt Vaſquez, Conine, & Delugo. Octavò, caſu quo ob anguſtiam templi magna pars Populi, aut Peregrinorum manſura eſſet ſine Miſſa in die Feſto. Quæ, & alia diſputat fuſiùs Dicaſtillus ubi nuper *dub. 3.*

Vaſq. *Conine.* *Lug.* *Dicaſt.*

41 Circa perutilem uſum Communionis ſpiritualis ſupponere oportet ex Trid. *ſeſſ. 13. cap. 8.* tres eſſe ſũptiones Euchariſtiæ. Prima eſt Sacramentalis tantùm; ſcilicet ab indignis. Secunda, Sacramentalis ſimul, & ſpiritualis: ſcilicet à dignis. Tertia, ſpiritualis tantùm; ſcilicet ab illis, qui in re non ſumentes Euchariſtiam, ſumunt illam in voto, ac deſiderio cum fide vivâ, quæ per dilectionem operatur eius fructum, & utilitatem. Et de hac tertia ſumptione nunc loquimur.

42 Dubium autem eſt: an eum fructum cauſet ex opere operato. Affirmarunt nonnulli apud Suar. Qui tamen *diſp. 62 ſec. 1.* cum S. Tho. *q 80.* & cum reliquis fere omnibus rectè negat. Quia huiuſmodi votum, aut deſiderium, ſicut nec votum Baptiſmi, aut Sacramenti Pœnitentiæ, non eſt Sacramentum. Eatenus igitur dumtaxat cauſatur ille fructus in ſpiritualiter tantum communicantibus, quatenus eos ex opere operantis ſpecialiter merentur per illos affectus bonos ſe Sacramentaliter coniungendi cum Chriſto. Hinc refellitur error Hæreticorum dicentium, non eſſe minùs fructuoſam Communionem ſpiritualem ſeorſim, quàm coniunctam cum Sacramentali.

Suar. *S. Thom.*

43 Dubium aliud: an ad eiuſmodi Cõmunionem ſpiritualem prærequiratur ſtatus gratiæ. Reſpondetur, quòd non taliter, ut ſic cõmunicare ſpiritualiter in peccato, ſit peccatum; niſi deſiderium eſſet cõmunicandi Sacramentaliter in peccato. Benè tamen taliter, ut ſtatus gratiæ conducat, & requiratur ad uberiorem fructum, ſicut ad merendum. Quinimò nec abſolutè dicitur ſpecialiter communicare, qui in ſtatu peccati habet eiuſmodi deſiderium, ac votum; quia non eſt capax cum eo ſuſcipiendi gratiam, quæ potiſſimùm eſt effectus Sacramenti.

DIS-

DISPUTAT. XXXIII. ET XIV.

DE SACRIFICIO EVCHARISTIÆ.

1 EUCHARISTIA, ut in ſuperioribus ſæpè diſtinximus, & habet rationem Sacramenti, de quo hactenus; & habet rationem Sacrificij, de quo nunc paucis, ex multis, quæ leguntur apud Authores præſertim Paſqualigum, & Henaum, ad quos, præſertim quoad purè moralia, Lectores remitto. *Sacrificium* accipitur interdùm materialiter pro Victima, ſeu rè ſacrificata: ad modum, quo methonymicè ſumitur res pro ſigno, ut apud Maronem: *mea cura palumbes*: & apud Salomonem ſæpiùs in Canticis, *Dilecta* vocatur *Dilectio*: & in Evangelijs, *Verbum*, pro re de qua fit verbum. Interdum accipitur formaliter pro ſacrificatione, ſeu actione ipsâ ſacrificandi. Quam acceptionem Hæretici, ut ſpecialem rationem ſacrificij denegent Euchariſtiæ in Miſſa, extendunt ad quamlibet obligationem Deo factam, ut cum dixit David: *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus*: Cæterum, præter laxiſſimam iſtam acceptionem, ſumi debere ſtrictiùs ſacrificium pro ſpeciali actione in Dei cultum exhibitâ, Ethnici quoque docuerunt: quippé non quamlibet actionem in honorē ſuorū Deorum vocabant ſacrificiū; ſed aliquas ſpeciali ritu inſtitutas. Sic ergo Sacrificiū eſt: *Oblatio ſenſibilis publicè inſtituta rem aliquam deſtruens in honorem Dei, adorando illum, ut Dominum vitæ, ac mortis.* Sic colligit Bernal poſt examen ſingulorum prædicatorum, quæ à varijs tribui ſolent Sacrificio *diſp. 21. ſec. vlt.* Itaque actio, ſeu oblatio ſacrifica eſt in primis actus virtutis religionis, & adoratio latriæ ſoli Deo exhibenda, quam explicuimus *diſp. 19. de Incarn. ſec. 1. & 2.* deinde dicitur *ſenſibilis*: loquimur enim de ſacrificio pro Republica humana: quidquid dici poſſet pro Angelica de quo Bernal *ſec. 1.* Dicitur, *publicè inſtituta*: tum quia eſt actio Sacerdotis, qui eſt publica Perſona ſacra, ut expendit Bernal *ſec. 7.* ideoque diſplicuit Deo Saul attentās ſacrificāre 1. *Reg.* 13. & Ozias 2. *Paralip. 26.* Tum quia debet eſſe in materia deſtinata ab habente legitimam poteſtatem: ideoque diſplicuit Deo Jepte Filiam *Iud.* 11. & Rex Moab Filium immolans 4. *Reg. 3.* ut benè Dicaſtillus *tr. 5. diſp 1. dub. 2.* De nomine, *Miſſa*, quo ſolet appellari Sacrificium Euchariſticum, volunt aliqui derivari ab Hæbreo, *Miſſach*, quod eſt quaſi, *obligatio*: alij, quibus aſſentitur Biſſus *Verb. Miſſa num. 181.* à verbo latino, *mitto*: aut quia per Sacerdotem ſacrificantem mittit Populus ad Deum ſua deſideria: aut quia in hoc Sacrificio mittitur Dei Filius ad nos: aut potiùs à duplici miſſione, ſeu dimiſſione Populi, quæ fiebat olim, ſemel finito Evangelio pro Cathecumenis; & iterum, finito Sacrificio, pro reliquis, ut nunc fit cum dicitur: *Ite Miſſa eſt*: quod eſt quaſi, *miſsio eſt*: ſicut apud Tertullianum, & Cyprianum, legitur pro eodem, *remiſſa*, ac *remiſsio*. De quo Bellarminus *to. 3. lib. 5. de Euch.* qui eſt primus de Miſſa.

Paſqual. Henauſ.
Virgil. Cant. Evang.
Pſal. 50.
Bern.
diſp. 19. de Incarn.
Bern.
1 Reg. 13.
2. Paral. 26.
Iudic. 11.
4 Reg 3.
Dicaſt.
Biſſus

SECTIO I.

Verum, ac proprium offerri ſacrificium Euchariſticum in Miſſa ſtatuitur adverſus Hæreticos.

Trid. 2 STatutũ eſt hoc, poſt alia Concilia, per Tridentinum *ſeſſ. 22. can. 1.* ibi: *Si quis dixerit, in Miſſa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium; aut quód offerri non ſit aliud, quàm nobis Chriſtum dari; anathema ſit.*

3 De hoc Sacrificio, repudiatis iam nunc veteribus Sacrificijs, prophetaſſe intelligitur Malachias *c. 2. In omni loco ſacrificatur, & offertur Nomini meo oblatio munda.* Et Daniel *cap. 12.* prædixit, quòd impij, tempore Antichriſti, *auferent iuge ſacrificium.* In ordine ad hoc Sacrificium Euchariſticum explicuimus *diſp. 12. de Incarn. ſec. 1.* illud Davidis: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*: ſcriptumque legitur *Hebr. 13. Habemus altare, de quo edere non habent facultatem qui Tabernaculo deſerviunt*: id eſt, Judæi.

Malach. 2. *Dan 12.* *diſp. 12. de Incar.* *Pſal. 109.* *Hebr. 13.*

4 Conſtat inſuper, veros eſſe in Eccleſia Sacerdotes. Altare autem, & Sacerdotes in ordine ſunt ad proprium, verumque Sacrificium ex Apoſtolo Hæbr. 5. *Omnis Pontifex ad offerendum munera, & Hoſtias conſtituitur.* Eſt igitur in Eccleſia Chriſti verum Sacrificium. Non autem aliud niſi Euchariſticum; cùm alia abrogata ſint. Et quidem admiranda fore: Eccleſiæ imperfectio, ſi, reliquis abrogatis, omninó manſiſſet abſque Sacrificio cõtra quod ipſa natura Gentes etiam barbaras edocuit colere Deum Authorem vitæ, & mortis immolatione victimarum. Videndus eruditè Dicaſtillus *dub. 5.* adverſus inanes Hæreticorum reſponſiones.

Hab. 5. *Dicaſt.*

5 Objiciunt. Chriſtus in Cœna conſecrans non obtulit Sacrificium: ergo neque nos conſecrantes in Miſſa. Antecedens probant. Primò, quia id non colligitur ex Evangelijs. Secundó, quia ſi obtuliſſet in Cœna Sacrificium, ibi conſummaſſet Redemptionem, fuiſſetque ſupervacaneum Sacrificium Crucis: de quo nos egimus *diſp. 12. de Incarn.* ubi occurrimus difficultati emergenti ex eo quòd Chriſtus, Sacerdos immolans, ſit ſimul victima mactata. Reſpondetur negando antecedens. Ad primam probationem dic, quòd, quamvis in Evangelijs non exprimatur, Chriſtum in Cœna Sacrificaſſe; id tamẽ ex Traditione credidit sẽper Eccleſia: & indicatur in verbis Evangelij: *accepit panem: benedixit: fregit: accipite & comedite: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, &c.* & in actione mactandi ſe incruentè ſub ſpeciebus panis, & vini in qua ſtare veram rationem Sacrificij videbimus *ſec. 3.* Ad ſecundam negatur ſequela: nam ex Dei decreto, & pacto conſummari debuit Redemptio noſtra per cruentum Chriſti ſacrificium mortis in cruce ob altiſſimos fines: ut in ſimili reſpondimus *diſp. 17. de Inc. num. 63.*

diſp. 12. de Incar. *diſp 17. de Incar. ſec. 4.*

6 Objicitur ſecundó Sacrificium crucis cruentum fuiſſe infiniti valoris & ſufficientiſſimum pro cunctis peccatis: ergo offerri alia Sacrificia in Eccleſia pro peccatis eſſet ipſi iniurium, & inglorium, quaſi reputaretur inſufficiens. Conſequentia videtur illata ab Apoſtolo *Hebr. 9.* ubi ex perfectione ſacrificij Crucis arguere videtur repudianda iam eſſe alia Sacrificia: ibi: *Per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æternâ redemptione inuentâ:* & mox: *Nunc autem ſemel in conſummatione ſæculorum ad deſtructionem peccati per hoſtiam ſuam apparuit.* Sic igitur ſufficienter pro peccatis omnibus obtulit Chriſtus ſacrificium Crucis, ut nulla deinceps oblatione ſacrificij opus ſit. Confirmatur. Nam *cap. 10.* ex multitudine ſacrificiorum legis infert eorum imperfectionem, & inſufficientiam: ibi: *Alioqui ceſſaſſent offerri ideo quód nullam haberent ultra conſcientiam peccati cultores ſemel mundati.* Quibus propterea contraponit poſt pauca, quod Chriſtus *unâ oblatione* conſummavit ſanctificatos in ſempiternum: & ſubdit: *ubi autem horum remiſſio, iam non eſt oblatio pro peccato:* nimirum ut indicet, poſt Sacrificium Crucis nullum iam aliud ſupereſſe. Et concludit: *voluntariè enim peccantibus nobis iam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* Quibus videtur negari omne Sacrificium poſt cruentum Crucis

Hebr. 9. *Hebr. 10.*

7 Gravem iſtam obiectionem diluunt erudite Coninc *à num. 60* & Dicaſtillus *dub. 6.* concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Quamvis enim per infinitiſſimum Sacrificium Crucis exhibitum fuerit pretium ſufficientiſſimum Redemptionis noſtræ; ideoque foret ipſi iniurium, & inglorium requirere aliud ſacrificium ad eam ſufficientiam; neutiquam verò quòd ex ipſius Chriſti placito proſint, & requirantur alia ſacrificia: non quidem ad ſupplendam illius inſufficientiam; ſed ut illud pretium ſufficientiſſimum, & ſuperabundans in actu primo pro omnibus, applicetur ſingulis quoad efficacism, prout opus eſt de facto in actu ſecundo, ut peccata remittantur iuxta legem

Coninc. *Dicaſt.*

Dei,

Digitized by Google

Dei, & pactũ cum Christo: ut pro sufficientia Redẽptionis ex parte Christi sic volẽtis explicuimus *disp. 17. de Inc. sec. 6. & 7.* alioquin omnes omninò salvandi essemus; imo & nullum iam omnino peccatum commissuri: & superfluerent Sacramenta, & requireretur ulteriùs opera bona, imo & fidem, esset iniurium Sacrificio crucis: quæ tamen toti Ecclesiæ, & Evangelio repugnant. *disp. 17. de Inc.*

8 Nec approbavit unquam Apostolus consequentiam à nobis negatam. Intentum eius erat ibi contra Judæos, qui sacrificijs animalium potius quam Sacrificio Crucis remissionem tribuebant, commendare perfectionem Sacrificij Crucis præ alijs cruentis ex eo quod in Cruce semel fuerit oblatum pretium sufficiens pro cunctis peccatis quin sit ultra necesse Christum pati; aut aliud cruentum sacrificium offerri; sicut necesse fuerat in lege: in qua, quia una Hostia non erat sufficiens pro cunctis peccatis, mactabantur aliæ, & aliæ. Sensit itaque Paulus, Christum unicâ oblatione Crucis destruxisse cuncta peccata quoad sufficientiam modo explicato ubi supra: quamvis ad applicationem illius oblationis cruentę prosit, & requiratur incruenta eiusdem victimæ oblatio, quę fit in Sacrificio Missæ.

9 Ad confirmationem dico, imperfectionem veterum sacrificiorum inferri ab Apostolo ex insufficientia tot victimarum legis ad remittenda peccata. In quo rectè illis contraponit Sacrificium Crucis: quod quidem sufficientissimum fuit pro cunctis, quãvis per novam oblationem eiusdem victimæ aplicetur idemtidem ad singulos. Quando verò ait; quod ubi iam est peccatorum remissio iam non est oblatio intelligitur de oblatione cruentâ novæ victimæ in veteri lege; non de oblatione incruentâ eiusdem victimæ in Ecclesia Christi ad applicandum iterum pro remissione peccatorum pretium, & fructum Sacrificij Crucis. Quando tandem ait, quód *voluntariè peccantibus non relinquitur hostia*, monet nos, aut potiùs monebat illos, qui ad Judaismum revertebantur, nolentes uti hac Hostia, quæ semel in Cruce oblata fuit, frustra expectaturos alium, nec ipsum Christum rursùs pro nobis cruentè immolandum. Quin proinde neget eiusdem Hostiæ incruenta sacrificia in Missis usque ad sæculi consummationem.

10 Objicies tertiò. Eucharistia est sacramentum, quod est actio Christi erga nos; & est Testamentum, quod est donatio Dei ad nos: ergo non est sacrificium, quod est exhibitio cultús, & oblatio nostra ad Deum. Respondetur, Sacramentum Eucharistiæ, cùm à differentia aliorum sacramentorum sit sacramentum permanens per dicta *disp. 2. sec. 2.* non esse actionem. Si verò id intelligatur in fieri de eius institutione, & confectione, verum est antecedens, quód nempé sit actio Christi, & donatio Dei ad nos. Negatur autem consequentia. Nam quòd confectio Eucharistiæ sit principaliter actio, & donatio Dei ad nos; non tollit quominús sit simul ministerialiter oblatio, & actio obsequiosa nostra per Sacerdotes Sacrificantes ad Deum: alioquin non solum sacrificium, sed nullam omnino rem possemus Deo offerre, cùm omnia, ipsamque nostram actionem, & oblationem det nobis Deus: quod tamen apud omnes est falsum. Eadem ergo actio confectiva Sacramenti est donatio Dei ad nos, & obligatio obsequiosa, & sacrifica nostri ad Deum. Est quoque Eucharistia Testamentum institutum à Christo: non in qualibet Missa, ut calumniatur Calvinus apud Conine *quæst. 86. ar. 1. dub. 3.* sed nocte Cœnæ; & inqualibet Missa deinceps exequutum applicando Institutoris merita. Benè autem stat, quòd hæres impendat, & offerat in honorem, & obsequium Testatoris aliquid ipsi ex testamento relictum. *Supra disp. 2.* *Calvin.* *Conine.*

SECTIO II.

Quæ sit Victima, Hostia, seu res oblata, atque immolata in Sacrificio Missæ.

11 CAssalius *lib. 1. cap. 25.* duplex distinxit Sacrificium in Missa: unum, in quo solus Christus est res oblata; aliud, in quo res oblata sunt substantiæ panis, ac vini. Tannerus apud Dicastillum *dub. 7.* sequutus, ut ait, Bellarminum, & Suarium, unicum agnoscit in Missa sacrificium; rem autem oblatam ait esse Christum simul, & substantias panis, ac vini; quamvis has minùs principaliter, ut aiunt etiam Conine *dub. 4.* Delugo *disp. 19. num. 99.* quod & Dicastillus iudicat probabiliſſimum. *Casal.* *Tanner.* *Dicast.* *Bellarm.* *Suar.* *Conine.* *Lug.* *Dicast.*

12 Uterque tamen modus dicendi displicet. Quia Tridentinum *sess. 22. cap. 2.* docet: *Una enim, eademque Hostia; idem nunc offerens Sacerdotum ministerio; qui se ipsum tunc in Cruce obtulit, solâ ratione offerendi diversâ.* Atqui in Sacrificio cruento Crucis solus Christus fuit Hostia, & Victima, resque oblata: ergo solus etiam in incruento Sacrificio Missę. Sic Vasquez, & Valentia apud Dicastillum, & cum communiori sententia Martinon *tom. 4. disput. 38. sec. 5.* *Trid.* *Vasq.* *Valen.* *Martin.*

13 Præterea contra Caſalium ſtat communis ſenſus Sanctorum PP. conteſtantium, unicum nobis eſſe legis Gratiæ Sacrificium, cuius inſtitutione cætera cuncta ceſſarunt abrogata, & prohibita. Quocirca *in Oratione Domin. 7. poſt Pent.* ait Eccleſia: *Deus qui legalium differentiam Hoſtiarum unius Sacrificij perfectione ſanxiſti.* Admittendum igitur non eſt præter Sacrificium, quo Chriſtus offertur, & immolatur, aliud Sacrificium in Miſſa. Quapropter, Caſalium nec probabiliter loquutum cenſet Conin. *num 11.*

Oras. Eccles.

Conin.

14 Nec obſtant quorumdam Patrum loquutiones, qui dicunt, panem, & vinum offerri in ſacrificio, ſeu in ſacrificium Miſſæ: ut extant in multis Canonibus *de Conſecrat. diſp. 2.* & in ipſo Miſſæ officio in quo, dum panem elevamus in offertorio, eum offerimus per hæc verba: *ſuſcipe Sancte Pater hanc immaculatam hoſtiam:* & poſtmodùm: *veni Sanctificator, &c & benedic hoc Sacrificium* Et in Officio Euchariſtico canitur, *Sacerdos in æternũ Chriſtus Dominus panem, & vinum obtulit.* Reſponetur enim, non quamlibet oblationem eſſe ſacrificium, imo nec quamlibet oblationem rei quæ deſtruitur in honorem Dei; cum neque thus, neque cera, neque oleum in honorem Dei conſumpta dicantur ſacrificari, quamvis dicantur offerri: quia deeſt publica inſtitutio in proteſtationem Dominij Dei Authoris vitæ, ac mortis. Deeſſe autem illis huiuſmodi inſtitutionem conſtat ex eo quòd Chriſtus Dominus omnia alia ſacrificia abrogaverit, dum ſui Corporis, & Sanguinis ſacrificium unicè inſtituit.

Tit de Conſecr.

Off. Eccleſ.

15 Itaque, quamvis à PP. ſæpè dicantur panis, & vinum offerri à nobis *in Sacrificio*, ſeu *in Sacrificium*, non ſequitur illa ſtrictè ſacrificari, ſed offerri in Miſſa ad peragendum Chriſti Sacrificium: & quamvis ſint res ibi utcumque oblatæ, non ſunt victima, & hoſtia illius Sacrificij: hæc enim debet eſſe ex inſtituto ſacrificialiter oblata. Et ſic intelligendum, eſſe eam quòd Chriſtus *panem & vinum obtulit* Cum autem in Miſſa dicuntur offerri, nondum intelligitur ſacrificialiter: & cum apellantur *hæc hoſtia hoc ſacrificium*, intelligitur præparativè, ut vult Dicaſtillus, utpote materia deſtinata, ut ex illa fiat vera victima, & hoſtia, quæ eſt corpus, & Sanguis Chriſti: quod ſtatim futurum ſignat demonſtratio illa *hoc ſacrificium*: anticipativè nimirum, ut loquitur Martinon, de ipſo Chriſto ſtatim ponendo ſub illis ſpeciebus: quaſi dicatur iã offerri tunc verbaliter quod ſub illis ſpeciebus realiter, & ſacrificialiter offerendum eſt. Conſtat ex ſequentibus: *quam ego offero pro innumerabilibus peccatis &c.* Hoſtia autem ſic oblata pro peccatis non eſt niſi Chriſtus: cum nequeant eſſe ſubſtantiæ panis ac vini.

Dicaſt.

Martin.

16 Hæc de ſubſtantijs panis, ac vini, quæ deſtruuntur. At quid de earum ſpeciebus, quæ manent in Sacramento? Sententia dicentium ſpecies illas pertinere ad ſacrificium Miſſæ, ut partem ſaltem minùs principalem victimæ in eo oblatæ, ſuaderi poteſt. Primò: quia Sacrificium iſtud eſt ſenſibile: ſed non niſi per ſpecies: ergo claudit eſſentialiter ſpecies, per quas fit ſenſibile. Secundò: quia Chriſtus dicitur *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech* qui panem, & vinum obtulit: ergo ut aliquatenus dicatur obtuliſſe panem, & vinum, dicendum eſt, quòd ſaltem quoad ſpecies, quæ ſint pars Hoſtiæ, & victimæ ſui ſacrificij. Tertio: qui *in Can. Hoc eſt de Conſecr. diſt. 2* Dicitur *ſacrificium Eccleſia duobus conſtat duobus conſtare viſibilis ſacramentorum ſpecie, & inviſibili D. N. Jeſu Chriſti carne & ſanguine.* Quartò: quia victima ſacrificij Miſſæ eſt Sacramentum, quod eſt per modum cibi ad vium comeſtionis: ſed hoc Sacramentum conſtat intrinſecè ex ſubſtãtia Chriſti, & ex ſpeciebus, ut diximus *d. 2. ſ. 1.* ergo, & victima huius ſacrificij. Quinto: quia actio ſacrificans, nempe conſecratio, non terminatur ad Chriſtum ſecundum ſe, ſed ponendum ſub ſpeciebus: ergo illius terminus eſt victima ſacrificata: atque adeò victima ſunt Chriſtus & ſpecies.

Pſalm. 39.

Can. Hoc eſt.

Supra diſp. 2.

17 Reſponetur tamen. Ad primum, hoc ſacrificium eſſe ſenſibile per ſpecies, & verba. Hinc tamen non ſequitur, quòd ſenſibilitas ſe teneat intrinſecè ex parte victimæ: nec quòd ea ſenſibilitas ſit intrinſeca victimæ, quamvis ſit intrinſeca ſacrificio: ſufficit ergo quod victima, quæ eſt Chriſtus, immoletur ſub ſpeciebus, ex quibus & ex verbis, Sacrificium, & Sacramentum evadit ſenſibile. Ad ſecundum dico, Chriſtum dici Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, qui panem, & vinum obtulit: quia ſacrificavit ſub ſpeciebus panis ac vini id quod Melchiſedech offerens panem, & vinum adumbrabit. Ad tertium, ait Martinon *num. 14.* illum Canonem inſertum eſſe corpori iuris, non ex Auguſtino, ut multi putant; ſed ex Lanc franco, cuius minor eſt authoritas. Nec ibi multum interat diſcernere inter Sacrificium, & Sacramẽtum: intelligi ergo poteſt de Sacrificio in ratione Sacramenti. Ad quartum, maior non eſt omnino vera: nam Sacramentum, quod eſt ſignum ſenſibile, præter victimam, qui eſt Chriſtus, dicit conſtitutivè ſpecies, & verba exdicta *diſp. 2.* Victima ergo eſt per

Martin.

Lanefr.

Supra diſp. 2.

mo-

modum cibi ad uſum comeſtionis: non ſecundum id quod intrinſecè dicit ex parte victimæ; ſed per id ſub quo ponitur dum macta-tur, id eſt dum conſecratur. Ad quintum, conceſſo antecedente, diſtinguo conſequens: Chriſtus, & ſpecies eodem modo, nego; diuerſo, concedo: nam Chriſtus eſt terminus productus; ſpecies non ſunt terminus productus actionis conſecrativæ, ſeu Sacrificæ; ſed terminus, ſub quo per illam producitur Chriſtus: qui, ſicut ſolus eſt ibi terminus ſic productus, ſolus eſt terminus immolatus, ac proinde ſolus eſt victima ſacrificata. Non ergo omnis utcumque terminus illius actionis eſt victima; ſed terminus per illam ſic directè productus.

18 Maneat igitur, ſolum Chriſtum eſſe Victimam, Hoſtiam, ſeu rem, quæ immolatur in Sacrificio Euchariſtico Miſſæ. Chriſtum, inquam, poſitum ſacramentaliter ſub ſpeciebus, ac proinde reſpicientem ſpecies: non ut partes intrinſecè conſtitutivas Victimæ; ſed ut terminum, ſub quo victima ſacrificatur. Sic ſe explicat Conine *dub.4.* *Conine*

19 Dicitur autem Chriſtus ſtrictè *Victima*: quia à victrice Chriſti dextera immolatur Deo, in gratiarum actionem propter victos hoſtes ſuos, & noſtros. Dicitur, *Hoſtia pro peccatis*: *Hoſtia reconciliativa*: *Hoſtia pacifica*: & *Hoſtia laudis*: quia offertur in remiſſionem peccatorum: conciliat, & pacat Deum erga homines: & cedit in maximam Dei laudem, & gloriam.

20 Idcirco Sacrificium iſtud eſt verè Euchariſticum, hoc eſt gratificationis: veré honorarium; quia ſacrificium laudis: veré impetratorium; quo à Deo multa obtinemus bona: veré propitiatorium; quo, obtentâ veniâ culparum, liberamur à multis malis, ut definit Trid. *ſeſſ.22.cap.2.* Cùm enim ad huius Sacrificij inſtitutionem cuncta vetera Sacrificia expiraverint, congruum erat, quòd in iſtud convenirent omnes Hoſtiarum legalium differentiæ. *Trid.*

SECTIO III.

In qua Miſſæ actione ſtet eſſentialiter, & ſubſtantialiter Sacrificium Euchariſticum.

21 SCotus ſubtilis apud Dicaſtillum *dubit.8.* ſtare cenſuit in actione oblativa, quæ fit poſt Evangelium; cum dicitur: *Suſcipe ſanctè Pater, &c.* Ruardus, Echius, & alij, in oblatione, quæ fit poſt conſecrationem, cum dicitur: *Offerimus præclaræ Maieſtati tuæ, Hoſtiam puram, &c.* quam eſſe ſaltem partem eſſentialem Sacrificij docent Azor, & Bonacina. Contra tamen eſt, quòd Sacrificium non tam eſt verbalis oblatio, & in actu puré ſignato; quâ realis, & in actu exercito victimæ immolatio, quæ olim per ipſam occiſionem, ſeu mactationem fiebat, & exercebatur. Prædictæ autem oblationes ſunt merè verbales. Et quidé Chriſtus in Cœna, & Apoſtoli in Eccleſia primitiva fecerunt abs dubio Miſſæ Sacrificium. Nec tamen Chriſtus eas verbales oblationes legitur feciſſe: & Apoſtoli primitus, alijs nondum inſtitutis, præmiſſâ tantùm Oratione Dominicâ, conſecrabant, ut ex Magno Greg. *lib.7. Epiſt.63.* refert Raynaudus *tom. 6. Omn. oper. Tract. de Prima Miſſa ſec. 2. cap. 4.* & inſinuant quoque S. Iſidorus, Remigius, & Victorinus apud alios. *Azor.* *Bonacin.* *Greg.* *Rayn.* *Iſidor.* *Remig.* *Victorin*

22 Canus *lib.12.de Loc. cap.13.* ſtare cenſuit, ſaltem inadæquatè, in fractione Hoſtiæ. Contra tamen eſt: quia Chriſtus non legitur fregiſſe panem conſecratum, ſed fregiſſe, ſcilicet priùs, & deinde conſecraſſe: qui tamen veré ſacrificavit, ut contra Epiſcopum Bitontinum propterea meritò explosum à Patribus Tridentinis, adſtruit ibidem ſapienter Canus ipſe. Præterea ex Rubric. Miſſalis, ſi caſu ante fractionem Hoſtia elabatur in calicem, ibique madefiat, non eſt frangenda. Undé eſt quod ait S. Thom. *quæſt.83.art.6.* perfectum fore Sacrificium, etiamſi Hoſtia non frangatur. Fractio ergo non eſt de eſſentia, nec de ſubſtantia. *Canus.* *Biton.* *S. Thom.*

23 B. Albertus. M. Ledeſma, Bañez, & alij ſtare dicunt in ſumptione Sacerdotali prærequirente conſecrationem. Cabezud. in una ex quinque actionibus ſcilicet, vel in elevatione, vel in oblatione, vel in fractione, vel in commixtione, vel in ſumptione Hoſtiæ: taliter, ut quacumque iſtarum actionum poſitâ, ſtet eſſentialiter ſacrificium, quamvis aliæ omitterétur. Contra tamen eſt: quia inter hæc non fit mentio de actione conſecrativâ, in qua videbimus ſtare totam rationem Sacrificij Euchariſtici. Præterea in Paraſceve dantur fractio, & ſumptio Hoſtiæ præconſecratæ: quo die non fit ſacrificium: cùm ſtatutum ſit in quodam Concilio Tolet. & in quodam Arauſicano, & ab Innoc. 3. apud Scortiam *lib.2. cap. 5.* & Biſſum *ver. Feria nu.46.§.2.* quód in Paraſcevé nullus omnino Sacerdos Miſſam celebret, addente Arauſicano, talem fuiſſe Apoſtolorum traditionem. Id quod docuerunt quoque Rupert. Victorin. Palud. alijque apud Suar. *diſp.75. ſec.4.* Undé eſt quod declaravit Congr. Rit. apud Gavant. *par.4. tit.9. num.24.* non obligari Fideles *Albert.* *Ledeſm.* *Bañes* *Cabez.* *Toled.* *Aranus.* *Innoc. 3.* *Scort.* *Biſſ.* *Rup.* *Victor.* *Remig.* *Palud.* *Suar.* *Gavant.*

Scot. *Ruard.* *Echius*

Bonq. Rit. Offic. Eccles. deles adesse Officio Parascevis, quamvis fortè incideret in aliquod Festum colendum. Nec obest; quòd eò die dicat Sacerdos: *Orate, Fratres, ut meum, ac vestrum Sacrificium*; & respondeatur: *Suscipiat Dominus Sacrificium, &c.* accipi namque potest Sacrificium materialiter pro victima, quæ ex Sacrificio formali diei præcedentis superfuit. Hanc acceptionem materialem Sacrificij prænotavimus *num. 1.*

Bellarm. Lug. Sot Pulean. Scotus, Prad. 24 Cardinales Bellarminus, & Lugus, Sot. Pulcanus, Scotus, & plerique alij stare docent in Consecratione simul, & Sumptione. Loquuntur tamen diversimodè. Alij, quos novitèr sequitur Martinez de Prado, volunt, Sumptionem esse de substantia, & de essentia taliter, ut sine illa non staret Sacrificium. Alij verò, præsertim Bellarm. & Delugo volunt, Sumptionem non esse de essentia: nam sine illa staret essentialiter Sacrificiũ; esse tamen de substantia: hoc est, partem substantialem quasi integralem, ad modum quo dicitur *Satisfactio* esse pars integralis, non verò essentialis Sacramenti Pœnitentiæ. Et dant rationem: quia, quamvis per consecrationem immoletur iam Victima, magis adhuc immutatur, & consumitur per sumptionem. Sic etiam ferè Dicastillus *dub.10. à nu. 190.* Conine *dub.6.num.93.* & Henaus *tom.1. de Sacrif. disp.2.*

Bellarm. Lug. Dicast. Conin. Hena.

Suar. Vasq. Less. Bern. Martin. 25 PP. Suar. Vasq. Lessius, quos, & alios citat, sequiturque Bernal *disp.21. sec.2.* itemque Martinonus *disp.38 sec.4.* stare docent essentialiter adæquatè in consecratione; illas verò alias actiones esse ceremoniales, sine quibus verè, sed illicitè immolaretur Sacrificium. Et quidem S. Thom. *quæst. 82. art.4.* ait, quòd consecratio Christmatis non est Sacrificium, sicut consecratio Eucharistiæ. Et *art.10.* ait: *Hoc Sacrificium perficitur in consecratione Eucharistiæ in quo sacrificium Deo offertur. Et quæst.83.art.4.* ait: Sacerdotem post consecrationem petere, ut Sacrificium *iam peractum* sit Deo acceptum. Et *quæst. 82. art.4.* indicat, in aliquo casu, si nempè post consecrationem appareret miraculosè Christus in specie carnis, aut sanguinis, licere omittere sumptionem: consulens tamen Sacerdoti, ut iterum consecret, & sumat. Non autem sic loqueretur, si sensisset, sumptionem esse de essentia, aut de substantia Sacrificij. Sensit ergo proculdubio, stare Sacrificiũ in sola consecratione. Et hæc est sententia, quam egregius Thomista Cabezudus censuit improbabilem.

S.Tho.

26 Placet omnino hæc sententia, quam à præcedenti, prout explicatâ à Bellarmino, Delug. Dicast. & Henao, vix in re discrimino. Quidquid tamen de discrimine sit, probatur primò. Nam quòd Christus in Cœna obtulerit sacrificium, est certum ex Trid. *sess.22 c.* 1. quòd autem sumpserit tunc, & manducaverit Sacramentum, quamvis sit commune placitum Theologorum ex multis Sanctis P. P. certum tamen non est, sicut neque quòd Panem iam præconsecratum fregerit. Id autem esset certum, si sumptio esset de essentia Sacrificij. Unde Concilium statuens, Christum tunc sacrificasse, & id colligens ex actionibus, quas constat exercitas ibi esse à Christo, in sola consecratione ponit tantùm actionem sacrificij.

Trid.

27 Probatur secundò ex multis loquutionibus Conciliorum, & Patrum apud Bernal cit. Toletanum allegatum in Can. *Relatum, de Consec. dist. 2.* reprehendens celebrantes, qui non sumebant, ait: *quasi non sit tutius ille vero, & singulari Sacrificio participandum, quoties corporis, & sanguinis immolatio facta constiterit.* Supponit in ijs Concilium, quòd ante sumptionem facta iam est immolatio, & quòd sumptio est participatio subsequuta Sacrificij peracti: atque adeò non de essentia Sacrificij. S. Irenæus *4.contra Hæres.32.* scribit: *Christus cum, qui ex creatura panis est, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum: & calicem similiter suum sanguinem confessus est: & novi Testamenti novam docuit oblationem.* Ambros. *in Psal. 39.* ait: *nunc ipse Christus offerre manifestatur in nobis, quãdo sermo eius sanctificat Sacrificium, quod offerimus*: ibi autem sermo Christi verba sunt consecrationis. Cyrill. Hierosol. *Catech.5.* ait: *cum hoc Sacrificium offerimus, postea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt.* Ea autem mentio fit in *Memento* post consecrationem ante sumptionem. Gregorius 4. Dialog. 36. ait: *ipsâ immolationis Hostiâ ad Sacerdotis vocem Cœlos aperiri*: ubi prolationem verborum consecrationis vocat immolationem Hostiæ. Constans igitur est apud SS. Patres immolationem, seu rationem Sacrificij stare essentialiter in consecratione.

Toletan. Iren. Ambros. Cyrill. Greg.

28 Probatur tertiò à ratione. Nam principalis offerens est Christus; Sacerdos verò alius in Persona Christi: dicente Trid. *c. 2. una enim eademque est Hostia; idem nunc offerens Sacerdotum ministerio.* In ea ergo duntaxat actione stat Sacrificium formaliter in fieri, quam Sacerdos præstat in Persona Christi, utpotè factam à Christo principaliter, & à Sacerdote ministerialiter. Hæc autem est sola consecratio, quæ fit in Persona Christi, verbis quæ enunciativè sunt ipsius

Trid.

Chri-

Christi *Hoc est corpus meum.* Aliæ verò actiones Missæ ipsaque sumptio, fiunt in persona ipsius Sacerdotis, utique pro se dicentis: *Domine non sum dignus, &c.* aut ad summum nomine Ecclesiæ, ut dicuntur orationes Missæ iuxta S. Thom. *quæst. 80. art.12.* Dices, quòd quamvis Sacerdos sumat in propria persona; activè tamen id portigit in Persona Christi. Contra tamen: quia inde ad summum fieret, distributionem activam Hostiæ esse de substantia Sacrificij; non verò sumptionem. Id tamen falsum prorsus est; cùm sæpe nòn Sacerdos Hostiam consecratam sumendam portigat, ut vidimus *disp. 9. sec. 4.*

S.Thom.

Supra disp.9.

29 Probatur quartò. Quia si non sola consecratio, verumetiam sumptio Sacerdotis esset de essentia, & de substantia Sacrificij; non immolaretur Christus sub omnibus accidentibus, sub quibus consecratur: cùm sæpe non sub omnibus sumatur à Sacerdote consecrante multas hostias distribuendas Fidelibus. Sicque etiam isti Fideles non fierent participes Sacrificij ut talis: hoc est rei sacrificatæ, quâ terminus Sacrificij est: cum illæ hostiæ non terminaverint adæquatam actionem sacrificam, quæ apud hos Authores non est sola consecratio; sed consecratio, & sumptio Sacerdotis.

30 Probatur quintò. Quia sacrificium, seu sacrificatio est actio Sacerdotis, ut Sacerdos est, ad quam ex vi Ordinationis Sacerdotalis accipit specialem, & directam potestatem: huiusmodi autem potestatem non accipit pro Missa nisi ad consecrandum: nam ad sumendam Eucharistiam imò, & ad portigendam alijs multi non Sacerdotes habent potestatem in multis casibus recensitis *disp. 9. sec. 4.* Sola igitur actio consecrativa est sacrificatio, & actio sacrifica, in qua stat tota ratio formalis Sacrificij Eucharistici. Et quidem in antiquis Sacrificijs participatio, seu comestio Sacrificij non erat ipsa Sacrificatio, sed illam supponebat à Sacerdote peractam.

Supra disp.9.

Trid.

31 Denique in *divino hoc sacrificio*, inquit Tridentinum, *idem ipse Christus incruentè immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit.* Itaque Sacrificium Missæ est incruenta Christi immolatio. Atqui talis est actio sola consecrativa: sola ergo hæc est actio sacrifica, & ratio formalis Sacrificij Eucharistici. Minor probatur. Tum ex Conc. Nizeno apud Delugo *disp. 19. nu. 43.* dicente, Christum in altari positum esse iam incruentè immolatum: ergo ante sumptionem: cùm ante illam sit iam in altari positus per consecrationem. Tum quia consecratiò vi verborum divisim ponens in altari corpus, & sanguinem Christi aptiùs repræsentat cruentum Crucis *Sacrificium*, quàm sumptio: quæ potius significat Christi iã mactati depositionẽ in sepulchro, quæ non fuit immolatio, sed supponebat immolationem: ergo quoad repræsentationem, valde in ijs attendẽdam, attinet, consecratio sola dicenda est immolatio, & sacrificatio incruenta Christi; sumptio verò immolationem, & Sacrificium supponit. Tum quia actio consecrativa vera est oblatio, non quidem vocalis, & in actu signato, sed realis in actu exercito, instituta publicè, scilicet à Christo, Capite Ecclesiæ, victimam immutans modo ad destructionem sacrificam sufficienti, quo non præstantior alter in alijs actionibus Missæ, ad protestationem, & honorem Dei Authoris vitæ, aut mortis, ut videbimus inter respondendum ad obiectiones. Hæc autem est ratio definitiva Sacrificij: ergo essentialis ratio Sacrificij Eucharistiæ stat unicè in consecratione.

Nizen. Lug.

SECTIO IV.

Obiectiones.

32 OBijcitur primò, quòd Ecclesia Græca non consecrabat in Quadragesimæ, exceptis Sabathis, Dominicis, & die Annuntiationis, ut refertur *in Concil. Laodicæno can.49.* ut & nos observamus in die Parascevis: & tamen dicitur, quòd *fiebat sacrum ex præsanctificatis*, & consecratis: ergo Sacrum, quod est Sacrificium Missæ, non consistit in consecratione. Respondetur ex Vasquez, negando quòd fieret sacrum; substantivè, & antonomasticè loquendo, sumpto *Sacro* pro *Sacrificio* Missæ. Sed solùm dicitur, quòd fiebat *sacrum præsanctificatorum ministerium*, quod est sacrum generaliùs loquendo pro ministeriò, seu officio sacro, quod dici similiter potest de officio diei Parascevis; imò, & de multis alijs actionibus sacris.

Conc. Laodic.

Vasq.

33 Obijcitur secundò. Consecratio Eucharistiæ non est oblatio: ergo non est immolatio, quæ species oblationis est. Antecedens probatur ex Trident. *sess.23. cap.1.* ubi, condistinguens munera offerendi, & consecrandi, ait, Sacerdoti dari potestatem consecrandi, & offerendi corpus Christi. Respondetur negando antecedens: est enim verè consecratio oblatio realis, & in actu exercito, sicut olim mactatio cruenta victimarum: quamvis non sit oblatio verbalis, & in actu signato. Ad probationem dico, Tridentinum aut duobus vocabulis consecrand, & offerendi rem eamdem significasse secundum diver-

Trid.

sas

ſas rationes, quarum oblatio eſt ratio generalior; & conſecratio ſpecialior, & contractior: aut conditinxiſſe conſecrationem ab oblatione verbali, & in actu ſignato.

34 Obijcitur tertiò. Immolatio ſacrificia debet præſupponere victimam, quæ ſacrificatur: ſed conſecratio ponit, & non ſupponit Chriſtum: ergo conſecratio non eſt immolatio; ſed potiùs ſumptio ſupponens victimam ſub accidentibus, & Sacramentum conſumens. *Dicaſt.* Abſolutè negat maiorem Dicaſtillus *num.* 187 quia, quamvis Chriſtus nullo modo præexitiſſet, ſed primò produceretur ſacramentaliter ſub ſpeciebus, ut poſſibile diximus *diſp.6 ſect. 6.* ſtare poſſet immolatio: de cuius nimirum eſſentia non eſt in genere præexiſtentia victimæ. Permiſſâ tamen maiori, diſtingui poteſt minor: conſecratio, prout de facto, non ſupponit Chriſtum ſic conſecratum, & poſitum ſacramentaliter, concedo; non ſupponit utcumque exiſtentem & poſitum, nego minorem. Sufficit autem ad rationem ſacrificij, quòd actio ſacrificia, ſive ſupponens, ſive non ſupponens victimam, conſtituat victimam in ſtatu mactationis infra explicando. *Suar.* Notat Suarez *diſp. 81. ſect. 4.* Chriſtum immolare ſacrificium Euchariſticum, ut præexiſtentem circumſcriptivè in Cœlo; immolari verò, ut poſitum ſacramentaliter in Euchariſtia.

35 Obijcitur quartò. Sacrificium ſtat in actione deſtructivâ victimæ in honorem Dei: ergo non in conſecratione, quæ potiùs eſt reproductio Chriſti, qui victima eſt: ergo ſaltem inadæquatè in ſumptione, qua Sacramentum deſtruitur. Hæc obiectio, quæ potiſſima eſt, cogit nos explicare modum deſtructionis, mactationis, ſeu immutationis ſufficientis ad veram rationem ſacrificij Euchariſtici defendendi adverſus Hæreticos: in quo Theologi ſatis laborant, in quicumque Miſſæ actione ſacrificium conſtituant: neque enim per ſumptionem verè, & abſolutè deſtruitur Chriſtus, qui victima eſt, ut vidimus *Supra. diſp.7.* *diſp.7.*

36 P. Vaſq. ait, ſacrificium Euchariſticum eſſe commemorativum: ad quod non opus eſt reali deſtructione victimæ, ſed myſticâ, cum præſentatione eiuſdem victimæ, ſivè ſemel deſtructæ, ut contingit in noſtris Miſſis, ſivè deſtruendæ, ut in nocte Cœnæ: ſicque pro utriſque ſufficit realis mors Chriſti in Cruce, myſticè repreſentata in conſecratione verbis diviſim ſignificantibus corpus, & ſanguinem quaſi effuſum. *Leſſius* Conſentire videtur Leſſius, dum ait, eatenus conſecrationem eſſe immolationem, quatenus vi verborum ſecernit corpus à ſanguine: quod eſt incruentè mactare victimam. Diſſentiunt alij; quia ſic non tàm defenditur realis mactatio victimæ in ſacrificio Miſſæ, quàm ad rationem ſacrificij præciſim á cruento, & incruẽto non requiri deſtructionem victimæ in eo factam: quod non ſtat cum communi definitione Sacrificij ut ſic: quam, ſi non retinemus, inſultabunt Hæretici negantes in Miſſa veram rationem Sacrificij, & concedentes meram commemorationem Sacrificij crucis.

37 P. Suarez *ſec.6.* ait, non eſſe de ratione eſſentiali Sacrificij utcumque, quòd victima deſtruatur; ſed ſufficere, quòd immutetur per effectionem, qua ſcilicet ex pane, & vino deſtructis, ponitur in honorem Dei ſub eorum ſpeciebus Chriſtus, qui eſt victima Deo ſacra. Cõſentire quoad hoc videtur Conino *dub. 5. num. 96.* Impugnatur à Delugo *nu. 53* & operoſiùs à Bernal *ſec. 5.* Quia contra communem ſenſum, & definitionem Sacrificij negant requiri victimæ deſtructionem ad veram rationem Sacrificij. Quod autem opponi ſolet de thure, ac de panibus propoſitionis diſſolvitur ſatis a Delugo, & Bernal cit. *Suar.* *Conine* *Lug.* *Bern.*

38 P. Bernal. *diſp.22. à num.19.* iuxta ſuam ſententiam, quam retulimus *diſp.8. ſec. 4.* ſupponit actionem conſecrativam reproductivam Chriſti eſſe unionem phyſicam Chriſti cum accidentibus Euchariſticis; ac proinde deſituram eo ipſo quod corrumpantur accidentia ſtatim peritura. Aitque, talem poſitionem Chriſti ſub ſpeciebus citò perituris, eſſe poſitionem Chriſti in ſtatu paratiſſimo ad ſui deſtructionem, alioquin non tam breviter eventuram. Id autem ſufficere ad deſtructionem ſacrificialem probat ex eo quòd immolatio victimæ ſæpé fit ante formalem ipſam deſtructionem victimæ, ſcilicet per cauſalem, ut quando cædebatur lethaliter victima: tunc enim dicebatur iam immolari, quamvis non tunc, ſed mox moreretur: imò & quando iubebat Sacerdos ut miniſter eam cæderet. Conſentire videntur Tamburinus *lib.2. de Celebr. Miſſ cap.1.* *§.1.* & ex parte Martinonus *diſp.38. num 63.* Diſceſſimus *diſp. 8. ſec.4.* à prædicta doctrina Patris Bernal: *& diſp. 7 ſec.3.* vidimus contra ipſum Ber. eam unius actionis conſervativę deſtructionẽ non dici poſſe deſtructionem termini, qui manet conſervatus per aliã. Undè nec ſic ſalvat intẽtum Bernal, nec poſſumus nos præſenti ipſius placito acquieſcere. *Bern.* *Supra diſp.8.* *Tambur.* *Martin.* *Supra diſp.7.*

39 Cardin. Delugo ſatis ait eſſe ad ſtrictum Sacrificium, victimam deſtrui moraliter, & humano modo: id eſt, ſi ex vi im- *Lug.*

mo-

molationis taliter immutetur, ut conſtituatur in ſtatu inepto ad ordinarios ſuos uſus ſenſibiles. Sic olim ſacrificabatur per effuſionem, qua liquor non phyſicè deſtruebatur ſtatim, ſed reddebatur iam eo ipſo ineptus ad uſus humanos ſui proprios. Similem ergo ſui immutationem ſubit Chriſtus veré, ac realiter per conſecrationem, quatenus ſic factus Sacramentaliter præſens in Hoſtia, & calice, non eſt aptus, prout ibi, ad uſus humanos: nec videt, nec videtur humanitùs, nec loquitur, nec audit, nec ambulat ut dictum eſt *diſp. 6. ſec. 11.* ſed comeditur, & bibitur, qui ſunt uſus proprij panis, ac vini. Nec multùm urgent quæ adverſus hanc doctrinam opponit Bernal *à num 26.*

Supra diſp. 6.

40 Ex hac doctrina, quæ videtur aptior, reſpondetur ad obiectionem *num. 35.* conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Quamuis enim Chriſtus reproducatur per conſecrationem; taliter tamen reproducitur ſacramentaliter præſens, ut modus ille reproductionis ſit conſtituti in ſtatu inepto ad proprios uſus humanos ſenſibiles, ſed potiùs ut manducetur, & bibatur: quæ ipſius conſtitutio, quâvis ſit vera Chriſti productio phyſica, eſt in ſuprаexplicato ſenſu moraliter, & humano modo eiuſdem deſtructio ſacrificialis, & victimalis, quantum opus eſt ad veram rationem immolationis, & Sacrificij. Nec certé in ſumptione dici poteſt deſtrui victima, quæ unicè Chriſtus eſt.

41 Obijcitur quintò. Si Sacrificium Miſſæ ita ſtaret adequatè in conſecratione, ut nec pars integralis ſubſtantialis eſſet ſumptio, non perciperent fructum Sacrificij Defuncti: pro quibus ſcilicet oratur in ſecundo *Memento*, quando iam præceſſit tota conſecratio, ac proinde præceſſiſſet tota ſubſtantialis ſacrificatio. Reſponderur, negando ſequelam. Nam illa commemoratio, quæ, ut ſupra vidimus ex Cyrillo, fit poſt peractum Sacrificium, prodeſt defunctis ex opere operantis applicantis per preces illas merita Chriſti. Si verò miſſandum ſit ſpecialiter pro defuncto, debet offerri pro ipſo ante conſecrationem, ut ipſi proſit Sacrificium ex opere operato, ut habet Tamburin. *l. 2. cap. 2. §. 10.* ex Suarez *ſec. 5.*

Cyril.

Tambur. Suar.

SECTIO V.

Alia obiectio ex ratione Holocauſti. Vbi an Sumptio ſit ex præcepto divino.

42 OBijcitur ſextò. Euchariſticum Miſſæ Sacrificium eſt Holocauſtum, quod ſonat, *Toticombuſtio*; & erat ſpecies Sacrificij, in quo victima, non ut cumque mactabatur; ſed penitus conſumebatur, aut cremabatur. At per conſecrationem Chriſtus, quamvis ex vi verborum quaſi dividatur quo ad corpus, & ſanguinem, adhuc tamen manet ex eadem vi verborum in Hoſtia quoad corpus, & in Calice quoad ſanguinem, donec myſticè magis deſtruatur per ſumptionem. Sumptio ergo conſtituit ſaltem partialiter hoc Sacrificium holocauſticum. Sic Bellarminus, Delugo, & Dicaſtillus. Confirmatur: quia, ſi ex hac ſaltem holocauſti ratione non pertineret ſumptio eſſentialiter ad Sacrificium Euchariſticum, non eſſet cur iure divino requireretur ita ſtrictè, ut Eccleſia non diſpenſet: quinimò dictrictè præcipiat, mortuo Sacerdote poſt conſecrationem, ſuccedere alium, etiam non ieiunum, ſi ieiunus deſit, qui Miſſam abſolvat, & conſecrata conſumat, ne Sacrificium maneat imperfectum; & quòd caſu quo ante ſumptionem totus ſanguis effundatur, conſecretur denuò ſanguis ad ſumendum.

Bellarm. Lug. Dicaſt.

43 Reſpondetur, conceſſâ maiori, dici poſſe ad minorem, ſatis eſſe pro Holocaſto, quòd victima ſecundum omnes ſui partes cedat in honorem Dei, quamvis non ſecundum omnes phyſicè deſtruatur: ut patet in Sacrificio crucis: quod quidem fuit holocauſtum, non deſtructis corpore, nec animâ Chriſti: quiâ totum ceſſit in honorem Dei Auctoris vitæ ac mortis. Sic ergo in Miſſa tota victima ita ponitur ſub ſpeciebus, ut ſecundū modū, quo ibi exiſtit, non ſit apta ſenſibiliter ſuis humanis uſibus, ut ſupra dictum eſt. Negatur itaque conſequentia. Sic enim ante ſumptionem invenitur in hoc Sacrificio ratio holocauſti: id atteſtante ſignanter Cypriano *Serm. de Cœna Dom.* dicente: *ex quo dictum eſt à Domino, Hoc facite in meam commemorationem: Hoc eſt corpus meum, &, Hic eſt ſanguis meus; quotieſcumque his verbis, & hac fide actum eſt, panis iſte ad totius hominis vitam, ſalutemque proficit, ſimul medicamentum, & Holocauſtum exiſtens.*

Cypr.

44 Ad confirmationem dico, quòd, quamvis ſumptio non pertineat ad Sacrificium ut pars eſſentialis, nec ſubſtantialis; pertinet tamen ad extrinſecam eius perfectionem: cùm enim hoc Sacrificium ſit conſectio Sacramenti per modum convivij, per ſe ordinatur ad ſumptionem, quæ propteréa fit à Sacerdote nomine Eccleſiæ: præterquā quòd, & antiquiùs Sacerdos in lege participabat de victima, ſi quidquam ex ea ſupererat. Quod ſufficit ad diſtrictum illud præ-

ceptum. Atque hinc est quod ex Concil. Toletano legitur *in cap. Relatum de Consecr. dist. 2.* contra Sacerdotes, qui celebrantes non communicabant: *Quale erit Sacrificium, cuius neque ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* Quibus verbis, cùm non negetur, imo supponatur, fuisse sine sumptione Sacrificium, ostenditur sumptionem valde pertinere ad Sacrificij perfectionem: ita ut illam omittere esset mortale, ut ex S. Thom *quæst* 82. *art.* 4. habet Bissus *v. consumptio.* Et quidem sumere debet Sacerdos Hostiam sui Sacrificij, non loco istius aliam è reservatis in Hierophilacio: ut est communis sententia apud Dicast. *num.* 201. Lugum *nu.* 76. & Tamburin. *cap.* 3. §. 8. *à num.* 17. contra Henriquez, & Fagundez: quorum tamen dictum improbabile censent Præpositus, & Martinon *n.* 69.

Toletan. C. Relat. *S. Thom.* *Bissus* *Dicast.* *Lug.* *Tambur.* *Henrr.* *Fagun.* *Prepos.* *Martin.*

45 Utqueadeò, ut præceptum istud de sumptione Sacerdotali sit divinum à Christo impositum. Quia, quamis non expresè constaret ex Scripturis, cõstat ex Traditione, sicut constant alia multa iuncta Apostolis à Christo circa materias Sacramentorum. Quocirca Trident. *sess* 13 *cap.* 8 ait: *in Sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici à Sacerdotibus, Sacerdotes autem celebrantes se ipsos cõmunicarent: qui mos, tanquam ex traditione Apostolica descendens, iure, ac meritò retineri debet* Ubi indicatur primò, sumptionem non esse de substantia, aut de necessitate intrinsecà Sacrificij: cùm solùm dicatur debere fieri, *quia in Ecclesia Dei semper mos fuit.* Secundò, morem istum sumptionis esse ex traditione Apostolorum, quibus sic iunxit Christus vivæ vocis oraculo: aut fortè in illa etiam Scriptura: *Hoc facite in meam commemorationem*: referendo pronomen, *Hoc*, non ad solam consecrationem; sed etiam ad sumptionem. Nec obest, quòd Concilium similiter loquatur de sumptione Sacerdotis, & laicorum, quibus tamen non est ex præcepto divino sumptio. Respondetur enim, esse laicis quoque ex præcepto divino quoad substantiam, quamvis quoad determinationem certi temporis sit ex præcepto Ecclesiastico, ut distinximus *disp.* 12. *sec.* 1. & 2.

Trid. *Luc.* 22. *1. Cor.* 11. *Supra disp.* 12.

46 Superest explicare dictum Augustini 17 *de Civit.* 5. dicentis: *manducare panem, quod est in novo Testamento Sacrificium Christianorum* Ubi manducationem, seu sumptionem vocat absolutè Sacrificium Eucharisticum. Sed certè negotium est omnium explicare Augustinum; cùm loquatur generaliter de manducatione etiam laicorum: quæ nec apud Authores nobis contrarios est pars essentialis Sacrificij Missæ. Intelligi ergo oportet ab omnibus Augustinum de Sacrificio: non formaliter pro sacrificatione; sed materialiter, & obiectivè sumpto pro victima Sacrificij, prout distinximus *num.* 1. Sic autem panis consecratus, qui tam à Sacerdote, quàm à laicis manducatur, Sacrificium est, id est, verè victima Sacrificij.

Aug.

SECTIO VI.

An, & quomodo in unius speciei consecratione sit Sacrificium Eucharisticum: an verò dicat essentialiter consecrationem utriusque.

47 COnstat *ex disp.* 3. *sec.* 14. validè, quamvis illicitè, posse consecrari unam speciem sine alia. Quæritur an in tali casu, sicut ex dictis *disp.* 2. *sec.* 1. staret in illa specie ratio Sacramenti, staret quoque in eius consecratione ratio essentialis Sacrificij.

Supra disp. 3. & 2.

48 Negat communis sententia, utpotè requirens ad rationem essentialem Sacrificij Eucharistici utriusque speciei consecrationem. Primò propter authoritatem Concilij Toletani 7. *cap.* 2. statuentis, quod, impedito in Missa Sacerdote consecrare sanguinem, substituatur alius, qui calicem consecret, & *integrè Sacrificium.* Secundò: quia repræsentatio Sacrificij cruenti non stat nisi in duplici specie, repræsentante divisim vi verborum corpus, & sanguinem. Tertiò: quia, si consecratio utriusque speciei non esset de essentia Eucharistiæ, saltem ut sacrificium est, non esset undè ita districtè prohiberetur uniùs sine altera consecratio, ut nec Papa possit in hoc dispensare, ut vidimus *disp.* 3. *sec.* 15. Quartò: quia Trid. *sess.* 22. *c.* 1. postquam dixit, Christum, Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, corpus, & sanguinem suum obtulisse sub speciebus panis, ac vini, subdit: *Ut sub earundẽ rerum symbolis Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit; & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem:* quam commemorationem videtur explicare Paulus dum dixit: *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis.* Undè Tridentinum *can.* 2. damnat illum, qui dixerit: *illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sa-*

Supra disp. 3. *Trid.* *Tolet.* *1. Cor.* 11. *Trid.*

Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi aliique Sacerdotes offerrent corpus, & ſanguinem ſuum. Conſtat ergo, Chriſtum omninò voluiſſe, ac inſtituiſſe hoc Sacrificium ſub utraque ſpecie, & non aliter.

49 Propter hæc cenſuere nonnulli hãc ſententiam definitam, tanquam de fide. Exceſſerunt tamen, ut videre eſt apud Martinon *ſec. 4.* & Arriagam *ſec. 6.* Tum quia oppoſitum, tenent præter Ruardum illi, qui opinantur apud Dicaſt. *dub. 11.* ſola Eccleſiaſtico iure prohiberi conſecrationem unius ſpeciei ſine altera: & qui docent, ut retulimus *diſp. 3. ſec. 15.* plaudente noviter Thoma Hurt. *tom 2. tr. 12. à num. 846.* poſſe Papam in eo diſpenſare. Tum quia rationes poſitas *num. prec.* ſatis probabiliter diſſolvit Martinon cit.

Martin. *Arriag.* *Ruar.* *Supra diſp. 3. ſec. 15.* *Hurt.*

50 Ad primam dici poſſet, ex Toletano potiùs argui conſecrationem, ſicut & ſumptionem calicis, eſſe de integritate, maiorique perfectione Sacrificij, quamvis non de ſubſtantia.

51 Ad ſecundam, redargui poſſet ex eadem Euchariſtia in ratione Sacramenti: nam etiam in ratione Sacramenti eſt repreſentatio Sacrificij cruenti: & tamen ſtat in una ſpecie, quãvis meliùs repreſentetur in duplici. Deinde dico, ſufficienter repreſentari mortem Chriſti per conſecrationẽ corporis, non factâ mentione ſanguinis, nec animæ vi verborum. Ad modum quo pictura corporis inferioris, non picto capite, ſatis repreſentat hominem decapitatum, quamvis meliùs quodammodo id ipſum repreſentaretur, picto hîc corpore, & illic ſeorſim capite.

52 Ad tertiã dici poſſet, quod ſicut vidimus *ſec. prec.* ſumptionẽ, quamvis non ſit de eſſentia Sacrificij, debere adhiberi de neceſſitate præcepti divini; ſic dicendum eſſe de conſecratione utriuſque ſpeciei, quamvis conſecratio calicis non eſſet de eſſentia Sacrificij: de quo præcepto divino ſatis conſtat ex prædictis locis Pauli, & Concilij: quin inde ſatis evincatur, utramque eſſe de eſſentia Sacrificij. Hoc etiam ſufficit, ut nec Papa valeat in eo diſpenſare, cùm tale præceptum non ſit merè humanum Eccleſiaſticum, iuxta doctrinam datam *diſp 3. ſec. 15.*

Supra diſp. 3.

53 Ad quartam ſtendum, ex illis teſtimonijs firmari quod nuper dicebamus de neceſſitate utriuſque conſecrationis ex præcepto divino. Sic Dicaſtillus *dub. 12.* notans *dub. 13.* hoc præceptum eſſe partim affirmativum, quatenus obligat aliquando, ſaltem aliquos, ſic Sacrificare, ut dictum fuit *diſp. prec. à num. 37.* & partim negativum, quatenus obligat omnes nunquam celebrare niſi ſacrificando ſub utraque ſpecie. Caſus peraccidens, in quibus conſecratâ una ſpecie poſſet non tranſiri licitè ad conſecrandam aliã poſuimus *diſp. 3. ſec. 14.*

Dicaſt. *Supra diſp. 13. ſec. 4.* *Supra diſp. 8.*

54 His tamen reſponſionibus minimè obſtantibus, tenenda prorſus eſt communis ſententia, quód Sacrificium Euchariſticum, prout de facto inſtitutum, dicit eſſentialiter conſecrationem utriuſque ſpeciei: taliter ut in conſecratione unius non ſtet ratio Sacrificij. Tum quia ſic ſert communis Authoritas: nec eſt quod ab illa nos dimoveri cogat. Tum quia ſic ſolidior ſtat ratio, cur omnino indiſpenſabiliter conſecrari debeat ſub utraque: ut nempé ſtet eſſentia Sacrificij, in qua nequit Eccleſia immutare, ſicut nec in eſſentijs Sacramentorum. Tum quia in Trid. nuper adducto ſatis ſignificatur, hoc Sacrificium fuiſſe à Chriſto inſtitutum ſub utraque ſimul ſpecie, & non aliter ob perfectiorem repreſentationem ſuæ mortis, & ſanguinis pro nobis effuſi. Cùm autem Sacrificium dicat eſſentialiter publicam inſtitutionem, ad hanc tandem, quæ fuit voluntas Chriſti, veniendum eſt pro ſtruendâ eſſentiâ, & ſubſtantia Sacrificij Euchariſtici. Videndus Delugo *ſec. 8.*

Trid. *Lug.*

55 Duo poſſent obijci. Primum, ſequi, quòd daretur Sacramentum, nondum dato Sacrificio; ſcilicet ante conſecrationem Calicis. Secundum, quòd conſecrationi panis ſeorſim, convenit tota definitio Sacrificij, cùm ſit oblatio ſenſibilis à Chriſto inſtituta rem aliquam deſtruens in honorem Dei Authoris vitæ, ac mortis. Reſpondetur ad primum, ſequelam non eſſe abſurdam: præſertim ut benè Dicaſtillus *num. 298.* cùm iam tunc in priori conſecratione detur Sacrificium inchoatum complendum in eſſe Sacrificij per poſteriorem. Ad ſecundum, deeſſe pro unica ſpecie Chriſti inſtitutionem: quæ, licèt adſit ad eam conſtituendam in ratione Sacramenti; non tamen in ratione Sacrificij: ad hanc enim rationem fuit Chriſti voluntas non efferre niſi conſecrationem utriuſque: cuius voluntatis ſufficientes coniecturas, & congruentias dedimus *n. 25.*

Dicaſt.

56 Dubiolum. An ſit de eſſentia Sacrificij, quód conſecratio corporis præcedat conſecrationem ſanguinis. Nego cum Suar. *ſec. 6.* Foret tamen mortale invertere ordinem perpetuò retentum ab Eccleſiâ Latinâ, & Græcâ in re graviſſima.

Suar.

***

SECTIO VII.

An, & quomodo Sacrificium Euchariſticum ſit unum, vel multiplex: & diſtinctum à Sacrificio Crucis.

Caſal 57 PRæter Caſalium cit. *ſec.2.* qui poſuit in Miſſa unum Sacrificium ſubſtantiarum panis, ac vini; & aliud Chriſti; nonnulli apud Azor *lib.* 10. *cap.* 19. ponunt duplex Sacrificium: unum Corporis, aliud Sanguinis Chriſti: cui ſenſui favet opinio relata *ſec. præc.* exiſtimantium, ſtare ſeorſim eſſe tam Sacrificij in conſecratione alterutrius ſpeciei. Fundamentum præterea eſſe poteſt: quia ſæpé celebrans in Miſſa vocat *Sacrificia* pluraliter. Reſpondetur tamen, Miſſam dici interdum pluraliter Sacrificia, aut quia continet eminenter cunctas legalium Sacrificiorum differentias; aut quia alias quoque Miſſas Deo præſentat; aut propter eximiam excellentiam, quæ dignitatis causâ ſolet pluraliter ſignificari: ut cum dicimus *Nos* pro *ego*; *Sancta*, pro, *Sanctum*, &c.

Azor

58 Prima concluſio. Sacrificium ſumptum materialiter pro Victima idem numero eſt in omnibus Miſſis, quod fuit in Cœna Domini, & quod fuit cruentum in Cruce. Quia conſtat ex *ſec.2.* & ex Trid. ibi adducto, in omnibus ijs Sacrificijs victimam eſſe eumdem Chriſtum. Addit Suar. *diſp.* 74. *ſec.4.* probabile ſibi eſſe, nec eſſe penes Eccleſiam inſtituere alia Sacrificia: quia id videtur prohibuiſſe Chriſtus, unum pro cunctis unicé inſtituens.

Trid.

Suar.

59 Secunda concluſio. Sacrificium formaliter ſumptum pro actione immolativa eſt numero ſaltem diverſum in ſingulis Miſſis, & in Cœna: & fuit ſpecie diverſum in Sacrificio cruento Crucis. Probatur prima pars: quia ſaltem numero diverſa eſt actio conſecrativa, & immutatio Chriſti per diverſas prolationes verborum. Secunda: quia immutatio cruenta Chriſti in cruce notabiliſſimé differt ab incruenta in Euchariſtia: & notabiliùs actio ſacrifica, quam ex parte Chriſti ſe Sacerdotaliter offerentis, prout opus eſt ad Sacrificium, explicuimus *diſp.* 12. *de Incar. ſec.* 1. Ex parte verò crucifigentium, prout opus eſt ad rationem Martirij, multó magis diverſa fuit.

Supra diſp.12.

Dicaſt.

60 Notat Dicaſtillus *dub.* 15. ſumpto Sacrificio formali pro actu interno virtutis religionis, idem eſſe in ſpecie Sacrificium Miſſæ, & Crucis. Nam cultus ille formalis eiuſdem rationis eſt, ſive oblatio interna ſit eadem, ſive diverſa phyſicè: ſicut eiuſdem rationis eſt cultus latriæ per actiones phiſicè diverſas. Quo ſenſu ait, eiuſdem eſſe ſpeciei Sacrificium incruentum Miſſæ, & cruentum Crucis.

61 Notat inſuper, Sacerdotem conſecrantem in una Miſſa multas Hoſtias non dici efficere multa numero ſacrificia, ſicut Sacramenta. Quia una prolatio verborum cenſetur moraliter una Sacrificatio; quamvis formalis poſitio Chriſti ſub una Hoſtia ſit numero diverſa à poſitione ſub alia. At Sacramentum cum conſiſtat in facto eſſe, & ſit complexum ex Chriſto, & ſpecibus, dicitur aliquando multiplicari à multiplicatione ſpecierum. Egimus de ijs *d. ſp. 2. ſec. 5.* ubi an, & quomodo Sacramentum Euchariſtiæ in ratione Sacramenti ſit unum, vel multiplex.

Supra. diſp.2.

SECTIO VIII.

Qua ſit Perſona offerens Euchariſticum Miſſæ Sacrificium.

62 PRincipalis offerens eſt Chriſtus. Qui propterea dicitur *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, ut expoſuimus *diſp.* 12. *de Inc. ſec.* 1. Unde dicitur in Trid. *ſeſſ.* 22. *cap.* 2. *Idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio.* At qua ratione offerens? Vaſquez ait: quia inſtituit Sacrificium applicans eius immolationi ſua merita, ut ſuo nomine offerretur à nobis. Clariùs ait Suarez *diſp.* 77 *ſec.* 1. Chriſtum inſuper, ut præcipuum Sacerdotem, proximé etiam, & actualiter offerre nunc ſimul cum miniſterio Sacerdotum Sacrificium Euchariſticum in ſingulis Miſſis: ſive ad eum modum quo Rex dicitur actu oſculari pedes Pontificis, cum Legatus nomine Regis eos oſculatur; ſive etiam habendo actualiter voluntatem hic, & nunc actu offerendi, & immolandi: non quidem meritoriam, cum ſit iam extra ſtatum merendi; ſed Deo placentiſſimam, qua ſe Patri victimam præſentat, actu applicans denuo infinita merita ſuæ Paſſionis. Sicque Chriſtus ipſe ſacrificat nunc immediate cum Sacerdotibus, exercens ſimul actualiter munus ſui Sacerdotij. Ita Dicaſtillus *diſp.* 2. *dub.* 1.

Pſal.109

Supra diſp.12.

Trid.

Vaſq.

Suar.

Dicaſt.

63 Atque hinc explicat, quomodo, quâvis malus Sacerdos maculet ſuam oblationem, id eſt voluntatem ſuam conſecrativam, & extrinſecè ipſam quoque externam prolationem verborum; manet tamen Sacrificium immaculatum, & infinitè Deo pla-

placens in ratione cultûs, & obsequij: non solum ex parte Victimæ; sed etiam ex parte immolationis præcipui offerentis, qui Christus est; non quidem volens tunc verba consecrativa sic à malo Sacerdote proferri: talis enim voluntas Sacerdotis nequit esse volita à Christo; sed volens, positis illis verbis Sacerdotis, immolare se ipsum: quæ est actio, & voluntas ipsius Christi.

64 Sacerdotes alij sunt offerentes, & immolantes minús principales, utpote ministeriales. Quippe, quamvis ut tales immediatè sacrificent, id tamen agunt in Persona Christi præcipui, ac summi Sacerdotis. Hinc damnatur in Trid. *sess. 22. cap. 1. & can. 2.* *Trid.* *Luth.* Lutherus adscribens omnibus baptizatis eam potestatem, dicensque non opus esse Sacerdotibus specialiter ad hoc ordinatis. De Sacerdotibus excommunicatis, suspensis, degradatis, & Hæreticis dictum est *disp. 9. sec. 2.* ubi relege alia. Quamvis dici possit, excommunicatos non validé orare, & offerre nomine Ecclesiæ: hac enim facultate, quæ pendet ab Ecclesiæ consensu eos privat Ecclesia dum illos á suo gremio projcit; non tamen eos privat potestate valide consecrandi, & sacrificandi, cùm eos non privet caractere indelebili, qui est de iure divino ex voluntate Christi. Dicastillus *disp 3. dub 8.* *Supra disp. 9.* *Dicast.*

65 Populus est quoque offerens Sacrificium Eucharisticum, quamvis solus Sacerdos dicatur sacrificare. Patet ex illis verbis Canonis: *& omnium circunstantium: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium*: quatenus nempé medio Sacerdote superiore, & intercessore præsentat Deo Sacrificium: & quatenus Sacerdos est minister Ecclesiæ: ideoque offerente Sacerdote dicitur offerre Ecclesia comprehendens Populum, Aliter etiam dicitur Populus offerre, quatenus cooperatur cum Sacerdote, aut dando stipendium, aut petendo, aut assistendo, aut ministrando, ut Sacerdos sacrificet. Quantúm prosit audire Missam respective ad facere eam pro se applicari, expendit Tamburin. *c. 2. §. 14.* *Canon.* *Tambur.*

66 Dubium. An isti é Populo participent fructum Sacrificij ex opere operato: non solum quando Sacerdos pro ipsis missat; sed quando ipsi alijs supradictis modis Missam offerunt. Affirmant Suar. Henrriquez, & alij pro inservientibus, imó & pro interessentibus Sacrificio: & in id inclinat Dicastillus *disp 3. dub. 6.* Notatque *num. 156*, hunc fructum non pendere ab intentione Sacerdotis; imo ipsos posse pro alijs applicare: quod, & probabile iudicat Delugo *sec. 11.* Cùm enim hæc oblatio sit fructuosa ex opere operato, pium est credere, sic prodesse illis saltem, qui adeò proximè ad illam cooperantur. *Suar.* *Henrr.* *Dicast.* *Lug.*

67 Nihilominus Vasquez, Coninc, & absolute Delugo id negant. Nam Missa eatenus est fructuosa ex opere operato, quatenus in Persona Christi offertur, & applicatur pro aliquo, ut colligitur ex Trid. *cap. 2.* reducente efficaciam Sacrificij ad id, quòd Christus sit offerens *Sacerdotum ministerio*: solúm autem, prout à Sacerdote offertur in Persona Christi: alijs igitur solúm proderit ex opere operato, quatenus Sacerdos pro illis offert; non verò quatenus ipsimet offerunt: sic enim solùm illis proderit ex opere operantis. *Vasq.* *Coninc* *Lug.* *Trid.*

SECTIO IX.

Pro quibus offerri, ac immolari valeat Eucharisticum Missa Sacrificium.

68 VAlor Missæ Satisfactorius, & impetratorius ex opere operantis pendens à bonitate Sacerdotis, utpote commensuratus meritis, & sanctitati ipsius, ac propterea requirens in Sacerdote statum gratiæ, & honestatem operationis sacrificæ, applicari valet à Sacerdote pro alijs, ut est certum; sicut de alijs etiam operibus bonis. Loquimur ergo nunc de valore ex opere operato, correspondente Missæ ex institutione Christi applicantis sua merita, & non ita pendente à bonitate Sacerdotis valide sacrificantis. Quærimus autem, pro quibus Personis offerri possit.

69 Dicendum primò: posse validè, ac licitè pro Fidelibus vivis, *non excommunicatis*. Quia omnes hi sunt capaces fructûs Missæ. Si sunt iusti, ut ipsis remittantur pœnæ temporales, & dispensentur auxilia ad perseverandum. Si sunt impij, ut ipsis impetrentur auxilia ad verè pœnitendum. Extenditur hoc etiam ad Cathecumenos apud Dicast. *num. 38.* Qui *num. 47.* ait cum Bellarm. contra Azor, posse etiam directè offerri licitè pro infidelibus non baptizatis. *Dicast.* *Bellarm.* *Azor.*

70 Dixi: *non excommunicatis*. Quia pro excommunicatis (etiam contritis, iuxta Coninc, & Gasp. Hurt. contra Fagun. & Navarrum apud Tambur. §. 4. *num 6.*) nequit licitè offerri: cùm prohibeat Ecclesia sub gravi hanc cum ipsis communicationem. Offerretur tamen validé, etiam pro non toleratis, ut notat Dicast. *num. 64.* Nam fructus Missæ ex opere operato non pendet ex voluntate Ecclesiæ, sicut nec consecratio; sed à voluntate Christi, volentis prodesse cunctis, pro quibus offertur à Sacerdote, si capaces sunt: *Gasp.* *Hurt.* *Fagun.* *Navar.* *Tambur.*

ex-

excomunicatus autem capax eſt ſacrificationis, ſi eſt in gratia; & impetrationis, quamvis ſit in peccato. Tunc verò non prodeſſet illis Miſſa quatenus offertur nomine Eccleſiæ; ſed quatenus nomine Sacerdotis.

71 Quas limitationes intellige de excommunicatis non toleratis. Nam pro toleratis offerre licet Sacrificium Miſſæ, ſicut, & cum illis recitare poſt Concilium Conſtantienſe, ut docent multi cum Delugo *num. 187.* Dicaſtillo, & Conine, advertus alios cum Suarez. Intellige etiam, *directè*: nam *indirectè* etiam pro non toleratis offertur licitè: quatenus ſcilicet ſæpe offertur Miſſa pro propagatione, & reformatione Eccleſiæ, pro Miniſtris, qui ad Hæreticos, Schiſmaticos, & excommunicatos concionantur: ſicque reipſa offerimus pro Anglia, & Regionibus ſeptentrionalibus, ut ait Dicaſt. *nu. 73.* Quod etiam intellige de Sacerdote prout eſt Perſona publica miſſans nomine Eccleſiæ. Nam, quòd poſſit licite Sacerdos, ut perſona privata, etiam *in Memento*, orare mētaliter, & non per orationes, quæ nomine Eccleſiæ recitantur, pro non toleratis, docent Tambur. Conine, & Dicaſt. contra Fabrum, & Latomum apud Dianam *par. 5. tr. 9. reſol. 77.*

Conſtan. Lug. Dicaſt. Conin. Suar. Dicaſt. Tamb. Conin. Dicaſt. Fab. Latom. Dian.

72 Dicendum tertiò, offerri licitè pro Fidelibus defunctis Purgatorij. Eſt de Fide ex Trid. *cap. 2. & can. 3. & ſeſſ 25. in Decr. de Purgatorio.* Quinimò, & pro Cathecumenis Purgatorij, qui Baptiſmum petierunt. Sic Bellarm. Henrriquez, Scotus, & alij; contra alios, quos ſequitur Dicaſtillus *num. 111.* Quodſi Concilium Bracharen. id prohibuit, intelligitur de Cathecumenis dumtaxat audientibus; non vero de iam petentibus, & quantum erat ex ſe deſiderantibus Baptiſmum, ſine quo deceſſerunt. Qua cum diſtinctione interpretandi etiam ſunt aliqui Sancti PP. Sicque ſentit quoque Tambur. §. 7.

Trid. Bellarm. Henrr. Scot. Dicaſt. Brach. Tambur.

73 Dicendum quartò, nec licitè, nec validè offerri poſſe pro Damnatis. Quia illorum culpæ ſunt irremiſſibiles, & pœnæ æternæ. Nec pro illis ab inferno eruendis applicuit Chriſtus ſua merita. Addo neque poſſe pro Beatis, niſi in actionem gratiarum pro ipſorum gloria; aut etiam pro impetranda ipſorum veneratione in terris.

74 At, inquis, quomodo Eccleſia pro animabus defunctorum orat: *libera eas de pœnis inferni: de profundo lacu: de ore leonis: ne abſorbeat eas Tartarus: ne cadant in obſcurum, &c.* Huic difficultati fecimus ſatis *diſput. 18. de Inc. ſec. 2.*

Supra diſp. 18.

SECTIO X.

Recenſentur fructus Sacrificij Euchariſtici ex opere operato. Et qui ſint fructus Generalis, Specialis, & Specialiſſimus.

75 PRimus: Impetratio, & Satisfactio pro illo proquo Sacerdos miſſat nomine Chriſti. Ex Trid. *ſ. 22. c. 2. & can. 3.* definiente, hoc Sacrificiū eſſe propitiatorium, & prodeſſe vivis, & defunctis pro peccatis, pœnis, ſatisfactionibus, *& aliis neceſſitatibus.* Et *c. 1.* docet, continere effectus veterum ſacrificiorū, cùm ſit conſummatio illorū, in quibus figurabatur. Ex illis autem alia erant ſatisfactoria, alia impetratoria, ut legere eſt in ſacris Paginis.

Trid.

76 Secundus: Impetratio etiam bonorum temporalium. Quod denotat Trident. ubi nuper illa voce: *& pro aliis neceſſitatibus.* Et comprobatur ex praxi Eccleſiæ. Notat autem Vaſquez, temporalia ſolum impetrari per Miſſam, quatenus conducunt ad ſpiritualia. Delugo tamen num. 157. id explicat, etiam quatenus indirectè conducunt: hoc eſt, alliciendo nos ad Chriſtum, & ad cultum Miſſæ.

Trid. Vaſq. Lug.

77 Tertius: Remiſſio pœnæ temporalis culparum remiſſarum. Ex Trid. cit. *& ſeſſ. 25. in Decr. de Purgat.* definiente, animas Purgatorij ſuffragijs Fidelium, potiſſimùm verò acceptabili Altaris Sacrificio, adiuvari. Adiuvantur autem immediatè: id eſt non ex eo quod per ſacrificium excitentur ad actus ſatisfactorios, cùm iam non ſint in ſtatu merendi, nec ſatisfaciendi per actus ſuos; ſed ex eo quòd virtute Miſſæ importantis merita, & ſatisfactionem Chriſti, remittuntur illis pœnæ. Idem quoad hoc de vivis: qui tamen etiam adiuvantur mediatè, quatenus excitantur ad actus ſatisfactorios. Plura Dicaſt. *diſp. 2. dub. 2.*

Trid. Dicaſt.

78 Quartus: Remiſſio peccatorum etiam quoad culpam. Ex Trid. cap. 2. dicente: *Quare non ſolum pro Fidelium vivorum peccatis, pœnis ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus; ſed & pro defunctis in Chriſto, nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apoſtolorum traditionem offertur.* Loquitur autem priùs de peccatis etiam quoad culpam; cùm poſtea loquatur quoad pœnas. Iſte tamen fructus non eſt immediatè a ſacrificio, ut inſinuarunt aliqui apud Dicaſt. *diſp. 3.* taliter ut ſacrificium id præſtet in actrito per ſe ex opere operato cauſando primam gratiam; imò neque augmentum gratiæ,

Trid. Dicaſt.

Digitized by Google

Sot. *Corduv.* *Tolet.* tiæ,ut voluerunt Sotus, Corduva, & Toletus apud eumdem *num.6.* Sed mediatè, impetrando auxilia ad actus dispositivos ad gratiam. Quod etiam intellige de venialibus: nam in hac Dei lege nullum remittitur parvulis nisi per Baptismum;aut adultis nisi per dispositiones propriorum actuum, ut dicimus *in Disputationibus de Iustificatione.* Non est tamen improbabile quod docent Valentia, Canus, & alij,per Missas, sicut per Sacramentalia, remitti immediatè multa venialia ex opere operato.

79 Dubium: an, & quomodo prædicti fructus sint infallibiles. Respondetur,tertium esse infallibilem;alios non ita. Prior pars colligitur ex Trid. & traditur à S. Thom. apud Dicast *disp.2. dub.2.* contra Canum, & Sotum. Posterioris ratio est. Quia sæpè offerimus Missã pro pluvia,pace,& cõversione peccatoris; quin obtineamus. Undé, quidquid dixerit P. Valentia, nec auxilium efficax ad conversionem datur infallibiliter illi pro quo fit Missa, quamvis aptissima sit ad hunc fructũ, etiamsi per Sacerdotem indignum offeratur. Quod non tollit, quominus ex opere operantis multum profit ad impetrandum sanctitas Sacerdotis,ut explicat Dicast. *dis.3. dub.3.*

Trid. *S.Thom.* *Dicast.* *Can.* *Sot.* *Valent.* *Dicast.*

80 Subdubium: qua ratione prædicti fructus,si non sunt infallibiles,sint, & dicuntur ex opere operato. Respondetur:quia opus ipsum Missæ illos causat ex instituto Christi sive intuitu etiam ad meritũ Sacerdotis, sive actio sacrificandi sit digna laude, sive vituperio. Sic Vasquez apud Dicast.qui notat inde contra alios, non esse omnino idem, fructum esse ex opere operato, & esse infallibilem.

Vasq. *Dicast.*

81 Tripartiri solet fructus Missæ ex opere operato in Generalem, qui competit Papæ, cunctisque Fidelibus;eo quod Ecclesia præscribit Missantibus, ut nomine suo pro omnibus illis sacrificent, ut constat in precibus Canonis. In Specialem, seu Medium, qui competit illis particularibus, pro quibus Sacerdos missat. Et in Specialissimũ qui competit ipsi missanti. Primus, nequit alijs applicari pro libito missantis. Secundus potest: & huic fructui correspondet stipendium Missæ. Tertius,potest iuxta Molfesium, & alios apud Dianam *par.2.tract.4.resp.14.* non potest iuxta Suar. Delugo,& Tambur.*lib.3.c.1.§.3.num.61.*

Molfes. *Dian.* *Suar.* *Tambur.*

82 Quoad fructum impetratorium Missæ, prout oblatæ nomine Ecclesiæ, docent Suar.& Vasq. apud Dicast. *dub.4. num.93.* esse uberiorem, quó plures, & sanctiores iusti vivunt in Ecclesia Christi: quia offerri Missam nomine Ecclesiæ est offerri nomine omnium Fidelium. Negant hoc alij, apud quos Missa non offertur nomine duntaxat existentium; sed totius Ecclesiæ,comprehendentis etiam præteritos, & futuros. Hunc fructum esse ex opere operato contendit Dicastillus *num.94.*

Suar. *Vasq.* *Dicast.* *Dicast.*

SECTIO XI.

Qualis dispositio,& intentio requiratur ad percipiendos fructus Sacrificij Eucharistici.

83 PRimò. Ad fructum remissionis pœnæ temporalis requiritur in eo,pro quo missatur,status gratiæ,& culpam fuisse remissam. Quia nec ulla pœna remittitur, manente culpa, cui inest reatus ad pœnam: nec pœna temporalis, manente homine in statu peccati, cui inest reatus ad æternam. Notant tamen Suar.& Vasq. contra alios apud Tambur.§ *6.* hunc fructum, primò impeditum ex obice peccati, conferri sublato postea obice.

Suar. *Vasq.* *Tambur.*

84 Secundò. Non ad alios fructus.Sæpè namque missatur pro conversione peccatoris: qui non supponitur in statu gratiæ.

85 Tertiò. Ad nullum istorum fructuũ requiritur in eo, pro quo missatur, intentio illos percipiendi. Quia sæpe missamus pro inadvertentibus, & inscijs, habentibus se merè passivè;sicut quando pro illis oratur,seu ieiunatur. Addunt Delugo,& Dicast.*nn.178.* ad fructum remissionis pœnæ temporalis requiri actualem indigentiam:unde non obtinetur pro peccatis futuris, sicut nec indulgentia. Non sic ad fructum impetrationis. Tambur. cit.

Lug. *Dicast.*

86 Quartò. Ad fructus, quos Missa causat in alijs ex opere operato non requiritur sanctitas missantis. Imó quoad hoc pares sunt Sacerdotes boni,& mali, etiam excommunicati, ac degradati: ut ex S. Thom. & Suar.explicat Dicast.*disp.3.dup.6.& 8.* Unde est, quòd indignè missans non teneatur restituere stipendia. Verum est tamen quod dixit Alexander Papa, faciliùs exaudiri pro necessitatibus sanctiores Sacerdotes: sicque fructuosior est Missa melioris Sacerdotis, quia plus obtinet ex opere operantis. Maiorem dispositionem illius pro quo missatur conferre etiam quodammodo ad fructum uberiorem ex opere operato, docet Vasq. apud Dicast.*num.121.*

Tambur. *S.Thom.* *Suar.* *Dicast.* *Alex.* *Vasq.* *Dicast.*

87 Quintó. Requiritur intentio missantis, quæ sit voluntas applicandi Missam. Quia sacrificium ex se institutum est pro cõmu-

muni bono: ut ergo pro hoc particulari applicetur, requiritur aliqua determinatio, quæ ex inſtitutione Chriſti eſt intentio Miniſtri. Qui, ſi nulli applicat, ait Suarez, Miſſam nullum cauſare fructum, ſcilicet ſpecialem, ſeu medium, ex opere operato; ſed manere talem fructum in theſauro Eccleſiæ. Lugus verò *num.* 228. & Tambur. §. 12. aiunt, in eo caſu Miſſam cauſare talem fructum ex intentione generali, quam miſſans habet cum dicit in Offertorio: *pro peccatis meis, & pro omnibus circunſtantibus; ſed, & pro omnibus Fidelibus, &c.*

Suar. *Lug.* *Tambur.*

88 Ea intentio, ſive applicatio Miniſtri ſufficit virtualis: Hoc eſt, quæ, quamvis actu non ſit quando ſacrificatur, fuit tamen haud pridem, & permanet in aliquo ipſius effectu moraliter continuato.

89 An verò ſufficiat habitualis: hoc eſt: quæ fuit, & nondum poſitivè retractata eſt, quamvis multum temporis, multæque actiones impertinentes diſcontinuatæ tranſierint, vertitur in dubium. Negat Vaſquez. Affirmant meliùs Suar. Delugo, & Tambur. §. 10. Quia ſimilis volũtas habitualis ſufficere ſolet humanitùs ad alias donationes. Aſſignare autem diſparitatem, cur ad applicandum fructum Miſſæ ſufficiat habitualis intentio Miniſtri; cùm ad conſecrandũ requiratur ſaltem virtualis, haud facile eſt: niſi recurratur ad inſtitutionem Chriſti ſatis manifeſtatam praxi Eccleſiæ: ut videre eſt apud Conine *quæſt. 64. art. 8. dub. 2.* Delugo *diſp. 8. ſec. 6.* & Bernal. *diſp. 17.*

Vaſq. *Suar.* *Lug.* *Tambur.* *Conine* *Lug.* *Bern.*

90 Hinc ſufficit mea intentio hodie habita miſſandi pro te cras, aut perendie, aut etiam ultra, ut Miſſa craſtina, aut perendina tibi fructificet, quamvis dum tunc ſacrificem ſim tui immemor; dummodo intentionem hodiernam non poſitivè retractaverim, aut intentionem oppoſitam de novo non habuerim. Imò & ſufficeret ſimilis intentio habita, cum non eram Sacerdos, nec ordinatus. Undé falsò dixit Fraxnellus cum paucis apud Delugo, debere actu applicari Miſſam in ipſo Canonis, *Memento*. Non tamen ſufficit hodierna mea voluntas habendi cras intentionem applicandi pro te Miſſam.

Fraxin *Lug.*

91 Dubium. An ſufficiat intentio debita, quin re ipſa habeatur: quam ſcilicet debet habere miſſans; ſive ex juſtitia, quia ſtipendium accepit; ſive ex fidelitate, quia promiſſit; ſive ex obedientia, quia Prælatus juſſit. Reſpondetur negativè. Requiritur ergo habita à miſſante: cui utique, & non alijs pro ipſo, dicitur in Ordinatione: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium pro vivis, atque defunctis, &c.* Undè, ſi miſſans applicat pro Petro, quamvis acceperit ſtipem pro Paulo, aut Prælatus applicet, vel applicari jubeat pro Joanne, Petro, & non alijs fructificabit Miſſa: quia prævalet applicatio miſſantis. Sic communis ſententia apud Dicaſtillum *diſp. 3. dub. 7.* & Biſſum *Verb. Offerre*, contra aliquos apud Dianam *reſol. 12.* de quo curioſiùs Tambur. §. 9. differens, an & quomodo valeat Prælatus præcipere ſubdito applicationem Miſſæ.

Biſſus. *Dicaſt.* *Dianam* *Tambur.*

92 Et infert *num.* 17. ſi miſſans applicet pro ea anima, vel intentione, quam Deus voluerit, nulli prodeſſe; ſed ditare theſaurum Eccleſiæ juxta Vaſquez contra alios. Quia miſſantis eſt ex inſtitutione Chriſti applicare fructum Miſſæ. Si verò applicet pro ea anima, quam Deus videt magis indigere, fructificabit pro indigentiore: quia hoc iam eſt determinare intentionem. Undè quando Communitas debet multas Miſſas, ſufficiet, ſi miſſantes applicent pro ijs, quibus eo die debentur. Conſultius tamen eſt diſtinctim applicare.

Vaſq.

93 Obſervat Gaſp. Hurt. *diſſ. 10.* caſu quo unus Sacerdos conſecravit corpus, & alter in eius defectum conſecrat ſanguinem; iſtius eſſe applicare Miſſam: quia ſecundus iſte conficit Sacrificium. Sic etiam Biſſus *ver. Offerre. §. 4.* Hinc, conſecrato Pane, adhuc poteſt miſſans mutare intentionem; non verò poſt conſecrationem utriuſque ſpeciei iuxta noſtram ſententiam de adæquata conſtitutione Sacrificij per utriuſque conſecrationem. Sic etiam Biſſus. cit.

Hurt. *Biſſus*

94 Quodſi heri applicaſti pro Petro Miſſam hodiernã, & eamdem applicas hodie pro Paulo; fructificabit Paulo iuxta Delugo; Petro iuxta Tamburinum. Qui §. 11. conſulit, ut hoc dubium poſtea reſarcias, miſſando pro illo cui prior Miſſa non profuit.

Biſſus *Lug.* *Tambur.*

95 Si vero totum Miſſæ fructum ſpecialem intendas ſimul applicare uni, & totum alteri, neutrius erit: quia ſunt intentiones ſeſe implicantes. Tambur. *n. 3.*

Tambur.

SECTIO XII.

An valor ſatisfactorius ex opere operato Sacrificij Euchariſtici ſit infinitus.

96 HOc eſt an Miſſa applicata pro centum, pro mille, aut pro pluribus in infinitum animabus, æque fructificet uni ex illis, ac ſi pro illa unicè applicaretur. Latè, ac variè diſcurrunt Authores: & longum eſſet ſingulorum fundamenta perpendere. Meum ſenſum paucis aperiam, & mul-

Dicaſt. multis, quæ doctè congerit Dicaſt. *dub.3. 4. & 6.*

Caiet Vaſq. March. Dicaſt. Tamb. Suar.

97 Affirmant Caiet. Vaſq. Marchinus, & aliquidque probabili ſimum iudicat Dicaſtillus *dub.5.num.* 134. & improbabile Tambur. *cap.1.§ 3.* Negat ſententia communior cum Suar. Relegenda eſt tripartitio fructuum Miſſæ expoſita *ſec.*10. in Generalem, Specialem, & Specialiſſimum.

98 Concluſio prima. Sacrificium Miſſæ eſt infiniti valoris in actu primo quoad ſufficientiam ad omnes tres fructus prædictos. Quia, quamvis ſit actio Sacerdotis limitati, ſit nomine Chriſti, ſimul, & principaliter offerentis: cuius nunc voluntas, licèt non ſit meritoria, ſicut erat in Cruce; eſt tamen infinitæ bonæ, Deoque placens, eamdem Victimam offerens infinitiſſimam cum reſpectu ad merita ſua præterita etiam ſimpliciter infinita, omnique præmio condigna.

99 Concluſio ſecunda. Eſt etiam in actu ſecundo, & quoad efficaciam infiniti valoris penes fructum Generalem. Eſt dicere, quòd fructus generalis correſpondens Papæ, & toti Eccleſiæ non minuitur in ſingulis ex eo quòd plures ſint in Eccleſia Fideles pro quibus offeratur; & quamvis eſſent infiniti. Atque idem eſt de fructu correſpondente intereſſentibus Miſſæ, qui forſan ex dictis *ſec. 8.* eſt ex opere operato: ſcilicet tantumdem percipi ab unoquoque, ſive plures, ſive etiam infiniti interſint, aut miniſtrent eidem Miſſæ. Hanc vocant aliqui infinitudinem extenſivam valoris.

101 Concluſio tertia. Idem eſſet de fructu ſpecialiſſimo correſpondente miſſanti,

Biſſus. ſi plures, aut etiam infiniti Sacerdotes eamdem materiam conſecrarent: ut explicat Biſſus *ver. Sacrificium §* 3. & fit quando ordinantur multi Presbyteri ſimul conſecrantes

Hena. cum Epiſcopo. Quo caſu, addit cum debitis limitationibus Henaus, ſingulos poſſe applicare fructum ſpecialem, & ſtipendium recipere contra Bernal, & alios.

Bern.

101 Concluſio quarta. Non eſt in actu ſecundo, & quoad efficaciam infiniti valoris penes fructum ſpecialem medium applicabilē pro libito unius Sacerdotis accepto ſtipendio. Hoc eſt quod rectè docet Suarez contra Vaſquez, applicato per unum Sacerdotem hoc fructu medio pro tribus animabus, non perinde valere ſingulis, ac ſi pro una tantùm applicaretur; aut ac ſi tres Miſſæ applicarentur pro tribus. Ratio eſt Chriſti voluntas, & inſtitutio: qui ſic voluit taxare in actu ſecundo valorem in actu primo infinitiſſimum. Colligitur ex praxi Fidelium, ſtudioſè, & iure petentium, ut pro illis ſeorſim

Suar. Vaſq.

applicetur Miſſa, cum erogant ſtipem. Nec alioquin facilè datur ratio, cur miſſans accipiens à multis ſtipendia non ſatisfaciat omnibus per unam Miſſam, ita ſaltem, ut non teneatur ad reſtitutionem. Ideoque favent huic concluſioni Decreta Pontificum prohibentium accipere multa ſtipendia pro unica Miſſa: & præſertim Alexand.7. in ſuo primo *Decr. ann.* 1665. prohibens propoſitionem ordine decimam aſſerentem id non eſſe *contra iuſtitiam.* *Alex.7.*

102 Obijcies quod ait S. Hieron. relatus *in Can. Non mediocriter. De Conſecr. diſt.* 5. ibi: *cum pro centum animabus Miſſa, vel Pſalmus dicitur, nihil minus, quàm ſi pro qualibet illarum diceretur, accipitur* Reſpondetur, id non ita reperiri in Operibus Hieronimianis. Et intelligi poſſet, *Hieron.* ac deberet quoad impetrationem, quam eſſe quodammodo infinitam infertur ex noſtra concl.2. nec aliter id poterat dici de Pſalmo. Aliam expoſitionem habet ibi Gloſſa: ſcilicet, id intelligi reſpectu Sacerdotis cui, ſpecialiſſimè æquè prodeſt Miſſa; ſive pro paucis, ſive pro multis ſpecialiter applicetur, *Gloſ.*

103 Infert Tamburinus *lib.2. cap.2.* §. 15. utilius fortè fore cæteris paribus pro defuncto, accipere Bullam Cruciatæ propter indulgentiam plenariam, quàm applicare Miſſam, cuius utique valor ſatisfactorius ex opere operato taxatus à Chriſto in actu ſecundo, fortè non exæquabit plenariè ſatisfactionem correſpondentem omnibus peccatis; ſicut eam exæquat indulgentia Bullæ. *Tambur.*

SECTIO XIII.

Quâ ratione ſine labe Simoniæ detur, & accipiatur ſtipendium temporale pro Euchariſtico Miſſæ Sacrificio.

104 CVrſim inſinuo communiorem rationem, aliis prætermiſſis apud alios præſertim Tamburinum *lib.3. cap.1.* Ea eſt: quia ſtipendium non eſt pretium pro fructu Miſſæ; ſed retributio pro ſuſtentatione Sacerdotis: qui ſcilicet, ſicut non tenetur exhibere gratis de ſuo vinum, ceram, ornamenta, & alia huiuſmodi requiſita ad Sacrificium, ita nec ſe ipſum ſuſtentatum. *Tambur.*

105 Hoc igitur titulo licitè, & ex iuſtitia datur, & accipitur ſtipendium. Etiamſi Sacerdos ſit alioquin dives: quia, quamvis poſſit, non tenetur ſe gratis ſuſtentatum exhibere illis, pro quibus ſacrificat. Undè, ſi ter ſacrificet, ut in Die Nativitatis, licebit tri-

plex ſtipendium: quia pro qualibet Miſſa ſuſtentatum ſe exhibet.

106 At quantum eſt ſtipendium iuſtum? Reſpondetur primó, non eſſe quod requiritur, & ſufficit ad integram ſuſtentationem, ut volunt Navarrus reiectus à Palao *Navar. Palau.* *to.4.tra.22. punt.14.* Quia miſſatio non occupat unicé Sacerdotem taliter ut ad alia vacare non poſſit quibus inſervit etiam ſuſtētatio, & quibus licitè,ac honeſtè exercitis poſſit ad ſuſtentationem iuvari. Reſpondetur ſecundò: nec eſſe bonam regulam eam partem ſuſtentationis, quæ precisé correſpondet tempori miſſationis: quia Miſſa pro alijs etiam temporibus impedit Sacerdoti multa exercitia lucratoria. Reſpondetur tertió, attendi maximè debere pro regula taxationem Prælatorum, & morem Regionis. *Tamb. Biſſ.* Sic Tambur. & noviter Biſſus *ver. Stipendium.* Quod ſi Fideles ultrò velint ſtipendiū ſupererogare præter taxationem cōmunem, poterit Sacerdos id licitè accipere; ſed *Tamb.* non pro ſtipendio, ſed ex liberalitate. Tambur. *§.3.num.98.*

107 Sordidiores quorumdam abuſus in ſtipendijs Miſſarum coercere ſategerunt nuper Vrbanus 8. per Decr. ann. 1625. & poſtea Declarationes Sacræ Congr. ſub eodem *Urban. Cong.* Vrbano, & rurſús ſub Alex. 7. ann. 1659. & *Alex.* poſtea eiuſdem Alex Decretum ann. 1675. prohibens circà hoc tres variorum propoſitiones, octavam, nonam, & decimam. Poſt quæ nova iura ceſſarunt antiqua dubia in hac materia, & multa manent iam certa videnda apud Tambur. cit. & Mendum in *Tamb Mend.* Stat *d ſtert.13.à qu.5 & in Epit.Ver. Miſſa.* Ex quibus diſce quæ ſequuntur.

108 Non licet Sacerdoti, quamvis pauperi, accipere pro una Miſſa tot ſtipendia, quot ſufficiunt ad congruam ſuſtentationem. Et ſuper hoc revocat Vrbanus antiqua quorumdā privilegia. Et dici, hoc non eſſe contra iuſtitiam, videtur prohiberi ab Alex. *contra Propoſ.10.* *Alex.*

109 Non licet obligato ad Miſſas *ſub. ſtipendio manuali* maiori. V.G. trium regalium, illas alteri celebrandas committere ſub minori, etiam inſto, V. G. duorum regalium. *Alex. Urb.* Extat enim prohibitio Alex *contra Propoſ.9.* *Tambur. Mend.* poſt decretum Urbani. Diſputant Tambur. §.5. & Mendus *qu. 6.* an eſſet lethale contra facere. Sed certe poſt Alexandrum lethale foret: quod iam antea iudicaverat Mendus.

110 Niſi fortè alter celebrās condonet retinenti illum exceſſum, & quidem ſponte, omnino gratis & non ex aliquo metu, quale ſolet eſſe carendi pro tunc illis Miſſis, aut alijs in poſterum. Aut, niſi exceſſus ille ſupra minus ſtipendium iuſtum, ſupererogatus fuit priori Sacerdoti in gratiam ſui, & non intuitu fructûs Miſſæ: ut habet Tambur. §.5. Verùm *Tambur. Lumb.* hæ limitationes plenæ ſunt ſcrupulis, ex Lumbier *obſerv.* 24. ad Prop. prohibitas ab Alexandro 7.

111 Dixi: *ſub ſtipendio manuali.* Quia Beneficiato, Capellano, imo, & Legatario pingui Miſſarum, licebit pro Miſſis, quas per alterum poteſt licitè celebrare, iuſtum ſtipendium minus dare alteri, retento ſibi reliquo, niſi aliter Legator expreſſiſſet. Mendus *in Epit. Ver.* Miſſa *num.9.* & Tambur. *à nu.10.* *Tambur.* ubi alia de Sacriſtis, & Collectoribus Miſſarum, qui non eas acceptant à ſe celebrandas.

112 Si pro decem. V. G. Miſſis acceptaſti decem ſtipendia infra iuſtum, non ſatisfacis per pauciores Miſſas computatis pauci-oribus ſtipendijs iuſtis pro ipſis: imó teneberis reſtituere. Tambur *à num.50.* quamvis *Tambur.* cum aliqua limitatione.

113 Si citra ſtipendium promiſiſti uni Miſſam pro ſalute Filij, & alteri unam in ſatisfactionem peccatorum, ſatisfacis per unicam Miſſam iuxta Tambur. *num 47. & 48.* *Biſſus Tambur.* & Biſſum Ver. Promiſſio *n.m. 41.* Nec diſ- *Mend.* ſentit Mendus *in Epit. ver. Miſſa. num 32.* *Urban.* Cavenda ſemper acceptio duplicis ſtipendij *Alex.* *ex decr. Urbani.* Undè nec licet, accepto uno ſtipendio pro fructu ſpeciali Miſſæ, accipere aliud pro applicatione fructus ſpecialiſſimi eiuſdem Miſſæ. *Ex Decr. Alex 7. contra Propoſ.8.*

114 Si ex ſtipendio celebras ſolùm ob officiaturam in tali loco, poteris aliud ſtipendium recipere pro fructus applicatione eiuſ- *Tambur.* dem Miſſæ. Tambur. *§.3.à num.14.* cum De *Lug.* lugo contra Barboſ. & Gavant allegantes *Barboſ.* pro ſe declarationem Sac. Congr. cui tamen *Gavant.* ſatisfacere conatur Caramuel apud Biſſum. *Congr.* *ver. ſtipendium §.8.* Quando autem cenſea- *Caram.* tur dari tibi primum ſtipendium ob ſolam *Biſſus* officiaturam, conjectatur ex multis Tambur. *num.47.*

115 Si accepiſti à diverſis decem ſtipendia pro decem Miſſis ſigillatim; ſatisfacis applicans indiſcriminatim pro illis decem Miſſas: quamvis non applices ſingulas ſingulis. *Tambur* Tambur. §.5. & Henaus in Append. contra *Henas.* Poſſevinū, & alios. Licet pro labore longioris, & moleſtioris itineris ad miſſandum paciſci de maiori ſtipendio. Biſſus. *ver. Stipendium §.1.* *Biſſus* Non verò pro qualitate diei Feſti. *Gobat.* Gobat apud ipſum ibidem.

116 Non licet accipere ſtipendia pro Miſſis, quas non potes celebrare niſi poſt lōgum tempus. Hoc autem longum tempus

putat

Lug. Tambur. putat Delugo esse sexaginta dies: Tamburin. §. 9. extendit ad nonaginta. Nisi aliter tibi constet de iusta voluntate solventis stipendia.

117 Non licet celebrare ad intentionem eorum incertorum, qui postea dabunt stipendia, acceptis postea stipendijs pro Missis sic anticipatis. Sic refert decisum à *Congr. Bissus Paul.* Sac. Cong. Rit. Bissus *ver. Intentio* §. 7. ex multis Authoribus. Et Mendus *in Epit. ver. Missa nu. 9.* memorat Decretum Pauli V. prohibens celebrari Missam pro futura intentione. Undè hæc intentio: *applico hanc Missam pro eo, cui Petrus applicuerit*: cessa est, si Petrus suam applicationem adhibet, transactâ Missâ. Mend. *num.* 20.

118 Obligatus ex stipendio ad Missam pro salute infirmi, aut pro vincenda lite, si non celebrat, tenetur restituere stipendium; *Tambur.* non verò alia damna, quamvis, aut moriatur infirmus, aut amittatur lis. Tamburin. *nu.*

119 Capellanus ægrotus, aut aliter iustè impeditus, licite omittit Missas, quas eo tempore deberet titulo Capellaniæ celebrare: quin teneatur ea per alium supplere. *Bissus Mendus* Bissus *ver. Stipendium* § 9. alios citans, & Mendus *ver. Missa num.* 9. quamvis cum aliqua limitatione: ibique meminit specialis Privilegij *Iul. 3.* Julij 3. pro Capellanis, & Beneficiatis Diœcesis Hilipalen.

120 Si accepisti stipendium pro Missa de S. Maria, vel de *Requiem* celebranda tali die, satisfacis si celebres de Dominica, vel de Festo, præsertim duplici incidente in illum diem. Imo præstat conformari Rubricis: præsertim post Constit. Alex. 7. ann. 1667. *Alex. Bissus* quæ incipit: *Credita Nobis*, apud Bissum *ver.* Missa *num.* 192.

121 Missans in altari privilegiato lucratur indulgentiam pro anima per Missam de Dominica, aut de Festo duplici, aut per aliam diei excludētis per Rubricas Missam de *Requiem*: quamvis privilegium Altaris cōcedatur missantibus *de Requiem*. In id inclinat *Mend. Bissus* Mendus *ver. Missa num.* 31. & affirmatiùs id tenet Bissus *ver. Missa num.* 192. ex Constit. *Alex. 7.* Alexandri. 7. insertâ iam Bullario Magno. Idem dicendum venit ob easdem rationes, quas expendit dignè Mendus cit. de Sacerdote habente privilegium personale indulgentiæ pro anima in singulis Missis.

122 Suboritur dubium: an qui cum eiusmodi privilegijs missat, possit indulgentiam applicare pro alia anima ab ea pro qua applicat Sacrificium. Respondet ibidem Bis. *Bissus* hæc pēdere à tenore privilegij. Si enim dicit: *Qui pro aliquo defuncto ad tale Altare celebrat, liberabit eius animam à Purgatorio*; nequit validè indulgentia applicari pro alia anima. Si dicat: *Quotiescumque Sacerdos ad tale Altare celebrat, liberat unam animam à Purgatorio*; tunc uni fructus Sacrificij, alteri indulgentia poterit applicari.

123 Si ex fundatione, aut alio titulo debebas missare in Templo, vel Altari determinato, non satisfacis alibi missans: quando Testator in voluit ob cultum specialem loci; aut in memoriam honorificam Familiæ, aut in commodo Populi audituri Missam. Si verò ad nihil harum respexit, satisfacies, ex causa alibi missans. Quodsi altare sit privilegiatum, satisfacies in simili casu in alio privilegiato. Datur in ijs etiam parvitas materiæ: ut esset iuxta Tambur. *cap. 2. §. 3.* si obligatus missa- *Tambur.* re toto anno in tali Capella, celebret alibi uno vel altero die feriato singulis mensibus.

124 Obligatus missare pro homine, qui post datum stipendium fit excommunicatus non toleratus, consulius facies differendo; sed non teneris. Tambur. *nu. 5.* *Tambur.*

125 Obligatus missare per se, & missans per alium, peccat, & quidem mortaliter ex genere suo. Non tamen tenetur ad restitutionem stipendij. Tamburin. *c. 4. § 3.* *Tambur.*

126 Hæc sat fuerit prælibasse ex Moralibus: pro quibus lato calamo scripserunt *Pasqual. Hena.* multi: præsertim Pasqualiqus, & Henaus, quó remitto Lectores; præcipuè intentus scholasticæ tractationi venerabilis huius Sacramenti, & Sacrificij: adorandi præsentialiter usque ad consummationem sæculi, & laudandi ineffabiliter ab Angelis, & Hominibus in sæcula sæculorum. Cui supplex pro me, huius vitæ, ac vitæ cursum censummante, fidenter ingemino sequentem salutationem, & precationēm.

Aue verum Corpus, natum de Maria Virgine.
Verè passum, immolatum in Cruce pro homine:
Cuius latus perforatum unda fluxis sanguine:
Esto nobis prægustatum in mortis examine.
O dulcis! O pie! O Iesu, Fili Mariæ,
Misere mei. Amen.

INDEX RERUM.

A

ABUSUS Eucharistiæ per frequentiam inordinatam taxatur iuxta Decretum SS. P. N. Innoc. II. Disputatione 32. sectione 3.

Abusus sacrilegæ communionis. Sect. 2.

Abusus opinionum probabilium. Disp. 28. sect. 5.

Accidens: non est immediatè assumptibile à Verbo. Disp. 3. à num. 37.

Accidentia Eucharistica sunt de essentia Sacramenti. Disp. 21. à num. 7.

Accidentia non constituunt cum materia prima carnem, & ossa corporis organici. Disp. 24. sect. 4.

Non ponuntur ex vi verborum sub speciebus Eucharisticis, ibi. num. 143.

Non uniuntur physicè substantiæ Christi in Eucharistia. Disp. 27. sect. 4.

Conservari possunt sine subiecto eâdem actione, qua in subiecto. Disp. 27. à nu. 36.

Vide. *Species*.

Actio incarnativa, quem terminum habeat. Disp. 1. à num. 40.

Actio humanitatis Christi productiva nõ est unio hypostatica. ibid. à num. 58. & à num. 73.

Eâdem actione, quâ Deus, concurrit B. Virgo ad Incarnationem Disp. 4. num. 41.

Actiones Theandricæ Christi sunt simpliciter infiniti valoris, & meriti. Disp. 17. à num. 11.

Condignificántur ab infinita dignitate Verbi. ibid. à nu. 53.

Omnes sunt moraliter æquales in esse valoris, ibid. à num. 61.

Et omni præmio condignę in actu primo. ibid. à num. 53.

Actiones sunt suppositorum, quomodo intelligendum. D. 17. n. 8.

Actio consecrativa non est de constitutivo Eucharistiæ, ut est Sacramentum. Disp. 21. num. 42. benè verò, ut est sacrificium. Disp. ult. sect. 3.

Actio eductiva non est unio sui termini ad subiectum. D. 1. n. 68. & D. 27. n. 34.

Non differt intrinsecè, & essentialiter à creativa. D. 27. n. 40.

Actio productiva est sui, cuique termini præsentia, & duratio. Disp. 25. num. 44.

Actus voluntatis divinę sunt omnes formaliter æquales. Disp. 7. num. 18. & 38.

Actus vitales non intenduntur per additionem gradus ad gradum. Disp. 13. n. 61.

Actus voluntatis efficaciter imperatus est formaliter immediatè liber voluntati. Disp. 16. num. 85.

Actus naturales virtutum an exercuerit Christus. Disp. 14. num. 101.

Adam non peccante, an Deus incarnatus fuisset, necuè; nobis est inexploratum. D. 6. nu. 29.

Additio ad verba consecrationis, quomodo hanc salvet, aut annullet. Disp. 23. n. 117. & 126.

Admiratio, quid sit? D 13. n. 124.

An strictè fuerit in Christo. n. 125.

Adoratio quid sit Ethimologicè. Disp. 19. num. 2.

Quid essentialiter. num. 3.

Eius divisio in Latriam, Duliam, & Hiperduliam. sect. 2.

Subdivisio in Absolutam, & Respectivam. sect. 3.

Adoratio latriæ absolutæ soli Deo tribuẽda. ibid.

Respectiva etiam Christi humanitati, & Cruci. ibid.

Eadem adoratio latriæ absolutæ respectu Christi est latriæ respectu humanitatis. ibid. num. 57.

Adoratio nequit à Christo exhiberi puræ creaturæ. ibid. à num. 77.

Religiosa duliæ adoratio Sanctis exhibenda. ibid. à num. 103.

Adoratio debita Imaginibus, respectiva. ibi. à num. 117. ad 122.

Etiam quoad actum internum fertur ad Imagines; diverso tamen modo, ac ad exemplaria. ibid. à num. 127.

Amor. Quando, & quomodo amor alicuius necessitet ad volendum illi meliora. Disp. 7. num. 28. & 36.

Qualis amor Dei ad creaturas sit necessarius. ibid. à num. 33.

Quando, & quomodo intentio efficax finis, importet, aut inducat amorem medij unicè requisiti. D. 6. à n. 56. & à n. 72.

Angelus. Vide: *Natura Angelica*.

Angeli fuerunt aliquo modo præservativè redempti. Disp. 6. num. 172.

An-

Angelorum ſubſiſtẽtiæ indiſtinctæ à Naturis. Diſp.3.n.16.
Nuſquam incarnati. D.3.n.66.
Angeli vident naturaliter Chriſtum præſentem in Euchariſtia. D.25.á n.81.
Anima rationalis ſeparata à corpore aſſumi poteſt à verbo. Diſp.3.n.33.
Chriſti anima nequit reddi intelligens per intellectionem increatam Verbi. Diſp.13. num.8.
Unita Verbo nequit privari viſione Beata. ibid.à n.24
Cognovit omnia poſſibilia per viſionem Beatam. ibid à n.49.
Non ideo comprehẽdit Omnipotentiam. ibid.n.75.
Habuit & ſcientiam per ſe infuſam omnium poſſibilium. ibid.à n.88.
Apparitiones miraculoſæ Chriſti in Euchariſtia. D.25.ſect.10.
Applicatio Omnipotentiæ duplex. Diſp.6. à n.127.
Quænam conſtituat libertatem creatam. ibi. n.130.
Aqua naturalis modica miſcenda eſt vino conſecrando ex præcepto Eccleſiæ. D.22. à n.47.
Non de neceſſitate Sacramenti. ibid. à num.42.
Aqua mixta vino convertitur immediate in ſanguinem Chriſti per conſecrationem. ibid. à n.89 &
Nihil ſubſtantiæ aquæ antea infuſæ manet in calice conſecrato. ibi. n.92 & 103.
Quàm modica debeat infundi ſacro Calici. D.22. n.52.
Quid ea aqua ſignificet. N.62.
Non convertitur in eam, quæ fluxit é latere Chriſti. N.57.
Aqua, vel vinum, inter conſecrandum, inceptâ formâ, infuſa calici non conſecraretur. ibid.à n.115.
Neque infuſa poſt Calicis conſecrationẽ, iuxta Græcorum ritum. ibi. à n.131.
Vide *Converſio*.
Aquarij Hæretici. D.22.n.45.
P. Philip Aranda laudatus. D.10.n.44.
Ariſtotelis confictum axioma pro infinitate offenſæ. D.8.n.55.
Articulus Fidei, quadrupliciter dictus. Diſp.20 n.6.
Articulus Communionis Sanctorum eſt ſignantiſſimè articulus Euchariſtiæ. Diſp. 20.ſect.2.
Aſſumptio humanitatis dupliciter uſurpatur. Diſ.1.à n.58
Attributa divina ſeſe invicem attemperant quoad inclinationem ſe exercendi, Diſ.7. n.56.
Elucẽt præmaximè in Opere Incarnationis. Diſp.1.n.29.
S. Auguſtini mens, & iudicium de carentijs. Diſp.1.n.222.
Eiuſdem teſtimonium pro merito ſolutorio. Diſp.5.à n.4.

B

Baptiſmus: quid dicat ut rem tantùm; quid, ut Sacramentum tantùm; quid ut rem, & Sacramentum ſimul. D.21.n.8.
Eius neceſsitas Medij. D.20.ſect.5 & 6.
An Gratiam, quam primó non cauſavit, cauſet poſtea ſublato obice. D.29.à n.48.
Prærequiritur, ut Euchariſtia fructificet. D.30.n.2.
Beatitudo debetur habenti unionem hypoſtaticam. diſp.1.à n.188. Vide: *Viſio Beata*.
Beatitudinis abſolutè dictæ ratio citra Dei viſionem, inconceptibilis. n.188.
Benedictio panis in Cœna Domini præceſſit ad conſecrationem, & inſtitutionem Sacramenti. D.20. ſect.4.
Beneficium maximum reſpectu humanitatis Chriſti eſt unio hypoſtatica. D.1.à n.177.
Non tamen præciſim á viſione beatifica. D.1.n.188 & D.13.n.30.
P. Auguſt. Bernal laudatus. D.1.n.56.
Vindicatus. D.22.n.59 & 98.
Bilocatio etiam circunſcriptiva eiuſdem corporis poſsibilis. D.25.à n.
Non facit, corpus bilocatum virtualiter diſtingui. nu.24.
Nec capax contradictoriorum. nu.25.
Nec capacius formarum contrariarum. à num.26.

C

Cadaver. Non dicit aliquam cadaverici eam formam morte introductam. D.3.n.30. & diſp.24.n.77. & 88.
Eſt ens incompletum. diſ.3.n.30. & diſ.24. ſect.9.
Ideoque inſubſiſtens. D.2 n.111.
Non de novo aſſumptũ à Verbo in morte Chriſti, D.3.num.30.
Carentia. Auguſtini mens circa illas, D.1. num.222.
P. Barthòlomei Carrẽo. Singularis opinio ad ſalvandam Chriſti libertatem, & impeccabilitatem cum præcepto morendi. D.16.à n.25.
Caro. Non conſtituitur ex ſola materia prima, D.24.à n.54.

Nec

Digitized by Google

Nec per illam,& organizationes accidentales.ibi.à nu.65.

Sed per ſpecialem formam ſubſtantialem corporeitatis. ibid.à n.101.

Caro, per Synechdochen pro homine. dif.1 n.1.& dif.21 n.16.

Cathecumeni etiam defuncti ſunt capaces fructùs Sacrificij Miſſæ. *D.33.n.69.*& 72.

Alij audientes alij petentes:ibid.

Cauſa Phyſica efficiens Incarnationis. Vide *Humanitas B.V. Maria.*

Cauſa moralis aliquando requirit phyſicam ſui exiſtentiam, vel præexiſtentiam ad cauſandum. *D.5.*à n.59 & à n.143.

Cauſa meritoria Incarnationis. Vide: *Meritum. Chriſtus. B.V. Maria.*

Cauſa finalis Incarnationis fuit humana redemptio. *D.6.*à n.5.

Simulque excellentia tanti Myſterij.ſect.2.

Eadem res poteſt eſſe ſimul cauſa efficiẽs, & formalis eiuſdem compoſiti. *D.21.* num 24.

Cauſalitas mutua in diverſo genere.phyſico ſcilicet, & intentionali,non repugnat,nec arguit mutuam prioritatem exercitam. D.5.n.153.

Chriſtus non eſt perfectior ſolo Verbo adhuc extenſivè. D. 1.n.20.remiſſivè.

Eſt terminus totalis Incarnationis.D.2. ſect.1.

Eſt homo eiuſdem ſpeciei cum aliis, non obſtante diverſitate ſubſiſtẽtiæ.D.1.n.124.

Etiam, ut homo,eſt perſona Divina. D.2. n.116.

Quo ſenſu ſit duæ naturæ, duo viventes. D 2.n.20. & D.3.n.63.

Mereri potuit ſolutorie Incarnationis ſubſtantiã de condigno per opera ſubſequentia unionem.D.5.a n.63.

Non remuneratoriè, nec per opera antecedentia. ibid.à n.25.& à n.46.

De facto illam non meruit. Ibid.à n.95.

Meruit illius circunſtantias. Ibid. nu.106.

Vide: *Meritum.*

Quomodo per illum cuncta ſint à Deo facta. Ibid.n.148.

Etiam, *vt homo*, eſt Filius naturalis Dei. D.9.à n.15.

Quo pacto dicatur Prædeſtinatus. Ibid.à n.79.

Vt homo eſt ſervus Dei naturalis. D.10.à n.2.

Quomodo dici poſſit minor Patre. D.11. à n.3.

Ut homo fuit ſubiectus Patri,non ita Matri.Ibid.à n.10.

Non fuit ſubiectus legi humanæ;benè tamen naturali,& alicui divinæ.Ibid.à n.22.

Non omnia,quæ Chriſtus fecit,fuerunt illi præcepta. Ibid.à n.28.

Capax fuit præcepti obligantis in conſciẽtia; illudque de facto habuit de morte. D.11.à n.70.

Etiam ex lege naturali charitatis obligaretur mortem ſubire ad redimendos homines, ſi poſitivam non haberet. Ibid. à n.95.

Ut homo eſt Sacerdos, & Hoſtia.D.12.à n.6.

Ut homo fuit præcipuus Mediator Deum inter,& homines.Ibid.à n.15.

Fuit & Rex extraordinario iure univerſæ Terræ.Ibid.à n.40.

Et Dominus iure ſtricto ſuitatis.Ib.à n.52.

Non tamen ſpeciali iure humano Rex Iudæorum.D.12.ſec 3.

Nihil didicit à creaturis.D.13.à n.116.

Nullam habuit ignorantiam, opinionem, nec fidem.D.13.à n.123.

Errorem nec habuit, nec habere potuit. Ibid.à n.128.

Eſt caput Eccleſiæ, Angelorum, & hominum;& quomodo? D.14.à n.39.

Habuit gratiam habitualem, & quantam. Ibid.ſec.3.

Fuerunt in illo Sp. Sancti dona: etiam donum timoris.Ibid.ſec.7.

Fuit & Spes; non Fides quoad actum, & habitum intellectùs.ibid.ſec.8.

Et virtutes Morales, etiam Pœnitentia quoad entitatem.ibid.ſec 9.

Eſt de fide nullum fuiſſe in eo peccatum. D.15.à n.3. Vide: *Impecabilitas. Humanitas. Imperfectio moralis.*

Repugnant illi in conſortio unionis hypoſtaticæ habitus vitioſi. D.15.à n.60.

Et fomes peccati. ibi à n.66.

Non fuit interné tentatus.ibi.n.69.

Chriſti libertas de fide.D.16.n.1.

Chriſti merita ſunt valoris ſimpliciter infiniti. D.17.à n.11.

Per quodlibet obſequium merebatur de condigno in actu primo omne præmium poſſibile.ibid.à n.53.

Meruit continuationem unionis hypoſtaticæ.ibid.n.75.

Meruit Gloriam ſuæ animæ, & corporis, nominis ſui exaltationem, & omnia Sanctorum dona.ibid.à n.76.

A primo vitæ ſuæ inſtanti uſque ad mortem ſine interruptione,& per actus virtutum moralium,ac charitatis.ibid.à n.66.

Satisfecit Deo pro offenſis de toto rigore iuſtitiæ ibid.à n.113.Vide: *Satisfactio.*

Stricté redemit genus humanum. ibid. à n.101.

Oravit propriè, & de facto orat in Cœlo. D. 18. à n. 2.
Non oravit pro gratiis, & donis antecedenter iam collatis. ibid à n. 15.
Quidquid oravit, & voluit efficaciter, obtinuit. ibi. à n. 39.
Adorandús eſt adoratione latriæ abſolutæ. D. 19. ſec. 4. & 5.
Chriſtus nequit adorare puram creaturam; poteſt tamen illam honorare. ibid. à n. 77.
Chriſtus eſt de conſtitutivo Sacramenti Euchariſtiæ. D. 21. à n. 2.
Quomodo, prout Euchariſticé præſens poſſit agere & pati. D. 25. ſect. 11.
Nequit dici deſtrui corruptis ſpeciebus. D. 26. n. 36.
Eſt principalis offerens in ſacrificio Miſſæ. D. 33. n. 26.
Et adæquatè Victima. Sect. 2.
Quare Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. D. 12. n. 4.
Cognitio evidens. Vide: *Evidentia*. Probabilis. Vide: *Probabilitas*.
Cognitio finita poteſt cognoſcere infinita. D. 13. n. 73.
Cognitio naturalis de Myſterio Incarnationis qualis? D. 1. ſect. 16.
De Myſterio Euchariſtiæ. D. 25. ſect. 8.
Comprehenſio. Altera intenſiva; altera extenſiva. D. 13. à n. 75. remiſsive.
Intenſiva creata de Deo repugnat; nec arguitur ex cognitione omnium poſsibilium. ibid.
Communicatio idiomatum: Quid ſit? D. 2. nu. 94.
Quædam regulæ ad legitimam idiomatum communicationem. ibid. à n. 107.
Communicatio in bonis Domini non opponitur naturali ſervituti, quando ſervi ſubiectionem non minuit. D. 10. n. 26.
Communio. Abſolutè Euchariſtiam ſignificat in Symbolo. D. 20. à n. 14.
Communio ſub utraque ſpecie non eſt pro omnibus de iure Divino. D. 32. n. 8.
Aliquibus laicis permittitur ex privilegio ab Eccleſia, aut ex neceſsitate. n. 8. & 9.
Alijs prohibetur. n. 8.
Non cauſat ex opere operato uberiorem Gratiam, quàm ſub unica. D. 29. ſect. 2.
Communio frequens, & quotidiana regulatur per Decr. SS. P. N. Innoc. II. D. 32. ſect. 3. & 4.
Communio ſpiritualis. D. 32. n. 41.
Communio ad purgationem delicti, prohibita. D. 32. à n. 21.
Communionis ſacrilegæ fructus ex opere operato nullus, adhuc ablato poſtea obice. Diſp. 29. à num. 41.
Communio ſacrilega non ſatisfacit præcepto annuæ communionis. D. 31. n. 19.
Vide: *Præceptum*.
Conceptio Immaculata Deiparæ V. in quem gradum certitudinis evecta poſt Conſtit. Alex. 7. inſtante Philippo 4. D. 6. n. 164.
Quomodo ex meritis Redemptoris. D. 6. ſect. 12. & 13.
Concilium Francofurtenſe. Pro naturali, & contra adoptivam Chriſti filiationem. D. 9. n. 16. & à n. 52.
Celebris illius authoritas contra Chriſti ſervitutem exponitur iuxta genuinũ illius ſenſum. D. 10. à n. 68
Eius authoritas indubitanda. D. 9. n. 53.
Toletanum circa terminationem unionis hypoſtaticæ expenditur. D. 2. à n. 27. & à nu. 49.
Vide: *Tridentinum*; *Florentinum*.
Concomitantia ratio omnium Chriſti partiũ in Euchariſtia. D. 24. à n. 178.
Quænam dicantur poni in Euchariſtia per concomitantiam; quænam vi Verborum. D. 24. ſect. 11. & 12.
Concreta. Subſtãtiva multiplicantur ad multiplicationem expreſsioris ſignificati. D. 3. nu. 52.
Condignitas ſatisfactionis ſtat benè cum libera acceptatione Divina. D. 8. n. 30.
Ei non obeſt quód opus ſatisfactorium fundetur in gratia. ibid. n. 32.
Nec quód ſit debitum aliis titulis. ibid. nu. 33.
Condignitas meritorum Chriſti ad omne præmium eſt ab infinitâ Verbi dignitate. D. 17. à n. 33.
Condignitates ſatisfactionis, & meriti cum ſuo diſcrimine explicantur. D. 8. n. 20.
Confortatio. Qualiter potuerit eſſe Chriſto ab Angelo; & quomodo, quin aliquid ab illo didicerit. D. 13. n. 121.
Connexio. Alia phyſicè inductiva; alia pure requiſitiva. D. 6. n. 74.
Conſcientia, quomodo exiudicio probabili regulanda. D. 28. á n. 44.
Conſervatio quoad eſſentialia rei conſervatæ, eadem requirit, ac prima productio. D. 22. n. 15. 28. à n. 44.
Conſecrationis Verba ſunt de formali conſtitutivo Sacramenti Euchariſtiæ: non vero de recto illius. D. 21. à n. 34.
Conſecratio ſub utraque ſimul ſpecie eſt iure divino præcepta. D. 22. á n. 118.
In hoc nequit diſpenſare Eccleſia. ibid. à n. 164 & D. ult. à n. 44.
Hoc preceptum partim eſt affirmativum; partim negativum. D. 33. n. 53.

Non

Vide: *Forma conſecrationis. Vox. Intentio.*
Varii caſus circa validam, & licitam conſecrationem pro praxi. D.24.à n.42.
Continuum ex punctis aptius ad veritates Euchariſticas. D.25. ſec.7.
Converſio immediata aquæ mixtæ in Sanguinem D.22.à n.89.
Ab impugnationibus expeditur. à n.56.
Converſio dicit abſolutam deſtructionem. D. 26.ſec.3.
Et productionem. ſec.4.
Euchariſtica qui ſalvet oppoſitionem ſub tertio ſec.5.
Quomodo colligatur ex verbis.ſec.2.
Nec abſolutè eſt creatio ſubſtantiæ Chriſti,nec anihilatio ſubſtantiæ panis,aut vini ſec.6.
Corpus non eſt aſſumptibile,niſi ex fine aſſumendi naturam rationalem. D.3.n.33.
Quadruplex corporis acceptio. D.24.n.51.
Phyſicè ſumptum ponitur in Hoſtia vi verborum.n.52.& 141.
Sic ſumptum conſtituitur per formam ſubſtantialem ſpecialem Corporeitatis. à n.99.
Non habet partialem ſubſiſtentiam, qua ſeorſim ab anima ſubſiſtat.n.156.
Vide:*Forma Corporeitatis.*
Creatura potuit de cõgruo ſatisfacere.D.8.à n.11.
Non de condigno pro mortali. à n.21. & cur. à n.113.
An pro veniali? ſect.11.
Nec mereri condignè remiſſionẽ peccati.n.165.
Ideoque nec gratiam peccatori.ibi.
Crux adoranda cultu latriæ reſpectivę. D.19. n. 117.&.122.
Crucis veræ ab alijs Crucibus diſcriminem quoad adorationem D.19.n.122.
Cultus. Vide: *Adoratio. Latria.*

D

Debitum proximum Originalis non contraxit B. Virgo D.6.à n.174.
Debiti remoti à proximo diſcrimen. n.167.
Debitum carendi Redemptore contraxit per peccatum homo.D.5.à n.100.
Decretum non fuit aliquod de Chriſto pure intentivum,nec diſjunctivum.D.5.à n.40.
Primum, de Chriſto Redemptore. D.6.à n.32. & 46.
Efficax de redemptione non ſupponit permiſſionem, & prævisionem peccati. à n.46.
Unicum in Deo,circa omnia.D.6.n.105.& 152.
Virtualis indiviſibilitas decreti non officit libertati creatæ.ibid.à n.125.
Decretum conditionatum concurrendi,ſi creatura operetur,fruſtraneum.D.6.n.128.
Decreta non diſtinguntur virtualiter à ſcientia viſionis à n.155.
Nec intentiva ab exequutivis.D.5.n.40.
Des Chartes Philoſophia exploſa. D.27.ſec.1.
Determinatio materię,qualis ad validè. D.24.n.41.
Deus nõ neceſſitatur ad Incarnationẽ. D 7 à n.19.
Eius actus æquales. à n.17.
Non eſt ſubiectum morale offenſæ,potius quã obſequij. D.8.à n.54.
Diaconus quoad miniſtrationem Euchariſtiæ. D.28 à n.34.
Dignitas Verbi reſundit infinitum valorem actionibus Theandricis. D.17.à n.12.& 33.
Non infinitam gravitatẽ offenſæ. D.9.à nu.95.
Diſpoſitio phyſica non requiritur ad unionem hypoſtaticam.D.4 n.47.
Diſpoſitiones ad Euchariſtiam. D.30.
Dæmõ Qualiter Chriſtũ noverit.D.1.n.102.&209.
Dominium altum habuit Chriſtus in temporalia cuncta.D.12.à n.40.
Et ſuitatis in omnia creata, quamvis non in exercitio.à.nu.52.
Dominium eiuſdem rei in ſolidum penés duos n.56.
Dona Spiritus S.D.14.n.60.
Fuerunt in Chriſto. á n 59.
Dubia materia illicita pro Sacramentis.D.22 n.10
Dubia conſcientia circa ieiunium naturale quomodo deponenda. D.30. à n.40.
Dulia quid, & in quo differat à Latria, & Hiperdulia.D.19 n.15.
Sanctis eſt debita.ibi à.n.105.
Dulia,pro adoratione in genere.D.19.n.111.

E

Electio mediorum non ſemper vult illa, *quia utilia.* D.6.à n.86.
Elipandi errores de Servitute,& Adoptione.D.10. à nu.68.
Energumeni capaces Communionis. D.30.n.54.
Ens ſupernaturale quid ſit.D 1.n.194.
Aliquod eſt evidenter naturaliter cognoſcibile. n.203.
Error, ſeu intentio Sacerdotis qualis invalidaret conſecrationem. D.23. à n.68. & à n.125. & D. 24.n.48.
Non fuit in Chriſto;nec eſſe potuit.D.13.n.128.
Errores circa Chriſti Filiationem.D.9.à n.3.
Euchariſtia varia nomina exponuntur. D.20.n.2.
Eſt Fidei Articul.in Symbolo expreſſus à n.9.
Continetur in *Sanctorum Communionem.* n.13.
Inſtituta die Jovis 24.Martii.nu.22.
Poſt cœnam legalem, inter uſualem. à n.30.
Poſt benedictionem diſtinctam à conſecratione. à n.33.
Neceſſaria non eſt ad ſalutẽ, neceſsitate medii, à n.49.
Conſtitutivè dicit Chriſtũ,& ſpecies. D.21.à n.2.
Etiam in recto.ibid.n.15.
Dicit in obliquo conſtitutivè vnionem Chriſti cum ſpeciebus.n.18.& verba.à n.34.

Non actionem consecrativam, nec sumptionem. à n. 42.
Secundum quid est multiplex Sacramentum pro multiplicitate specierum, à n. 67.
Absolutè, & Theologicè est unum specie sub speciebus panis, & vini. ibid. à n. 71.
Eius materia remota. Vide: *Materia.*
Causæ. D. 28. sec. 1. Effectus. D. 29. Ministri. D. 28. sect. 2. & 3.
Est specialiter Sacramentum permanens. D. 21. n. 1 & 29.
In esse Sacramenti non dicit essentialiter utramque speciem. D. 2 1. n. 61.
In esse Sacrificij. Vide: *Sacrificium.*
Evidentia nequit naturaliter haberi de Incarnatione, seclusâ revelatione. D. 1. à n. 204.
Benè verò de Mysterio Eucharistiæ, suppositâ notitiâ Incarnationis. D. 25. sec. 1.
Eutychis errores circa Christum. D. 2. n. 3.
Excellentia Dei applicari potest creaturæ, etiam rationali, ut reddat latriacè adorabilem. D. 19. à n. 30.
Excellentia Mysterij, Incarnationis motivum. D. 6. n. 45.
Excõmunicati, quatenus capaces Missæ. D. 33. sec. 9.
Exequutionis Ordo. Vide: *Decretum.*
Exigentia satiatur per terminum non exactum. D. 2. n. 79.
In quo differat ab appetitu. n. 80.
Exrantitas requisita ad adoptionẽ. D. 9. à n. 66.

F

Fatui, quatenus capaces, Communionis. D. 30 à n. 50.
Fermentatus pro Græcis. Azimus pro Latinis ad consecrationem. D. 22. sec. 2.
Fides Theolog. non in Christo. D. 13. n. 131. D. 14. à n. 80.
Fuit tamen habitus piæ affectionis. n. 82.
Et Fides, quæ est Gratia gratis data D. 14. n. 51.
Fidei *mysterium* cur specialiter Eucharistiæ. D. 24. n. 5.
Filiatio. Filius: quid in Christo dicant de Fide. D. 9. sec. 1.
Christus, *ut homo*, est naturalis Dei filius. à n. 15. non trium Personarum. n. 24.
Non adoptivus. à n. 48.
Quid sit Filiatio adoptiva. n. 66.
Filiatio propria frustra discernitur, à naturali. D. 9 à n. 20.
Filiationis naturalis Christi ratio solida. à n. 43.
Finalis causa Incarnationis. D. 6.
Florentinum circa conversionem aquæ in Sanguinem D. 2. n. 60.
Fomes peccati Quid in actu. 1. & 2. D. 13. n. 64.
Neuter esse potuit in Christo. ibi. à n. 66.
Forma Corporeitatis constituit corpus vivehtis. D. 24 à n. 101.
Eius vilitas ad philosophandum, & Theologizandum. á n. 100.
Formæ speciales cadaverica, & embrionica, cõfictæ. D. 24. nu. 76. & 106.
Forma sanctificans multiplex in Christo. D. 14.
Cur unio Gratiæ Sanctificantis ad animam non sit forma sanctificans. D. 14. n. 22.
Forma consecrationis: Corporis: *Hoc est corpus meum*. D. 23. à n. 3.
Non est de essentia *enim*, nec, *est* n. 4. & 5.
Illicitè tamen omittuntur. ibi. n. 6.
Nec verba antecedentia, nec preces sequentes requiruntur ad valorem. ibi. à n. 7.
Forma calicis: *Hic est calix sanguinis mei.* à n. 19.
Novi, & æterni, &c. nec de essentia, nec de substantia. à n. 54.
Sacerdos proferens verba, *novi, &c.* cum intentione consecrandi per omnia, quomodo consecraret? à n. 68.
Forma profertur recitativè; & necessariò assertivè. à n. 80.
Fractio Hostiæ, extra essentiam Sacrificij. D. 33. n. 22.
Francofurtense. Vide: *Concilium.*
Fructus Missæ Generalis, Specialis, & Specialissimus. D. 33 sec. 10.
Fructus alij ex opere operato; alij ex opere operantis. Ibid.
Specialissimum nequit Sacerdos alteri applicare ub novum stipendium. n. 113.
Quomodo applicabilis excommunicatis. sec. 9.
Non toleratis valide, quamvis illicitè. n. 70.
Frumentum: quid. D. 22. n. 7. & 8.

G

Genealogia Christi aliter à Matheo, aliter à Luca recensita, variè explicata. D. 12. sec. 3.
Genealogia Mariæ insinuatur. n. 34.
Josephi. n. 33.
Græcorum mos infundendi aquam calici consecrato D. 22. n. 124.
Eorum à Latinis dissidium circa diem institutionis Eucharistiæ. D. 20. sec. 3.
Gratia auxilians fuit in Christo. D. 14. n. 1.
Habitualis non est filiatio Christi adoptiva. D. 9. n. 66.
Infusa animæ Christi à primo esse. D. 14 à n. 26.
Intensior in Christo, quam in cæteris. à n. 31.
Habitualis, & Vnionis sunt in Christo gratia capitis. à n. 46.
Gratiæ plenitudo in Christo præ alijs, etiã plenis Gratiæ, explicatur. D. 14. sec. 4.
Gratiam eamdem, quæ diffunditur in alijs, esse in Christo, volunt aliqui. n. 28.
Gratiæ gratis datæ expositæ D. 14. n. 51.
Gratia miraculorum, quomodo in Christo. n. 58.

Digitized by Google

H

Habitus Scientiæ per ſe infuſi animæ Chriſti diſtincti ſunt à lumine gloriæ ; non à ſpeciebus. D.13.n.91.& 92.
Omnes ſcientifici fuerũt ſupernaturales.à n.104.
Non intendebantur repetitione actuũ. à n.108.
Habitus virtutum in Chriſto omnes fuerunt ſupernaturales.D.14.à n.101.
Vitioſus repugnat in conſortio unionis. D.15. n.60.
Hæreticorum fœda varietas in forma conſecrationis.D.23.n.2.
Eorumdem impudentes blaſphemiæ contra impeccantiam Chriſti.D.15.ſec.1.
Hic, & Hoc, quid demonſtrent in Verbis conſecrationis.D.24.ſec.2.
Hiperdulia quo differat à Dulia, & Latria. D.19. n.16.
Holocauſtum,quid? D.33.ſec.5.
Species eſt Sacrificij, tam cruẽto Crucis, quàm incruento Miſſæ conveniens.Ibid.
Homo.Quid ſignificet in recto. D.2.à n.97.
Hoſtia Sacrificij Euchariſtici,Chriſtus. D.33.ſ.2.
Hoſtiarum Legalium varias differentias continet.n.19 & 20.
Humanitas, quid in recto, quid in obliquo.D.1. n.119.
Humanitatis,& Hominis diſcrimen.D.2 à n.73.
Humanitas Chriſti quo pacto pendeat, à Verbo. D.1.à n.64.& 71.
Integra fuit aſſumpta. D.2 à n.56.
Quomodo nunquam dimiſſa? D.1.n.103.
Defectu ſuæ ſubſiſtẽtiæ non violẽta.D.2.à n.78.
Aſſumi poterat cum propria ſubſiſtentia. D.3. à n.3.
Non concurrit efficiẽter ad primum eſſe Incarnationis; bene tamen in nutritione,& ad reſurrectionem. D.4.à n.12.
Nec ad omnia miracula Chriſti.D.14.n.54.
Adoranda cultu latriæ reſpectivæ.D.19.ſec.7.
Adorabilis cultu hiperduliæ præciſim à Verbo. à n.85.
Humores alij nomine Sanguinis. D.24.n.125.

I

Idiomatum communicatio.Vide: *Comunicatio. Pradicatio.*
Ieiunium requiſitum ad Cõmunionem per quid frangatur.D.30 ſec.3.
Caſus,quibus licet nõ ieiuno,cõmunicare.n.44.
Ignorantia nõ fuit in Chriſto ut homine.D.13 ſ.11.
Imagines adorandæ cultu reſpectivo. D.19.ſec.11.
In eas fertur actus internus.ibi.
Impanatores Hæretici. D.26.n.4.
Immunitas Deiparæ. V. *Conceptio. Debitum*
Impeccabilitas Chriſti præciſim etiam à Viſione.D.15.à n.14.
Stat cum libertate,& præcepto. D.16.
Imperfectio,moralis quid iuxta varios.D.15.à n.46
Illius incapax Chriſtus. à n.51.
Incarnationis ſubſtantia. D.1.n.2.
Deo conaturalis,Conveniens,Decens.ſec.3.
Humanitati vtilis & indebita.n.31 & D.2.n.79.
Eſt naturaliter evidenter incognoſcibilis ſeclusâ revelatione.D.1.à n.204.
Eius cauſa finalis humana redẽptio. D.6 à n.1.
Neceſſaria non fuit ad ſatisfactionem cõgruam. D.8.à n.11.
Bene ad condignam per hominem.à n.20.
Non ſupponitur ex natura rei ad Euchariſtiam. D.25.n.16.
Incommunicabilitas. Non eſt effectus formalis ſubſiſtentiæ. D.2.à n.84.
Quid ſit incommunicabilitas ſuppoſiti,& unde proveniat.Ibid.à n.89.
Inclinatio unius Attributi attemperatur per alia. D.7.n.56.
Infinitum ſimpliciter quid ſit? D.8.n.95.
Quo pacto ſit, & non ſit infinitus valor Miſſæ. D 33.ſec.12.
Influxus phyſicus B. Virginis in unionem hypoſtaticam maximè utilis ad Maternitatem. D. 4.à n.24.
Intenſio actuũ non fit additione graduũ.D.13.n.61.
Intentio finis,quamvis efficax,non ſemper inducit in intẽdente volitionẽ medii requiſiti.D.6 n.56.
Quandoque eſt formalis electio.à n.117.
Quænam intentio Sacerdotis invalidet conſecrationem,quæ non? D.23.à n.68.& 125.
Sufficit Habitualis ad applicandum fructum Miſſæ, quamvis ad conſecrandum requiratur virtualis.D.33.n.89.
Judas interfuit inſtitutioni Euchariſtiæ.D.20.n.37
Et verosimilius eſt,communicaſſe.ibid.
Juſtitia exercetur inter Deum,& homines.D.17. n.111.
Exerceri poteſt inter Patrem, & filium, inter dominum,& ſervum.n.117.
Ad illam ſufficit alteritas naturę,vel iuris.n.119. & 120.

L

Latria Quid? D.19.n.17. V. *Adoratio.*
Latriâ abſolutâ adoratur Chriſtus,& reſpective humanitas.ſec.4.
Virgini nequit exhiberi.à n.96.
Legalis cœna præceſſit inſtitutionẽ Euchariſtiæ. D.20.n.50.
Lex Quid ſit. D.11.n.21.
Humanæ ſubiectus non fuit Chriſtus. n.22.
Bene tamen naturali,& divinæ.à n.23.
Divina eo ipſo ligat in conſcientia.à n.61.
Non dicit neceſſariò comminationem culpæ. D.11.n.67.
Naturalẽ quomodo liberè obſervaverit Chriſtus

tus impotens transgredi. D.16.n.101.
Libertas creata stat cum principio connexo cum uno extremo. D.13.n.68.
Et cum præfinitione redemptionis ante absolutam peccati prævisionem. D.6.à n.67.
Inter actus æquales sufficit ad meritū. D.15.n.55
Conciliatur cum impeccabilitate, & præcepto. D.10.
Liber amor Dei ex eius visione. D.17.n.70.
Loquutiones usurpandæ pro temporum varietate. D.1.n.110.& D.10.n.37 & 92.& D.11.n.7 & 17.
Aptæ, & ineptæ inter terminos conversionis Eucharisticæ D.25.sec.10.
Aliæ pro denominationibus derivatis ex accidentibus in Christum. D 27.sec.8.

M

B. *Maria*. Qua proprietate naturalis Mater. D.1.n.125.
Effecit unionem hypostaticam. D.4.n.23.
Potuit condignè mereri Maternitatem. D.5.à n.122. Meruit congruè.n.127.
Redempta præservativè. D 6.n.171.
Strictè Domina rerum creatarum. D.12.n.58.
Maternitas B. Virginis stetit in productione unionis humanæ simul hypostaticæ. D.4.n.42.
Fuit ex meritis Filij solutorijs. D.17.n.82.
Non est dignitas simpliciter infinita. D.5.n.123.
Nec est forma sanctificans. *D.8.n.139.*
Materia Euchar. V *Panis Vinum. Eucharistia.*
Probabilis, aut dubia. V. *Dubium.*
Non habet terminum magnitudinis, nec parvitatis ad validè. D. 22.sec.13. Massa, inepta. n.35.
Debet esse determinata D.24.sec.4. Ad visum præsens. sec.5 Ubi casus varij.
Mediator unus Christus, quo sensu? D.12.n.12.
Meritum, quid? Remunerandum, & Solutorium? D.5.sec.1.
Huius utilitates. à n.132.& 149. V. *Christus.*
Condignum & condignitas præcedere debent præmium remuneratorium. D.5.à n.26.& 46.
Nullus meruit substantiam Incarnationis. D.5. à n.95.& 101.
Potuit Christus illam mereri de condigno solutorié Non remuneratoriè per opera subsequētia. sec 4 & 5.
Meritum Christi valoris infiniti. D.17.à n.11.
Miraculorum Donum, qua specialitate Christo datum. D.14.sec.6.
Non ad omnia miracula Christi concurrebat humanitas. à n.54.
Missa unde sic dicta. D.23.n.1.
An valoris infiniti. sec.12.
V *Sacrificium. Stipendium. Fructus.*
Minoritatis discrimen à subiectione, & servitute. D.10.n.1.
Quomodo competat Christo. D.11.à n.5.
Monophysitæ, qui? D.2.n.3. Monotheliteæ. D.15.n.1.
Mortis præceptum Christo fuit obligans in conscientia. D.11.à n.7.
Eam legē charitatis subijsset citra illud. à n.95.
Mortem qualiter non fecerit Deus. D.6.n.63.
Mors Christi Martyrium. D.12.n.10.
Motio finalis stat cum meritoria. D.5.à n.73.
Non sufficit ad meritum solutivum. n.78.
Motivum speciale Incarnationis, præter excellentiam Mysterij, Redemptio. D 6.à n.5.
Motus definitio Aristotelica. *D.1.à n.10.*
Mustum apta materia Calicis, non licita. D.22. à n.34.
Mutatio quid sit? *D.1.n.13.*
Non cadit in Deum ratione unionis. à n.9.

N

Natura Angelica assumptibilis; non in unā Personam. à n.15. V. *Angelus.*
Natura Divina, & humana non una Natura; *D.2.n.16.*
Terminat immediatè unionem. *D.2.*à n.12.
Nequit subsistere per creatam subsistentiam; *D.3.n.20.*
Si ratione sui incarnaretur, tota Trinitas incarnaretur. D.3.à n.41.
Humana assumi posset cum sua subsistentia. à n.3.
Irrationalis, inassumptibilis. n.25. V. *Humanis.*
Naturæ Panis, & vini non assumuntur hypostaticè in Euchar. D.26.n.4.
Necessitas Medij, & Præcepti. *D.*20.n.50. V. *Eucharist.*
Moralis ad optimum argueret in Deo metha-physicam. D.7.à n.4.& n.23.
Nulla Deo eligendi optimum; sed optimè. à n.16.
Necessitas Incarnationis ex suppositione. *D.7.* & 8.
Negatio pura, inepta ad rationem subsistentiæ. *D* 1.à n.8.
Neomyſtæ, quoad intentionem in prima Missa. *D.*21.à n.16.
Possunt sigillatim ex stipendio concelebrare. *D.*23.n.100.
Nestorii errores. *D.1.n.58. D.2.n.2.& D.9.n.7.*
Nomen JESU latriacè adorandum. *D.* 19.n.122.
Nutritio alimoniæ Eucharisticæ. *D.21.*à n.56.
Nutritio Christi, qua ratione naturalis. *D.*1.à n.126.
Nutritio ex speciebus Eucharisticis. *D.*26.sec.7.

O

Oblatio quælibet victimæ non est Immolatio. *D.*23.n.41.
Obligatio moralis præcepti stat cum impotentia transgrediendi *D.*11.n.64.& 87.
Obligatio iustitiæ cadit in Deum. *D.*17.n.816.
Et in Sacerdotem ad Missas ex stipendio. *D* 23. n.105.

Digitized by Google

Oculi poſſent, niſi Deus impediret, cernere Chriſtum in Euchar. D.25.ſec.9.
Odium Dei in peccatores quo pacto infinitum. D.8.n.80.
Offenſa peccati non eſt ſimpliciter infinita. D.8. à n.95.
Non afficit Deum ut morale ſubiectum potius quàm obſequium.n.54.
Non creſcit arithmeticè ex dignitate offenſi. n.56.& 109.V.*Peccatum*.
Omnipotentia duplex applicatio.D.6.à n.127.
Utra conſtituat libertatem creatam? à n.130.
Nequit denominare humanitatem omnipotentem.D.13 n.14.
Non comprehenditur per cognitionem creatam omnium poſſibilium. D.13.à n.75.
Non exhauriretur per productionem omnium. D.14.à n.36.
Opinio nulla fuit in anima Chriſti.D.13.n.150.
Opinio probabilis.V.*Probabilitas.Conſcientia*.
Oratio propriè in Chriſto,ut homine. D.18 ſec.1.
Nequit eſſe pro donis ipſam præcedētibus.ſ.2.
Efficax obtinuit quod petebat. ſec.3.
Non omnis fuit impleta.ibi.

P

Panis ſolus triticeus eſt materia pro corpore. D.22.à n.7.
Sive Azimus; ſive fermentatus quoad valide. à n.12.
In Pixide clauſus conſecraretur;non à tergo poſitus. D.24 n.32.& 35.
Papa,quo cultu adorandus. D.19.n.15.
Quo ordine Caput Eccleſiæ D.14.n.40.
Qua ratione diſpenſet in iure divino. D. 22. à n.171.
Nequit diſpenſare, ut cōſecretur ſub unica ſpecie.D.22.ſec.15.& D.33.n 52.
Paraſceve Paſchæ,quid? D.20.n.25.
Paraſcevis Officium non eſt ſacrificium. D.33. n.23.
Eo die non communicandum. D.32. n.32.
Parochi obligatio tempore peſtis. D.28.n.3.
Parochi ius in adminiſtratione Euchariſt.à n.28.
Parvuli olim communicabant.D.30.n.48.
Et quidem cum fructu Euchariſtico. n.49.
Nunc illicitè, ſed cum fructu miniſtraretur illis Euchariſtia.n.50.
Patres antiqui meruerunt aliquas circumſtantias Incarnationis;non ſubſtantiam.D.5 à n.108.
SS.Patrum loquutiones de Divinitate incarnata legitimè exponuntur. D.2.à n.45.
SS. PP. mens circa Chriſti ut hominis ſervitutem. D.10.à n.9.& à n.29.
Peccatum mortale non eſt infinitum ſimpliciter. D.8.n.95.
Non habet effectus ſimpliciter infinitos.à n.77.
Condignum tamen eſt pœnâ æterna.n.91.
Peccata ſunt inæqualia etiam in ratione offenſæ à n.96.
Et in ſupremo genere offenſæ ideoque incompenſabilia per puram creaturam.à n.113.
Infinitum in ratione offenſæ ,& non in ratione malitiæ implicatorium à n.100.
Nullum in Chriſto. D.15.à n 3.
Peccatum Chriſti diſſolutivum unionis repugnat à n.38. V. *Impeccabilitas*.
Pedilavium præcepit Inſtit.Euchar.D.20.n.31.
Perfectio eximia unionis hypoſt. D.1.ſec.13.
Perfectio moralis creata in quo ſtet. D.15.n.54.
Eius diſcrimen à divina. D.7.n.30.
Perſona Divinæ ſunt immediatè intelligentes per intellectionem divinam. D.2.n.43.
Omnes ſunt ſpecialiter in humanitate ratione unionis hypoſtaticæ;quamvis non unitæ. n.12.
Et ſpeciali titulo in Euchariſtia. D.24.n.147.
Omnes poſſent eandem humanitatem aſſumere:& quælibet tres humanitates. D.5.à n.31.
Omnes efficiunt Incarnationem. D.4.n.8.
Omnes incarnarentur, ſi Deus ſecundum abſolutum incarnaretur.D.3.ſec.5.
Perſonarum alteritas non requiritur ad ſervitutem.D.10 n.40.
Nec illa,nec alteritas phyſica in re ad exercitiū iuſtitiæ.D.12.n.20.& 40.
Permiſſio peccati nullam importat in Deo volitionem peccati D.6.n.73.
Pius V. cur iuſſerit expungi commentationem Caietani.D.23.n.41.
Pœnitentia virtus in quo conſiſtat.D.14.à n.89.
Non fuit in Chriſto ethymologicè,& denominativè;benè vero entitativè. à n.93.
Differt à verecundia.n.99.
Præceptum moriendi non fuit in Chriſto pure pœnale. D 11.à n.54. Sed in conſcientia.à n.70.
Implicat divinum non ligans in conſcientia. à n.61.
Componitur cum libertate , & impeccabilitate Chriſti D.16.à n.10.
Præfinitio rei connexæ cum peccato ante permiſſionem,quo pacto non repugnet. D.6.à n.51.
Præfinitio actus liberi creati debet eſſe intrinſecè entabilis præciſim etiam à ſcientia media. D.16.n.47.
Prædeſtinatus Chriſtus,quomodo? D 9.n.79.
Prædicatio: *Deus eſt homo*,exponitur. D.2.n.105.
Prædicationes idiomaticæ quales? à n.107. Vid. *Loquutio*.
Præmium nequit remuneratorie dari ante exercitam meriti poſitionem.D.5.à n.46 & á n 143.
Eius æqualitas cum merito nō eſt penſanda ex entitativa ipſius bonitate. D.17.à n.58.
Præſentia creaturæ, modus productionis. D. 25. n.44. Quotuplex.n.36.
Realis Chriſti in Euchar. commendatiſſima in Scripturis. n.1.

Digitized by Google

Præſentia materiæ ad conſecrandum qualis. D. 24. n. 29.
Principium meriti quo pacto cadere poſſit ſub meritum. D 5. n. 86.
Principium *quod* operationum Chriſti. D. 17. ſ. 1.
Prioritas naturæ pugnat cum poſteritate temporis. D. 5. à n. 145.
Privatio boni non ſemper eſt tam mala ſubiecto, quàm bonum eſſet id, quo privatur. D. 2. n. 85.
Probabilitas naturaliter haberi poſſet de Incarnatione, citra revelationem. D. 1 à n. 199.
Probabilitatis opinionum rectus uſus. D. 28. ſec. 5.
In materijs Sacramentorum non ſufficit probabilitas D 22. n. 10.
Nec in formis. D 23. n. 35.
Productio creaturæ non eſt ſubſiſtentia. D. 1. n. 70.
Eſt tamen eius duratio & præſentia. D 25. n. 44.
Productio Chriſti in Euchariſtia eſt ex cõcepta converſionis. D. 26 ſec. 4.
Proportio extremorum ad unibilitatem unde petenda? D 1. n 4 & D. 2. n. 11.
Eam non impedit diſtantia entitativa D. 5 n. 22.
Proportio offenſæ, & ſatisfactionis unde? D. 9. ſec. 10.
Pueri, quâ ætate obligentur præcepto annuæ Cõmunionis D. 31. n. 21.
Quâ ætate præcepto Viatici pro articulo mortis? à n 22.
Punctum panis validè conſecrabile. D. 22. à n. 144.
V. *Continuum*.

Q

Quantitas eſt Materia prima. D. 27. n. 25.
Quantitas Chriſti retinet in Euchar. ſuam cum alijs impenetrabilitatem. D. 26. n. 70.

R

Redemptio ſpeciale motivum Incarnationis, etiam quoad ſubſtantiam. D. 6. à n. 5.
Decreta ante abſolutam peccati prævisionem. á n. 48. In quo fletterit. D. 17. à n. 105.
Alia reparativa; alia præſervativa. D. 6. à n. 171.
Regnum Chriſti quale? D. 12. à n. 25.
Judaicum non pertinuit ad Chriſtum per Joſephum, vel Mariam. à n. 33.
Benè verò directum ſuperioris ordinis in univerſam terram. à n. 40.
Reliquiæ adorandæ. D. 19. ſec. 12.
Reliquiæ Panis conſecrati dabantur olim parvulis. D. 30 n. 48.
Et quidem cum fructu gratiæ. n. 50.
Quid ſi inveniantur à Sacerdote poſt ſumptionem? n. 44.
Res & Sacramentum; Res tantùm, Sacramentum tantùm. D 21. n. 8.
Rens plectendus, Euchariſtiæ capax. D. 30. n. 56.

S

Sacerdos & Hoſtia Chriſtus, ut homo. D. 1 à n. 6.
Cur ſecundum ordinem Melchiſedech? n. 4.
Sacrificat actu incruentè nobiſcum. D. 35. n. 62.
Sacerdotis mali quomodo ſacrificium immaculatum. n 63.
Sacerdotium. Chriſti quo ſenſu æternum. D. 12. n. 3 Erat in unione hypoſt. n. 5.
Sacramentorum numerus ſeptenarius quomodo defendendus. D. 21. à n. 74.
Sacramenta mortuorũ ſecundam quoque gratiam per ſe cauſant; non per accidens. D. 29 n. 9.
Sacrificium, quid? D. 33. n. 1.
Verè immolatur in Miſſa. ſec. 1.
Euchariſticum ſtat in utraque cõſecratione. ſ. 3.
Verè ibi mactatio Victimæ. à n. 39.
Sancta, plurimè, pro Euchariſtia. D. 10 n. 15.
Sancti adorandi cultu duliæ. D. 19 à n. 103.
Sanctitas Quid ſit D. 14. n. 1 & 4.
Increata tam abſoluta, quàm relativa ſanctificat humanitatem. n. 2. & 11.
Non ſanctificat illum ſimpliciter infinitè. n. 10.
V. *Forma ſanctif. Gratia Unio hypoſtatica.*
Sanguis dicit formam ſpecialem. D 24. n. 123.
Effuſus in Cruce non poneretur ſub ſpecie panis, ſi mortuo Chriſto fieret cõſecratio. n. 134.
Aſſumptus eſt à Verbo D. 2. n. 60.
Satisfactio. Quid ſit. D 8. n. 4.
In quo differat à merito. n. 5.
Congrua pro peccatis potuit eſſe à pura creatura D. 7. n. 26 & D. 8 n. 12.
Non verò condigna. à n. 20.
Satisfactio Chriſti pluſquam condigna. D. 17. à n. 88.
Fuit pro omnibus ſufficiens, pro aliquibus efficax; pro alijs efficaciſſima. n. 95.
Fuit ſtricta hominum redemptio. à n. 101.
Et de rigore juſtitiæ. à n. 113.
Scientia increata nequit reddere animam intelligentem D. 13 à n. 8.
Creata, fuit in Chriſto, Beatifica, & per ſe infuſa de omni poſſibili. à n. 49 & à n. 93.
Experimentalis entitative indiſtincta à per ſe infuſa à n. 115.
Scientia Media non ſalvat libertatem creatam cum cum impedimento alioquin non evitabili. D. 16. à n. 39.
Omnino requiſita ad decretum Redemptoris. D. 6. n. 59. & 85.
Et ad decernendam immunitatem Matris ex meritis Chriſti. n. 192.
Scientia viſionis indiſtincta virtualiter à decretis. D. 6. à n. 120.
Non eſt poſterior natura obiectis viſis. n. 161.
Semipelagianus error, procul à doctrina meriti ſolutorij. D. 5. n 81.

ALPHABETICVS.

Sensibilitas Eucharistiæ à Verbis. D.21.n 38.

Sensus compositus,& divisus ineptus ad componendam libertatem Christi cum præcepto. D. 16.n.9.

Servitutis Triplex ſpecies.D.10.n.6.
Culpata,& legalis procul à Chriſto. n.7.
Eſt in eo naturalis,& ingenua. a n.2.
Hæc non excludit communicationem bonorũ. à n.23.& 26.

Significatio verborum conſecrationis extraeſſentialium.D.24 ſec.1.
Vide: *Enun. Hic,& Hoc: Vox.*
Significatio verborum eſſentialium eſt aſſertiva.D.23.ſec.6.
Quomodo ſe habeat ad effectum conſecrationis.ſec.7. Vide: *Verba.*

Siligo,ancipitis apud Authores ſignificati. D.22. n.5.

Simonia non labefactat dantes,& accipientes ſtipendia Miſſarum. *D.*33.ſec.13.

Species de eſſentia Euchariſt.in recto. D.21.ſec.1.
Conſignificantur in obliquo pronomine, Hoc, in conſecratione. D.24.à n.16.
Quandiu durent in ſtomacho. *D.*26 à n.79.
Non ſunt puré intentionales,ſeu ſpectra;ſed vera accidẽtia phyſica intrinſeca realia. *D.*27. ſ.1.
Cur potius ſpecies,quam accidentia vocitentur. n.12. Vide *Accidentia.*

Spes entitativè in Chriſto,& in Beatis.D.14.à n.74.

Spiritus Sanctus. nec incarnatus, nec incarnandus. *D.*2.n.54.
Qua ratione cor Eccleſiæ. *D.* 14.n.39.

Stipendium Miſſæ regulatur per nova Decreta Pontificum. D.33.ſec.13.
Catus varij de ſtipendio.ibi.

P.Suarez vindicatus ab æquivocatione Macedi. *D.*19.n.132.

Subiectionis discrimen à Minoritate,& à Servitute *D.*10.n.1.
Chriſti ſubiectio ad Deum, & Mariam qualis. *D.*11 à n.10.
Ad leges naturalem,& Divinam.ibi.à n.23.

Subsistentia creata non eſt rei productio.D.1.n.70
In naturis compoſitis eſt unio partium. à n.86.
Nullibi ſtat in pura negatione.ibi.à n.89.
Eius effectus formalis primarius. *Dez.*à n.88.
Quomodo reddat naturam independentem ab alieno ſuppoſito. *D.*3. á n.7.
In naturis ſimplicibus eſt ipſa natura.n.16.
Creata nequit alienam naturam ſuppoſitare. n.67.
Subſiſtentiæ partiales nullæ. *D.*24.n 156.

Substantia entitativa ſupernaturalis repugnat in creatis;non modalis. *D.*1.n.194.
Non vivens non habet minimum naturale uſque ad punctum. *D.*22. n.139.

Sumptio, extra conſtitutivum Euchar. *D.*21.n.45.
Etiam in ratione Sacrificij. *D.*33.ſec.3.& 5.

Suppoſitum Quid? & quomodo incommunicabile? D.2.á n.89.

Symbolum Apoſtolorum continet expreſsé articulum Euchariſtiæ. D.20.ſec.2.

T

Tentatio interna nulla fuit in Chriſto. D 15. n.69.
Benè vero externa. n.70.

Terminus formalis unionis hypoſtaticæ, Relatitum verbi.D.2.à n.27.
Immediatus,etiam Natura. à n.34.& 45.
Terminus aſſumptus, integra humanitas. n 56.
Termini aſſumptivi, & aſſumptibiles de poſſibili.V. *Natura Corpus, Perſona.*
Terminus parvitatis, & magnitudinis nullus in materia conſecrabili. D.22.ſec.13.

Testamenti novi, & æterni nomine, quid veniat in conſecratione, D 24.n 4.

Timor. Proprius in Chriſto. D.14.à n.63.
Timoris donum,quomodo? à n.7.

Transsubstantiatio,quid? D.26.n.1. & 3. V. *Converſio.*

Tridentinum Concilium expenſum circa Inſtitutionem Euchariſtiæ ſubſequutam ad Benedictionem. D. 20.ſec.4.
Circa converſionẽ aquę in ſanguinẽ. D.22.n.68.
Circa vim verborum,& concomitantiam. D.24 ſec.11.12. & 13.
Circa tranſubſtantionem. D.26.à ſec.1.

Trinitas evidenter abſtractive cognoſci poteſt per ſcientiam non beatificam. D.13.n 93.

Triſtitia veré in Anima Chriſti & quomodo cũ gaudio beatifico. D.15 à n.21.

V

Valor operum Chriſti ſimpliciter infinitus: & undé? D.17.ſec.2.& 3.
Valor ſacrificij Miſſæ,quomodo finitus, & infinitus.D.33.ſec 12.

Variatio. Quænam verborum conſecrationis illã invalidet.D.23.à n.112.

Ubiquiſtæ,qui ? D 2.n.110.

Verba conſecratoria neceſſario habẽt ſenſum aſſertivum. D.23.n.79.
Vera ſunt iuxta humanam etiam vocum inſtitutionem.à n.105.
Vi verborum poni quid ſit n.139
V. *Conſecratio. Forma. Conſecr. Significatio. Vox.*

Verbum,cur non ſit forma humanitatis. D.1.à n.6.
Non mutatur per unionem,& cur.n.13.
Nec perficitur,nec inficitur.à n.20 & 33.
Quomodo ſupleat in humanitate Chriſti defectum ſubſiſtentiæ propriæ. D.2.à n.88.& 92.
Non concurrit ad Incarnationem influxu activo non communi Trinitati.D.4.ſ.1.
Vi verborum non ponitur in Euchariſtia.D.24 à n.162.

Vere-

Verecundia, quid dicat alienum à Pœnitentia. D. 14. n. 98.
Veritas verborum conſecrationis non ſtaret, ſi ſolum recitativè proferrentur. D. 23. à n. 81.
Eam conſtituit effectus ipſius. à n. 109.
Duplex actuum veritas. n. 110. V. *Verba*.
Victima, quæ in Sacrificio. Miſſæ? D. 33. ſec. 2.
Eadē in incruēto Miſſæ, & cruento Crucis. n. 12.
Vinum quale materia Euchariſtiæ. D. 22. à n. 29.
Non lymphatum valide; illicite tamen conſecraretur. ibi. à n. 42.
Non habet vim naturalem convertendi in ſe aquam, ſaltem brevi tempore. à n. 83. & 106.
Violentia non infertur humanitati ex defectu propriæ ſubſiſtentiæ. D. 2 à n. 78.
Virtutes Morales. Fuerunt omnes in Chriſto entitativè, non ethymologicè. D. 14. à n. 86.
An naturales ipſarum habitus diverſi à ſupernaturalibus? n. 101.
Operatio virtutum, quid. n. 51.
Virtus obedientialis non in omnibus ad omnia. D. 4. n. 27.
Viſio Beata, debetur neceſſario humanitati hypoſtaticè unitæ. D. 1. à n. 88. & D. 13. à n. 24.
Fuit in Chriſto à primo ſuo inſtanti. D. 13. n. 18.
Per illam videt anima Chriſti in verbo cuncta. à n. 49.
Vita. Dicit eſſentialiter immanentiam exercitii. D. 13. n. 9.
Vitium. V. *Habitus vitioſus*.
Unio humana identificatur in Chriſto, cum aliqua hypoſtatica. D. 1. à n. 78.
In puræ creatis eſt ipſa ſubſiſtentia. ibi. & n. 102.
Cur in Chriſto non? n. 105.
Quo ſenſu ſit naturalis in Chriſto, quo non? n. 121.
Unio ſubſtantiæ Chriſti cum accidentibus Euchariſticis ſunt verba. D. 27. n. 60.
Non unit phyſicè, ſed moraliter. ſec. 4.
Unibilitas duorum, quid requirat? D. 2. n. 11.
Unio hypoſtatica, eximiè perfecta. D. 1. á n. 157.
Nec perficit, nec inficit Verbum. n. 20. & 33.
A Verbo, & humanitate diſtinguitur. à n. 40.
Nec de poſſibili identificabilis cū Verbo. n. 51.
Identificatur partim cū unione humana. à n. 78.
Quo ſenſu terminetur ad humanitatem. n. 116.
Quo ſenſu naturalis, quo ſupernaturalis. n. 121. & 194.
Quo ſenſu ſit aſſumptio, & Incarnatio. D. 2 n. 1.
Immediatè terminatur ad relativum, & abſolutum Verbi. à n. 34 & 45.
Eſt ſummum Dei donum, & beneficium. D. 1. à n. 177.
Eſſentialiter exigit viſionem Beatam. D. 1. à n. 188. & D. 13. à n. 24.
Sāctificat formaliter humanitatem. D. 14. à n. 16.
Unio gratiæ creatæ ad animam cur non eſt forma ſanctificans. D. 14. n. 22.
Unum per ſe, quid? D. 2. n. 11.
Voluntas Dei antecedens, & cōſequens. D. 6. n. 66.
Voluntas Chriſti humana conformis divinæ. D. 15. n. 54. & D. 18. ſec. 3.
Volitio finis efficax. V. *Intentio*.
Volitio rei, cuius impedimenti ſit virtualis nolitio. D. 6. à n. 75.
Omnis volitio humana efficax Chriſti obtinuit effectum; non vero inefficax. D. 18. à n. 39.
Vomitus, ſputum, comeſtio poſt Communionem, D. 26. à n. 39.
Vox, enim, in conſecratione, cauſalis, an aſſeverativa? D. 23. n. 5.
Vox, *Hoc*, quid demonſtret? D. 24. ſec. 2.
Vox, *Hic*, pronomen ibi, non adverbium. n. 10.
Vox, *Corpus*, & *Sanguis*. V. *Corpus. Sanguis. Verba*.
Vocum ſignificatio varia pro varietate temporum, & circumſtantiarū. D. 2. n. 103. & D. 10. n. 37
Vſus Sanguinis iure interdictus Laicis ab Eccleſia. D. 32. ſect. 1.
Utraquiſta, quis? D. 32. n. 2.
Utriuſque Speciei Euchariſticę ſumptio non plus gratiæ per ſe cauſat, quàm unius. D. 29. ſec. 2.
Laicis permittitur pro raris caſibus. D. 32. n. 9.
Celebrātibus præcipitur iure divino. D. 33. n. 53.

LAUS DEO.

Google

Digitized by Google

5-2

Digitized by Google

Digitized by Google

5-2

Digitized by Google

Digitized by Google